35216 | D

H. VI
Man

MANGETI

MEDICINÆ DOCTORIS

BIBLIOTHECA

CHIRURGICA

THESAURUS

461 A 4

JO. JACOBI MANGETI,

MEDICINÆ DOCTORIS,

& Sereniſſimi ac Potentiſſ. REGIS PRUSSIÆ Archiatri,

BIBLIOTHECA CHIRURGICA,

SIVE

Rerum ad ARTEM MACHAONICAM quoquô modô ſpectantium

THESAURUS ABSOLUTISSIMUS,

QUO OMNES PRORSUS HUMANI CORPORIS AFFECTIONES Chirurgi Manum, aut aliam aliquam ejuſdem Operam expoſcentes, *Ordine Alphabeticô* explicantur;

ET PER CURATIONES, OPERATIONES, CONSILIA, OBSERVATIONES, AC CADAVERUM Anatomicas inſpectiones, è variis, iiſque præſtantisſimis Autoribus, Veteribus ac Recentioribus petitas, abundè; imò & curiosè tractantur. *Cum* FIGURIS *æneis neceſſariis.*

TOMUS QUARTUS.

KONINKL. BIBLIOTHEEK TE 'S HAGE

K. B.



GENEVÆ,

Sumptibus GABRIELIS DE TOURNES & FILIORUM

M. DCC. XXI.

Plempii de Togatorum valetudine tuenda 4. *Bruxell.* 1670.
Pons ratio ad diſcendam & recte exercendam Medicinam & de Miſſione ſanguinis 8. *Lugd.* 1600.
Porta Medicina Brevis 4. *Lugd. Bat.* 1688.
———de Phyſiognomia Humana 8. *Ffurti* 1618.
Poppii Baſilica Antimonii, in qua Antimonii Natura exponitur 4. *Ffurti* 1618.
Poterii Inventa Chymica, *ſeu* Manes Poteriani 4. *Ffurti* 1666.
———Opera omnia 4. *Ffurti* 1698. & 8. 1666.
Primeroſii deſtructio fundamentorum Medicinæ Plempii 4. *Roterd.* 1657.
———de mulierum morbis 4. *Roterd.* 1655.
———de Febribus 4. *Roterd.* 1658.
Puteanus de occultis Pharmacorum purgantium facultatibus 8. *Lugd.* 1654.
Prævotius de compoſitione Medicamentorum 12. *Rintelii* 1649.
———hortulus Medicus 12. *Patavii* 1681.
———de Materia Medicamentorum 12. *Patavii* 1676.
Ramazzini Opera 4. *figur. Amſt.* 1718.
Raii Hiſtoria Plantarum fol. 3. vol. *cum fig. Londini* 1686.
———tomus 1. *ſeparat.* fol.
———Synopſis Animalium Quadrupedum & Serpentini generis 8. *Londini* 1693.
———Catalogus Plantarum Angliæ & Inſularum adjacentium 8. *Londini* 1677.
Raygeri Obſervationes Medicinales 4. *Ffurti* 1691.
Religio Medici cum Annotat. 8. *Argent.* 1665.
Remmelini Catoptrum Microcoſmicum fol. *figur. Ffurti* 1660.
Renodæi Pharmacopæa 8. *Genevæ.* 1655.
Redus de Inſectis 12. *figur. Amſt.* 1686.
———experimenta Naturalia *figur Amſt.* 1685.
Reineſii Epiſtolæ ad Neſteros 4. *Lipſiæ* 1670.
Reverhorſt diſſertatio Anatomico Medica de Motu bilis circulari ejuſque Morbis 8. *Lugd. Bat.* 1696.
Rhodius de Acia 4. *Hafniæ.* 1672.
Riedlini Lineæ Medicæ *ann.* 1695 *uſq.* 1700. *incluſ.* 8. *Auguſtæ.*
———Varii Anni ſeparatim 8.
———Iter Medicum 8. *Auguſtæ* 1702.
———Methodus curandi febres 8. *Vlmæ* 1705.
———Obſervationes Medicæ 12. *Auguſtæ* 1691.
Riolani Enchiridion Anatomicum 8. *Ffurti* 1677.
———Opuſcula Anatomica & de motu circulatorio ſanguinis in corde 4. *Londini* 1649.
———Schola Anatomica 8. *Genevæ* 1624.
Riverii Opera Medica fol. *Lugd.* & *Venetiis.*
———Reformatus; renovatus & auctus 8. 2. vol. *Genevæ* 1718.
———Contractus 8.
———Praxis Medica 8. *Hagæ* 1664.
———Methodus curandi febres 8. *Paris* 1648.
———Inſtitutiones Medicæ 4. *Lugd.* 1672.
Rivini *Auguſti Quirini* Diſſertationes Medicæ 4. *Lipſiæ* 1710.
Rolfincii Diſſertationes Anatomicæ 4. *Norimb.* 1656.
———Diſſertationes Chymicæ ſex, de Tartaro, Sulphure, Margaritis, auro & argento, Antimonio, Ferro & Cupro 4. *Ienæ* 1679.
———de Purgantibus Vegetabilibus 4. *ibid.* 1667.
———Chymia in artis formam redacta 4. 1671.
———notæ ad illum Tractatum illuſtrand. 4.
———de Vegetabilibus, Plantis, &c. in Genere 4. 1670.
———Epitome methodi cognoſcendi & curandi particulares corporis affectus 4. *Ienæ* 1675.
Rolfincii ordo & methodus Medicinæ Specialis 4. *Ffurti* 1665.
———Conſilia Medica 4. *ibid.*
Rondeletii Opera Medica 8. *Genevæ.*
de Saint Romain Phyſica 12. *Lugd. Bat.* 1684.
Rubei exercit. in Medicas hiſtorias 8. *Hamburg.* 1660.
Rudius de Pulſibus 8. *Ffurti* 1602.
Rudolphi Progymnaſma Medicum, de obſervand. in mulieribus largiter menſtruatis 8. *Lugd. Bat.* 1708.
———Medicus ad Ægri palatum varium 8. *ibid.* 1699.
Ruyſch Theſaurus Anatomicus, cum Theſauro Animalium 4. XI. partibus *cum figur. Amſt.*
———Dilucidatio valvularum in vaſis Lymphaticis & Lacteis 12. *cum figur. Lugd. Bat.* 1687.
Rulandi Curationes Empyricæ 8. 1680. *Budiſſæ.*
Sachs vitis viniferæ conſideratio Phyſico-Philolog. Hiſtor. Med.-Chymica 8. *Lipſiæ* 1661.
———Oceanus Macro-microcoſmicus 12. *Vratiſlav.* 1664.
———Gammarologia, *ſive* Gammarorum vulgò Cancrorum conſideratio Med. Chym. 8. *Lipſiæ* 1665.
Salæ Opera Medico-Chymica 4. *Ffurti* 1682.
Salius de morbis particularibus corporis, & eorum curatione fol. *Patavii* 1673.
———Comment. in Hippocratis libros quatuor de morbis fol. *Ffurti* 1646.
———de febre peſtilenti S. *Hardevici* 1656.
Samonici Medicina 8. *Amſt.* 1662.
Sandris de ſanguinis ſtatu naturali & præternaturali, cum Tractatu de ventriculo & Emeticis 8. *Ffurti* 1712.
Sanctorius de Statica Medicina 12. *Lugd. Bat.* 1713.
Sanctorii Comment. in Artem Medicinalem Galeni 4. *Lugd.* 1632.
———Methodus vitandorum errorum qui in Medicina contingunt 4. *Genevæ* 1631.
Salæ Anatomia Vitrioli 12. *Genevæ* 1613.
Saporta de Tumoribus præter naturam 12. *Lugd* 1624.
Schamski Promptuarium Medico Practicum 4. *Norimb.* 1714.
Scharffii deſcriptio curioſa Juniperi 8. *figur. Lipſiæ* 1679.
Schelhammer de Auditu 8. *Lugd. Bat.* 1684.
———de humani corporis Tumoribus eorumque curatione 4. *Ienæ* 1695.
Schenckii obſervationes Medicæ fol. *Ffurti* 1665.
———Synopſis Inſtitutionum Medicinæ 4. *Ienæ* 1672.
———Syntagma Medicamentorum & Hiſtoria Seri ſanguinis 4. *ibid.* 1671.
———hiſtoria humorum corporis humani 4. *ibid.* 1663.
———Schola partium humani corporis 4. *ibid.* 1664.
Schneider de Catarrhis 4. 5. vol. *VVitteb.* 1660.
———de Spaſmorum natura & ſubjecto 4. *ibid.* 1678.
———de nova, Apoplexiæ, Lypopſychiæ, Paralyſis Anacephalæoſos curatione 8. *Ffurti* 1672.
———de morbis capitis 4. *VVitteb.* 1669.
———de Oſſe Cribriformi, & ſenſu ac Organo odoratus 12. *ibid:* 1655.
Schröderi Pharmacopæa 4. *Lugd.* 1681.
Schrockii Pharmacopæa Auguſtana reſtituta 4. *Auguſt.* 1673.
———Hiſtoria Moſchi 4. *figur. Auguſt.* 1682.
Scheuchzeri Operis Agroſtographici idea, *ſeu* graminum, Juncorum, Cyperorum, Cyperoidum, iiſque affinium methodus 8. *Tiguri* 1719
Scarabicius de Ortu Ignis febriferi 4. *Patavii* 1655.
Scharandæus de Ratione conſervandæ ſanitatis 8. *Amſt.* 1640.
———Modus & Ratio Viſendi Ægros 12. *Solodori* 1670.
Schraderi Obſervationes de Generatione Animalium 12 *Amſt.* 1674
Schonbornii Manuale Medicinæ Practicæ 12. *Argent.* 1657.
Schmitzii Compendium Medicinæ Practicæ 12.
Schola Salernitana *Variæ Editionis* fol. 8. 12. 16. 18.
———Botanica *ſive* Catalogus Plantarum Horti Regii Pariſienſis 12. *Amſt.* 1689.
Sculteti Armamentarium Chirurgicum *var. edit.* fol. 4. 8.
———Morbus Pilaris mirabilis obſervatus 12. *Norimb.* 1658.
Schultzius de natura tincturæ bezoardicæ 8. *Halæ* 1678.
———Scrutinium Cinnabarinum 8. *ibid.* 1680.
Swammerdam de reſpiratione, uſuque pulmonum 8. *Lugd. Bat.* 1679.
———hiſtoria generalis Inſectorum 4. *fig Lugd. Bat.* 1685.
Sebizii Exercitationes Medic. Argentorat. 4. *Argent.* 1672.
———de Alimentorum Facultatibus 4. *ibid.* 1650.
———de Caſu Adoleſcentis Argentin. inventus mortuus cum ſerpente 4. *ibid:* 1660.
Sennerti Univerſæ Medicinæ Epitome fol. *Genevæ* 1655. & *Avenione* 1654.
———de Febribus 8. *Genevæ* 1647. & 4. *VVitteberg.* 1653.
———Inſtitutiones Medicæ 4. *VVitteberg* 1667. & 8. 1633.
———de Scorbuto 4. & 8. *ibid.*
———Epitome naturalis Scientiæ 8. & 12. *Amſt.*
———inſtitutionum Medicinæ & librorum de febribus 12. *VVittèb.* 1664.
———methodus diſcendi Medicinam 12. *Marpurg.* 1672.
Septalii Comment. in Ariſtotelis Problemata fol. 2. vol. *Ffurti* 1602
———in librum Hippocratis, de Aeribus, Aquis, Locis 8. *Ffurti* 1645.
———Cautiones Medicæ 8. 2. vol. *Dordrecht.* 1650.
Serna methodus medendi, *ſeu* Opera Medica fol. *Paris* 1639.
Severini varia Opuſcula Anatomica 4. *Ffurti* 1668.
———de Reſpiratione Piſcium fol. *Neapoli* 1659. & *Amſt* 1661.
———de viperæ natura & veneno 4. *Neapol.* 1651.
Sibbaldi Scotia illuſtrata, *ſive* Prodromus hiſtoriæ naturalis &c. fol. *cum figur. Edimb.* 1696.
Sylvii *Iacobi* Opera Medica fol. *Genevæ* 1635.
———noviſſima de febribus Idea 12. *Dublin* 1687.
———de le Boë Opera fol. *Genevæ*
———Praxis Medica 8. *Hanoviæ* & 12. *Ffurti.*
Sylvii diſputationes Medicæ 12. *Ienæ* 1674.
Sinibaldus de Generatione hominis 4. *Ffurti* 1669.
Sitoni Miſcellanea medico curioſa 4. *Einſidlen.* 1649.
Sydenham Opera Medica cum variis obſervationibus celeberrimorum Medicorum 4. 2. vol. *Genevæ* 1716.
———de variolis & de affectione Hyſterica 12. *Ffurti* 1683.
Sylvatici inſtitutio Medica, de iis qui morbum ſimulant deprehendendis 12. *Ffurti* 1672.
———Conſilia Medica fol. *Genevæ.*
Synapii Paradoxa Medica 8. *Genevæ.*
Snellen *Henrici* Theoriæ Mechanicæ Phyſico-Medicæ delineatio 8. *Lugd. Bat.* 1705.
———*Pauli* Diſſert. Phyſ. Chem: Qua Salis communis triumviratus Phyſice & Chemice demonſtratur 8. *Amſt.* 1714.
de Sorbait Medicina Univerſa &c. fol. *Norimb.* 1672.
———Comment. in Aphoriſmos Hippocratis 4. *Viennæ* 1701.
Sommerhoffi Lexicon Pharmaceutico-Chemicum *latin. germ.* fol. 1701.
Spigelii Iſagoge in Rem herbariam 24. *Lugd. Bat.* 1633. *Elzevir.*
Sperling de formatione hominis in Utero 8. *VVitteb.* 1672.

Spina Lexicon Pharmaceutico-Chemicum 8. *Ffurti* 1702.
Stahl Theoria Medica 4. *Halæ* 1708.
———Opuſcula Chymico-Phyſico-Medica 4. *Halæ* 1715.
———Æthiologiæ Phyſiologico-Chemicæ 12. *Ienæ.*
———Obſervationes Chym-Phyſ-Med. 8. *Ffurti* 1697.
Stalpartii obſervationes Medico-Chirurgicæ 8. 2. vol. *Lugd. Bat.* 1687.
Stephani Opera omnia fol. *Venetiis* 1653.
Stenonis Elementorum Myologiæ ſpecimen, *ſeu* Muſculi deſcriptio Geometrica 8. *figur. Amſt.* 1669.
———Cerebri Anatome 12. *Lugd. Bat.* 1671.
———Obſervationes Anatomicæ 12. *ibid* 1680.
———de Muſculis & Glandulis 12. *ibid.* 1683.
Stiſſeri de Machinis Fumiductoriis curioſis 4. *Hamb.* 1686.
Strobelberger de Dentium Podagra 8. *Lipſiæ* 1630.
Strom Nova Theoria motuum Machinæ Animalis 8 *Amſt.* 1707.
Stullii medendi practica generalis 12. *Antuerp.* 1606.
Svvalve Pancreatis, & ſucci ex eo profluentis Comment. 12. *Ienæ* 1678. & *Amſt.*
———diſquiſitio Therapeutica Generalis 12. *ibid.* & *Amſt.*
———Alcali & Acidum 12. *Amſt.* 1670.
Tarantæ Philonium Pharmac. & Chirurg. 4. *Ffurti* 1680.
Tauvry Anatomia 8. *figur. Vlmæ* 1694.
Theatrum Chemicum 8. 5. vol. *Argent.* 1659.
Theophraſti Ereſii Opera omnia *græce* & *lat.* fol. *Lugd. Bat.* 1613
Theophilus de Urinis *cum not.* Guidotii *gr. lat.* 8. *Lugd. Bat.* 1703.
Thomſon diſſertationes Medicæ variæ 8. *Lugd. Bat.* 1705.
Thermarum Bathonenſium & Aquiſgranenſium comparatio 8. *figur. Londini* 1676.
Timæi Opera Medica 4. *Lipſiæ* 1715.
Tilingii Rhabarbarologia 4. *figur. Ffurti* 1679.
———Cinnabaris Mineralis 8. *ibid.* 1681.
———Prodromus Praxeos Chymiatricæ 8. *Rintelii* 1674.
———de Tuba Uteri deque fœtu &c. 12. *ibid.* 1670.
———de Vaſe brevi lienis 12. *Mindæ* 1676.
Tilemanni Praxis Hippocratica 12. *Vlmæ* 1680.
Torrini Parnaſſus Triceps, *ſeu* Enchiridion de Myſteriis Naturæ & artis Phyſiol. Med. & Mathem. fol. *Taurini* 1657.
Tournefortius contractus ſub forma Tabularum ſiſtens Inſtit. Rei herbariæ &c. fol. *Ffurti* 1715.
Tollii ſapientia inſaniens 8. *Amſt.* 1689.
Tovar de compoſitorum medicamentorum examine 4. *Antuerp.* 1686.
Triumfetti Obſervat. de Ortu ac vegetatione Plantarum 4. *figur. Romæ* 1685.
Tractatus tres elegantes de Aquis Medicatis 8. *Amſt.* 1718.
———Anatomicus novus de organorum generationi dicatorum ſtructura, *ſeu* Sacra Eleuſinia patefacta 4. *Ffurti* 1684.
Trillerus de officio Medici 12. *Ienæ* 1701.
Tripus Medicinæ per Globicz 12. *Norimb.* 1681.
Thruſton de Reſpirationis Uſu primario. 8. *Londini* 1670. & *Lugd. Bat.*
Tulpii Obſervationes Medicæ 8 *Lugd. Bat.* 1716.
Tudecii Nucleus Pharmaceuticus med. pract. 12. *Norimb.* 1695.
———Amuſſis Antiloimica 12. *Norimb.* 1695.
Valentini Novellæ Medico-Legales 4. *Ffurti* 1711.
———Pandectæ Medico Legales 4. 3. vol. *Ffurti* 1701.
———Medicina Nova-Antiqua &c. 4. *figur. Ffurti* 1713.
———Hiſtoria ſimplicium Reformata fol. *figur. ibid.* 1716.
———Chirurgia Medica 4. *figur. ibid.* 1715.
———Armamentarium Naturæ 4. *figur. Gieſſæ* 1709.
———hiſtoria Moxæ 12. *Lugd. Bat.* 1686.
Valſalva de Aure humana 4. *figur. Vltrajecti* 1707.
Varandæi Opera omnia fol. *Lugd.* 1658.
Valeriolæ obſervationes Medicinales 8. *Lugd.* 1605.
Valeſius de Peſte 4. *Romæ* 1656.
———de ratione victus in morbis acutis 8. *Taurini* 1590.
Varandæus de affectibus renum & veſicæ 8. *Hanoviæ* 1617.
———formulæ Remediorum internorum & externorum 8. *ibid.*
———Opera Theorica & Practica 8. 1620.
Vega Opera Medica fol. *Lugd.* 1626.
Velſchius de vena Medinenſi 4. *Auguſtæ cum figur.* 1673.
———Curationes, & Conſilia Medica 4. *Auguſtæ* 1681.
———diſſertatio Med. Philoſ. de Ægagropilis 4. *Auguſtæ* 1660
Velſchii Hecatoſteæ II. Obſervationum Phyſico-Medicarum 4. *ibid.* 1675.
———Tabulæ Anatomicæ fol. *Lipſiæ* 1697.
———Conſilia Medica 4. *Vlmæ* 1676.
Verle Anatomia artificialis oculi humani 12 *figur. Amſt.* 1680.
Veſti Oeconomia Corporis humani 8. *Ienæ.*
Vercelloni diſſert. Anat. Med. de Glandulis Oeſophagi conglomeratis 4 *Aſtæ* 1711.
———de pudendorum morbis & lue Venerea 4. *Aſtæ* 1716.
Veſalii Epitome Anatomica 4. *Lugd. Bat.* 1616.
Vicarii baſis univerſæ Medicinæ 8. *Vlmæ* 1700.
———de aquis ſalubribus mineralibus 8. *Vlmæ* 1699.
———de intemperato Hippocratico, *ſeu* Cacochymiis Galeni 4. *Argent.* 1712.
Vidi Vidii Opera omnia Medica, Chirurgica & Anatomica fol. 4. vol. *cum figur. Venetiis* 1611.
———idem fol. 3. vol. *cum figur. Ffurti* 1626.
———Anatome Corporis humani, *ſeparatim* fol. *cum figuris Venetiis* 1611.
———Chirurgia fol. *cum figuris Paris* 1544.
Vieuſſens Neurographia univerſalis fol. *cum figur. Lugd.* 1684.
———Tractatus de Remotis & proximis mixti principiis in ordine ad corpus humanum ſpectatis, & de natura, differentiis, ſubjectis, & cauſis fermentationis &c. 4. *cum figur. Lugd.* 1648.
———de Vaſis corporis humani 8. *cum figur. Amſt.* 1705.
Vigierii Opera Medico-Chirurgica 4. *Hagæ* 1659.
Victorius de curandis morbis 8. 2. vol. *Ffurti* 1628.
Vigirii Tractatus de Catharro, Rheumatiſmo, Vitiis dentium, linguæ, vocis, &c. 8. *Genevæ* 1620.
Volkameri Flora Norimbergenſis 4. *cum figur. Norimb.* 1700.
Vulpini Spaſmologia, *ſive* Clinice contracta 4. *Aſtæ* 1710.
VValdſchmidt Inſtitutiones Medicinæ 8. *Ffurti* 1696.
———Epiſtolæ de rebus Medicis & Philoſophicis 4. *ibid.* 1689.
Walæi methodus medendi 12. *Auguſtæ* 1679.
Wagenſeilius de Hydraſpide ſua, adverſus extrema pericula aquarum 4. *Altdorf.* 1690.
Wecker de ſecretis *cum addit.* Zvvingeri 8. *Baſileæ* 1701.
———Antidotarium Generale & Speciale 4. *Baſileæ* 1642.
Weber Anchora Sauciatorum, *hoc eſt* Liquor Stypticus &c. 8. *VVratiſl.*
Wedelii Opera omnia 4. 8. & 12. *Ienæ.*
———Gazophylacium Pharmaciæ & Chymiæ 4. *Lipſiæ* 1715.
———Compendium Chemiæ 4. *Ienæ* 1705.
———Phiſiologia Medica 4. *ibid* 1704.
———Exercitationum Medic-Philologic. decades duæ 4. 1686.
———decades 3. 5. 6. 7. 8. 9. & 10. 4.
———centuriæ ſecundæ Decades 1. & 4. 4. 1704.
———de Medicamentorum compoſitione extemporanea 4. *Ienæ* 1679.
———Pharmacia in artis formam redacta 4. 1693.
———Opiologia 4. 1674.
———Amænitates materiæ Medicæ 4. 1704.
———de Medicamentorum facultatibus 4. 1678.
———Epitome Praxeos Clinicæ 4. 1710.
———de Colchico veneno 4. 1718.
———de Sale volatili Oleoſo 4. 1711.
———de uſu rationis humanæ in ſacris 4. 1714.
———Tabulæ Pathologico Therapeuticæ fol. 1687.
———Exercitationes Pathologico-Therapeuticæ 4. 1697.
———de morbis infantum 4. 1717.
———de punctis Medicis 4. 1701.
———varia alia ſcripta.
Weidenfelt de Secretis Adeptorum 4. *Londini* & 12. *Hamb.*
Weinhart Medicus officioſus 8. *Norimb.* 1715.
Werloſchnig curationis verno autumnalis abuſus 8. *Ffurti* 1713.
———hiſtoria Peſtis 8. *Stiræ* 1715.
———diſſertatio de Peſte 8.
Weinrichius de ortu monſtrorum 8. 1595.
Weſthoven Diſſert. Philolog. Anatom. Chirurg. Med. de Angina 8 *Lemgoviæ* 1718.
Wepfer hiſtoria Cicutæ Aquaticæ 4. *Baſileæ* 1679.
———obſervationes Anatomicæ ex cadaveribus eorum quos ſuſtulit Apoplexia 8. 1681.
VVelſchii manuductio ad Rem herbariam 12. *Lipſiæ* 1697.
VVharton Glandularum corporis deſcriptio 12. 1664.
VVhitaker de ſanguine Uvæ ejuſque natura & uſu 8. *Hagæ* 1655.
VVierii Opera omnia 4. *Amſt.* 1660.
———obſervationes Medicæ 12. *Amſt.* 1657.
VVillugbeii Ornithologia fol. *cum figuris Londini* 1676.
VVillichii exercitat. & probat de Urinis 8. *Amſt.* 1688.
VVillis Opera omnia 4. 2. vol. *cum figuris Genevæ* 1695.
———Pharmaceutice rationalis 12. *Amſt.*
———Pathologia Cerebri, & nervoſi generis ſpecimen 12. *Amſt.*
———de Anima Brutorum 12. & 8. *Amſt.*
———de fermentatione & de Febribus 12. *Hagæ.*
VVilichius de urinis 8. *Baſileæ* 1582.
VVolfius de Amuletis 4. *Lipſiæ* 1692.
VVurffbainli Salamandrologia, *ſive* Deſcriptio Hiſt. Philolog. Philoſ. Med. Salamandræ 4. *cum figur. Norimb.* 1683.
Zacchiæ Quæſtiones Medico Legales fol. *Lugd.* 1704.
———de affectionibus Hypochondriacis 8. *Auguſtæ* 1671.
Zapatæ mirabilia, *ſeu* ſecreta Medic. Chym. 8. *Vlmæ* 1696.
Zarotti de Medica Martialis Tractatione Comment. 4. *Venet.* 1657.
Zacuti Luſitani Operum tomus 2. *ſeparatim* fol. *Lugd.*
Zecchii Conſultationes Medicinales 8. *Ffurti* 1677.
Zeidler Anatomia fol. *figur. Pragæ* 1686.
———Inſtitutiones Medicæ 4. *Viennæ* 1692.
Zinchius de Criſibus 12. *Ffurti* 1609.
Zobelii Tartarologia Spagirica 12. *Ienæ.*
Zwelferi Pharmacopæa Auguſtana 4. *Norimb.* 1714.
Zwingeri Theatrum Praxeos Medicæ 4. *Baſileæ* 1710.
———faſciculus diſſertationum Medicarum 8. *Baſil.* 1710.

Diemerbroeck de Peſte, & alii Tractatus Medici 4. 1721.

JOH. JAC. MANGETI

BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ

LIBER DECIMUS SEXTUS

De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Literâ S. incipientibus.

SCARIFICATIO

Vid. Sub Titulo

OPERATIONES CHIRURGICÆ.

SCIRRHUS.

SCIRRHUS, Græcis & Latinis ita dictus, Arabibus Sephiros, hoc eſt Lapidoſum Apoſtema, aliis durus tumor vocatur. Eſtque Tumor durus, renitens, doloris expers cum ſenſu exiguo, aut prorſus nullo, ex craſſo, viſcido, lento, & auſtero humore genitus.

II. Hunc autem Tumorem ab humore melancholico, aut pituitoſo, aut ſimul ab utroque originem habere, non ſine ratione cenſuerunt Veteres. Humorem namque Auſterum, ſanguinem facilè in aliqua parte fundentem, ſimulque lympham vehementer coagulantem, Præcipuam exiſtimamus Scirrhi Cauſam.

III. Auſterum, hoc eſt, Acidum potentius ac validius nos accuſamus, ſive in cruoris maſſa genitum, & ad partem aliquam propulſum, in eaque collectum & concretum, ſive relictum ex alio tumore nimis tardè, negligenter, vel malè Curato, quapropter facilè in magis auſterum deſinere poteſt Scirrhus, ac in cancrum degenerare, qui tandem ob ſummam & pertinacem auſteritatem vim corroſivam nactus exulceratur, atque incurabilis redditur.

IV. Igitur Scirrhus aliquando eſt Primarius fitque à principio, nullo præternaturali tumore præcedente; quum nimirum humor ille auſterus, ſanguinem fundens, Lymphamque coagulans, in aliqua Parte congeritur, minimiſque ejuſdem meatibus inhærens tumorem hunc excitat. Congeritur autem humor craſſus, viſcidus, auſterus in partibus, vel propter malam victus rationem, vel ab Hepatis, lienis, aliuſve viſceris Dyſcraſiam, vel ob Hæmorrhoidum aut menſium ſuppreſſionem, adjuncta partis affectæ imbecillitate, qua vitioſi hujuſmodi humores in ſanguine redundantes facilè ſuſcipiuntur.

V. Sed nonnunquam ſymptomaticus eſt Scirrhus; viz. qui mala Phlegmonis, Eryſipelatis, aliorumve tumorum curationi ſuccedit, uti non rarò fit Chirurgi imperitiâ, quod præter modum uſus fuerit narcoticis, aut nimium refrigerantibus, vel immodicè reſolventibus, quibus tenuiores humorum particulæ diſcutiuntur, ſolis craſſioribus viſcidioribuſque remanentibus, atque in parte induratis.

VI. Haud ineptè ergò Scirrhus dividitur 1. In Primarium, verum, exquiſitum, & ſymptomaticum, illegitimum, ſpurium; qui magis propriè tumor Scirrhoſus nominatur. 2. In purum & impurum; qui fit, quum humori viſcido, craſſo, auſtero, Scirrhum facienti admiſceatur alius humor, unde Scirrhus dicitur Phlegmonodes, Oedematodes, Eryſipelatodes.

VII. Diſtinguitur porrò Scirrhus ab aliis tumoribus hiſce ſignis. A Phlegmone, dolore. Ab eryſipelate, duritie & calore. Ab Oedemate, tactus renitentiâ. A tumoribus aquoſis & flatuoſis, quod hi percuſſi ſonitum edant, Scirrhus verò minimè. A ſtruma, ganglio, lupia, aliiſque folliculis incluſis tumoribus, ſua immobilitate. Deniquè à Can-

cto quod in cancro dolor adſit pungitivus, ſcirrhus autem dolore caret; dein cancer citius augetur ſcirrho, quia materia ejus eſt magis mobilis.

Atqui deprehenditur ſcirrhus ex duritie ſumma, immobilitate, omniſque doloris abſentia. Et hujuſmodi ſcirrhoſi tumores non tantùm in partibus conſiſtunt externis, ſed internis quoque, ut in hepate, liene, pancreate, utero, aliiſve.

VII. Cæterum exquiſiti ſcirrhi nullam admittunt curationem, atque remediis quandoque ita efferantur, ut in cancrum tranſmutentur. Verum ſcirrhoſi tumores, in quibus aliquis, etſi valdè obſcurus, ſupereſt ſenſus, aliquando licet admodum difficulter, curationem ſuſcipiunt. Sed lividi coloris ſcirrhus valdè periculoſus eſt. & ſæpius in cancrum degenerat.

IX. In curatione haud neglecta legitima rerum nonnaturalium diſpenſatione, uſurpatiſque humores craſſos, viſcidos, auſteros præparantibus ac expurgantibus remediis, applicentur leviter emollientia, attenuantia, incidentia, reſolventia. Fugiantur tamen nimis vehementer Emollientia, ne tumor in ulcus cancroſum abeat. Vid. Fabrit Hildan. cent. I. obſ. 89. Imo modicè quoque diſcutientia caveantur, ne craſſiore tantùm humoris ſubſtantia remanente, diſcuſſa tenuiore, tumor reddatur incurabilis. Validioribus namque adhibitis digerentibus, primis diebus cura procedere videtur: ſed quod remanet, id inſanabile omninò evadit; quod reſoluto tenuiore, craſſum reſtitet lapidoſum. Leviter igitur emollientia, & reſolventia, nec non auſterum humorem mitigantia tumori applicentur, quale eſt emplaſtrum de ranis cum aut ſine mercurio. Idem efficiunt gummi in aceto ſoluta, quæ emolliunt ſimul, & reſolvunt. Vel

℞. Gummi ammoniaci, galbani, ſagapœni in aceto ſolut. Styracis liquidæ an. ʒiß. Empl. de meliloto, de mucilaginibus an. ℥ij M. F. S. A. Emplaſtrum. Barbette commendat emplaſtrum, & cataplaſma.

℞ Gummi galbani, ammoniaci, opoponacis in acet ſol. an. ℥j. Flor. ſulphuris, myrrhæ rubræ an. ℥ß. camphoræ ʒj. olei lilior. albor. axung. anatis an. ʒvi. ceræ q. ſ. M. F. S. A. Empl.

℞. Rad. althææ rec. ℥iij. iridis ℥j. fol. braſſicę, parietariæ, malvæ, flor. camomillæ, meliloti an. Mj. ſeminis lini ℥ij. coctis in aqu. pura ad mollitiem, & minutim contuſis, adde ſtercoris caballini rec. ℥ij. cæparum coctarum ℥ß. axungiæ porci, olei chamæmelini an. ℥j. M. F. S. A. Cataplaſma.

X. Sed priuſquam admoveatur emplaſtrum vel cataplaſma, nonnulli ſcirrhum foveri volunt decocto aliquo emolliente. Alii deſiderant ſuffitum ex aceto forti & ſpiritu vini ſuper lapidem molarem, pyritem, aut laterem candentem effuſis: ſic namque viſcidum et [illegible]que humorem incidi, attenuari, & reſolvi cenſent. Mox per intervalla repeti volunt emollientia, ut quæ ſuccedant reſolventia ad reliquam portionem quæ ſimul evacuari non potuit, abſumendam; atque ita Cercilii filio ſcirrhum ſanavit Galenus. Verumenimvero etſi acetum craſſos humores diſſolvat, exſiccetque, quoniam equidem auſterum, hoc eſt, acidum potentius & validius hic peccat, videtur mihi frequentem nimis aceti uſum hunc affectum augere poſſe, adeoque uſus ejus ut mediocris ſit, neceſſe eſt, id quoque monente Fabritio Hildano cent. 6 obſerv. 75.

XI. Itaque inter remedia ſcirrho imponenda præſtant leviter emollientia, & reſolventia, nec non auſterum humorem mitigantia, ita tamen ut toto curationis decurſu conjungantur, modo unius, modo alterius quantitatem augendo. Suppurantibus verò nunquam utendum, quoniam quæ exulcerationem, vel etiam minimam tumoris excoriationem promovent, facilè tumorem ſcirrhoſum in ulcus malignum & cancroſum degenerare faciunt.

XII. Sunt qui exſciſſionem vel inuſtionem tentant, ſed nimis audacter, niſi proprio contineatur folliculo, tuncque ſcirrhi nomen talis tumor minimè meretur. At quam perículoſa ſit ſcirrhoſi tumoris exſciſſio docet Fabritius Hildanus cent. 3. obſerv. 82. exemplo cujuſdam, qui, cum ipſi excidendus eſſet tumor ſcirrhoſus ex interna femoris parte, inter operandum animam Deo reddidit. Inſuper docet idem cent. 2. obſer. 80. quomodo incipiens mammarum ſcirrhus ex lacte coagulato fuerit ſanatus. Et cent. 3. obſ. 79. ſcirrhi graviſſimi in carpo curationem tradit. Quemadmodum cent. 2. obſ. 49. ſcirrhi lienis compendioſam deſcribit curationem. *Joh. Munnicks in Chir. ad hodiernam Praxin adornatâ.*

SCROFULÆ.

I. Strumæ, Gręcis χοίραδες, Latinis Strumæ ſeu Scrofulæ dicuntur, quia frequenter Scrofis, hoc eſt ſuibus, in collô fiunt; vel à multiplici partu, quoniam ſicut ſues multos edunt partus, ſic in ſcrofulis ex unâ poſtmodum plures fiunt.

II. Sunt autem ſtrumæ vel ſcrofulæ tumores in glandulis, & quidem nihil aliud ſunt quàm glandulæ induratæ ſeu ſchirrhoſæ. Enimverò ſtrumarum ſubjectum ſunt glandulæ infarctæ craſsô, lentô, viſcidô ac tenaci humore, qui nonnunquam ita obdureſcit & exſiccatur; ut gypſeus ac calculoſus evadat.

III. Sed plerumque in cervice ſtrumæ conſiſtunt; atque differunt quòd aliæ aliis ſint majores, vel quod aliæ aliis ſint benigniores, minuſque malignæ. Non malignæ judicantur ſtrumæ, quę ſunt non admodum duræ, ſine dolore & inflammatione, quæque circumſcriptum habent tumorem rotundum, æqualem. Malignæ verò cenſentur, quæ ad ſchirrhi duritiem accedunt, inæquales ſunt, ac inflammationem conjunctam habent cum dolore pulſante.

IV. Ortum habent ſtrumæ ex humore viſcidô, craſſô, tenaci, ac gypſeô, glandulis inhærente, eaſque opplente. Humor hic, ex ſententia veterum Medicorum, à ſanguine pituitosô, craſsô, viſcidô, & tenaci, producitur ac ſuppeditatur: quod tamen veroſimile nobis non videtur, quoniam ex ſanguine alteratô ejuſmodi tumores induratos produci poſſe non putamus; ſed planè alterius naturæ.

V. Alii cenſent ſtrumarum materiem eſſe ſuccum nervoſum degenerem, atque è nervis in membranarum interſtitia deponi, ibidemque in tumorem glandulosum ac ſtrumoſum concreſcere. Sed in tantâ copiâ, per tam exiles nervorum funiculos, viſibilem liquorem deferri, nondum liquido conſtat.

VI. Hinc potius ſtatuimus, Continentem Strumarum cauſam eſſe, humorem lymphaticum in Glandulis hiſce naturaliter ſegregari ſolitum, qui à particulis viſcidioribus ibidem detentus, adeoque ſtagnans, ab exuperante acrimonia acida in materiam ſtrumoſam facilè concreſcit, glandulas infarcit, opplet. Cæterum lympha ab acrimonia acida, ſimul cum glutinoſitate, itâ in colli glandulis concreta materiem conſtituit viſcidam, tenacem, gypſeam, & quandoque calculoſam, quæ à præterlabente ſanguine ac lympha indies augetur, ſicque ingentis magnitudinis ſtrumas ſæpè producit. Equidem ſi ab humore præterlabente acriores & ſubtiliores particulæ ſtrumarum materiæ admiſceantur, quibus effervеſcentia, ac dein exulceratio inchoatur, ulcus evadit Ferocius & Malignius, carcinomatis conditionem retinens; tuncque ſtruma cancrodes appellatur.

VII. Cauſæ verò antecedentes ſeu remotæ ſunt, Victus intemperantior, cibi crudi & craſſi; unde & æ-

tati,

ætati puerili malum hoc familiarius eſſe pronunciavit modò Hippocrates. Accedit potius aquarum crudarum & nivalium : qua de cauſa, qui Carinthiam & Styriam, & alia ibidem loca Alpes verſus incolunt, pleri-que Strumis in gutture laborant. Langius *lib.* 1. *Epiſt. Medic.* 43. & *lib.* 3. *Epiſt.* 4. in Hydrargyrum, ſeu aquas ex montibus metallorum feracibus ſcaturientes, & Mercurium in ſe continentes, cauſam hujus rei refert.

VIII. Signa ſtrumarum diagnoſtica ex iis, quæ nunc diximus, ſatis manifeſta ſunt, modo conſideremus, eas eſſe Glandulas induratas, vel tumores in Glandulis, quæ aſperæ arteriæ adjacent, ſcyrrhoſos, duros, inæquales, indolentes. Porro non ſubito & confeſtim, ſed paulatim generantur ſtrumæ: etenim primò corripitur una glandula, quæ ſtrumoſa fit, hinc & aliæ ſimiliter afficiuntur, in quibus itidem mollis excitatur tumor, qui deinceps induratur, donec tandem multæ glandulæ racematim quaſi ex loco affecto dependent.

IX. Quoad Prognoſin: ſtrumæ tardioris ac difficilioris ſunt curationis, in primis ſi plures fuerint, aut fixæ. Periculum minantur ſimul ac dolorificæ evadunt, adeoque cancroſæ, aut ſi cum nervo, aut vena, vel arteria inſigni conjunguntur. Inſuper haud abſque periculo curantur exciſione, ob nervos recurrentes eò loci latentes, qui ſi læduntur vox perit, & animal protinus obmuteſcit, uti id aliquoties Medicinæ ſtudioſis in canibus demonſtravimus.

X. Sed verò ſtrumæ ut curentur, obſervatâ rectâ ac legitima rerum nonnaturalium uſurpatione, medicamenta intus ſumenda, quæ antecedentem cauſam conſumere queant, ne omittantur. Proſunt hic Pharmaca cathartica, quæ viſcidos, glutinoſos, tenaceſque humores incidere, attenuare, ac evacuare apta ſunt. v. gr.

℞. Gummi galbani in aceto ſoluti, aloës roſatæ an. ʒi. myrrhæ, aſæ fœtidæ, vitrioli martis calcinati an. ℈i. trochiſc. alhandal. ʒß. Olei Juniperi gutt. 15. M. F. S. A. Maſſa, ex qua formentur pilulæ num. 42. quarum bis in hebdomada duas capiat Ægrotans ſub cœna.

Decocta ex ligno guajaco, ſaſſaphras, radicibus zalſæparillæ, chinæ, liquiritiæ, &c. quæ blandè ſudores provocant, & urinas ducunt, admodum prodeſſe ſolent.

Inſuper appropriata ab auctoribus Medicis proponuntur remedia, quæ a tota ſubſtantia ſtrumas tollere dicuntur, & ſenſim imminuere. Hercules Saxonia, & Joannes Prævotius, tanquam longè certiſſimum ad ſcrofulas curandas remedium, pro ſecreto habuerunt hoc electuarium.

℞. Lacertas, ſive communes, ſive virides, n. 100. abſciſſis capitibus & caudis, exemptiſque interaneis, infundantur in aceto vini acerrimo per quatuor dies; dein exſiccentur, & macerentur in alio aceto, ſiccenturque iterum in umbra aut ſole, ac in pulverem redigantur, quo facto,

℞. Hujus pulveris ℥j. mellis deſpumati ℥iv. M. F. Electuarium, de quo per 30. aut 40. dies pueris quotidiè dentur ʒij. adultis verò ʒiv. vel ʒvj. Plurimum quoquè laudantur ſpongiæ recentes, ſi vel decoquantur in cerevifia, pro potu, bis terve quotidiè ſumendo: vel eædem calcinentur & pulveriſentur, hujuſquè pulveris ʒß. mane ac veſperi exhibeatur. Alii alia ſpecifica ſummoperè extollunt, quæ paſſim apud Rei Medicæ ſcriptores inveniuntur.

XI. Verumtamen ad continentem ſtrumarum materiem tollendam, conducunt topica mitiora, emollientia, incidentia, attenuantia, digerentia: vitentur acria & erodentia; iis quippe ſtrumarum materies excitatur, efferveſcit, hinc in cancroſum ulcus facilè eæ degenerant. Quidam ſequens pro ſecreto habent.

℞. Folia acetoſæ viridia, involvantur chartâ madida, & ſub cineribus coquantur, eaque poſtmodum cum cineribus per cribrum trajiciantur, pro cataplaſmate. Scultetus poſt armament. Chirurg. obſerv. 3. oleum lagadorum, ſeu de lacertis valde extollit ad ſtrumas abſumendas; cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. Lacertas vivas virides q. v. coq. in oleo communi, donec lacertæ comburantur, & oleum nigreſcat. Colatura indatur vitro, & reponatur ad ſolem, uſquè dum fæces ſubſideant, oleum clareſcat, & fuſcum colorem acquirat. Barbette hoc laudat emplaſtrum,

℞. Gummi galbani, ammoniaci, bdellii an. ℥ß. pulv. pyrethri, baccarum lauri, ſem. cumini, ſtaphyſagriæ an. ʒvi. ſtercoris caprilli ʒiii. columbini ʒi. axungiæ porci ℥iß. olei camomillæ ℥j. ceræ & picis q. ſ. M. F. S. A. emplaſtrum; inſuper linimentum præſcribit, quo ſcrofulæ bis terve quotidie inungantur, ac deinde emplaſtrum ſuperponatur.

℞. Olei laurini, myrtini an. ℥ß. unguenti martiati ℥j. argenti vivi floribus ſulphuris extincti ʒvi. M. F. S. A. linimentum. Vel inungatur ſcrofulis id, quod ſequitur, & deſuper ponatur emplaſtrum de ranis cum ſimplici, vel duplici mercurio.

℞. Unguenti althææ compoſiti ℥j. olei laurini ℥ß. Philoſophorum ʒij. juniperini ʒß. ſpir. ſalis armoniaci ʒj. miſceantur exactè pro litu.

Ex ſtercore quoque bubulo & caprillo, additis farinis reſolventibus, utiliter fit cataplaſma.

Quantam porrò ſcrofulis laborantibus opem ferat Paronychia folio rutaceo, oſtendit Boyle tract. de utilitate Philoſoph. Experim. part. 1. ſect. 2. ubi refert ſe vidiſſe juvenem, hoc morbo graviter afflictum, ſine dolore, paucos intra dies viliſſimæ hujus plantæ in cerevifia infuſæ beneficio quam optimè curatum: ſine ulla evacuatione ſenſibili humorem peccantem conſumit, dolores ſedat, tumores diſcutit, & ulcera ſanat; ita ut ad hunc affectum oppugnandum mirabiles prorſus poſſideat virtutes.

XII. Atqui ſtrumæ interdum non reſolvuntur, verum ſuppurantur. Igitur id ſi contingat, ut ſtruma in pus fuerit converſa, & aperta, applicandum hoc unguentum, quod Aquapendens Oper. Chirurg. part. 2. lib. 1. cap. 29. & ex eodem Scultetus obſerv. 31. ſummoperè commendant,

℞. Olei laurini, ceruſſæ pulveriſatæ, & cum aquâ vitæ lævigatæ an. ℥j. aluminis rochæ ℥ß. ſalis comm. ʒij. M. S. A.

XIII. Quod ſi nec hoc modo ſtrumæ curatio ſperare liceat, eam per ſectionem extrahendam eſſe multi volunt; ſed quandoquidem nec ſuo caret periculo hæc operatio, non temere eam inſtituendam cenſemus.

XIV. Alii ſtrumas tollere conantur per impoſita cauſtica & exedentia medicamenta; ſed illa quum ſuâ acrimoniâ diatheſin cancroſam facilè inducant, prudenter admodum iis utendum eſt, ne ſubitò ingraveſcat malum, & in ulcus cancroſum tranſeat. Saltem iſtiuſmodi erodentia ſi forent applicanda, ſedulo tamen cavendum ab arſenico, id quod non ſolum ſtrumas, ſed & partes vicinas erodit, corrumpit. Videatur Hildanus Cent. 6. obſerv. 80.

XV. Etiam fertur vulgo, regibus Galliæ ſolo attactu ſanandi ſtrumas poteſtatem à ſummo numine conceſſam eſſe; atq; hinc paſſim è vicinis & peregrinis locis ſtrumis laborantes quotannis affluere ſolent, quibus manum Rex imponit, & hæc verba gallico ſermone profert: *Rex te tangit, Deus te ſanat*; atquè, appoſito crucis ſigno, ab uno & triuno Deo vim eam derivari publicè profitetur. De qua mirabili ſtrumas ſanandi vi, ſolis Galliæ regibus conceſſa, peculiarem ſcripſit librum Andræas Laurentius, qui videatur. *Joh. Munnicks in Cheirurgiâ ad hodiernam Praxin adornata.*

Curationes.

„ Cum collum iſthmus quaſi ſit per quem à capite ad Thoracem tranſitur, iſtius affectum unicum huic Libro ſubnectere non ineptum opinatus ſum. Neque de Scrofulæ curatione agendi hunc inopportunum locum arbitrabar, cum Collum ſæpiſſimè tumorum ſcrofuloſorum ſit ſedes; licèt hujus morbi fomes & radix altiùs ſint quærendæ. Antequam verò ad materiæ medicæ formulas pro ſtrumis curandis perveniam, præmittendam duxi Conſilii partem pro ſcrophuloſo, ab Authore noſtro miſſi ad D. D. Robertum Cunningham Medicum Edinburgo-Scotum, Idibus Novembris, „ 1649.

-------- Tumores quibus ſub aure utriuſque lateris & circa Jugulares Venas conflictatur æger, indolentes omnes, duri & immobiles, ſine ullâ manifeſtâ intemperie, ut optimè cenſes, ſcrofuloſi ſunt. Strumarum ſtolones licèt ſub cute præſertim circa adenes erumpant; attamen altas habent in viſceribus radices, præſertim glandulis Meſenterii, quæ in pleriſque nè dicam omnibus, hoc genus morbi patientibus, tumidæ, inæquales, durę apparent, ejuſdem planè materiæ cum ea quæ in mobilibus ſcrofulis novaculâ diviſis conſpicitur. Noſti tria eſſe maxima corporis humani emunctoria, ſub auribus, ſub alis, ad inguina. Tumores hoſce præter naturam quos pituita congeſta creat, facit viſcerum κακοπραγία, ventriculi præſertim & hepatis, cujus infortunia cum ſanguine facillimè gliſcunt in partes remotiſſimas. ----- Huic malo debetur frequens purgatio cum iis quæ phlegma præcipuè ducunt; etſi non negligendum putem ſuccum melancholicum in quem humores omnes tractu temporis tranſeunt. Ex tribus, elleboro nigro vero, colocynthide & ſcammonio in reſinam reducto, præparo pilulas efficaciſſimas quæ potenter operantur in parvâ doſi, ad ſummum gran. 24. Hoc velim eſſe unicum, vel ſaltem pręcipuum purgans morbi admodum refractarii ἀλεξίκακον. Id dabis aliquando ſolitarium, ſæpius granis 12. admiſcebis gr. 20. merc. dulcis, vel præcipitati albi (ex mercurio cinnabaris per aquam fortem diſſoluto, atque per muriam ſeparato & optimè loto) gr. 8. vel 10. vel 12. ex quibus fiant pilulæ deglutiendæ mane horis tribus ante juſculum ſedulâ cuſtodiâ. Mercurius ubique mirabilis, quem quocunq; modo exhibeas, dummodo in ipſo præparato per additionem ſalium, eorum aculeus retundatur, nihil eſt periculi. Do in hiſce caſibus Merc. crud. in conſervis, vel electuario idoneo ex ſpecificis concinnato, idque per plures ſeptimanas ſine ullo diſcrimine. Do itidem cinnabarin nativam & factitiam cum floribus ſulphuris & argento vivo puriſſimo ſimul ſublimatis, necnon cinnabarin antimonii. Tu omne fereș punctum ſi cum parte unâ auri puriſſimi & partibus decem argenti vivi ex cinnabari vulgari (additâ duplâ quantitate calcis vivæ) extracti per retortam in phiala oblongiſſimi colli ſolius ignis miniſterio facias præcipitatum rubicundiſſimum inſtar papaveris rhœadis, cujus quotidiè des duo grana aut tria in electuario prædicto. At forſan dices ptyaliſmum ſubſequuturum tot mercurialia, id quod non ſemper accidit; & ſi contingat, illud ſymptoma licèt ſit laborioſum & importunum, attamen eſt ſalutare. Hoc mihi vulgare eſt, ut in ſtrumoſis, quaſi laborarent lue venereâ, vel frictionibus vel fumo provocem ſalivationem cum effectu non pœnitendo, præſertim quando circa collum tumores iſti exuberant. Mercurius incidit, attenuat, colliquat, eliminat per ſputum blennam, & plus præſtat quàm mille topica, quæ tamen nullo modo ſunt negligenda.

In externorum cenſu duo præcipua ſunt; alterum, litus glandularum cum oleo bufonum pręparato cum additione vitrioli; alterum, emplaſtrum ex gummi ammoniaco diſſoluto in ſucco cicutæ & cynogloſſæ, cujus partes duæ permiſceantur parti uni emplaſtri diachyl. ireati; addantur Mercurius crudus & pulvis ſubtiliſſimus bufonum ad ſolem ſiccatorum cum portione camphorę. Iſta, ſi opus ſit, liquentur pauxillo ſtyracis liquid. Suſpendatur autem collo radix cynogloſſæ, quę antequam exaruerit penitus, renovetur. Potus ordinarius eſto cereviſia medicata cum radicibus cynogloſſæ, ſcrofulariæ majoris, filipendulæ, graminis bulboſi, addito guaiaco admodum reſinoſo & bonâ quantitate ſpongiæ bedeguaris: Addantur etiam huic potui ramenta ſtanni Cornubiani puri putiſſimi in ea proportione, ut ſint hujus metalli ℥iij. ad ſingulos quos vocant galones. ----- In quibuſdam haſce glandulas litu quotidiano balſami arſenici, materiâ attenuatâ & per cutem reductâ diſcuſſi. Balſamum autem illud conſtat ex cryſtallis aut oleo arſenici mixtis cum axungia viperæ vel oleo bufonum. In aliis (non ſine dolore tamen) putrefactos tumores (qui jam ulcerati erant) perductoſque ad ſuppurationem, ſuſtuli radicitus. Vidi etiam ſæpius, vulneratis ad centrum uſque tumoribus ſcalpello, & indito plagæ grano ſublimati corruptas glandulas excidiſſe, idque Monſpelii. ------ &c. Hæc ibi ille.

Veſcatur æger cibis boni ſucci, coctu facilibus, & qui minimum excrementi deponant; carnibus juniorum animalium aſſis potiùs quàm elixis. Abſtineat à ſalſis, piperatis, acribus. Carnem ſuillam vitet, vaporoſa omnia, lacticinia. Aliquando jejunio calorem nativum incitet ad ſuperfluitatum abſumptionem: Potus delectum poſtulat eò magis quòd videre eſt eos qui in montibus habitant frigidis, & congelationi aptis aquis (liquidum ſaxum ſua ſubſtantiâ occultantibus) utantur, ſtrumis infeſtari utplurimum. Itaque ſitim extinguat, vel aquâ vinoſâ uvarum paſſarum, quæ inter fermentandum medicata reddatur ramentis ligni lentiſci; vel decocto dilutiore radicis chinæ vinum rubellum oligophorum quàm optimè diluat. Noxia ſunt generoſa vina (quale Hiſpanicum) aromatibus condita, mulſum, zythum & cereviſia.

Ritè inſtitutâ Diætâ, everrantur primæ viæ ſtrenuè primò, mox ſucceſſione quadam ad alias cura tranſferatur. Ventriculus cum meſenterio (cujus glandulæ ſunt vulgò ſtrumarum centrum) ſubinde repurgetur. Temperetur hepar, ejuſdemque obſtructiones reſerentur. In liene ſanguinis fæx corrigatur, præſertim in tertiis qualitatibus quas formales vocant. Venoſum genus liberetur ichore ſuperfluo & maligno per ductus urinarios. Si quid emunctoriis impactum, diſſipetur. Tunc demum ad Topica deveniendum eſt, ſive ſtrumæ in ulcera eruperint, ſive non. Harum enim averruncationem (ita ut non recrudeſcat malum) niſi præmiſſis univerſalibus, & extinctâ ſi fieri poſſit generali labe, ſperare aut polliceri non eſt artificis.

Alvus inprimis & ante omnia ſubducatur clyſtere. Die proximo exhibeatur Emeticum, viz. vitriol. alb. depurat. ʒj. diſſolut. in quovis liquore. Si vitriolum ſit mitius æquo vomitorium, vel ejuſdem ſapor ingratus videatur, detur infuſio croci metall. Si laboret plus æquo ventriculus in vomendo, poſt ſingulos conatus tantillum juſculi capi ſorbeatur. Vomitus in reſerandis obſtructionibus & mundandâ partium naturalium ſentinâ tanti eſt momenti, ut quater in anno vel etiam ſæpiùs eum provocare neceſſarium perinde atque utile videatur.

Interpoſitis duobus diebus (quibus cibo & potu laudabili

laudabili vires inſtaurandæ erunt) exhibeantur pilulæ ſequentes.

℞. Pil. coch. min. calomel. an. ℈j. olei aniſi gutt. ij. mſ f. pil. pro doſi ſumend. in aurora.

Mox contumaces humores præparentur ſimul & per ἐπίκρασιν aliquot diebus evacuentur, ut ſublatis craſſis ſuccis tenues faciliùs fluant.

℞. Fol. ſenn. mundat. fol. ellebori nigri veri in pane hord. præparator. an. ʒiij. aloës ℥ß. gumm. guajac. naturalis ʒij. myrrhæ ʒj. diaphoretici vulgaris ʒiiß. f. omnium pulvis ut alkool, excipiend. ſ. q. balſami Peruv. formetur maſſa pilular. de qua cap. ℈ij. ſingulis matutinis per dies xij. *NB.* f. initium à ℈j. deinde procedatur ad ʒß. tandem ad ℈ij. Horâ unâ poſt aſſumptionem pilularum iſtarum exhib. juſculum capi, alteratum borrag. bugloſſ. oxylapath. ſummit. lupul. chærephyll. calendul. ophiogloſſ. flor. primul. veris, in quo diſſolutum fuer. ʒj. cremor. tartari albi, cum ſpiritu vitrioli corallato.

Tandem interpoſito uno die vel altero repetatur pilularum primò præſcriptarum doſis, quod remedium deinceps cæteris omnibus præferendum erit, quoties ſtrenuæ purgationis incidet neceſſitas.

Loco pilularum mitiorum, liceat ægro, ſi magis arriſerint, aquas purgantes (quales ſunt Ebeshamenſes) bibere per plures ſeptimanas.

Ellebori (nigri) in eradicandis pertinaciſſimis morbis, quos humores exuſti, in corporis centro geniti, & ad remotiſſimas partes delati creant, valida eſt efficacia. Is licèt in parva quantitate aſſumatur, ſi diu tamen & ſine intermiſſione, tandem inſignes prodit effectus. Foliorum pulvis aliquot granorum pondo quotidie devoratus, corpus renovare creditur. Quod à magnis morbis & hepatis, & cerebri & artuum liberet, certo certius eſt. Folia in pane hordeaceo præparentur, ut artis eſt, exhibenda poſt omnia ad renovationem univerſalem, & ſanguinis ultimam depurationem. Ex radicibus tempore idoneo effoſſis, juxta Bovii Veronenſis proceſſum, Extractum ſive mellago fiat, aut per ſe danda à gr. 5. ad 8. 10. 12. aut cum Mercurio dulci prædicto.

NB. In Medicamentis fortioribus exhibendis Medici cum ſecuritate procedant, à minori doſi (quæ tamen agat) paulatim aſcendendo ad quantitatem cauſæ morbificæ tollendę aptam, naturæ non gravem, ventriculo non infenſam, & citra perturbationem, id quod in votis nobis eſt, præſtituram.

Ita repurgato uſque & uſque corpore, de ineunda diæta ſudorifica, alterantibuſque exhibendis erit cogitandum.

℞. Rad. ſcorzon. condit. ℥ij. pulv. rad. contrayerv. ℥j. rad. tormentill. valerian. minor. vincetox. petaſitid. ana ℥ß. conſ. flor. anth. & ſalv. ana ℥v. conſ. alkerm. & de hyacintho ana ʒiii. carnis viperin. præparat. per ſiccationem & ſubtiliſſimam pulverizationem ʒx. oculorum cancri ʒ vi. diaphor. vulgar. ʒ vii. vel Hartmanni pro ſingulis drachmis gr. iij. mſ. & cum ſapa cydon. f. Electuar. inſtar Opiatæ, de quo cap. ad quantitat. jugland. ſuperhauſtâ decocti ſequentis doſi, provocando ſudorem ſuperpoſitis ſtragulis, & circumpoſitis lagenis aut veſicis bubulis aquâ calidâ plenis.

℞. Rad. chinæ ℥ iß. ſarſæparill. ℥ ij. rad. tormentill. cyperi, ſcorzoneræ, contrayervæ, pentaphyll. bardanæ, petaſitid. ana ℥ j. rad. ſcrofular. major. filipendul. chelidon. minor. ana ʒ x. fol. ophiogloſſ. pimpinell. agrimon. agerati, piloſell. bugulæ, brunell. pyrolæ recent. ana m. j. Omnibus ut decet præparatis & conciſis affundatur ea quantitas aq. ulmar. ſcabioſ. card. benedict. bugloſſ. quæ ſupernatet 8. digitis, f. digeſtio per biduum in B. M. deinde poſt leviuſculum fervorem decantatio & per chartam filtratio pro 6. doſibus matutinis poſt doſin Opiatæ ſumendis. Reddatur hoc decoctum acidul. guttis aliquot ſpirit. vitrioli. In horum uſu perſeverandum per 12. vel 15. dies.

Vel ℞. Sarſæparill. ℥iiß. cortic. lign. ſanct. ʒx. raſur. buxi ℥iij. rad. petaſit. & bardan. an. ℥iß. rad. rub. tinctor. recent. & caryophyllat. an. ℥ij. C. C. ad albedinem calcinat. ʒx. Infund. ſ. a. in parte una vini Rhenani & part. 3. aquæ, pro 5. doſibus, poſt Electuar. doſin bibend.

Tertio quoque die loco Opiatæ deglutiat ante hauſtum decocti ʒß. pil. mitiorum ſuprà præſcriptarum: & in medio & fine purgetur pil. fortioribus cum calomel.

℞. Conſ. florum ſalv. & herb. paralyſeos an. ℥ij. conſ. meliſſ. & ſummitat. roriſmarin. an. ℥j. pulv ſubtiliſſ. ſarſæparill. ℥iij. pulveris heben. ℥iß. rad. ſcrofular. major. chelidon. min. filipendul. ſaxifragiæ bulboſ. an. ʒx. pulv. fumar. & chamæpit, an. ℥j. ocul. Cancr. præparat. coral. rub. præp. cum ſucco limonum, ſuccini albi præp. an. ℥ß. dentis equi marini triti in alkool ʒvj. antimon. diaphoret. vulgaris ſive ceruſſ. mineral. Salæ fideliter præp. ʒij. mſ. & cum ſyr. de pom. redolent. f. Electuarium inſtar Opiatæ, de quo cap. ℥ß. pro doſi quotidie mane, ſuperhauſto cereviſiæ medicatæ momento, idque per menſem unum & alterum.

℞. Salſæparil. alb. & medulloſ. ℥x. rad. chin. raſur. hebeni nigerrimi an. ℥vj. rad. filic. fœmin. & oxylapat. an. ℥xij. rad. ſcrofular. major. chelidon. min. filipendul. gramin. bulboſ. an. ℥v. raſur. C. C. eboris, dentis equi marini an. ℥iii. folior. ſiccor. agrimon. chamæpit. ceterach. cuſcut. betonic. an. m. ij. flor. herb. paralyſ. ſummit. meliſſ. an. p. vi. ſumm. ſalv. & roriſmar. an. p. iii. nuc. moſchat. ℥j. Bulliant. in galonibus vi. cereviſ. lupulat. recent. ad duorum conſumptionem. Sinatur fieri infuſio per noctem vaſe tecto; mane f. per ſetaceum colatura, cui adde ejuſdem cereviſiæ galones 4. Sinatur fieri fermentario addendo ſucci naſturtii & beccabung. an. ℔j. ſucc. cochlear. ℔ij. Liquor limpidus includatur lagenis lapid. probè obturat. reſervandis loco ſubterran. pro potu ordinar. cujus uſus ſit per plures menſes.

Pro effectu pil. cum calomel. repetatur eadem exhibitio ſemel ſingulis menſibus ultimâ Lunæ quadrâ; atque ab hoc remedio (ſi ægri naturæ conveniens id eſſe demonſtret experientia) certiſſimam curationis partem expectet. Atque ſemel in ſeptimana purgetur pilulis mitioribus ſupra laudatis, vel pil. ex tribus Fernel. ſumend. à ℈j. ad ℈ij. ante levem cœnam. Vel, ſi mavis, loco ſuperioris alterantis, ſum. Elect. ſeq. purgans, à quo ſatis purgabitur æger.

℞. Rad. ſiccat. cynogloſſ. ſcrofular. major. filipend. ſaxifrag. bulboſ. an. ʒvi. rad. ruſci & ſem. ejuſdem an. ʒv. fol. betonic. chamæpityos, chamædr. fumar. an. ℥ß ſpong. marinæ ſiccat. interior. oſſ. ſepiæ an. ʒivß. C. C. ad ſummam albed. uſti, antimon. diaphoret. fixiſſ. an. ℥j. ocul. Cancr. præp. pulv. ſubtiliſſ. Jovis an. ℥ß. curcum. ʒij. turbith. gummoſ. ʒxij. Terantur omnia ut alkool, & excipiantur ſ. q. ſyrup. præparat. ex ſuccis ſaponar. & ſcrofular. major. cum ſaccharo ſine magno calore, f. electuar inſtar Opiatæ, de quo capiat quotidie mane primò ʒvi. deinde ʒj. donec tota iſta quantitas abſumpta fuerit.

Loco cereviſiæ medicatæ ſuprà præſcript. hanc ſequentem (minoris apparatûs & pretii) aliquando præſcribo.

℞. Sarſæparill. rad. ruſci, ononidis, ſcrofular. major. an. ℥vi. rad. cynogloſſ. ℔j. ſaponar. m. viii. beton. m. iv. flor. herb. paralyſ. hyperic. ſambuc. pæon.

mar. an. p. vi. ſem. cochlear. Batav. ℥iß. nuc. moſchat ℥i. Omnia debitè ſiccat. & præparat. pendeant in galon. viii. cereviſ. lupulat. cum ℥xvi. ramentorum Jovis. Sinantur fermentari pro potu ordinar.

N. B. In liquorum ad potum ordinarium præparatione id quæratur, ut poſt alimenti diſtributionem, aperiente & diuretica facultate, ſerum copiosè per vias urinarias eliminent. Omne enim tulit punctum in ſcrofularum curatione, qui tartarum adhuc liquidum & aqueo humore dilutum, ante ſui coagulationem, ad renes ablegare, & per veſicam expurgare citra concoctionis præcipitationem potuit.

♃. Diaphoret. antimon. fixiſſ. ℥ß. C. C. ad ſummam albed. calcinat. cranii human. eodem modo præparat. an. ʒij. corall. rubr. præp. marg. præp. ocul. Cancr. præp. an. ʒj. cinam. interior. ℈iv. ſacchar. albiſſ. ad pondus omnium. Terantur ut alkool, excip. ſ. q. mucag. rad. alth. extract. in aq. beton. addend. parum mucag. gumm. tragacanth. extract. in aq. cinam. f. paſta ex quâ formentur tabellæ pond. ʒij. ad levem calorem ſicc. & reſerv. loco ſicco. Cap. unam mane jejuno ſtomacho ſuperhauſto cereviſ. medicat. momento, dilato ſi fieri poſſit ad hor. 3. cibo. Capiat etiam unam in ingreſſu lecti à cœnâ levi.

Vel ſi pilulas facilè deglutire poſſit æger, ſum. duabus hor. medicis pil. 5. ad pond. ℈ij. ex maſſa ſequenti.

♃. Terebinth. Cypr. in aq. plantag. & roſar indurat. ℥ß. corall. rubr. præp. gumm. guaiaci, benzoin. partis alb. mollis, conch. oſtreorum, ſuccini albi præp. an. ʒij. ocul. Cancr præp. ad pondus omnium, f. alkool excipiend. ſ. q. balſ. Peruv. nigri fragrantiſſimi, f. maſſa pilular.

Hu uſque de medicamentis internis, quorum ope ſperare liceat vel ſtrumarum diſſolutionem, ſi nondum in ulcera eruperint; vel etiam ulcerum ſanationem faciliorem, topicorum propriorum uſu. Strumæ etiam nondum ulceratæ citiùs diſſolvuntur topicorum quorundam applicatione. Fruſtra autem, ut ſuprà dictum eſt, horum per remedia externa curationem quis aggredietur, ſine internis præmiſſis & comitantibus.

Cum topicis incipiatur circa medium alterantium.

♃. Farinam ſeminis lini & radices recentes ſcrofular. major. ſubigantur longâ trituratione cum axungiâ ſuillâ, & f. cataplaſma applicandum ſcrofulis non ulceratis, quas potenter diſcutit hoc medicamentum.

Linimentum ſpecificum. ♃ Bufones terreſtres magnos vivos num. 2. virgis bis terve cædantur ut emingant urinam venenatam; colubros maximos num. 2. cortic. mandrag. rad. cicut. cum toto, hyoſcyam. an. ℥ij. rad. gladioli recentium, aſphodeli, ſcrofular. utriuſque an. ℥iv. verm. terreſt. ℔j. olei lini recent. expreſſ. ℔ß. ol. amygd. dulc. ol. olivar. an. ℥viii. axung ſuill. recent. ℔ij. ſucc. malv. ſapon. ſcrofular. utriuſque an. ℥vi. vin. Hiſpan. ℔j. Calefiant ſucci cum oleis, iiſque bullientibus injiciantur animalia viva cum vermibus lotis, coquantur ad putrilaginem & tabefactionem, carniumque ab oſſibus ſeparationem, tandem addantur radices. f. decoct ad ſuccorum conſumptionem & decrepitationem, mox f. expreſſio per canapatium & ſervetur oleum, quod vel per ſe uſurpetur, vel (præſertim in partibus cerebro non adeò vicinis) addità quartâ parte olei arſenici dulcis. Fricentur cum hoc linimento partes tumentes quotidie mane diu; mox detergeatur optimè pars linteo mundo & molli.

Noctu verò geſtetur Emplaſtrum ſequens extenſum in ſerico.

♃. Maſſ. emplaſtr. diachyl. alb. ℥vi. gumm. ammon. in ſucc. cicut. & ſcrofular. majoris diſſoluti & coagulati ℥iij. gum caranna. & tacamahac. in vini ſpiritu diſſolut. ana ℥iß. olei ex bufone præſcripti ℥ij. pulv. ſubtiliſſ. rad. ſigill. beatę Marię, gladiol. fol. cupreſſ. an ℥j. amalgamatis ex parte una merc. crudi, & partibus tribus Saturn. præp. & in pulverem reducti, ℥iv. diaphoret. antimon. vulgaris ℥iij. ceræ flavæ q. ſ. f. Emplaſtrum applicand.

Simpliciora diſſolventia ſunt ſequentia: Oleum Arſenici, quo ungantur glandulæ decies vel duodecies, donec puſtulę effloreſcant quæ fundant ſaniem. Emplaſtrum Opodeldoch à Wirtzio Chirurgo deſcriptum, quod ſuperponatur, addito mercurio ex cinnabari extracto, & tandem lamina plumbi mercurio eodem illita, quibus ſi provocetur ptyaliſmus, citiùs & felicius rebelles iſti tumores reſolventur.

Emplaſtrum ſequens plurimùm valet:

♃. Maſſ. empl. diachyl. ireati & de mucilag. ana ℥iv. empl. de ranis quadruplicato mercurio ℥ij. cinnab. ſubtiliſſimè pulverizat. merc. dulc. ana ℥ß. pulv ſubtiliſſ. rad. brion. & ſigill. B. Mariæ ana ʒiij. camph. ʒj mſ. & cum ſ. q balſam. Peruv. f. emplaſtrum, cujus portio extendatur in aluta molli, & glandulis applicetur.

Item hoc: ♃. Maſſ. emplaſtr. de minio ℥iv. diachyl. alb. ℥ij. plumbi alb. cum ſucco ſcrofular. major. ſubacti in porphyrite & ſiccati ℥i. amalgamatis ex plumbo & mercurio facti in tenuiſſimum pulverem reducti ℥iß. pulv. bufon. exſiccat. ʒvi. mſ. & addito pauco oleo aliquo idoneo f. emplaſtra tumoribus applicand.

♃. Olei litharg. colophon. mumiæ an. ℥j. ol. ex vitellis ovorum q. ſ. f. unguentum. Oleum litharg. ſic fit. Coq. albumen & litharg. in aceto donec albeſcant, & poſtea donec in oleum abeant, quod fit multâ coctione.

Si hiſce remediis tumores non cedant, tunc ad ſuppurationem perducendi ſunt, applicatione gummi Arabici in ſucco ſcrofulariæ cocti & inſpiſſati; vel ſumatur pars una gumm. ammoniac. & duæ gumm. Arabic. &c.

Si tumores vel ſponte, vel maturantibus admotis fiant ulceroſi, ulcera curentur ſequentibus.

♃. Tutiæ præp. ℥j. ſalis nitri puriſſimi ℥ij. ſublimati optimi ℥j. Ceruſ. Venet. ℥j. mſ. f. pulvis ſubtiliſſimus, applicetur manantibus ſcrofulis inſperſus unguento baſilic. ter, quater, quinquies, donec deciderint eſcharæ, vel glandulæ; deinde vel baſilic. ſimpl. vel unguent. diapalm. (cum alumine uſto, ſi ſupercreſcat caro) curetur ulcus.

Proſunt lotio ex ſaccharo Saturni, aquâ aluminoſâ Fallopii, vel ex aquâ decoctionis arſenici: in malignioribus, ſuffitus ex cinnabari. Si ulcera ſordida fuerint aut calloſa, adhibetur cautè oleum arſenici, vel antimonii, unguento aliquo detergente exceptum; præcipitat. item rub. cum baſilic. unguent. vel Arcei balſamo.

Oſſa ſi fuerint corrupta, maximum opus exfoliationis Naturę committendum, quæ etiam erit adjuvanda. Liquor ex caragmaticis in optimo vini ſpiritu infuſis inſpiſſatus melle caprifolii, abſinthii, centaur. min. inſtilletur fiſtulis ad oſſa penetrantibus. Liquamen ex oleo caryophyllorum ſtillatitio & camphora, Diſſolutio lapidis medicinalis Crollii per ſiphonem ſinubus vel fiſtulis injiciatur. Nudata ſi ſint oſſa, nihil æquiparandum euphorbio, quod uno die multùm operatur & os alterat, ex Dioſcoride.

Optimum exfolians eſt aqua aluminoſa magiſtralis Fallopii.

♃. Aq. plantag. & roſar. an. ℔i. alumin. roch. merc. ſublimat. an. ʒij. terantur, bulliat aqua ad medias; ſinatur fieri reſidentia per quinque dies, limpidum decanteтur à fæcibus. Utere per ſe in oſſium carie, vicinis partibus circummunitis filamento ſicco:

co: alibi cum duplo, triplo, vel quadruplo aq. roſac. Agit ſine vel cum pauco dolore.

Vel ℞. rad. peucedani ℥j. ariſtoloch. utriuſque, ireos Florent. an. ℥ß. opopanacis & ſagapeni an. ʒij. cortic. guaiac. ʒiij. caryophyll. ʒiiß. camphor. ℈iv. Omnia conciſa & contuſa ponantur in phialam, iiſque affundatur ea quantitas optimi ſpiritûs vini quæ ſupernatet 4. digit. f. digeſtio per quatriduum, mox expreſſio fortis, & per lentam exhalationem reducatur liquamen ad conſiſtentiam julepi. Liquor vel inſtilletur ulceri, ita ut ad os perveniat, vel ſiphone injiciatur.

Trochiſci exfoliantes. ℞. euphorb. ʒiij. rad. peucedan. ireos Florent. ariſtol. rotund. an. ʒj. camphoræ ʒij. terantur omnia, excipiantur paucâ mica panis, vel glutine ex farinâ & lacte, aut aq. ſpermat. ranar. Fiant trochiſci, quibus addatur uſus tempore gutta una olei caryophyllor. Serventur in pyxide. Applic. ſoli oſſi exfoliando, partibus vicinis munitis. Superponatur filamentum carptum ſiccum & emplaſtrum defenſivum.

Poſtquam os exciderit, curetur ulcus balſamo ſequente.

℞. Ol. hyperic. ℥ij. olei nucum ſine igne expreſſi, olei abietini ana ℥iß. gummi elemi puriſſimi ʒx liquentur ſimul, addit. viridis æris depurat. ʒij. fiat agitatio ad coloris viridis intenſionem, mox f. balſami per linteum colatura, dum adhuc calet: ſerv. ad uſum. Si rubrum velis, attamen non minus ſiccans, color procuretur radice anchuſæ.

In ſtrumarum curatione proficuæ erunt Fontanellæ in locis aptis excitatæ.

N.B. Si quis ſcrofulas purgantibus, alterantibus, &c. methodicè curare velit, per plures menſes, imo ſæpe annos ægris medicamenta exhibere neceſſe habebit.

Vidi Doctorem *Wright* Medicum à quo hunc accepi proceſſum, qui puer 10. ann. curatus fuit ſequenti remediorum ſerie, abſque ulla purgatione aut ſudore ſicco, à quibus profeſſus eſt exacerbatum fuiſſe malum; eamque hujus affectus eſſe naturam, ut mutationem remediorum topicorum expetat. Vidi manûs ejus digitos oſſibus detracti mutilos curatos.

Decoctum vulnerarium. ℞. Cariophyllat. angelic. ſylveſtr. quinquenerv. artemiſ. conſolid. major. bellidis totius, taraxaci, abſinth. menth. ſummitat. rubi, ſcabioſ. agrimon. betonic. ſylveſtr. ana m. j. ſanicul. bugulæ ana m. ij. Bulliant per vj. hor. in galon. ij. aq. fluvial. vaſe probè clauſo, ita ut nihil expiret, addendo poſt ebullitionem dimidiam pintam mellis, vel plus ad ſaporis gratiam. Dentur ægro cochlearia decem vel amplius ter in die. Sumpſit autumnali tempeſtate per duos menſes conſequentes; ſequenti vere iterum ſumpſit per duos menſes, mox thermas ſulphureas adiit Bathonienſes ſecundo & tertio, in quibus aquam bibit cum ſale & ramulo roriſmarini, quâ purgabatur; ſudavit, lutum applicavit ulceratis tumoribus. Evacuato balnei alveo ſive receptaculo, ſupra fumantes ſcaturigines calidiſſimas, partes ulceratas tenuit ad excitandum ſudorem. Domum reverſus nihil applicabat ulceribus præter petias aquâ balnei madefactas. Sic iterato labore perfectè convaluit. Eadem uſus methodo in nepote ex ſorore, eum ſanitati reſtituit. Empiricus à quo habuit remedium, ulceribus applicabat unguentum geniſtæ ex filis carptis. Unguentum geniſtæ fit ex floribus ſæpiùs intuſis in butyro Maiali & expreſſis inſtar olei hyperici.

Nonnullus magnas perficit curationes in ſcrofulis etiam ulceratis, linendo ulcera oleo ex bufonibus terreſtribus diſtillato per deſcenſum, inſpergendo eorum uſtorum ad nigredinem pulverem, exhibendo eundem pulverem nigrum diebus alternis pro diaphoretico, & ſuperponendo emplaſtrum ex gumm. variis, pulvere bufonum & floribus digitalis rubr.

Quidam eas non apertas diſcutit litu ex oleo decoctionis bufonum & vitrioli Romani (aliquando albi) uſurpando mane & veſperi ante ingreſſum lecti, ſuperpoſitâ veſica; & diu propinat decoctum vulnerarium felici utplurimùm ſucceſſu. In ulceratis propinat etiam decoctum: applicat autem ad mundificandum & digerendum vulgare digeſtivum ex terebinthina & vitello ovi. Item ipſi παγχρηςον unguentum in omnibus ulceribus quantumvis malignis ex hedera terreſtri coctâ cum butyro, cum quo miras perficit curationes.

Alexius Pedem. curat ſcrofulas, eas vulnerando ſcalpello, mox indendo foramini granum merc. ſublimati, eſcharam digerendo, detergendo, & ſiccando.

Vidi fœlicem iſtius methodi ſucceſſum in muliere quæ Monſpelii pleroſque, ferè omnes pueros, ſcrofuloſos curabat, non tamen ſine magno dolore.

Præparentur placentæ (*macarons*) cum radice ſcrofular. & comedendæ pluribus diebus conſequentibus exhibeantur. Hoc pro arcano dedit Doctori Diodati, Lugduno Batavorum diſcedenti Heurnius ſenior vir doctiſſimus.

Spongia uſta in crucibulo vel ollâ fictili probè tect. operculo, & clauſis luto optimo juncturis, ſi quotidie diu detur ad ʒß. plus minuſve in vehiculo idoneo perficit curationem tractu temporis. Memento quàm ſit efficax hoc remedium ad diſcutiendam bronchocelem.

℞. Herb. paronychiæ m. ij. magnos, bulliat in quartâ unâ cereviſiæ lupulatæ generoſioris ad medietatis conſumptionem. Colatura fit pro duabus doſibus, ſumendis bis in die, tribus ante & duobus poſt novilunium & plenilunium diebus, idque aliquot menſibus conſequentibus, ſine ullô aliô medicamentô, obſervata tantùm bonâ victus lege. Generoſa quædam Matrona Doctori Bates expertiſſimum hoc commendavit remedium ad ſcrofulas ulceratas agentes cuniculos. *Theodorus de Mayerne Praxeos Medicæ lib.* I.

Cavendum in curatione ſcrofularum, ne calida nimis & exſiccantia applicentur in principio, quo in caſu ſolent diſcuti mobiles magis partes, relictis terreſtribus, & ita ſcrofulæ in ſcirrhos tranſire ſolent, ſed applicanda veniunt quę materiam viſcidam & terreſtrem incidere, attenuare & fermentare valent.

Quod potiſſimum præſtabit Mercurius in præcipitatum redactus.

℞. Litargiri auri ſubtil. pulv. q. p. Huic affunde acetum ſtill. ad emin. digit. 4. tranſv. coq. ſimul leniter, ſæpius agitando ſpatula lignea, donec acetum de acrimonia ſua amiſerit, & dulcedinem ſaccharinam referat, filtretur ſolutio.

℞. Hujus ſolutionis, ℥vi. Mercurii præcip. alb. vulg. ℥ij. Lento igne evaporentur ad ſicc. pulveris.

℞. Hujus pulveris, ʒj. Axung. porc. non ſalitę ℥i. M.F. Unguentum.

Et pars affecta prius pannis calidis fricetur & poſtea hôc linimento inungatur.

Vel, ℞. Mercurii vivi cum aq. fort. ſoluti, ℥iv. Axung. porcinæ, ℥viii. Coq. in olla fictili continuo movendo ſpatula lignea, donec materiam obtineas mollem, adde Ceræ flavæ, ℥ij. Pulv. maſtiches. oliban. an. ʒvi. M. F. Emplaſtrum.

Quod ſi diſcuſſionis ſpes nulla appareat, tentanda erit maturatio & concoctio in pus per ſequens cataplaſma.

℞. Rad. lilior. alb. ℥iß. altheæ, ℥j. Fol. malvæ, altheæ, Flor. camomill. melilot. an. mj. Coq. in cereviſiæ, ſ.q. his coctis & piſtatis, adde Flor. rad. altheæ, hordei, fœnugræci, an. ℥ß. Butyri non ſaliti, ℥ij. Vitell. ovor. num. 2. Olei camomill. ℥j. M F Cataplaſma.

Quòd ſi verò ſcrofulæ fuerint dolorificæ, optimè mitigabuntur per emplaſtrum vigonis de ranis cum duplici vel triplici mercurio.

Exhibeantur interius quæ pituitam incidere & attenuare valent, quod præſtabunt decocta ex lignis, itidem

itidem ſudorifera ex mineralibus & metallis deſumpta, ut

♃. Reg. antimonii med. gr. x. Bezoard. min. gr. VIII. Mercurii diaphoret. jovialis gr. VI. Theriaces ven. ʒj. M. F. bolus ſudorificus.

Pro purganti exhibeantur ſequentes pilulæ,

♃. Extract. cathol. gr. XV. Mercurii dulcis, ℈ß. Mercurii purg. gr. iij. Olei fœniculi, gutt. IV. M. F. pilulæ purgantes num. VI.

His ſi non cedat malum, cura tantum inſtituatur palliativa, exterius applicando emplaſt. de ranis cum mercurio, quippe ſi glandulas haſce obſtructas fortius agitaveris per gummi, olea calidiora, non raro ferocius etiam tranſeunt in cancros, vel ad minimum, particulis ſubtilioribus diſcuſſis, abeunt in ſchirros. *Anonymus in Praxi Chymiatricâ Rationali.*

Conſultationes.

Pro Reverendo admodum Canonico Congregationis Lateranenſis Struma ad collum miſere detento.

Tumor circa collum ad ſiniſtras in admodum Reverendo Canonico dubio procul eſt, quem Latini Strumam vocant, Arabes Scrophulam, ſicuti & locus affectus hoc mali genus pati conſuetus, & tumoris durities docent, eſt enim Struma teſte Gal. decimo quarto Methodi undecimo, Scirrus in glandula, quod vitium quemadmodum ex Paulo, & Celſo fit in inguinibus, axillis, collo, ac facie, tanquam in partibus debilioribus, frequentiſſimè verò in collo propter capitis vicinitatem, à quo tanquam pituitæ maximè feraci ſępè materia communicatur, ita eos, qui nimium gulæ indulgent, & ob id pueros potiſſimum apprehendit, ut Scrophæ ob guloſitatem (ut ſic loquar) & ipſæ in hoc morbi genus incurrant. Quòd autem tumor propoſitus non ſit qui à Guidone glandula vocatur, ex eo planè convincitur, quoniam glandula eſt tumor æqualis, mobilis, parum mollis, utplurimum in collo naſcens: at noſter tumor eſt fixus, aliqua ratione inæqualis, & durus, ergo Struma exiſtit, & magna quidem quia ad aurem uſque pervenit; Cæterum cum Strumarum aliæ ſint legitimæ, aliæque ſpuriæ, illæ ab Aëtio, & Paulo menſuetæ vocatæ, hæ verò tum inflammatoriæ ab Avicenna ob admixtionem ſanguinis fervidioris nuncupatæ, tum canceroſæ ab auctoribus prædictis malignæ ab humoris atri miſcella dictæ, Struma, de qua agitur certò eſt inflammatoria, quod rubor, & dolor aliquis cum pulſu, aliquodque ſanguinis ſubdominium in noſtro patiente ſuadent; A natura verò Carcinomatis quia abeſt, tumor non eſt venoſus, nec admodum dolens, inæqualis, non lividus, ut cancer exiſtit: Sit igitur Struma cum inflammatione, & cum ulcere; nam ab hinc per aliquot dies in inferiori parte quædam eſt ſubſequuta ſuppuratio, ſicuti nunc in ſuperiori parte ferè abſolvitur, quando ibidem inundatio ſentiatur.

Principia generationis hujus mali ſolent eſſe humores pituitoſi, craſſi, & lenti, necnon melancholici naturales (teſte Galeno ſecundo ſimpl. ac tertio Aphoriſm. vigeſimo ſexto) aliquando ſimul, aliquando ſejunctim tranſmiſſi ad adenas, hic verò pituita ſeorſum locum habet, quemadmodum ex habitu admodum Reverendi patientis aliquo modo pituitam referente colligere licet, ex admixtione nihilominus ſanguinis tenuioris, fervidiorisque, ut conſtitutum fuit, Struma hæc à vera Struma degenerat, ac tumoris ſpurii naturam induit.

Modus profectò hujus tumoris generationis inde liquet, quòd cùm ex Galeno 5. ſimpl. 4. induratorum triplex ſit ſlentia, repletio, concretio, atque ſiccatio, neceſſarium eſt, Strumam, quæ tractatur, ſub aliquo horum modorum ſecundum propriam generationem cadere, quoniam igitur tumor eſt inſignis, neceſſariò quoque inſignem humoris copiam arguit, at inſignis humoris copia replet, quapropter ſine dubio per repletionem genitus erit, verum etiam per concretionem non tantum ob loci, ſed etiam materiæ frigiditatem, ſiccatio tamen omninò ab hoc loco exploденda, quando nulla cauſa ſiccans in caſu noſtro præceſſerit. Ad hæc cum pituita, ac ſanguinis fervidioris portio ad locum affectum fuerint tranſmiſſa, tranſmittanturq; rationi conſentaneum eſt, ut ſicuti, datur locus, in quo continuò generantur; & à quo continuò tranſmittuntur, ita & cognoſcatur, gratia itaque pituitæ caput præcipuè, meritò verò ſanguinis fervidioris jecur talem locum conſtituo, & quemadmodum illa veluti opus præter naturam ſequitur ad læſam cerebri coctionem ob intemperiem inſigniter humidam cum aliqua propenſione ad frigidum, coagentibus erroribus externis, ita & hic in fervorem jecoris feratur oportet; A quibus viſceribus cùm ob multas cauſas, tum verò maximè ob principatum in corpore tanquam robuſtioribus illos præter naturam ſuccos ad locum affectum viribus quaſi deſtitutum, propriaque natura imbecillum tranſmitti par eſt, imò errores externos non tantum pituitæ, ut dictum fuit, ſed etiam ſanguinis fervidioris generationi famulari pro certo habeo, quando ſciam, patientem noſtrum & uſu alimentorum, præcipuè verò vini meracioris, & motibus corporeis, aliiſque ferè innumeris modis ſibi fervorem jecoris comparaſſe.

At quomodocunque ſe res habeat, in hujus mali curationem, materiam tumoris copioſam evacuare, moderatè calefacere, & emollire oportet, amotis prius impedimentis, fluxione ſcilicet ac ejuſdem cauſis, illam quidem per retrahentia, his verò per alterantia cerebrum, & jecur in contrarium.

Quæ opera vix à Medico perfici poſſe exiſtimo, quando mala hujus cenſus, ut quæ à materia viſcida, craſſa, frigidaque circa partes propria natura imbecillas exorta difficillimè ſanentur, atque hoc eo magis ubi grandia, fixa admodum, ac in anteriori parte colli conſtituta extiterint, ſicuti accidit in præſentia.

Quoniam tamen patiens, qui tractatur, eſt adultus, & ab hujuſmodi calamitate vindicari exoptans, ſe futurum obſequentem Medico curanti pollicetur, non dubito quin curari, vel ſaltem præſervari poſſit.

Quare de curatione decernens à Chirurgia auſpicatus, dico venam medianam cubiti lateris affecti quamprimum eſſe ſecandam, deinde poſt dies aliquot venæ ani per hirudines eſſent aperiendæ, tandemq; ut ſetaceum in cervice figatur etiam, aq; etiā probo; Sectionem à Gal. 14. Meth. propoſitam, qua malum, & mali radices radicitus auferuntur, non propono, quoniam præter id, quod moleſtiſſima eſt, ſanguinis quoque perfuſionem irremediabilem ſæpius adfert, ac mali radices altiores penitus non extirpat, non tamen à ferro aperiente locum, in quo pus continebitur (ubi materiæ ſuppuratio aliqua apparebit) abhorreo.

Poſt hæc medicamenta primum univerſalia, deinceps privata ſuccedunt; Alvus ideo primum lenienda melle roſato ſolutivo, & manna, vel hiera ſimplici Galeni cum caſia, mox humores præparandi decocto roris marini, betonicę, boraginis, ſonchi, Scrophulariæ, adjecto ſyrupo de betonica, de cicorea, & oxymelle ſimplici, poſtremo humores hi deturbandi infuſo Agarici, &. Rhabarbaro cum melle roſato ſolutivo; vel Catapotiis cochiis, imo verò maximè conducturum arbitror, ſi pilulæ de tribus cum Rhabarbaro per intervalla certa, exhibito prius per tres dies oxymelle ſimplici, propinentur; Verum hoc tempore poſt medicationem univerſalem propo-

propoſitam, patienti parandum eſt decoctum ex guaiaco ligno, viſco quercino, & ſalſa cum cicoraceis, rore marino, & Scrophularia cum ſandalis albis per plures dies aſſumendum, ea tamen ratione, ut ante ſyrupum matutinum bolus ex ſale theriacali, pulvere roris marini calcinati, & conſerva roſarum, vel florum cicorii offeratur, atque ſudor omni ſtudio, ac diligentia adhibita promoveatur.

Atque ubi toti fuerit conſultum, ad privata medicamenta accedendum, ideo primum Catapotiis dictis, herrinis poſtmodum capite expurgato, alterantibus erit inſiſtendum, quocirca conſervæ capitales cum Caſtoreo, vel Mithridatio adjecta conſerva roſarum, vel cicoreacea hora ſomni devoratæ mihi probantur, ſicuti lotiones primum ſiccæ, quæ ex furfuribus, & floribus capitalibus calefactis, mox humidæ, quæ ex lixivio cineris quercus, & decoctionis baccatæ, anthos, abſinthii, verbenæ, cariophyllorum, roſarum, & olivæ (loco ſaponis Agarico uſurpato) parantur; Atque his non conferentibus, ad embrocam moderatè calefacientem, valenter verò ſiccantem, & hanc ipſam naturalem (quando remedia naturalia artificialibus efficaciora D. Hip. affirmaverit) ſuo tempore erit deveniendum.

Jecur ſimiliter, temperandum uſu confectionis ex tribus ſandalis, & conſervæ cicoreaceæ commixtarum, vel ſeri lactis caprini depurati, & infuſionis ſandalorum, ac denuò vel thermarum frigidarum epotarum, in quem uſum (ſub aëre tamen calido, vel ſaltem temperato) balneum aquæ dulcis, non ſolùm hoc nomine, ſed pluribus etiam aliis nominibus conducturum puto, & maximè ſi poſt ipſum regio jecoris unguento ſandalino ex ſucco cicorii, & hepaticæ loto cum aceto illiniatur.

Sed remanet modò ut de topicis agam, propterea cùm ſcrophulam quæ tractatur reſolutione, ſuppuratione, immò etiam extractione opus habere cognoſcam, mihi ad hæc omnia medicamenta ſunt proponenda. Pro reſolutione ergo ejus, quod ſuppurationi reluctatur, laudo, ut locus cum liquore per inſolationem à verbena, vel rore marino extracto, aut balſamo naturali, aut oleo magni Ducis Hetruriæ foveatur, huc refero Cataplaſma ex lentibus cum aceto coctis, aut quod ex cinere Cannarum, ac ſcylla cocta, melleque conficitur, tandem præmiſſa partis fricatione & id quod ex Camphora, ſaccharo, ſuccoque limonum medicamentum componitur imponerem, quæ omnia ea ratione probo, ut aliqua tùm proprietate, tum manifeſtè operantia addantur, uti radix acetoſæ, plantaginis, & Iridis, necnon ipſa colocynthis, ut hujus cenſus medicamentum Diachilon magnum cum pulvere radicum plantaginis, & ireos mihi maximè accommodatum videatur; Verum quia ſæpe in Scrophulis, (præſertim autem in hac) tota materia reſolutioni eſt inepta, ſuppurantibus quoque eſt agendum, ideò in hunc uſum præter Diachilon gummatum, ceratum triapharmacum dictum, & emplaſtrum ex radicibus Altheæ coctis, farina triticea, & oleo factum, maximè, quod à Paulo ex radicibus cucumeris agreſtis, & ſtruthio confectum proponitur, commendo, facta ſuppuratione, apertoque loco, ad mundificationem à melle cum pulvere mirrhæ, & ireos, vel ab unguento baſilico, itemque Apoſtolorum dicto non eſt recedendum, quo in caſu nec pulvis Aſphodeli, aut floris æris improbatur; mox pro implendo carne loco uti licebit unguentis de pompholige, vel de betonica, vel Iſidis, tandemque ad cicatricem inducendam cerato phenicino, vel unguento, quod eſt in frequenti uſu clariſſimis viris.

℞. Autem olei laurini, aquæ vitæ lævigatæ, ceruſæ pulveratæ an. unc. I. Aluminis unc. ſ. ſalis communis drag. ij. M. & fiat unguentum.

Verùm tamen nec his tantummodo curantur Scrophulæ, ut ad extrahentia quoque cauſtica inquam, excedentia, ac putrefacientia devenire liceat, quare ubi hæc ad uſum deducuntur, ſicuti ſummoperè exopto, ut à venis, ac arteriis caveatur, locaque vicina in hunc finem unguento de Ceruſſa, & infrigidante Galeni muniantur, ita in eorundem ſelectionem cauſticum ex aqua ſaponis, vel etiam, ſecundum aliquos, ex lixivio fullonum factum, item & præcipitatum cum butyro, Argentum ſublimatum cum ſucco plantaginis, vel unguento ex ſuccis, poſtremoque arſenicum ſimplex, vel ſublimatum cum pari portione maſticis, vel radicis ari impoſitum omnibus præfero, quibus conſumpta Scrophula, ſarcoticis cicatrizantibuſque dictis urendum, prius tamen cruſta butyro vel digeſtivo loto eximenda, deinde locus detergendus. ut ſupra dictum fuit.

Cæterum, quoniam parum admodum hæc prodeſſent, niſi vivendi ratio commoda injungeretur, ideo ut ab omnibus eduliis craſſis, & viſcidis, ab omni repletione, & cruditate abſtineat patiens, vinoque pauciſero cum rore marino, vel guaiaco, & Scrophularia medicato, modeſteque poto utatur, in reliquiſque omnibus modum ſervet eſt neceſſarium; Utinam modò hæc omnia proſint. *Julius Cæſar Claudinus in Conſultationibus Medicis.*

De Strumis. Pro Nobiliſſima Puella.

Cum Nobilis Puella 11. annos nata fœdato ab incunabilis capite copioſo lactumine, incolumis vixiſſet ſine ulla operationum offenſa, eò tranſmiſſis à natura excrementitiis humoribus, ſuppreſſa conſueta illa evacuatione, atque alio converſa materia, accedente potiſſimum puerorum ingluvie, & nullo ordine aſſumpto cibo, tumores ſtrumoſi in variis corporis partibus ſuborti fuere, gula ſcil. brachiis, altero genu, & malleolo alterius pedis, qui biennio abhinc exulcerati ſunt, cum oſſe nigro, & exeſo, quarundam partium affectarum, ex continuo materiæ affluxu, modò tenuis, & ichoroſæ, modò craſſæ, & quandoque ſanguineæ, in carpo potiſſimum, & utroque pedis malleolo: quibus accedit febris, qua duobus abhinc annis laborare cœpit, gravis aliquando, modò lenta, modò acuta, intermittens quandoque, nonnunquam continua, prout ex Medicorum præſcripto utitur ratione victus, & medicamentis, quorum plurima topica hucuſque fuere adminiſtrata à dogmaticis Medicis, & Empiricis, qui ad illius curationem acciti fuere. Quanquam verò hi tumores non videantur ſtrumoſæ conditionis, cùm ſtruma ſit tumor ſcirrhoſus, ex Galeno 14. Methodi undec. à materia pituitoſa ortus, ex Hippocratis, & ejuſdem Galeni ſententia Sect. 3. Aphor. 26. germinans in collo, ſub axillis, & inguinibus, ex Paulo lib. 4. de re Medica cap. 33. hi verò varias corporis partes obſideant, & ſint exulcerati, ex quibus materia heterogenea manat: cenſeo tamen juxta cum Viro Clariſſ. ſtrumoſos tumores nuncupandos eſſe, & quidem ſpurios, materiæ craſſæ, pituitoſæ, necnon melancholicæ, & humorum etiam tenuiorum, atque ichorum bilioſorum, & exuſtæ materiæ ſoboles, qui propterea à præpollente materia, ſtrumarum nomine cenſendi ſunt, ſuborti potiſſimum ætate hujuſmodi affectionibus maximè opportuna, & crudorum humorum feraci, Hippoc. teſtimonio 3. Aphor. 26. Varias autem afficiunt partes: quia frequentes in corpore occurrunt glandulæ, quas hic affectus potiſſimum exercet: quanquam frequentior ſit illis ortus in locis memoratis, ex Paulo, ut & in mammis, quòd glandulæ illarum partium ſint ampliores, imbecilliores, & laxiores, excipiendis partium principum, cerebri ſcil. cordis, & jecoris excrementis dicatæ.

Neque in aſſignanda cauſa hujus affectus à Viro Præclariſſimo recedimus: quam potiſſimâ cenſemus ma-

teriam

teriam pituitoſam, ſuppreſſam à ſanatis achoribus, & favis, quos lactumina vocant, & quidem genitam in ventriculo, ob incompoſitam victus rationem, non tamen ſine aliqua ſanguinis craſſioris, & melancholici copia, qui effluit, necnon materiæ bilioſę calidiſſimæ, in jecore, vel toto corpore, calidioribus redundantium, vel aliquo ſaltem viſcerum principum, quod ex hiſtoria non conſtat, ex qua ſolum habemus, hos tumores eſſe adapertos, non verò expreſſe, an id ferro, vel medicamentis factum fuerit: quanquam natura ſolam materiam frigidam in pus vertere non potuerit: ut propterea non immeritò illis accenſeri poſſint, quorum Celſus meminit lib. 5. de Re Medica cap. 28. cùm ait, ſtrumam eſſe tumorem ex pure, & ſanguine concreſcentem, humoribus ſcil. calidioribus, frigidis immixtis, licet materia hæc ſuſpicione inſignis cujuſdam putredinis, & malignitatis non vacaverit, tum quod febrem accendit, & quidem ſymptomaticam, ac lentam forſitan hecticæ affinem, ulceribus frequenter annexam, tum etiam, quod oſſa ipſa nigra, & exeſa fuiſſe accepimus, indicio manifeſto inſignis humorum malignitatis. Tranſmiſſa itaque materia hac heterogenea ad has partes imbecilliores, à jecore, cerebro, ventriculo, & toto corpore, quid mirum, ſi fluxio hæc varia remedia fruſtrata ſit duorum annorum ſpatio, à Medicis dogmaticis, & Empiricis præſcripta.

De ſalute tamen nobiliſſimæ patientis non omnis abjicienda ſpes; cùm ejus affectus in puerilibus ſit, qui facile ſanantur mutatione ætatis, & victus; potiſſimum verò quia illi imminent menſes, qui mulieres à gravioribus etiam malis vindicare ſolent: quod facilius conſequetur uſu medicamentorum præſcribendorum; recta victus ratione, & obtemperantia.

Materiæ itaque fluentis prohibenda generatio; refrigerato jecore, & exſiccato cerebro, ventriculo, iiſdemque corroboratis: cum recta victus ratione; genita verò ad alias partes derivanda; quæ fluxit diſſipanda diſcutientibus, & attenuantibus; niſi tumores fuerint patefacti; aut ad partes proximas expanſi; nervos ſcil. aut vaſa majora colli, quæ ipſorum ſectionem prohibeant: educenda verò, ſi ſint adaperti, nec reſolvi poſſit. Oſſa nigra, & exeſa ſunt radenda, ulcera detergenda, carne, & cicatrice obducenda, non ſine aliqua partis affectæ corroboratione, atque vires fovendæ alimentis accommodatis; præmiſſa in primis totius purgatione. Quos ſcopos implebunt præſidia, deprompta ex fonte Chirurgico, & Diætetico.

Chirurgiam quod ſpectat, commendatur in primis ſanguinis eductio ex ſalvatella partis non affectæ, ad uncias quatuor; niſi vires collapſæ fuerint: vel hujus loco, cucurbitulæ, non quidem evacuandæ materiæ parti impactæ; in quam rem non forent uſui; ſcilicet ex Avic. ſolam tenuem materiam evacuent, non verò craſſam; ſed univerſalis evacuationis loco, & derivationis materiæ fluentis, cum ſcarificatione applicitæ, eductis quatuor circiter unciis ſanguinis. A quibus poſtmodum hæmorrhoides reſecandæ; quo ſanguis ad uterum etiam proiiciatur per locum proximum; quæ aliarum ſanguinis evacuationum loco erit, viribus illas prohibentibus. Summopere quinetiam conferent duo fonticuli, brachio, & coxæ non affectis inuſti, ſtatim ab univerſali evacuatione; quorum alterum occludi conſultum cenſerem erumpentibus menſibus, ſi melius habuerit: alia verò præſidia ex hoc fonte deinceps uſurpanda.

In pharmaceuticis, lenienda alvus electuario lenitivo, & hiera; præparandi humores oxymel. ſimplici, & compoſito, ſyr. de fumaria, de cichorio, betonica, de ſtœchade, & byzantino cum aceto; primò quidem ſimplicibus, tum & compoſitis, ac validioribus; cùm accuratiſſima exigatur præparatio, & purgatio, ne fruſtra ſimus. Syrupi verò diluendi decoctione ex betonica, fumaria, lupulis, cichorio, ſcrophularia. Purgandi demum humores, vel pilulis de hiera cum agarico, & maſtichinis, vel diaphœnico, vel ſpeciebus eleſcoph, quæ facillimè aſſumuntur, vel compoſitione præſcripta à Raſi, & ab Avicenna commendata, ex æqua doſi turbith, zingiberis, & ſacchari ad drachmam unam, & ſemis cum jure. Quæ purgantia ſæpius repetenda, cum validiora prohibeant ætas, & vires. Ab hac purgatione caput etiam evacuandum per nares, radice betæ, tabaco aut cyclaminis rad. vel pulvere nigellæ, per os verò pulveribus ex pyrethro, ſtaphide agria, ſinapi, & acoro, rara ſindone in nodum collecta, exceptis, & in ore retentis, ſine maſticatione, ne motu materia confertim trahatur ad glandulas colli. Ventriculus vomitu quinetiam evacuandus, ſi patiens nobiliſſima eum facilem habuerit.

A quorum uſu, internis poſtmodum præſidiis diſſipanda materia ſupervacua; roborandæ & exſiccandæ partes affectæ, materia durior emollienda, atque externa topica adhibenda. Interno itaque uſu conferet maximè bolus ex radice ſcrophulariæ, & talpa elixata, ac ſole exſiccata, in pulverem redactis, atque therebinthina laricina exceptis, præmiſſus juſculo, aſſumendo quatuor horis matutinis ante cibum, ad uncias ſex, & à prandio octo horis, & duabus ante cœnam, ad uncias quatuor hac formula.

℞. Radicis chinæ drach. vi. ſalſæ parillæ unc. ii. ſaſſafras, & ſantalorum rubeorum, cujuslibet drachm. ii. rhabarb. immaturi ſcrup. iiii. Infundantur in libris quinque aquæ, in qua cocta fuerint ſcrophularia, betonica, ſcabioſa, iva arthetica, & lupuli per diem naturalem; additis mox duobus pugillis hordei, & carnis vitulinæ libra una, bulliant ad conſumptionem mediæ partis, & facta valida expreſſione ſervetur in ſyrupum. Quod ſi paretur & ſecunda aqua in potus uſum, addita radicis chinæ particula, non præter rem id foret; Proditum autem à Celſo eſt, ruſticorum experimento cognitum; Eum quem ſtruma male habet, ſi anguem edat, liberari. In quam rem Aëtius commendat viperæ carnem, & Galenus Theriacam, quæ conſtat ex viperis; & Ambroſiam: quanquam ab his magnis antidotis lubens abſtinuerim in pueris, quorum corpora non ſunt admodum exſiccanda, niſi quis trochiſcorum de viperis partem aliquam adjecerit bolo præſcripto. In externorum verò localium uſu obſervandum, quod ſi tumorum aliqui non fuerint adaperti, emollienda, & diſcutienda ſit materia juxta præceptum Galeni 14. Methodi. Undec. quod ſcil. curandæ ſint ſtrumæ curatione ſcirrhi. Emolliendæ itaque materiæ, diachylon ſimplex ex uſu erit, vel cum gummi, œſypus item, vel radix iridis, aut ammoniacum cum aceto, & ſucco iridis, quæ diſcutienda lenioribus primò digerentibus, in quibus ſunt ficus arida contuſa, oleo antiquo ſalito excepta, ſuccus cucumeris agreſtis, oleum ex cucumere agreſti, ex ligno guaiaco, & ex Lutis noſtris Divi Petri. Validiora verò erunt à Galeno præſcripta Tertio de Medicam. per loca. Tertio; calx ſcil. viva, farina lupinorum, cum melle, cinis caulium, ſuccus cyclaminis, fimus columbinus, & hujuſmodi, quibuſdam emollientibus immixta; ne validius diſcutiant, qualis erit adeps ſuillus. Quinimo ſummopere commendatur caſeus antiquus externo uſu cum carne porcina ſalita, ut digerens, & emolliens: ex quibus parari poſſunt cerata, & emplaſtra utrique ſcopo dicata. Quibus non conferentibus, ad ſectionem deveniendum; exceptis colli ſtrumis, Galeni conſilio, Primo de Locis Affectis, Sexto, & Aëtii; metu ſc. alicujus offenſæ nervorum recurrentium, venarum jugularium, & arteriarum carotidum; cum in aliis par-

partibus ignobilioribus hæc Chirurgica operatio admitti poſſit, fuſius ab Aëtio deſcripta. Quod ſi tumores patefacti fuerint cum oſſis corruptione, eximenda fuerit pars illa oſſis corrupta, vel ſcalpris raſoriis, ſi corruptio levis ſit, vel medicamentis exſiccantibus, & tenuium partium; mox ulcus à ſordibus expurgandum, carne replendum, & cicatrix inducenda, pulveribus, ceratis, & aquis arte paratis, Chirurgis quàm notiſſimis: quorum propterea hæc fuerit his cura: quanquam in his affectibus potiſſimæ habeantur aquæ thermales ſulphureæ, nitroſæ, & ſalitæ; quippe quæ detergendi, exſiccandi carnem, & cicatricem inducendi vi polleant. Quales ſunt agri noſtri Aponenſes, & Divi Petri; ſæpius in hujuſmodi affectibus, Medicis, doctrina, & experientia celeberrimis uſu comperti. Quibus tandem addendum quod à Joanne Coltæo in Diſquiſ. Phyſiol. proditum par. 116. Chœradas ſcil. ſanari ſputo illico ejus, qui ſeptimus natus fuerit non interrupto ordine.

His accedat recta victûs ratio; tenuis ſc. ex Avicenna Lib. 3. Fen. 4. Tract. 2. Cap. 10. ubi ait, quod, radix fiduciæ in curatione ſcrophularum eſt evacuatio, & ſubtiliatio regiminis: & Rhaſi 7. ad almanſorem cap. 8. in hæc verba: Curationis principium eſt, ut ægrum ſemper famem pati, & cœnam dimittere facias. Cibi verò debent eſſe in pauca quantitate, & attenuantes. Quod autem de cibis prodidit, in univerſa victus ratione obſervandum. Quæ omnia, ut notiſſima Viris Clariſſimis, brevitatis gratia omittimus, conſultò etiam prætermiſſa curatione ſcrophularum, Galliæ Regum propria, quæ fit ſolo contactu, & ſigno crucis: cùm facultas hæc ſoli Dni gratiæ ſit adſcribenda, quam miniſtris ſuis ejus vices in terris gerentibus impertit. *Benedict. Silvaticus Conſ. & Reſp. Medic. Cent.* IV.

Obſervationes.

Pro Scrofulis.

Poterit æger infra ſcribendis pilulis per quadraginta dies ſingulo mane ex monitu *Jo. de Vigo* unam deglutire.

℞. Euphorb. zinzib. turbith. ſucc. rad. ireos, agar. an. ʒj. contuſa M. & formentur pil. numero 40. quod ad externa, ſtrumas diſcutit lupinor. amaror. farina ex oxymel. cocta & illita. Ad idem etiam præclarè facit bubulum ſtercus aceto incoctum, & delinitum; id enim tumores ſcirrhoſos omnes inſtar cataplaſmatis appoſitum mirificè diſſipat. *Petr. Foreſt. obſ.* 10. *in ſcol. l.* 3. *obſ. Chir.*

Cum quidam ſcrophulam in collo haberet, conſului illi, ut ab omnibus frigidis abſtineret, & ut omni ſeptimana ſemel ſumeret ex ſequenti pulvere ad pondus unius Floreni Rhenani.

℞. Turbith. el. ʒ iij. zinzib. maſtich. an. ʒj. ſacch. alb. ʒ vi. F. pulvis. Manè bibat ſæpius ex decocto rad. ſcrophular. filipend. & pimpinellæ; bis in die inungat ſe cum iſto unguento.

℞. Empl. oxycroc. ℥ß. ol. chamæm. lil. alb. an. ℥ j. M. Quidam lolium cum furfure, ſem. lini & ſtercore columbino cum modico vino decocta pultis inſtar appoſuere, quod duritiem mirabiliter reſolvit; & à proprietate valere volunt agrimoniam collo ſuſpenſam; radicemque aſphodeli contuſam & impoſitam: ſed egregiè confert pinguedo diſtillans ex anſere, inuncta; at hoc unguentum mirabile habetur ad ſcrophulas.

℞. Arſenic. rubr. ʒ ij. argenti vivi ſublim. ʒ ß rad. ſerpentar. rad. beton. panis porcin. an. ʒ ß. aloës hepat. ʒ j. F. omnium pulvis, & cum axungia F. unguentum: diſſolvit enim ſcrophulas. Ego tamen cum cautione, ſi in collo ſint; vel ſub axillis, eo utendum ſuaderem; ſed potius hoc ſequenti uti vellem, quod ad ſcrophulas, Glandulas & nodos duros facit.

℞. Medull. crur. vituli ℥ ij. butyr. rec. dialth. an. ℥ ß. M. F. unguentum. Ad glandulas in collo valet egregiè farina uligin. cum melle apum, emplaſtri modo. Cum juvencula quædam pateretur ſcrophulas in collo, *Laurentius Bruninck* Chirurgiæ Doctor ad eam accitus iſtud emplaſtrum appoſuit.

℞. Ciner. caul. rubr. combuſt. ſal. toſti, an. part. æq. cum melle fiat emplaſtrum ſuper ignem, diu admotum fuit, ſed parum aut nihil profuit, quare præſcripſit fotum partim maturativum, partim reſolutivum: mox eodem emplaſtro appoſito, citò ſuppuratæ ſunt, natura faciente duo vel tria foramina, quæ tandem per concavitates intercutaneas in unum congregatæ ſunt; hoc viſo, forcipe aperuit in modum crucis, ac labia deinde abſciſſa cœpit primò mundificare cum unguento ægyptiaco, deinde cum dulcibus, & bene valuit cum populeo. Unde facta eſt incarnatio, & per alumen uſtum ſuperflua caro corroſa. Hæc ſequentia pro ſcrophulis egregiè juvant.

℞. Scrophul. filipend. pimpinell. fl. geniſt. piloſell. caulium rubr. agrimon. rubiæ maj. an. M. j. ariſtol. rot. rad. ſpatul. fœtid. raphan. an. ℥ j. enulę ℥ ß. ſem. coriandr. ʒ iß. F. decoctio ad ℔ ij. ß. in duabus partibus vini albi, & una parte aquæ: dulcoretur cum ſacch. & F. Fotus.

℞. Ammoniac. galban. in aceto diſſolut. an. ℥j. bdell. ℥ß. medullæ cervi. axungiæ anatis, an. ℥ß. mucilag. alth. fænugræc. ſem. lini, an. ℥ ij. lithargyr. ℥ß. pulv. ireos ℥ j. olei aneth. ceræ an. q ſ. F. emplaſtr.

Sed & hoc remedium mirabile habetur, valens à forma ſpecifica in qualibet ſpecie ſcrophularum.

℞. Succi rad. irid. euphorb. an. q. ſ. confice triginta pilulas ad quantitatem cicerum, & da unam omni die triginta diebus; nam mirabiliter valet ad eas removendas. Sed adde de ſpica & maſtice q. v. eſt enim correctorium euphorbii. Ego tamen cum magna cautione ob euphorbium iis utendum ſuadeo. Pulvis rad. pentaphylli exhibitus per aliquot dies, præſervat à ſcrophulis, ſumatur cum optimo vino; idem præſtat radix filipendulæ & agrimoniæ.

Confidenter affirmat *Tagautius* Chriſtianiſſimo *Francorum* Regi divinitus peculiari dono eſſe indultum, ut quam plurimos ſtrumoſos ſolo manuum attactu integræ ſanitati reſtituat.

Rex etiam *Eduardus* (ut referunt Hiſtoriæ) ſolebat ſolo tactu ſanare ſtrumoſos; quod immortale munus jure velut hæreditario ad Reges poſteriores manavit: nam Reges *Angliæ* nunc etiam tactu, ac quibuſdam hymnis, non ſine ceremoniis prius recitatis ſtrumoſos ſanant. *Petrus Foreſtus obſer.* 11. *& ſchol. lib.* 3. *obſerv. Chirurg.*

Accipe quam promiſi deſcriptionem emplaſtri ad ſcropulas & ſcirihoſos tumores emolliendos, reſolvendos & diſcutiendos efficaciſſimi, & olim à Clariſſimo Viro *D. Lamberto Wolfio* Medico Celeberrimo & *Coſmo Slotano* Chirurgo præſtantiſſimo pro Aulico quodam præſcripti, maximoque cum fructu, me præſente uſurpati.

℞. Rad. bryon. cyclamin. helen. cucum. agreſt. an. ℥ j. coq. in vini albi & aceti, an. q. ſ. deinde piſtentur, & per ſetaceum percolentur, colaturæ admiſce pulv. rad. irid. myrrh. oliban. maſtich. croci, ariſtol. rot. an. ʒ j. ß. fl. chamæm. melil. ſambuc. an. p. j. opopon. ſagapen. ammoniac. bdell. galban. in aq. vitæ diſſolutor. an. ℥ß. gummi hederæ, ſtirac. calamit. an. ʒ iij. euphorb. ʒ v. ſem. ſtaphyſagr. ʒ ij. ß. argent. vivi, ſaliva hominis extincti ℥ ij. ol. lil. de vitell. ovor. œſypi. an. ʒ v. adip. anſer. anatin. ſuill. medull. cruris vituli, an. ℥ j. mucilag. ſem. lini, fænugræc. rad. alth. an. ℥ j, M. & cum ſ. q. ceræ flavæ & terebinth. F.

emplaſtr.

emplaſtr. *Guil. Fabritius Hildanus. obſerv.* 38. *cent.* 3.

Mulierem quandam Scrophulis laborantem ita tractavi.

℞. Pilul. coch. ℈ij. cum aq. cinnam. F. pilulæ IX.

℞. Empl. de melilot. ℥ß. malaxetur oleo cheirino, tumori imponatur.

Ad diſcutionem Scrophularum.

℞. Aq. vitæ ℥j. ß. fl. chamæm. ʒß. ſem. fænugræc. ʒj. lavendul. ʒß. M. bulliant parum, colentur, hoc decocto, noctu fomentetur tumor ſpongia calidè. Cùm tumor adhuc non cederet, ita egi.

℞. Sem. ſinapi ʒj. ſem. urtic. ʒß. ſulph. vivi ʒß. gummi ammoniac. in aqu. vitæ ſolut. ʒij. empl. diachyl. ireat. ʒij. malaxentur oleo lil. F. emplaſtrum. poſt fotum admovendum; hoc emplaſtro Scrophulæ imminui cœperunt. Cum poſtea de novo Scrophulæ increſcerent, denuo illam purgavi.

℞. Lign. guajaci. ℥iij ſarſapar. ℥ß. fol. beton. M. j. rad. enul. ʒij. fol. ſen. ℥iß. ſem. cartham. ʒj ſem. aniſ. ʒij. fœnic. ʒj. F. decoctio in colat. ℔ß. diſſol. agar. ʒiij. zinzib. ʒj. cinnam. ʒiß. F. expreſſio, adde ſyr. roſ. ſolut. ℥ij. F. potio pro tribus doſibus, Finita purgatione.

℞. Conſerv. maloran. ʒß. theriac. ʒj. M. F. bolus capiat jejuno ſtomacho. Cataplaſma ſequens tumori adhiberi juſſi.

℞. Rad. ireos, ℥iiij. incid. minutim, decoq. in vino albo: piſtentur. Adde farin. fabar. & hord. an. ℥iiß. mell. ℥iv. M.

℞ Ol. lil. & cheirin. an. ℥j. ſucc. rad. irid. ℥ß. aqu. vitæ ʒij. coq. cum oleis ſuccus, adde gummi ammoniac. in aceto forti ſolut. F. linimentum. inungat. eo Scrophulas ante cataplaſtis applicationem. Ad ſudores movendos.

℞. Lign. guaiac. ℥jß. ſaſſafr. ℥j. rad. liquir. ℥ß. ſtent in infuſione in menſur. iij. aquæ, coq. lento igne ad conſumptionem tertiæ partis: adde ſacch. ℥j. cinnam. ʒj. Capiat noctu cubitum itura ℥iiij. Juſſi laminam tenuiſſimam ſupra Scrophulas ligare: & fortius adhuc emplaſtrum præſcripſi.

℞. Sem. ſinapi, urticæ, ſpumæ maris, rad. ariſtol. rot. & pyrethr. an. ʒß. ſcillæ præp. pulp. colocynth. an. ℈j. ſulph. vivi ʒj. pulverizat. diligenter adde gummi ammoniac. bdell. in aceto fortiſſ. diſſolut. an. ℥ß. cum pauca cera & oleo lilior. F. emplaſtrum, ſupra corium extenſum Scrophulis applicetur.

℞. Lapid. ſpong. ſpongiæ combuſt. corall. utriuſque, an. ʒß oſſis ſepiæ & rad. pimpinell. an. ℈j. cinnam. ʒj. zinzib. caryophill. an. ℈j. ſacch. roſat. tabul. ℥ij. F. pulvis. Capiat ʒij. pro vice; abſumit enim ſcrophulas. Fomententur duræ glandulæ ſub mento ante emplaſtri applicationem ſic.

℞. Fol. caulium rec. rubr. fol. hyoſcyami, chelidon. urtic. mortuæ, pimpinell. an. M. j. rad. raphan. ℥j. rad. ariſtoloch. rot. ℥ß. incid. omnia, & decoq. cum aceto roſac. & foveatur pars affecta. Perſiſtebat in uſu empl. ultimo deſcripti quod continuò geſtabat: tandem ut quæ remanſerat Scrophula tolleretur, juſſi reiterare Cataplaſma prius præſcriptum, addendo ſulph. vivi ℥ß. aqu. vitę ʒij euphorb. ʒß. ol. lilior. ℥j. Fiat Cataplaſma; nondum penitus ablata Scrophula applicavi emplaſtr. de *Vigo. Felix Platerus obſ. lib.* 3. *pag.* 686.

℞. Spongiæ in furno adeo exſiccatæ ut comminui poſſit, pulverizatæ ʒj. Datur jejunis aliquot ſeptimanarum ſpatio; poteſt admiſto ſaccharo & aromatis gratus, ut libentius ſumatur, reddi. Probatur vinum in quo talpa decocta fuerit. Inter externa, pinguedinem quæ diſtillat ab anſere dum aſſatur, prius infarcto multis muribus, valde quidam approbabat. Butyrum in quo ſcroful. rad. contuſa macerata fuerit aliquandiu, vel cocta, commendatur. Hoc Matthiolus ita parare docet, radicem Autumni tempore effoſſam, repurgatam, tuſam, cum butyro recenti operculato fictili, in uliginoſo loco, per quindecim dies reponit & dimittit, poſtea lento igne butyrum illud liquefacit, & percolatum aſſervat. Eadem ſcrofulariæ radix, uti & mures aliquot vel conjunctim, vel ſeparatim in oleo ſic macerari vel coqui ad eundem uſum poterunt. *Felix Platerus. Pract.* 3. *cap.* 3. *pag.* 323. *& ſequentibus.*

Tres Bufones in oleo olivarum in vaſe terreo eoque lutato cocti, oleum faciunt præſtantiſſimum ad Scrofulas: ſed cujus vapores, dum fit, noxii ſunt, quare ab iis cave, & probè vaſa tua lutentur. Scrofulæ primo arſenico admoto veſicante excorientur, pars deinde ſublimati admotione corrodetur; & tandem oleo dicto utere, quod adhuc præſtantius erit, ſi in eo ſalem bufonum infuderis. Hinc forſan orta ſunt antiqua Galliæ inſignia, quæ erant tres bufones, juxta multos Authores, cum Reges Galliæ hujus morbi curam ſuſcipiant. *Petrus Borellus, obſ.* 38. *cent.* 4.

Quantam Scrofulis laborantibus opem ferat Paronychia folio rutaceo (quæ Bauhino eſt ſedum tridactylites, ſeu alſine petræa) luculenter oſtendit Nobilis D. Robertus Boyle Tractatu ſuo aureo *De utilitate Philoſophiæ Experimentalis, part.* 1. *ſect.* 2. Ubi refert ſe juvenem quendam vidiſſe, hoc morbo graviter afflictum, ſine dolore, pauciſque diebus viliſſimæ hujus Plantæ in cereviſia infuſæ beneficio quam optime curatum, ſine ulla ſenſibili evacuatione humorem peccantem conſumit, dolores ſedat, diſcutit tumores, & ulcera ſanat; ita ut ad hunc affectum oppugnandum mirabile prorſus virtutes poſſideat.

Juvenis quidam viginti annorum longo tempore ſcrofulis in collo laborabat, ejus curationem inſtitui à lunæ oppoſitione uſque ad conjunctionem, à conjunctione verò ad oppoſitionem intermiſi, quia in rectè curandis ſtrumis, hæc tempora creſcentis videlicet Lunæ & decreſcentis, ſunt obſervanda Medico. Curatus autem à me ſic fuit, per ſingulos dies bis, mane nempe & veſperi perungi curabam totam ſtrumam calente oleo ſulphuris, poſtea calida lintea circumplicabam. Præter hæc ſingulis quatuor diebus exhibui mane ſpiritus vitæ aurei ℥j. quo multùm expurgatus fuit à phlegmaticis humoribus, atque his paucis ſubſidiis tumor indies decreſcebat; & in quadraginta diebus totus evanuit, nec amplius recrudit, id quod etiam in multis aliis feliciter & veraciter ſumus experti. *Martinus Rulandus, curat.* 87. *cent.* 8.

℞. Cineris ſpong. marin. oſſis ſepiæ, piper. long. cinnam. ſal. gemm. pyrethr. nuc. cupreſſ. gallar. cortic. quercus, flor. roſ. rub. an. ℥ß. M. F. Pulvis, doſis ℈ij. vel ʒj. *Paulus Barbette. Prax. lib.* 2. *cap.* 2. *cap.* 2.

Inter alia plurimùm valet ſpiritus ſalis armoniaci toties meritò laudatus internè, ut & externè juſto vehiculo mixtus. *Fredericus Deckers, not. ad cap.* 2. *lib.* 2. *Prax. Barbettianæ.*

Pro Strumis in collo.

Præmiſſis debita purgatione & venæſectione hoc topicum adhibeatur.

R. Lentium cum aceto excoctar. ℥iv. ſucc. apii. depur. ℥ij. ſem. coriandr. ʒij. cum adipe porci maſculi F. cataplaſma extend. ſuper lintea, & bis in die affectis locis applicetur. *Item.*

R. Pulv. fol. & rad tuſſilag. ℥ij. farin. ſem. lini ℥j. cum adipe ſuillo F. cataplaſma. Interim ut electuarium noſtrum in hunc uſum maximè probatum ſumat etiam atque etiam hortamur: eſt tale,

R. Oſſium. gallin. elixat. oſſium vertebr. human. an. ℥ß. troch. de viper. ʒij. ſcord. margar. an. ʒß. mell. deſpumat. q. ſ. F. electuar. ſumat bis in die ad ℥ß. manè & veſperi dum it dormitum. *Joh. Zecchius conſult.* 70.

Pro Struma coxæ innata ingentis magnitudinis.

Mulierem quandam ſtruma coxæ innata multos annos miſerabiliter vexabat. Ad eam jam magnitudinem excreverat, ut occupante ea coxam ipſam ac crus, ambulare non poſſet, quo factum ut jam quinquennio miſera in lecto jaceret: nec ex Medicis ullus inveniebatur, qui aut ferro aut alio quovis medicamento tollere tam ingens malum auderet: quare omni ſpe deſtituta, me cum junior adhuc eſſem, ad ſe vocans, operam noſtram depoſcit, lachrymis urget, & precibus, ut quamlibet miſerabile, aliquod tamen ei præſidium afferam, mori ſe malle quam in tanta miſeria & calamitate vitam ducere: moverunt me, fateor, infelicis mulieris lachrymę: ac propterea rem ſanè arduam, & quam nullus qui ſaperet, attentaſſet, aggreſſus, ſtrumam ipſam ea potiſſimum parte, qua coxæ pendebat, vinculo deligo: & quoniam reſecanda craſſitudo palmo plenior erat, ſingulis quibuſque diebus vinculum ipſum arctius necto, donec pars media reſecaretur: tum candenti ferro; quod ſupereſt ſcindo, ſanguinem ſupprimo, & mulierem ferè mortuam reſumens molli cubiculo recreo, ac curioſa dein obſervatione, idoneiſque medicamentis rite procedens, divino tandem auxilio eam in priſtinam ſanitatem reduco. Tanta autem fuit præciſæ carnis moles, ut pondus 60. Librarum excederet. *Antonius Benivenius*, *cap.* 14. *lib. De mirandis morborum & ſanationum cauſis.*

Pro Strumis.

Poſt venæſectionem & purgationem foveatur pars affecta ſpongia in aqua calcis expreſſa & arcte alligata per decem dies, excipiatur ſuffumigium ex lapide pirite extincto in aceto fortiſſimo, bis in die per infundibulum cujus tubulus totum tumorem contineat; poſtea applicetur emplaſtrum de Vigo quadruplicato mercurio, cujus ſingulis unciis addatur vitrioli romani ʒj. & tantumdem gummi ammoniac. in aceto ſoluti. *Lazarus Riverius*, *obſerv.* 76. *cent.* 1.

Virgo quędam decem annos nata tumores duros & ſtrumoſos patiebatur in tribus digitis, qui curati fuerunt ſuffitu aceti ſupra ſilices candentes conjecti mane & ſero per menſem integrum continuato, hoc remedium a Galeno miris laudibus effertur ad tumores ſcirrhoſos diſcutiendos. *Samuel Formius obſerv.* 49.

Puella quædam quatuor annos nata laborabat ſcrophuloſis tumoribus circa collum & aures valde eminentibus: conſuluit aliquis parentibus ipſius, ut eam pediculis corripi ſinerent, qui tandem ulcera toti capiti inferre poſſent, per quæ materia morbifica, humor ſcilicet pituitoſus in magna copia ritè evacuatus eſt per aliquot menſes; & ægra tandem liberata fuit abſque alio remedio. *Simeon Jacoz. obſerv.* 20.

Armoricus quidam à pluribus annis ſtrumis circa collum & ſub utraque axilla laborans, tandem ab Illuſtriſſ. *D. Gabr. Harduino de Saint Jaques* noſocomii charitatis *Lutetiani* Medico ordinario in hunc modum curatus eſt. Præmiſſis univerſalibus cataplaſma ex foliis cucumeris aſinini leviuſculè contuſis, partibus tumentibus admovit; præſcriptaque dięta tenui, nec non modice exſiccante altera die opiata ſequens præſcripta eſt.

℞. Turbith. hermodact. an. ʒ ij. rad. utriuſque ſcrofular. ℥ j. rad. angelic. ʒ ij. fol. ſenæ ℥ß. ſcammon. crudi ℈ iv. F. omnium pulvis, & excipiatur cum ſyrup. roſ. pallid. doſis ʒ ij. addendo cuilibet, mercur. ſublimati dulcis gr. xx. qua alternis diebus per xv. dies repetita, nec non renovato cataplaſmate diſparuerunt tumores omnes ſcrofuloſi, abſque ſectione, aut eradicatione ulla: & ſic ſanus & incolumis evaſit. *Lazarus Riverius*, *obſervat.* 10. Inter obſervationes hinc inde decerptas.

Novi plures qui in ſtrumoſis tumoribus digitalis floribus valde confidunt: quos quidam in butyro majali quot poſſunt immittentes curant inſolandos per æſtatem, alii cum adipe porcino miſcent, & ſub terra defodiunt per quadraginta dies. Utrique flores cum unguento reſervant, una linteis inducunt & tumoribus applicant: hoſce tumoribus diſcutiendis vel maturandis ulceribus, detergendis vel explendis ſufficere, ferunt ſe expertos: quinto & ſexto quoque die diacarthamo purgant, interim continuò decoctum herbæ robertianę præbent: pars ulceris rubens parte unguenti tenuiore inungatur; pars autem unguenti craſſior linteamini imponatur, quod nunquam mutetur: ſunt qui novella & primò erumpentia plantæ digitalis germina accipiunt, eorumque ſuccum expreſſum in butyro coquunt ad ſucci conſumptionem; atque hoc novo ſucco addito bis terve repetunt. *D. Bates referente Johan. Rajo. Catalogo plantar. Angliæ.*

℞. Fol. lamii albi M. j. calefiat inter duos lateres calidos, & tumori applicetur: eum unius noctis ſpatio ùtplurimum aperit. Electuarium flor. geniſtæ pulv. & melle roſato exceptum ad ſcrofulas expertum, ſi eo quis utatur continuò. *Johan. Rajus. Catalog. plantar. Angliæ.*

Homines fide digni obſervarunt ſtrumas alioſque tumores aboleri, ſi pars affecta affricetur ad manum cadaveris humani, ita enim ſenſim putreſcit cadaver; quod tardius hieme, citius æſtate contingit. *Thom. Bartholinus*, *hiſt.* 66. *Cent.* 3.

Nos pluries vidimus, præmiſſis univerſalibus, brevi tempore & faciliter ſtrumas curatas, non alio medicamento, quam Aloë, ſi nempe ipſius folia (præſertim æſtate, tunc enim abundant copioſo humore) ſub cineribus calidis aliquantiſper poſita, per longum & per medium diſſecta ſuper ſtrumas quotidie apponantur: mundant etenim & abſtergunt ulcus, humorum putredini ſummopere reſiſtunt & vulneraria facultate pręditа citiſſimè ad ſanationem perducunt. *Dominicus Panarolus*, *obſerv.* 22. *Pentecoſte* 4.

Sequenti remedio pluries unico menſe ſtrumas evanuiſſe prægrandes vidi: ac ſubitò præfocationem à veneno ſo fungo illatam curari.

℞. Spongiæ marinæ in carbonem combuſtæ ℥iij. oſſis ſepiæ uſti, piper. long. zinzib. pyrethr. gallar. ſalis gemmæ, calcis teſtarum ovor. an. ℥ i. M. cum aqua ſtillata ex præfatis ſpongiis, & exſiccetur paulatim. Accipe hujus pulveris ʒ ß. decreſcente Luna, ut paulatim liquatus deglutiatur, vel fac illinctum & boccium diſparebit: alii defectu ſpongiæ ſumebant piloſam excreſcentiam ſylveſtribus roſetis innaſcentem, exteriori cortici caſtaneæ perſimilem, hirtam hiſpidamq; cujus ſolius pulvere utebantur feliciter. Item uſus ſum hoc unguento in ſtrumis & ſcirrhis.

℞. Ol. laurin. ℥ viii. oliban. maſtich. gummi Arabic. reſin. abiegn. ℥ iij. deſtilla tum iterum deſtilla cum cineribus clavellatis. *Johann. Helmontius tract. cui tit. Tartarus non in potu.*

B SECTIO

SECTIO VENÆ.
Vid.
VENÆ SECTIO.

SECUNDINARUM EXTRACTIO.
Vid. ſub titulô
PARTUS.

SETACEUM.

De methodô Setaceum applicandi vid. ex Clar. Nuckiô, ſub titulô *Fonticulus.* Hic tantùm quædam de ejus præſtantiâ ac curâ raucedinis per ipſum factâ ex Celeberrimô Guilielmô Fabriciô Hildanô.

Setaceum quam magni faciant præſtantiſſimi Medici, ſatis perſpectum habeo, nec ulla itaque uſus ejus luculentiſſimus, apud eos indiget demonſtratione: ſed quia multi empirici, quos hujus remedii præſtantia latet, id tanquam crudele rejiciunt: placuit hic, in gratiam juniorum Chirurgorum, exempla nonnulla in medium adferre, quibus ipſius præſtantiam & ſummam utilitatem, in quamplurimis cerebri morbis comprobabo.

Exemplum I. Anno 1598. Juvenem Lauſannæ 15. annos natum, curandum habui, qui ſingulis fere diebus, ſemel ad minimum, acceſſionem epilepticam patiebatur, cuique ob id multa, ſed fruſtra, pręſcripta adhibebantur remedia. Ego purgato corpore pilulis aureis & cochiis, inſtitutoque regimine optimo, Setaceum ipſi adhibui. Hinc acceſſiones remiſerunt, & paulatim ab epilepſia liberatus fuit, corpore ejus poſt leniter aliquoties purgato.

Exemplum II. Filia SIMONIS ENGELGRAFF, habitantis Coloniæ, poſt variolas ophthalmia ex utroque oculo adeò laborabat, ut de viſu periclitaretur. Multa ipſi quoque, ſed fruſtra, præſcripta fuerunt remedia. Ego tandem cum clariſſimo Dn. D. ARNOLDO MANLIO, Medicæ facultatis in illuſtri Academia Colonienſi Profeſſore primario, ad conſilium vocati, ſetaceum ipſi conſuluimus, & applicavimus, cujus beneficio, & divino favore, brevi quoque curata fuit.

Exemplum III. SIBILLA filia mea, ætatis ſuæ quinto quum Anno 1596. graviſſimè ex variolis laboraſſet, & hinc inde defluxione ad oculos, duorum annorum ſpatio, miſerè vexata fuiſſet: nec ullis remediis curari poſſet, ſetacei tandem, 1598. anno, adhibitione, quo defluxus ad nucham revocatus & evacuatus fuit, paulatim & ipſa, &, oculi ejus, defluxionum immunes, gratia Deo, convaluerunt.

Exemplum IV. Anno 1603. curandam habui puellam ex agro Muratenſi, & filiam honeſti viri *Hans Mann*, duodecim annos natam, quę præ defluxione & inflammatione ad oculos, viſum planè amiſerat; Purgato corpore, inſtitutâque victus ratione, & ſetaceo adhibito, viſum unius oculi recuperavit: Alterius enim oculi tunicæ, ante annos quatuor, ex ſimili defluxione & inflammatione exeſæ, & planè corruptæ fuerant.

In Catarrhis & deſtillationibus ad pectus, nihil præſtantius eſſe ſetaceo, quàmplurimis exemplis, ſi opus eſſet, probare poſſem, quæ tamen brevitatis gratiâ omitto. Hoc tamen Coronidis vice addo, me nonnullos ſemiphthiſicos, qui & ſanguinem & pus expuerunt, hoc remedio præcipuè curaſſe, ut in tertia Cent. Obſervatione 38. exemplo non vulgari demonſtrabitur.

De inſtrumento, quô ſetaceum clauſum iterum aperitur.

Clariſſimo & Doctiſſimo Viro,

Dn. *Iacobo Hagenbachio, Medicinæ & Chirurgiæ Doctori celeberrimo, Amico ſingulari.*

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

RECtè facis, clariſſime amantiſſimeque mi Dn. Doctor Hagenbach, quòd ea, quę de inſtrumento, ad ſetacea conſolidata iterum aperienda & renovanda, promiſi, in mentem mihi revocas: Inter tot enim moleſtias, curas, atque labores, quibus dies noctesque circa ægros (ut de mœrore ac moleſtia meâ, propter obitum amicorum, taceam) occupatus ſum, id ferè oblitus eram. Unum tamen ante omnia Te ſcire cupio, videlicet, impoſſibile eſſe, vulnuſcula ſetacei clauſa, & propter eroſionem cutis contracta, iterum à ſe invicem diſtendere, niſi de novo forcipe apprehenſa, & acu perfoſſa cute.

Cæterum quotiescunque ſetaceum undique cicatrice ita obducitur, & calloſum fit, ut non fluat amplius, tunc vulgaris methodus practicorum eſt, ut laqueo, unguento aliquo corroſivo inuncto, calloſitatem abſumant. Verum enim vero cum viderem, hoc modo non tam cutem, quam fundum foraminis erodi, & proinde ſetacei uſum penitus perire, inſtrumentum, cujus deſcriptionem annectam, excogitavi: Cupio enim ut (quando iterum prodibit) centuriæ primæ obſer. 41. in gratiam chirurgorum, ſimul & ægrorum, annectatur epiſtola hęc: hujus enim inſtrumenti beneficio, plerumque ad annos aliquot, conſolidationem ſetaceorum retardavi.

Eſt autem fiſtula ex argento fabricata, pollices circiter tres longa, & nonnihil incurvata, ut eo melius collo adaptari poſſit, craſſa vero magnitudine ſetacei: eſt & ex interna parte aperta, deſinitque aliquomodo in acutum. Habet præterea ex utraque parte fundum, exiguo foramine pervium. Fiſtulæ adaptandum eſt filum duplicatum, vel triplicatum, quod fiſtulæ ad inſtar medullæ inhæreat. Filum hoc in medio, & quicquid fiſtulę ad inſtar medullæ, ut dixi, inditum, craſſum, ex utraque vero parte exile eſt, quo foraminibus traduci queat.

Cum itaque ſetaceum cicatrice obductum renovare volueris, nonnihil cauſtici noſtri, guttula una aut altera aquæ plantaginis aut roſarum, diſſolves in formam linimenti, atque hac mixtione filum, ſive medullam fiſtulę inſuccabis; poſtea fiſtulam ſetaceo infiges, ea tamen lege, ut pars aperta fiſtulæ introrſum, hoc eſt, verſus ſpinam vergat, dorſum vero, ſive pars clauſa cutem reſpiciat: hoc modo poſito cauſtico, infima pars ſetacei corrodetur, cutis vero illæſa conſervabitur. Inſtrumentum autem cum ſuo cauſtico ad horas ſex vel octo, donec facta ſit. Eſchara, relinquendum eſt. Poſtea extrahendo inſtrumentum funiculus ex ſerico contortus, & digeſtivo inunctus, ad caſum uſque Eſcharæ immittendus, & quotidie donec Eſchara excidat, renovandus eſt. Ne autem inſtrumentum loco ſuo excidat, ſub mento filum connectere convenit. Quod ſi Eſchara (ut aliquoties mihi accidiſſe memini) prima vice non ſatis profunda facta fuerit, iterandum eſt cauſticum.

Idem

Idem
Ad eundem
Virum Clariſſimum Dominum Iacobum Hagenbachium, Medicinæ & Chirurgiæ Doctorem Excellentiſſimum.

QUo artificio ſetaceum clauſum, Doctiſſime mi D. D. Hagenbach, rurſus ſit aperiendum, ſuperiori Autumno ad Te ſcripſi, & inſtrumentum ipſum ad id à me inventum, miſi. Ab eo tempore moleſtiæ & anguſtiæ illæ maximæ, in quibus matronam quandam, ex nobilitate noſtra, cum ſuo ſetaceo cicatrice obducto, conſtitutam eſſe videbam, anſam mihi præbuerunt, intendere animum in id, videlicet ut modum aliquem, quomodo ſetaceum apertum, in ſtatu ſuo conſervari poſſet, invenirem: Idque non ſine fructu mihi ſucceſſit, ut mox intelliges. Eſt autem Matrona illa Nobilis, Domina Maria à Diesbach, nobiliſſimi ac ſtrenui Viri, Domini Samuelis Wunderlich, Domini in Worb, conjux, quæ à juventute fere doloribus capitis, propter maximam intemperiem calidam hepatis, obnoxia fuit, præſertim ab eo tempore, à quo in matrimonio vixit.

Quum enim ſterilis eſſet, nec menſes ſemper rectè fluerent, aucta fuit intemperies hepatis, ſimul & dolor capitis. Multos quidem adhibuit Medicos, ſed pauco cum ſucceſſu. Tandem anno 1618. cum in conſilium adhibitus fuiſſem, ſuaſi, ut adhibitis univerſalibus, cervici ſetaceum, popliti vero dextro fonticulus adhiberetur. Setaceum quidem admiſit (fructum enim ejus atque præſtantiam in dolore capitis, ex aliis perceperat) fonticulum vero planè reſpuit. Originem enim mali ex hepate eſſe, perſuaderi non potuit.

Setaceum hoc maximo cum fructu per annos aliquot geſtavit: cum vero plane ſanatam ſe exiſtimaret, & ſuaſu quorundam imperitiſſimorum, ſetaceum clauſiſſet, non diu poſt, dolor capitis iterum ipſam exercere cœpit: qui & paulatim ita auctus eſt, ut lectica in urbem ſe vehendam curare, coacta fuerit Anno 1625. Menſe Febr. ubi non ſolum ſetaceum de novo, verum etiam popliti dextro fonticulum applicui.

Vix credibile eſt, quanto cum fructu ab eo tempore aperturis iſtis uſa fuerit. Ad illas enim natura veluti ad cloacam, excrementa principalium membrorum propellit, & intemperiem calidam hepatis corrigit. Superiori autem autumno, quum ſetaceum cicatrice obduceretur, nec pro more flueret, haud parum anxia fuit: etiamſi enim unguento nonnihil acri cicatrizationem retardare vellet, parum tamen efficere potuit: nec propter peſtem, quæ apud nos graſſabatur, in urbem venire voluit. Menſe vero Martio, cum peſtis remiſiſſet, ad me venit, tum prius purgato corpore, & aperta vena in dextro cubito, mediante cauſtico & inſtrumento, in præcedentibus literis deſcripto, ſetaceum renovavi, & aperui.

Cum vero ſolicitus eſſem, quomodo conſolidationem in poſterum impedire poſſem, ſequens inveni, & ipſemet concinnavi inſtrumentum, quo tanto cum fructu utitur, ut nihil ſupra. Conſolidationem enim ſetacei ex unâ ſaltem parte, videlicet ſpinam verſus, impedit, humores attrahit, & cutem magis magiſque corroborat.

Eſt autem ſtylus ex ligno hederæ arboreæ fabricatus, non rotundus, ſed latus, & nonnihil incurvatus, ut collo adaptari poſſit: longitudinis duorum pollicum. Superna autem pars quæ cutem reſpicit, quam dorſum appello, lata, & nonnihil rotunda eſſe debet: oppoſita verò ad inſtar cultri in acutum deſinit. Superna itaque pars, ſive dorſum, quia lata & ſemi-rotunda eſt, cutem illæſam conſervat, interna verò cùm ſit acuta, carnem paulatim ſcindit, & ulcus profundius efficit.

Adapto itaque inſtrumentum cum ſuo filo, ex utraque parte, ulceri loco funis ſericí infigendum, filumque ſub mento arctè, ne inſtrumentum ſuo loco amoveatur, ſtringendum eſt: Poterit ſemel in menſe novum inſtrumentum infigi: Ex lignô autem hederæ potiùs, quàm ex aliquô aliô lignô, fabricandum eſſe inſtrumentum hoc, arbitror. Habet enim lignum hoc ſpecialem aliquam facultatem attrahendi humores; Experior id quoque in meis fonticulis; quibus locô piſorum globulos, ex hôc lignô a tornariô concinnatos, impono. Commodiſſimi ſunt: Egregiè enim attrahunt, & non niſi ſemel in menſe eos mutare, & novos imponere, eſt neceſſe.

De fontanellis in cervice infantulorum, opinio Fabricii Hildani.

QUia pro ſetaceo pueris nonnunquam adhibetur fontanella in cervice, maximè circa primam & ſecundam vertebram, idque non ſine ipſorum damno & detrimento magno, placuit, peculiarem noſtram hac de re opinionem in medium adducere. Præſcribunt autem practici infantulis fontanellam hanc pro ſetaceo, quòd tolerabilem credant, & minus dolorificam. Ego contrà plurimùm commendo ſetaceum. Primùm quòd quum ſint pueri agiles & turbulenti, ſubinde excidit è vulnere piſum, ſive aliud quippiam vulneri inditum: quo ſublato ſtatim coaleſcit ulcus, ita ut difficilè poſſit apertum teneri uti decet: ideoque nullus eſt cauterii effectus. Quæ duo incommoda ut tollantur, neceſſe eſt arctiſſimo ligare vinculo caput, in coronæ figuram: neceſſe item ad continendum in ulcere globulum, duplicatum linteum imponere, ut formetur ulcus altius: Nam in ſumma cute parum purgabit. At ex hac ligatura ecce majus incommodum. Quum puerulis oſſa, imprimis verò cranium ſit tenerum & cartilaginoſum, id ligaturâ ſic comprimitur, ut nihilo magis poſſit in latitudinem creſcere, quam cucurbitæ, quas ſolent mulieres ad lagenarum uſum in medio ligare, dum creſcunt: in altitudinem verò totum excreſcit. Inde perit capiti (ut vidi in pluribus) ſua portio & rotunditas in longitudinem educta. Denique quod graviſſimum eſt, cranio ita monſtroſè educto in tranſverſum, cerebrum ejuſque ventriculi ſimul etiam arctantur & comprimuntur, unde, ſpiritibus non ſatis elaboratis & præparatis, debilitatur caput, & fit catarrhis obnoxius, & ſi adoleſcant, (quod rarum) ingenio ſunt tardiore, niſi maturè omiſsâ ligaturâ, dilatatum ſit cranium & nativæ formæ redditum. His ego rationibus ſtatuo, nihil juvari cauterio iſto pueros, imò contra moroſos effici. Compreſſo ſic cerebro, quæ pars corporis humidiſſima, coguntur excrementitii humores, qui inibi aſſiduò oriuntur, vi quadam erumpere, unde quum non detur tempus quærendo naturali meatui, modò in dentes, modò in ſtomachum, modò in pulmones, aliave loca incidunt. Quod quum citra dolorem nequeat fieri, eò redduntur pueri moroſiores, quòd defluxus in partes nervoſas incurrat.

Setacei noſtri dolor, cùm ex iis quæ ſuprà diximus, levis eſt, tum tolerabilior in loco extimo: nec non utilis ille ad attrahendos magis magiſque humores ſuperfluos à cerebro, ad colli emunctoria.

De raucedine, & ejus curatione per ſetaceum.
Viro Clariſſimo & Doctiſſimo
Dn. JACOBO HAGENBACHIO, Medicinæ & Chirurgiæ Doctori Excellentiſſimo, Amico meo ſingulari.

Guilhelmus Fabricius Hildanus.

GRaviſſimus, & veluti deploratus eſt affectus, de quo ſententiam meam intelligere cupis, Clariſſime atque

Doctiſſime mi Dn. D. Hagenbach, Amicorum optime. In conſiſtente tamen hacce ætate (ſcribis enim ægram triginta circiter annorum eſſe) non penitùs deſperandum eſt, ſed potiùs ea omnia, quæ ſecundùm rationem adhiberi poſſunt, porrò adhibenda ſunt. Quod & hactenus à Vobis Viris Clariſſimis, Dn. D. Chmielecio, Dn. D. à Brun, Tuaque Excellentia magna cum ſedulitate, ac indefeſſa diligentia, & quidem ex arte factum fuiſſe, ex eis, quas ad me ſcripſiſti, literis ita manifeſtum fit, ut quid Ego amplius in medium afferre poſſim, vix videam. Quia tamen vobis ita viſum fuit, frater Dn. ægræ reſponſum meum urget, dicam paucis quid ſentiam.

Scribis matronam 30. annorum, Hepate naturâ calido, Cerebro autem ſicco præditam, à ſeſquianno Catarrho ad fauces, aſperamque arteriam, imò & ad ipſum pulmonem, cum tuſſi, raucedine, & Vocis depravatione, obnoxiam fuiſſe; Glandulam quinetiam, ſive amygdalam dextram eroſam eſſe. Horum Symptomatum omnium cauſam, Calorem intenſum Hepatis eſſe, non dubito. Ex Hepate enim præter modum calido, continuò vapores ad Caput aſcendunt, ibidemque condenſantur, & ad partes inferiores, utpote ad fauces, aſperam Arteriam, pulmonem, & muſculos Laryngis defluunt; Et quia materia illa, propter Hepatis calorem, facta fuit acris, partes illas laxas ac teneras, uti ſunt fauces & Amygdalæ, facilè erodere potuit. Hepar itaque cum ſit fons & ſcaturigo Morbi, & pars mandans, Cerebrum verò recipiens, inprimis quoque Hepati occurrere atque proſpicere convenit, reliquis tamen Symptomatibus non neglectis. Suadeo itaque, ut corpus per intervalla clementer ac leniter expurgetur, idque Rhabarbaro, Syrupo roſato ſolutivo, de Cichorio cum Rhabarbaro, Mannâ, & ſimilibus, decocto pectorali, vel aqua Cichorii infuſis, & diſſolutis. Non exiguum quoque fructum percipiet ægra, ſi frequenter poſt Cœnam Syrupum de Papavere, aut aliquid Meconii, cum decocto pectorali, parumque aquæ Cichorii ſumpſerit. Hæc enim intemperiem Hepatis mirum in modum corrigunt, materiam ſubtilem incraſſant, ejuſque acrimoniam obtundunt. Decoctum autem pectorale pro potu ordinario (à vino enim ut penitùs abſtineat, neceſſe eſt) ex Scabioſa, Hordeo, Liquiritia, Polypodio, radicibus & floribus Tuſſilaginis, Betonica & Botryde, præpararem: proſpiciendum tamen, ne copia ingredientium modum excedat, ſaporemque injucundum efficiat. Ad majorem quoque abſterſionem, & mundificationem Ulcerum, circa amygdalas & fauces, nonnihil mellis deſpumati adderem. Fonticulum ad internam partem poplitis dextri feciſtis, & rectè quidem; Præſidiorum enim omnium, quibus intemperies Hepatis corrigi poteſt, præſtantiſſimum eſſe, aliquoties, imò etiam in deploratis affectibus, obſervavi; Suadeo itaque, ut ſecundus Fonticulus ad poplitem dextrum, videlicet externam partem, aut ſi malit, ad ſiniſtrum Crus efformetur. Brachio ſiniſtro Emiſſarium, ſive fonticulum, ſecundùm rationem à Vobis adhibitum fuiſſe, teſtor, ſed quia procul à Capite abeſt, & ex uno tantummodò latere Catarrhum evacuat, ipſum haud ſufficere poſſe, quis non videt? Cum itaque continuò Vapores ex calidiore Hepate ad caput aſcendunt, ſi nunquam per nares & fauces, ut ſcribis, expurgata fuit, ſi denique nunc ſine intermiſſione humor acris ad fauces, aſperam arteriam, muſculos Laryngis & pulmonem decumbit, & quidem in copia, neceſſe erit, & emiſſarium quoque, ad humores noxios evacuandos, magnum ſit atque ingens. Illud autem eſt Setaceum, quod niſi cervici adhibitum fuerit, reliqua remedia, quantumvis exquiſitiſſima & optima fuerint, inutilia tamen & inefficacia erunt omnia, tandemque catarrhus ille acris omnia devaſtabit. Similem caſum Argentinæ mihi videre contigit hunc in modum:

Anno 1611. Patricius quidam, non obſcuri nominis, Raucedine & eroſiore Amygdalarum, propter catarrhum ſalſum & acrem, laborans, Dn. D. Küeffer, & alii cuidam Medico ſeniori, cujus nomen nunc non occurrit, Medicis longè celeberrimis, ſe curandum commiſit. Ex his Dn. D. Küeffer ſuaſit, ut ad humores acres revellendos & evacuandos, Setaceum fieret. Hæc quum alter Medicus, cujus opinionem ſemper magni fecerat æger, acriter repugnaret, & altercatio inter ipſos orta eſſet, & per menſes aliquot perſeveraſſet, mirum in modum adauctus fuit morbus. Tandem mortuo ſeniore Medico, Dn. D. Küeffer iterum ægro applicationem Setacei proponit, cumque id ſine meo conſilio admittere nollet æger, Dn. D. Küeffer, ſic petente & efflagitante ægro, ad me venit Lauſannam, ubi cum omnia mihi expoſuiſſet, petiit ut ſecum Argentinam me conferrem, ubi prædictum ægrum, ex deplorata raucedine, cum ſumma labefactione Virium, feliciter reſtituimus, & ita quidem, ut anno 1617. ex Haſſia rediens, cum Argentinam perveniſſem, iterum multis honoribus me affecerit. Præcipuum autem præſidium, quo per DEUM, reſtitutus fuit, Setaceum cenſendum eſt: reliquis enim quum adhibebantur, jam antea quoque uſus fuerat, ſed ſine fructu. Exemplum hocce eum in finem ad te ſcribo, ut ægra ſciat, poſt Deum nihil præſtantius eſſe Setaceo, ad debellandum morbum ſuum. Tu itaque mi Dn. D. fac ipſi animum, & Setaceum ad tertiam Vertebram, vel inter tertiam & quartam applica, ſed vide, ut cutem, quantum fieri poteſt, in altum trahas, funemque profundè trajicias: ſic minùs moleſtum erit, ac longè efficacius. His vale, Vir clariſſime, & cum tuis omnibus æternùm quàm feliciter vive. Saluta quàm demiſsè meo nomine Clariſſimos Viros, Collegas tuos circa ægram, videlicet Dn. D. Chmielecium, & Dn. D. à Brun, & ut tecum omnia benignè interpretari velint, ipſos meo nomine quæſo obſecra. Raptim Bernæ, 14. Nov. Anno 1626.

SIDERATIO.

Vid.

GANGRÆNA.

SINUS.

Vid. de eô ſub titulô

ULCUS.

SPECULUM, *ſeu* SPECILLUM ORIS, ANI MATRICIS.

Vid. ſub titulô

INSTRUMENTA CHIRURGICA.

SPHACELUS.

Vid.

GANGRÆNA.

SPINA VENTOSA.

Vid. de eâ ſub titulo

OSSIUM MORBI.

STAPHYLOMA.

Vid.

OCULORUM VITIA.

STEATOMA.

Vid. ſub titulô

ATHEROMA.

SPLENIA & COMPRESSÆ.
Vid. de iis aliquid ſub titulo
INSTRUMENTA CHIRURGICA.

STRABISMUS.
Vid. ſub titulo
OCULORUM VITIA.

STRANGURIA.
Vid. ſub titulo
URINÆ VITIA.

STRUMA.
Vid.
SCROFULA. *Item etiam* BRONCOCELE.

SUBLIGACULA.
Vid. ſub titulo
HERNIA.

SUGGILLATIO.
Vid. ſub titulo
OCULORUM VITIA. *Item* CORNEÆ MORBI.

SUTURA.
De ea in genere, Vid. ſub titulo.
OPERATIONES CHIRURGICÆ.

SYNOVIA.
Vid. ſub titulo
JUNCTURARUM MORBI.

SYNTHESIS.
Vid. ſub titulo
OPERATIONES CHIRURGICÆ.

SYRINGOTOMUS & SYRINGOTOMIA.
Vid. ſub titulo
INSTRUMENTA CHIRURGICA.

JOH. JAC. MANGETI
BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ
LIBER DECIMUS SEPTIMUS
De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Literâ T. incipientibus.

TALPA & TESTUDO.

I. ALtum inter Veteres de Tumoribus hiſce fuit ſilentium, atque illorum ne ulla quidem ab Illis unquam facta eſt mentio; Hæc tamen nomina à Recentioribus excogitata ſunt.

Teſtudo, ut inquit Guido, eſt Abſceſſus magnus, humoralis, mollis, & latiori formâ in modum Teſtudinis, unde denominationẽ ſumpſit. Alii tamen definiunt Teſtudinem, quod ſit Tumor mollis, vel nõ valdè durus, ſatis autem magnus, in quo pinguis materia, tunicâ quâdam incluſa continetur, quę Calvariæ ita inhæret, ut ipſam plerumque vitiet. Talpa verò, ſive Topinaria Guidoni & Aliis dicitur Teſtudinis ſpecies, & inquiunt eſſe Teſtudinem ipſam in Capite ortam.

II. Igitur *Teſtudo* ſeu *Talpa*, ſive *Topinaria* dicta, eſt tumor in Capite, ortus ex impuris, viſcidis, glutinoſis, acri-ſalinis, nec non acido-acribus humoribus, è ſanguine ibidem depoſitis, atque intra Craniũ & Cutem corrumpentibus, Teſtudinis ſeu Talpæ formam referens vel terræ à Talpa egeſtę ſimilis. Sunt autem hujusmodi Tumores vel cum, vel ſine exulceratione, & cranii eroſione; atque ſubſiſtunt plerũq́ Craniũ inter & Cutem, aut nonnunquam inter binas Cranii tabulas in Diploë, hinc ad craſſam uſque Meningem totum Cranium non rarò eroditur.

III. Materia ergò Tumorem hunc faciens eſt Humor viſcidus, glutinoſus, acri-ſalinus, & acido-acris, exedens, Calvariam non rarò erodens, in eaque cariē excitans. Cauſæ verò Antecedentes ſunt dicti humores in corpore redundantes, qui in capitis partes depoſiti excedunt, & ad ſubjectam uſque membranam Carie frequenter Calvariam erodunt.

IV. Signa quibus dignoſcitur hic affectus ſunt, Tumor mollis & latus, Teſtudinis vel Talpæ ſimilitudinem referens.

V. Eſt autem periculoſus hic Tumor, ne Cranium erodat atque corrumpat. Qui tamen eſt abſque Cranii eroſione & corruptione faciliùs curatur, quàm qui Calvariæ corruptionem ſeu cariem jam induxit; Et ſi magna adſit Cranii corruptio, præſtat Patientem dimittere, atque curationem non aggredi: vel ſi ſuſcipere curationem coacti ſimus, curâ tãtùm palliativâ uti oportet.

VI. Sed quanquam Teſtudo ſeu Talpa nonnunquam ſit ſine Calvariæ eroſione & carie, aliquando cum cranii carie & corruptione; utriuſque tamen curandi ratio communia habet præcepta. Primum in univerſalibus conſiſtit, *hoc eſt*, in cauſæ antecedentis correctione, ac eductione legitimo rerum nonnaturalium uſu, Remediiſque uſurpatis generalibus, haud ſecus ac de Oedemate curando diximus.

VII. Secundum præceptum conſiſtit in materiæ intra Tumorem contentæ evacuatione, dein ulceris mundificatione, hinc partis affectæ conſolidatione. Id aſſequi debemus, vel reſolventibus, vel ſuppurantibus, vel Manuali Operatione.

VIII. Si ergo Tumor ſit ſine Calvariæ corruptione, aut ulcere, incidentibus & reſolventibus, Capite de Scyrrho proponendis, imprimis tentanda Curatio. At reſolvi ſi nequeat, Suppuratio promovenda impoſito hoc vel ſimili Cataplaſmate.

℞. Rad. Liliorum alborum rec. ℥iij. Cæparum ſub cineribus aſſatarum ℥ij. Fol. Malvæ, Altheæ, Flor. Meliloti an. M j. Caricarum pinguium num. 12. Coctis in aqua pura ad mollitiem, & in mortario minutim contuſis, adde Farinæ Fabarum ℥iij. Unguenti Baſiliconis ℥ij. Vitellos trium Ovorum M. F. S. A. Cataplaſma. Equidem perfecta Suppuratio expectanda non eſt, ſed eâ duntaxat incipiente, ne carie inficiatur cranium, profunda inciſione mox tumor aperiendus, ac porrò ex arte curandus.

IX. Atqui cum Cranii corruptione ſi fuerit Teſtudo, ſentit Guido palliativâ utendùm eſſe Curâ: Et ſanè ſi magna ſit Cranii corruptio, ſolo utendum Prognoſtico, Ægerque ita dimittendus, vel cura ſit tantùm fucata. Verùm parva ſi inveniatur Oſſis corruptio, curandus erit Affectus, ut Fractura cranii; ſc. factâ inciſione, Cranium Trepano perforandum, Oſque corruptum Modiolo tollendum; vel Scalpris radendum, deinde pars affecta detergenda, carne replenda, eademque tandem convenit curatio, quæ in Vulneribus Capitis cum cranii Fractura. *Johann. Munnicks in Chirurgia ad Praxin hodiernam adornata.*

TELA QUOMODO EXTRAHENDA.

Vid. ſub titulo

VULNERA. *Itē* INSTRUMENTA CHIRURGICA.

TENDINIS SUTURA.

De ea compendio hæc habet Clariſſ. Antonius Nuck, in ſuis Experimentis Chirurgicis.

De Sutura Tendinis.

Muſculi parte tendinoſâ, vel ſecante, vel pungente inſtrumentô reſectâ, non rarò contigit, poſt vulneris conſolidationem, illius muſculi actionem periiſſe, membrumque motu ſuo regulari deſtitutum fuiſſe. Quâ occaſione Chirurgiæ cultores in eo omnem locârunt operam, ut operatione quâdam ſutura Tendinis dictâ, præſciſſi Tendinis extremitates ita adducerent, ut curâ peractâ membri illius motus integer ſervaretur.

Operationem hanc inſtituendi methodus occurrit duplex. 1. *Filo* per extremitates præſciſſi Tendinis trajecto, eædem adducuntur, & ligantur. 2. Filum per ſupremam mediamque tendinis partem trajicitur, inferiori parte ſive tunicâ illæsâ manente: dein ligatura, ut ſuprà, ſed interpoſito corio injicitur; hacq; methodo Galli communiter utuntur.

Nos verò nec hanc, nec illam calculo noſtro probamus, ſed parte læsâ decenter locata duobus in locis unamquamque Tendinis extremitatem perforamus, Filumque ſericum cerâ obductum trajicimus; hinc interpoſitâ *Suberis* aut *Corii* particula extremitatum adductio, filorumque adſtrictio certior redditur, neque enim Tendinis extremitates adeò facilè, ac in prima & ſecunda methodo lacerantur.

Si Tendo ex parte fuerit reſectus remanente aliqua portione integra; eum reſecare & Operationem inſtituere præſtabit. Si verò major pars integra, reſecanda illa non erit.

Operatione peractâ, pulvis *Terebinthinæ coctæ* Suturæ inſpergitur, vulneriſque Deligatio, Digeſtivo vulgari ſeu *Balſamo Arcæi*, inſtituitur.

Curandum interea partem affectam, dum cura peragitur, ita diſponi, ut nec moveatur, nec extendatur nimium; Abſolutâ curâ, membrum contractum quidem quodam modo apparebit, ſenſim nihilominus progreſſu temporis extendetur, extenſumque naturalem uſum recuperabit. Hac itaque methodo diſtinctè ſervatâ, felicem ſucceſſum ſperare licebit, uti non ſimplici conſtat experientiâ.

In nimia tamen extremitatum reſecti Tendinis retractione, Operatio hæc nullatenus locum habet.

THERMINTHUS.

Vid.

EPINYCTIS.

TINEA.

Vid.

PILORUM MORBI.

TON.

Est morbus peregrinus ſuper quo adducemus tantùm quod habet Clariſſ. Otho Heurnius in Obſervationibus quas Praxi Fernelianæ adjecit. Non omiſſis prætereà aliquibus in eodem argumento explicationibus, quas habet Dominus de Rochefort in ſua hiſtoria naturali ac morali Inſularum Antillarum & alii.

HISTORIA

Sive

Obſervatio de Incognito regionibus Europæ morbo Braſiliæ endemio, qui digitos pedum atroci gangræna corrumpit, quem indigenæ appellant Ton.

Thomas van der Guychten Gandavenſis Flander, annorum 36. militaverat in Braſilia per menſes 21. Ubi primò (menſes quatuor ante reditum ſuum in Hollandiam) febre malignâ correptus, ab ea liberatus fuerat materiæ diadoſi, ſive tranſlatione in digitum annularem manus dextræ, qui intra dies ſex gangrænâ & ſphacelo inde planè corruptus fuit, adeò ut extirpandus eſſet. Etenim in digitum eum magna eſt opportunitas decubitus materiæ à corde & arteriis, pro arteria quæ ei digito ex axillari implantatur. Obſervatum primò hoc fuit ab Ægyptiis, ideòque Græci & Romani in hoc digito annulos geſtabant; ſed in manu ſiniſtra, quoniam cùm ea minus dextra actionibus inſerviat, ibi etiam annuli minus incommodant.

Commemorat hoc Aulus Gellius *lib.* 10. *cap.* 10. *Cauſam eſſe cur in digito manus ſiniſtræ qui minimo proximus eſt, Græci & Romani annulos uſitaverint, Appion in libris Ægyptiacis dicit, quod inſectis apertiſque humanis corporibus (ut mos in Ægypto fuit) repertum eſt nervum quendam tenuiſſimum ab eo digito ad cor hominis pervenire. Propterea non incitum viſum eſſe eum potiſſimum digitum tali honore decorandum, qui continens & quaſi connexus eſſe cum principio*

cipio cordis videretur. Hollandi ideò nominant *de Hart-vinger*, hoc eſt digitum cardiacum, & eum in lipothymiis ad calorem ruboremque fricare conſuevere, quo fiat humorum ſpirituumque à corde revulſio. Ægyptii autem, ſicuti & ex eorum doctrina Ariſtoteles, Cor nervorum originem conſtituebant, verùm errat Gellius in nomine vaſis, nam pro nervo arteriam ſcribere debuiſſet. Cùm autem hic ex hoc affectu emerſiſſet, infirmior & febriculoſus permanebat: ac tunc alius tetricus dolorificus, Braſiliæ endemius morbus, ipſum invaſit. Sunt ibi exilia animalcula, per arenam divagantia, coloris fuſci, inſtar pulicum, quæ Ton ab indigenis appellantur: incedunt & ſaltant ut pulices, ſed ſępe Atomi, aut Arenulæ tantùm magnitudine. Hęc ſe circa unguem pollicis utriusque pedis illatebtraverant, in cute deliteſcentia. Acerbo dolore urebant, & in ipſa etiam oſſa penetrantia ea corrumpebant: adeò ut pollicis dextri duæ priores phalangæ extirpandę fuerint: ſiniſtri autem pollicis os ſecundæ phalangis, cùm etiam ab eadem pravitate gangræna corruptum eſſet, totum exciſum erat. Commemorabat ægrotus ea animalcula præcipuè unguium circuitus, in pedibus interdum & manibus, & aliquando etiam digitorum interſtitia, aliaſque molliores corporis partes invadere, ibique deliteſcere. Et cùm in cutem irrepunt, ea interdum primo biduo non ſentiri, ſed quod poſtea excitent ingentem & intolerabilem pruritum, ex cujus acriore fricatione livida macula proveniat: quam ſtatim tumor capitis aciculæ magnitudine comitatur. Ipſum autem illud inſectorum Ton, in centro ejus tumoris recubat ſicuti pupilla in oculo: & circa ejus peripheriam inſtar vermis ſe protendit, magno doloris cruciamento, pedetentim eum ad piſi magnitudinem augens. Inſequitur gangræna, ſi congrua medela non ſuccurratur: nam ſi nullum remedium adhibeatur, contabeſcit in ſe is tumor in gangrænam, quia verniformis ea circumferentia plurimis Ton eſt fœta, quæ maleficè putreſcunt & necroſin parti inferunt. Sin ejus extractio tentetur, & in media operatione diſtringatur, plurima inde Ton germinant, quæ diffuſa in partes vicinas eas gangrænâ deſtruunt. Aut ſi ea nondum animata ſint, diffractus is vermiculus omnia eadem malefica excitat ſymptomata quæ Dracunculis laceratis ſupervenire ſolent, unde liquet, pravitatis venenatæ ea animalcula eſſe. Ideò indigenæ Braſilienſes, & advenæ Nigritæ, qui eo ex Africa ad ſaccharacea opificia advehuntur, illicò cum feros eos hoſpites percipiunt, priuſquam tumorem eum vermiformem procreent, acu ſenſim èruunt, ſucceditque ut plurimum genti induſtriæ & perſpicaci felici eventu, licet ſine doloris acerbitate non peragatur. Noſtris autem ea encheireſeos dexteritas deeſt. Minùs infeſtant Braſilienſes ob cutis duritiem, quàm Nigritas: ſed Europęos facillimè invadunt ob cutis carniſque teneritudinem. Divagantur autem ea animalcula in Braſilia, præcipuè iis locis per arenam quibus arundo ſaccharifera provenit. Ideoque cum ob aëris fervidum æſtum nudis pedibus, aut non bene tectis ibi inceditur, dum iter faciunt laſſis & ſudantibus, ideoq; incautis, Ton inſidioſè inſiliunt, & ſine ullo dolore cuti ſe illatebrant. Meminit hujus morbi pater meus Johannes Heurnius Epiſtola de morbis novis & mirandis ad D. Henricũ à Bra. Qui Americam adeunt ibi familiare obſervarunt malum Ton indigenis appellatum, quod pediculi animalculi idæa digitos pedum exedit, ſub unguibus ſe inſinuans, omnia in gangręnam convertens. Appropriatum eſt remedium inquilinum oleum rubrum, quod ibi ex fracta Couroq provenit. Enarrat rem uberiùs Lerius *cap.* 11. Hiſtoriæ Braſilianæ, Barbaros infeſtat exiguum inſecti genus quod Ton nuncupant, in pulvere naſcitur pulicis idæa, ſed cùm ſub pedum aut manuum unguibus ſe inſinuavit, prurigo ſtatim oritur acris, & niſi protinus evellatur brevi temporis ſpatio ad piſi magnitudinem excreſcit, extrahique niſi magno cruciamento nequit. Non tantùm autem Barbari, qui toti incedunt nudi, ſed & nos quoque etiãſi bene veſtiti hoc inſecto infeſtabamur. Ego licet diligentiſſimè mihi ab illis caverem, ita tamen fui infeſtatus, ut uno die ultra viginti ex variis corporis mei locis ſint evulſi. Vidi & quoſdam minùs cautè degentes, quibus non tantùm manus & pedes infeſtabantur, ſed axillæ, aliæque molliores partes tumoribus puſtuliſque eorum inſectorum erant oppletæ. Credo idem hoc eſſe animalculum quod ſcriptor Hiſtoriæ Indiæ Occidentalis, *lib.* 1. *cap.* 30. appellat Ni Gua, quod etiam Hiſpaniolam inſulam infeſtat, inquiens; Ni Gua pulicis ſalientis formam refert, pulvere delectatur, pedes tantùm invadit cuti ſe inſinuans, & illicò incredibilem lendium copiam progignit, quæ etiam mox alias fœtant. Niſi maturè ſuccurratur, tantùm ferro & igni domantur & educuntur. Tempeſtivè ſi extrahantur, parvo dolore curantur. Vidimus Hiſpanos quoſdam adeò iis fuiſſe afflictos; ut pedum manuumque officio privati fuerint. Braſilienſes partes affectas inungunt oleo quodam ſpiſſo, rubro, expreſſo ex fructibus quos appellant Couroq, quod certò malum domat & curat, & nos Galli etiam hoc remedio, proſpero ſucceſſu, utebamur. Prævalet hoc oleum ad vulnera, aliaque corporis humani incommoda ſananda, eſtque apud Barbaros in maximo pretio. Chirurgus noſter in Galliam rediens, duodecim magna vaſa ejus olei, totidemque pinguedinis humanæ, quam Barbari collegerant, cum ſuos captivos aſſarent, ſecum avexit. Cæterum ægrotus hic noſter Thomas van der Guychten, cum digitus ipſi abſciſſus eſſet, paulò poſt acerbo hoc affectu correptus fuit. Chirurgi tentaverant Ton evulſionem; ſed malè adminiſtraverant, multa eorum diffringentes; & ingenti doloris cruce ægrotum torquentes. Ita miſerè affectus ſolverat ex Braſilia anno 1636. in Martio, & eodem anno menſe Majo in Zelandiam appulit. Venit ſub noſtram curam anno 1636. Decembr. 30. cum jam ferè deſæviiſſet gangrænę violentia, & abſterſione, mundificatione, incarnatione ac cicatriſatione, recorporatio ęc congrua conſolidatio eſſet procuranda. Itaque primò corpus à cacochymia vindicavimus hac purgatione,

℞. Folior. Sennæ Orientalium à ſtipitibus mundatorum ʒiij. Rhabarbari in taleolas conciſi ʒiiß. Agarici trochiſcati ʒß. Sem. aniſi contuſorum ℈j. Cinnamomi ℈ß. 22. g. v. infundantur per noctem calidè in aquæ fœniculi & cichorei an. q. ſ. mane colaturæ mediocriter expreſſæ ℥iiiß. adde electuarii diacatholici ʒß. Syrupi roſati laxativi ℥iß. M. F. Potio. Sumat Decembris 31. Primo diluculo. Parti affectæ cum ſtuppa cannabina applicari juſſimus decoctum ſcordii, rutę, abſinthii, cardui benedicti, roſarum rubrarum in aqua communi & vino confectum. Ita à reſidua gangrænæ violentia, parte vindicata, mundificatio porro facta fuit melle roſato, & poſtea ad mundificationem conſummandam, gangrænam prorſus domandam, roburque nervoſę parti reſtituendum, adhibitum eſt oleum hyperici admiſtis paucis guttis Balſami Peruviani, quod ſumpſimus loco olei Couroq utpotè remedium Americæ inquilinum, & colore oleo Couroq, ferè ſimile. Anno autem 1637. Januarii 10. & 12. tertianæ nothæ paroxyſmum expertus eſt, qui multo ſudore finiebatur. Alvus ſatis liquida erat: itaque ad obſtructiones reſerandas, & intemperiem humorum, viſcerumque eos generantium, corrigendam, hoc apozema 13. Januarii præſcriptum eſt,

℞. Rad. graminis, ruſci, fœniculi an. ℥ß. Rad. cichorei, dentis leonis an. ℥iß. liquiritiæ raſæ ʒiiß. florum cordialium an. p. i. paſſul. mund. ℥ij. Tartari vini albi ℥j. F. decoctio in aqua hordei, & detineatur in calida infuſione tota nocte: mane leni facta ebulli-

tione, admiſce colaturæ fortiter expreſſæ ℔iß. Syrupi de acredine citri ℥iß. Syrupi byſantini ℥j. Succi citreorum ℥j. Miſce pro Apozemate. Sumat bis de die ℥iv. Januarii 15. optime curatio procedebat, ferè omnis putredo evanuerat, particula duntaxat tendinis ſeparanda & tollenda reſtabat, reliquum in parte à putredine prorſus mundum erat, optimi pepaſmipus proferens. Pollici pedis ſiniſtri in parte carnoſa & ſupera (nam ea tantum affecta erat) tunc eſt applicatum unguentum aureum, deſuper tenuiter impoſito cum ſtuppa cannabina melle roſato. Sed tendinis reſiduę parti gangrænoſæ adhibitum eſt oleum hyperici cum paucis guttis Balſami Peruviani, uti antea factum erat. Januarii 16. non fuerat denuo febrilem paroxyſmum expertus, urina erat bene colorata, ſed cum amurcoſa hypoſtaſi alvus adſtricta, datum eſt hoc purgans pharmacum.

♃. Agarici trochiſcati ʒj. Rhabarbari in taleolas conſciſſi ʒ i ß. 22. Cinnamomi an. ℈ß. fol. ſenę Oriental. à ſtipitibus mundatorum ℥ ß. Sem. aniſi contuſorum ʒ ß. Macerentur calidè tota nocte in decocto fructuum & florum cordialium, mane in colaturæ ℥ ii ß. Diſſolve ſyrupi roſati lax. ℥ i ß. Diaphænici ʒiij. Pro hauſtu, cras mane aſſumendo. Bene officium præſtitit. Cum ita tenuior febrilis materia ſudore & halitu, craſſior autem hac purgatione evacuata eſſet, major ſanitatis fiducia allucebat. Januarii 23. tendinis reſidua portiuncula putrida planè ſeparata erat, & quod in ejus loco ſordidi ſupererat, eodem Balſamo Hyperici, & Balſamo Peruviano percuratum fuit: reliqua in parte ad perfectam mundificationem & incarnationem procedebant uſu unguenti aurei, & deſuper toti parti applicabatur emplaſtrum diapalma oleo roſaceo malaxatum. In dextri autem pollicis tertię phalangis apice externo ſquamula ſphacelo affecta reſtabat, ad cujus ſeparationem adhibuimus hunc pulverem exſiccantem. Etenim ejus quod corruptum in oſſe eſt curatio, ſola ablatio eſt: ſeparatur autem iis quę potenter deſicando omnem ejus humiditatem excrementitiam cariei authorem, & alimentariam exhauriunt & conſumunt: nam ita permanet exangue, & nutritione vitaque deſtituitur. Ideoque privatum eo glutino quo ſanis partibus adhærebat, & cum iis vitæ communionem habebat, abſcedit & ſeparatur, ſicuti folia arborum decidunt conſumpto & arefacto eo humoris viſcoſo coagulo quo ramis cohærebant.

♃. Aloës, cretæ combuſtæ, pompholygos an. ʒij. Rad. ireos florentinæ, ariſtolochiæ rotundę, myrrhæ, ceruſæ an. ʒj. concharum oſtreorum combuſtarum ʒß. F. Pulvis ſubtilis. Januarii 27. omnia ex voto proſperrimè procedebant, cicatriſantia ſiniſtro pollici adhibebantur, unguentum de minio cum ſtuppa cannabina, & deſuper ex unguento diapompholygos emplaſtrum: Sed tendinis loco eadem quæ antea adhuc applicabantur. Februarii 3. laminula carioſa ſeparata & extracta erat, ſed nova ex corpore affluxio ſiniſtrum pollicem infeſtabat, alvus adſtricta erat, ad cujus averſionem hoc apozema præſcriptum eſt, deobſtruens, alterans, purgans,

♃. Rad. cichorei, dentis leonis an. ℥ i ß. liquiritiæ raſæ ʒ i ß. flor. cordial. an. p. j. Tartari vini albi ℥j. Tamarindorum ℥ ij. Pruna nucleis confractis num. xv. fol. ſenæ Orient. à ſtipitibus mundat. ℥ ij. Sem. aniſi contuſ. ʒij. ebulliant in aq. hordei; & detineantur in calida infuſione tota nocte, mane facta leni ebullitione colentur pro Apozemate ad ℔ i ß. Sumat quotidie mane ℥v. ita porrò ad ſanitatis conſummationem procedebatur. Encheireſin adminiſtrabat vir doctus Mr. Johannes Camphuſius Chirurgus ordinarius Reipubl. Leydenſ. hiſtoriam concinnavit & conſcripſit anno 1637. Febr. 6. *Otho Heurnius.*

Eadem illa animalia, morbo deſcripto inducendo nata, à Domino de Rochefort in ſuâ hiſtoriâ naturali ac morali inſularum Antillarum, *Chiques* vocantur; habetque etiam ipſe ſub ungues digitorum pedum illa ſeſe inſinuare, indeque, ni in tempore extrahantur, alias omnes corporis partes pervadere; ſub initio pruritum minùs moleſtum procreare; poſtquam verò cutem integram perforarunt, inflammationem parere; exinde etiam ita creſcere ut à magnitudine vix oculis perceptibili, brevi veſiculæ piſum æquanti replendæ, paria evadant. Optimum eſſe pro arcendis hiſce animalculis cubiculo ſæpius aquam ſalſam inſpergere, pedibus nudis nunquam incedere, tibialia è pelle confecta induere, munditiemque exquiſitam obſervare. In ipsô autem morbô, pro conſumenda putredine, viridi æris, aquâ forti, oleô vitrioli, ac alumine uſto uti; ut & etiam ſuccô citri minoris intenſe acidô. Unguentum præterea conficit è melle, aceto acriori ac viridi æris; ſubjicitque tandem, quòd ſi pruritus in tibiis aliiſque corporis partibus enaſcatur, ei minimè providendum veniat per unguium ſcalptum, at verò per emplaſtrum aliquod anodynum ac refrigerans; talique deficiente emplaſtrô, per impoſita tabaci folia, ſuccôque citri præmemoratô. Hæc ille.

E ſupra allatis ſatis apparet non multum abludere hunc morbum, ab aliò quem ſupra ſub Dracunculorum nomine, quemque ſub Venę Medinenſis titulò explicat Celeberrimus Welſchius. Utrobique enim vermes illum pariunt, iique oblongi, teretes, ac tenues; ſed in hoc differunt invicem, quòd Dracunculi ſint aliis multò longiores, & exinde craſſiores, quodque non ſub unguibus, ſed in ipſo muſculorum mediô lateant, imò quandoque tendinibus illigentur ac circumvolvantur, quæ cauſa eſt quòd, ni integri evellantur, ſui retractione, quaſi convulſivâ, partes quibus circumducuntur, dolorificè, ſæpiuſque etiam maximô cum periculô, conſtringanr. De illis, præter præmemoratum ſuô locô Clariſſimum Welſchium, hiſtoricè ſcribit Nobiliſſimus juxta atque accuratiſſimus Peregrinator Dominus de Thevenot Itinerarii ſui in Orientales mundi plagas peracti, parte 3.

TONSILLARUM CHIRURGIA.

De Hâc Chirurgiâ ſic ſcribit Clariſ. Hieronymus Fabricius ab Aquapendente.

TOnſillę à Celſo appellantur glandulæ, quæ initio faucium mutuò opponuntur; ideoque à Græcis ἀντιάδες dictæ ſunt, quaſi inter ſe contrarias dixeris, in quarum medio columella eſt; quamvis columella potius in fine palati, tonſillæ verò in principio faucium à lateribus hinc inde ſint. Proponitur tum à Celſo, tum à Paulo Chirurgia, ubi ex inflammatione obduruere, & deglutitioni, reſpirationique negotium faceſſunt. Ego qui nequaquam ex levi cauſa extrahendas eſſe duco; quod Chirurgiam difficillimam, ne dixerim periculoſiſſimam exiſtimem; tum propter earum exciſionem, ex loci anguſtia, & longitudine arduam; tum propter ſanguinis profuſionem, glandulis fere conjunctam, & familiarem; cum ad vaſorum diviſiones, veluti cunei incumbant; quàm formidat etiam Paulus infra; omitto inflammationem, quæ in faucibus periculoſiſſima eſt, & cum iis glandulis conjungitur, abſtinendum à Chirurgia ex Paulo cenſeo, quibus de cauſis fit, ut multi perpetuò hujuſmodi glandulas tum tumidas, tum etiam pertuſas geſtent, ita ut neque patientes, neque Medici Chirurgiam hanc adminiſtrent: quo magis admiror Auctores, qui rem hanc valde facilem proponunt, ita ut ſolis digitis ipſam auferri poſſe exiſtiment; unde Celſus dixit, oportere digito circumradere, & evellere; ſi ne ſic quidem reſolvuntur, hamulo excipere, & ſcalpello excidere; quod etiam quam difficillimum eſſe, unuſquiſque videt. Quanquam dicat Paulus, manum eſſe admovendam glandulis, præſertim albis, contractis, & anguſta baſi firmatis; ſed ſi putrefactæ interdum glandulæ ſint, hamulis apprehenſæ, extrahendæ ſunt; idque non difficulter

culter evenit, ſi undique paulò minus ſeparatæ, aut parum appenſę ſint. Ad quod opus pręſtandum, Paulus primò jubet, ut miniſter ſpatha, ad comprimendam linguam facta, & Gloſſocatocon appellata, linguam deprimat; poſtea Chirurgus hamulo acuto per tonſillam tracto, ipſam, quantum licet, ad ſe trahat, ita tamen ut membranæ non evellantur; poſtea monet Paulus, ut totam tonſillam ex baſi amputemus ſcalpro, nos potius dicamus, ſcalpello, quia infra, non ſcalprum, ſed ſcalpellum nominat, ſcalpello igitur amputabimus, ad ligandum apto, quod Græci ἀγκυλότομον nuncupant; & deſcribens quid ſit ἀγκυλότομος, ait, eſſe duo inſtrumenta adverſas acies inflexas habentia; etenim ἀγκυλότομος, eſt vox deducta ab ἄγχω, quod ſignificat laqueo ſtringo, & τόμος, quod ſignificat inciſionem, quaſi ſit inſtrumentum, quod ſtringendo, ut laqueus, etiam incidit. Succiſa igitur tonſilla ex una parte, alia quoque, ex altera incidenda eſt; poſt monet Paulus, eſſe aqua frigida, aut poſca gargariſandum; & metu profuſionis ſanguinis, nunc diluto rubi, & roſarum rubearum, ac myrti utendum; nunc plantaginis, ſymphyti ſucco, aut paſtillo ex electro, præter alia pleraque, à Paulo propoſita, & pręſcripta.

Ex quibus licet colligere, quod à principio dicebamus, neque facilem, neque omnino tutam hanc Chirurgiam eſſe: ideoque nos, qui omnem in hoc opere vitandam eſſe violentiam volumus, tentavimus primò vecte, ipſam à ſubjectis partibus deducere, & reſolvere; & ubi reſoluta eſt, volſella tenuiſſima, ac longiſſima apprehenſam, ita foras trahere, ut dexterè trahentem quaſi ſua ſponte tonſilla ſequatur.

Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, jam ſequatur Clariſſ. Joh. Van-Horne, qui in Microtechne hæc habet.

Sæpiſſimè apud me ſum miratus audaciam veterum medicorum, qui *tonſillas* poſt inflammationem induratas, immiſſo hamulo excipiebant, & ſcalpello excidebant, ut Celſus teſtatur *l.* 7. *cap.* 12. Sic enim apud me cogitabam, non eſſe tutum, exciſionem moliri harum particularum, quæ magnæ ſunt in corpore neceſſitatis; & undique nervis, & ramulis arteriæ carotidis, intertextæ. Quodque magis eſt, video Aquapendentem una mecum in eodem luto verſari. Sed glaucoma hoc diſpulit M. A. Severinus *pyrotech. chir. l.* 2. *cap.* 64. *qui ſic ſcribit*; tonſillæ ſępè ſolent excreſcere turpibus eminentiis ex viſcoſo lentoque humore procreatis ſive vi Gallici morbi, ſive rheumatis cujuſpiam. Exemplo ſint mariſcæ. Hunc caſum, quamvis hactenus non viderim, in gratiam juniorum adnotare placuit. Depreſſa lingua hamulo prehenſæ, per ἀγκυλότομον ſeu *ſcalprum recurvum* elevandę, nonnunquam ferramento candente inurendæ ſunt.

Abſceſſus tonſillarum quod ſpectat; illi poſſunt aperiri modò ordinariô, vel per inſtrumentum in *Ephemerid. Germanic.* Centur. 3. & 4. *depictum.*

TOPHUS.

Vid.

OSSIUM MORBI.

TRACOMA.

Vid.

PALPEBRARUM AFFECTUS *in Oculorum Vitiis.*

TREPANATIO & TREPANUM.

Vid. ſub titulô

CRANII FRACTURÆ.

De Inſtrumentis autem ad hanc Operationem facientibus, *vid. ſub titulô.*

INSTRUMENTA CHIRURGICA.

TRICHIASIS.

Vel eſt Ciliorum affectus, de quô in OCULORUM MORBIS;

Vel eſt morbus ille qui Mictio Pilaris dicitur, de quô in URINARUM AFFECTIBUS.

TUMOR.

Tumorum omnium, tum in genere, tum in ſpecie, accuratiſſimam deſcriptionem tradit Galenus, librô de iis ſingulari. Verùm illic nihil de praxi in ipſis curandis adhibendâ propriè reperitur; ſed aliunde ex ejuſdem Operibus partim colligenda venit. Huncce itaque Tractatum prętereuntes, ad Recentiores accedemus: Interque eos ſeligemus primò Præclariſſimum Gunthenum Chriſtophorum Schelhammerum, qui in hôc argumentô perquàm diligenter ſcripſit; cujuſque Tractatum integrum jam producimus. Sit itaque,

GVNTH. CHRISTOPH. SCHELHAMMERI

De

HUMANI CORPORIS TUMORIBVS.

Sectio Prior.

De Iiſdem in univerſum.

I. Tumor quid ſit, ſenſibus facilius quam quavis deſcriptione cognoſcitur: totus enim oculis patet. *Hippocrati* & antiquioribus Gręcis οἴδημα, alias etiam φῦμα, ut *Fallopius* docet, *Arabibus* Bothor, id eſt, Apoſtema, teſte eodem vocatum eſt: cum tamen & φῦμα & Ἀπόςημα certo cuidam tumorum generi denotando alias inſerviant, imo & Bothor, ſi Tagaultium audias. Marcus Aurelius Severinus, ſummus vir, & Chirurgorum noſtri ſeculi Aquila, Abſceſſus vocabulo uſus eſt, dum eruditiſſimo ſuo libro titulum fecit: *De recondita abſceſſuum natura*: cum in illo de omnis generis tumoribus agat. Etſi vero hujus, ut omnium illorum, quæ incurrunt in ſenſus, definitiones tradere, & difficile, & vix ſit operę pretium, tamen, ne à recepta conſuetudine recedere videar, aut aliorum diligentiam ſilentio meo tacite damnare, explorata prius illorum natura, eandem idoneis limitibus circumſcribere, poſtea tentabimus: Interim rudius deſcribi tumor poteſt, quod ſit, *quando pars aliqua corporis, vel etiam totum, in molem præter naturæ conſuetudinem attollitur.*

II. Non enim omnis illico tumor in corpore morbus eſt, aut medicam poſtulat manum, ſed is demum, qui pręter naturæ accidit leges, adeoque vel moleſtiam nobis creat, vel prorſus impedit operationes partium. Quapropter nonnulli *triplex* recenſent *genus*: *Naturalium*, ut humeri, capitis, mammarum, ventris, articulorum prominentias; *Præternaturalium*, de quibus hic agetur; & inter hos *mediorum*, quales ſunt venter mulieris gravidę, mammillæ ob generationem lactis, vel etiam aliàs magis quam pro natura turgidulæ. Qui tametſi ultra conſuetum terminum exſurgentes, protuberent, nemo tamen eos pręternaturales dixerit, cum maxime ſecundum naturæ ordinem contingant. Conſuli hic meretur Galenus.

III. Nec omnia, quæcunque in corpore altius exſurgunt, aut prominent, ad tumores referenda, ſed ea demum, quæ non excedunt partis circumſcriptionem. Nam quæ extra eam porriguntur, rectius excreſcentias appella-

appellaveris: ut Exoſtoſes, ſarcomata, polypos, fungos, cornua. Hæc adeo à multis morbis in numero adſcribuntur: perperam vero. Cujus enim nihil eſt ſimile in corpore ſecundum naturam conſtituto, illius non poteſt in numero exceſſus eſſe, ſed totum abundat, ipſaque ſubſtantia peccatum eſt: neque ad partes reſpicere licet, talia enim partes vocari vel haberi nullo jure queunt. Verum hæc ad nos nihil nunc attinent: id tantum volebam, non eſſe excreſcentias tales cum tumoribus confundendas: neque enim ex iisdem cauſis oriuntur, neque, ut iſtorum multi, diſcuti ac diſſipari volunt, ſed exſcindi, atque excedi, & hinc peculiarem ſibi locum merito poſtulant.

IV. De his autem qui vere & ἀκριβῶς tumores dicuntur, quædam in univerſum notanda ſunt, quædam in ſingulis eorum generibus ſpectanda. Et in univerſum quidem, quibus contingat, & qua parte, & quotuplici modo, & ex quibus cauſis, & quid ſit quod cutim extollit, quæve materia ſubſit; quid denique de iis ſperandum, & quomodo vel inhiberi eorum incrementum poſſit, vel exſtirpari, aut disjici quod intus eſt, quo ad priſtinam reducatur figuram, modumque, determinandum eſt. Itaque de his ſingulis primo loco dicemus.

V. Sunt itaque tumoribus præ primis obnoxia impura corpora, utpote quæ omnis generis materia prava abundant. Hinc *Marcus Aurelius Severinus*, modo laudatus, *Una eſt cachexia*, inquit, *quæ veluti fons uber, ſolet plerumque materiam ſubminiſtrare crebrorum abſceſſuum.* Deinde illi, qui violenti quid patiuntur, aut aliquando paſſi ſunt: Ut quidem omnis contuſio, ictus, vulnus, luxatio, fractura; quin & preſſio fortis, illico tumorem habet pediſequum: quoniam his vel conquaſſantur, vel diſtorquentur, vel corrumpuntur plane, ac ſubſident tubuli, per quos latex vitalis tranſitum habet, ut cogatur ſubſiſtere. Quæ cauſa eſt etiam, cur veteres quoque, & olim factæ læſiones quotannis memoriam ſui iteratis doloribus ac moleſtiis renovant, vel etiam defluxiones ac tumores criticos aut ſponte ortos, haut infrequentes in ſe recipiunt ac ſuſtinent. An & addendus his eſt ex *Severino* tradux à parentibus Character? Ni forte ad pravitatem humorum in univerſum hoc referas, non aſſentior, ſed ſi quid tale obſervetur, caſu potius quam à tali charactere provenire arbitror. Uti quidem ne unum exemplum, quibus alias non deſtituitur, graviſſimus autor adducit. Sufficit itaque quod ante expoſitum eſt: nunc quibus partibus competant tumores, conſiderandum.

VI. Alii eorum univerſales reputantur, totum corpus occupantes, quales fere ſunt, qui à nimium turgente craſſoque & extra vaſa ſua aberrante ſero eveniunt, *Leucophlegmatia*, *cachexia*, & ex parte etiam *hydrops*; alii particulares: Qui rurſum vel integram partem organicam affligunt, ut *caput*, *ventrem*, *pedes*, *manus*; vel non compoſitis, verum ſimplicibus partibus ſingulis, quas ſimilares vocant Philoſophi, familiares ſunt: vel denique non partes ipſas obſident, verum his medii ſub cute, vel inter muſculos ſeorſim latent.

VII. De modis quibus tumores fiant, dici non poteſt prius, quam de cauſis eorum certius conſtet. Ut autem in tumorem aſſurgat corporis quæcunque pars, materia opus eſt, quæ eam extollit, & proximæ cauſæ meretur nomen. Hanc plerique vulgo quadruplicem, ad quatuor humores corporis reſpicientes, conſtituunt. Verum hæc doctrina ad Galenicas potius hypotheſes quam naturę normam vel uſum videtur efficta, quod mox clarius exponemus. Nunc verius ita ſtatui poſſe arbitramur. Subeſſe nonnunquam tumoribus flatum, ut in tympanitide, Bronchoceles aliquo genere, & Hernia ventoſa, hauſto etiam veneno, ubi totum corpus intumeſcit: Quales tumores, ſi occupent exiguum ſpatium, ἐμφυσήματα appellantur. Exemplum notabile Severinus recenſet loco citato. Alias, & quidem frequentiſſime, ex humore ſubtus fermentante, aut ſtagnante tumor eſt, ſive is ſanguis ſit, ut in Aneuriſmate, inflammatione, Apoſtemate, ſive ſerum, ut in glandularum quarundam intumeſcentia, & in œdematoſis; (Nam quia pituita eſt ſerum coagulatum, hoc autem coagulatum non eſt, pituitoſum dicere hunc non poſſum) ſeu denique ex hiſce ac aliis combinatis varieve alteratis ac ſubactis novus & toto genere præter naturam tumor exſurgit, ut in meliceride, aliiſque id genus plurimis. Poſtremo ex ſolido etiam tument partes, vel in corpus admiſſo, ut telo, globo plumbeo, & aliis infinitis; vel intus ſuccreto, ut in ſteatomate & ſcirrho partium, aut fungoſa carne; quin etiam elapſis ex corpore ipſis partibus, ut in herniis accidit, formatur.

VIII. Quibus cognitis accuratiorem forte tumorum, ſi quis eam deſideret, definitionem hanc licebit dare: *Morbus in conformatione, quo totum corpus, aut aliqua ejus pars, aut pars partis à contento ſubtus humore, vel ſolido, vel ſpiritu, in majorem quam pro naturali habitu, molem attollitur.*

IX. Nunc, quomodo hæc colligantur in partibus, & ſingula iſta tumorum genera producantur, porro dicendum eſt. Ut autem flatulenti tumores rari ſunt, ita & pauca de iis poſſunt vel debent commemorari. Flatum nempe fieri, ex verſa in tenuem halitum ſeroſi laticis particula, peritiores hodie non amplius fugit, quę dum incluſa eſt in anguſto loco, & inter membranas (uti plerumque fit) hæret, expandit eas, haut aliter ac aër inflatus veſicam facit intumeſcere. Quod autem pertinaces ſint tales & diu ſubſiſtant, mirum videri non debet, nihil enim impedit, quo minus per annos perſtent, ſi nullum per quem elabantur, inveniant exitum; cumprimis ſi recentem amplectamur ſententiam, flatus ex tenaci & viſcida pituita generari, quę meo tempore à Franciſco de Le B. Sylvio primum Lugduni publicata, nunc ubique applauſum invenit: etſi non videam, quæ ſit hujus dogmatis neceſſitas, cum tenacitas, ſi in libero aëre flatus expandendus ſit, neceſſaria quidem videri poſſet, at in corpore, ubi alienis terminis includitur, nulla prorſus ſit opus, & vel ſolus aër calore attenuatus ita elaſtica vi propria panditur, ut etiam metalla diffringat. Sed videmus id quoque ad oculum, ſolam aquam in Aeolipila ignis ope in flatum converti: Itaque etiam in corpore ſerum ſola aquæ naturali, & conſimili proprietate, nulla peregrina viſciditate admiſta, expandi poſſe, nihil repugnat, etſi an ita etiam ſit, & num humor omni tenacitate carens in corpore detur, quæri poſſit, ac forte non ſine ratione negari. Ceterum novam rationem flatus tumorem efficientis vide apud Severinum.

X. At de illo, qui humorum ſoboles eſt tumore, difficilius eſt expedire omnia, quamvis ſollicitos admodum ea res poſt veteres medii ævi ſcriptores habuerit. Illi Cauſas horum vel in parte ſenſim coacervari ſtatuebant, quod vocabant συναθροισμὸν, *congeſtum*, *congeſtionem*, vel per ῥευματισμὸν, *affluxum*, *fluxionem*, eo confeſtim tendere: & per congeſtionem quidem frigidos, quod Guido addit, per fluxionem calidos tumores fieri: In hoc genere deſcribendo per totum librum ſuum II. *de Recondita abſceſſuum natura Chiron ille Neapolitanus* occupatus eſt. Eſt autem illis συναθροισμὸς, quando propter imbecillitatem partis ſucceſſive aliquid in eo colligitur, ſalvis alias humoribus corporis. Quod putabant fieri, quoniam illa alimento coquendo impar multas cruditates cumulet, tanquam excrementa tertiæ coctionis. In *affluxu* vero, ſeu ῥευματισμῷ partem mandantem & recipientem æſtimabant, perinde ſi providam & nobiliores conſervandi cupidam naturam facultatem illis dediſſe, quâ quod ipſis moleſtiam faceſſit, & nominatim humores peccantes, ad ignobiliores partes depo-

deponerent: quę ipſa etiam nunc Helmontiano nom, ſubſtituto ſaltim in naturæ locum Rectore quodam ignoto, ſententia eſt. A mittente igitur fieri ὦσιν, à recipiente ἕλξιν tradebant. Trahere autem ad ſe cum dolorem tum calorem, natura parti afflictæ ſpirituum & ſanguinis copiam tanquam in auxilium ſubmittente, quo poſſit adverſus hoſtem peregrinum tanto felicius depugnare.

XI. Hæc ab illis ita ſunt prodita, & paſſim hodienum quoque docentur. De quibus forte, quod Academicus *Tullius* de omnibus aſſertionibus aſſerit; idem optimo jure licet dicere: eſſe in iis multum veri, cui falſa adjuncta ſint, tanta ſimilitudine, ut difficilis ſit judicandi & aſſentiendi labor. Tametſi enim negari nequit, aliquando paulatim & tractu temporis materiam tumorum colligi, aliquando confertim, (ἀθρόως καὶ βιαίως) in partem irruere, illamque haud aliter ac hoſtilis exercitus oppidum per tumultum oppreſſum inſidet, occupare: concoctrix tamen illa facultas debilis, vel expultrix ferri non poſſunt, cum ne nutriantur quidem per appoſitionem partes, ut ego alibi ſum planiſſime demonſtraturus, nec expellant excrementa; ſi quid igitur in illis imbecillitatis eſt, id omne in pororum & fibrarum laxitate quærendum erit. Multo minus illud credi poteſt, attrahi à parte quod influit, aut à mandante aliqua alia ſubmitti, cum perpetuæ circulationis legibus hoc manifeſto adverſetur. Nam omne, quod pretium fortaſſis faciemus, ſi originem collectionum iſtarum paulo altius repetemus: ſic enim apertius de his conſtabit. Itaque remotas etiam, ex quibus fiant tumores, cauſas exponam.

XII. Sunt autem illæ fere, quotquot vel materiam, pravoſque ſuccos in corpore augere, vel collectioni eorum & ſubſiſtentiæ corrumpendo fibrarum tubulos, quovis modo occaſionem præbere poſſunt. Augent materiam vel ſuppeditant affectus alii graves, qui non ſatis exhauſto malo aliquid pravitatis in corpore relinquunt, & hinc ſæpe abſceſſus vel critici vel maligni incommodant convaleſcentes, quod in morbillis per eſt frequens. Laudatus toties auctor in phthiſicis quoque obſervavit, multos tuberculis circa pectus erumpentibus infeſtatos, idemque etiam ex vitiis internorum oſſium ſeu brachiorum ſeu crurum accidiſſe refert, latente intus materię copia ad exteras horum partes extenſa: ne dicamus de febribus, ſiveque Venerea atque peſtifera, quæ quales ſoleant producere fructus ex maligna radice, ſat eſt notum. Addere tamen his licet à parentibus traductum non characterem quidem, ſed ſimplicem humorum pravitatem, qua de re jam antea monuimus.

XIII. Subſiſtendi vero occaſionem præbent & tranſeuntem ſiſtunt, de quibus egimus numero V. læſiones externæ, omniaque illa, quæ in partibus arctius inhærent. Ex quibus eſt, quicquid in corpus advenit penetratque, ut vel ſpinę exemplo patet: nec multum abſimili ratione ipſamet humorum craſſamenta, dum cum ſanguine advolvuntur, ſubſiſtunt in minimis poris, & reliquum morantur: quod in apoſtematibus de ſanguine manifeſtum eſt, de lympha in glandulis: quam ſæpe exiſtimo in iis, exhalantibus partibus ſubtilibus, concretam indurari, unde lactearum eſt ſcirrhus, pueris familiaris. Quemadmodum contra aliquando ſolo humore turgent, ubi ſerum vehunt, ut ſalivales, aliæque pancreaticæ, quamvis in ſcirrhum & has verti, animadverſum ſit. In viſceribus eadem manifeſta eſt ratio, quoties in iis vel ſanguis, vel crudus cum eo appellens chylus, ut in liene, vel bilioſa pars, ut in hepate, vel aliud craſſamentum, ut in renibus, alibique ſubſiſtit.

XIV. At maxime omnium externæ læſiones, contuſiones, preſſiones, teneriorum cumprimis & delicatarum partium, ut mammarum, aliarumq; glanduloſarum, primum humores calore expulſis vel per anguſtias pororum ſenſim tranſmiſſis tenuioribus particulis ſiſtunt, deinde ſubſiſtentes & incraſſatos retinent. Juvare porro & promovere coagulationem aliquando ſolet frigus, quod ſerum coagulat, ut in ſalivalium intumeſcentia patet: dein & potus intempeſtive aſſumtus, ſi circa fauces fiat, item excretionis & adſuetæ ſanguinis evacuationis intermiſſio.

XV. Verum illi, qui ſolidi quid continent, ut ſolida ſunt maxime diverſa, ſic à variis cauſis originem trahunt. Si partes corporis ſubſint, ut in herniis, ruptura & laxatio membranearum partium accidit, aut luxatio forte oſſium, vel excreſcentia eorum in cauſa eſt: ſin vero omnino præter naturam quid hæreat, nonnunquam ex humoribus corporis alteratis ac varie digeſtis conflatum eſt. Non raro & plus quam humana vi in corpus per incantamenta immittitur. Nam præſtigias eſſe artificis Satanæ, & oculis captos adſtantes eludi, ubique cauſari ineptum eſt, cum dolor ægri, ipſeque non viſus modo, ſed tactus adſtantium aliud ſuadeat, ſenſuum autem teſtimonium, plurium certe, & ſi à multis adſtantibus, in objecto & organo bene habente, & congruo, & in diſtantia idonea fiat, repudiare, ſtolidi eſt, & præ nimia ſapientia inſipidi hominis. Multo vero inſolentius eſt dicere, hæc in corpore naſci poſſe, cum ſæpe non metallica tantum ſint, verum & in figuram certam artificialem, naturæ nunquam præſtandam efformata, ut acuum, clavi, glomi filorum, & inſtrumenta artificum certis uſibus deſtinata: Niſi quis cum delirante Paracelſo, omnia quæ ſunt in macrocoſmo, etiam in microcoſmo exiſtere, & poſſe fieri ab Archeo principe, ſtatuere velit: is vero non refutationem ſed riſum omnibus mereri haut dubie, & quidem merito videbitur.

XVI. Cognitis tumorum cauſis, de ſignis dicendum eſt, cum curationis initium ex naturæ morbi cognitione petatur. Tametſi vero plerique tumores oculis pateant, tamen aliquando difficilius cognoſcuntur: ut ſi valde prolixus ſit, majoremq; partem membri locive occupet. Tum vero, ſi dubitatur, collatione partis tumentis, cum ſuo compari, viciniſque locis deprehenditur. Si internus tumor eſt, indiciis opus eſt, quibus ille ſe prodat: Admovenda itaque manus eſt, ſi forte palpari poſſit: quod ſi negatur, dubia ſæpe & incerta eſt conjectatio, ſentiet tamen æger proxima viſcera vel uri, vel premi gravariq; vel in anguſtias redigi, motumque ſi quo gaudent, inhiberi: ſed & ex dolore, illoque tenſivo, pungitivo, continuo vel remittente, item actionibus læſis, & conſideratione ſitus partium cauſarumque, & ab ægro facta relatione, certius de eo conſtare non difficulter poterit. Ex quo facile patet quam ſit neceſſarium, anatomico ſtudio ſtrenue operam Medicum dediſſe, niſi in his tam abſtruſis & intra corpus abditis hallucinari velit.

XVIII. Quid autem tumori ſubſit, ex partis extuberantis mollitie duritieve, reniſu, colore, atque dolore cognoſcitur. Mollis enim tumor, tactuique cedens humorem indicat, durus & renitens, ſi cum impetu talis, flatum, niſi tenſus ab aquis vel fœtu incluſo venter fiet. Ubi vero ne digitis quidem cedit, neque reſilit, materia quædam ſolidior in eo latitare intelligitur. Porro ſi mollis tumor, rubicundus & floridus eſt, ſanguinem; ſi albus, lympharum copiam, complectitur, præſertim ſi digitorum impreſſa veſtigia inſuper ſervat. Flavus, niſi in percuſſis contuſiſque poſt dies aliquot, vix occurrit. Si vero ingruat, ſanguis corruptus vel acri ſale coagulatus ſubſtitit, ad putredinem brevi, niſi eximatur, perventurus; & illud quidem maxime, ſi livor permixtus aſpectum fœdet, & latius ſe diffuderit color: tum enim omnimoda etiam partis ac ſphaceloſa putredo metuenda. Dolor quoque materiam indicat, qui ſi tenſivus, pituitoſam vel ſolidam; ſi pungitivus, ſerum acre; ſi maximo cum ardore affligat, idem acerrimum, & partis affectæ aduſtionem pernicioſam; ſi nullus, ejuſdem morticinam & internecionem, pro ratione tumoris oſtendit: Pro ratione inquam tumoris, quam alia ſigna oſtendunt, quæ ſi abſunt, bene eſt: Sic exoſtoſin obſervavi ex lapſu prope

genu

genu perpetuo extuberantem, citra ullum etiam dolorem, quia extenſum ſemel os quieſcebat, neque vel compreſſione vel acutie lædebat partes adjacentes.

XVIII. Quid futurum ſit de tumoribus, & quem exitum ſint habituri, etiam cognoſcendum eſt: Omnis tumor præter naturam (excipias eum, qui ſolidi quid continet, quod nec digeri nec conſumi poteſt,) vel ſponte evaneſcit, ut bubo, vel per inſenſilem tranſpirationem diſpellitur, reſorpta in vaſa humore, vel ſuppuratur, vel in putredinem vergit, membrumque corrumpit, vel in ſcirrhum induratur, vel permanet etiam, dum vivitur. Quodnam autem horum eventurum ſit, ex materia quæ ſubeſt, ejuſque natura, craſſitie vel tenuitate, benignitate vel malitia deprehendimus. Molles & ſanguinei præ aliis facile obediunt, ſeroſi magis ſunt rebelles; qui vero ex materia nova aut ex naturali plane mutata compoſiti ſunt, difficillime diſſipantur, duri & ſcirrhoſi inveterati potiſſimum, raro vel nunquam; cancroſi etiam interimunt, ut & maligni & peſtilentes, ſi introrſum tendunt. Venereus bubo quoque venenum ſuum in humores defert, totum mox habitum inquinaturum. Ad hoc & locus, ipſiuſque partis affectæ natura & conditio, ætas, robur vel imbecillitas, & conſtitutio totius corporis, ſeu, ut planius dicam, ſanguinis, eſt ſpectanda, in magnis potiſſimum, & qui à majori cauſa pendent, ut Venerei. Hernia in pueris facile ſanatur, in adultis ægre, magiſque id, ſi inveterata eſt. Tumores in capite, vel ad oculum, vel labia, non ſine præcautione ſunt tangendi, cancroſi neutiquam.

XIX. De curandi ratione tumorum in univerſum pauca doceri queunt, cum pro exiſtente in iis materia plurimum variet: quod paucis obſervatum video, plerumque enim, dum de omnibus aliquid expectas, eos tantum enumerant, qui à quatuor vulgo ſic dictis humoribus, proveniunt, de ceteris nihil monent. Eſt autem fortaſſis hæc tumoris omnis una & communis indicatio; Quod intus latet, quocunque tandem modo exturbandum eſſe: ſed qua id fieri vel debeat vel poſſit, non una ratio eſt. Pleriſque manuum opera ſalutaris eſt, ſed non ſine medicamentis, non ſine exacta ratione obtinetur ſanatio, quoties in humoribus ſimul eſt vitium: Hinc videmus apud auctores toties legi, Præmiſſis univerſalibus, operationes inſtituendas: Quod non modo in id neceſſarium eſt, ut aliò derivata ſcaturigine, mali fontes exareſcant, ſed etiam ut vulnus, quod plerumque faciendum, à pravis ſymptomatis tutum præſtetur, & ſine mora & impedimento, ſine affluxu rurſum conſolidari queat. Licet tamen aliquando ea omittere, ſed non ſæpè.

XX. Sunt & variæ tumorum naturæ ex cauſis, quibus ortum debent, cognoſcendæ. Si enim in morbo contagioſo & peſtilente erumpunt bubones, aliter longe ſunt curandi, quam ſi ex ætatis ratione, vel alia leviori de cauſa eveniant. Si à ſcorpionum ictu, aut morſu ſerpentis, vel alterius venenati animalis, pars intumeſcit, periculum conjunctum habere, nemo non videt. Scilicet non aliunde quam ea cauſa benignus vel malignus humor dijudicari poteſt: Sive ea nata in corpore & eo mandata, ſive ab alio externo transfuſa & injecta fuerit.

XXI. Quæ ut diſtinctius percipiantur, illud cumprimis notandum venit, in aliis tumorem, tanquam morbum, unice eſſe ſpectandum, in aliis cauſam præ ceteris, prout hęc vel influens adhuc eſt, vel jam ſtabilis aut fixa hæret. Si tumor ſolus tollendus, id quod intus latet, vel diſſipandum, vel educendum venit. Sic in flatulentis, diſcuti flatum ſufficit, ſi id fieri non poteſt, perforatis tunicis educitur. Eadem eſt ratio in ſolidis, ut Ganglio, Natta, & quotquot folliculis includuntur. Nam quavis via eduxiſſe, ſat eſt, eo enim peracto, tumor concidit: At ubi cum tota cruoris maſſa adhuc communicat tumor, & exinde recipit quibus fovetur, non hæc tantum, ſed alia quoque in auxilium adhibenda ſunt, quæ indicare tum tempeſtivum erit, ubi ad ſingula accedemus: Nunc ſufficit monuiſſe, univerſalia ejuſmodi non una eſſe: Præcipua ſunt, quæ alvum movent, vel leniter, qualia in fluxili & tenui humore adhibentur, & ubi vires proſtratæ jacent, vel potenter, quæ in rebellibus & pertinaci tenacitate locum inveniunt. At quia non una humoris natura eſt, aut corporis conditio, etiam alia adhibentur cum fructu. Sudor movetur commode in malignis & contagioſis humoribus, aut ſeri copia; diuretica in acribus, ſaleque fixiore ſcatentibus; incidentia, in tenacioribus: Neque iis tantum pugnandum, quæ eliminant, ſed & derivatione aut revulſione aliquando opus, tum ſanguinis, tum ſeri. Ille per ſectam, ut dictum modo, venam, & cucurbitulas revocari poteſt; hoc per fonticulos cumprimis, dein ſeracea, veſicantia, & ἀποφλεγματίζοντα, quæ ſingula ſuo loco, dextre & cum ſelectu uſurpanda ſunt. Sed & alterari poſſet ſanguis: At quia hoc potiſſimum ad vulnera & ulcera pertinet, tum illa referam cum aliquando his addere iſta licebit, nunc autem quod propoſitum eſt, id unum proſequar.

XXII. Prima itaque cura ſit, cum fiente adhuc tumore, an facto, tibi res ſit ſcias: In illo divertendus à parte eſt, vel uno ex dictis modis revocandus influens humor. In facto, ſi qua cum humoribus conſpiratio & commercium; adhuc intercedit, non minus id neceſſarium, ſi nihil prorſus, ipſe ſolus adoriendus. Tum itaq; expendendum eſt, qua potiſſimum ratione id queat fieri; Quarum prima eſt, diſcuti ſi poſſit: quod aliter fit in flatulentis, aliter in humoralibus, & ex his aliter in ſanguineis & calidis, aliter in frigidis, & ex ſero coagulatis humoribus. In flatulentis carminativa interna & externa officium faciunt. In ſanguineis ſtatim ſpectandum eſt, num liceat repellere: ad hoc vero ſeptem conditiones Galenus requiſivit, quas enumerat *Hieron. Fabritius Aquapendens*; quamvis hęc in compendium redigi queant & facile ad pauciores reſtringi. Ubi vero hoc non licet, vel nihil profuit, diſcutientibus proprie dictis utendum eſt, mitioribus tamen, quippe cum fortia non modo nihil promoveant, ſed etiam inſigniter poſſint nocere. His quoque nihil proficientibus, ad ſuppurantia veniendum. Sed de his quidem omnibus qualia ſint, agemus ſuo loco, ubi de inflammatione, qui præcipuus eſt ſanguineus tumor, inſtituemus ſermonem, id unum nunc addentes: in frigidis & crudis calida, in calidis frigida maturantia adhibenda eſſe. Hic v. g. Ol. roſaceum cum vitello ovi ſufficiet, illic crocus & ſtyrax, & mel accedere poſſunt, aliaque: quod latius diſputat *Severinus Lib. I, III, 16.*

XXIII. Verùm in frigidis, id eſt ſeroſis tumoribus, ubi deſtitutum tenuibus particulis, inter fibras ſubſiſtit, craſſeſcit & coagulatur lymphaticus humor, paulo fortioribus utendum, & ſi forte duriores & inveterati ſint, aut ſolidiorem ſubſtantiam includant, ſolidiſſimis, vi quadam inſigni pollentibus, & valde reſolventibus acribus, ſalinis, reſinoſis medicamentis opus eſt. Exemplum eſt in ſalivali humore ſubſiſtente, ubi ſolum emplaſtrum diachylon, de meliloto, &c. ſufficit, in œdematoſis balnea diſcutientibus herbis, & ſale lixivo imbuta præſtant; In extremis vero thermæ, & confictę ad earum imitationem balneationes, ex ſulphure, nitro, alumine, muria, halecum potiſſimum; acetum, vitriolum, urina, herbæque ac radices acriores unice conducunt.

XXIV. Non autem ad ſolos humores, vel id quod includitur, reſpexiſſe ſufficit, ſed & Partis conditio conſideranda venit, quæ itidem eſt varia: Primum eſt imbecillitas, quam tonum corruptum hodierni quidam vocant, eo nomine laxitatem fibrarum denotantes, quibus robur conciliandum eſt: Hoc potiſſimum fit terreis ac leniter adſtringentibus, & in viſcerum tumoribus diſpellendis maxime habet locum, unde in Hepatis inflammatione tam ſollicite commendantur: eadem vero ratio eſt Lienis, aliorumq; ſi forte morbus illa inſederit. Verum & aliis externis partibus conducunt, quamvis fortiora, & ſub

alia forma adhibenda: ut in tumoribus laxis pedũ ſcorbuticis, vel aliis quoque thermę Aluminoſę. Secundum locum meretur natura partis & temperamentum, cui ſẽper velificarę oportet, ita ut humidioribus partib; minus, ſiccioribus magis ſicca & exſiccantia applicentur, prout *Galenus* docuit, in *Meth. Med.* Quin & ex eo eſſe, quod actu frigida repellentia iis admoventur, quę non multum caloris habent, ut oculis, faucibuſque, cum in aliis, quæ valde ſanguinea ſunt, & hinc calida, ſphacelum inferant, extincto ſubito calore, exiſtimandum eſt: hęc enim innituntur axiomate methodi Medicinæ, Similia ſimilib; conſervanda: Si enim ſimilia conſervant, contraria deſtruunt. Neque minus hic ſenſus partium curationi leges ſcribit. Cum enim aliæ eum exquiſitum habeant, neque ferant acria & irritantia, alia vero obtuſiorem, ab illis abſtinendum in prioribus. Hujus vero rei iterum oculus eſſe exemplo poteſt, cui acria maxime inimica ſunt: Verum & nervis, tendonibus, ligamentis, & reliquis nervoſis vulgo dictis: quamvis cum hæc interna ſint potius ulceribus hæc cautio, quam tumoribus debeatur.

XXV. Hæc medicamentis peragere licet, quæ ubi nihil proficiunt, quę illa non ſanant, ferrum ſanare, meminiſſe oportet. Itaque, ſi humor ad maturitatem his perveniat quæ ſuppurantia appellantur, cutisq; craſſior ſit, quam ut eam perrumpere pus queat, aperiendus tumor eſt ſcalpello myrtiformi, quem Lancettam dicunt, vel alio commodo. Si vero nec diſcuti, nec ſuppurari poſſit, ſi item extet atque promineat nimium, ut Natta, reſecandus novacula. Si nec diſcuti poſſit, nec colligi in purulentum & prominentem abſceſſum, nec exſcindi, ut ubi latius ſe per partes diffundit, ſcarificatio profundior prodeſt: ut levior & ſuperficiaria alio caſu, pro re nata nonnunquam ſufficit. Igne etiã ſęvire tum licet, cumprimis ſi corruptus humor partis corruptionẽ videatur minari; vel cathęreticis, huic ſuccedaneis, avertere diſcrimen. Quę omnia dextre eſſe adhibenda, & cũ judicio, quilibet videt: Nã exęreſis & aphęreſis medicinę ſunt generoſę, quę non niſi omnib; prius tentatis, & expenſis cunctis, in auxilium venire debent.

XXVI. His ita de tumoribus in univerſum expoſitis, de ſingulis agendum fuerit. Quod fiet, poſtquam prius de ordine cum hactenus uſitato, tum à me ſervando, dixero paucis. Quotquot in hunc diẽ de tumoribus aliquid commenti ſunt, ad quatuor humores ſupra nominatos tanquam ad quatuor claſſes, illos retulerunt, *Galenum* in hoc ſecuti, qui in *Methodo medendi* potiſſimum, tum & alibi, eos vel flatuoſos fecit, vel humorales: hos rurſum in ſanguineos, pituitoſos, bilioſos, & melancholicos diſpeſcuit, prout ſolebat cuncta ad quatuor qualitates primas, & humores totidem referre. Et quamvis aliqui etiam alia addiderint, hos tamen tanquam baſin, nunquam non retinuerunt. At vero hęc Galenica tumorum diviſio partim lubrico nimis fundamento innititur, partim ad ea genera quosdã refert, ad quę cõmode referri non poſſunt; imo nonnulli locum in ea prorſus non inveniunt. Nam quod ad primum attinet, notum haut paulo accuratius nunc quam olim, naturam humorum corporis noſtri innotuiſſe: ut hinc ab illa Galeni doctrina, (rigido præſertim ſenſu, quo nonnulli proximis poſt renatas literas ſeculis viventes eam tradidere, & in præſenti maxime negotio ſolent accipere,) in haut paucis liceat deflectere. Et quamvis neutiquam ſit probandus recentiſſimorum quorundam conatus, qui ſucceſſibus ſuis turgidi, & plus quam Vatiniano in veteres odio flagrantes, nullo diſcrimine eorum omnia ad orcum vellent detruſa, nullam adeo cavillandi occaſionem prætermittentes, cum hæc talia commoda interpretatione facile miteſcant: (Quid enim prohibet, tenuem, & ad φλόγωσιν promtas particulas foventem ſanguinem bilioſum vocare, melancholicum craſſum & aduſtum, quomodo illum ipſimet antiqui non ſemel deſcribunt, & per atram bilẽ, ipſis experimentis id jubentibus, acidiſſimo ſucco corruptam intelligere; in pituitæ vero cenſum ſerum, quod tenue illi vocare ſolent, admittere? quo pacto omnia fortaſſis erunt in vado, & poſito omni metu ac trepidatione, licebit ad eorum lectionem accedere, quos omnino nihil in his vidiſſe, perpetua in praxi viventes, cum ſcripta eorum, præ quibus iſti in ſuis, inſtar puerorum balbutiunt, ſummum in iis ingenium viguiſſe, abunde oſtendant, abſonum eſſet ſtatuere) Prętiterit tamen, forte, meliora doctos suo jure uti, & ſcaphã ſcaphã dicere, ſanguinẽ ſanguinẽ, ſeru vero ſerũ: quid enim attinet veritatẽ anhelantes per ãbages ducere ad finem, & ſententiis dimidia ſui parte falſis medicinã difficilẽ quęrere, cum maxime ſanis uti citra periculu liceat.

XXVII. Ex quib; jam alterum apparet: Nam tumores à bile cum enumerant, pręter eryſipelas & herpetem vix quenquam in exemplum audent nominare: quorum prius ſuo quidem ſenſu bene habet, etſi ſine omni bile proprie dicta accidat: Aſt Herpetis non tam ad inflammationem pronus ſanguis cauſa eſt, quam acris potius, & ſalibus ſuis fœtus, quam conſtitutionem ad nullum ex quatuor iſtis licet referre: nam ſalſam vocare pituitam nimio forte illorum amori foret indulgere; cum ſerum acre à blenna differat. Sed quando jam ſcirrhum & carcinoma ad atram bilem, vel melancholicum humorem referunt, plane aberrant à janua: hoc enim à ſero acri, & exedente, illum à ſtagnante incraſſato ſanguine, vel lympha coagulata eſſe, & hinc partes indurari, quæ ſæpe etiam ſubſtantiam inſtar lardi præ ſe ferunt, autopſia docet, ut in ipſo opere monebitur: Verum & glandularum tumores à ſero ſtagnante ad pituitam referre, durius forte fuerit, cum ſerum & pituita ſint res diverſiſſimæ, etſi una ex altero, mutata ſubſtantia fiat.

XXVIII. Sed & imperfecta eſt hęc enumeratio, nec omnia tumorum genera complectitur: Quorſum enim illos referas, quorum tamen & ipſe Galenus meminit, quos anomalos appellat Severinus, & qui ſolida vel ſaltem duriuſcula continent? Item illos, quibus vel partes aliæ corporis ſubſunt, ut Herniis, vel etiam talia, quæ in corpore inexiſtere per leges naturæ non poſſunt, ut globi filamentorum, vermium, aliaque plura, varii omnino generis. Unde etiam eſt factum, quod laudatus ſupra Severinus illos qui ſolidi quid continent *anomalos* appellaverit, alios vero *noviter obſervatos*. Verum & hoc incommodi eſt, ſi eam ſequaris diviſionis formam, quod eundem affectum in diverſas claſſes reponere opus ſit. Nam bronchocele modo carnoſi & ſolidi quid offert, modo & flatum, quod idem in herniis & hydrope etiam alias obſervatur.

XXIX. Quæ cum ita ſint, nemo mihi vitio vertet, ſi relicta illa veteri, & recepta diviſione à quatuor humoribus petita, novam tradere mihi indulgeam, cùm res ipſa eam efflagitet. Quemadmodum vero triplex occurrit morbos diſpeſcendi & in ſuas claſſes digerendi ratio, una, quæ ipſam eſſentiam eorum ſpectat; altera, quæ cauſas, qua eſſentiam ingrediuntur, ſeu ut apertius dicam, formam & materiam; tertia vero quæ partes quibus inhęrent ſequitur, lubet jam poſtremam eligere, cum pars affecta alteram indicationum partem compleat, adeoque hæc futura in praxi maximæ ſit utilitatis.

XXX. Cum autem tumores fecerim Univerſales & particulares, & hos rurſum, vel ſingulas partes ſimilares, vel integram organicam obſidere dixerim, nunc quidem non eſſe noſtrum arbitror de his pariter omnibus agere. Nam de univerſalibus tumoribus, cum à vitio humorum ſint, eaque conſtitutio turgeſcentia potius corporis cacochymica, quam tumor appellari mereatur, de iis potius inter morbos univerſales practicis diſceptandum eſt. Neque quaſcunque protuberantias partium ad nos arbitrabimur pertinere: aliæ enim ex his non habent primam rationem tumoris, ſed alterius ſunt naturæ, ut Herniæ quarum prima ratio in prolapſis conſtituitur, tumor autem potius eſt ſymptoma: unde nec eandem quam reliqui tumores, curationem ſuſcipiunt. Cujus rei ille imperitus apud *Marchettum*

chettum documentum dedit, qui teſticulo in inguine deliteſcente, tentata diu ſuppuratione, incidere eum volebat: ubi manifeſtum, tumorem illum apparentem ſymptoma fuiſſe, qualia propriam conſiderationem non exigunt. Ejuſdem generis ſunt & illi ſive flatulenti ſive humorales, qui integros ventres implente materia apparent. Nam & hic tumor eſt ſecundo loco, & inter ſymptomata, primario affectu ad cavitatum morbos pertinente. Sed etiam ecchymoſis illud genus, quam dicit Sennertus in tumorem non attolli, inter affectus noſtros haut apparebit: nec eryſipelas, quod potins ad inflammationes, adeoque morbos intemperiei remittendum eſſet, ſatis commode huc refertur. Cui tamen ne quid omiſiſſe videamur, nimiumque innovationi dediſſe, nunc quidem locum inter illos relinquemus.

XXVIII. His igitur remotis, quæ ſuperſunt, in ſuas claſſes aſſerendi ſunt. Exiſtimamus autem eos commode ſic partiri: Tumores κυρίως ſic dicti particulares, vel ſimilares occupant partes, vel organicas ſeu diſſimilares, integraque membra, atque ea varia, vitiant. Quæ ſimilares, vel *cuti* inſident, (cujus partem eſſe cuticulam, anatomia me docuit, & facilè omnes docebit, qui recte attenderint) vel ſub cute latentes, eam attollunt tantum, vel *carnes* occupant, vel *glandulis* infeſti ſunt, vel *arteriis*: vel *venis* accidunt, vel denique *oſſibus* inhærent. *Cuti* verrucæ & clavi familiares ſunt, itemque ecchymoma, ſeu ſuffuſio ab externa læſione. Eidem *ſubjacent* Ganglion, Atheroma, Steatoma, Meliceris: ad quos Natta pertinet, Talpa, Teſtudo, & ſi quę alia ejus generis occurrunt, & quicquid denique folliculis includitur, item Glandulæ ſponte ſubortæ, quæ tamen, pręterquam in ſtrumis, vix merentur à nobis attendi. *Carnibus* familiares ſunt Furunculi, Paronychiæ, carbones, Oedemata, Sarcoma. Quod ſi Gingivas ad carnes referas, etiam his ſui ſunt. Verum ipſæ *Glandulæ* variis tumoribus opportunæ deprehenduntur: & CONGESTÆ quidem (ineptè conglomeratas vocant) *ſalivales* tam ſuperiores, in Parotidibus, nomen retinentes antiquum, quam inferiores in Defluxionibus: verum *tonſillæ* etiam, in iſthmo oris ſitę, & uvula, etſi hæc potius ſpongioſa ſit, quam glanduloſa; & denique Faucium Buccarumque. Scrophulas ad ſalivales quoque retulerim, Bronchocelen ad thyroidem. Nam etſi hęc etiam alia fiat ratione, tamen hæc potiſſima eſt. SINGULARES vero & globoſæ, Bubonales præ ceteris, tum illæ quæ ſub alis ſunt, ſolent intumeſcere. *Arteriæ* patiuntur Aneuriſma, quod eſt vel tumor arteriæ, vel ex arteria, qua de re videbo deinceps. *Venas* habent tortuoſi varices. An huc etiam hęmorrhoides cœcę pertinent? *Oſſa* ſpina ventoſa infeſtat. *Quæ vero diſſimilaribus, integriſque accidunt organis*, iiſque plurimis, hæc ſunt: Inflammatio, Abſceſſus, Scirrhus, Cancroſus tumor, Gangræna, quam tamen perinde ac inflammationem huc potius refero ex communi ſententia, quam ut vere eſſe tumores exiſtimem: Hęc enim ad intemperiem manifeſto pertinet, illa vero cum ſit corruptionis ac deſtructionis omnemodæ principium, intumeſcit quidem nonnihil pars: hunc vero tumorem ſymptomatis quoque rationem habere potius quàm morbi, nequit dubitari. Sed quoniam difficile eſt, aliam inter morbos ipſi ſedem invenire, & ita conſuevit interim fieri, ad ultimum locum admittendum exiſtimavimus. Et his forte tota tumorum hiſtoria abſolvitur. Quibus in univerſum notatis, nunc ad ſingulos tranſibo, & eo ordine quo recenſiti ſunt, eorum naturam, quantum ad curationem notitia ejus eſt utilis, ſtrictim præmittam, tum iſtanc exequar. Incipiam vero ab iis qui ſimilaribus accidunt, utpote ſimpliciſſimis compoſitarum multis communium conſiderationem ad calcem rejecturus.

Sectio altera

DE

Tumoribus Speciatim,

Pars Prior

De iis, quibus ſimilares partes intumeſcunt.

I. PRæcipiunt alias Philoſophi, ab iis ordiri diſciplinas, quæ nobis ſunt notiora, quoniam ab his ad ignota, & abſtruſa facilior via patet. Quod, tametſi de principiis rerum & univerſalioribus traditionibus potiſſimum intelligi ęquum ſit, tamen & in iis locum invenire poteſt, quæ particulatim de rebus ſingulis agunt: ubique enim & memoriam juvat, & intellectum ipſum ſecundat facilis ordo. Placet ęrgo oculorum ductum ſequi & ab extimis ad ea progredi quæ interius occluſa ſunt. Neque enim ſimilares nunc ſummo rigore dictas intelligo, ſed eo ſenſu, quo alias in latitudine ſua accipimus nomen. Itaque primum locum nunc occupet ſtatim.

II. CUTIS & CUTICULA; quæ ut in anatome ſeorſim exhiberi par eſt, ſic ubi de eorum morbis agitur, cum unam, ut ſupra jam monui, partem organicam componant, earum tumores ſeparari non debent: præſertim cum cuticula nullo prorſus modo poſſit intumeſcere, quippe quæ tenerrima & exſucca ſit, etſi pingui exhalatione vel illinitione molleſcat. Maculæ enim quæ apparent, ſub illa ſunt, non minus ac tota Æthiopum nigrities, quod Medicorum noſtri ſeculi politiſſimus ad oculum demonſtravit. Tametſi enim negari non poſſit, aliquantillum plerumque his quæ ſubſunt, eam attolli & aſperiorem quoque fieri, neque tamen tubercula, neque tumores hæc merentur vocari, pertinetque ad Coſmeticen potius hoc omne, quam ad Chirurgicam. Itaque de his ſollicitos ad Laurenbergii Paſicompſen, & alios amandamus.

III. Neque cutis tam tumores ſunt obvii, quam tubercula potius & puſtulę: quod ejus natura propter texturæ rationem, qua ſibi fibrillæ ex quibus conſtat, arctius innexæ ſunt, tumores intra ſe non admittat. Appellare vero licebit forte puſtulam melioris doctrinæ gratia, quando cuticula à ſubſtrata cute, abſcedens attollitur, humore ſubtus hęrente: tuberculum verò, ſi ipſa cutis leviter intumeſcat & in acumen emineat, quamvis Cornelius aliter hæc tradat, qui in iis minus quam pro more accuratus eſt. Ejuſmodi puſtulæ in ſcabie humida obviæ ſunt, albicantes vel leviter flaveſcentes, ex quibus ſectis, vel acu punctis, proſilit album pus, quo facto ſubſidit cuticula, & cuti ſponte iterum agglutinatur. Tubercula vero majori numero obveniunt in ſicca ſcabie, prurientia, rubentia, accuminata. Et ex horum numero ingenti quidem ipſa ſcabies ſicca componitur, ut humida ex his & puſtulis invicem ſubnaſcentibus.

IV. Provenit autem ſcabies ex acri, craſſo & impuro ſero cum ſanguine calidiore, & infantibus, quoniam tali præ reliquis ætatibus abundant, familiarior eſt, dein juvenibus, raro in juſta ætate conſtitutis infeſta. Nonnunquam Sirones ſubſunt, minutiſſimum pediculorum genus, quod per mediam cutim procedens, veluti cuniculos agere conſuevit. Unde Germani *Reitlieſſchen* appellarunt. An etiam fermentum malignum ſtatuamus? certe contagium id videtur oſtendere & præcipue maligna ac venerea ſcabies, & quod ſerpit, inficitque vicinas partes. Et hinc eſt, quod difficilius cedit externis ac vulgatis remediis.

V. Curatur variis modis. Et ſigillatim quidem puſtulæ,

ſtulæ, ruptis iis, & expreſſo pure, ut dictum; tubercula vero pertinacius reſiſtentia vix ſolis externis cedunt. Purgandum corpus, & diluendum acre ſerum, fermentum vero ſudore excitato diſpellendum eſt. Si Sirones lateant, eruendi, tum ſanatur ſine pure tuberculum, quod habitaculo erat. Cedunt tamen & acribus, ut Lauriais baccis, & ſimilibus. Humida præterea ſcabies ſiccantibus indiget, unde ſulphur laudatur, cui adduntur iſtæ, & quo dolor ex pruritu mulceatur, oleum. Hęc & ſimilia unguenta in præſens aliquid poſſunt, ſed non tollunt principium mali; itaque fermentũ extinguentibus etiam pugnandum. Nonnunquam & univerſalibus prius memoratis opus eſt, & decoctis lignorum vel eorum eſſentia, ac ſi rebellior eſt, emollientibus, arcano & efficaci remedio. Fumaria, agrimonia, cichoreum, capillus veneris, bugloſſum, borrago, ſcabioſa, malva, althea, glycyrrhiza, polypodium, lapathum, & ex purgantibus Senna, Helleborus, Rhabarbarum commendanda. Balnea ſulphurea, ſi in vicinia ſunt, optima: cui medicata poſſunt ſubſtitui. Sal culinare exſiccando excellens remedium ſe præbet. Plumbea, quia edulcant & ſiccant potenter, non contemnenda: Lithargyrium præſertim, quod certò eam curat, ſed neſcio qua malignitate ſimul inſidiatur, ut, repulſa ſcabie, periculum inferat: caute itaque tractandum. Omnium potentiſſime dein juvat Hydrargyrum, certius quam Luna humoribus dominans, unde cingulum & unguentum Mercuriale in uſu eſt, ſed non ſine circumſpectione uſurpandum.

VI. PHLYCTÆNÆ nominantur poſtulæ ſeu veſiculę, quales à fervente aqua vel ab igne admoto exſiliunt, ſero naturali & non mutato in pus, ſed tenui & flaveſcente refertæ. Quo differunt â puſtulis in ſcabie humida obſervandis: itemque illo, quod acrior inflammatio eas circumſtet, unde moleſte urens, rupta cuticula, ſupervenit dolor, cruſtam etiam duriorem relinquunt, quam igneus, veluti pruna, margo circumſtat. Noctu potiſſimum aſſurgunt, & infantibus frequentius contingere ſolent, & quidem familiariter in cruribus. A fervido humore provenire neceſſum eſt, cum ab uno igne idem effectus conſpiciatur. Alia curatione opus non habent, quam refrigerante & demulcente dolorem medicamento: ad quod empl. de ſpermate Ranarum, vel unguentum aliquod infrigidans, lilior. alborum, albi cocti, de lithargyrio vel aliud ſimile poteſt ſufficere. Parietariæ folia ſingulariter laudantur.

VII. Ut Phlyctęnæ humidæ ſcabiei puſtulis, ſic ſiccæ tuberculis PAPULÆ videntur reſpondere, neque differre, niſi quòd ſint ſingulares papulæ, cum alteræ, dum ſe ſcabies magis diffundit, univerſim corpus occupent. Cum autem pus non fundant hæc tubercula, intus tamen humorem habeant, non aperiri, ſed diſſipari amant, quod emplaſtro vel unguento ſimili, dum calor reprimitur, fit facile, quin omnia hic repellentia videntur convenire. Hic obtumeſcant jam methodi per contraria cavillatores, & vel in minimis agnoſcant ſtupiditatem erroris ſui. Quis enim his, atque illis ſimilibus, calidâ potentiâ audeat adhibere? aut per ſolam diſcuſſionem ſpondere ſanationem?

VIII. VARI, ἴονθοι Græcis, *Finnen* ſunt noſtratium, tubercula dura & parva, faciei & proximis partibꝰ propria, aliquando cum levi dolore, quia calor circumſtat, aliquando hoc & dolore expertes, pruritu ſemper. Plerumque, ut facile oriuntur, ſic ſponte evaneſcunt, id quod fere intra triduum accidit: Hinc Celſus, pæne ineptias eſſe, curare varos, & lenticulas, & ephelides pronunciat: ſed nonnunquam pus continent, & aſſurgunt altius: illud igitur exprimendũ eſt. Has non tam abigendi quã pręcavendi ne fiant, cauſa, medicus conſulitur: nã quibusdam moleſti admodum ſunt, & prope perpetui. His nihil utilius, quam diæta eſt, vitatis enim acribus, vinoque, non facile redeunt, niſi ſingularis iis ſit diſpoſitio: quo in caſu nihil præſtantius expertus ſum, quam lac virginis.

IX. Cum ſimiles puſtulæ ſunt perpetuæ, & rubedo naſum ac faciei integram partem occupat, vocatur GUTTA ROSACEA, quæ tam pertinax aliquando, ut naſus excreſcat in majorem molem. Cujus exemplum Sennertus vidiſſe ſe ait, tam grande, ut in legendo hominem ſuum impediret, ita ut fruſtula illius excreſcentiæ amputare, coactus ſit. Hoc plerumque ſtrenui potatores præmium reportant: raro enim ſobrie viventibus, & ſponte accidit: nec facile tollitur. Repellentia & frigida aliquid valere creduntur, ſed perparum id eſt, nec adſtringentia multum proſunt, vel camphorata, tota enim cutis jam plane mutata eſt. Vulgo ab hepatis temperamento calidiore eſſe, perſuaſum habent: quam vere, facile judicatur, cum ne bilis quidem, niſi perquam καταχρηστικῶς ſic vocata, accuſari poſſit. Si nondum plane confirmatum eſt malum, & juvenis ſit æger, diæta potius refrigerante, quam medicamentis corrigenda: at in adultis omnis labor fruſtra impenditur. Poſthæc de epinyctidibus, ſudaminibus, terminthis, non opus eſt agere, cum præſertim obſcura ſint, nec ſatis intellecta hæc verum nomina. Eſſere vel ſora, cum totum occupet corpus, ad particularia tubercula quoque non pertinet. His itaque relictis, ſequatur nunc inflammatio cutis, ſeu

X. ERYSIPELAS. Tametſi enim, ut ſupra monui, commodius ad intemperiei morbos quam ad tumores referatur, tamen cum fieri nequeat, ut in inflammatione, ubi ſubſiſtit ſanguis, in tumorem pars non attollatur, levem licet, ad iſtos referre medici non dubitant, in eo aberrantes, quod Symptoma potius quam morbũ ſpectant. Interim tritam nos inſiſtemus viam, & quoniam hic alias recenſeri ſolet, ne quid omiſiſſe videamur, de eo pariter agemus. Eſt igitur *inflammatio cutis potiſſimum* (etenim neglecta, vel admodum gravis, nonnihil etiam ſubjectæ carnis occupat) *ex tenui & ad phlogoſin diſpoſito ſanguine, ſubſiſtente & æſtuante, intra ipſam producta.*

XI. Hanc affectionem bilioſæ fluxionis ſobolem eſſe vulgo docent. Pro qua ſententia, etſi Galeni auctoritas videatur militare potius quam ratio, adeoque ipſo auctoris nomine hodiernis novatoribus eadem valde ſit exoſa, neque negandum ſit, bilem potius ex nimia aduſtione & calore fieri, quam à bile calorem, tolerari tamen facile poteſt, ſi bilioſas particulas eas intelligas, quæ potentia bilis ſint, ſive in eam caloris exceſſu facile vertantur, hoc eſt inflammabiles, vel, ut uno verbo dicam, pingues ac tenues, nulla viſcedine involutas, quales in vini ſpiritu apparent: tales enim tenues ſunt, mobiles valde, adeoque facile alicubi hæſitantes exardeſcunt. Ceterum ipſemet Galenus, ex ſanguine tenuiſſimo eryſipelas fieri, Lib. ad Glauconem. fatetur, & *Hier. Fabricius* inquit: *Si Icterus & Eryſipelas fiunt ab una & eadem bile, qui fit, ut hi duo morbi tantum à ſe invicem differunt? Exiſtimo igitur, Eryſipelas fieri ſemper à bile alimentaria.* Eſt autem illius ævi bilis alimentaria, vel prorſus vana, vel illarum particularum copia, quam diximus.

XII. Eryſipelas aut fit, aut factum eſt: & præterea gradu differt, non autem cauſa. Nam quod eryſipelas phlegmonodes, œdematoſum, vel ſcirrhoſum ſtatuunt, inane eſt, & commentum ingenii Galenici, nimis accurate & ad normam à ſe excogitatorum humorum omnia expendentis. In ſolis externis partibus ſpectatur, nam in viſceribus ſi ſit, à phlegmone quid differt? Hic neſcio, cur Aquapendens utplurimum circa nares & in facie putet excitari, cum in aliis partibus æque obſervetur, licet hoc certum ſit, ſemel ad locum aliquem impetu lato humore, eo frequenter reverti, & potius ibi quam in alia parte conſiſtere. Itaque Aquapendens forte plures

plures in facie laborantes quam alibi vidit: verum hoc caſu potius, quam ex neceſſitate rei eveniſſe credendum eſt.

XIII. Cognoſcitur ex colore florido, qualis eſt arterioſi ſanguinis, quem cum tetigeris, ſubterfugit, rurſusque illabitur, cum ſenſu caloris manifeſto, & dolore tenſivo, & pungitivo: qui & uſum partis tollit, illęſis licet motus inſtrumentis. Creſcit etiam ac ſerpit, & vicinas partes occupat. Aliquando & febris conjuncta eſt, ſed non magna. Vacat ergo periculo, ſi rite inſtituatur curatio, & in tempore accedas, dum adhuc ſit: eſtque unius fere diei, aut bidui. At ſi neglectim habeatur, aut irritetur temere, in facie quidem exiſtens, in phrenitidem aut anginam poteſt abire, alibi vero in gangrænam & ſphacelum: cujus rei indicium eſt, ſi nigredo quædam, & puſtulę appareant. Nec non aliquando non ſuppurationem perducitur, de quibus Hippocratis aphoriſmus eſt, VII. 20. Ἐπὶ ἐρυσιπέλατι σηπεδὼν ἢ ἐκπύησις, κακόν.

XIV. Si adhuc ſit eryſipelas, fluxionem avertemus: quam in rem ſi magna metuatur, Venęſectio ex Celſi & Pauli præſcripto locum habere poterit, præſertim ſi circa caput aut collum eveniat, ſic enim non imminuetur duntaxat confluens ſanguis, ſed & revelletur eadem opera. Vacuationem autem totius corporis fieri, quæ Galeni eſt ratio, raro neceſſum eſt, niſi in confirmata, quamvis aliquando alvus cliſtere poſſit ſollicitari. Sed præſtat, omiſſis his quoque, diaphoreticum adhibere, qualia ſunt ex plantarum genere ſambucina, ex animalium C. C., ex metallicis ♁i calx, & ſudorem prolicere. Pręcipua enim indicatio eſt, diſcutere. Adjuvanda vero plerumque eſt eadem intentio externe applicatis topicis, quæ temperata, vel primo gradu calida eſſe oportet. Caveamus vero à refrigerantibus & repellentibus, ex prima cautione Galeni, ne ſcilicet calor partis extinguatur. Quod & monet Hippocrates *Aph. XII.* 25. ἐρυσίπελας ἔξωθεν μὲν ἔσω τρέπεσθαι, οὐκ ἀγαθόν· ἔσω δὲ ἔξω, ἀγαθόν. Hinc nolim cuiquam eſſe autor, ut ſempervivum, lenticulam paluſtrem, umbilicum Veneris applicet, aut humida alia, aut frigida: funeſta enim exempla teſtantur, facile abire in ſphacelum. Multo minus adſtringentia admiſcenda ſunt, uti id oſtendit perſpicue Aquapendens: nec emollientia, ut decoctum malvæ, probantur, cavendum enim à ſuppuratione, quam damnat Hippocrates. Laudantur vero pulveres, temperatiſſima indole ſua poros apertos tenentes, quo diſcutiantur, & ex illis evaporent particulæ igneæ, nimii caloris auctores. Talia ſunt farina hordei, milii, fabarum, aut lupinorum, quæ cum melle miſcebant veteres, ſed quia oblinit poros, omitti poteſt, & iſta ſola applicari: addi poteſt & myrrha, ceruſſa, Camphora, Liquiritia, quod Ludovico in more eſt, item creta. Poſſunt quidem & humida, ſed ex diſcutientibus aquis deſtilatis conſtantia adhiberi, & quidem calide, quæ Sydenhamii eſt methodus, apud quem reliqua extant. Verum & hic ſolus ſpiritus vini, & camphoratus, & theriaca, maxime ſi ad grangrę nam ne tranſeat, metus ſit: Crocus etiam, ſambuci cortex, & ſimilia ex vegetabilibus alia commendantur.

XV. Eryſipelas omnium periculoſiſſimum in facie eſt, unde non ſolum topicis, ſed etiam victus ratione & internis adverſus illud pugnare jubet Hildanus, & enemate alvo ſubducta, ſanguinem ex brachio lateris dolentis detrahi, & quidem copioſe, ne inflammatio in Gangrænam tranſeat. Verum & alias diæta accedat commoda oportet, nam & cibus & potus, & aër, & animi corporiſque motus nocere poſſunt. Si exulceratur eryſipelas, ut ulcera reliqua curandum: ſi in gangrænam abit, ut poſthęc dicetur. Sed etiam præcaveri deſiderat: quod venæ ſectione repetita fieri potiſſimum conſuevit. Ceterum ut veteres eryſipelas ſanaverint, Celſus docet *V.* 26. etſi potius ut inflammationem vulneri ſupervenientem in cute, quam affectum peculiarem ibi illud conſideret.

XVI. Ut ex ſanguine puro ſit eryſipelas, ita ex eodem acri ſero perfuſo HERPES: qui quoniam non in una permanet ſede, ſed vicinas partes ſenſim occupat, nomen à ſerpendo tulit. Avicenna eleganter Formicam dicit, etiam ad ſpeciem reflectens animum, Paulus ignem ſacrum cognominat, quod nomen Celſus etiam ei tribuere creditur, quod mihi vix ſit veriſimile. *Eſt* autem *cutis cum rubore* (quod cur omittunt vulgo?) *extuberantia*, non ut in eryſipelate, æqualis, ſed *aſpera*, & in *tubercula elevata.* Quidam duas ejus faciunt ſpecies, Miliarem & ἐσθιόμενον, Galenum ſecuti: quidam tres, Miliarem, qui ſummam cutim exulcerat, & qui profundius ſerpens, totam. Hujus differentiæ Aetium auctorem habent. Miliaris ad tumores, alter (qui gradu ſolum differt) ad ulcera ſolet referri. Sed ut eryſipelas exulceratum eodem loco ſolet expediri, ſic & herpes poteſt.

XVII. Deſcribit eum Celſus demum, ſed exulceratum & exedentem tantum, atque ita, ut malignior fuiſſe videatur ſuo tempore: Ego qualem viderim, dicam. Primum genus rubra eſt macula, in ſuprema cute, aſpera, & minimis tuberculis conſtans, nullum tamen pus in ſe includentibus, ſed arida, ſerpendo progrediens, & niſi obſtiteris, tandem totam in qua ſunt, partem occupans: Germani *Flechten* appellitant, Galli *des Dartres.* Hoc non exulceratur, ſed prurit & mordet, tenditque cutim, atque in vulgus notum eſt. Alterum genus in puella obſervavi acri ſanguine prędita, itemque in viris conſiſtentis ætatis, in femoris parte interna maxime: in illa ſerum limpidum effluebat eroſa cuticula, & parte rubente; mox etiam maxima acris ſeri copia continuo effundebatur: quod ſi exſiccantia valideque ſtringentia applicantur, cruſtam ducit, ſed invalidam, & mox iterum copia humoris deſtruendam. Non quidem exedebat intimam cutis partem & ad carnes penetrabat, ſed latius tamen ſe diffundebat, & magnam femoris occupabat partem. Qualem autem deſcribit Celſus, rarior eſt, & nobis ignotus: hinc ego malui quod viderim narrare, quam, ut ceteri faciunt, ex aliis quidvis deſcribere.

XVIII. Cauſam utriusq; eſſe acre ſal, in priori ſiccius, in altero ſero permiſtum & fluitans, in propatulo eſt. Hinc veteres non bilem tantum ſolam, ſed pituitam etiã miſtam accuſabant. Videntur vero illic in cutis ſummo hærere particulæ, hic, eroſæ & læſæ glandulæ intercutaneæ effundere ſerum, in poſtremo genere, ubi pus vel aliquid inter ſaniem & pus medium exit, malignius fermentum ſanguinem quoque infeciſſe, vel in cute hærens, influentem inficere.

XIX. In herpete igitur indicatio præcipua eſt, acre corrigendum eſſe. Quod ſit evacuatione, dilutione ac topicis, præſertim quia in loco etiam peculiaris cauſa hæret, ſive fermentum ſit, ſeu vitioſa quædam diſpoſitio appellanda. Purgandum itaque corpus, ubi grave eſt malum & ſtudendum dein edulcationi, niſi ſimul ſcarificationi & venæſectioni indulgendum videatur, quibus tamen vix opus eſt. Edulcatur vero diluentibus acrimoniam: decoctis lignorum, herbarum inſipidarum, aquearumve, & radicum fructuumque dulcedine pollentium, emollientium. Quo Celſi monitum pertinet, potionem magis liberalem eſſe quam cibum debere. Reliqua cura in externis poſita eſt. Veteres repellentibus uti jubent, & adſtrictivis, terram præſertim Lemniam, Cimoliam, Solani ſuccum, malicorium: deinde medicamenta ex plumbo, & acetum, & myrteum oleum, & thus, atque alumen commendantes, cornua quoque animalium. Sal foſſile laudat Aetius, & Miſy, quod atramenti ſutorii genus eſt, æque ac Chalcitis. Nitrum porro, Sulphur, calcem, &

alia

alia multa : hinc aqua calcis vivæ nobis emergit. Ad miliarem ſufficere aquam thermarum, quæ brevi tempore eam ſanet, Hier. Fabritius teſtis eſt, cujus defectum aqua marina vel ſalita alia, addito ſulphure & alumine, compenſat. Lanam ſuccidam uſtam præ ceteris laudat in Eſthiomeno Taranta; ſed hoc non ex ſuo eſt, didicit ex Aetio, & Aegineta. Nihil præſtantius mihi compertum eſt Argento vivo, in varias formas tranſmiſſo: cui ſoli, ſi miliaris ſit, herpes obſecundat. Vidi tamen rebellem alterum, ſero manantem, neque huic ceſſiſſe, & non niſi ſalivatione inſtituta deſiiſſe. Oleum Tartari plurimum etiam valet. Denique præparato corpore, & lota parte aqua malvæ, multos brevi temporis ſpatio ſe curaſſe, aſſerit Scultetus, ſuperimpoſito præſtantiſſimo Nicotianæ cerato, in Pentateuch. Chir. Aquapendentis deſcripto, Vide ejus obſerv. ſeptuageſimam.

XX. IMPETIGO Latinorum, Celſo excepto, qui papulas vocat, Græcorum LICHEN ab Herpete miliari parum vel nihil forte differt : ad quam Mentagram Plinii quoque referunt : Nam ex ſalſis & acribus corporis ſuccis itidem originem accipit. Eadem quoque apud auctores deſcriptio eſt, niſi quod hic pruritus, illic doloris meminerint, & quod Herpes à bile eſſe præſumatur, nullo rei indicio : Eadem igitur vel ſimilis erit curatio. Præter ſuperiora vero & oleum ovorum, & Camphora; atque hinc ungu. album camphoratum, Myrrha, borax, creta commemorantur, ſiccando, vel corrigendo humorem, vel acrimoniam, vel fermentum abſorbendo & enecando agentia. Ubique vero diæta eſt præſcribenda, ex qua omne ſalſum, atque acre exulet; Non enim idem valet ſal cum cibis aſſumtum, & externe illitum : illic adjuvat, hic deſtruit morbum, atque tollit è medio. Ad Lychenes etiam Marrhubii folia ex aceto illita laudantur.

XXI. Ad hanc claſſem etiam effuſio ſanguinis, qui in cute vel ſub eadem ſiſtitur, referenda venit. Ad eam vero non ſemper remedium petitur, ſed ſi levis eſt ac ſimplex, hoc eſt intra ipſam cutim, ſponte evaneſcit, vel remedio non magno vincitur, eoque repellente fere. Ut notum eſt tumori ex illiſione capitis infantibus orto in albumine ovi conquaſſato cum aqua roſarum à matribus medelam quæri, vel etiam ipſam pelliculam ovi internam ab albumine adhuc madentem imponi, vel quodvis denique frigidum metallum. At graviores contuſiones vinum juvat cumprimis, dein acetum quoque laudabile, cui radices & herbæ commodæ incoquuntur, Symphiti, Sigilli Salomonis, Roſmarinus, dein Flores Chamomillæ, præcipue Romanę, Thymus, & præſtantiſſimus Hyſſopus. Teſtis de hoc Riolanus ſenior, Galenus, S. Pauli, & Boyle, qui vidit viri femur calceo equi graviſſime contuſum ſolis Hyſſopi foliis butyro miſtis intra paucas horas ſanatum, ita ut non modo dolor ceſſaret, verum & livor diſpareret in cute. Vini ſpiritus quoque camphoratus juvat, cui accedere poteſt Crocus, ſi fortius velis, & alia. At ſi maxima ſit contuſio, verendum, ne citius putreſcat ſanguis quam diſſipari poſſit, aut inflammatio ſuperveniat, quæ metum incutit Gangrænæ. Hoc autem præcaveri poteſt, ſi manum operi admoveas, & ſecto tumore, vel aperto, evoces copiam grumoſi ſanguinis. Inflammationi autem defenſivis occurritur, quæ ex adſtringentibus conflata ſunt. Neque tamen calida humida ſint, ſed diſcutientibus mixta, illa enim ſola, gangrænæ viam aperiunt. Diſſecto tumore fit vulnus, quod ut reliqua, quibus contuſio juncta, conſolidandum eſt: unguento ſcilicet Ægyptiaco admiſto digeſtivis, emplaſtro reſolvente & à putredine defendente, conſervando calorem partis nativum.

XXII. Quæ ſuperſunt cutis vitia : exanthemata, papulæ, phlyctenæ, epinyctides, vari, lenticulę, ſudamina & maculæ cujuſcunque generis, ad coſmeticen, ipſius Celſi, Hippocratis Latini, conſenſu rejicimus. Itaque iis relictis nunc quæ cuti univerſæ ubique locorum contingere queunt, ad particulares ejus tumores, id eſt eos advertemus animum, qui in certis tantum locis reperiuntur, ut ſunt verrucæ & clavi potiſſimum.

XXIII. Sunt autem ejuſdem fere ordinis, & ſub nomine verrucarum ambo poſſent non inepte collocari. Hæ nomen habent à protuberantia, ſuntque nihil aliud quam parvi tumores in cute prominentes, veluti monticuli, ex ipſius cutis ſubſtantia, aſcendentibus & elatis ejus partibus, vel in ſquamulas faceſſentibus, & materia craſſa in poris ſubtus turgente indurata : In triplici ſunt differentia : ſeſſiles, quæ vulgares ſunt, *μυρμήκια*, penſiles, *ἀκροχορδόνες*; & Thymi : qui rariores.

XXIV. Verrucę, in manibus frequentiùs quam ceteris partibus apparent, vulgares maxime : raro etiam in pedibus, facie, vel aliis corporis locis conſpiciuntur, potiſſimum poſt primam infantiam, colore nigricantes, ſæpe eminente pilo longiore ex ſummitate ejus fœdę. Hæ profundius inhærent cuti, inde difficiliores ſe præbent, nec facile tolluntur. Acrochordones contra faciliores, nec renaſcuntur abſciſſę, ut ceterę. Thymi ab herbæ ejus nominis flore ſic dicti, altius prominent, in ſummitate facile ſinduntur, & tactæ leniter, illico cruentantur : genus dolorificum valde, ut vulgare eſt indolens.

XXV. Tolluntur *verrucæ ſimplices*, vel plantarum acribus ſuccis, ex radice dracunculi, ari, cyclaminis, chelidonii, lacte ficus, tithymali, allio, quod non ſemper ſuccedit; vel rodentibus metallicis, auripigmento, calce viva cum ſapone, &c. quod itidem fallit: Oleo denique vitrioli, aqua forti, & cauſticis aliis, quod certius, ſed magis moleſtum quam pro morbi magnitudine remedium eſt. Extrahuntur quoque forcipibus, vel raſorio radicitus exſcinduntur; neque hoc tamen ſine moleſtia & dolore eſt. Expeditiſſimum remedium ego inveni, ſi acus immittatur per mediam verrucam, donec ſenſus eam ac fundum penetraſſe teſtetur : hęc ad candelam incaleſcat, quousque ferri poteſt, idque tertia vice. Sic radix exuritur, & verruca ſponte excidit : Levis inflammatio ſolet accedere nonnunquam, ſed cito iterum ceſſat, ſi emplaſtrum refrigerans adhibeas. Quæ ratio longe pręferenda eſt Fallopianæ cum 🜍e, quam Sennertus recenſet. Ruta inter duos ſilices contuſa, certe eas ſanari dicitur. Vide *de iis Gal. M. M. XIV*, 17. Exempla vero Obſ. à Mœnichen Cultr. An. ſubjecti XIX. Sed & ad fornacem calidum per dies aliquot ſubinde attritę, ſolent recedere. Hæc de vulgaribus ſufficiant : nolo enim nodos ad numerum verrucarum nexos, & guttatiis tectorum ſuperſtitioſa religione ſuppoſitos, aliaque anilia memorare. At *pendulæ* vel ſolo filo ſerico, ſucceſſive magis magisque adſtricto exſcinduntur ſine moleſtia, nec alio remedio eſt opus, niſi ex radicibus repullulent : quod ubi fit, cauterium actuale, vel potentiale dictum terminum ponit excreſcentiæ. *Thymion* vero magis rebelle eſt, quod ego moleſtiſſimum, ſub unguibus prominens, oleo tartari infuſo feliciter ſoleo reprimere. Verrucas in facie potiſſimum fert ægre delicatior ſexus. Hic nihil expeditius, quam oleo 🜔li eas tangere, verum per calamum impoſitum comprehendi ita vult verruca, ne ceterę partes lędantur : uti quidem memini in fronte eminentem haut longe ab oculorum cantho à parente meo olim hac ratione ſublatam.

XXVI. Alia ratio eſt clavorum, qui in pedibus prominent. Horum ortus eſt ex calceis anguſtioribus, quibus digiti comprimuntur : & quoniam oſſa ſubſunt, quæ cedere non poſſunt, compreſſione illa excluditur nutritius ſuccus, areſcente cute quę hinc ita incrementum capit, ut craſſiſſima reddatur. Quod ſi magna pars ejus ſuper pulpoſam carnem vim patitur, eadem pari modo craſſeſcit, ſed quia perioſtium non premit,

nullum exquiſitum, niſi excedat, dolorem infert. Tum latè diffuſum hoc malum callus audit, uti, ſi particula rotunda, clavus, à capite clavi quod refert. Hic exſcindi poſtulat uſque ad punctulum nigricans, quod in medio eſt, imo donec cutis rubra & mollis ſeſe ſubtus oſtendat: Sic tollitur, ſed non omnino, facile enim renaſcitur. Nonnulli exuſtoris medicamentis utuntur, quorum exemplum Aetius ſuppeditat notabile. Chirurgum feliciſſimum, Guernerum Rolfincium, memini mihi puero præcipere, ut lardum imponerem, ſic enim ſequacem fore, ut cultro exciſorio promtius obediat. Hoc conſilium ſecutus, citra exciſionem liberatus ſum, & clavus ſponte evanuiſſe viſus eſt. Vidi Anglum, linteo aceto imbuto, in quo prius cepa contuſa macerata erat, verrucam foviſſe, deinde exſcidiſſe: poſt ſectionem emplaſtrum emolliens impoſuit per aliquot dies, quo ad annos aliquot æger liberatus eſt. Verum non opus eſt tot ambagibus ad exſectionem, vel enim extemplo inſtitui poteſt. Quod ſi quis reformidet, etiam citra illam liberari datur, ſi pediluvio clavus molleſcat, & ſic cuticula una poſt alteram tollatur, quod fit nulla violentia, nam auferri ſic ſenſim poteſt. Sed in eo difficultas, eſt ut ne redeat, efficiamus. Omnium primum eſt removere ea, quæ comprimere arctius antea ſolebant. Celſi conſilium etiam optimum: Clavum ſubinde deradere, nam ſine ulla vi ſic emolleſcit, ac ſi ſanguinis quoque aliquid emiſſum eſt, ſæpe emoritur.

XXVII. Ex cutis tumoribus evaſimus: Ad eos igitur, qui carnibus ſunt familiares, accedendum foret: niſi ſeſe offerrent ſub ea promixe advoluti, & inter has illamve, vel etiam oſſa medii interjacentes quidam, qui tamen neque ad alterutram, neque ad alias attinent partes, minime vero omnium ad glandulas, cum in locis glandulis prorſus deſtitutis oriantur, ſed ſuo folliculo incluſi, eoque tanquam amiculo induti ſunt, quibus ipſa cutis ſupra naturalem terminum attollitur. Hi omnes fiunt per congeſtum, ſucceſſive, & quotidie magis ac magis apparent. Cyrtomata Hippocratem eos appellaſſe, exiſtimat Marcus Aurelius, quod ſublata à carnibus cute, gibboſin quandam varicibus ſimilem referant. Sunt autem illa potiſſimum quatuor numero: Ganglion, Atheroma, Steatoma, Meliceris: etſi enim vulgo Ganglion huc non referatur, tamen ejusdem naturæ eſſe cum ceteris patet, niſi quod in hoc uno differat, quod reliqua tubera venis gaudeant ſuis, & nutriri exiſtimentur, hoc iis careat. Hinc etiam Celſus videtur permotus, ut uno eodemque capite de iis agat, quem libenter ſequimur. Omnia autem iſta hæc habent communia, quod ex parvulo incipiunt, & diu paulatimque increſcunt, & tunica ſua includuntur, ut idem etiam docet: in eo interim reprehendendus, quod capitis tubercula vocet, fateatur vero mox, & in cervice, & alis, & in lateribus oriri: quod de tribus poſtremis capiendum, ganglion enim in articulatis potiſſimum manibus, & ubi oſſa proxime ſubſunt, quantum me obſervare memini, ſolet exſurgere. Quin & à ceteris nullum corporis locum immunem eſſe, modo laudatus Chirurgorum maximus interponit fidem.

XXVIII. Cum itaque eadem ſpecie appareant, eadem opera de iis peragi etiam æquum eſt; antequam vero ad ſingula perveniam, quædam adhuc de univerſis notabo, & quibus differant, potiſſimum exſequar, cùm internis contentis, tùm externis proprietatibus. Hic primum occurrit, quod nullo ſint colore alieno, ſed quia nec ſanguinem, nec alium coloratum liquorem continent, cuti ſuus etiam maneat: eſt autem ad tactum quædam eorum diverſitas. Quatuor nimirum duritiei gradus proponi poſſunt, quorum primus eſt Meliceridis, mellis tenuitatem habentis: proximus Atheromatis, pulticulæ ſimilis, ex farina coctæ, quæ Athera Græcis appellabatur: Tertius Steatomatis, adipem in ſe continentis. Ubi dubium movet Aetius, dum tactus mollitudine à prioribus dicit differre: qui enim cedens pulticula melleve eſt mollior? itaque ſic interpretor: quod digitorum apices facilius admittat, eorumque ſervet veſtigia, nec ut priora, iis renitatur, molliorem ab ipſo dici, hoc enim adipi eſt proprium, cum tenuiori materia tenſus folliculus & fortius reſiſtat, & reſiliat preſſus: ut videmus in veſica quolibet fluido impleta: Quartus vero & ſummus duritiæ gradus in ganglio deprehenditur. Eſt autem illa ipſa durities, quæ curationis rationem magna ex parte mutare jubet, quod in ſingulis nunc oſtendendum eſt.

XXIX. Atheromata & Melicerides in eo conveniunt, quod in folliculo fluctuet humor. Deſcripſit ea omnium optime Aetius, quare & eum potiſſimum ſequar. Atheroma, dicit, eſſe tumorem figura oblongum & ſublatum, qui ad compreſſionem digitorum ob humoris craſſitudinem tarde cedat, tardeque iis ablatis revertatur, à quo meliceris differat, quod & rotundior ſit, & humoris eſſentia tenuior, & hinc ad digitorum compreſſionem celerius cedere, & celerius etiam reverti: cum quibus exacte Celſus aliique veteres conſentiunt. Non autem hæc ita videntur poſſe diſcerni, ut certo omnia affirmare liceat: quin potius, quid intus habeant, ut conjectura præſagiri poſſit, ſic ex toto cognoſci, niſi cum ejecta ſunt, non poſſe, Celſus monet, quod tamen non propter humorem, ſed alia quædam ſimul ibi contenta ita fieri apparet: ait enim, in his quæ renituntur, aut lapillis quædam ſimilia, aut concretos confertosque pilos reperiri. Quæ ad Atheromata refert Aetius, & in pultaceo humore exiſtere dicit: addit etiam, alia tanquam ſulphuris ramenta, & alia velut manſa Gallinarum oſſicula offendi; quin Philoxenum animalia eruiſſe culicibus aut muſcis parvis ſimilia. Oſſiculorum recentius exemplum eſt legere in Ephemeridibus. Nec minus notabile quod *Petrus Marchettus* in Meliceride ſe vidiſſe, ipſe teſtis eſt: in ejus nempe folliculo alium ejuſdem generis tumorem, ſed minorem delituiſſe, ſua & ipſum membrana incluſum. Ubi quis cum ranis Æſopi apud Phædrum exclamandum putaverit:

Quid futurum eſt, ſi crearit liberos?

XXX. Steatomatis non multum diverſa eſt ratio. Quod, qua vel auctoritate vel experientia ad ſolas glandulas pertinere vir quidam doctiſſimus hodie perhibeat, cum nemo usque adhuc idem affirmaverit, perinde ſcio atque illud, cur Celſus capiti velit eſſe proprium. Hoc ut reliqua ſenſim exoritur, nec niſi duritie ejus, quam includit materiæ, ab iis differt: ſed tactu lene eſt excedens. Plerumque ampliorem baſin habere conſuevit, imo latiſſime patet, reſolvitque totam cutim ſuperpoſitam, ſic ut ea labet, inquit Celſus, cum in ceteris ſit adſtrictior. Nec minus à Struma, quam reliquis mollitudine differt, quæ durior utique, & nullam à digitis compreſſionem admittit, ſed iis reſiſtit fortiter, niſi forte ipſum hic Steatoma pro ſtruma ſit: Nam etiam in collo oriri, cum reliquis, eidem Celſo fides habenda eſt.

XXXI. Priusquam curationem tradam, de cauſis illud monendum habeo: plerumque citra manifeſtam cauſam ſua ſponte oriri, ſed aliquando tamen externæ deberi violentiæ. Nam & Moniales, quæ genubus jugiter poſitis preces ſuas recenſent, melicerides in his auferre; & ex equitatione incommoda ſteatoma militi in perineo enatum, meminit Etmullerus. Ex quibus hoc quidem rarius eſt, apparet tamen, partium attritionem malo anſam dediſſe; illud autem ex laxata cute ortum eſt: cum enim ſub tendinibus in unum concurrentibus magna pinguedinis copia ſoleat adeſſe, hinc facile fieri potuit, ut illa pariter cute ac tendinibus læſis, excreverit. De dignoſcendis quoque his à ceteris Tagaul-

tius nos inſtruit, indicio eſſe dicens cyſti incluſum tumorem, ſi mobilis ſit ſub cute; ſi vero fixus carnibuſque & cuti adhærens, nullum eſſe ei integumentum: quod apprime notatu utile eſt.

XXXII. Duplex hæc curandi modus eſt: diſcuti enim poſſunt, & exſcindi. Quorum hic ultimus longè eſt potior; Nam & rectius multo, & promtius etiam opus ſuccedit. Modus operandi hic eſt: Æger ad commodam ſectionem compoſitus, &, ſi ex re eſt, in ſella collocatus, quieſcit, cutis reprehenſa manibus, ut in ſetaceo ponendo fieri ſolet, cultello acuto cujus dorſum obtuſum ſit, acie ſurſum ſpectante, inciditur, & folliculus hoc pacto ab omni læſione tutus, in circuitu ſcalpello, ſubtus vero digitis vel ſcalpelli manubriolo ſeparatur, ubi id cavendum ſedulò, ne vel intempeſtiva violentia rumpatur, & Atheromatis vel Meliceridis humor effluat, vel etiam, ſi vaſa ad eum tendant, aut nervi adjacentes innectantur, læſionem accipiant, nam ex hoc ſenſus aliquis poſſet perire vel motus; ex iſtis vero ingens profuſio ſanguinis ſolet imminere: hinc & anatomes peritia, & induſtria non levis ad hæc requiritur. Peracta ſeparatione, radices reſecandæ, ſique vaſa ſint, prius illa liganda ſunt, ſicque folliculus eximendus: cujus, ſi humorem continebat, isque effuſus eſt, difficilior fit à ſubjectis partibus ſeparatio: niſi verò totum exſcindas, metus recrudeſcentiæ eſt, novo per easdem vias humore in inane ſpatium confluente. In Steatomate verò ex quorundam mente ipſa quoque folliculi tunica incidenda, quia non facile à ſubjecta carne ſeparatur: Veruntamen Severinus & hic totum exemit, & per plures annos conſervavit incorruptum.

XXXIII. Hic vero duo adhuc notanda: primum, hęc tùm habere locum, ubi latior baſis eſt: ſi enim ex anguſta propendeat tumor, nullâ opus eſt ſeparatione, ſed totum ſteatoma brevi manu à baſi reſcindendum, hic enim chirurgiæ modus expeditus eſt, & ſic ulcus parvum & planum fiet, & curatio compendio tranſigetur. Alterum, quod etiam ſupra tetigimus, quosdam folliculos exertos eſſe, & in ſuperficie quosdam altius inſediſſe; in quibus caute agendum: ſolent enim nervi & vaſa eſſe proximi, niſi inſerantur plane, unde ſuperior cautio hic eſt obſervanda.

XXXIV. Exemto folliculo, committenda vulneris ora, & ſi plus æquo laxa cutis ex magnitudine tumoris eſt reddita, pars ejus reſcindenda eſt. Deinde ſuturis committitur, vel, quod ſalutare Aquapendentis Fabritii eſt præceptum, glutino, quod illum ſemper ſequatur inflammatio, hoc facile evitanda. Quodſi folliculus totus non extractus ſit, venam ſubjectam, unde incrementum alimentumque ad eum pervenit, transverſim incidamus, ſic enim areſcere & exire reliquias neceſſum eſt. Sed & digeſtivis licebit rem tentare, &, ſi craſſior forte membrana eſt, cathæreticis. Vide in hoc P. Marchetti obſ. XXXV. Dehinc ſuperponendum tamen defenſivum eſt, ad præcavendam externam inflammationem, & puris generationi ſtudendum, ut in aliis abſceſſibus fieri ſolet. Exempla meliceridis ſectione curatæ vide quoque March. Obſ. XXI. & XXXI. Atheromatis vero XXXIV. & Joh. Sculteti Obſ. LXXXVIII.

XXXV. Atheroma, ſi in capite extiterit, exemto folliculo, pericranium ſecari jubet Sennertus, & calvariam radi, ne radix ulla mali relinquatur. Idem monet Fabritius: uterque ex Aetio habet. Exemplum exſecti Atheromatis vide iterum apud Scultetū, Obſ. LXXXIV. Steatomatis feliciter reſecti hiſtoriam reperies apud Hildanum, Cent. IV. Obſ. XVI. & XVII. ex qua cautelam licebit petere: neque enim omnes ejuſmodi tumores reſecandi ſunt. Vide tamen & II. 79.

XXXVI. Et ſic quidem chirurgica manu tolluntur hæc. At enim pauci ſunt, qui ſectionem non reformident. His diſcutienda & ſuppurantia commodare jubent; ſed rarò ſuccedere poſterius arbitror, prius etiam rariſſime. Suppuratio enim, quæ ſolis abſceſſibus carnoſis debetur, in tali humore, heterogeneo & craſſo vix ſuccedet, deeſt enim calor, qui pus concoquat: multo verò difficilius credi poteſt, discuti in folliculo membraneo, imò nerveo contentum humorem, cumque craſſum, & ad ſolidam proxime accedentem materiam. Fortaſſis antequam folliculus perficiatur, disjici poteſt materia: Nam Tagaultius recentes & tractabiles diſcuti ſeu reſolvi poſſe, duros vero & jam inveteratos nequaquam, optime videtur monere.

XXXVII. Tamen nihil non tendandum, incertum licet, ſi certa operādi ratio locum non invenit. Conſultius interim eſſe arbitratus fuerim, cauſtico aliquo aperturam moliri, adeoque viam facere humori ut exeat: Quod idem placere video Aquapendenti, atque aliis, qui fatentur aperte, Atheroma non obtemperare diſcutientibus, quia materia ſolvi in halitus non poteſt: ſepticis igitur agendum eſſe. In quo, ut recte ſentiat ille, non tamen audiendus, ubi Arſenicum & Auripigmentum miſcet: Rectius acida & ſalina in uſum veniunt, vel Barbette unguentum, mox deſcribendum: Si quis tamen inſiſtere velit blandioribus illis, Aetium adeat præprimis, qui magnam horum copiam conſcripſit, ut quilibet habeat, quæ poſſit eligere. Commendantur autem maxime etiam emplaſtra ex Gummi Ammoniaco, Galbano, Terebinthina, adipe anſeris, reſina, oleis Liliorum, Chamæmeli, ſuccini, ſulphure: Oxycroceum porrò; & de ranis cum Mercurio. Barbette ſe aliquot curaſſe Balſamo Peruviano affirmat: commendat & unguentum Aegyptiacum cum Chalcantho & Ærugine. Balſamum ſulphuris Etmullerus laudat, & laminam plumbeam argento vivo illitam, quod tamen ex alio didicit.

XXXVIII. Ganglion ſupereſt, quod duriſſimum ex his diximus. Γάγγλιον, Γάγγλια, Græca ſunt nomina, Latinum Lupia, quod inſtar parvi Lupini ſint, ſi credimus Vidio, ſui ævi ſcriptoribus dicuntur. Tubercula ſunt Nuci avellanæ magnitudine plerumque paria, ubi cuti tendines, nudaque oſſa ſubſternuntur, conſpicua, ſpecie glandularum, doloris expertia; ſeu brevius ex Philagrio, Paulo interprete, *Ganglion eſt nervi nodoſa coactio & tumor, ex plaga ſeu labore ſubortus, raroque ſponte proveniens, manuum juncturas & talos frequentius occupans, rarius cubitum & caput.* Quo tamen, locorum quibus fiat amplitudinem non plane exhaurit: nam & in medio metacarpi, alibique in extremis artuum, ubi nullæ ſunt juncturæ, ſæpe oboritur. Celſus, ut dixi, ad capiti propria refert, neſcio quo errore, quem Aetius corrigit, & rarius cubitum & caput occupare; rectius perhibet. Quo pacto oriatur, non liquet: Ex ſucco nutritio nervoſarum partium fieri, Klopron Havers, nuperus ſcriptor conjectat. Videri poſſet lymphaticus humor, qui partes nervoſas alluit, neſcio quo ſpiritu Gorgonico afflatus, congelari, niſi ſenſim excreſceret, & poſt labores ac vim factam oriretur, ut retuli modò. Itaque apparet, per appoſitionem novi liquoris quotidie augeri, ubi ſenſim cępit, & ſubtilioribus evaporatis, indurari. An vaſculum lymphaticum ſupra modum expanſum, membranam conſtituat, ubi vel ictu, vel alia violentia illatā urgetur humor qui intus vehitur, non patet.

XXXIX. Non eſt magni momenti hic tumor: hoc enim habet beneficium, quod rupta membrana evaneſcat. Ad hoc expedite Helvetius, inter Batavos celebris, utebatur malleo ligneo, corio obducto, quo percutiebat tumorem. Hinc etiam forti manus alliſione ut oritur, ſic & tollitur. Non opus igitur admove-

C 4 re ſcla-

re ſcalpellum, &c, velut in ceteris, exſcindere. Nec emplaſtris tædioſo labore reſolvi poſtulat: Emolliri vero poteſt, dein vi diſſipari externa, à chirurgo ſubito compreſſus, quam elegantem rationem apud Aetium videre licet. In eo reſolvendo quod Hydrargyrum valeat, *Joh. Loſſius* mirabili eventu expertus eſt, ut libro de podagra perhibet: ubi emplaſtrum addit à Zacuto Luſitano ſibi communicatum, quod NODOS podagricos quoque diſſolvat. De quibus ſi quis ſit ſollicitus (conſtant autem ex iiſdem, ex quibus Ganglia, & quaſi raſæ cartilagini, ut cum Celſo loquar, ſimile quid contineant) is vel ſolus optime ſatisfecerit.

XL. Sed quid de illis dicendum, quos recentiores chirurgi, Barbaro-Latini Sennerto vocati, nobis memorarunt: Talpa, Teſtudine, Natta, Bocio, Lupia, & glandula? Bocium bronchocele eſt, Lupia & glandula ganglion, teſtudo & talpa idem ſunt, & quia ad ſaniem pleïumque tendit, Vido ſi fides, forte incipiens eſt meliceris, aut quid ſimile: Mirum interim à noſtratibus non obſervari. Nattam vero, num ad ſteatomata vel alium folliculo contentum tumorem referemus cum vulgo? Ignoſcant mihi Sennerti aliorumque manes, cum non ſatis penſitaſſe rem, verum ab invicem exſcripſiſſe dixero ſuos auctores. Ille ſane ſe prodit liquido, cum ſeorſim conſiderari dicit, quia privatim capiti accidant; mox ſui oblitus, in dorſo & humero quoque erumpere tradit, Celſum in utroque ſecutus. Dicit autem Guido Cauliacus, aliquando cyſti includi, nonnunquam in carne eſſe infiltratam, hoc eſt altius radices agere. Ex quo patet, illam huc quidem pertinere, hanc vero eſſe corpus extra cutim propendens, carnoſum, vaſisque ac glandulis ſuis inſtructum, paucis, id, quod Carcinoma noſtratibus audit: non ergo ad tumores, ſed ad excreſcentias referendum, de quibus ſi tempus & otium id permittent, agemus in calce. Dicit hoc Guido aperte: In quacunque corporis parte provenire, & eſſe *carnoſam excreſcentiam*, ſub forma cucurbitæ, aut melonis, aut naticæ; in quo reliqui, nominatim Tagaultius, & Vidus Vidius conſentiunt.

XLI. Iis jam expeditis, quæ intra cutim carnemque apparent ad hujus ipſius tumores animus applicandus eſt. In his *Furunculus* primum locum occupabit: Quem Celſus tuberculum appellavit, ego tumorem optimo jure dici poſſe arbitror: Enimvero eſt tumor acutus cum inflammatione & dolore. Noſtro idiomate dicimus *einen Blutſchwehren*, quia non ſincerum pus, ſed ſanguine permixtum ex aperto effunditur. Furunculus vero fortaſſis, quia dolor, dum in pus vertitur, & tendit cutem, acerrimus eſt, & quaſi cum furore pulſans. Noſtrates ajunt: *Es qvurt, und wuhtet.* In iis quibus impurior eſt ſanguis, & calidior tamen, erumpit: ſive coagmentetur ſerum craſſius & minus coctum, ſive relinquatur aliquid ex morbis gravioribus acutisve, ut poſt variolas frequenter accidit. Familiariſſimum infantibus eſt malum, deinde juvenibus, & ex his iis cumprimis, quibus crudior, & cocturæ difficilis cibus in victum cedit: his enim ubi aliquid indigeſtæ materiæ inter muſculorum carnes hæret, Siſtitur ſanguis & calorem concipit. In eo nullum eſt periculum, etiamſi nulla curatio adhibeatur, præſertim ſi minor ſit, & ſuperficiem muſculorum ſub cute leviter occupet: ſi vero in adultis apparet, ſitque major, dolor efficit ut medicina expetatur, quæ maturius liberet. Ea talis ſit, ut quam citiſſime tumor ſuppuretur: Far triticeum vel panis cum butyro maſticatus & impoſitus facile vulgi remedium eſt, his addi poſſunt radix Althææ, ficus, & cetera emollientia & in multis formam redigi, calideque imponi: ſed commodius emplaſtro res peragitur: diachylo, vel tetrapharmaco Galeni, quod ad omnes abſceſſus commendat Chirurgus expertus Gualtherus Ryffius, vel ſimili: Proprium ejus medicamentum eſſe Galbanum, Celſus prodidit.

XLII. Non autem ſemper Carbunculi abeunt in verum ſtatim pus, neque expectandum eſt in adultis ut ſponte rumpantur, nam pleriſque in locis cutis obſtat denſitas: ergo cum mollior apparet tumor, & in cacumen altius elevatur, digitoque admoto, in eo pus fluctuare percipitur, ſcalpello aperiendus eſt: tum ſanguineus pure mixtus ichor prodit, ſequitur mox verum pus, ad quod promovendum unguentum digeſtivum adhibendum eſt: Pure dein evacuato, ſponte conſuevit evaneſcere.

XLIII. Hæc de furunculo: Ecquid vero eſt Phyma & Phygethlon? Hæc aliud ſunt apud Celſum, aliud apud Chirurgiæ ſcriptores reliquos: hi enim omnes, Galenum ſecuti, glandularum tumorem interpretati ſunt. Cornelio autem abſceſſus furunculo major & rotundior eſt: nam utrumque parum inter ſe, & à furunculo differt; ut Galenica illa cum bubone concidunt: niſi propter magnitudinem ad abſceſſus veros quis malit referre: Quicquid ſit, nulla hic tradi debet nova curatio, cum ſeorſim hodie illa non conſiderentur, & ſub iſtis nominibus ignota ſint.

XLIV. Furunculo *Paronychia* à me ſubjicietur, cum nihil aliud videatur eſſe, quam furunculus circa extremitates digitorum enaſcens: haud ſane apparet in ceteris ab eo diverſus, cum & calor & dolor, & ſubſequens pus, & reliqua quæ in furunculo adſunt, omnia compareant, & tantus quidem dolor ſit, ut non ipſe modo veluti cum furore quodam ſæviat, ſed & illos quos affligit, pene faciat furere. Nec cauſa diverſa eſt: niſi quod acrius paulo ſerum; vermem enim ſubeſſe, vulgi eſt fabula: etſi ſemel deprehenſus unus Johanni Agricolæ memoretur. Hinc ex aperto poſtea, perinde ac illinc, pus albicans cum ſanguine erumpit. Quod autem dolor ſit ſævior & quaſi intolerabilis, ex loci eſt conditione, cum perioſtium ſit in propinquo, multo quam carnoſa fibra magis ſenſibile. Sed nec multum carnis hic loci apparet, verum ſubſtratas cuti, cumprimis articulum verſus, glandulas anatomicus oculus detegit, ſat magnas, globoſas, pellucidas; quas dum conſpiciunt in ulcere imperiti, malignum eſſe & hoc aliquid præter naturam autumant: Et vero illud eſt quod vidit Guilielmus Fabritius, cum incipiente malo abraderet cutim. Hæ glandulæ pulpam digitorum componunt, & fibris nerveis arctiſſime connectuntur: Eſt etiam in dorſo unguibus ſubſtratum ſubtegmen coccineum reticulatum, nondum ab Anatomicis deſcriptum, ex quo color per unguium cornu perlucet: quod ut in febrium acceſſu horrore ingruente, lividum fit, ſic forte itidem hic inflammatur, & dolores conduplicat. Obſervatur autem, eos maxime, qui manuum operam collocant aliis, & vulgum hoc malum infeſtare: quippe quibus facile hic aliquid contunditur, & extra vaſa erumpit. Huic ſi ſpatium ſubſiſtendi concedas, immanem ciet dolorem, & niſi exitus detur humori, os ipſum rodit & corrumpit, ut articulum reſecare haut raro neceſſum ſit, quoniam ſanari niſi oſſe correcto vel exempto, ulcus non poteſt. Quod partim acredini humoris adſcribendum, partim loci anguſtiæ, ſtatim enim ubi diffundit ſe, perioſtium tangit, & hinc cruciatus, quin & inflammatio augetur, & manum, totumque brachium occupat: Ex dictis liquet, Paræum falli, dum ab oſſe initium ducere hoc malum autumat. Nam & Fabritii obſervatio, & curatio ipſa, & omnis morbi hiſtoria contrarium evincunt. Quod ſi tamen unquam os corrumpitur prius, ut in Vigonis affectu, & doctiſſimo Merklino annotata hiſtoria factum videtur, ad ſpinam ventoſam pertinere, non Paronychiam, non eſt ulla ratio ambigendi.

XLV. Curatio itaque non tam magna, quã promta requirit auxilia, eaque talia, quæ cito adigere tumorem ad ſuppurationem poſſunt, qui deinde promte (quod palmarium) ſcalpello adacto, aperiendus eſt: Sæpe manſus cum butyro panis huic rei ſuffecit: & ſubit equidem Sennertum atque alios mirari, qui in levi, acuto licet, malo per venæſectionem, purgationem, repellentia, atque alia longius petita ad ſuppurationem procedunt: cum Chirurgus quilibet vel intra paucos dies uno emplaſtro & unguentulo cum eo tranſigat quod citra periculum factum vidi frequenter, nec unquam male ceſſiſſe memini. Eſt tamen & alia in principio illud curandi ratio; quando inciſa cute, prius nonnihil emollita, ſeri limpidi exigua portiuncula, quæ unam aut alteram guttam non excedit, evacuatur, eſſentia poſtmodum theriacali, vel vini ſpiritu cui theriacæ nonnihil admixtum eſt, cum linteo applicata: cujus methodi auctor eſt Hildanus. Verum hoc non ſine dolore efficitur: nec methodicum eſt, cruda evacuare, ſed cocta: Itaque potius emplaſtro diachylo vel alio pus movendum, quod intra biduum, vel promtius ſuccedit, vel etiam cataplaſmate utendum iiſdem facultatibus inſtructo, emolliente ſcilicet & digerente. Nulla deinde mora, ut dictum, cutis incidenda: facit enim abſceſſus exilitas, puris paucitas & cutis durities, ut inde erumpere ſponte non queat: effuſo pure, digeſtivo & mundificantibus ex terebinthina, melle roſato, Aloe, Myrrha, thure, aliiſque paulo ſiccioribus, qualia ſerum quod peccat, & glandulæ ſupra memoratæ ſibi poſtulant, ulcus curandum & ſarcoticis occludendum eſt. Tertia ratio, eaque facillima eſt, ſi in principio ſtatim cum theriaca allium contundas, vel ejus miſceas cum illo ſuccum, & imponas: ſic diſcutitur, & redit in circulum lympha, ut nec opus apertione fiet. Idem etiam aperto ulcere, ubi chirurgi imperitia ſordidum ac carne luxuriante ſpongioſaque plenum apparet, (ita ut fit) miraculi inſtar uno die morbum ſuſtuliſſe novimus.

XLVI. CARBUNCULUS etiam in carne apparet: qui ſphaceloſa ejus corruptio eſt, à maligno humore veteribus credita: Recentes, ut ſolet ęvum eſſe oculatius, & quod illi per tranſennam, apertius videre atque diſcernere, ab acido acerrimo ſanguinis purpuram everti, & non ſecus ac cauſtica faciunt, exuri carnes, experimentis evincunt. Dicitur & Carbo, quod illum colore refert: quippe cinerea, vel prorſus atra cruſta contectus eſt, ceu pix ac bitumen ſplendere ſolet: ſenſus omnis, ut in ſphacelatis accidit, extinctus eſt. Duplicem eſſe, ſimplicem ac peſtilentem, auctores volunt: quamvis vix alius quam peſtilens occurrat, altero pene nobis ignoto. Medicamenta à Galeno illi deſtinata vix ſatisfaciunt, multo minus miſſio ſanguinis uſque ad animi deliquium invenit locum, ſed Alexipharmaca intus exhibenda, & ad uſtionem veniendum eſt, de qua Celſus: nihil melius eſſe ait, quam protinus adurere: neque id grave, cum non ſentiat æger, quoniam ea caro eſt mortua: Tum cruſta idoneis medicamentis adhibitis, levatur, & fit ulcus, curandum ſicut reliqua ulcera, mundantibus, ſarcoticis & epuloticis.

XLVII. Hęc ſecundum illum: quod ſi uſtionem ęgrotus reformidet, ut ſunt noſtrates homines meticuloſi, & minus efficacibus remediis adſueti, neque cucurbitæ, nec veſicatoria, nec bufones, (incerta) nec ſapphirum, nec hyacinthum (vana) nec ſimpliciter acria attrahentia (nociva) laudaverim, ſed attrahentia cum theriacalibus, ſpirirus confortantibus & gummatibus miſta, vel tale, quod & Diemerbrock expertus, & Barbette laudat: ♃. Rad. conſol. maj. ſicc. Herb. Scord. à ʒii. Rad. Alth. farin. ſem. lin. tricic. à ℥ß. M. F. pulv. ſubt. c. 🜄 comm. coquendus ad pultis Craſſitiem. Add. mell. tereb. Ung. Apoſt. a. ʒiij. Pic. liquid. Ung. Baſil. a. ʒij. Vitell. ovor. nõ. j. Croci ℈j. M. Vel Mindereri: ♃. But. Ung. roſ. popul. anodyn. ol. Lil. alb. Cham. add. Ferment. vitel. ov. Vel Emplaſtrũ quod in Barbette chirurgia legitur: quæ remedia ſæpiſſime renovanda ſunt, quia vehementer carbunculus exſiccat; vel Empl. Arſenicale magneticum ejuſdem Barbetti. Sunt qui Cauterio potentiali utuntur, vel circumſcribunt carbunculum Butyro Antimonii; quo potiſſimum illud obtinetur, ne ſerpat per vicina malum: quod ſi fit, ſæpe in longum protrahitur curatio. Poſthæc levanda cruſta, atque, ut dictum, mundificandum ulcus & conſolidandum eſt, ubi balſ. ♀is, Ungu. tetrapharm. vel empl. Apoſtol. liquatum, vel Ægyptiacum, vel fuſcum Wurzii cum putredini reſiſtentibus adhibenda: tum cicatrix ducenda qua fieri poteſt, minus deformis.

XLVIII. Hęc ex ſanguine originẽ ducunt: Nunc qui ſero debetur exponendus venit. Hic fit, illo in mediis carnibus ſubſiſtente, & proprio nomine Οἴδημα hodie vocatur; Hippocrati vero, qui tumorem quemlibet præter naturam eo ſolitus eſt notare, cum adjuncto: *Molle*. Veteres, quibus nulla ſeri & pituitæ fuit diſtincta cognitio, Pituitoſum pronunciarunt & frigidum, ut contra ſanguineos omnes calidos non ſine cauſa habuerunt. A Celſo nullibi ejus mentionem fieri mirum eſt. Et videtur poſt demum à Galeno hoc nomen ipſi attributum, propriumque redditum, cum quatuor humorum imperium ſtabiliret, quem ceteri pro more è veſtigio ſunt ſecuti. Non eſt vero exiſtimandum, œdema tumorem eſſe quales reliqui conſueverant, qui definito certoque gaudeat ambitu; Nam intra carnium fibras ſe continet quidem, ſed ita, ut modo majus, modo minus occupet ſpatium, ſeſeque varie diffundat, nec limites agnoſcat præſcriptos, quib; contineatur: Sed præſtat eum accuratius deſcriptum dare.

XLIX. Eſt ergo intumeſcentia manuum potiſſimum vel pedum: raro alibi viſitur, & ſi totum corpus aliter aliterque occupet, Λευκοφλεγματία appellatur, quam ad Hydropem referunt nonnulli. Articulos tamen aliquando obſidet: uti quidem non in genubus modo, ſed etiam in carpi regione illum obſervavimus, valde notabilem ac pertinacem admodum. Fieri fere ſolet, quoties vim patitur, ut per arterias influens in partes, remeare totus ſanguis non poſſit, ſive comprimantur, ſive alia quacunque ratione per ſpatia intermedia advenientem tardius ægriusque tranſmittant: Sic enim accidit, ut proprie ſic dictus, ſolus per venas refluat, relicto poſt ſe glutinoſo & craſſiore ſero. Quod ita fieri, cum ipſa laborans natura aliquando manifeſtat, tum vinculis conſtricta & coacta prodit. Non enim aliunde eſt derivandus pedum in prægnantibus tumor, (rariſſimum, quod nuperus ſcriptor chirurgus memoriæ prodidit ſe vidiſſe, ut totum corpus occupet) quam quod rami Iliaci ab utero comprimuntur: quod ſi, ut in modo allato exemplo, univerſum inundetur corpus, ſine dubio ex ipſa cava idem paſſa id evenit. Imbecillibus quoque contingit hoc mali, ut qui ex febribus Chronicis convaleſcunt, & Phthiſicis ad extrema reductis. Quod ſi experimento etiam diſcere illius rei rationem cupias, venam quandam ex majoribus ligato, pauloque poſt, partem ex qua illa reducit ſanguinem, incidito: videbis inde non ſanguinem, ſed aquam promanare. Eſt igitur *Oedema, ſeu potius œdematoſus tumor frigidus*, (hoc eſt præternaturali calore carens) *mollis, à ſero in interſtitiis fibrarum, carnearum potiſſimum, ſtagnante proveniens.*

L. Signum ejus eſt caloris ruboriſque abſentia, & quod veſtigia recipiat digitorum, quod in illo qui carnem ſpectat, pathognomonicum eſt. Nullus adeſt dolor, niſi tenſivus: quod ſi eſt acre ſerum, fibras tendinoſas pungere, doloreſque excitare ſolet: & tum vocant nonnulli tumores ſcorbuticos. Laxum hunc tumorem

Tumorem omnes ſtatuunt, & mollem, quia digitis cedat: fruſtra tamen, niſi fallor; ubi enim magna copia in maximam molem attollit membrum, non ſane mollis eſt, ſed durus, tenditur enim cutis vehementer, omne vero, quod valde tenſum eſt, renitet, adeoque eſt durum; & licet digitis cedat, non tamen id fit citra fortem compreſſionem: Interim hoc verum eſt, omnem digitorum veſtigia aliquandiu ſervare, & ita laxum illud explicandum venit. Accidit nonnunquam & ſupervenit aliis affectibus, Phthiſi, ut monui, hydropi, febribus quartanis diuturnis, & quibus menſtrua rite non fluunt, cujus rei cauſa in aperto eſt.

LI. Oedema diuturnus morbus eſt, periculo tamen vacat, ſic omnes loquuntur medici & ſentiunt: ego diſtinctim pronunciandum exiſtimaverim: Nempe ex quacunque corporis diſpoſitione præternaturali ſit tumor œdematoſus, eo ſublato, & ipſe ceſſat: ut prægnantium, & qui poſt febres demum advenit tibiis, nam is quoque remediis non adeo difficulter cedit: Qui vero ſponte, nulla ex manifeſta cauſa, apparet, diuturnus eſſe & magis rebellis aſſolet. In ſenioribus ſæpe incurabilis eſt, deficiente natura: in florente vero ætate obſecundat: & aliquoties â me, etiam ventre jam intumeſcente, adeoque hydropis oſtendente ſe initio, feliciter ſublatus eſt. Si ſimplex eſt, recedit, reſorbent enim ſerum venæ & aliorſum abducunt: ſi vero depravatum illud ſit & crudum ex indigeſto chylo, ſæpe diu affligit, & difficulter ceſſat, & in ſcirrhum quandoque degenerat, perraro etiam ſuppuratur. At ſcorbuticus dictus tumor, qui non inſipido, ſed ſalſo ſero ſolet ſcatere, correcto hoc ipſo, & mali fonte exhauſto, demum ceſſat: ut mos eſt ſymptomatum, vel eorum qui ex alio pendent morbo. Quod enim in foro ſuo ſolent ICti monere, id etiam in foro medico locum habet: Acceſſorium ſequitur ſuum principale.

LII. Hinc etiam in curatione ad cauſam, ut fere ſemper, alterum oculum intentum habeat medicus: Si ſui juris ſit morbus, & à ſeri copia ejus per alvum ſtudendum eſt eductioni, ſucceſſivę tamen potius quam ſimultaneæ, quæ potionibus commodiſſime inſtituitur. Diuretica quoque, & quæ incidunt, ſalia fixa urinoſa, & compoſita, uti & diaphoretica, egregia ſunt, decocta lignorum potiſſimum; ſed tardius auxilium ferunt. Si vero & viſcera labem ſuſcepiſſe ſuſpicio ſit, & hinc craſſiorem lympham ſtagnare ex cruditate, accedant alia, quæ debilem calorem ventriculi ac ſanguinis excitent, viſcera roborent, & tonum ipſis reſtituant. Hoc præſtant plantæ quamplurimæ, Agrimonia, Chamædrys, Fumaria, flores Geniſtæ, Roriſmarini, Epithymum, & ejus generis alia: ſed & metallica quædam, Chalybeata maxime, liquores martis mitiores, & ejus vitriolum; illud aromata, itemque plantæ floribus verticillatis odoratę, & ex utroque genere parati cum ſale Ammoniaco ſpiritus volatiles oleoſi; denique omnia in cachexia uſurpari ſolita, uti Abſinthii ſummitates: ſi ſcorbutici quid ſubſit, ſtrobuli pinaſtri (nam pinum natura negavit Germaniæ) ſemen urticæ, ipſiuſque minoris ſuccus, radix graminis, germinantis frumenti herba, & ſimilia vulgata, ſępe reliquis nihil valentibus præter ſpem ægrum levarunt. Externa vero etiam neceſſaria ſunt. Galenus ſpongiam cum poſca expertus commendat, cujus rei rationem explicare nititur Aquapendens: faſciis quoque uſus. Quem imitatur Barbette, apud quem elegans quoque extat infuſum. Mihi unguentum Aregon; de Arthanita, & ex emplaſtris Nervinum, de Baccis Lauri, admiſtis aliis pro re nata diſcutientibus, auxilio fuit. Thuri, myrrhę, ſulphuri, nitroſis etiam locus in balneis; Liquor volatilis oleoſus externe adhibitus egregiam operam mihi nonnunquam præſtitit. Aquam in qua calx reſtincta ſit cum vini ſpiritu, alii commendant, ſpongia vel lintea imbuta eo imponi jubentes. Euporiſta pro pauperibus optanti ſtercora caprilla, vaccina, columbina ex uſu eſſe poſſunt, quæ inſigni diſcutiendi vi pollent. Lixivia quoque ſatisfaciunt; quibus herbæ incoqui poſſunt. Quod ſi in ſcirrhum degenerat oedema, plerumque deſperatum eſt, membrumque ut inutile abſcindendum: raro enim tunc ſola externa afficiuntur, ſed glandulæ omnes meſenterii, aperto cadavere induratæ deprehenduntur: quales & ſępe in non ſcirrhoſis ſolent apparere. Sed de his poſtea agemus.

LIII. Sui generis carnem eſſe gingivarum ſubſtantiam, ſpongioſam ſcilicet, & mollem, (nam duriuſcula videtur, quoniam oſſibus ſubſtratis arcte inhæret) glandulis intertextam, recentium conſtat examine: Hanc quoque tumores ſuos pati, nemini credo, ignoratur. Etſi vero plerumque non magnum habeant periculum, non tamen ſemper ex omni parte expedit eſſe ſecuros, ſunt enim duplicis generis: Unum eſt eorum, qui ex quocunque circularis ſanguinis motus impedimento accidunt, & facile evaneſcunt ſponte, quale quid nemini non aliquando accidit, nulla manifeſta de cauſa. Nec magis metuendus eſt, qui ex dentium dolore, cavorum maxime, cieri ſolet, non gingivam modo proxime occupans, ſed etiam genam, ejusque infernam vel ſupernam partem, pro ſitu dentis, ita implens, ut pendere videatur: eſt enim hic affluxus humorum, qui calide adhibitis remediis exſiccantibus & diſcutientibus cedit, gingivæ vero tumor, ſi modo ex dentis dolore eſt, adeoque ἐπιγένημα, facile eo recedente ſubſidit, nam & ab externo quodam intra dentem cavum hærente compreſſa idem patitur, & eo remoto, illico ceſſat. Eſt verò præter hoc aliud genus, quod ad ipſam proxime ſpectat, ubi accedit inflammatio, tumor, & abſceſſulus ab acri ſero ſtagnante, & incluſo in ventriculo quodam, ut Aetius loquitur alibi, quod cum non ſit contemnendum, proprium ſibi commeruit nomen, ut Gręcis παρυλὶς nominetur, de qua & cognato malo epulide doctiſſimam legere licet inauguralem diſſertationem elegantis ingenii, mihique amiciſſimi Georg. Frid. Franci à Frankenau, in illuſtri Leucorea nunc Profeſſoris publici, ubi accurate omnia expoſuit: Hęc cum magno & inſolito dolore conjuncta eſt, eoque ab altero genere diſcernitur, tumet quoque & calet vehementius, & inſtar furunculi ſævit: quam ſi ſinas, ne maxillam erodat, & acrimonia ſua fiſtulas excavet, valdopere eſt metuendum.

LIV. Huic igitur prompta adhibenda ſunt remedia: neque tamen à reliquis abſceſſibus, ad quos tandem accedit, degenerans, multum diverſa requirit, niſi quod loci conditio non omnia medicamentorum genera formulasque admittit. Repellentia hic, cum adhuc in fieri eſt, adhiberi quidem poſſunt, raro tamen proſunt. Diſcutientia præſtantiora ſunt, quæ ſimul attenuando, humorem diſponunt ut reſorberi poſſit. Fiant itaque gargariſmata ex Salvia, Mentha, Calamintha, cum Plantagine; imo ſpirituoſæ etiam addantur, ipſaque vinoſa deſtillata adhiberi licebit. Quibus nihil juvantibus, emolliendus tumor venit, & ſi ceſſet perrumpere materia, ferro ſecandus. Emollientia tum gargariſmatis forma poſſunt admoveri, tum vero ficus ſoli ſufficient, per medium ſecti & impoſiti: evacuato pure unguentullis ex melle roſato, additis exſiccantibus, ulcus mundandum eſt, primum ſanguine Draconis, Roſarum floribus, Balauſtio; tum Tormentillæ radice, Sabinę pulvere: nam partis humiditas fortiſſima poſtulat. Quod ſi non cedat fœtor, & corruptus humor apparrat, balſamus Peruvianus egregie juvabit, dein flos ęris, alumen, Chalcitis, adſtringentibus admiſtis, interponi poſſunt. Sed forte omne abſolvit punctum Chalcanthi ſpiritus, qui in Venereis etiam, aliiſque puſtulis ſolo attactu omnibus expectationibus ſatisfacit.

LV. Hic jam forte expectari à me poſſet, ut etiam de Sarcomatis, ſeu excreſcentiis carneis agerem, utpote quas carnoſas eſſe, adeoque ad carnem quoque pertinere, ipſum indicat vocabulum. Sed in memoriam revocandam eſt, me in primordio ſtatim monuiſſe, tumores & excreſcentias diſtinctim eſſe conſiderandas. Cum autem tales propendeant extra cutim, merito his potius quam illis accenſenda ſunt, præſertim quum non vera conſtent carne: eſt enim caro congeries fibrarum tendinoſarum, molli & ſpongioſa ſubſtantia, â perfluente ſanguine rubente veſtita; cum hæc ſit maſſa quædam incondita plerumque, ex fibris membranaceis, nervoſis vulgo dictis, ſine ordine diſpoſitis conflata, ſubſtantia varia, & cum carne nihil habeat commune præter tomentum ſimile, ſed inordinatum, ſuis vaſis (unde etiam rubet) inſtructum, cujuſmodi ſubſtantiæ, licet carnoſæ dici poſſint, tamen vera caro reputandæ non ſunt, cum compertum ſit, ex cute etiam excreſcere, quod prudenter advertit Clopton Havers, diſcurſu de accretione & nutritione. Agemus ergo de his ſuo loco forte, in calce operis. Pergo jam ad Glandulas.

LVI. Hę quidem non modo turgente proprio humore extuberant, ſed creſcunt etiam & incrementum capiunt, nec tantum ſubſtantia, verum & numero augentur; denique & inflammantur, ut herpetis inſtar, ſub cute rubentibus puſtulis, malum ſerpat. Et turgere quidem, cum ſingulæ, tum gregatim poſitæ, & collectæ in unum pancreas, quos veteres corpora glanduloſa appellabant, conſuevere. Quod ſi internis in partibus accidit, & circa viſcera, ut plerumque ignoratur, ſic caret nomine hoc virium noſtratibus, niſi quod meſenterii glandulæ ſcirrhoiæ poſt mortem, ubi aperto cadavere patent, communi nomine appellentur. Sunt autem hæ veræ veterum, Galeni potiſſimum, ſtrumæ, ut deinceps patebit. Alibi num idem contingat, hactenus nos latet, cum profundius deliteſcant, & careant ſenſu exquiſito, adeoque dolore nequeant ſe prodere. In iis vero, quæ ſub cute proxime collocantur, ut ſunt potiſſimum ſalivales, & manifeſtior eſt turgiditas, & ſua gaudet appellatione tumor.

LVII. Sunt autem duplicis generis glandulę ſalivales, externæ, quæ tangi ad collum ac pone aures poſſunt, & internæ, in ore ac faucium iſthmo latentes. Illæ rurſum inferiores, Maxillares dictæ, & ſuperiores, Parotides. Supernæ, ſi turgent, ſervant quod inditum eſt nomen; infernæ, utpote antiquitati omni; excepto Galeno, tantum non prorſus ignoratæ, ne quidem affici, huc uſque exiſtimatę ſunt, licet nihil ſit nobis familiarius quam ſub maxillis tumor: quem ubi ſentiunt noſtrates, ad tonſillas referunt, & cum eas vulgus à ſimilitudine amygdalas vocet, dicere conſueverunt, amygdalas intumuiſſe: *Die Mandeln ſind mir geſchwollen.* Cum illæ non ſub cute, ſed intra oris hiatum ad pariſthmia collocetur. Qui error toletari amplius non poteſt: Etſi enim haud negandum ſit, non raro & illas ſimul tumere, cum totum palatum atque univerſa membrana pituitaria in graviori malo humore ut ſpongia implere ſoleat, tamen neque perpetuum hoc eſt, & eo loco tonſillæ ſunt poſitæ, ut digitis palpari, quod illi fieri perſuaſi ſunt, non queant. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ; ad affectum ipſum revertor: Qui levis eſt, ſed non ſemper patitur ſe contemni.

LVIII. Igitur ſi non magna eſt affluxio, facile diſſipatur, idque vel ſolo calore: Cum enim ab externo frigore coagulata ſit ſalivalis lympha, contraria qualitate in priſtinum fluorem reſtituitur. Fit ſcilicet coagulum, quoniam ſola cute veſtitæ ſunt, & raro veſte quantum ſat eſt, muniuntur: unde frigoris intenſioris vim pię cæteris ſentiunt, & ſtagnat in adſtrictis acinulis humor congelatus, novoque affluenti vias occludit: reſolvitur igitur calido, quod frigido erat concretum: cui rei vel ipſum Sal culinare linteolis involutum & admotum nonnunquam ſufficit. Quod ſi vero pertinacius hęret, emplaſtrum emolliens & diſcutiens applicandum eſt. Eo nomine lippis tonſoribusque notum de Meliloto pene ſolum in uſum venit: quo tamen Diachylon ſimplex haud raro eſt utilius, pręſertim ſi calor & inflammatio acceſſerit, vel magis induruerit materia: fortius enim reſolvit, & minus eſt calidum. Poſſunt vero etiam unguentis oleisque diſcutientibus ungi, quæ mox nominabo. In applicatione emplaſtri illud obſervandum, ut parotides etiam complectatur: communicant enim inter ſe, neque prorſus iſtę immunes eſſe ſolent, utpote & ipſæ frigori expoſitæ. Quod autem minus frequenter tumeant quam maxillares, capilli, & velamenta capitis in cauſa ſunt, quæ maximam earum partem obtegunt, & à frigore eas defendunt.

LIX. Hoc pacto inferiores glandulę intumeſcunt, curanturque. Parotides vero ſuppurantur, modo in ſecunda valetudine, modo poſt febres eo propulſa materia: quale exemplum vidimus poſt tertianam, in honeſtiſſima fœmina, pravis ſuccis repleta. Quod etiam in acutis, imo & peſtilentibus aliquando accidit critice: verum quandoque & ſymptomatice. In ſanis primum experimentum reprimentium eſt, ut loquitur Celſus: reliquis inimicum hoc, maturarique, & quamprimum aperiri commodius: quod Galenus etiam docuit. Sed difficulter obſecundant, quia ſeroſus, quem ſeparant, humor obſiſtit. Hinc ſæpe nolentibus Medicis, recedunt, & evaneſcunt. Conveniunt autem cumprimis, quæ emolliunt & laxant, quod promtius locum apertum invenit materia: Oleum Chamæmelinum, Irinum, Anethi, quibus ſimul dolor miteſcit. Tum ſuppurantia & maturantia admovenda: Radix Altheæ, Lil. alb. Melilotus, Chamæmelum, Malva, Cæpa, ficus: ſemina Lini, Fœnu Græci, Crocus, tandemque aperiendus abſceſſus ferro: non enim ut ſponte rumpatur, expectare ſemper licet: periculoſum autem, ſi recedat. Vide Hildan. *I. Obſ. 39.*

LX. De Externis actum eſt: internæ nunc, ipſius oris glandulæ conſiderandę: quæ vel in buccarum & palati regione latent, à Cl. Stenone detectæ, vel faucium anguſtiis propius admotæ ſunt. Illæ non facile intumeſcunt, vel ſi id accidit, leviter, nec multum habent moleſti, niſi quod inter mandendum buccæ tumidior portio dentium ordini inferiori ſuperiorique intervenit. Negligitur itaque, & ſponte iterum ceſſat, ſi internum eſt: ubi vero extrorſum vergit, non ſpernendum inde malum poteſt exſurgere. Vidi in verbi divini pręcone primario, apertum in bucca ex talis tumore ulcuſculum ad mortem uſque ſummas moleſtias intuliſſe: ſunt enim ejusmodi in his partibus abſceſſus ob lympham perpetuo affluentem difficillimæ ſanationis, & facile degenerant in fiſtulam.

LXI. In interiori ad fauces cavo non unum genus glandularum reſidet. Primum tonſillæ, omnibus veteribus notæ, Deinde Uvula, de qua perſuaſum eſt, glanduloſum quoque corpus eſſe: quod aliter ſe habere, ſecanti nuper apparuit in cervino capite, ubi non modo adeſt, cum in aliis quadrupedibus deficiat, verum & magnitudine ſua egregie incurrit in oculos. Vidimus itaque eam in medio muſculoſam, circumfuſam ſpongioſa ſubſtantia, qua tota involvitur: non dubitandum autem & glandulas adeſſe, ex quibus imbibat hæc ſpongia humorem, ut proinde ad earum affectiones turgentem uvulam referre, haud fuerit adeo ineptum: propendet enim ex membrana pituitaria, cujus appendicem eſſe & partem, docuit is, qui nuper accuratiſſime eam nobis deſcriptam dedit,

dit, ſtupendæ induſtriæ ac diligentiæ Anatomicus Raymundus de Senſu antiquo,(*vieuſſens*) cui ad latus utrinque glandulæ ſuæ adjacent, itidem in cervino capite ubertim obviæ. Sed & infinitas alias exiguas glandulas non modo hinc inde circa gulam diſpoſitas, verùm & in linguæ radice, immediate ſub membrana ejus latere autopſia me docuit, etſi non in omnibus cadaveribus eaſdem obſervaverim, ſed in quibuſdam copioſius, & inordinate poſitas, in aliis certo numero, in angulum acutum ad formam literæ V collocatas, eleganter rotundo foraminulo, tanquam ocello in medio earum hiante. Hoc igitur triplex earum genus vel in univerſum tumet, vel ſigillatim unumquodque: Utrumque ut accidat, commemorandum venit.

LXII. Itaque in univerſum quidem ſæpe ſalivalibus affectis, immunes ſunt faucium glandulæ, aliquando tamen ſimul cum iſtis non intumeſcunt modo, verum & inflammantur: quod ex deglutitionis difficultate conjicitur. Singulatim vero non infrequenter vel tonſillæ præ ceteris, vel uvula laborant. Hæc omnium frequentiſſime, quod nemo, arbitror, non comperrum habet: ita ut nomen quoque indicat, quod non niſi tumenti & pendenti competere, agnoſcunt auctores: alias Gurgulio dicitur & Gargareon, vel Columella; ex alio vero affectu Lorum. Ubi intumuit, in longum protenſa, deſcendit, pondere humoris tracta, copiaque turgens. Tunc deglutitionem impedit, & linguam attingens, eandem titillat, eoque tusſim excitat: qua depreſſa, tota ejus longitudo ſe dat in conſpectum. Huic peculiarem operam Chirurgia commodat. Et cum ab humoris ſeroſi fuſione & affluxu fiat, ubi opus, recte purgatio lenis admittitur, ſed plerumque tranſigitur minori. Et vero à nimia repletione ſeroſi humoris cum ſit, placet Aetii conſilium, repellentis facultatis pharmacis opus eſſe, quæ adſtringentia ſint, ſi moderatus ſit affluxus, moderate; ubi vero fortius invaluerit, acerba etiam adjungenda eſſe. Hodie placent calida quoque adſtringentibus mixta. Et olim quidem decoctis utebantur, nunc exiguo cochleari impoſita, illique ſubmiſſa inflari ſolent, quibus contrahit ſe, & in locum naturalem redit. Clariſſimus Hornius manubrium ejus fiſtuloſum deſiderat, illique etiam exiguum follem vult alligatum: Verum tanto apparatu non eſt opus, ſponte enim pulveres ipſi, dum tangitur, adhæreſcunt. Commendat is Piper, Alumen uſtum, Roſarum & balauſtiorum, & liguſtri pulverem: Celſus vero Alumen ſciſſile; atramentum ſutorium, gallam, myrrham, & miſy ex Andronio commemorat: quæ cum fortiora ſint, vel melle excipi jubet, vel cum vino in mellaginem coqui. Chelidoniç quoque ſuccum celebrat, multamque pituitam poſt illum effluere ait: quod ſi verum eſt, multo præſtantior hæc erit curandi ratio. Tum ex vino calido gargariſandum præcipit, vel aqua in qua rubus & lenticula cocta ſit. Huic noſtrum diamoron cum aquis deſtillatis, lippis & tonſoribus notiſſimis, reſpondet. Omnium prolixiſſimus eſt Aetius, uberrimum penu omnis generis remediorum offerens. Sed quid de hoc dicendum eſt, quod ſurſum tracto ex pulmonibus ſpiritu, prehenſis ſimul & attractis in vertice capillis eam attolli credunt? Non eſt negandum, ita fieri: muſculoſa enim ejus portio ſimul fortiter contrahit ſe, dum aer attrahitur ſurſum, ut in vivis quilibet inſpecto ore poterit deprehendere, verum hoc quia cauſam non tollit, ſine aliis remediis fruſtraneum eſt, uvula illico relabente; At cutis in vertice ſublatio prorſus ſupervacanea & futilis.

LXIII. Si vero tonſillæ per inflammationem intumuere, etſi non ſine conſenſu vicinarum partium id fiat, tamen & tum illis proprium auxilium debetur. Prius repellendum: quod non ſemper ſuccedit, nam tanta nonnunquam inflammatio eſt, ut reſpirationem impediat. Hic alvus ducenda, gargariſandum decocto ex ficu, liquiritiæ radice, paſſulis, vel aquis Hyſſopi, Prunellæ, ſeminibuſque calidis ac dulcibus, &, ſi graviter urgeat, etiam externe cataplaſmata emollientia ex radice Altheç, Malvæ hortenſis autumnalis, & papaveris erratici floribus, aliiſque notiſſimis uſurpanda, oleiſque illinenda colli latera, quibus ſi diſcuti recuſent, ſuppurentur. Dehinc melle Roſato, detergentibuſque, ac vulnerariis conſtringentibus ruptarum ſolidationi ſtudendum eſt.

LXIV. Hic obiter monere, operæ pretium eſt, doctiſſimum Hornium mirari, quod Celſus jubeat induratas tonſillas ſcalpello excidere: ſed non ſatis expendit, quod induratas dixerit, quo poſito, ceſſat dubium, magnæ eſſe in corpore utilitatis, hæc enim, ſi qua eſt, quæ tamen qualis ſit, etiamnum ignoratur, poſtquam induruere, nulla amplius eſſe poteſt. Huic dubio aliud ex Aetio addi poſſet, difficilius etiam ſolvendum, qui non tonſillas ſed glandulas neſcio quas tonſillis adjacentes, ab ipſo Antiades dictas, (quum hoc nomen reliqui auctores tonſillis etiam tribuant) exſecare jubet, neque totas, ſed id quod in iis ſupereminet, juxta medium, & præter naturam excrevit; eos qui totas exſcindunt, periculoſæ ſanguinis eruptionis auctores fieri monens. Quod ſane competit optime ipſis tonſillis: arteriis enim à carotidibus immediate oriundis alluuntur: & cum glandulç præter tonſillas hic nullæ ſint, eaſdem intelligere eum, neceſſum eſt. Itaque cum Celſo collatus, dubium ſolvit: incertum licet ſit, quid ſecuerint veteres. Nobis hæc prorſus hodie ignota affectio eſt, & proinde totum hoc non ſine cauſa exolevit.

LXV. Quod reliquum eſt glandularum, in poſtica oris parte, non ſine inflammatione intumeſcit. Meminiſſe ejus rei videtur mihi Aetius, nomine oris inflammationum, talis enim vocari poteſt. Et hinc etiam remedium patet, quod in repellentium virtute quærendum eſt, ſuppurari enim & moleſtum & periculoſum foret, cum ſpiritum vehemens tumor intercludat. Veteres plerumq; hic affrixiſſe confectiones, ex eodem auctore colligere licet: recentes multo commodius diluunt eaſdem, & in gargariſmata transformant. Abundarunt vero ejuſmodi confectionibus pulcherrimis, non ex moro tantum, ſed nucum putaminibus, rubi fructu, granatorum ſucco, muſto & Rhoe coriariorum, quas apud eundem auctorem videre, & inde mutuari, etiam in Aphthis licebit. Nobis præter rob diamori, quod tamen ex rubi moris plerumque paratur, & nucum, quo raro utimur, vix quicquam eſt: ubi ergo opus, veterum illç ex tempore imitandæ, & cum aquis Plantaginis, Prunellæ, aliiſque combinandæ ſunt. Quod ſi vero his non cedat, vel conſultius videbitur diſcutere, uti quidem glandularum tumores, cum ex anguſtiis viarum humores difficulter elabantur, diſcuti fere magis amant, aqua Hyſſopi, Salviæ, & ſimiles in eorum locum ſuccenturientur, quibus tum confectiones illæ antiquæ, compoſitæ quippe cum croco & myrrha, loco noſtratium optime miſceri, vel Origanum, Calamintha, eadem Salvia, & ſimiles herbæ decoqui cum adſtringentibus, ut bellidis flore, malicorio, roſar. fol. myrti, eoque decocto collui fauces commode queunt. Fruſtra vero etiam his adhibitis, emollientia jungenda ſunt, quibus dum laxantur partes, ſolet humor obſecundare. Exempla apud Foreſtum occurrent: externe vero omnia iſta uſurpari queunt, quæ ad ſalivalium intumeſcentiam commendavimus. Inunctio quoque ex ol. Chamæmeli & Amygdalarum præſtat.

LXVI. Sed ad alterum genus glandularum nunc pergamus, quas vulgo globoſas, & conglobatas perperam

ram nuncupare ſolent; cum non modo non conglobatæ, ſed ne globoſæ quidem ſint, verum plerumque oblongæ, & nonnihil depreſſæ. Ex quibus illæ potiſſimum attenduntur quæ ad inguina poſuit natura, quia hæ turgent frequentiſſime: deinde ſubaxillares, quæ rarius afficiuntur. Sunt omnino illæ quinque, ſex, ſeptem glandulæ majores, congregatæ, quæ bubonales nuncupantur, earum vero tumores Bubones. Cujus ratio non patet: quin Galenus non has præ ceteris, ſed omnes adenas, ſive glandulas, ubi intumuere, bubones vocari aſſerit. Veteres eorum meminerunt parcius: & Galenus quidem inflammationem glandularum eſſe, & ut alias curari, breviſſimis verbis docet, ubi & Phyma & Phygethlon ad eaſdem bubonales refert, nec à bubone differre vult, niſi quod ad ſuppurationem jam tendant: quem ceteri Græci, Aëtius, & Aegineta imitantur, cum longe aliud Phyma & Phygethlon ſit Celſi: nempe abſceſſus parvus quilibet incipiens, ut eum legenti patere poteſt. Habent autem Galenus & Aëtius pro malo non magno bubonem, unde & recenſuiſſe, ipſis ſat eſſe viſum fuit, adeoque apparet, neque eum qui Venereus eſt, neque peſtilentem ipſos agnoviſſe: meminit vero hujus Aegineta, & deterrimum eſſe pronunciat.

LXVII. Intumeſcunt autem non modo bubonales dictæ glandulæ, verum & ſub alis deliteſcentes. An etiam alibi oritur bubo? ſic non modo nonnulli ex noſtratibus, qui etiam in brachio, variiſque corporis partibus peſtilentem erupiſſe proponunt, verum Paulus etiam, *ſive femora, ſive alas, ſive cervicem invaſerint*, ait. Verum iſti quidem nulla auctoritate id faciunt, & quadam forte petulantia in verbis luxuriant: nulla enim ratio eſt, cur abſceſſus reliquos cum glandularum intumeſcentia confundamus, cum varia ſit eorum curandi ratio; Huic autem, ubi de glandulis ſermonem inſtituit, numquam fere non, & quaſi per conſuetudinem femora inguinave in ore ſunt. Rectius ergo Galeni definitio ſervatur: nec tamen reliqua ejus, & veterum quos ſequitur, prolixitas admittenda eſt, qua triplicem faciunt affectum, Bubonem, Phyma & Phygethlon; cum uno nomine potuiſſent eſſe contenti: ſed tamen inter benignum & malignum bubonem diſtinguamus, curationis gratia. Prodit eum locus & dolor, non admodum exquiſitus, ſed ubi eas tangas, ſe exſerens; tenſio inde, & quod digitis renitear, aliquando & pulſet. Quibus ſignis caveri poteſt, ne, quod imperito barbitonſori apud Marchettum accidit, qui bubonocelen pro bubone Venereo habuit, ſecuitque, prodeuntibus ex inteſtinis alvi fecibus. Venereus ex prægreſſo impuro coitu potiſſimum, ceteriſque ineuntis luis ſignis cognoſcitur, ut peſtilens ex epidemice graſſante lue, febriſque vel aliorum ſignorum præſentia. Simplex, ſive ſponte ortus, ſive poſt morbum criticus, nihil habet periculi, & non multum requirit curæ, attamen ſi diutius protrahitur curatio, nec juſto tempore aperitur, facile in fiſtulam degenerat, de quibus Fabricii verbum ſcitum eſt, qui ait: *Animadvertendum eſſe, ut quando ex uno foramine plura incipiunt fieri, bubo feſtinanter curetur.*

LXVIII. Curationem ſimplicis à Peſtilentis Venereique diverſam eſſe, quivis facile intelligit. Ibi, ut lenis purgatio locum habet, ſic non admodum tamen neceſſaria eſt, ſed ſolet plerumque bubo ſponte evaneſcere, aut modicis diſcutientibus & emollientibus ſuperari. Aëtius parotidas, aurium, & bubones, inguinum abſceſſus ſe ſolo butyro ſæpe perfecte ſanaſſe ſcribit, puerilibus corporibus ac muliebribus affectis. Galenus cum inflammationem habeat glandularum, quæ extra iſtos morbos, & in ſimplici noſtris numquam viſa, forte & deinceps non videbitur, repellentibus utitur & adſtringentibus: Hinc forte Aſter Atticus, qui inde Bubonium vocatur, ſingulariter à veteribus commendatur, & non ſolum illitus, ſed alligatus etiam, bubonibus auxiliari creditur. Scilicet ſponte recedentibus iis, viſus eſt hic ejus rei extitiſſe cauſa: fallacia etiam noſtratibus familiari. At in Venereis & peſtilentibus longe efficacioribus opus eſt remediis. Tribus res abſolvitur: Primum affluxus humorum promovendus, ideoque repellentibus nullus locus eſt: ſi enim retrocedit, in totum corpus vitium diſpergitur. Itaque fortius attrahentia emollientibus commiſcenda: Chamæmelo, Melilotho, Cucumis aſininus, Ariſtolochia, Naſturtium, Flammula, Allium, Cepa, Cantharides, Sapo; & in peſtilenti Theriaca, & Mithridatium: Cucurbitulæ etiam, ſi rebellis ſit, nec juſtam in menſuram attollatur, adhibendæ. Poſt hæc emplaſtrum diachylon cum gummatis, pinguedinibus temperatum imponendum eſt, donec rumpatur, aut, quia hoc ſponte non fit facile, aperiendus eſt potius, idque etiam ante maturitatem. Ubi miror Oribaſium & Paulum docere, non ſtatim incidendum eſſe, ſed primum evacuationem digerentibus tentandam: quod, ſi de his volunt intellectum, non aſſentior, cum mihi ſine periculo fieri id non poſſe videatur. Fiat igitur ſectio tranſverſa & oblique deſcendens in tempore, ut puri exitus pateat. Reliquam curationem docet optime Fabricius Aquapendens, quem conſulendum hic præ aliis eſſe arbitramur. Recedente Venereo, curatio luis ne differatur, & primo ſtatim tempore inſtituatur purgatio: vide Barbettum. Monendum tamen & illud: in omni glandularum ſuppurantium ulcere multo fortiora ſiccantia quam in aliis requiri, quoniam ob perpetuum ex lympha madorem, difficillime conſolidantur.

LXIX. Ad glanduloſos tumores videntur omnino Strumæ pertinere, de quibus in auctoribus non ſatis expedita res eſt, tantaque ſententiarum diverſitas, ut nulla major eſſe poſſit: cum neque veteribus cum recentioribus idem ſit animus, neque utriſque conveniat inter ſe. *Galenus* enim eſſe *tumorem, veluti ſcirrhum in glandula*, id eſt ſcirrhum glandulæ alicujus, aſſerit; *Celſus*, *tumorem in quo ſubter concretæ quædam ex pure & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur.* *Aëtius* ſibi plane non conſtans, *carnes ſubcandidas* in membrana contentas, & in ſumma, *glandulas induratas, quæ in collo, ſub alis & in inguinibus appareant.* Poſtremum etiam *Aegineta* ſtatuit, & tamen volunt hi auctores *membrana includi, ut ſteatomata, & reliqua ejus generis.* Hoc veterum diſſidium: Recentiores vero plerique tam confuſe de hac re loquuntur, ut ipſi quid dicant, videantur neſcire, & Bronchocelen cum Strophulis turpiter confundere. Et ex his quidem de Bronchocele alicubi recte ſentiunt *Hieronymus Fabritius, Franciſcus Peccetus, & Joh. Langius:* mox tamen, ubi de Strumis agunt, veteri indulgent errori, tanta licentia, ut poſtremus etiam non vereatur dicere, *cum præſtet vivere moribus præteritis, ac uti verbis præſentibus, conſuetudoque dicendi magiſtra ita inoleverit, Bronchocelen & Charadas Strumas quoque appellari, parum referre:* Cum tamen non de verbis, ſed morbis inter ſe diverſiſſimis diſquiſitio incidat, & Bronchocelen ac Strumas veteres omnes ſollicite diſtinxerint, deque iis egerint diverſiſſimis in locis. Accedit, quod ille ſteatomata quoque impune ſtrumas mox appellitet, adeoque mire turbet limpidos doctrinæ fontes. Sane nemo veterum ſtrumas ad Glandulas non referebat, Aegineta & Aëtio non negantibus, ſed de ſuo ſaltem reliqua addentibus, quos iſte ſolos auctores habet: nec plane hunc, ſed alterum forte unice. Manifeſtum autem, ſibi iſtos non conſtare, adeoque potius errorem eorum rejiciendum eſſe, quam committendum, ut hinc tan-

tantâ evagemur licentia. Itaque ſic putamus eſſe ſtatuendum.

LXX. Strumæ & Scrophululæ idem ſunt. Quod enim Latini ſtrumas Græci χοιράδες appellarunt, ἀπὸ τῶν χοίρων, à ſcrophis, etſi ἀπὸ τῶν χοιράδων Petris ita dictis, derivatum velit Aegineta, vel, ut Manardus vult, à lapillis, qui in maris tranquilli fundo apparent, globoſis & lenibus, magnitudine parva. Ex quo ipſo vocis etymo manifeſte patet, non unam glandulam, ſed plurimas, illaſque induratas, χοιράδες componere, quod Galenus manifeſte dicit, quo cum pulcherrime convenit Cornelio: ſed quia ſimul inflammatæ ſunt & rubentes, quod Galenus indigitat, quando ſequenti libro dicit eſſe *ſcirrhoſarum glandularum phlegmonen*, credidit Celſus, non eſſe veras & naturales glandulas, ideoque dixit, *Concreta quædam ex pure & ſanguine quaſi glandulæ*, quia ſcilicet glandulas ipſas inflammari, inſolitum eſt. Et hinc porro fluxit Aëtii dogma: *Aliquando ex carne fieri, quæ affinitate quadam ad ſtrumarum naturam vertitur.* Ex quibus omnibus patet, niſi fallor, clariſſime, χοιράδας vel ſtrumas, eſſe morbum in Germania quidem incognitum, apud Hiſpanos vero notiſſimum, illique populo fere proprium cum vicinis Gallis, qui eum vocant, *Des Ecrouelles.* Nempe tumorem in colli latere modo alterutro, modo utroque, non admodum magnum, ſed diffuſum, rubentem & inflammatum, ex plurimis glandulis talibus conſertis conflatum. Quod licet etiam Hippocratis teſtimonio confirmare, poſtquam eum ingenioſiſſima interpretatione ſibi vendicavit M. Aurelius, dicentem: *Has ipſas tangenti velut lanas eſſe poſitas,* ad quæ ille: *Comparatio enim non eſt ad mollitudinem, ſed ad globos lanarum, qui oblongi ſunt, coacti, preſſiores, πιλήματα Græcis. Ita enim Hippocratem interpretor, ut nulla jam reſtet apud ipſum difficultas.*

LXXI. Quibus ſic diſcuſſis, altera reſtat difficultas enodanda, de loco ubi ſtrumæ oriantur. Nam ſtrumas quales à me jam deſcriptæ ſunt, tantum in collo Hiſpanorum & vicinorum ipſis populorum apparere, compertum eſt: cum Aëtius & Aegineta etiam ſub alis & in inguine eas oriri velint. Altius ergo, & ab ipſo Galeno res repetenda eſt: De quo jam conſtat, ſtrumas eum vocaſſe ſcirrhum glandularum: cum autem duplex genus earum agnoſceret, congeſtas, & globoſas, uti ex *Meth. Med. XIV.* 11. apertiſſimum eſt quarum poſtremas putabat ad fulcimenta vaſorum ſolum datas eſſe, etiam in his ortum ſcirrhum, ſtrumam vocandam, putavit, abiens ab Hippocratis, & forte aliorum quoque mente. Hunc iſti, ut in more ipſis eſt, ſecuti, in alis & inguinibus ſtrumas ſunt commenti, quas quenquam vel ipſorum vel poſterorum unquam vidiſſe, ex literarum monumentis, non conſtat: Neque tamen fruſtra plane id videntur prodidiſſe & citra rationem: mox enim ipſe quid viderim, commemorabo. Interim *Celſus* quoque non id modo teſtatur, ſed *in mammis etiam fœminarum ſtrumas reperiſſe Chirurgum Megen,* auctor eſt: *Marcus* autem *Aurelius Severinus*, nondum his contentus, *omnes prope partes capaces eſſe ſtrumarum, ubi cava ſunt loca, vaſiſque conferta, & ſe obſervaſſe multas in fœminis & viris*, diſertis verbis prodidit. Quæ profecto aſſertio ita turbat omnia, ut nihil amplius ſalvi ſubeſſe videatur: cum nec iſta cum tot ſeculorum experientia poſſint conciliari, nec in tantum virum falſi teſtimonii cadere poſſit ſuſpicio.

LXXII. En itaque filum Ariadneum, quo uno poſſumus ex hoc labyrintho evadere. Strumas Galeni, quem omnes iſti videntur in manibus oculiſque habuiſſe, duplicis generis eſſe patet. Glandularum majorum ſingularium, & congeſtarum minorum, quæ glanduloſa corpora vocare eum diximus. In illis ſcirrhum exortum ſtrumam nominavit: in his vero inſuper phlegmonem accedere, quæ in illis nunquam obſervata eſt. & ratio dictitat, vaſis hic magna ſat copia eas ſubeuntibus, & experientia teſtatur. Hoc eſt, quod hodie vocare Gallos *Des Ecrouelles*, apertum eſt; illud vix unquam obſervatur. Quod autem perhibet Severinus, rariſſimum quoque eſſe, (quicquid fiat de eo, *ſe illud ſæpiſſime obſervaſſe*) vel ex hoc uno patet, quod in iſtis locis tales glandulas non eſſe, autopſia & culter apertum faciunt. Neceſſum itaque prius ibi novas oriri. Forſan indulſit aliquid ſibi vir doctiſſimus: Nam glandulas oriri in partibus variis novas, novum non eſt, ſed in Achoribus capitis frequentiſſimum, ubi ad nucham in magna copia ſubnaſcuntur, à noſtratibus *Hauptdrüſen* vocatæ, id eſt glandulæ capitis: quin Fernelius nonnunquam corpus univerſum iis ſcatens deprehendi, monuit dudum: verum indurari has & in ſtrumam verti, non facile viſum eſt, ſed ſolent plerumque ſponte diſparere: vidit itaque forte has, & pro ſtrumoſis habuit Severinus, cum eſſent ſimplices: Si tamen vere in ſtrumas unquam verſæ ſunt, ex altero genere ſtrumarum Galeni fuiſſe, non ex primo, in aperto eſt. Quod quidem ut rarum ſit tamen aliquando ſeſe offert. An. MDCXXXVI. cum Harcica metalla inviſerem, & in pago quodam divertiſſem, venit ad me virgo quædam ignota, oſtendit ſub ala dextra tuberculum, quod cancrum eſſe, & exſcindi oportere, amici voluerant perſuaſum: rogat ut quid ſubſit quidque mihi videatur, ipſi indicem: nihil invenio livoris, nihil doloris ſe ſentire aſſerebat, nulla itaque cancri ſigna: ergo de eo ſecuram huc usque quidem eſſe jubeo, & nihil potius admovere, quam ſe ignotis & imperitis credere hominibus. Erat ſcilicet ejusmodi ſtruma Galeni, alterius generis, glandulæ majoris & ſingularis duritiæ: ex quo ſimul Celſi aſſertio ſalva nobis eſt, & in inguinibus oriri, & ſub alis, & etiam in mammis, eruditiſſimum, ut alibi appellat, Chirurgum Megen eam vidiſſe: nihil enim impedit, hic quoque aliquam glandulam vel novam talem generari, vel veterem induреſcere. Quod vero Aetius dicit, *aliquando ex carne eorundem locorum fieri, quæ affinitate quadam ad ſtrumarum naturam vertatur*, id manifeſto error eſt, ex imperitia anatomica Aetii ortum habens, qui ad collum hic reſpexit, ubi exiſtere glandulas illas maxillares ignoravit, easque pro carnoſis habuit partibus.

LXXIII. His expeditis, omnia jam, quæ in auctoribus confuſe ſatis traduntur, enodari ac ſolvi facile poſſunt, & ſimul differentiæ ſtrumarum patent. Si enim folliculo incluſus humor ſit, prorſus huc non pertinet, ſed ad id quod bronchocelen nominare receptum eſt; factum enim contra veterum omnium auctoritatem, quod bini illi Græci poſteriores ſtrumas has nuncupare ſunt auſi. Si vero ſimplex glandula, eaque indurata ſolum, & ſcirrhoſa, eſt alterum ſtrumæ genus Galeni, quod in collo non facile apparet, etſi ejus quoque rei exemplum memini me vidiſſe in quodam ſtudioſo, cui ſub mento tres ejusmodi glandulæ oriebantur, cui etiam ex conſilio meo feliciter fuerunt exſciſæ: ſunt autem quas Aetius manſuetas nominat, ut deſcriptionem intuenti patet: ut contra malignæ ejusdem ſunt cum inflammatione conjunctæ & exulceratæ maxillarium glandularum affectiones, ſtrumæ Hiſpanicæ. Fœdum enim hoc genus, ex multis racematim diſpoſitis glandulis, dolens, lividum, verſicolor, ut quidem illud deſcribunt Galli, etſi Fernelius quoque cum bronchocelis videatur confundere, prodit enim ſe, dum addit: *earum materiam acriorem tandem evadere, adenem ipſum, circumſitam carnem, cutemque exedere. His ſæpe ortum eſſe in cervice, in qua plerumque longa ſerie diſpoſitæ glandularum modo cernantur.* Quod de his tantum valet, nam quæ bronchocelen conſtituunt, nunquam exulcerantur acri ex ſucco, quem

nullum

nullum continent, ni forte glandulæ thyroides talem aliquando colligant, quod nondum obſervatum eſt. Cum Gallorum deſcriptione & Angli conſentiunt, ex quibus unus ſit inſtar omnium Thomas Warton, qui eas perquam egregie deſcribit doctiſſimo de Glandulis libello, extremo capite.

LXXIV Patebit autem ex his porro, quo uſque audiendus ſit *Marcus A. Severinus*, dum aſſerit, omnes corporis partes ubi cavitas quædam eſt, ſtrumis obnoxias eſſe, & tales in mammis apparentes ſæpe pro occulto mammarum cancro imperitis haberi, & quando cum Celſo etiam in lateribus obvias eſſe tales, ſibique viſas, contendit. Qui vir doctiſſimus, ut in his non fuit falſus, rem tamen expeditam, quod promiſerat, minime dedit, etſi ſcribere non vereatur, ſibi primo contigiſſe Dei favore, ut adverteret, variam eſſe ſtrumarum naturam. Tametſi enim hoc verum ſit, tam longe tamen abfuit à vera cognitione, ut omnia potius involveret, quam expediret nodos, nobiſque potiori jure ea laus debeatur, prout ejus cum his conferentibus facile judicabitur. Erit autem forte ex re, hæc bina, ut reapſe diſtinctiſſima ſunt, ſic etiam verbis diſtinguere, & majorum ſingulariumque glandularum affectum ſcirrhoſum ſtrumas, congeſtarum vero, ſcrophulas appellare, quam diſtinctionem meliorem arbitror, quam Wartonianam, qui Bronchocelen cum his videtur etiamnum confundere.

LXXV. Conſtare vero ex dictis poteſt, ut non eadem natura eſt, ſic non eandem eſſe ſtrumarum conditionem. Scirrhoſæ enim glandulæ majores, ut plerumque præter naturæ ordinem naſcuntur, ſic vel tolerantur ſine magna moleſtia, vel etiam ſponte evaneſcunt, antequam abeant in ſcirrhum: quod an unquam faciant, nondum me docuit experientia, nec ex aliis ſatis certum eſt. Has glandulas abſolute vocat Fernelius, & eſſe id quod Latino-Barbari eo nomine dignati ſunt, à gangliis non niſi loci ratione diverſum arbitratur: quod tamen ex ſua non illorum ſententia ſic ſtatuit Vir doctiſſimus. At naturales globoſæ, quando indureſcunt, & ſcirrhum admittunt, non modo moleſtæ ſunt ipſæ, ſed etiam periculum eſt, ne in cancroſum deſinant tumorem: Scrophulæ vero præcipue fatigant medicos, nec unquam facile vel matureſcunt, vel etiam ferrum admittunt. Si enim glandulæ ſalivales ipſæ ſunt affectæ, quis eas auderet exſcindere? Si vero harum ſuperfluitas, & nova progenies eſt, reſectæ etiam, tamen juxta cicatrices ſuas reſurgent. Hinc quia vix medicæ manui obtemperant, Regiam ſuccurrere creditur, tum Galliarum ſcilicet, tum magnæ Britanniæ Monarchæ. Unde etiam Anglis proprio nomine vocatur *The kings evill*, ut Bronchocele *Wens*: Etſi ad Regium ſolium quoque qui bronchocele laborant, inſigni confidentia, ſucceſſu tamen non ęque felici, quotannis confluant.

LXXVI. Nec minus quam prognoſis, curatio ſtrumarum & ſcrophularum diverſa eſt. Si enim glandula major ſingularis moleſta eſt, eaque recens nata, ſiquidem nondum induruit in ſcirrhum, ut alias ſponte ſolent hæ diſparere, ſic danda eſt opera, ut diſcutiatur. Si vero in ſcirrhum abierit ſive hæc talis, ſive naturalis etiam, tutiſſimum eſt exſcindere, cum ſcirrhoſas emollire difficile ſit. Quod ſi tamen exſcindi commode non poſſit, aut id renuat æger, tentanda eſt ſuppuratio. At ſcrophulæ quæ in ſalivalibus radicantur, ut ſæpe ſponte ſuppurant, & pus fundunt, ſic difficillime ſaneſcunt: neque tamen exſcindi conſultum eſt, cum ſaliva ſit ſalutaris humor. Optime hæc omnia animadvertit monuitque Galenus: poſtquam enim diſtinxiſſet ſingulares à congeſtis, & ſalivales ſuo nomine notaſſet, addit: *Atque hæc quidem cum in ſcirrhoſo ſunt affectu, non aliter quam cæteræ omnes partes ſunt ſanandæ. At qui in medio vaſorum conſiſtunt, in iis alia curationis indicatio præſtatur, qua ſimul cum vitio etiam pars ipſa* (utpote non magnæ ſecundum ipſum, utilitatis) *tollitur. Eſt vero duplex ea quoque; nempe vel totum quod vitioſum eſt, ſcalpello exſcindentibus nobis, vel putreſcere id medicamentis cogentibus.* Quæ ſane ratio & longe alia eſt quam vulgo traditur, & multo exactior, niſi quod Galenus in illis eſſe ſimul phlegmonen, adeoque ſcirrhum inflammatum, non ſatis videatur expendiſſe: quod facit ut multo difficilior hujus quam ſimplicis ſcirrhi ſit curatio, cum acrem propter, qui hic reſtat, & inflammationem conſtituit, tumorem, diluentia omnino non ſint negligenda: adhibendaque externa quidem plumbea, interna vero decocta mox laudanda.

LXXVII. His de curatione in genere conſtitutis, quænam illa ſint, quibus vel ſuppurari glandulæ poſſint, vel emolliri ſcirrhoſæ, tradendum reſtat. Cum autem hoc in ſcirrhi curatione à nobis fiat, non omnia, ſed ea tantum commemorabimus, quæ præ ceteris memorabile nomen adepta ſunt: nam hoc fieri non niſi præſtantiſſimis ſubſidiis poteſt. Purgantia igitur, & ſerum corrigentia præmittantur: Ubi præ ceteris pulverem ex partibus æqualibus ſacchari, turpethi & Gingiberis Avicenna commendat, quo etiam ipſo, & deinde eodem in electuarium redacto, uſus cum fructu eſt *Scultetus*. Tum acerrimis quibuſvis opus difficile aggrediendum eſt: Calcem, aqua nondum reſtinctam cerato Irino exceptam, ſulphuris & Galbani æquales portiones, corticem Mandragoræ, Sandaracam, Naſturtium in cerato, pumicem cum aceto, Groſſos Caprifici, oſtreorum teſtas, *Aetius* laudat: *Aegineta* Bovillum ſtercus aceto incoctum, calcis nitrique parem quantitatem, cum cardamomo & fœnugræco, Cucumeris ſilveſtris radicem, Erucam, varias reſinas; denique anguis combuſti cineres. Quem ne putemus fruſtra laudari, facit Celſus, is enim quem ſtruma male habet, ſi anguem edat, liberari, quorundam ruſticorum experimento affirmat. Vide *Zacuti Luſitani Princ. Med. Hiſt.* Addunt his recentes Staphydem Agriam, Bryoniam, Scrophulariam: olea Myrtinum, Laurinum: unguenta Martiatum, Aregon: Emplaſtrum de ranis cum Mercurio Vigonis. Nucibus Cupreſſi ſe ſæpe ſtrumas incipientes coercuiſſe dicit Foreſtus. Paronychiam folio rutaceo, hoc eſt Alſinen tridactyliten Boyle ſolam in cereviſia ſtrumam curaſſe perhibet: ſed uni tantum experimento non eſt fidendum. Quæ omnia tamen in ſtrumis, ſeu glandularum ſingularium induratione, & Bronchoceles initio potius quam ſcrophulis congeſtarum convenire, in aperto eſt.

LXXVIII. In quibus etiam interna calida, reſolventia & exſiccantia alia poſſunt uſurpari, quorum formulæ apud diligentiſſimum æque ac doctiſſimum noſtrum Sennertum videndæ ſunt, qui idem & ſuppurandi modum perſpicue proponit. His interim ſi non cedat malum, excíſorius paratus culter eſt, cui ſuccedere poſſet etiam exedens pulvis, vel liquor igneus. Interim & illa quæ in ſcirrho alias utilia deprehenſa, negligenda non ſunt, ex chalybe potiſſimum parata: uti quidem Tinctura Martis ſanguinea Gailfuſii pro ſpecifico haberi à nonnullis meruit. Obſervatum enim eſt, non in externis ſolis, ſed etiam internis partibus ſępe glandulas induratas & ſcirrhoſas ſimul extitiſſe, maxime in Meſenterio: quod poſt alios nuper Caſpar Bartholinus nepos monuit, forte ex *Riolano* ſapiens, qui ſcrophulas in corpore nunquam erumpere aſſerit, niſi meſenterium ſtrumoſum fuerit: hic vero ex Guidone & Ingraſſia id poteſt didiciſſe, qui idem tradidere. Verum & Regemortius quidam vidit in alicujus à multis annis ſtruma laborantis cadavere hepar intus

intus foriſque glandulis piſi fabæque magnitudine refertiſſimum: quod narrat Gliſſonius de Hepate, quem vide.

LXXIX. Aliter in Scrophulis Hiſpaniæ endemiis procedendum: Dum enim inflammatus hîc ſcirrhus eſt, & cancroſo proximus, præcipua ſeri acrimoniæ corrigendæ cura ſit. Quod fit decoctis ſarſę, Chinæ, & lignorum, eorumque eſſentia, uti & variis vulnerariis diluentibus & leniter ſtringentibus potionibus, item ferratis, & potu Caffe aut Thee, quem Blancardus nuper laudavit. Interim & pulveres abſorbentes dentur, Antimonii diaphoretici calx, lapilli cancrorum, mumia, crocus Martis, ſanguis Draconis, Cinabaris. Mixtura quoque de tribus, Eſſentia fumarię, ſcolopendriæ, aliarum vulnerariæ, cum ipſis liquoribus volatilibus addi poſſunt. Lacertæ quid valeant, Scultetus te docebit obſervatione ſupra citata. Externe emplaſtra mitigantia & extinguentia calorem, acoremque corrigentia conveniunt. In his eſt emplaſtrum de cynogloſſo, quod miris commendat modis *Rob. Sibbaldus prodromi Naturalis hiſtoriæ Scoticæ ſcriptor.* Idem unguentum ex floribus vel primis germinibus Digitalis, ſummę efficaciæ eſſe teſtatur. Si efferatus eſt, plumbea commendatiſſima ſunt: cumprimis Emplaſtrum diapompholygos correctum amiciſſimi hactenus Collegę mihi Wedelii. Quod, ſi ad cancrum declinet, proficuum præ ceteris Diaſulphuris Rulandinum eſt, quod Magnus Rolfincius in Chimia deſcriptum dedit. Mirificam etiam unguenti, quod Hier. Fabritius Aquapendens deſcribit, efficaciam expertus eſt non ipſe modo, ut teſtatur, verum etiam Scultetus, in quadam monacha, & puella, quarum illa ſcrophulas habuit exulceratas in mammis, hæc vero in collo.

LXXX. Hæc de ſtrumis & ſcrophulis. A quibus differt plurimum Bronchocele, quæ illud eſt, quod nos idiomate noſtro vocamus, *Kropf*, Itali Il Goſſo, quem alium à Bronchocele, facit H. Fabritius, neſcio quod vitium aſperę arterię commentus, ut Bronchocelen exponat, nemini mortalium unquam viſam, cum res in aperto ſit. Eſt enim ΚΗΛΗ Græcis quilibet tumor. Bronchocele vero non aſperæ arteriæ tumor, ſed ad illam, ut omphalocele, bubonocele, non dicitur à parte ipſa, ſed à loco ad quem apparet. Ergo etiam Celſus inter cutem & aſperam arteriam eam ponit, & Aëtius ſimpliciter tumorem in gutture orientem: Addit is, frequentiſſime eum ex partu contingere, cum in vehementiſſimis doloribus puerpera ſpiritum violenter detinuerit. Ex quo conſtat qualis ſit; & quamvis dilatationem vaſorum ille putet, tamen ex imperitia hoc eſt anatomes. Quin potius ex ruptione eſt, unde ſanguis effunditur. Exemplo id patet unico in viro annotato; *à M. A. Severino, L. de Rec. Abſceſſ. IV. cap.* 7. *in fine p. m.* 28. Ut non liceat, quantum video, de morbi genere dubitare.

LXXXI. Neque tamen ex hac una cauſa Bronchocele accidit, neque ſola: Nam eadem ratione & reliquæ herniæ ſpecies obtingunt parturientibus, & hæc ex aquis etiam crudis, gipſeam materiam clam ferentibus & à ſole minime excoctis provenit. Quæ cauſa eſt, quod, ut Strumæ Hiſpanis, ſic Bronchocele Allobrogibus, Stiriæ & Carinthiæ incolis familiaris ſit. Idem malum graſſari in quadam Bergamenſis agri parte, Hier. Fabritius fatetur, ſed non agnoſcit eſſe Bronchocelen. Aegineta dicit, aliam adipe tumere, aliam dilatatione accidere. Eſſe itaque eam in univerſum Tumorem in collo magnum, mobilem, mollem, pendulum, qui non doleat, neque ullam offendat actionem, itaque chirurgia eos curare non eſſe opus. Cuſus pace dixerim, nihilominus non modo moleſtum eſſe, & aſpectu fœdum, ſed etiam, ſi magnum, ſuffocationis periculum inducere, quod Tulpii exemplo patet, in obſervatione, quam ſtrumarum anatomen vocat. Nec colli actiones nullas impedit aliquando: vidi ego muſculos ſternothyroideos & ſternohyoideos plane ex tali emaciatos, & membranaceos: Eorum igitur ſaltem uſum impediunt, ne dicam de jugularibus, & aliis quas comprimunt, partibus. Vide & Ephem. N. C. Ac Leop. XIII. 314. cum Scholio. Adeoque etiam curatione dignus eſt, etiamſi periculo careat.

LXXXII. Poſtquam conſtitit qualis ſit tumor Bronchocele, ex quibus componatur, etiam cognoſci par eſt. Quod non unum eſſe deprehenditur. Nam modo caro hebes, modo humor aliquis, mellis aquæve ſimilis tunicæ ſuæ includitur, ut loquitur Celſus: qui & porro addit, interdum minutis oſſibus pilos admiſtos deprehendi, quod inter raro obſervata in Atheromate ſupra quoque ex Aetio produximus. Vidi ego in cadavere fœmineo glandulas Thyroideas in ingentem molem, ſextuplo naturalibus majorem excreviſſe, & tumorem excitaſſe. Hæc forte eſt caro Celſi, nam valde rubent glandulæ iſtæ, ut carnem apud imperitos mentiri poſſint. Aetius omnis generis materiam in folliculo contineri aſſerit & modo eſſe ſpeciem meliceridis, modo atheromatis, modo ſteatomatis: cancroſam quoque deprehendi addit, quod nemo alius notavit; Itaque hic forte cum ſtrumis confundit perperam, etſi non repugnet in ſcirrhum abire, ſicque malignum fieri, & magnitudine ingentem, qualem aggredi chirurgo haut licet. Cl. Tulpius, corpora glandoloſa, quę ſeminia appellat, in aliqua notavit, etſi ſtrumam vocet hanc bronchocelen. Eſt autem digna obſervatio quæ legatur.

LXXXIII. Curatio ſubnectenda: Cum autem jam antea de tumoribus folliculo incluſis ſit actum, non eſt opus hic multis eadem repetere. Jam dictum, non obedire ſcirrhoſum, & maximum: qui etiam propter vaſa magna & multiplicia aliquando formidabilis eſſe debet. Sed & illum qui ex fortiſſimo, & inconſulto niſu, dum non deorſum ſed inconſiderate antrorſum ſpiritum contentum propellunt, puerperis accidit, incurabilem eſſe putatur. Sed quid impedit quo minus ſecta vel puncta ſpiritum contentum dimittamus? Reſtat ergo triplex ille tunicatus, & carneus, ſive, ut ego interpretor, thyroidis glandulæ. Quæ cum facilè in ſcirrhum abeat & corrumpatur, ob ſpongioſam ſubſtantiam, exſecari omnino debet, ſi alio modo corrigere non liceat, etſi metuenda hinc ſit quædam colli deformitas. Verum hic eſt potiſſimum; quod vaſa, quæ ſuſcipit ex carotidibus, negotium factura ſunt: Nervi etiam recurrentis viæ in memoria habendæ ſunt, ne accidat, quod narrat Galenus de imperito Chirurgo, qui cum eos una evelleret, mutum reddidit ægrum. Et hanc operationem omnium credo eſſe difficillimam: inde potius omnia prius tentanda, eſt enim ſpes in diſcutientibus & ſuppurantibus haut parva, nam laxa eſt pars, & mollis ac poroſa, & reſorbere aptas amplaſque venas habet. Diachylo quidam amicus mihi addidit ☿ dulcem, & omnibus ab aliis fruſtra tentatis, ſuppuravit ſtatim tumor, & ſanitas reducta eſt. Profuit etiam nonnunquam Emplaſtrum de Galbano crocatum Mynſichti, aqua calcis ignem non experta Vini ſpiritu temperata in ſpongia admota, Cataplaſma porro ex foliis & radice (quid ni & ſeminalibus capſulis) cucumeris aſinini, cum ſtercore caprillo: Emplaſtrum de Caranna cum ☿ & terebinthina laudat Ethmüllerus. His ſimul etiam interna jungi poſſunt, & quidem ex ejuſdem ſententia pulvis ex Spongiis marinis, Oſſibus ſæpiæ, Mandibulis Lucii piſcis, Lapidibus cancrorum, pipere, Zingibere, Pyretro, teſtis ovorum: & in potu exhiberi radix ſcrophulariæ, filipendulæ, &c. Quorum alia exſiccando, alia diſſipando, quædam etiam ſpecifica quadam virtute agere credi poſſunt.

Ne

Ne quis tamen nunquam exſectam eſſe exiſtimet, adeat M. A. Severinum toties laudatum, is enim, etſi eam non agnovit, cum huic morbo obnoxiam eſſe, ego primus ex oculari inſpectione notaverim, tamen hanc glandulam omnino exſecuit. Verum alias etiam viſum, ſed non agnitum hunc tumorem fuiſſe, non eſt dubium, & alio ab eodem adnotato exemplo licet oſtendere; Hominis cujuſdam, ut loquitur, ſubalpini, qui bronchocelen prævaſtam multos annos cum angore paſſus, tandem ab ea ſtrangulatus oppetiit. Quo diſſecto, grumos ingentes ſanguinis undique circumfuſos, cum adnatis quibuſdam carunculis offendit. Nam ſine dubio hæ carunculæ partes erant Thyroidis glandulæ, præ ſanguinis copia diſtentæ ac divulſæ in partes, aliis lenſim & corruptis, & colliquatis in ſanguinem. Et hoc ipſum quoque eſt, quod doctiſſimus Wartonus dicit; Si ſcrophulæ, (ſic vocat Bronchocelen, quod notandum eſt) rubeſcant, colorem floridiorem eſſe, minuſque lividum quam ſtrumarum. Sed de his, quæ ad ſuperiora pertinebant, niſi differentia ſtrumarum & Bronchoceles fuiſſet oſtendenda, ſatis.

LXXXIV. Poſt glandularum ægritudines, Arteriæ tumor referendus & venæ. In arteria ANEURISMA ſeſe offert, de quo tamen, quid ſit, obſcurum eſt, aliis tumorem arteriæ ipſius, aliis arterioſi ſanguinis in partes effuſionem exiſtimantibus. Omnes antiqui, ejus mentionem facientes, ruptam arteriam & effuſum ſanguinem eſſe tradidere, *Galenus* cumprimis & *Aetius,* qui tamen falſo perſuaſus eſt, bronchocelen à niſu in partu accidentem eſſe Aneuriſma, quod ſeduxit etiam *Æginetam*, qui ex eo forte excerpſit, prout ipſum inſpicienti patebit. Quod fieri id quidem poteſt, ſed Aneuriſma tamen etiam alibi viſitur. Eandem quam veteres fovere ſententiam, amplectitur etiam Pareus aliique. At recentium nonnulli de eo dubitant, exiſtimantes eſſe externæ arteriæ tunicæ, interna rupta, dilatationem: in qua ſententia etiam eſt Sennertus noſter. Hujus novi dogmatis primum auctorem fuiſſe Fernelium, Döringius apud Hildanum it perſuaſum, & tamen poſtea Fallopium atque Veſalium ei adhæſiſſe tradit: quæ quam bene conveniant judicent hiſtoriæ Medicæ periti. Variis rationibus id aſſertum videas ab iſtis, ſed meo judicio parum roboris in illis eſt; quin autopſia quoque & experientia contrarium abunde docet, quam ex *Bartholini ſingulari libro, Meſſanæ edito, Hornii* ſubnexa *epiſtola*, *Walæi epiſtola*, *Bogdani obſervatione*, & *Severini cit. loc.* abunde eſt petere. *Scultetus* quoque *Tab. XLII.* idem declarat *Sæpius Ulnæ accidit,* air, *ut ab imperitis balneatoribus, & chirurgi titulo certe indignis pro vena baſilica arteria comes aperiretur, unde plerumque vel nimia ſanguinis profuſio, vel Aneuriſma magnum, quod male curatum, mortem intulit.*

LXXXV. Eſt itaque *Aneuriſma* (dictum ab ἐυρύνειν, effluere, unde & Galenus Varicem vocat ἀνευρισμένην φλέβα) tumor ex ſanguine ex arteria inciſa vel rupta effuſo in interſtitia carnearum fibrarum, pulſans plerumque, nonnunquam in maſſam ſanguine concreſcente. Cauſas, neque anaſtomoſin, nec eroſionem, nec diapedeſin eſſe opinor, ſed fere duplicem. Plerumque enim ab imperitis chirurgis pro vena ſecta arteria, viam ipſi aperire certum eſt: aliquando tamen ex ruptura idem accidere, illorum teſtantur exempla, quibus in collo, pectore, pedibus, & alibi, ubi non ſolet ea adminiſtrari, exoritur. Vide *Hildanum, Pareum L. VI. & Bourdelotii Zodiacum M. G.* in qua licet multa inepte diſſerit, cauſas tamen occaſionales aliquas non rejiciendas recenſet. Id ſaltem cave, ne Varices his confundas. Nam ex venis quoque exſudare poſſe ſanguinem, & conſtituere Aneuriſma ſummus ille Chirurgus Severinus putavit, ſed perperam, ſolo ejus pulſu facile refellendus, quo nullum carere Aneuriſma, initio ſaltem, credi par eſt: etſi deinde celet, ſi maximum occupet ſpatium;

LXXXVI. Eſt enim omne Aneuriſma in principio exiguum, rotundum, poteſtque digitis in arteriam rurſum impelli ſanguis, itaque ſæpe non ſine ſibilo: Paræum confer *cit. loc.* & Bartholinum. At poſt menſes duos vel tres, ubi negligitur, in immenſum excreſcit. Totum brachium occupari Bartholinus & Bogdanus; pedem, Walæus & van Horne; pectus Hildanus; brachium ac anteriorem thoracis partem immani prorſus tumore Severinus vidit: quæ utrum ex dilatata arteria contingere queant, videant qui eam ſolam admittunt. Mirum eſt, carneam maſſam ex ſanguine concreſcere cordi ſimilem, pulſantem ut cor. Quod notarunt *Bartholinus*, *Van Horne, Bogdanus, & Bourdelotius.* Mirum autem poſt hæc non eſt, (quod obiter dico) carnem in vulneribus abſumtam recreſcere.

LXXXVII. Neutiquam neglectius habendum eſt aneuriſma: niſi enim obſiſtas principiis, incrementum ſenſim capit, donec vel ſponte rupto, anima cum ſanguine effundatur, ut apud Severinum, vel, ſi ad collum ſit, ſtrangulationis immineat periculum, vel intolerabilis dolor perimat, ut apud eundem, vel Gangræna & necroſis ſuperveniat, ut Pareus monet. Eſt autem in principio facile curabile: difficillimum, ubi diffuſum & vaſtum eſt; Internum quoque difficile, imo incurabile eſt. Nam & in interioribus corporis viſceribus illud obſervavit *Pareus*, & in his oriri illis præ ceteris pronunciavit, qui inunctione Mercuriali nimis attenuatum reddi paſſi ſunt ſanguinem, & plura talia vidit Dodonæus. Raro evenit, ut ruptum, ſponte deſinente ſanguinis fluxu, evaneſcat, quod à *Moinichen* advertit.

LXXXVIII. Curatio itaque, ſi fieri poſſit, ſtatim ubi advertitur, inſtituatur. Tunc vero ſola compreſſione arteria omnis coaleſcit: quin unico emplaſtro illud repreſſit Hildanus. Commodiſſime tamen & tutius id fit inſtrumento, quod ita formatum, ut unam comprimat arteriam, reliquis partibus vicinis intactis, ne compreſſione omnimoda æqualiter ſtringens, ſanguinis per venas reditum intercipiat: Exemplum vide Bourdelotii, in ſeipſo experti. At vero ubi increvit, ut neque ſanguinem in arteriam retro pellere, neque hanc comprimere liceat, tum fruſtra hoc utaris: nec quid agendum ſit, protenus obvium: Fortunatus fuit uterque æger Bogdani, quibus poſt ſectionem & alterius inſuper uſtionem reducta eſt integra valetudo: ſed iſta imitari non licet. Veteres arteriam ſeparare ſupra tumorem jubent, & diſſecare. Verum hoc in minori locum habet, in majori neutiquam: præterea nemo hæc ferret, crudelia nimis delicato hoc ſeculo: & cum tentare auſus eſſet clariſſimus Ruyſchius, non fuit factus Voti compos: qui adeo in minoribus à Chirurgo de improviſo ſectis quanta difficultas operationem comitetur, expertus eſt. Itaque plerumque tum res deſperata eſt, & in arena conſilium capiendum, quod anceps remedium præſtat experiri, quam nullum: quod ſi ſuccedit, ut modo allatum, non omnino nihil fortunæ beneficio debebit Medicus.

LXXXIX. Hic tumor etſi non ſit arteriæ, tamen quoniam ex ea ortum duxit, nobis hic commode memorari poſſe, viſus eſt. Eſt vero & alia arteriæ, veraque intumeſcentia, quando ampliatur ipſa, ac turget. Quod circa cor ita evenit alicui, Pareo inſpiciente, ut pugnum caperet; ex quo tandem malo, rupta eadem, mors conſecuta eſt. Hinc Fallopius duplex Aneuriſma facit: unum arteriæ dilatationem, alterum ruptionem; Rectiſſime, ſed quia alterum hoc raro contingit, & ſi contingat, in internis partibus fere apparet, ubi curatio ſtitui non poteſt, ultimo loco à nobis eſt expoſitum.

Accidit hoc in majoribus potiſſimum arteriis ubi obſtructio eſt, ut in cordis palpitatione eſt frequens; & tunc quoque pulſus percipitur novus, qualem in liene quoque ejus arteria, eadem de cauſa dilatata, eveniſſe legimus. Verum huic, ut dictum, remedium malo nullum paratum eſt, neque ſi eſſet, aperto corpore, adplicare liceret. Itaque arteria relicta, ad venas tranſeamus.

XC. Quod iſtis evenire, ultimo modo loco diximus, his quoque evenit, fitque Varix, κίρσος Græcis Medicis, quam affectionem deſcribit Galenus, eamque ſecuti breviter: ἀνευρισμένη φλέψ: Vena dilatata. Hujus cauſam olim credebant ſanguinem melancholicum, qui huc ſoleat ſecedere: Unde in exſcindendis iis maxima formidoloſitas non paucis, quod quia legerant in Hippocratis Aphoriſmo *inſaniam iis erumpentibus ſolvi*, quibus exſcinderentur melancholicos fieri crederent, veriti ſcilicet ne occluſo diverticulo, humor inundet cerebrum, ſpiritusque involvat; id quod etiam ſæpius eſſe factum, Sennertus auſus eſt prodere: nihilominus futile eſſe, & hic experientiam fallacem, nimis manifeſta ratio declarat; perinde atque alterum commentum, quod ipſum Coum auctorem habet, calvis magnas non accidere; ſi ſuperveniant, rurſus capillatos fieri. Neque illud credo, quod *lib. de articulis* prodidit: Gibberem iis ſolvi: Ceſſat ergo metus, Varices, quia ab aliis morbis præſervent, & liberent, corrigendi.

XCI. Verius dixerim, quia non ſunt moleſtæ, vel quamdiu non ſunt, curandas non eſſe, cum ne morbi quidem tum ſint, quippe non lædentes actionem, etſi morboſi quid præ ſe ferant. Siquidem varias deſcriptas legimus: primum ſimplices, tum cum inflammatione exulceratas, denique prægrandes, & monſtroſas. Illæ nihil habent mali, non magis quam geſtationis tempore in mulieribus venæ uteri ita turgentes, ut totæ varicoſum opus haberi poſſint. Alia longe eſt reliquarum natura: nam inflammatæ dolorificæ ſunt: ulceroſæ, id eſt cum ulcere exiſtentes, impediunt hujus conſolidationem: Et notabile eſt, quod Severinus habet, ulcere in imo exiſtente, ſi varices multo ſint ſuperiores, ubi exciſæ ſunt, nil prorſus mali reſtare. Magnitudine autem conſpicuæ, metus eſt ne rumpantur, & fiat profuſio ſanguinis cum vitæ periculo conjuncta, qualem vidit Fallopius accidere: duos vero inde mortuos notavit Severinus.

XCII. Patet ergo, quando tollendæ ſint varices, quod etiam expedit Fallopius eleganter etſi prolixius, *L. de Vlcer.* Locum affert doctiſſimus Severinus, apud quem poteſt videri: Quod moneo, quia non extat in Francofurtenſi Fallopii editione, quæ primo hujus ſeculi anno prodiit, ut neceſſum ſit, alio exemplari uſum Severinum. At quo potiſſimum modo curatio debeat fieri, maxime controverſum videri poteſt. Veteres Græci, ſecta cute, ſeparabant venæ partem ſanguine turgidam, acu filoque traducto utrinque ligabant, & exſcindebant varicem. Arabes pungere jubebant, præeunte illis uno Hippocrate: Celſus ante iſtos etiam urere ſolitus. Excidit quoque Severinus plurimas, ad veterum morem, qui valde crudelis eſt, & ſummis doloribus affligit: cujus tamen operationis, patente ſanguinis circulo, neceſſitatem video plane nullam. Quid ſi ligatura venam intercipiendo, vel ſi profundior aut major ſit vena, quam ut intercipi profuſio ſanguinis poſſit, inſtrumento quod ad Aneuriſmata compeſcenda commendavimus, eam comprimendo ab hæmorrhagia caveamus, venamque evacuemus, lanceola apertam, deinde colligatam ſpleniisque munitam, emplaſtris aliisque conſtringentibus aggrediamur? Nam & Arabum compunctio talis fuit, quæ neſcio cur non ubique locum habeat. Evitabimus vero ſimul hoc pacto abſceſſum quem ſequi ut plurimum exciſionem venarum, Neapolitanus Chiron, isque unus monuit. Quod ſi hoc non placet, aliud in promptu eſt certiſſimum: venam per medium diſſecare, & aqua ſtiptica tangere: Sic enim & via in varicem ſanguini in perpetuum negabitur, & hæmorrhagiæ nullum erit periculum. Sic puto: fateor tamen, expertum me non eſſe, cum Germaniæ meæ id beneficii contigerit, ut quemadmodum à multis aliis, ſic ab hoc quoque malo liberos & immunes fere incolas ſuos præſtet. Quod ſi expertum magiſtrum deſideras, vide Vigonem, qui multa utilia Te docebit.

XCIII. Hoc in artubus fieri commode poteſt, alibi quoque ligacula aptare loco commodo, difficile forte adeo non eſt. At in Ciſſocele id fieri nequit. Hinc ad illam trepidari video. Verum nihil eſt hic opus violenta manu: cataplaſmate ſtringente & diſcutiente applicito res peragitur, vel catagmatico etiam emplaſtro, non neglectis internis vulnerariis, quibus remediis levatus elegans juvenis hæc ſcribenti adveniens, adſtat & gratias agit. Quod ſi hoc fruſtra eſt, non tamen magnum hinc metuendum incommodum, & ſæpe ipſum tempus, modo abſtineas à Venere intempeſtiva, malum aufert.

XCIV. Explanatis partium mollium tumoribus, ad duras venio. Ex quibus cartilagines nullo tumore affici obſervatum eſt, os vero uno, eoque difficili, non re tantum, ſed etiam ipſa denominatione: Vocant enim *ſpinæ ventoſitatem*. Cujus vocabuli ratio ſatis ſpinoſam ſeſe exhibet inveſtigantibus, & poſſet ab aliquo Helmontio videri excogitatum, niſi ab Arabum ſeculis ad noſtra conſtaret perveniſſe. Dubitat vero Severinus, an recte tranſlatum ſit: quod nobis ſupponendum. Eſt autem auctoribus ſpinæ ventoſitas, quando ab interna & in oſſe ſubſiſtente cauſa illud corrumpitur; quo differt à carie, quæ fit ab externa. Ventoſitatem ergo dictam vel quaſi inflationem, quoniam tumor eſt, cum Pandolfinus, tum Severinus, optimi de hoc affectu ſcriptores exiſtimarunt; ſpinæ vero, vel, ut nonnullis placet, quia ſæpius Dorſi vertebris accidit, vel quia dolor acutus, qualis ſpinæ infixæ in carnem, conjunctus eſt. Græci Τέρηδων, teredinem nuncupaſſe videntur, quod ut vermis Teredo ligna, ſic ſpinæ ventoſæ materia oſſa perforet: etſi non unum hoc in noſtro affectu occurrat, ſed facies ei ſit varia: ut mox patebit.

XCV. Tametſi vero ad ulcera cum oſſe ſubtus corrupto potius quam tumores pertinere rariſſimus hic affectus, videri queat, quia tamen in oſſis tumore primus eſt mali fons, unde & ulceroſam affectionem, non ulcus oſſium vocat Avicenna, huc potius referendum putavimus. Siquidem exiſtimandum non eſt, quamlibet oſſis corruptionem ulceroſam hic intelligi, ſed ſolerti diſtinctione eſt opus. Aliud enim eſt ulcus cui corruptio oſſis ſupervenit, aliud quod ab acri ſero eroſo oſſe ſuccedit. Spina Ventoſa eſt oſſis à cauſa interna, ſero ſcilicet corrupto & ſubſiſtente, tumor, cum ſuperveniente ulcere, in totius oſſis corruptionem tendens, deſinensque. Vide M. A. Severinum.

CXVI. Nunc, quibus potiſſimum, & qua parte contingat hic oſſium tumor dicendum eſt. Dixi ex quorundam opinione dorſi potius oſſibus quam reliquis accidere. Verum non video huic aſſertioni reſpondere experientiam, ſed frequentius multo in artubus eſſe obvium: Imo, ſi audiamus Severinum & Petrum Marchetti, in ipſis articulis, quibus tamen alii jure album calculum negant, & omnia pariter corporis oſſa ipſi obnoxia pronunciant. *Joſephus Pandolfinus*, Medicus Firmanus, pleroſque ejus oppidi pueros afflictos vidit Anno XIV. ſeculi currentis & *M. A. Severinus* his tantum non ſolis contingere putat, unde & pertæſus inconditi illius veteris vocabuli παιδαρθροκάκην nominat, quaſi diceret malum articularium puerorum: Attamen alii

alii & in adultis obſervarunt & contrarium plane perhibent, ut Petrus de Marchettis, qui ad vigeſimum quintum annum ut plurimum cum viros tum fœminas eo laboraſſe notat: Ut nulla ſit cauſa cur novum hoc Severini nomen à doctis in civitatem recipiatur. Vide doctiſſimi Merklini in Pandolfinum commentarium.

XCVII. Cauſa tanti mali non eſt Menſtrui ſanguinis relicta poſt variolas impuritas, ut ſtatuit Severinus, quem prolixe, & quantum ſat eſt, confutavit laudatus modo Merklin. Et ſane cum hoc dogma duplici fundamento ſuperſtructum ſit: Menſtruum ſanguinem eſſe natura corruptum atque impurum, & eundem talem eſſe materiam fœtus; utrumque vero hoc ſit falſitatis abunde convictum, facile patet, etiam hoc ipſum protenus omne concidere. Longe itaque rectius, ipſo prior Pandolfinus aſſerit, eſſe humorem corrumpentem, eumque vel acutum, (acrem) vel ſalſum, atque nitroſum, vel aquoſum phlegma, vel virulentum. Omnia enim hæc & competere poſſunt ſero, & reapſe in hoc morbo obſervantur. Neque acre & ſalſum idem eſſe quis putet, quod ipſum auctor prudenter & ex veterum mente diſtinxit. Tale itaque ſerum, quoties cetera ſanis unum hoc accidit incommodum, vel ſponte ſua, & diuturna mora, vel à latente in ipſo oſſe fermento maligno, acrimoniam pravumque morem contraxit: Quod ſi vero ſimul in variis partibus erumpat, in ipſo ſero jam ante extitiſſe cauſam manifeſtum eſt: etſi non repugnet, morbum diutinum reliquam ſeri maſſam inficere, ſenſimque corrumpere, quod etiam eveniſſe videtur binis illis pueris, quos in exemplum adducit Merklinus c. l. Uti omnia hæc Pandolfinus eleganter, etſi verbis Veterum utens, exponit.

XCVIII. Mirum eſt & inter ſingularia referendum quod Lavaterum notaſſe legimus: ſe vidiſſe in Monaſticæ vitæ novitio, octodecim annorum, femoris ſpinam ventoſam, ex qua facta ſectione, nil niſi flatus exſpiraverit, cum ægroti interitu. Hunc ſane flatum, ſi cauſa mali fuit, valde acrem fuiſſe oportet, etſi magis ſit credibile humorem qui eroſerat, quacunque de cauſa in flatum fuiſſe verſum.

XCIX. Colligitur itaque ſenſim hæc materia, vel nulla ex manifeſta cauſa, aut poſt variolas, aut luem Gallicam, aut poſt malignos morbos, vel in artubus, vel in cranio & maxillis, vel in vertebris, vel ſacro ileove uno aut altero, vel quocunque tandem alio oſſe, & ſeſe inſinuans, illud facit intumeſcere, ac rodit, id quod primum obtuſo & remittente nonnunquam cum dolore accidit, mox vehementius redeunte: tum inſignis fit, lancinans, ut æger referat, ſe veluti ſpina pungi: denique pars altius attollitur, & fit abſceſſus, id quod fere, annotante Severino, poſt alterum menſem ſolet accidere. Qui pure evacuato, tenui humore fluit, & ſinum oſtendit, quo dilatato, ſpecillo os corruptum deprehenditur. Eſt autem varia illa corruptio, pro humoris vel erodendi, vel corrumpendi facultate. Nam ſi lenis & mitior humor, exaſperatur fere, & excreſcit tantum; ſi acris, veluti lima vel verme, ut loquitur Pandolfinus, eroditur; ſi vero malignus, putreſcit. Hinc Petrus de l' Argellata focile (id eſt cubitum & radium) totum putrefactum vidit. Joh. van Horne calcis os tantum in magnitudinem inſignem adauctum, poroſque ejus ampliatos, & materia cartilaginea repletos, calloſaque cruſta obductum os invenit: *Gaſpar Hoffmannus* pelvis oſſa in puero tam foraminulenta, quam nullum potuit eſſe lignum carioſum, vel putridum: *Severinus* carioſum malleoli os, maxillæ, & pectoris, item os mediæ tibiæ tumore tentatum vidit. Mihi quoque in cadavere puellæ quod publice in theatro ſecui, ulceroſum crus repertum, cujus & tibia & fibula pene tota erat inſigniter acuta, quam etiamnum mecum aſſervo. Hæc autem tanta diverſitas non ab alio, quam humoris corrumpentis diverſitate produci credendum eſt. Neque dubitandum & ante omnimodam corruptionem oſſa attolli carnes poſſe, ulcusque oriri, & eſſe aliam ſpinam ventoſam in fieri, aliam in facto eſſe; etſi id nolit admittere doctiſſimus Merklin, adeoque Pandolfinum ſuum hic deſerat. Nam & poteſt attolli os neque tamen corrumpi, & per poros transſudans humor carnibus ſe inferre, & abceſſum facere, antequam corruptio ſolidiſſimæ partis perficiatur. Unde & teredinem Græcorum non exhaurire affectus latitudinem, ſed eſſe ejus tantum genus aliquod, puto eſſe manifeſtum: cum omnem ab interna oſſis parte provenientem corruptionem ſpinam ventoſam vocent auctores, eam vero variam eſſe oſtenſum eſt. Inſuper *Severinus*, aliam cum dolore, aliam ſine eo eſſe, aliam etiam cum febre: nonnunquam cum macie totius corporis conjunctam prodidit, quæ de teredine dici non poſſunt.

C. Hic controverſiam movent auctores de Cancro oſſium Celſi, cujus meminit L. VIII. cap. 10. an is cum noſtro affectu ſit idem: Primus Clariſſimus Tulpius id movit, & affirmavit: negavit vero Hornius, quem rurſus refellere tentat doctiſſimus Merklin. Sed ignoſcant mihi viri celeberrimi, ſi non ſatis intellectum illis Celſum putem, excepto van Horne, qui ſe non ſatis explicat, brevitatem nimiam ſectatus. Nimirum Celſus non loquitur de cancro oſſis, ſed carnium: Quod ipſum attente legentibus erit manifeſtiſſimum, ſic enim ait. *Si* (extenſio) *primis diebus omiſſa eſt, inflammatio oritur: ſub qua & difficile & periculoſe vis nervis adhibetur: Nam diſtentio* (*an diſtentionem*) *nervorum vel Cancer ſequitur, vel certum, ut diutiſſime alatur pus.* Hic nulla cancri oſſis fit mentio, & loquitur Celſus aperte de Sphacelo, quem cancrum ipſi vocari evicit Hornius. Quis enim non videt, ab extenſione intempeſtiva, qua non oſſibus, ſed muſculis vis infertur, nihil oſſi metuendum, minime vero omnium ſpinam ventoſam, at carni plurimum? Quod & ſequentia deinde comprobant: dicit enim articulo ultimo, de communibus curationibus: *Gravius aliquanto eſt, cum oſſis fracturæ carnis quoque vulnus acceſſit, maximeque ſi id muſculi femoris aut humeri ſenſerunt: Nam & inflammationes multo graviores, & promtiores cancros habent.* Ex quibus res patet manifeſtiſſime: itaque fruſtra excitarunt hanc diſceptationem viri de arte meritiſſimi, & fluctus in ſimpulo concitarunt, recteque ſenſit Van Horne, ſed præcidit ſermonem ſuum & plus quam dixit, lectoribus cogitandum reliquit. Ceterum ego talem quoque morbum hunc deprehendi: Juvenis egregiæ indolis, ſed paulo triſtioris temperaturæ & ſedentariæ vitæ quam conſortii hominum amantior, conqueritur de dolore pedis, in ejus dorſo inſigni & lancinante: nihil apparet mali inſpicientibus. Ego ſpirituoſis & volatilibus oleoſis diſſipare ſtudens rodentem materiam, nihil efficio: Tandem poſt menſem dimidium ingens tumor pedis oritur, ſine rubore: mox etiam coloris fit mutatio. Ergo emplaſtro pus movente utitur per biduum, & cum viderem illud ibi fluctuare, ſed cutim nondum poſſe perrumpere, nihil cunctatus, aperire jubeo tumorem, immaturum licet. Fit ulcus, ſanatur, neque tamen ceſſat dolor, ſed mox in vicino loco denuo apparet exiguum foraminulum, ex quo tenue ſerum exprimo. Eo ampliato prius, & mundificato, iterum conſolidationi ſtudemus: quæ etiam ſuccedit, verum alibi recrudeſcit ulcus, & variis foraminulis cutis perforata ſenſim apparet: hic ſpecillo immiſſo ad fundum, os metatarſi quartum aſperum & ſcabrum offendimus, cauſam mali: quo cognito injectiones adſtringentes mundantes oſſa, & balſamicæ variæ adhibentur, dilatatur ulcus, etiam facta ſectione, ut ſat amplum fieret,

ſed os denudari tamen non potuit, adeoque inſanabile hactenus malum, cum excindere totum non videretur conſultum, relinquere fuimus coacti.

CI. Quam difficile vero ſit, ſpinam ventoſam tollere, & ad ſuam integritatem os reducere, partim ex dictis patet, partim ipſa nos oſſium natura docere poteſt, quam corruptam nulla ars reſtituere in integrum valet, ſed ſola natura: neque tamen hoc prius, quam omne quod corruptum eſt, auferatur, effectum dabit, cum enim nova calli materia per fibrarum oſſearum tectitudinem affluat, ubicunque hæc pervertitur, quod ubique hic fit, tumore poros obſtruente, illa permeare non poteſt. Ex quo pateſcit, nullum in conſummata & vera præter exciſionem remedium ſupereſſe. Quod ſi negligitur, non modo ne ſerpat malum periculum eſt, ſed etiam ubi profuſio puris aut ſeri augetur, & major fit exulceratio, ne cum tabe committatur ægrotans, tandemque conſumtus, intereat. Et hoc agnoſcit ſane, quiſquis ipſius affectus naturam ſatis novit. Ex quibus eminentiſſimam Chirurgorum trigam, *Severinum*, *Marchetti & Hornium* nominaſſe ſuffecerit; quorum ille etiam antiquiſſimum Del' Argellata in teſtimonium advocat: Petrus vero, incipientem, & minorem oſſis corruptionem facilius cedere antiqua, & graviori, nunquam tamen ſanari ait, niſi remota fluxione, & ſublato oſſe corrupto vel igne vel ferro: Van Horne totam etiam tibiam amputavit. Quamvis in incipiente aliquam ſpem faciant vulgaris viæ ſectatores, omnes morbos eodem modo, id quod vocant methodice, enarrantes: In cujus rei exemplum licet fortaſſis Pandolfinum citare, qui nulla non cumulat remedia, uſque ad errhina & apophlegmatiſmos: quæ etſi in cranii corruptione fortaſſis aliquid poſſent, perperam tamen quis etiam ad pedes aliaque oſſa laudaverit.

CII. Quamvis itaque ad prǫſervandum hǫc poſſent fortaſſe commendari, irritam tamen & hanc reddit ſpem, quod malum in fieri, ut loquuntur, adhuc conſtitutum, vix animadvertitur, neque adeo de remediis in futurum cogitari poteſt. Interea quia etiam in conſtituto aſſidue nova materia affluit, & viſcera perennem, Guern. Rolfincio judice, fomitem ſuppeditant: neque tum ſunt omittenda purgantia, ſudorifera, diuretica, & ſi in capite eſt, errhina, cum reliquis modo ex Pandolfino memoratis, quorum apud ipſum exempla ubertim extant. Sed præterea etiam vulnerariæ potiones propinandæ, ex ſiccantibus maxime, ut Scolopendrio, Oſmunda, & reliquis capillaribus & reliquis, quæ dulcorant acre ſerum: item ex Chalybe paratæ, magiſteria ac tincturæ apetitivæ, Antiſcorbutica quoque, & præ reliquis Lignorum, ſarſaparillæ, chinæ, corticis Saccorillæ, ligni Guajaci & aliis balſamicis parata; in quibus eſt eximium Barbettianum: Angelicæ etiam, Pini, Myrrhæ, Theriacæ eſſentia, miſtura ſimplex, & viperarum ſal, quas ſupra modum extollit M. Aurelius. Sed Mercurius etiam, fortis ille ichoroſæ corruptionis domitor eſt arceſſendus: cujus inunctione, ſuccedente ſalivæ fluxu, feliciſſimus Rolfincius puellam hoc ipſo affectu detentam ſanatam memorat: Dum interim externe injectiones ex aqua Mercuriali, Vitriolo, Alumine, Balſamo Peruviano, oleo Caryophyllorum, Hypericonis, & ſi tanti eſt, Momordicæ, ac ſimilibus tentanda eſt mali pertinacia: quæ tamen omnia fuiſſe fruſtra, experientia doctus, aſſerere queo. Itaque potius primo quoque tempore fiat inciſio, nullo licet apparente tumore, ait Marchetti, oſſiſque inæqualitas abradatur, ſi id fieri poſſit, ſi vero altius corruptum eſt, excindi partem carioſam ac putridam neceſſum fuerit. Si neque hoc fieri poteſt, ut in manibus & pedibus, juncturis, & magnorum oſſium capitibus, van Horne imitandus reſtat, qui cum agnoviſſet affectum *in illuſtriſſima Duce de Merode, & juxta conſilium Argelatæ* (ejus verba refero) *non poſſet os morboſum removeri, neceſſe fuit, ad ultimam anchoram, amputationem ſcilicet tibiæ procedere.* Non poteſt autem os removeri, propter ligamenta, tendines, & vaſa conferta: Vel Marchetti amplectenda ratio, qui dilatato foramine ſectione, ſpongia præparata, radice Gentianæ, medulla ſambuci aut ſorgi, cannulam jubet immittere ferream & mox cauterio actuali os inurere quantum perito artifici videtur, cavendo, ne tendines offendantur, metu convulſionis: vel trepano parvo (imo terebra) ſi internodium affectum eſt integrum, utrinque perforandum, & medium forſiculis affabre ad hoc paratis media pars eximenda. Reliquum curationis callum promoventibus, ſarcoticis & epuloticis conſueto more peragitur.

PARS ALTERA:

DE

Tumoribus quæ pluribus vel univerſis partibus accidunt.

I. HActenus illi tumores expoſiti ſunt, qui ſingulis partibus conveniunt; quos qui nunc ſequentur, variis, iiſque compoſitis fere ſolent accidere. Neque tamen omnes iſtos ad nos jam pertinere arbitror. Leucophlegmatia enim ſolis internis medicationibus cedere conſuevit, & pertinet ad affectus univerſales, internis tantum non ſolis cedentes. De œdematoſis vero qui totum crus, manumve occupant quidem, ſed in carnoſarum fibrarum interſtitiis duntaxat hærent, jam actum eſt. Sed nec Herniarum genera tangi à nobis fas eſt. Ut enim Leucophegmatia ad ſolos pertinet Medicos Phyſicos, quos vocant, ita hæ manuali unice operationi ſubſunt: Qui igitur tollantur, ex illorum, qui operationes iſtas tradidere ſeorſim, libris diſcenda ſunt.

II. Quǫ autem cum externis maxime medicamentis, tum operationibus levioribus indigent, illi ſunt. Inflammatio, Abſceſſus, Gangræna, Sphacelus, Scirrhus, Cancer; & quǫ de his participant. Qui, ſi poſtremum excipias, omnes prope à priori, inflammatione ſcil. pendent, uti mox apparebit: adeoque ad illam poſſent referri. Sed quoniam tamen aliquando etiam citra eam videntur oriri, atque ita à Medicis fieri conſuevit, ſingula ſeorſim ſpectabimus.

III. INFLAMMATIONEM ſolas carnoſas partes pati, *Galenus L. de Tum. c.* 2. memoriǫ prodidit; quod ſecus eſt: Cum & cuti eam competere, ex Eryſipelate conſtet, & membranis quoque glanduloſis atque parenchymaticis partibus, ſive viſceribus, hoc eſt omnibus illis quæ ſanguinem recipiunt, accidere, experientia teſtetur. Nam quoties omentum, hepar, pulmo inflammantur? quibus nihil eſt carnoſæ pulpæ: ne quid dicam de Strumis aliiſque innumeris: quin imo nonnunquam ipſa oſſa eam contingere fatetur Galenus, & plerique omnes, qui de ſpina ventoſa ſcripſere, non obſcuri auctores produnt. Etſi concedi illud poſſit, carnem præcipue, & facillime inflammari, quia tota eſt ſanguine pleniſſima. Vide *Hier. Fabr. de Tum. p.* 11. *cap. V. plane cum his conſentientem.*

IV. Eſt autem Inflammatio caloris naturalis in vehementem, & quaſi flammeum in parte corporis converſio. Nam qui ad humores quoque & nominatim ſanguinem extendunt morbum, cum contra recepta dogmata, & ἀκρίβειαν citra ullam rationem peccent, cauſam cum morbo, morbum cum cauſa confundentes, inſtitutum ſuum mihi non probant. Calere enim

enim humores nimium, & æſtuare, non inflammari dicendum videtur: inflammantur vero potius ſolidæ partes & ex eorum occulto igne patiuntur incendium, non flamma quidem, ſed rubore manifeſtum. Hoc enim certum eſt: ut omnis calor naturalis in ſanguine exiſtit, & cum illo in partes influit, etiam hic tanquam in ſubjecto cauſæ, calorem in ſanguine conſiderandum eſſe: quem non ſemper inflammatio conſequitur, alias in omni inflammatione febris adforet comes. Influit ſcilicet in partem naturæ conveniens, ibique inveniens incendii cauſam, efferatur in majus: quod quomodo fiat, explicandum eſt. Interim videri Sennertus poteſt, qui ſanguinem eſſe inflammationis cauſam abunde probat. Quod ſi cui Galeni ſententiam noſſe ſit animus, illam inveniet Meth. Med. L. XIII. cap. 6.

V. Ut vero cum eo facile hic in eandem conſpiramus ſententiam, ita nec illi nec Galeno adhærebimus amplius, ubi ad proximam cauſam perventum eſt: quam ſic ſe habere exiſtimamus. In ſanguine eſſe ignei quid, quod calidum nativum appellamus; etſi enim non ignoremus, quid Dubitatores opponant illi ſententiæ, ſecuri tamen de his omnibus, tanquam certum iſtuc intrepide hic ſupponimus. Hoc autem motu & agitatione augeri, docet experientia. Non eſt igitur ambigendum, in partibus ubi fit inflammatio, motum auctum eſſe. Is autem, cum vel inteſtinus ſit, vel externus, quem fluminis vocant nonnulli, ille autem à peregrino fermento ac turbatione (quod novum, ſed ineptius vocabulum magis ad palatum eſt quibusdam recentibus,) hic à corde contingat, facile patet, externum hunc, non inteſtinum accuſandum: cito enim per totum liquorem diffunderetur, ut in febribus fieri, liquido patet. Unde itaque novum hic ſuſcipiat incitamentum, dicendum eſt. Patrum memoria per affluxum fieri, ἀθρόως καὶ βιαίως in partem ſanguine effuſo, exiſtimabatur. Hoc autem dogma cum circulatione ſanguinis conglutinari nequit, quantum etiam laborem hic ſuſcipias: Quin contra accidit, ut tranſmiſſus placide ſanguis ex parte iterum non dimittatur, obſtructis vel obſeſſis vel interceptis viis, quibus itur ad venas. Hinc ſtagnat ante oſtiola, &, dum alius continuo affluit atque impellitur per arterias, tumultuatur, & motu illo perpetuo ac præternaturali excitatur incluſus undulanti purpuræ ignis (eſt enim hoc igni omni familiare ac proprium) augeſcit, partes pingues & inflammabiles ſanguinis rapiens veluti in flammam, ſicque inflammationem conſtituit.

VI. Qua re nihil eſt planius. Nam ut calida, aromatica, & ſpirituoſa vinoſa motusque animi ad inflammationem ſubeundam ſanguinem diſponunt, ſic vulnera, lapſus, contuſiones, luxationes, infixa, & quæcunque tandem tubulatos carnis aliarumque partium fibroſarum meatus corrumpunt, pervertuntque, diſpoſitum illico ad incendium invitant: hæc autem omnia ipſi remoram ponunt & circulationem ſufflaminant. Quod ſi citra hæc oboriatur, obſtructionem accuſandam prodit, quod tumor omnis recens inflammationem mox habet ſociam, modo in parte ſanguinea excitetur.

VII. Quæ, cum manifeſta ſint, nec fermentatione, nec efferveſcentia, nec ſalibus ad hæc opus eſſe, itidem manifeſtum arbitror. Nam quod nonnulli fingunt, ſalia obſtruere poros partium, id ab iis qua talibus fieri, haut facile monſtraverint, per accidens vero, cum terreis juncta iisque incocta, id poſſe præſtare, lubens conceſſerim, etſi nondum videam, quomodo in magna ac notabili inflammatione hæc potius argui debeant quam craſſum & coagulabile ex facili ſerum; ut illa in minoribus puſtulis, ſcabie aliisque prædominari, ipſis viciſſim concedendum puto.

VIII. Conſequitur inflammationem qua cum calor coincidit, tenſio primum, ac tumor manifeſtus, deinde ex ea dolor, & ubi major evaſit, renitentia ac durities, ruborque accedit, ſanguinis per diaphanam cutim tranſparentis proditor. Hæc perpetua ſunt ejus ſigna, quibus poſitis ponitur, ſublatis tollitur affectus. Plerumque alias ſupervenit vulneri, ulceri, & reliquis nominatis: raro ſponte & ſine cauſa oritur. Nihil habet ab invicem diſcriminis: niſi quod à puriore latice ſuavius rubeat, à corruptiore obſcurius: Commenta veterum de φλεγμονῇ ἐρυσιπελατώδη &c. nemo vel Lynceus cognoſcet: nec refert quicquam: nulla enim hinc curationis reſultat diverſitas.

IIX. Prognoſis meretur attendi, quæ arctiſſime cum curatione nexa eſt & ab illa pendet. Vel diſſipatur enim ac diſcutitur malum, ſive in auras evaneſcant particulæ calido, ſive reſorbeatur quod partem in tumorem attollit; vel in pus vertitur ejus pars, tranſitque in abſceſſum; vel induratur & congelaſcit in ſcirrhum ſanguis; vel in gangrænam abit, ex qua dein ſphacelus, necroſis, totiusque partis, imo & vitæ, ni ocyus abſcindatur, amiſſio.

IX. Ad curationem jam animus applicandus eſt. Ut vero de cauſa inflammationis diſſentiunt immane quantum à veteribus recentiſſimi ſcriptores, illis affluxum, his detentionem cauſantibus, & liberum tranſitum negatum euntibus, ſic etiam in curatione maxima horum & illorum diſcrepantia eſt, ut rem expedire difficillimum videri poſſit: præſtandum tamen, niſi cum maximo artis opprobrio vel hanc nihil habere certi, ſed ad ludificandum ſimplices excogitatam eſſe, vel veteres aut recentes turpiter aberrare, & in curandi ratione protenus deceptos, velimus fateri. Primum itaque illorum, tum noſtratium rationem exponam, deinde qui poſſint locum & quando hæc vel illa invenire, conabor oſtendere.

X. Cum ergo affluxum ſanguinis putarent illi in cauſa eſſe, quippe cum calor & dolor attrahant, hunc quantocyus & ante omnia inhibendum cenſebant: Diſtinguere itaque tempora accurate jubebant: In principio V. S. inſtituere, & affluentem adhuc ſanguinem per revulſionis modum abſtrahere ad remotam partem; ubi vero ultra principium proceſſiſſet inflammatio, derivationis ergo eandem fieri in propinquo jubebant. Tum, ſi impurus ſit ſanguis (ut fere nunquam plane immunem à labe, exiſtimare licet) etiam purgatione κένωσιν moliebantur. Dehinc defenſiva ac repellentia adminiſtrabant ſtatim, quæ vel refrigerantia humida, vel adſtringentia ſicca commemorabant: *Herbas Endiviæ, Solani, Sempervivi, Plantaginis: folia Quercus, flores Roſarum, bol. Armen. Balauſtia, Sumach, & alia vel aquea vel adſtringentia*: item amara, ut *Abſinthium, Agrimoniam, Pentaphylum*; huc referebant quoque, vulnerarias ſicciores. Non tamen diu ſolis utebantur, ſed antequam ex tenſione dolor oriretur; Id eſt antequam affluxus plenior, infarcto ſanguine, pedem fixiſſet: Nam hoc facto, ſtatim quæ dolorem compeſcant, Galenus adhibere ſuadet, cujus dignum omnino lectu eſt *cap. 2. Lib. II. Cur. ad Glauc.* Paregorica vero talia commemorata leguntur: *Radices Altheæ, Lil. alb. Malvam, Sambuci folia, Linariam, Anethum, flores Chamæmeli, Meliloti, Verbaſci, ſemina lini, Fœnugr. crocum, axungias, mucilagines, olea*: Galenus ipſe mirum in modum *oleum Roſatum commendat.* Illa tamen non ſola adhibebant, ſed cum adſtringentibus: Unde Galenus Attalum reprehendit, quod Theageni, Philoſopho Cynico, hepatis inflammatione laboranti mera relaxantia (emollientia) adhibuerit. Alii ergo hic, omiſſis paregoricis, quæ, ne dolor attraheret, admittebantur, mox diſcutientibus agebant, miſtis repellentibus, maxime ſiccis, quæ adſtringerent. Diſcutientia vero illa ſunt, quæ tenuitate partium penetrant & reſolvunt, qualia ſunt fere

Ane-

Anethum, *Abrotanum*, *Origanum*, *Meliſſa*, *Serpillum*, *Chamæmelum*, *carvi*, *cuminum & ſimilia*. Quæ deinde augebant ſenſim, ſubtractis repellentibus, ſicque diſcutere tumorem & inflammationem ſolebant, quod niſi ſuccederet, ſuppurantia admovebant, & in abſceſſum degenerante inflammatione, illi proſpiciebant methodo deinceps tradenda.

XI. Ab his recentes ſcriptores recedunt, maxime circa repellentia, & defenſiva, quorum uſum non modo putant circulationis dogmate protenus deſtrui, verum etiam illa, dum incraſſent ſanguinem atque inſpiſſent, inflammationem potius augere quam reprimere. Neque venæ ſectionem probant, ſed ea omiſſa, diaphoretica interne exhibent, & ſudorifera terrea, quæ inepte ab iis alcalica vocantur, præ ceteris commendant, ab acido ſanguinem coagulante inflammationes fieri arbitrati. Externe vero applicare ſuadent calida potentia, balſamum ſulphuris, Vini ſpiritum, & ex diſcutientibus atque aromaticis fomenta, Emplaſtrum de ſpermate ceti, & ſimilia. Ut itaque, turbatis plane fontibus, hæreat aqua plurimis, qui non modo quid agendum, redduntur dubii, meritoque ambigunt, verum & quo ſe vertant, & quomodo artem nobiliſſimam à calumniis ſalvam præſtent, neſciant, quam, veteres tam longe aberrare prodentes, haut parum proſtituunt. Si enim illi inflammationes inepte curarunt per tot ſecula, quis credat deinceps aſſerentibus, ſe intra paucos annos recte ſapere præ illis cepiſſe, & non iterum falli, ſi decipi potuerunt majores omnes, quos ingenio & judicio acri longe modernos plerumque ſuperaſſe, ſine præjudicio libros ipſorum legentibus fatendum eſt. Si vero, quod concedi omnino debet, illi inflammationes, æque feliciter, ne dicam felicius recentibus ſuſtulerunt, quid fiet de diſciplina rationali, quam pro ſe allegant noſtrates: cui repugnat & contradicit tot ſeculorum experientia? Itaque oſtendendum eſt, in quo error lateat, & quid probandum utrinque atque rejiciendum ſit, omnibus æqua lance ſine ira ac ſtudio, ſineque arrogantia aut contemtu expenſis.

XII. Recte itaque in hoc recentiores pronunciarunt, ſtante circulatione ſanguinis, quomodo affluere aliquid ad partes ſingulares, attrahi atque allici queat, intelligi non poſſe: hinc etiam nos à veterum dogmate recedere non dubitavimus. Aſt cum pergentes, etiam cauſam negare, & ab acido inflammationem atque obſtructionem derivare voluere, indeque adhibere in remedium alcalica pene unice juſſerunt, merito reprehenſionem viciſſim incurrunt, cum ex falſa hypotheſi ineptam curationem inſtituant. Siquidem nullum eſt certum acidi indicium, & quæ alcalica vocant, talia neutiquam deprehenduntur: præterea acida intra corpus aſſumta, ferventem potius ſanguinem compeſcere obſervantur & congrumatum ſolvere, externe vero diſcutere tumores, ſi ſuo tempore admoveantur: ut de aceto compertum eſt. Perperam deinde ſanguinis detractionem prætereunt, vel etiam rejiciunt plane, cum nullum ſit promptius aut generoſius auxilium, quod duplici indicationi ſatisfacit: illi ſcilicet quæ ulteriorem affluxum, ſive confluxum impedire jubet, & quæ collectum diſſolvere. Nam dum pars effluit, alia quæ urgeretur mox verſus locum afflictum, in inane venarum ſpatium ſuccedit, & eadem opera æſtuanti ac hærenti in parte ſubtrahitur noviter affluxurus, tempuſque interim conceditur, ut ſe expediat, dumque ſubſequens ſubtracta ſui parte, parcius & placidius illabitur, eluit molliter quod impetuoſius ante impegerat. Quod autem diaphoretica interne propinant, externe vero efficaciora excogitant, & diſcutientia calidiora, magiſque ſubtilium partium miniſtrant, laudi eſt, in eoque medicinæ dignitatem augent: utrum tamen his ſolis rem omnem poſſint ubique peragere, ipſi viderint, quibus curta ſupellex domi, & qui vaſtum illud materię medicæ æquor ingredi recuſant, parvis navigiis ad littora Chemicorum proxima vagati contenti: unde ſola iſthæc fere ſolent commendare.

XIII. Sane enim dum repellentia plane rejiciunt, falſa argumentatione ducti, non poterunt doctis probare ſententiam: Eſt enim non una inflammationis ratio, ſed pro partium quibus contingit, natura diverſa. Nemo neſcit in oculorum inflammatione maximo cum fructu repellentia, etiam actu frigida adhiberi; imo in illa utramque facere paginam. In criſtis ani, puerperis familiaribus, ubi ſummo & intolerabili dolore inflammatio excruciat tenerrimam partem, unguenta conſueta faciunt quidem officium, at nullum præſentaneum magis remedium quam aquam roſarum, in qua cydoniorum ſemina mucilaginem ſuam depoſuere, linteo intincto, frigide admotam, experimur. Capitis dolor quoque ab æſtu ſanginis actu frigidis mulcetur; & aceto rutaceo, roſaceo, & ſimilibus aliaque multa licet comminiſcere exempla de frigidis. Scilicet nititur hæc curandi ratio æternæ veritatis regulæ & fundamento Methodi tot evanidis machinamentis quorundam inconcuſſa: contraria contrariis expelli, ut enim aqua igni, ſic frigidum inflammationi & nimio æſtui ſanguinis contrariatur, illumque extinguit vincitque. In hoc vero etiam decipiuntur, quod incraſſare hæc ſanguinem & altius impingere putent, non conſiderantes Defenſiva non in parte affecta, ſed extra illam applicari ſuis ſcriptoribus: quod Aquapendens illos docere poterat. Deinde non ſemper actu frigida, nec ubique eſſe hæc admota, verum calentia: quod, dum à vulneribus inflammationem arcent ſuo lacte virginis Chirurgi, norunt optime, & ſemper obſervant. Sed etiam terrea & adſtringentia non impingunt altius quod illi putant, & incraſſant hærentem in partibus ſanguinem, ſed ſtringendo earum tum poros, tum vaſa, impactum exinde, imminuto ſpatio expellunt: experientia in ophtalmia atque alias manifeſtante: etſi non omnibus locis, temporibusque, ut dictum, conveniant, ſed inter initia, hiantibus adhuc poris, & materia exiſtente fluida, ut poſſit elabi; uti in contuſionibus indeque exſurgente tumore vel ſola frigidi ferri compreſſio juvat. Unde & noſſe poterant, ſi attente legiſſent veteres, in magnis inflammationibus non facile frigida actu, ſed calefacta admoveri, quo pori aperti ſint: & ne aquoſæ ac adſtrictivæ ſolæ agere jubeantur, plerumque admixtum aliquid illis fuiſſe tenuium partium, coagulationi ulteriori præcavendo, oxycratum ſcilicet, roſaceum, aut vinum, aut ex plantis aliquid: adſtringentia quoque partes roborantium nomine uſurpata. Sed & ipſi quod verbis negant, re comprobant obnitentes: quid enim aliud agunt ſuis plumbeis, quam repellunt, quemadmodum & aſtacorum (quos cancros fluviatiles vocant) ſuccum, plantaginis item, ſolani, ſempervivi, aquam de ſpermate ranarum, concedunt, & defenſivis vulgaribus ſubſtituunt; Nam quod in his alcali occultum fingunt, ex illis eſt, quæ cautione Arithmeticorum opus habent: ſalvo errore calculi: qui in his, accuratius ſubductis ex arte rationibus, facile oſtenditur. Et ne huic ſoli adſcribendum putent egregium, quem ex unguentis infrigidantibus percipimus effectum, ſciant me inflammationes tam validas, ut etiam è longinquo admota manu, ad duorum digitorum diſtantiam calor ſentiretur, unguento Alabaſtrino & infrigidante Galeni æque ac de Ceruſſa, aliiſque plumbeis plus vice ſimplici quam optime repreſſiſſe, magno cum ægri ſolatio.

XIV. Ex quibus patet, quædam in recentium doctrina eſſe admittenda, quibus veterum peritiam, (quod eorum erat officii) auxerunt; at non omnia ipſorum

æque

æque laudem mereri, ſed in quibuſdam neceſſarias eſſe illas cautiones, non in omnibus. Quod non ignorarunt illi, ſed cum repellentibus caute incedere juſſerunt, prout quidem ſeptem ex Galeno cautiones in principio primæ partis allegavimus. Itaque diſtingue loca & tempora & res erit ſalva. Nam nec diſcutientia quæ ſola atque una commendant, ſtatim in principio convenire, viciſſim monent antiqui, ſed ſi ſubtiliſſima diſcutiantur, craſſa remanere, & in ſcirrhum abire, haut immerito verentur. Itaque patet, antiquorum rationem & pleniorem eſſe, & tutiorem, verum tum demum ſperatum obtineri eventum, ſi quodlibet ſuo loco atque tempore adhibeatur: quæ ex ſpecialibus Methodis addiſcenda ſunt. Unum adhuc monendum habeo, quod ſcrupulum injicere poſſit, de Angina quam nuperus Bontekoei diſcipulus Gehema non repellentibus eſſe tentandam, ſed gargariſmate ex vini ardente ſpiritu, quo ſæpius ſe cito eam diſſolviſſe, ſibi ipſi eſt teſtis: quod quidem novum ejus experimentum non quidem omnino temere imitari velim, ſed nec auſim prorſus rejicere, memor ejus quod legi apud Martianum, judicioſiſſimum Hippocratis interpretem, qui eum nunquam repellentia in angina ſuaſiſſe, & à Galeno perperam ex methodo univerſali hæc fuiſſe præſcripta, non contemnendis documentis oſtendit, ſolis diſcutientibus uti præcipiens. Quod etiam veræ methodo optime congruit: ut alias oſtendetur. Attamen tot ſeculorum experientia in contrarium declinans, non eſt propterea prorſus rejicienda. Videri interim in exemplum curationis inflammationum Galenicæ poteſt, cumprimis Galenus ipſe, qui & hepatis, & cerebri, & oculorum inflammationes curare docet accurate L. XIII. Meth. med. capitibus aliquot, & deinde doctiſſima ſub immortalis Conringii præſidio habita diſſertatio commentatoria in h. l. ſi ad manum ſit. Nos jam ad ſuppurationem deduximus inflammationem, ad quam pomovendam ubi fruſtra diſcutientia adhibentur, Medicus properare debet: Itaque & nos eo properamus: Fit autem tunc.

XV. ABSCESSUS, ab abſcedendo, ut Græcis eadem de cauſa ἀπόστημα, quia in eo aliquid à reliquis corporis partibus abſcedit: differt vero ab ἀποστασία Hippocratis, quæ, & ἀπόσκηψις, ἀποσκήμμα, eidem; aliis apotheſis & metaſtaſis dicitur: etſi recte dicatur, alium abſceſſum fieri αὐτομάτως, alium per metaſtaſin. Eſt vero abſceſſus proprie dictus & reſtricta ad ſuos terminos voce, tumor, ſub quo plerumque puris, ſeu materiæ purulentæ in parte aliqua fit collectio: etſi non repugnet, aliquando & alia ibi reperiri: Plinius ſuppurationes nominat, ea autem quæ præter pus in iis reperiuntur, admodum varia ſunt, & aliquando maxime mira: quæ vide recenſita à Sennerto.

XVI. Ex quibus facile patet, non à ſola inflammatione abſceſſus eſſe expectandos, ſed à variis etiam aliis cauſis internis externiſque: ex quibus ſupernaturales minime ſunt excludendæ. Etſi enim illa quæ rebus naturalibus ſimilia ſunt, ut oſſa, lapides, vermes, & quæ alias in corpore p. n. deprehendi ſolent, non ſtatim ἀπὸ τῶν ὑπερφυσικῶν promanaſſe, exiſtimanda ſint, tamen illa quæ à natura animalium nimis aliena ſunt, ut ligna, teſtæ, carbones, non poſſunt pro naturæ partibus haberi: multo vero minus artificem manum prodentia, ut acus, & ſtupæ contortæ cilindri, quos novimus in ſuras ac femora maximo & ſenſibili dolore adſtantibus nihil ejus cernentibus, intruſos, & chirurgica manu facta apertione inde exemtos. Solent autem talia plerumque abſceſſus etiam producere, & ruptis iis vel apertis deinde cum pure ex mediis carnibus erumpere.

XVII. Magnam itaque abſceſſuum differentiam continens hæc cauſa & contenta conſtituit, eaque etiam genuina & eſſentialis haberi debet. Alii videlicet, abſceſſus ſponte ſua & αὐτομάτως γινόμενοι obſervantur; alii per μετάστασιν, alii per ἐπιγένεσιν fieri: ſic enim diſcernere ſolertius lubet, ut per μετάστασιν Criticos vocemus qui natura aliunde admovente materia naſcuntur; per ἐπιγένεσιν vero, ſymptomaticos ex abundantia materiæ præter naturæ inſtitutum turgentis oborientes. Sed ſpontanei materia rurſum diverſa prorſus impleri ſolent: alii ſcilicet humoribus, alii ſolida ſubſtantia, eaque vel naturali, ut ſunt oſſa corrupta, vermes, & ſimilia, vel præternaturali, ut ferrum, glomi filorum, & reliqua quæ apud auctores commemorata leguntur. Sed illi quibus humor ſubeſt, rurſum boni ſunt alii, & laudabiles, exigui illi, rotundi, faſtigiati, rubicundi, uniti & æquales, alii mali ac pernicioſi, humiles, lati, bicipites, ſemirepentes Hippocratis, circa articulos ac tendines orientes: quæ omnia etiam ſymptomaticis evenire ſolent.

XVIII. Horum autem omnium licet una ſit, in univerſum indicatio, quod intus latet, eſſe educendum, hoc tamen exequi non uno licet modo. Si enim ab inflammatione abſceſſus eſt, ſuppurantibus utendum, & ut ad maturitatem perductus, vel ſponte diſſiliat expectandum, vel ferro aperiendus eſt.

XIX. Ubi itaque inflammatæ partis locus aliquis magis intumeſcit & circa illam dolor & calor augetur, & pulſatio quaſi aliqua percipitur (Teuto id elegantiſſimo & ex natura ipſa deſumto vocabulo effert, difficillime aliis nationibus pronunciando: *Es quurt*) denique attollitur in acumen, ad ſuppurationem tendere, & ibi collectionem fieri exiſtimandum eſt. Quare adjuvandus ſtatim naturæ conatus, maturantibus, & pus moventibus medicamentis: qualia ſunt quæ emolliunt, mitigantque dolores, ſive in cataplaſma ſeu unguentum, ſeu denique emplaſtrum redigere commodius ſit, quorum quod eligendum ſit præ ceteris ſitus indicat & natura partium. Nam facilius obediunt carnes: ubi vero circa tendines, & articulos, vel etiam in glanduloſis partibus pus movendum eſt, difficilius ac tardius res procedit, valentioribus ergo indiget. In illis igitur althææ, malvæ folia ac radices, Liliorum alborum bulbi, flores meliloti utriuſque, Chamæmelum, Lini, Milii, Fabarum & Fœnigræci ſemen, Hordei, vel ex dictis poſtremis ſeminibus parata farina, adipes, butyrum, olea & ſimilia poſſunt ſufficere, additis caricis, croco, vel aliis: quibus etiam in glandulis ſalivalibus & tonſillarum abſceſſu in gargariſmatis idoneis cum ſucceſſu fuimus uſi. Vulgus butyro cum pane ſubacto & impoſito ſolet pus movere; imo novimus qui pice ſola omnes tumores calidos minoris momenti, feliciter curabat. In difficilioribus vero & frigidioribus abſceſſibus gummata & reſinæ in auxilium trahenda, ubi empl. diachylon cum gummatis eſt celebratiſſimum, quod proinde vocant *das Zugpflaſter*, quia diſperſam materiam urget & colligit in unum, adeoque pus movet potenter. Eſt autem vehementer calidum: itaque in iis ubi moderatioribus opus eſt, cum aliis temperandum.

XX. Pure confecto, evacuatione opus eſt. Sunt autem ejus ſigna, ſi tenuis ſit cutis, tranſparentis color albus; ſi craſſior, verſus acumen nigricantior, cum floſculo ex livido fuſco, deinde mollitudo tumoris, & puris, manifeſta fluctuatio: etſi pro loci ratione & cum craſſitie cutis, tum & profundo abſceſſus ſitu non æque ſemper hæc appareant, unde profundis plane ſectionibus non raro opus eſt. Igitur pure animadverſo, id educendum vel ſponte rupto abſceſſu, vel aperto ſcalpello: nam Galeni rationem ſequi, & diſcuſſionem puris tentare prius, minus tutum eſſe apparet: interim enim pus acre reddi poteſt, & exedere, vel corrumpere partes ſubjectas. Quare cavendum quidem eſt, ne crudus ſecetur perperam, ubi conceditur mora, quod ex duritie & colore optime cognoſcitur

ſcitur, non tamen & rurſum in longum extrahenda, ſi quid metuitur, apertio; & ſæpe non expectata perfecta puris abſolutione maturandum opus. Uti ejus rei exempla tota die apud Chirurgos occurrunt, effluente ſeroſa tenui & cruentata materia, & pure mox poſtridie bono ſubſequente.

XXI. Fit autem tutiſſime, ſi non ſponte rumpatur abſceſſus, quod ubi denſior eſt cutis, raro fit ſcalpello apertio: neque ægroti conſulendus eſt timor, ſed eo inſcio, quaſi aliud agendo, juſta menſura loco declivi ferrum adigendum eſt. Quo facto, pus leniter exprimendum, & digeſtivo invitanda eſt pars, ut totam prodat mali materiam, addito dein melle roſato, & ſi ſordidum ſit ulcus, unguento apoſtolorum, fuſco, vel Aegyptiaco mundandum, denique conſuetis ſarcoticis & epuloticis conſolidandum eſt. Inter ſecandum vero, ne pars nervea, ne vena ne arteria paulo major, ne muſculorum fibræ ſecentur, cautio eſt, ne profundius adigatur cultellus, aut apertura fiat ultra modum ampla, vel nimis exigua. Quod ſi locus commodus ſectioni non eſt, tum demum cauterio potentiali utendum, aut, ſi etiam hoc opus, (rariſſime vero opus eſt) candente ferro utendum.

XXII. Hæc in iis valent, qui oculis ſunt expoſiti: in profundioribus autem & altius abditis, difficilis deliberatio eſt. Si viſcus quoddam obſedit, diſcutientibus fruſtra adhibitis, naturæ opus committendum, cujus beneficio abſceſſum hepatis ex ipſo abdomine pus effudiſſe conſpeximus ad libram unam fere quotidie, ſed funeſto tandem exitu. Ubi vero hæc ſunt immunia, non parcendum eſt, ſed audacter ſecandum profundius: quod niſi fiat, ne introrſum erumpat alicubi, & gangrænam inferat partibus, metus eſt: cujus rei exemplum Sennertus narrat, ubi & bina alia ex Hildano reperies, qui alta admiſſione novaculæ inevitabilem ceteroquin mortis neceſſitatem declinavit. Addam quod notum & mihi, memorabile & lepidum. Matrona quædam, ruri vivens, cum ex ancillis quædam alterius mammæ inflammationem paſſa, ingentem ejus tumorem, & flammæ inſtar rutilantem ſummeque dolorificam amariſſime plorans, oſtenderet, adjiciens, ſe ferre amplius non poſſe: illa familiam luſtrans, & forte ſcalprum exciſorium, quo fabri lignarii utuntur, manu geſtans, oſtendere mammam, juſſit, eaque contrectata, cum pus ſubeſſe exiſtimaret facile, magna violentia ſcalprum in eam repente conjiciens, ad ima adegit: Ruit in terram pallida & exanimis puella, ex mamma vero exilit puris bilibra plus minus: quo evacuato, & mundificato ulcere, inſolita licet medicandi ratione, quam nunquam admiſiſſet rogata, qua vero non admiſſa, ingens inſtitiſſet periculum, ſervata eſt.

XXIII. Hæc de abſceſſu bono, cui quod ſubeſt, ſanguini debetur: qualis vel ex inflammatione eſt, vel illam tamen conjunctam habet: Sive jam ſponte ortus ſit, nulla alia prævia occaſione, ſeu morbo primo vel ſecundo modo ſupervenerit. Horum qui ſymptomatici ſunt, raro ad ſuppurationem veniunt, ſed recedunt fere, ac evaneſcunt, crudi & rebellis humoris pleni. Critici non ut priores plane, ſed pro loci & materiæ ratione, paulo aliter nonnunquam cupiunt curari: ut ſi ad glandulas materia deſidat, vel maligna ſit ac peſtilens, quale quid obſervatur in bubonibus & carbunculis, contagioſa lue obortis. Hic Theriacalia & quæ malignitati reſiſtunt, adhibenda ſunt, atque admiſcenda, præſertim ſi ad ſuppurationem ventum ſit; ibi fortius attrahentia & maturantia requiruntur: quorum effectus ſæpe non expectandus, ſed ante tumor pertumpendus eſt, ut jam ſuprà monuimus.

XXIV. Alterum autem genus, quod non pure, ſed quavis potius alia materia naturali vel non naturali ſcatet, alias curas poſtulat. Et in hoc quidem præcipue argumento explicando ille rariſſimæ eruditionis Chirurgus M. A. Severinus, totus eſt, itaque hujus de Recondita abſceſſuum natura opus unice hic commendandum: interim quid agendum, per compendium quoque ediſſerendum eſt. Non eſt autem dubitandum quin materia, quæ intus eſt, unice hic legem ferat. Ea igitur probe expendenda, diſcuti an ſuppurari poſſit, an denique utrumq recuſet. Quo adverſo, incidendum eſſe, patet, & quovis modo educendum quod moleſtum eſt, vel acri rodenteque medicamine utendum, vel ignito etiam ferro ſive per ipſa initia ſive poſtea, ad eradicandū penitus malum adhibere placeat: etſi apud nos hoc fere extra uſum ſit, cum interim tamen non ſine fructu aliquando uſurpetur, ut in parotidibus ex febre maligna, in quibus generoſo hoc remedio feliciſſime ſe uſum narrat laudatus Severinus, c. l. quem vide. Idem vero in peſtilentibus quoque admovemus maximo cum fructu, ubi nihil uſitatius, neque ſalubrius quam anthraces exurere. Si vero abſceſſus talis ad ſuppurationem tendit, pariter adjuvandus, deinde, rupto eo, ſollicite an quid ſubſit toto genere p. n. explorandum. Patet autem hoc, ſi ad ſuperficiem eſt, ipſis oculis, ſi altius latet, ex eo, quod ſanari recuſat. Itaque ſpecillo explorandum, & quovis modo educendum eſt, ſive telum illud ſit, ſive ferramentum: eo enim non ſublato, nunquam tuta erit curatio: ſoli plumbei globi, ſi non poſſint attingi, coaleſcere vulnera ſinunt, neque tamen ſine moleſtia retinentur: verum hoc ad vulnera potius pertinet. Quod ſi vero oſſis particula abſceſſit, eximenda: ſi totum os quoddam corruptum ſit, radendum eſt, vel ſiringa injectis variis corrigendum, iis præſertim, quæ ſupra de ſpina ventoſa memoravimus: etſi hoc rarius ſuccedat. Memorabile exemplum ferri in abſceſſu faciei altius latentis apud Hildanum reperies: & talia paſſim extant.

XXV. Neque de illis deſperandum abſceſſibus, qui ſupernaturalia oſtendunt contenta: ſolet enim Dæmonum vis tandem quoque medicamentis cedere, eductis craſſis humoribus, corporeque fortioribus purgantibus exterſo: exemplum ejus rei extat memorabile apud Cabrolium, qui in abſceſſu cauterio aperto invenit pilos, ungues, clavos, caſtaneas, uvas, ficus, caſeum, pulmentum, mel, oſſa, aut eis ſimilia, & animalcula quædam: quæ ſane (nam illud *Eis ſimilia* non niſi ad proxima his verbis referenda puto, certe ad clavos, caſtaneas & uvas non extendetur temere) naturæ lege ibi naſci non potuere: tamen eum perſanavit; Quin etiam recrudeſcentem poſt triennium, & prodigioſa magis materia refertum feliciter iterum repreſſit, idque oleo vitrioli, ſulphuris. & Mercurii: ut ait. In tali caſu ergo poſt univerſalia ferrum & oleoſa illa acerrima multum valere, hoc diſcimus exemplo. Commodum vero & fuerit, potiones vulnerarias præſcribere, quibus plantæ addantur ſociæ, quæ ab antiquis temporibus contra veneficia creditæ ſunt valere, quæ recenſentur cum alibi tum in Ill. Conringii Diſſertatione de incantamentis circa morbos.

XXVI. Ut Phlegmone ſæpe in abſceſſum degenerat, idque non omnino male, ſic in ſcirrhum aliquando peſſime. Hic Avicennæ Seriphos dicitur, nonnullis apoſtema lapidoſum, non ſatis bene. Barbaris etiam Sclirus, à Græco ſine dubio, σκλήρος, quod durus ſit. Eſt enim ſcirrhus tumor durus & indolens, cum ſenſu vel exiguo vel prorſus nullo: A qua tamen regula exceptionem patitur muſculoſarum partium & cancroſus glandularum, ut mox patebit.

XXVII. Contingit enim & hic partibus corporis permultis: mollibus ſcilicet pleriſque omnibus, tam internis quam externis: nominatim vero muſculis, viſceri-

viſceribus, & glandulis. Sic vidi in hac patria mea in pellione quodam ſcirrhum totum brachium partemque pectoris occupantem: cui omni ex parte ſimilis quoque Aquapendenti obſervatus eſt, qui: *ego vidi*, inquit, *aliquando in ſpatulis, circa humerum & circa pectus ſcirrhum, qui ægrotum interemit.* In Hepate & Liene frequens eſt, & auctoribus celebratus pluribus: utero contingere Hildanus deprehendit: in glandulis Meſenterii quoque, puerorum præſertim, frequentiſſimus eſt, ut quoties atrophia ipſorum medicam manum eludit, nihil certius ſit quam immedicabile hoc malum adeſſe, uti in defunctis & adapertis conſtanter id deprehendi, ac nuper quoque mirabili ratione, quam anno huic Ephemeridum noſtrarum inſerendam tranſmiſi. In ſalivalibus ſcrophulas fieri, ex ſupra dictis patet.

XXIIX. Cauſam duplicem potiſſimum veteres fecere, internam quidem, Pituitam, præternaturalem, & humorem melancholicum, naturalem: à quibus ſi exhalet quod tenue ſit, craſſum relinquatur, indurari in tumorem ejusmodi exiſtimarunt: ſive ſponte id fiat, ſive medicorum imperitia. Quod inflammato hepati contingere, quoties nimis fortiter reſolventia adhibeantur, omiſſis ſtringentibus, prolixe monet Galenus, & ex eo alii. Sed & tum fieri, ubi frigida actu & repellentia intempeſtive admoveantur, idem Pergamenus notat. Quæ quidem poſtrema ut recte habent, ſic de prioribus ſi non ſentire, loqui tamen aliter nos jubet poſterior ætas, humorem melancholicum naturalem pernegans: Quin & pituitam indurari in dubium vocans.

XXIX. Videtur vero noſtratibus in ſanguineis viſceribus per obſtructionem retentum ſanguinem, partibus ſubtilioribus diſcuſſis, conſiſtere, & coagulari, dein in ſummam duritiem adduci, quod quidem ab acido fieri putant multi. Quandoquidem vero illius rei nullum eſt indicium, acidumque tam vehemens in corpore neque exiſtit forte unquam, neque ſi eſſet, tantæ duritiei cauſa eſſe poſſet, utpote quod non niſi coagulat, rectius forte putaverim id fieri à calore ipſo interno, ut in farciminibus fieri per cocturam, videre eſt. In carnoſis vero partibus, & muſculis ſerum potius craſſum aut chyli crudioris partem ſubſiſtere credibile eſt. Quin imo pinguedinem membraneis inhærentem ſtaminibus induratam intermiſtam eſſe, non omnino ineptum, cum tale quid in diſſectis non raro deprehendamus. Et hoc eſt quod dicunt auctores hujus ævi, craſſum, viſcidum, glutinoſum & frigidum humorem eum componere: quod alias uno nomine pituitam veteres vocavere, eamque nil eſſe aliud quam ſerum frigido vel alia quadam occultiore ratione, exhalante ſubtili, concretum, nimium hodie manifeſtum eſt. Ut adeo in ſcirrho viſcerum ſanguineorum calor ſanguinem, in muſculis frigus ſerum cogat, mox eodem calore in juſtam duritiem excoquendum. Præcedente ibi obſtructione à ſanguine, hic ſeri ſtagnatione, unde ut ille inflammationem ſic iſte œdematoſum tumorem ſequi ſolet. Aliquando tamen utrumque miſceri videtur, ut nuper in cadavere, ſcirrhoſum Lienis viſcus ea facie, qua externum latus & diaphragma ſpectat, membranam craſſiſſimam albidam & duram inſtar cartilaginis oſtendebat, altera qua dorſum, cruentum & ad nigredinem inclinans à nobis repertum eſt. Præcedunt autem hunc ſcirrhum ſæpe menſium, hæmorrhoidumve ſuppreſſio, & quicquid ad cachexiam indirecta vel directa via perducit. Hinc Galenus, ſapientiſſime, ut ſolet: *tum ſcirrhos naſci potiſſimum, monet, ſi quod viſcus phlegmone laborat, & craſſis cibis, ſuccisque lentis quis utatur.* At glandulæ quomodo indureſcant, patet, idque facilius contingit in pueris, ubi licentior diæta, & voracitas craſſum, ipſius ætatis indole legeque naturæ, chylum reddunt, ſegniorem, & nimis impurum, adeoque aptiſſimum qui in glandulis hæreat: ubi volatilibus, ſubtilibusque particulis pulſis, ſubſiſtit reliquum, totamque receptaculi poroſitatem occupat.

XXX. *Scirrhus viſcerum* etſi non doleat, quoniam ipſamet ſenſum valde habent obtuſum, pondere tamen ſuo, quaſi lapis, proximis partibus incumbens, non tantum permoleſtus eſt, ſed cum inſuper affectorum actio ceſſet, ſanitatem prorſus non raro pesſundat. Itaque quantocyus curandus, vel potius, ne perficiatur, cavendum, & naſcenti pro virili reſiſtendum eſt: ſi enim perficitur, corrigi deinde amplius non poteſt: cujus rei reddit rationem, etſi ex veterum mente, ſufficientiſſimam tamen, ſi quis recte ea ſciat uti, *Hieron. Fabritius*, ut nihil deſiderari poſſit. Neque impune circumfertur in corpore ſcirrhoſum, ut innuimus, viſcus. Si enim hepar vel lien affecti ſint, hydrops certo ſequitur. Exempla notavit Hildanus: & ipſa id ratio manifeſtiſſima dictitat. Inteſtinorum ſcirrhum idem recenſet, Ileum induxiſſe in cœco, retracto in ileum. Scirrhus in utero ſterilitatem infert, quod idem expertus affirmat, iſque, quia attingi non poteſt, incurabilis eſt. Quodſi prægnans ſit mulier, partum impedit.

XXXI. Aſt *Glandularum ſcirrhus*, difficilis eſt, eandemque habet cum priori rationem; quod ipſe Galenus confirmat: nec minus ex eo conſummato periculum, quia plerumque malignitatem contrahit, & in cancrum degenerat. Sic de mammarum ſcirrho memorabile exemplum reperies apud Hildanum, uti & de ſcirrho glandulæ bubonalis, apud eundem Chirurgum expertiſſimum. Neque aliud eſſe ſcrophulas quam ſcirrhos cancroſos, veterum teſtimoniis non minus ac ipſa re fecimus liquidum antea: in meſenterio quoque, niſi mors præveniret, idem futurum arbitror. Quin nuper factum vidi, in illo puero, cujus Diſſectionis hiſtoriam communicaſſe me Ephemeridibus inſerendam, dixi modo.

XXXII. Denique is, qui in muſculis oritur, ſi verus ſit, (nam atheromata & ceteros tumores diſtinctim propoſui) ubi major, ſummum in periculum ægrum inducit, eſtque prorſus etiam incurabilis. Vidimus in pellione ſupra allegato, cui ex œdematoſo ſcapulæ & brachii tumore ſenſim aucto & indureſcente, ſcirrhus oriebatur, uſque ad extrema digitorum tumore maximo extenſo, & ex altera parte ipſum thoracem occupante, horrendum exemplum, nullis prorſus remediis cedente malo, donec homo robuſtus, & ætatis optimæ, citra aliam affectionem, niſi quod immanibus doloribus, qui ex cancroſo ſero acerrimo orti, huic generi videbantur peculiares, excruciatus miſer, plerumque inſomnes inter ejulatus noctes duceret, tandem interiiſſe. Eadem fuit illius, quem Aquapendens vidit, fortuna. Vix autem in horum utroque viſcera immunia fuiſſe arbitror: nam ſolet talis externus tumor plerumque interiora aliqua in conſenſum trahere, contagio in eodem corpore ſerpente: quod tale eſt, ut etiam lactantes mulieres infantes inficiant, notante id rurſum experto Hildano.

XXXIII. Quamvis autem ſit tanta mali atrocitas, tamen ſine omni auxilio relinquendus æger non eſt, ſed omnia potius tentanda. In ſcirrho itaque viſcerum, præmiſſis univerſalibus, quæ eleganter exponit Aquapendens, emollientibus cum digerentibus ac diſcutientibus eſt agendum, ſive ſanguis ſive chylus ſubſtiterit: ita tamen, ut in hoc fortioribus & calidioribus, in illo lenioribus & temperatis res peragatur: Cataplaſma ex Althæa & ejus radicem cum pinguedine anſerina ſe uſurpaſſe dicit Galenus, ſilveſtremque malvam: quorum bina extrema emolliunt, digerit medium, his flores Chamæmeli, Meliloti, Sambuci admiſceri par eſt,

&. ſi ſcirrhus, quia inveteratior, diſcuti his, ſi tanquam levioribus, recuſet, gummata & reſinæ, Colophonium, Styrax, Bdellium, Ammoniacum poſtea arceſſi poſſunt: non tamen initio, cum iis facile in lapideam duritiem adigi tumor queat, Galenus per initia butyro, reſina & cera candida utitur, non vetuſta, Gummi porro Ammoniaco in aceto ſoluto, quod ſæpe unum ſufficiſſe affirmat, emollientibus alternatim ſuccedere voluit. Vide ipſum, qui expertiſſimus, id cumprimis laudat. Ex recentibus commodiſſimum hic eſſe emplaſtrum de Mucilaginibus, conſideranti, ex quibus componitur, patefcet: nec dubito emplaſtrum de Ranis Vigonis fore egregiæ virtutis. Unguentum ad ſplenem induratum & emplaſtrum de cicuta Hildani præ tantiſſima ſunt: nec minus egregium Fabricianum videtur ceratum ex G. Ammoniaco aceto ſoluto, ſucco Tabaci, reſina terebinthinæ, ſucco Ebuli, oleo de Cappatibus & Cera, quo plurimos ſanatos à ſe, aſſerit. Meminit etiam ſpongiæ ex aqua calcis expreſſæ, & exemplum curationis ea perpetratæ inſigne refert. Neque omittenda ſunt interius exhibendæ potiones humectantes, attenuantes, diſcutientes, roborantes, eo ordine, ut ſi pituitoſus, id eſt ex chylo coagulato tumor, ortus ſit calefacientibus & incidentibus utamur admiſtis; ſi à ſanguine eſſe ſuſpicio ſit, emollientibus & diluentibus felicius ſucceſſurum opus credatur, roborantibus ubique eſſe locum, ſiquidem ſtringendo leniter, emollitæ materiæ expulſionem adjuvant. Interim nec alia etiam interna negligenda prorſus ſunt, vel hoc ſolo nomine, quod raro ſcirrhus unus in corpore eſt, ſed duplicatus, triplicatusve, quod non modo expertiſſimus Collega G. W. Wedelius ſcribit, & exemplo illuſtri confirmat, ſed ipſe quoque in apertis cadaveribus obſervavi. Non fruſtraneum erit MPil. Tartarear. Quercetani purgationem præmittere, decocta humectantia propinare & diluentia, ut ſunt lignorum, vel reſolventia exhibere ex ☿ diaph. C. C. phil parato: Crocus ♂ ſacharinus, vitriolumque ejus ad roborandum partes idonea ſunt: licebit & dare antiſcorbuticam miſturam, ſimplicem, ſeu de tribus, aliaque plura addere ejuſmodi. Vide *Guilielmi Fabrit. Obſerv. Cent. II. 49.* decoctum ſpleneticum inſigne.

XXXIV. Glandularum ſcirrhos Strumas conſtituere, parte priori oſtendimus, & cum ibi curatio earum ſit tradita, de ea amplius non eſt ut ſimus ſolliciti: id unum rurſus notare lubet, cum tantus ſit metus, ne cancroſam naturam induant, nihil tutius eſſe quam mature exſcindere: exemplo Hildani, qui omnino hic legi meretur. Etſi aliquando eisdem cedat, quibus viſcerum ſcirrhus, remediis, ut apud ipſum rurſus videre eſt. In iis vero ſcirrhis, qui oculis patent, cum materia nec in pus facile verti poſſit, nec diſcuti ſe patiatur medicaminum vi, ſcarificationes & cucurbitulæ in uſum trahendæ; ſunt enim, ut ait Sennertus, efficax plane remedium, ad ea evacuanda, quæ in alto hærent & jam in ſcirrhum abitura videntur. Poſſunt vero iſtæ ſcarificationes Aegyptiorum more profundius inſtitui, eo modo quo Proſper Alpinus docet. Reliqua omnia externa, præter unam excitionem, ſi forte minor ſit & circumſcripta concretio, quale exemplum iterum Hildanus habet, irrita & inania usque adhuc deprehendimus.

XXXV. Ut multo eſt Scirrhus ceteris tumoribus difficilior, ſic CANCER ſcirrhum vincit: Græcis καρκίνωμα. Eſt tumor rotundus, nigricans, vel lividus, durus, immobilis, per initia quidem torpidus ſæpe, poſt vero dolorificus, venas inflatas, liventes, & cancri pedum in modum recurvas oſtendens circum: *Vide Aquapendentem* In principio ciceris aut fabæ magnitudinem Cancri vix æquant, in proceſſu ovum ſuperant, venæ, ut dictum modo, in orbem nigro ſanguine turgent. Malum oriri conſuevit in oculis, naribus, auribus, labiis, palato, ſede, muliebribus, aliisque quibuslibet partibus, ſed præcipue in fœminarum mammis: Et quidem à variis cauſis, quarum præcipua eſſe vulgo putatur melancholicus humor: argumento ex eo petito, quod nigricantior ſit ſanguis qui malum circumſedit: cujus tum in victu, tum ſuppreſſione evacuationum conſuetarum, & maxime lienis pravitate, aliisque variis, cauſas quærunt. Quæ ut ex Galeni doctrina duxere, ita mirum in modum hodiernis quibusdam diſplicent: Et hoc quidem non ſine omni ratione. Hæc enim non eſſe adæquatas mali cauſas, ſaltem ex eo poteſt patere, quod non omnibus talia paſſis idem eveniat, aliis vero, alia omnia, pariter accidant. Sic non ex lacte modo coagulato fieri in mammis cancrum, fidem gemina obſervatione *Hildanus* facit, ſed etiam ex levi contuſione, imo compreſſione paulo fortiore, ſi temeraria manus licentius laſcivierit, ibidem oriri viſus eſt. Scirrhum vero glandularum in eum facile degenerare, modo oſtendimus: Idem vero & illo falſum oſtenditur, quod, qui eum humorem guſtare non ſunt veriti, aliquando quidem acidum, aliquando muriæ admodum ſalſæ, nonnunquam & aquæ ſimilem deprehenderunt, in qua notabilis portio ſalis Ammoniaci ſoluta eſſet, obſervante id alicubi *celeberrimo Meibomio Nepote.* Quo tamen experimento non minus illorum, qui vel ad acidum, vel alcali in univerſum referunt cancri ſævitiem, ſententia corruit.

XXXVI. Tametſi vero non ſemper bilem atram in cauſa eſſe, ex his conſtet; aliquando tamen eſſe, non licet forte ex toto negare. *Johannes* enim *Scultetus* obſervavit, ex obleratione pori Cholidochi in internis partibus cancrum generatum: ſemel in utero, ſemel iterum in colo, ejusdem bilis parte ad oculos apparente. Non eſt autem dubium, eam ex ſtagnatione vel ſponte vitium contraxiſſe, vel acido accedente, acerrimam redditam, & cancrum inde natum: Recte igitur docuerunt hoc veteres, Galenus, Avicenna, Oribaſius, ac reliqui prope omnes: cancrum oriri ab atra bile: talis enim fit, acido commixto: Neque obſtat, quod bilem atram, vel melancholicum humorem non exiſtere in corpore natura, contendant: ut enim hoc recte moneant, Galeni tamen interpretes omnes dudum de præternaturali ſermonem eſſe monuerunt: quod an menti auctoris ejus conſentaneum per omnia ſit, licet poſſit dubitari, negari tamen nequit, atrum atque acerrimum humorem cum alias, tum in cancro non raro obſervari. Nam aceto, vel ſtillatitiis humoribus in illo ſimilem perhibent; quoties acidus ſit: atque eodem modo ſuam atram bilem deſcribit Galenus, effuſum nempe in terram, ebullire ibi, & fervere.

XXXVII. Eſt autem hic ubi increverit, omnium maxime & moleſtus, & periculoſus, & lethalis: neque ſolum miſere eo ægri plerumque intereunt, ſed miſerius etiam, donec mors venerit, vivunt. Eſt tamen quædam ejus differentia non levis: Dum enim exiguo tuberculo malum circumſcribitur, curari haut raro, nec difficulter poteſt: aliquando etiam relinqui, etſi non negligi ſe patiatur. Aſt cum in ulceroſam degeneravit pravitatem, tum & ſummis doloribus affligit, & ferocit, ſerpit, depaſcit, non ſecus ac ferum aliquod animal, quod carnibus humanis veſcens, non unquam ſatiatur, donec ad ipſum cor ſubmiſſo veneno, vel ſævis doloribus atque vigiliis confectum, hominem enecet. Non autem amplius fidendum illi eſt, qui venis circum lividis aut pallentibus tumet, tamen nec tentandus medicamentis, ſed ferro exſtirpandus; ſi modo id fieri poteſt, nec altiores egit radices.

XXXVIII. Ad duplicem itaque hanc faciem curatio accommo-

rodanda. Primum omnium eſt, non exulceratum non tangere, quod monuit *Hippocrates*; externis puta. Nam internis uti remediis, tantum abeſt, ut prohibitum ſit, ut *Galenus* potius tales ſe curaſſe atteveret non paucos, idque purgantibus, *iteratis, & inſtituta optima victus ratione, quibus promte ſuccumbat*; quod experientia nova firmavit expertiſſimus Spigelii diſcipulus, Johannes Scultetus, qui *ſolius decocti purgantis uſu multos fuiſſe curatos*, liquidus teſtis eſt. Verum etiam ſi non tollat, tamen perdiu cum tali poſſunt vivere: ut feminam, per quadraginta annos cancrum in mamma geſtaſſe, *Hildanus* notaverit, Tulpius etiam quinquaginta. Hic dicat aliquis: tamen exempla legi, externis quoque egiſſe medicos nonnullos, idque feliciter. Sed hoc movere nos non debet. Ut enim difficile eſt, inter illa initia cancrum cognoſcere, ſic forte illi tubercula benigniora pro cancris acceperint; qualia ſtrumas appellare Severinum, ſupra monuimus. Fugienda vero ſunt emollientia præ ceteris, quæ illico, in uſum tracta, malum exulcerant.

XXXIX. In exulcerato major ſollicitudo, imo maxima difficultas eſt. Præſertim ſi altius egerit radices: nam alias perinde ac alter, exſcindi etiam poteſt, quod poſtea non licet tentare. Ne quis ergo ſperet unquam ſe talem funditus curaturum, ſummorum medicorum auctoritas obſtat: ineptientibus plane, qui ſoli Hippocrati & Galeno incurabilem fuiſſe putant, modernis vero quibusdam beneficio alcali ſulphurei (σιδηροξύλῳ) citra partis jacturam tolli. Arſenicum à multis quidem commendatur; & cumprimis à *Joh. Agricola & Petr. Joh. Fabro*, verum iſtorum hominum non magna eſt apud me auctoritas. *Fallopius* tamen etiam & *Greg. Horſtius* prædicant, ſed non video ab aliis præſtantibus & dignis fide viris confirmari, quin imo cauſticum ex arſenico cum maxima noxa adhibitum Scultetus vidit, & Doctiſſimus *Pechlinus* nihil eo in cancro mammarum ſe profeciſſe ingenue fatetur. Vide omnino *Hildanum*. Itaque vel totus cum parte tollendus talis, vel mitigantibus ſaltem & anodynis mulcendus eſt, non omiſſis internis, acrimoniam ſævi laticis infringentibus. Fit autem hoc vel attemperantibus & diluentibus, quæ in omnibus affectibus, ubi acrimonia humorum, maxime vero atræ bilis affinium, regnat, longe ſunt utiliſſima; vel pulveribus abſorbentibus. Præ ceteris inſervit Lac, ſerumve caprillum, vel aſininum, neque dubitaverim, decoctum pugillare, quo, loco herbæ Thee, quædam propius ad malum reſpicientia bullierint, præſtantiſſimum futurum, ipſamque Theam maxime laudabilem. Hæc omni competunt: quod ſi acidus ſit humor, etiam terrea & quę vulgo abſorbentium nomine veniunt, propinari poſſunt, uti quidem Joh. Crato in ſedandis doloribus immaniſſimis lapillos cancrorum plurimum poſſe ait: poſſunt vero eadem etiam inſpergi, exemplo Sculteti, qui tutiam, alumen uſtum, lapidem Chryſolithum (aliæ gemmæ parem referunt utilitatem) & ſcordium ſocia. Et hoc quidem ad putredinem inſigne eſt: Verum & alia externa, eaque non una commendantur: quæ antequam recenſeamus, ſudorifera quoque laudanda ſunt inſipida, alexipharmacis mixtis, ſed non acribus valde.

XXXX. Externa jam ut proſequar, pulveribus inſpergendis accenſeri debent etiam ea, quæ Felix Platerus laudat, Cortices Granatorum, (ipſa balauſtia addi poſſunt) Galla, Bolus Armena, Calaminaris lapis, ac cremor calcis in ſuperfuſa eidem recenti aqua ſupernatans; Paucis: omnia terrea & adſtringentia, ſed non ſola uſurpanda, verum cum plumbeis maritata, quæ omne probavit ævum: etſi in illis ubi ſalſum non acidum in humore peccat, ut nonnumquam fieri, irrefragabilis experientiæ teſtimonio freti, aſſeruimus antea, aut veterum acre, ſine dubio fruſtra adhibeantur. Ubi vero proſunt, commodius in unguenta coguntur; vel ſola cum oleo, vel cum ſuccis plantarum, hic ſumme laudatarum: neque tamen earundem promiſcue. Solanum præ reliquis omnibus commendatur, jam tum Galeno uſurpatum, æque ac unguentum Diapompholygos. Reliqua nota ſunt: Perſicaria, Portulaca, Sempervivum, Geranium Robertianum, in quibus tamen minus eſt præſidii, temperant enim tantum, cum Solanum ſit anodynum inſuper. Præſtantius eſt paulo Polygonum, Virga aurea, Scrophularia, & ſolatium illud vulnerum atque ulcerum, Plantago. Sed præcipue narcotica etiam proſunt, Cicuta, Hyoſcyamus, Mandragora, Tabacum: Quo refer & ſuccum gammarorum, quorum Paracelſus meminit, cancrorum, & ranas, Helmontii delitias, item theriacam. Non autem emplaſtra tantum, quorum deſcriptiones innumeræ apud auctores leguntur, verum & cataplasmata hinc fiunt, quorum in cenſum & Stercus humanum, niſi nimis eſſet ſordidum, recipi poſſet. At Stercus vaccinum etiam conducet, & Humanum quidem interne etiam prodeſſe, ſi quis devorare ſuſtineat, anſerinum externe, *Vide Eph. noſtr. An. II. obſ.* 14. Præter iſta vero à quibusdam & poma putrida commendantur. Supra laudatus doctiſſimus Meibomius Mercurium vivum conferre expertus eſt, & aliquando plus præſtare quam plumbum. Etmüllerus quoque amalgama Mercurii cum Saturno laudat, quale quid etiam clariſſimus Tulpius deſcribit. Verum in exulcerato hæc: In non exulcerato irritam declarat ☿i poteſtatem Bartholini *hiſtoria Anat. I.* 7. Expertiſſimus Wedelius, Magiſterium Mercurii album à ſe inventum adhiberet: idemque inunctionem Mercurialem, ſi quid aliud, profuturam, conjectat. Iſtud mirum eſt, quod narrat Petrus Marchetti, feminam cancro exulcerato naſi laborantem, ſolo unguento de ceruſſa potius ad dolorem ſedandum, quam curationis cauſa præſcripto, nec ullo alio remedio adhibito, brevi perſanatam eſſe. In hac nec ſanguinem infectum fuiſſe, nec aliud præter acidum illud peccaſſe, recte quis colligat. Ex emplaſtris Saturninum Mynſichti præſtat, & Diaſulphuris Rulandinum, quod à Medico illo maximo, Guernero Rolfincio, anteceſſore & Avunculo meo magno cum fructu uſurpatum memini, cum adoleſcens ipſi domeſticus, artis diſcendæ gratia adhærerem, quod revocat mihi in memoriam *Galenum*, qui medicamentum ex Chalcitide in uſu habuit. Hæc enim cum Colcothare, Rulandini parte, coincidit, etſi Chalcitis iſto ſit mitior. Alia vide apud *Phil. Jac. Sachſ. in Gammarologia*. Quam neceſſarium ſit etiam, aerem ad ulcus non admittere, diſces ex *Tulpio* c. l.

XLI. Tametſi vero hæc mitigent, non tollunt tamen morbum. Eſt autem huic ſævo ac refractario ultimum in ſectione præſidium: Et quidem tam exulcerato quam non exulcerato par, non tamen facile iſti adhibendum, quoniam & cum eo poſſunt ægri ſupereſſe, modo coërceatur: tam crudele itaque remedium citra cauſam urgentem haud facile eſt tentandum. Ubi vero venis eſt lividis circumfuſus, & graviora minatur, tum vero & non exulceratum tollendum eſſe, patet. Maxime vero exulcerato debetur exciſio, modo commodus ſit locus cui inhæret, ut in mammis maxime eſt, minime in utero, oculis, faucibus. Unde plerumque hic incurabilis, ad mortem ſenſim poſſeſſores abducens. Ubi vero patet ſectioni, nec jam profundius abiit ac radicatus eſt, præmiſſa corporis præparatione ſollicita, cultro vel incurvato inſtar falcis, ſi in mammis ſit pręſertim, ut vult Hornius, vel recto, ſed lato tamen, ubi locus tale admittit, profunda & celeri manu fortiter prehenſæ exciſio fiat. Si mamma eſt affecta, ſeparatio à muſculo

pectorali non cultro ſed digitis molienda eſt, nec acu trajici ſemper opus. Vide Joh. van Horne elegantiſſimam Microtechnen. Facta exciſione, ſanguis non ſupprimendus eſt, ſed ejus fluxui paulum indulgendum, ne recidiva oriatur: dein ſi radicum inhærentium ſuſpicio ſit, candente ferro admoto conſumendæ, ſi non, abſtineamus ab hoc, & ſanguinem ſiſtentibus pulveribus, vel liquore ſtiptico contenti ſimus. Exempla exciſi cancri inhærentis variis partibus habet Hildanus: labio Marchetti, in quo novacula non forfice utendum eſſe, Scultetus te docere poterit, ſuo ſapiens damno; Mammæ, idem Scultetus; Ad radicem ocularis dentis extantis, itemque in mala, rurſum Hildanus, ubi ſimul exemplum eſt bene præparati corporis, ejusdemque rei neceſſitas docetur. Sed de cancro ſatis; ſupereſt ultimum tumorum genus & terminus laborum, ſi tamen tumor eſt Gangræna & Sphacelus.

GANGRÆNA autem dicitur affectio illa, quæ eſt in parte, dum emoritur: SPHACELUS vero, dum emortua eſt, ut eleganter *Hieronimus Fabritius* loquitur: Cum ergo utraque paſſio ſit mortificatio, nec niſi gradu differant, una opera de ambabus agi, par erit. Ut autem in aperto eſt affectio, ſic quo pacto fiat ut pars emoriatur, vivente & vidente homine, non facile dicitur: Difficile enim eſt creditu, cum vitæ principium, id afferente ipſo æterno Numine, ſit in ſanguine, cumque eo manifeſte influat, etiam mortis cauſam ex eodem fonte manare, nec qui fiat patet, ſi in eo vitium omne eſt, ut in circulum illo perpetuo redeunte, non æque omnia quæ tangit, illico deſtruantur affricta labe. Hunc igitur in ipſa parte corrumpi cum illa, ibique ſubſiſtere, putridæ inſtar paludis, certum eſt. Vulgo putant calorem partis extingui: ſed cum illa ſibi proprium nullum habeat, nec alio gaudeat præter eum qui cum ſanguine influit, non poteſt hoc dogma emunctæ naris hominibus placere.

XLIII. Itaque forte non erit abs re, cauſas tanti mali propius intueri, & ſollicitius rimari. Videmus autem oriri gangrænam tam à calore nimio, & quaſi aſſante, qualis eſt in inflammatione gradus extremi, quam etiam à frigore, quo pars affecta penitus molleſcit: non ſecus ac pomis accidit, quæ glaciata, illico in putredinem abeunt. Notum in hoc eſt, per frigora iter facientibus pedes, manus, nares, aures emori. Aliquando & interna viſcera id pati, memorabile teſtatur exemplum, quod anno currentis ſeculi LXXXIV. in Polonia patuit, cum hyems rigidiſſima magnam partem exercitus in hyberna ſero tendentis, nova hoſtis inſurgens confecit: Apertis cadaveribus, omnibus inteſtina ſphacelata inventa ſunt. Simile contigiſſe Germanis anno MDLXXXVIII. à Gallis fuſis, ſed in extremis artubus, *Hildanus* memoriæ prodidit. Cumprimis vero frigus in partes eryſipelate affectas vel quavis alia de cauſa æſtuantes injurium eſt: ut etiam manus febre ardente laborantes in aquam frigidam demiſſæ, ſphacelatæ retractæ ſint: plura exempla habent *Ephemerides noſtræ Acad. Leopoldinæ paſſim*: & *Gregorius Horſtius.* Porro in quas partes humor acris poſt variolas, peſtem, malignamque febrim decumbit, ſphacelum prompte incurrunt, quod etiam contingit tibiis acri ſero hydropico inundatis, & liquore ex aculeis animantium venenatorum perfuſis. Raro etiam nulla prævia cauſa, ex ſanguinis corruptione ſpontanea in corpore oriri obſervatur. Ulterius, contuſiones magnas, maleque curatas, & ulcera difficilia conſequitur. Denique intercepto ſanguinis circulari motu, non quidem in prorſus ſanis, ſed vicino vulnere aut fractura, vel ſcirrho laborantibus. Quorum omnium plura exempla notavit Guilielmus Fabritius, Lib. de Gangræna & Sphacelo: quibuscum, an poſſint componere ſuum alcali, qui huic & acido tantum non omnia acceptum ferunt, ipſi videant. Mihi ſic videtur: non hic intemperiem, non acrimoniam ſolam ſufficere, ſed utrumque eſſe admittendum: acre ſcilicet ſalſum, vel aliud etiam, in peſte, & ubi per metaſtaſin gangræna naſcitur, & in hydrope, manifeſtum eſt; At calidum & frigus in reliquis: Quod eo modo agere, quo ignis ſolet humidior, utique ſum perſuaſus. Utraque vero cauſa non partis temperiem, ſed ſubſtantiam pervertit, totamque corrumpit.

XLIV. Teſtantur vero immanes dolores lancinantes & urentes, quid fiat in parte; horror & rigor, quid fibrillæ ſentiant; color vero mutatus lividus, nigricanſque, quid factum ſit: Puſtulæ aut veſicæ magnæ ſalſo ſero refertæ cuticulæ aduſtionem oſtendunt, nam à ferro candente pariter elevatur, & à ſubjecta cute abſcedit, lineæ autem rubicundæ ex centro excurrentes, igneum ſunt microcoſmi meteoron, infauſti præſagii: pulſus denique ſenſim ſubducens ſe, putridum fœtorem, quem ſpargit membrum cadaver, ſpiritibus quoque necroſin inferri, perſuadet.

Curationem non admittit Sphacelus: Nec Gangræna quæ integrum membrum, ſive pes ſive manus ſit, ad corpus usque occupavit, ſine ignominia artis tangi poteſt: Sed nec illius cura ſuſcipienda eſt, quæ febrim acutam, & vomitum, & ſyncopticos inſultus conjunctos habet, etiamſi non niſi extremam pedis infimamque partem inſederit: Hæc enim ſigna lethalia ſunt: ſed illius demum, quæ modo orta eſt, ac nondum plane tenet. Et hinc quoque ſi à calore ortus fuit, ſine ulla mora tempeſtive ſuccurrendum, ne pars ſenſim emoriatur & brevi temporis ſpatio hominem jugulet: Nam exempla quidem proſtant, quod aliquandiu ſine ullo motu, & ſenſu exiſtentes partes geſtentur impune, quale habet *Smetius L. X.* & vidimus ipſi in quodam Typolico, Juris ſtudioſo, poſt febrim malignam ſphacelatum crus, cunctante medico & chirurgo, per integrum triduum, citra corruptionem partis vicinæ ſteriſſe. Sed hoc in iis duntaxat contingit, quibus vel frigus admiſſum eſt acre, vel ex humoribus per metaſtaſin fit ſphacelus. Senes ſæpe unica die pereunt, interdum pluribus juvenes, ut *Fabritius* recte perhibet. Idem dicit, raro ſe vidiſſe feliciter terminatam, quæ ab humorum affluxu eveniat. Si eam intelligit, quæ fit per metaſtaſin, quod veroſimile eſt, recte ait & hoc: Non enim admittit medicum ex peſte, febre, & ſimilibus oriens, quoniam Gangræna non perſtat, ſed ſphacelus confeſtim adeſt, ejusque curam excludit.

XLVI. Ex quibus apertum ſit, curationem aggredientibus probe ante omnia expendendum eſſe, ex qua contigerit cauſa: Si enim ab inflammatione oritur, (quam fortis ligatura ſolet non raro inferre,) & ſanguinis urgeat copia, *Galeno* docente, vena ſecanda erit, quæ ab ipſa parte laborante, ſanguinem celeriter avertat: tum potionibus refrigerantibus, quando cauſa continens non minus urget, eſt utendum, pulveribus, aliisve cordialibus roboranda virtus vitalis, & à ſanguine arcendus inflammatorius calor: Huic inſervit cumprimis ſuccus Citri, illius cortices, confectio Alkermes, Theriaca, Diaſcordium & Mithridatium. Camphora quoque utcunque adhibita, vel propter inſtantem putredinem in ſubſidium venire debet: Externe epithemata cordialia, & ſpiritus inſtaurantia odoratiſſima quaque ex uſu ſunt. His dum partes internæ & ſanguis muniuntur, pars affecta quoque altero oculo ſpectanda eſt, & defenſivo cavendum, ne latius malum ſerpat: egregium emplaſtrum, & quod in uſum ſervari aliquandiu poteſt, *Gu. Fabritius* deſcribit. *Barbette* laudat Defenſivum rubrum, aut ceratum Vigonis: Unguentum Wurzii quoque, & quod fortiſſimum eſt, Butyrum antimonii huic uſui commo-

commoda ſunt. Quodſi interim altius inhærere malum videtur, ſcarificare profundius partem convenit, non curando, ſi venæ minores ſimul diſſecentur. Hanc lanienam crudeliorem viſam, ſi reformident æger vel adſtantes, ſimplex fiat, appoſitis cucurbiculis, quæ ſanguinem corruptum vel nimium incaleſcentem proliciant: hinc, poſt profundiorem maxime, abluatur pars lixivio forti, cui acetum additum ſit æquali portione; vel incoctæ ſint plantæ putredini reſiſtentes, amaræ; vel aqua calcis, igneas particulas adhuc occultante, ſpiritu vini maritata, quam recentes Medici præprimis commendant. Sed ſcarificatione non ſemper opus eſt: ſufficitque decoctum modo laudatum: ſunt autem plantæ huic accommodatæ Abſinthium, Ruta, Scordium, Carduus benedictus, flores Sambuci, Chamæmeli, Roſarum, radix Carlinæ, Angelicæ, Vincetoxici, &c. ſane decocto tali ex ſcordio, Abſinthio, Roſis, ruta, ſale & aceto feliciter uſus eſt *Bogdanus*: *Joh. Mauritius Hofmannus*, amicus noſter, farina Orobi, Scordio, Sambuci floribus cum aqua eorum deſtillata & Oxymelite ſimplici pedem reſtituit. Addi poſſunt & Aloes, Myrrha, Camphora: quæ quidem ipſo etiam in principio mali, ſpiritui vini immixta, ſolent eſſe præſtantiſſima, & vel ſola ſufficere, ſi præſertim ſpiritus theriacalis inſuper addatur, & pars imbutis hac mixtura linteis involvatur ſollicite, ſubinde renovandis. Olibanum porro, & Maſtiche laudantur, eadem vi pollentes reſiſtendi putredini, & balſamicis virtutibus clara. Unguentum Aegyptiacum in vini ſpiritu ſolutum prædicat *Ranchinus*, quod ubi profundius ſerpit, ex uſu eſt. Salis quoque & Aluminis & Vitrioli magna eſt efficacia, unde aqua nigra Chirurgorum celebris eſt: Hæc non modo adſtringunt, fibrasque partis roborant, ut poſſint expellere hærentem ſanguinem, verum & hunc ipſum, ſeriique pravitatem enecando ac deſtruendo emendant. Alii aliis remediis utuntur: Memini matronam honeſtiſſimam decocto cereviſiæ lupulatæ cum pane & butyro in formam pultis, ex inflammatione graviſſimi vulneris jam imminentem gangrænam coercuiſſe. Stercus equinum valde laudatur: ℞. F. equini g. v. coque lento igne in aceto acerrimo, colaturam ℞. & cum mica panis redige in cataplasmatis conſiſtentiam. Ioh. Crato ſæpe ſe vidiſſe ait Gangrænam hoc victam ſequente: Farinæ Lupinor. Fabar. a ℥iv ſucci Rutæ ℥ij Oxymel. ſ. ℥vj lixivii. g. ſ. addito ſcordii pulvere nonnunquam: Videntur autem farinæ tales ea facultate agere quia primo gradu calida valere dicit Galenus. Et his quidem Olibanum & Maſtiche commode addi poſſunt. Cataplaſma Euporiſton contra Gangrænam proponit etiam Scultetus, ex ſola Malvæ farina, & aqua Roſarum. Reſtincto incendio, & oppreſſo malo, danda eſt opera, ut corrupta ſeparetur caro: quod obtinetur unguento Aegyptiaco, mixto digeſtivis, Apoſtolorum, & præ ceteris præſtantiſſimo illo quod componere nos docet *Fabritius Hildenſis*: dein obtegenda pars cataplasmate ex Farina Lupinorum, quam mire prædicat, alterius tamen experientia, Cl. Ettmüllerus, additis reliquis tum farinis tum herbis, & reſinis ſupra enarratis. Meretur autem de modo præparandi hæc cataplasmata conſuli ipſe auctor doctiſſimus. Sed Operæ pretium forte eſt, audire & *Laz. Riverii* rationem: Sic ait: *Ego locos ſcarificatos humectari jubeo ſpiritu ſulphuris, quo caro mortificata & exuſta eſt: poſt foveri jubeo totum brachium calide ſpiritu vini, in quo aloes & Myrrha infuſa eſt, poſtea inſpergebantur toti brachio pulveres ex Aloe & myrrha, magna quantitate, & ſupra pulveres admovebantur lintea ſpiritu vini madefacta, quo remedio per aliquot horas uſurpato, brachium miraculi inſtar calorem nativum recepit, tumore imminuto: & Gangræna fuit extincta.* Notari & hoc forte meretur, Joh. Petr. Fabrum unicam curam ejus in ſpiritu ſalis poſuiſſe. Nam ſal, inquit, acre & mordax quodcunque, ſi in ſpiritu ſalis rectificato ſolvatur, *ad miram reducitur dulcedinem.* Sed quid de iis dicendum, qui liquorem inſipidum jactant, domitorem tanti mali? Non de nihilo omnino eſt: vidit enim poſt omnia remedia vulgaria fruſtra tentata colem ex Lue Grangrænoſum Elegantiſſimus Medicus, Joh. Nic. Pechlinus, aqua non adeo acri ab empirico ſervatum.

XLVII. His Gangrænæ ex cauſa calida & inflammatione ortæ occurritur, quæ quia frequentiſſima eſt, plurima remedia adverſus illam excogitata ſunt, & in libris Chirurgicis pleriſque, aliis morbi generibus omiſſis, ſola memorantur. Diverſa tamen nonnihil eſt ratio illius, quæ ex principio interno, vel per metaſtaſin generatur, vel ſua ſponte. Illa plerumque ut dixi, tam celeriter decurrit ad metam, ut locum medelæ nullum relinquat, ſed ſtatim Sphacelus adſit. Vidimus ipſi ex ardenti febri pedem & crus citius pene ſphaceloſum quam Gangrænoſum, exciſione totius mox tollendum: idque ſic fieri plerumque aſſolet, ut deliberatio de Gangræna corrigenda, fruſtra inſtituatur. At quæ ſponte generatur, etſi difficillime tollatur & ſit plerumque lethalis, moram tamen aliquam concedit. Hic ergo quo modo curatio inſtituenda ſit, ex *Guil Fabricio* potiſſimum, qui optime omnium eam depinxit, trademus: Primum injiciatur cliſter, ut alvus laxa ſit, deinde ſudorifera potio & alexipharmaca propinetur ſine mora. Inſervient decocto & infuſo. Radix Angelicæ, Contrayervæ, Leviſtici, Herbæ Cardui Benedicti Fumariæ, Scordii, Rutæ, Diptamni albi noſtratis una cum radice, & Cretici Diaſcordium, & reliqua electuaria & opiata notiſſima ſunt. Aqua theriacalis, Alexipharmaca, Rob Sambuci internis potionibus materiam præbent: Pulveribus ejusdem ordinis & confortantibus C.C. Antimonium diaphoreticum, Lapis Bezaar, terra ſigillata & pulv. bezoardici compoſiti Salia fixa, & volatilia, crocus: quibus ſpecies liberantes, theriaca & alia addi poſſunt. Miſturæ quoque bezoardicæ dictæ præſtantiſſimæ credi debent. Purgantia (quamvis qui iſtis in morbo acutiſſimo & celerrimi motus locus ſit, non video, præſertim eo quo volunt auctores modo, inter initia ſcilicet, præmittendis,) & Venæ inciſionem minime convenire, & hic notat auctor, & Barbette ſe experientia didiciſſe confirmat. Contra ſudorifera, etſi non ſemper ſudor inſequatur, tamen proficua prædicantur, idque rectiſſime: continuandus ergo alexipharmacorum uſus eſt, & externe interim, ut in priori loco recenſito Sphacelo, agendum, ſcarificatione profunda, ablutione, unguento Aegyptiaco, fuco Würzii, cataplaſmatis, donec corrupta omnia ſint conſumta: Et, quod non negligendum, ulcus diu tenendum apertum: donec ſcilicet internis præſcriptis vitium ſeri, ex quo malum ortum eſt, correctum fiet: Niſi malis Barbettum ſequi, viaque breviſſima per ferrum candens totum exuere, & ſub ipſis initiis è medio tollere. Quo quidem ego, ſi locus permittat, nullum eſſe ſalubrius conſilium exiſtimo.

XLIX. Huic generi adnumeranda venit Gangræna quæ ex ſumma humorum acrimonia ſcorbuto ſupervenire aliquando, Barbetto (nam apud alios vix legitur) obſervatum eſt, cui & peculiaria remedia adaptavit, ſignum ejus prodens, quod à pollice (pedis fortè) initium ſumere ſoleat, maculisque ac lineis ſubnigris ſe manifeſtare, quæ in cruſtam ſiccam degenerent, dolore aliquando nullo, nullo prorſus fœtore. Commendat autem ad eam emplaſtrum ex ſemine Geniſtæ, Urticæ Romanæ, Rutæ, Abſinthio, Gummi Galba-

no & Ammoniaco: Linimentum ex oleis Lumbricorum, Laurino, Rutaceo, cum Caſtoreo & ſpiritu vini, item infuſum ex lignis, radicibus & plantis ſcorbuticis, de quibus ipſe inſpiciendus eſt, ſi affectus occurrat, quod rarius fieri exiſtimo, modo debita ſcorbuti cura habeatur. Supereſt Gangræna ex frigore, quę ſeptentrionalibus regionibus, ubi frigus regnat intenſius, eſt peculiaris.

L. Hæc ut natura à reliquis diverſa eſt, ſic non eadem ipſi debetur curatio. Quin imo dubitari poſſet, num Gangræna dici mereatur: Verum enim par eſt ratio caloris & frigoris, idemque in carnem humanam utriuſque effectus, ut apertius conſtabit alias, & nunc vel ex hoc patet, quod neglecta abeat in ſphacelum. Cognoſcitur, ſi pars rubet, & dolor punctorius atque urens ſentitur, quod accidit, ſi mediocris eſt: ſi major aduſtio, ſenſus omnis amittitur, & niſi idonea adferantur remedia, putreſcit quod affectum eſt male.

LI. Præſentaneum huic paratum remedium eſt, vel nive, ſi ea in promtu ſit, probe partes confricare, vel in aquam mittere frigidiſſimam: quo facto, poſtquam glacies totum illud, quod corruptum eſt, circumſedit, ſine alio auxilio ſaneſcit, & reſtituitur. Hocque expertum & certiſſimum æque ac vulgatiſſimum populis Septentrionalibus ſolatium eſt: ſed jam olim etiam multis retro ſeculis, Avicennæ ſcilicet temporibus, non ignotum fuiſſe, oſtendit ſæpe hic nobis memorandus Guilielmus Fabritius; Qui & exemplum recenſet viatoris jam rigidi gelu, cui, in frigidam demerſo, ita illud erupit, ut glacie quaſi cataphracta ferrea contextus conſpiceretur. Verum hoc cito fieri oportet, nulla mora: ſi enim ad ignem accedas vel leviter, non modo non juvat amplius, ſed illico etiam, ante quam adhiberi poſſit, pars computruiſſe reperitur, nec in alterum dilata diem hæc immerſio utilis eſt. Cur autem ſalutaris ſit, docebit Te Medicorum decus magnum, *Pechlinus*, Libro *de aeris & alimenti defectu.*

LII. Poſt eam lenes frictiones adhibendæ, fotusque ex lacte dulci, cui herbæ odoratæ & aromaticæ incoctæ fuerint inſtituendus: Roſmarinus puta, Lavendula, Mentha, Lauri baccæ, Salvia, Origanum. Muria & halec etiam juvat, & Raparum decoctum. His jam accedat, ſi major eſt læſio, ſudor in lecto, theriaca vel mithridatio, vel bezoardica dicta eſſentia in potu calido ſpirituoſo, ut ſpiritu ſambuci, vel ſimili concitata. Illini quoque poteſt pars oleo lateritio, ceræ, terebinthinæ, petroleo maximè, adjunctis deſtillatis ex plantis ſupra laudatis vel aliis, quibus penetrantiſſimis calor partis emortuus allecto novo ſanguine reſuſcitetur. Quod ſi magis deſperata res eſt, ſcarificatio, & unguenta exedentia corruptionem adhibenda ſunt, & ulcera excitanda, ſanandaque ut alibi docetur. Et hoc eſt, quod in calcaneo PERNIONES ſolemus appellare, qui ad ſphacelum ſunt gradus proximus.

LIII. De GANGRÆNA peregiſſe videri poſſem: ſed nulla de cauteriis ignitoque ferro facta eſt mentio: quod tamen tot laudibus plerique Chirurgiæ doctorum extulere, præſertim etiam Hildanus: qui inceſſit dictis acerrimis Wurzium, hæc paulo vehementius increpantem. Verum enim vero, quod poteſt jucunda fieri & minus ſæviente manu, cur potiùs cum cruciatu perficias? Ego autem tutis atque certis potentialibus tranſigi cum hoc malo poſſe, ſi opus ſit aliquo ejusmodi, ſum perſuaſus, neque ſemper his opus eſſe, præſertim ſi in tempore advoceris: Quin tota pars jam ſphacelata ſæpe illinatione butyri antimonii ſeparata eſt. Ad rationes illorum, qui ignem præferunt, non difficile eſt reſpondere, quas idem Guilielmus ordine recenſet. Primum enim non Arſenico, non ſublimato quod videtur ſupponere, agi neceſſum eſt, ſed aliis poteſt indicationi ſatisfieri; æque (quod ad ſecundum) determinate agentium ac ignis actualis: Tertia objectio majoris momenti eſt, cito ſcilicet operari ignea præſidia, medicamenta tardius; eſſe vero periculum in mora. Sed neque hoc plane inſolubile: alia enim quæ corrigant malum, præcedant neceſſe eſt, nec niſi corrupta jam pars, reliqua ſana, & extra periculum poſita, tollenda eſt. Niſi enim hoc ſupponis, quid poterit etiam hic candens ferrum, unum aut alterum ſi tangas locum: neque enim credo totum Gangrænoſum quam late patet, exurere licet, alias nervos omnino tangere neceſſum foret, quod à perito Chirurgo non fieri, dicit ipſe Hildanus. Ex quibus patet, non fuiſſe cauſam eidem tam duriter tractare Felicem Wurzium, maxime, cum ejus de nervis ratio non omnino ſit contemnenda, ipſeque cogatur fateri, non in ea convenire aduſtionem, quæ fiat ab inflammatione, gangræna. In ſecundo igitur genere, cum alexipharmaca & putredinem coercentia cataplaſmata ſint aptiora, in tertia vero plane non ſit his locus, cum nulla tam crudele facinus exigat ratio, in aprico eſt conſtitutum. Verum ſolet fere, neſcio qua de cauſa, Hildanus Wurzio eſſe paulo iniquior. Cum quo non ita tamen facio, ut plane omne ignitum ferramentum damnem, ſed in ſecundo genere, ſi æger ſit patiens injuriæ, & videatur præ ceteris præſtare; itemque cum pars exigua, & quæ nequeat exſcindi, corrupta appareat, ut caſus ſunt varii, non omnino pertimeſcendum eſſe arbitror. Interim de cauteriis quid ipſe *Avicenna* pro Wurzio allegandum dicat & fateatur, vide *c. l. cap.* 17. *p. m.* 803.

LIV. De SPHACELO reſtat dicere, qui ut eſt terminus poſtremus valetudinis, ſic nobis quoque terminus hac vice, & extrema erit linea laboris. Sic autem vocatur corrupta partis ſubſtantia, quando citra ſpem omnem reſtitutionis emoritur, deſinitque in putrilaginem. Ex quo patet, reſtitui eam non poſſe, nihilque aliud ſupereſſe, quam miſerum, ut ait Celſus, ſed unicum auxilium: ut cetera pars corporis tuta ſit, quod mortuum eſt, abſcindere. Hoc itaque, qua potiſſimum ratione fiat, edocendum eſt. Notandum vero, & hic properandum eſſe maxime, ut ex ſupra dictis patet, tum ſaltem cum malum ſerpit. Duplex autem curandi ratio eſt, ſuo quæque loco adhibenda. Si enim inſit ſphacelus parti quam totam exſtirpare, aut non licet, aut non neceſſe eſt, quod rarius contingere ſolet, jubet Hildanus excedente remedio, quod vocant cauterium potentiale, conſumere corruptum, & eſchara mox cultello ablata, ut ulcera alia ſanare.

LV. Quoties autem integer digitus, pes, manus, brachium corrupta ſunt, quantocyus exſcindenda, ne pars ſincera trahatur. Ubi duplex occurrit dubium. Primum, quali inſtrumento id fieri debeat, alterum, quo loco. De priori Botalli ſententia eſt, id perficiendum ſecuri, vel ſimili findente, fortiter adacto, vel ex alto demiſſo cum pondere, quod ex ſuo auctore deſcribit elegantiſſimus Hornius in Microtechne. Ex quo duplex beneficium jubemur expectare: Nam in momentaneo ictu, vix dolor ullus eſt, adeo, ut putent ægri, ſcintillam ignis in membrum incidiſſe; & præterea magna ſanguinis profuſio evitatur, dum in ſerra ducenda nonnullam ducit Chirurgus moram. Verum quod ad hoc attinet, nullum eſſe ex Hæmorrhagia periculum, modo ligatura inſtituatur fortis, aſſerit expertus Van Horne, & Hildanus dudum monuit, ipſeque aliquoties vidi. De cetero miris modis improbat eum poſtremo nominatus Vir Præſtantiſſimus, & putat, oſſa neutiquam æqualiter findi, ſed comminui in fruſtula, quæ dum per-

perioſtio adhæreant, indeque tarde abſcedant, multum negotii poſſent Chirurgo faceſſere: Quod non æque Hornio, judicio in his pollenti viro, metuendum eſſe, viſum eſt.

LVI. Videri poſſet, dum crebrior experientia vel firmaverit metum hunc, vel ſuſtulerit, nihil certi eſſe ſtatuendum, cum hunc poſtremum modum Guilielmus Fabritius inexpertus rejiciat, Clariſſ. Hornius vero alieno teſtimonio diffidens, laudare non audeat: Si tamen aliqua ſit eligenda ſententia, in partes Hildani lubenter pedibus irem: ſive enim experientiam conſulas, ſive rationem, utraque diſſuadebit hunc modum. Ratio quidem, quoniam & cava omnia, ſi ſimul dura ſint ac rigida, per transverſum findi non poſſe, certum eſt, ſed vel acuto etiam inſtrumento percuſſa, in fruſta fortuita diſſilire; & illa quæ fibris rectis gaudent, niſi ad ductum earum adigas ferrum, ægerrime per rectam lineam dividi ſolent, omnium vero difficillime per transverſum, neque id æqualiter, ſi itidem duritie ac rigiditate gaudeant. Quod ſi cavitas inſuper accedat, fiet facile ut aliquæ fibræ adferri impulſum ſecutæ ductum ſuum naturalem, hinc vel illinc abripiant partem aliquam ſui, adeoque inæqualiter reſiliant à ſociis. Experientia vero etiam hoc confirmare videtur: Dum enim Lanii aut qui culinis præſunt, partes animalium in fruſta ollis percoquenda diſcindunt, quod fit ſecuri præacuta, maximaque adacta vi, ſubjecta oſſa neutiquam ad perpendiculum frangi, ſed inæqualiter, & ruditer diſſilire, nec legem recipere obſervantur. Idem ergo omnino in humanis oſſibus futurum, exiſtimandum venit: ut hinc Potali ſententia minime recipienda, isque hunc modum potius excogitaſſe ingenio, quam ex uſu notaſſe, atque laudaſſe videatur. Adhæc Hildanus, in tanta chirurgicarum operationum, quam acquiſiverat experientia, iniquus profecto fuiſſet, ſi modum compendioſiſſimum & tutiſſimum inexpertus damnaſſet: Hæc ita videntur; dum ut dixi, res ipſa & uſus aliud docuerit: quod fieri facile per occaſionem poſſet, ſi & chirurgi hujus rei ſint cupidi, & qui præſunt bello, tot occaſionibus ſeſe offerentibus, in conſervationem humani generis proni, conſentiant in operationem ambiguam, ſumtusque non magnos tali inſtrumento fabricando impendere non renuant.

LVII. Alter modus, ab omnibus usque adhuc probatur: ut carnibus falcato cultro diviſis, ſerra os reſcindatur, quem, ut perficere deceat, ubi prius aliud, quod reſtat dubium, expoſuero, paucis tradam. Eſt illa vero de loco dubitatio, cum enim plerique in carne viva, fieri ſectionem oportere autument, alii in emortua eam jubent inſtitui, eadem bona ex hac electione promittentes. Et cum objiciunt priores, altius ſæpe malum intra carnes, quam in cute appareat, perreptaſſe, oſſaque ipſa corrupiſſe intimius, quoniam occluſus calor, humorque in imo magis putredini obnoxiam carnem habeat; illi exurere cauteriis quod ſupereſt pravi, aſſolent. Verum hæc nondum in ſalvo collocant iſtum ſecandi modum, cum, ſi ſanam partem igne tetigeris, evitari, quod cupis, dolor non poſſit, ſi eo extendere uſtionem nolueris, de curatione certus eſſe haut queas. Verum & cruſta inuſtione producta obeſſe plurimum videtur, dum cohibet putredinem, efficitque, ut in recenti ſanctitate facile novus fomes malo non ſatis certo abolito ſubnaſcatur; maxime, cum nec ſanguinis effluere, quantum ſat eſſe, commode poſſit. His atque aliis, quæ apud Hildanum legi poſſunt, nova illa methodus labefactatur, qui & rationibus pugnat, & exemplis, eos, quibus eo modo crura amputata fuere, non ſatis tutos eſſe, oſtendens, & ſimul fontem erroris detegit.

LVIII. Ad operationem ipſam nunc accedo. Hęc aliter in minoribus partibus, ut digitis, aliter in manu, aliter in membris integris tollendis initium deſiderat. Et in digitis quidem non eſſe utendum forcipe aut tenaculis excisoriis, ſæpe celebratus Guilielm. Fabritius ſedulo inculcat, ſed novacula inciſa cute, & ligamentis in articulis ſeparationem eſſe inſtituendam. Idque in prima & ſecunda articulatione prompte ubique ſuccedit. In pollice, ſi ad tertium os ſerpere corruptionem contingat, miniſtro quatuor reliquos firmiter tenente, attrahitur ad ſe à Chirurgo pollex, ſicque inciſione recta ad carpum ducta, primo vel altero ictu totus pollex aufertur. At in mediis digitis, ſi tertia articulatio ſolvenda ſit, hac fieri ratione commode non poteſt. Excogitavit ergo ſcalprum excisorium Hildanus, rotundum, qualia Scriniarii etiam, ſed minora, ad cavata opera perficienda adhibent, eoque, manu in tabula locata, malleo valide percuſſo, uno ictu digitum à metacarpo ſeparat. Hanc operationem à clariſſimo quondam Collega, medicoque æque ac chirurgo feliciſſimo Henrico Meibomio, feliciter inſtitutam novimus, uti reliquorum digitorum amputationis dicto modo peractæ exempla ipſe narrat Hildanus.

LIX. Manum vero in ipſo carpo amputandam eſſe tradit, ligata, & fortiter retracta ad cubitum cute. Ad quod notare atramento lineam jubet quam chirurgus ſequatur: miniſter cordatus teneat brachium, ipſe cutim & carnem incidat, parumque deprimat manum, & celeriter operationem abſolvat. Hoc optime procedere, anatome docet: Nam carpus non niſi externis ligamentis radio innectitur, quibus diſſectis, decidit manus. Non eſt autem neceſſe, lineam ducere, neque enim poteſt aberrare, ſi tubercula cubiti radiique prominentia obſervet, & manum fortiter deprimat. Id tantum teneat carpi os poſtremum duplex in cavitatem ſat profundam inſeri: adeoque introrſum nonnihil inclinata cultri acie, cuſpideque, ubi opus, inſinuata, ligamenta diſſecet.

LX. Neque tamen prorſus rejiciendus eſt ſcalpto exſcindendi manum modus, à Sculteto, contra Hildanum, ut ipſe ait, depictus: ſi enim digitus ſic exſcindi poſſit, quidni & manus? Verum hoc habet incommodi, quod oſſa poſtrema carpi ſcalpro franguntur, ac deinceps tamen ab adhærentibus ligamentis liberanda, illaque abſcindenda videantur, quia ſcalprum intra cavitatem rotundam penetrare non poteſt. Videtur ergo nihilominus Hildani modus, tanquam expeditior, præferendus.

LXI. Venio nunc ad artuum integrorum amputationem. Quæ ut eſt omnium operationum Chirurgicarum generoſiſſima, ſic multo plus & apparatus & difficultatis habet. Cum autem illa prolixe quidem à Guil. Fabritio, integro illo, quem toties citare neceſſum habuimus, libro; per compendium vero nuper à Doctiſſimo Hornio ſufficienti ratione expoſita ſit, licebit mihi eſſe breviorem. Primum itaque omnium apparatus ad eam neceſſarius omnis erit ſollicite diſponendus, ut in promtu ſint, quibus uſus eſſe poſſit, cum, ſi ullibi alias hic celeritate quanta maxima opus habeamus: & paulo momento res deduci in periculum poſſit. Dein, cardiaco propinato, & vel ad ſcamnum alligato membro, cum in modum quo vult Hildanus; vel fortiſſimis miniſtris idem tenentibus, culter falcatus in parte ſana, ligatus probe infra ſupraque vicinis, & attracta ſurſum cute, celeri manu circumducatur, & pariter ſi unum os reſecandum, abradatur perioſtium, ſi duplex, μαχαιρὶς ςηθοειδὴς Hippocratis, in auxilium veniat, quo non modo perioſtium utrinque radatur, ſed etiam intercedens inter utrumque ligamentum tendinoſum pertundatur: tum ſerra ponderoſa æqualiter ducta & adacta fortiter, os

tribus vel quatuor ductibus repetitis ſecetur ; ſi ad malleolos eſt malum, infra genu, ſi in femore, brachiove, unius digiti interſtitio à parte corrupta. Quo peracto ſolvatur ſuperius vinculum, niſi admodum recens ſit ſphacelus, ut nihil corruptionis ſuperare, poſſis eſſe ſecurus. Proxima cura eſt, ut qui laxatis habenis, prolixe erumpit cruor, ſiſtatur. Ubi nec ferro candente agendum, nec volſellis arreptæ arteriæ ligandæ ſunt, ſed optimum quia placidum & ſufficiens, Van Hornii remedium erit, quod protinus admovendum eſt, ſi modo crepitus ille Lupi (quem rariſſime in Thuringia aliiſque mediterraneis Germaniæ locis inveni) ſit ad manum: qua ſi deſtituaris, ſtuppa locum ſuppleat, Oxycrato & pulvere à Hildano deſcripro turgens. Cui & colcothar utiliter additur, & fortiſſime ſtringens alumen, quo uno Chirurgum uſum eſſe ad ſiſtendum in hac operatione ſanguinem, Botallus teſtatur. Pulvilli autem ſeorſim parati exigui apponantur magnis vaſis, & fungus vel ſtupa cum pulvere ſuper illos applicetur.

LXII. Sed non tacenda hic aqua ſtyptica eſt, quæ in Anglicanis navibus probationem ſuſtinens, magno præmio inventorem ſuum beavit. Hæc enim ſi adſit, non alio opus eſt remedio, etſi poſſet idem pulvis tutius forte adhuc illi ſuperaddi, ut ſit oxycrati loco. Vide de ea Joh. Cornelium Weberum, qui talem deſcriptum dedit: non tamen fortaſſis illum, qui tantam Sereniſſimi Britanniæ Regis munificentiam proliciebat: Poteſt enim variis modis parare, & eſt mihi elegans, & paratu facilis ad manum, quem nulli alii cedere, perſuaſus ſum, cujus conficiendi modum tradam alias. Nunc reliqua peragenda ſubjungam.

LXIII. Admotis quæ ad ſanguinem ſiſtendum apta ſunt, unguentum defenſivum adſtringens, quale Hildanus cap. 13. vel potius 19. deſcribit ex Chalmeteo, cum emplaſtro diapalma vel alio applicandum eſt, quo etiam cruciatim impoſito, firmari fungus pulveribus conſperſus optime poteſt, & denique faſcia cruciata, quam Scultetus delineavit, contineri omnia. Hæc non ante tertium diem ſolvantur, ægerque interim cordialibus & refrigerantibus remediis, victuque tenui ſuſtentetur, totumque brachium aut femur bis de die oleo roſaceo vel myrtino inungatur: defenſivum quoque quotidie reiteretur. Ubi primus tandem apparatus tollendus eſt, in promtu ſint pulvilli parvi, albumine ovi & pulvere adſtringente inſperſi, ſi priores ſponte decidant, in eorum locum ſubſtituendi: jamque etiam oſſibus filamenta carpta, nec quicquam admoveatur aliud: reliquum ulcus digeſtivis unguentis & mundificantibus curandum, attracta ſenſim cute, & mox glutino inductis linteolis arctiſſime adhærentibus, filoque per hæc traducto, non autem per ipſam cutim, ſenſim arctetur: denique, ubi prius etiam os ipſum catagmaticis pulveribus conſperſum, particulas corruptas depoſuerit, ſiccantibus & cicatrizantibus percuretur.

LXIV. Unum ſupereſt monendum: Hildanum ſuadere, ut, ægro admodum debili, ſanguinis profluvium illico ſiſtatur. Quem in finem cultro candente ad ſecandam carnem utitur, quem vocat cauterium cultellare, quo vaſa majora corrugentur, ſanguiniſque profluvium omnino præcaveri poſſit: & graviter increpat Chirurgos, qui hoc præſtantiſſimum remedium rejiciunt, quo ipſe aliquoties cum fructu ſit uſus. Verum enim vero, cum metum iſtum magnæ profuſionis nobis ademerit penitus doctiſſimus Hornius, & oculorum fides, & in ægro debili tantus impetus ſanguinis, qui pulveres repellat, (quod ipſe cauſatur) neutiquam ſit metuendus, præterea igne actuali corrugatio nervorum fiat, maxime, ut ipſe fatetur, periculoſa, ſummuſque ſit dolor, & inflammatio facile excitetur, denique aqua ſtyptica non minori vi polleat quam ignis, nullo cum periculo conjuncta, non video quomodo & hic locum habeat ferrum candens, & aſpectu terribile, ut vel ſolo oculorum intuitu ægrum exanimare poſſit.

Et nunc quidem de Excreſcentiis quoque appendicis loco agere decretum erat, Polypo ſcilicet narium, Sarcomate uteri, Natta, aliiſque ſimilibus, quæ neque ad tumores recteque referuntur, ne ad reliquos tamen affectus chirurgicos pertinent, verum ſunt quaſi exceſſus quidam tumorum: ſed revocant animum aliæ, quæ eum ſibi jam totum vendicant, curæ: itaque in aliud tempus iſtæc quidem differre cogor, & hic filum abrumpere.

SOLI DEO GLORIA.

Hactenus Præclariſſ. Schelhammerus; qui quamvis ſæpius de Celeberrimô ac verè accuratô Autore, Marcô Aureliô Severinô mentionem faciat; ejus tamen raras admodùm ac curioſas explicationes & operationes Tractatu ſpeciali de noviſſimè à ſe obſervatis Abſceſſibus, comprehenſas, ac generaliori de Reconditâ Abſceſſuum naturâ, Tractatui inſertas, nec deſcribit, nec etiam ſatis indicat. De Lectoris utilitate omnino arbitrati ſumus, ſi Experientiſſimi illius Viri Tractatum integrum ſuper prædictis abſceſſibus, ſeu potiùs 4. Tumoribus, jam exhiberemus. Sit itaque

Marci Aurelii Severini, *apud Neapolitanos Medici ac Philoſophi Regii, de Noviſſimè obſervatis Abſceſſibus Liber.*

Cap. I. *De abſceſſibus progerminis.*

Recte illud à Galeno propoſitum eſt l. 13. meth. med. cap. 4. principium ſcil. apprimè firmum in doctrina de abſceſſibus, quod omnium tumorum, qui præter naturam ſunt, varietas, ex ejus, quod influit natura naſcitur, &c. qui idem vir l. 10. de com. medic. per loc. cap. 2. quod eſt inſcriptum de Iſchiade, meminit humoris pituitoſi crudi craſſique ad ſimilitudinem puris craſſioris. Sed Corn. Celſus l. 5. rei medic. c. 28. ſtrumas fecit concrementum ſanguinis, & ſaniei. An igitur ex hoc humoris genere ſecundum hunc aut illum auctorem explicato cenſeamus, nos tumores, & abſceſſus eos, quos progerminos appellavimus? quaſi dicas ex tetra humoris luxurie germinantia tubera. Rectius autem, ac planius ex lenta, & corrupta, aut ſi mavis ſemiputri pituita, aut hujus ſuperfluitate, quæ diutiſſime ſtagnantibus aquis paluſtribus, aut lacuſtribus, aut tactis multo lentore ſituq; locis aliis, & arboris vetuſtis reſpondent, provenire dixeris limoſa hac, & fungea contrementa; quæ ſæpe in laxis debilibuſque corporis locis extuberare peculiariter conſueverunt: in manibus, inquam, pedibus, labiis, auribus, facie, partibus obſcænis, anticis, poſticis, virorum, fœminarum. Sed hæc accommodatis ad rem exemplis declarare commodius erit.

Siculum quendam hominem XLV. circiter annos natum licuit vidiſſe valetudinarii noſtri lectis decumbentem, qui cum exeſa late per ulcus altera bucca, tuberculum caſtaneæ nucis magnitudine obtuliſſet, exectum hoc & uſtum denuo repullulavit in numeroſam ſobolem majorem, quæ incrementa rurſus ferro & igne detracta novos ſimiliter ſuos ſtolonos emiſere. Cujus quidem excurſus non factus eſt finis, donec faciei partem illam totam, & oculum frontemque occupaſſent, enormi quadam, & horrenda ſpecie renata tuberum incrementa. Interim autem cibi provolutu demiſſuque intercepto, hiſque imbecillitate virium, & febre conjunctis, miſerabilis homo ſemel morbo conceſſit.

Sed

Sed & in femore ſupremo externe, qua vacuitas iliorum incumbit, & in manu digitis extantia ejuſdomi verticilla, ac tubera vidi, non aliter, quam humiles colliculos aliqua terræ planicie ſuperantes. In coxa, inquam, Cataneo è Cataneis nobili Januenſi inæqualia tubera tria mala punica hortenſia, tum magnitudine, tum colore referentia, è quibus omnibus reſectum id, quod maximum erat, plus libra pependit. Cætera autem ignava caro, quæ ſeſquilibræ pondo fuiſſet, velut Q. Marius Imperator varicoſum alterum crus, concidi ſibi non permiſit. Erant autem ſingula fomitibus, & radicibus nixa, quæ diſtentis circum venis alebantur, dura, putida, perpetuum ichorem tenuem atque aqueum reddentia, puſilla comite febre, ac dolore interdum punctorio, interdum tenſivo moleſta, color homini pallens & ſubalbidus, qualis in leucophegmatia viſitur, aut qualis his, qui diuturnis quibuſque fluxibus diu tenentur.

Simili ferme ſorte Hieronymus Damianus Rochæ Mondraconis adoleſcens vigeſimum ſecundum annum natus gibber, ſtrigoſus, & puſillo virium robore, dexteram manum, ſecundum quatuor phalangis digitos gravem ita, ut ſuſtinere non poſſet, cubans quidem capiti innixam, ſtans vero ſubjecta altera manu ſuffultam geſtabat. Comparaſſes dura tubera partim magnitudine limoniis corticoſis, partim etiam colore non adhuc maturis malis inſanis; ſic alte turgebant, ſic particulis quibuſdam liveſcebant. Una alteris implicita ſecundum digitorum nodos excreverant adeo circa extremos ungues, ut hi ſummis apicibus vix apparerent.

Affectum, quod ad nomen attinet, atheroma nodoſum: quod vero ad figuram ſubiit interdum animo mihi comparare, vel tuberoſis ample difformibuſque radicibus Chamæirios latifoliæ Lobelii; vel fructibus fici opuntiæ, vel complexui tuberum radiciformium, quæ vocata noſtris hiſpanica cocta igne ſunt eſu multis non inſuavi; vel monſtroſis belluarum ſecundum digitos nodis, quos ſepulchralibus urnis ſculptores appingere conſueverunt. Huic monſtroſo vitio haud ſcio equidem, an ulla parte reſpondeat id, quod ſcripſit Ioannes Schenkius obſervat. med. lib. 5. tit. de manu his verbis.

Vidimus nos puellæ cujuſdam annum decimum tertium agentis manum ſiniſtram, non quidem naturam, ſeu prima uteri conformatione talem, ſed poſt octavum ætatis ſuæ annum à poſtbrachiali ad digitos, & ungues uſque ſenſim in tantum auctam, tumidam, ſordidi luridique coloris, ſubalbidis etiam maculis reſperſam, adeoque fœdam evaſiſſe, ut primo cujuſvis aſpectu, grandis alicujus bufonis imaginem referret, nullo prorſus dolore, aut manus uſus offenſa; ad tactum mollem, veluti ſubſtratam cuti ſpongiam; articulis digitorum ob laxam elevatamque cutem minime conſpicuis. Hæc ille.

Verum enim verò quodcunque vitii fuerit illud, amputatum per nos ſecundum primos digitorum phalangis articulos, ac peruſtum ad ſanitatem integram brevi perduximus. Quam rem tota urbe famoſam videre quamplurimi, inter cæteros Nicolaus Angelus Eliſæus acris ingenii medicus, Jo. Baptiſta Ferrarius, Alexius Alonia, medici. Cæterum materia, quæ ſub inciſo vitio reperta eſt, veluti coctæ carnis bulbi cyclaminis apparuit, friabilis inſuper, & lentiſſimo quoque contactu ceſſilis.

Alius alterius non exiguis defœdatæ tuberibus manus, à Clariſſimo Medico Nicolao Larcheo Româ nobis cum alterius hujus generis abſceſſus ſchemate, tranſmiſſæ hiſtoriam, his noſtris lucubrationibus inſerere placuit.

Prioris hiſtoria eſt talis.

Ecce tibi nuper ſponſam manum deformem ac tuberoſam, mi Marce Aureli, tuis abſceſſibus conferendam mitto; quæ paulatim congeſtione in tantam molem crevit, ut ſeptem librarum Romanarum cum unciis tribus pondus æquaret. Tanti affectus ipſemet patiens exordium ignoravit, ſed ſic à parentibus acceptum nunciavit, id à morſu verris principium traxiſſe, eoque increviſſe, donec materiæ multitudine obruta natura ſuccubuerit. Cum itaque tantam molem moderari non poſſet, in medio metacarpo computruit, non ipſa cutis aut caro duntaxat, verum etiam ipſamet oſſa. Unde febris miſerum corripuit, ut indies in deterius progrederetur, quæ cauſa fuit, cur infœlix in Noſocomium S. Jacobi incurabilium ſeſe contulerit, ibique ſibi amputari manum libenter paſſus fuerit, ſecus, niſi mortem timuiſſet, haud annuiſſet, cum ex tam portentoſa manu ſibi victum compararet, facilique negotio pias mentes ad eleemoſynam flecteret, à quibus annuos reditus exigebat.

Nicolaus Larche Romæ in Noſocomio incurabilium S. Jacobi chirurgus.

Poſterioris ſequens:

Marco Aurelio Severino Nicolaus Larcheus Medicus Romanus S. D.

Quod diu literas ad te non dederim, non eſt, quod eruditiſſime Marce Aureli mireris, ſilui equidem, tam quia nihil novi foret, quod offerrem, te tuiſque ſenſibus dignum, tum etiam, ne te minus gravibus, minuſque ſeriis rebus diſtinerem, virum, quem novi equidem in medendo, profitendo, ſcribendoque continenter occupatum. Jam verò gratiſſimis tuis literis excitatus, oblataque novæ hiſtoriolæ occaſione confeſtim arripui calamum atque parumper ad te diverſari volui: Hiſtoria ſive obſervato noſtra, cujus memineram, hæc eſt.

Puella 5. annos nata concrementum carneum oculo dextero ſubnatum habuit, pugnum contractum æquans, à pleriſque noſtrorum Chirurgorum pro carcinomate curatum; Tum vitii contumacia, tum inopia preſſi parentes, quibus numeroſa natorum natarumque ſoboles alenda erat, miſeram hanc puellam ad valetudinarium D. Jacobi deferunt meis manibus tractandam, qui poſt aliquot dies nulla propemodum habita medicamentorum fiducia, ſarcoma reſecui ſimul & inuſſi, quod brevi coalitum eſt; ſeptimo verò aut octavo à reſectu die tumor ſublividus, inęqualis, indolens, tactui nonnihil cedens, multis undique circum venulis ſeptus ſub oculi ſiniſtri palpebra ſubortus eſt, qui paulatim adauctum jam totum lateris ſiniſtri tempus & auriculam nec non cervicem latè occupabat, quin & genam adeò ut os obſtrinxerit ad capiendam eſcam anguſtiſſimè; eodem ipſo tempore ex adverſa parte ſimillimus huic tum figura tum colore tum etiam progreſſus more modoque erupit; quæ itidem tubercula maximam colli partem ſic obſederant, ut junctis utriſque operis cervicem humeris exęquaſſent, quod vitii complementum duorum cum ſemiſſe menſium curriculo peractum eſt. Illud autem ſilentio non obducendum eſt; quantumvis tubera naturæ modos exceſſerint, tantundem incomparabilem puellæ patientiam periſtitiſſe, quæ nunquam fuit vel de morbo conqueſta, vel vagitibus moleſta. Veruntamen erat illi ſatis eſurienti, ſi vel panis, vel caſei, vel caſtaneę vel offa quælibet offerretur; quibus reſecta cæterum omne tempus piſcibus mutior ducebat. Tandem pridie Calend. Novembr. è terris jam felicior Cœlo puella diſceſſit. Tubera hæc inſecta, fungoſam & pituitoſam, ſuo folliculo

olliculo contectam ſubſtantiam nobis aperuerunt.

At hæc & alia id relatu dignum oſtentum eſt, cranium tractantibus nobis, mirum foramen è rimis calvariæ per amplum à dura menynge ad tubercula iſta patens per quod videlicet materia de cerebro ad tumores alendos tranſmitti fuerat conſueta: poſtremum dicti mirum ad hęc cuncta erit pedes utroſque puellæ negatos direptoſque primordio; alimento ſcilicet amplo à ſuperioribus uſibus ad ſe rapto: Quorum omnium teſtes fidiſſimi æquè ac graviſſimi fuerunt excellentes viri, tuique amantiſſimi D. Angelus Colius, D. Paulus Zachias, qui tum confirmandi Chirographi noſtri, tum ſalutandi tui gratiâ ſubſcripſerunt; V. feliciter, ex ædibus noſtris Romæ 3. Idus Novembr. 1636.

Tuorum

humillimus

Nicolaus Larcheus.

EGo Angelus Colius in Archoſpitali Incurabilium ἰατρὸς πρæνια αὐτοψίᾳ ſingula enarrata confirmo αὐτόγραφ@, quo etiam perpetuam tibi obſervantiam exhibeo.

Ego Paulus Zachias Medicus ſingula à D. Nicolao obſervata & diligentiſſime enarrata eo modo ſe habere affirmo, tibique addictum ex animo me in tui memoriam redigo.

Hiſtoria alia.

Horatio Bergazano in foro magno Neapolis opera noſtra ſectus & uſtus abſceſſus in umbilico progerminus magnus, qui 40. jam annos connutritus libras novem pependit, à nullis tamen unquam medicis attrectatus, utpote qui periclitari ſuam exiſtimationem in tam ardua re minimè vellent. Vivit autem hic homo liber, ad hunc uſque diem, ceu nihil unquam mali perpeſſus fuiſſet, ſexagenario major; progerminum autem ulcus deſcripſit Marcellus Donatus lib. 3. mirab. hiſtor. med c. 5

Obveniunt hujus generis germina potiſſimum oculis graviter ulceratis ac perperam principio curatis, illud autem certum eſſe debet, quod ſæpenumero mihi compertum profiteor, ubicunque tuberculum aut exarcoſis ex ulcere exſurrexerit, ibi putrilaginem aut humoris ſcaturiginem ſubeſſe, ab oſſe nimirum carioſo aut parte alia computrefacta obnaſcuntur & ulcera progermina partibus præſertim cavis, laxis venoſis. quare etiam gingivis, de quarum ſarcomate memorando idem *Marc.* Donatus lib. 5. hiſt. med. mirab. c. 3.

Maximum etiam germen palatum Franciſci Firmitani Rhetini à Franciſco Moſca Medico peritiſſimo ad me miſſi inveſtiens, curatum à me fuit uſtione.

Ex hoc etiam curata fuit conjux Michaelis Angeli Pinti collegę Joanne Dominico Mallliocho.

Obierunt autem ex hoc eodem vitio per ſola medicamenta à noſtris medicabulis tractati Sanctimonialis D. Gaudioſi tonſor quidam Holanus atque alii.

Cap. 2. *De abſceſſibus carniformibus & muſculis.*

De abſceſſu carnoſo nemo noſtrorum hominum ad hunc diem ſcripſiſſe viſus eſt: adeo nimirum inſolens, & deprehenſu difficilis eſt ejusdem ſpecies. Ego vero, ſi Deus affuerit, illius ideam, & characterem una ſub naturæ luce demonſtrare non diffido, neque vero id intelligo ſarcoma, quod aliqua humorum luxurie extra cutem exultat, memoratum ab autore definitionum medicarum, neque carnoſum alioqui ſub cute tumorem intelligo, qualis eſt ſarcocelis diffuſus, & laxus nonnulla parte, neque etiam qualis ſtrumis glanduloſus tuberoſuſque; ſed eſt carniformis noſter abſceſſus coactiore firmioreque ſubſtantia: oſtracoſa duritie; ſubjectæ particulæ affinis; tubere haud multum elato, ſed lato expanſoque, membraneis plerumque fibris filiſve interrexus; plurimum ad muſculos, ſed qua ſe ad articulos appellunt, oriri ſuetus.

Ex quarum plurimis notis perſpicitur melancholicam coactique ſanguinis ſuperfluitatem in hujuſmodi concrementum ſeceſſiſſe; contra quam tumorum aliæ formæ modo collatæ: quæ doctorum hominum judicio à pituitoſo mucoſoq; excremento ſolent præcipue proficiſci, quare cum ſarcoma exterius, non ſarcocele, non ſtrumæ, neq. hujus generis ſit carniformis abſceſſus; haud videtur hunc cognoviſſe Fœlix Platerus: licet praxeos medicæ tom. 3. cap. 3. titulo, quem de extuberantia præfixit §. de cauſis pag. 234. de tumore carnoſo fuerit profeſſus, neque item Antonius Benivenius, neque Marcellus Donatus, neque Iohannes Schenckius, qui variorum hujusmodi tuberum meminêre.

Quamquam Platerus l. de privatis ſuis obſervationibus retulit, ſibi viſam glandulam in cerebro ſupra calloſum corpus inſigni magnitudine, pomiformem, fungoſa ſcirrhoſaque ſubſtantia, quę peculiari tunica conveſtita venulis erat contita; à cerebri corpore ſic laxa, & libera, ut digiti ſolius abſtractu reſoluta, foveam inſignem aqueo humore mox repletam, quo & ventriculi admodum dilatati diductique, referti erant, poſt ſe reliquerit, quam glandulam ſua mole cerebrum hujuſque ductus comprimentem irrigantemque, illius ignaviæ & corporis, tandemque exitii cauſam fuiſſe homini, cujus cadaver à morte ſectum eſt, deprehendit. Hactenus Plateri obſervatio, qua monſtratur membranas ſanguineaſque fibras interſeri ſępe carneis concrementis.

Eſt nunc inquiſitione dignum, coquo pacto tumores hos creari ſit probabile, quam rem equidem paucis expedio. Effunditur ſive diapedeſi, ſive anaſtomoſi è plenis vaſis nonnunquam humor ſuperfluus, præſertim in locos corporis plurimum agitatos; & hæ cordarum ſunt partes lacertorum agilium fines; qui ſanguinis effluxum attenuatu nonnihil promovent congeſtus hic ſanguis cum melancholica, ac pituitoſa portione mixtus, & multa ſua craſſitie non diſcuſſus à natura, id eſt, ab ingenito loci calore nunquam in opus vacante ſubigitur, & in meliorem, ut alias explicui, formam præparatur, abit pituita in fibras albas, ſanguis vero percoctus, & melancholia in carneum oſtracole concrementum: cujus quia viſcidula fuit materia, inhæſi hæc ſubjectis locis non laxè. Ita non eſt difficile carniformem illum tumorem creari nonnihil ſuffragante Platero. Quod ſi calloſæ ſub infimo calce carnis procreatio ſit exemplo; facilius hujus rei multam partem comprehendes. Sed hæc fortaſſe plenius illuſtrabuntur exemplis, quorum perplura memoria ſervata en tibi do hæc.

Veſpaſianus Præneſtinus juris utriuſque peritus ab ineunte ætate tuberculum dimidiati ſecundum longum ovi anſerini magnitudine pone carpum in brachio dextero interne 40 jam annis pertulerat pro cacoethe, atque inſanabili ab omnibus medicis exiſtimatum, quod carnoſum, quale appellavi, fuiſſe declarat, quod caro popylorum modo prædura tam longis annorum curriculis indiſcuſſa perſiſtens lato tubere membranei tunicis contecta ſe obtulit.

Fuit & in Sacris Conceptionis ædibus Neapoli Capucinus (Innocentius nomine) quem genus hoc abſceſſus

ceſſus manifeſte multis annis perpeſſum equidem curare requiritus, ſola virium imbecillitate & ſenio refragante recuſavi.

Fuit & his ſimilis abſceſſus, quem in cervice duodeviginti jam annos non ſine dolore, ac diſtentione generaverat Joan. Antonius Badius Romanus à nobis etiam ſectione, & medicamentis cathæreticis curatus.

Evidentiſſimus autem inter omnes ejuſmodi fuit abſceſſus, quem Pancratius Moſtarolus Turracuſienſis intempeſtæ, ut retulit, atque improbę exercitationis homo ſecundum ſupremum fæmur lente jam duos annos in magnam molem accretum expertus eſt, autorem aboliri ferè motus nullis aut internis aut externis valentiſſimis medicamentis excuſſum, neque emotum, itaque vel multis cruſtis retorridi ferramenti, vel de lectis in loco pyroticis curandum equidem ſenſeram, ſi tantum moleſtiarum admiſiſſet hic homo.

Proceſſit experimentum & in vetulo Agaſone, qui in extrema nate protuberantem ejuſmodi abſceſſum nobis in valetudinario curandum obtulit profunda carnis, quam dixi, farctura obſitum.

His addo Stephanum Terracianum juvenem ruſticum cui fœdum abſceſſum habenti ſub aure, & inferiore maxilla multis ejus materię carnoſę factis exciſionibus multo cum labore ulcus obduxi.

Denique in aliis multis hoc experiri licuit, ęgrotantibus. inquam, noſocomii, quas noſtras chirurgias, & animo intrepido factitatas, & eventu ſemper felices admirati ſunt adſtantes omnes, & medici, qui curioſe venerant ſpectaturi.

Compertum mihi curanti Michaëlem Mataxam Samnitem, atque alios multoties in ſpeciem ſteatomatis videri tubercula; quæ concremento ſunt carneo naturali venulis nutrita & arteriis fota.

In extrema penis glande, qua meatus eſt, tuberculum carneum, ſeu ſarcoma nucis avellanæ magnitudine ac formâ, cum depravato mictu, ac ſine dolore habuit puer quadrimus Holæ cum eo vitio natus, cui lotium quodam forulo deſcendebat, ſic ut ſe ipſum comminger et urinam reddens.

Coryli fructus magnitudine & formâ turberculum curavi, filio quinquenni Alexandri Caractæ, itemque Benedicto Arvino Liceii Fractenſis puero 12. annorum, qui ſic conſtans animo fuit, ut accenſum fomite peſſulnm ipſe ſibi ſpiritu inſufflato excitaret, dignus qui hic cum laude commemoretur puer, non ut alii indigni virilitare, qui vel auditu hoc remedii genus exhorrent.

Dura ani tubercula innominatè tradit Petrus Argelata l. 2. tr. 2. c. 3. quæ ad ani verticillum per nos propoſitum licebit referre.

Sunt & qui carnem, ſeu carnoſam quandam ſubſtantiam præ ſe ferunt abſceſſus, quos credo cyſticos; ſchemate oblongo, toroſo, muſculi formi ſeu Lacerti formi, concolores ſunt & membra amantes ſolida, pulpoſa, fluctuantem intimè humorem referunt, ſupinæ manus digitis alternæ nunc compreſſis, nunc ſublatis, nunquam etiam ad longa tempora extenuata cute.

Talia in femore coxave infima tum interna parte tum externa, quandoque etiam ſub poplite concrementa hujuſmodi vidi plurima, in Illuſtri Viro D. Alexandro Carmiliano viro Patricio Neapolitano. In Doctore Medico Joanne Baptiſta Benenicaſa, in quo viro per decocta ſarſæparellæ perque cibi ac potus parcitatem compreſſus tumor creditus eſt abiiſſe diſcuſſu. Verum non longo poſt tempore recurrit folliculi ſubſiſtentis fortaſſe vitio. Curatus autem à nobis in integrum fuit ejuſmodi abſceſſus in ſodali Antonia de Siano Janitrice vetula Parthenophylacii Spiritus S. Neapoli. Apertus autem ſcalpro candente, pultem albam aut gypſum dilutum referentem emiſit, eſt & cum ſub poplite ſe abdit hæc materia, verum ſub hiſce cavitatibus aut alarum hic excreſcit tumor, ut immanis exiſtat nec ita facilè etiam per doctas manus curetur.

Poſſem & alias hujus ordinis producere narrationes: ſed his quidem non ita paucis poſſumus etiam contenti eſſe.

Cap. 3. *De abſceſſibus muccocarneis myxoſarcomatis græcè.*

Sunt & tumores quidam abſceſſuſve, quos ſecundum communem omnium normam ignores profecto ad quam ipſorum differentiam, ſpeciem referas, nam neque exacti judicii eſt ad œdemata referre formam hanc abſceſſuum, qui partim interne carnei, partim interne mucidi ſunt, id eſt, ex mucoſa pituita concreti; quæ referant execta limonia corticoſa medullam acidam interne conditam offerentia. Hinc μυξοσαρκώδεις, id eſt, mucocarneos placuit appellare. Ex quo ordine facio myxoſarcoma præputii trium librarum pondo æſtimatum, quod quia tam magno pondere ſumen teſteſque pertraheret, ad taloſque dejiceret manu duplici ſex annos circumferendum & continendum fuit Joanni Olivæ Neapolitano homini quadrageſimum circiter annum nato, cui perpetuo languenti, atque opem utcumque ſucceſſuram in valetudinario cum precibus, & ejulatu petenti (exulceratum enim infra; ſupraque tuber punctorios graveſque dolores inferebat) commiſeratus ego feliciter annuente Deo, tum ſcalpro, tum igne ſuccurri, cauda duos digitos latos à pube relicta. Cujus jam præciſæ molis inquirentes nos materiam, ex qua conflata fuerat, & qua reſectura fuit, & altis aliis cultriſciſſuris: apparuit mucida concreta ſpecies, quæ denſata obdurataque foriſecus ſcirrhi formam exhibeat. Monſtroſam molem, & ſervatum noſtra curatione hominem viderunt eruditiſſimi noſtræ urbis medici Marius Schipanus, Stephanus Rinaldus, Joannes Dominicus, Malliochus Donatus Douna, Antoninus Tardinus, Gregorius Scalfatus, Joſephus Chiricus, atque alii valetudinarii noſtri medici, tum phyſici, tum chirurgi ſæpe hoc opere nominati.

Hoc quidem exemplum ſingulare & admirandum eſto myxoſarcomatis præputii: cæterum eorum, quæ in noſtro Incurabilinm noſocomio ſyphiliis hominibus, frequentiſſime curamus; infinitus prope numerus eſt, quæ tædioſum eſſet referri.

Reſpondet autem his & myxoſarcoma alarum vulvæ, quale unum mox referam. Scorticulo propendebat in labio pudendi majoris pineæ magnitudine tuber carneum baſi minore, quam extremo altero pendulum, quod ex parvo jam annum affatim extumuerat. Fœmina etſi trepidans, tamen partim metu majoris incrementi, partim moleſtia oneris jam præſentis, urgebat me precibus ad demolitionem. Conſtrictum vinculo die uno, ac tantum non ſtupefactum poſtridie reſecui, cute in ambitu craſſiſſima plus unius digiti latitudine; interne concrementum mucoris, aut viſci modo pallidum, licet non admodum multum.

Jam verò diſcis nunc, conſimilibus viri, fœminæque partibus pudendis, eundem ad unguem affectum advenire: ut veram jam cognoſcas anatomicorum opinionem, qui cenſuere, præputii virilis modo uſuque pari vulvæ fœminarum eſſe alas. Ex hoc item genere ponere licet, & ſarcocelen, quam Paulus Ægineta ſcindentibus ferramentis expurgat lib. 6. c. 63. nec non inflationem carneam, & phlegmaticam, quæ à multis chiragra dicitur, adnotante Guidone in tract. 2. doct. 2. cap. 4. Hanc obſervatione mea potiſſimè fœminæ patiuntur: quarum in Parthenophilacio Spiritus ſancti Virgines aluntur duæ: in valetudinario verò

vero incurrabilium muliebri vivunt & aliæ, quas habitu corporis pallentes omnes viſcera, credo delinquentia reddunt inſanabiles.

Sed & articulos genuum præſertim ſubmucido abſceſſu elatos perſæpe vidimus nos, qui cultriformibus ſcalpellis aperiendos judicavimus, ubi per diſtentiones acerbiſſimi cruciatus ſuaſere, ac prope coegere; nam & levamento remedii genus fuit, & à vitio ſubjectas partes vindicavit puris evocatione.

Cap. 4. *De quaſſabili quodam, & utriformi cruris abſceſſu.*

Jo. Baptiſtæ Vallo Sacerdoti Presbytero Panormitæ LX. circiter annū nato crali ad ſanguinea vergente, ſed aliquantulum exuſta, coloris propterea vividioris, & craſſioris habitus, quadratique corporis homini, ad crus aliquando concitata fluxione frequentiore ſuccrevit œdema vaſtum & ſupra modum laxum; in quod pituitæ mucidę confluxu illuvies talis; ut utrem olei vulgarem fluctuatu, forma, & magnitudine à genu ad ſuperiorem pedem, & ad malleolum uſque deſcendente referret; niſi, quod tactu calloſa quædam extrema faciē durities plurima ſui parte pertentabatur; cætera namque mollior, ac tenuior cutis erat. Homini tumor omnis tantum indolens, quantum oneroſus & ingreſſu ſtatuque gravis. Id vitii, quo nomine deſignandum, aut in quo tumorum genere reponendum, pronunciatu facile non eſt. Enimvero œdema haud plane apparet exacte rem expendentibus: & quaſſabilis enim affectus & callea durities, & ſuffuſi humorum ſenſus & nulla poſt impreſſos digitos fovea conſequens, diſſuadent. Nonnulli fuerunt, quibus Arabum elephantia videretur: ſed ſuffuſus humor, & par ita mollities cum blando ac minime tuberoſo, neque aſpero habitu, qui cum elephantia conjunguntur: diverſum ab hoc pane vitium oſtendunt. Nobis igitur placet affectum eſſe, cujus veteres non meminêre, fierique, ut umbilici ſcrotive hydroſarca, aut hydropneumoſarca, & hoc genus. Porro laxata cute corporis, aut alia parte qualibet; quid vetat ad hanc ſeroſum humorem ſpiritumque in corpore redundantem, ſub cavitatem quidem confluere; in parte vero ſolida craſſiorem ſuccum carnis oſtracoſæ ſpecie concreſcere? itaque vocatum à nobis eſt hoc genus œdemoſarca cruris privatum, non aliter, quam cancrum elephantiaſin particulæ peculiarem dictitare medici conſueverunt. Huic viro, tametſi ſæpiſſime flagitaſſet, ut periculoſa quantumvis curatio exercetur, hanc tamen in homine vetulo experiri cavimus. Id quod licuit, ſetaceum ad inguen ejuſdem lateris oblique transfiximus, & poſt longum ſarſæparillæ uſum ad Ænariani litoris medicatas arenas, quibus crus totum obrueret, ſuo tempore confugiendum ſibi diximus.

Hominem viderunt, & tractaverunt Horatius Carbunctus Chirurgus Apulus peritus, Johannes Baptiſta Ferrarius Regianenſis, Alexius Alonia Caſtelvetranus medici, qui me chirurgias adminiſtrantem ſæpe viſere conſueverunt, rerum novarum ſtudioſiſſimi.

Cap. 5. *De abſceſſibus adenoſis & aliis reconditis.*

Vidimus ſæpe per artus, thorace anteriore, poſteriore, ſubq; alas, & inguina prorumpentia quaſi tubercula glandulas extare uno eodemque loco confertas, quæ in viſcerum impuriorum, atque habitus corrupti hominibus ac pueris limoſi pituitoſique ſanguinis ſunt ſoboles, crudæ, duræ, atque omnino diſcuſſu contumaces: Hujuſmodi tubercula equidem plus ſexaginta univerſo corpore diſperſas vidi in noſtri valetudinarii vetulo gracilioris habitus homine, qui longinquis ab oris venerat curandus. Quod autem maxime admirabile ſuper cætera viſum eſt, extabant tubercula quam plurima circa loca, quæ glandularum ſunt prorſus expertia. Itaque venit in mentem illud Aetii, qui Tetrabl. 4. cap. 5. quod eſt de ſtrumis, profeſſus eſt, ex integro naſci plerumque candidas, & rubras carunculas in corpore, ſed ſatius erit aliqua prius attingere de ſtrumis.

De ſtrumarum natura, generatione, materia, loco, & adnexis corporibus multæ ac variæ fuerunt auctorum ſententiæ. Itaque perplexos nos tenent controverſiæ; neque enim cum Galeno maxime credamus, cum nec eundem ſemper in hac re ſequi certo poſſimus: cujus tamen doctrinam principio proponemus, ut hæc conferri cum aliis ritè queat. Is lib. 14. meth. med. cap. 15. & l. de tumoribus c. 18. & pleriſque aliis in locis tradidit ſtrumam eſſe tumorem obduratum veluti ſcirrhum in glandula ex accreto humore frigido, qui vel pituita vehementer exiccata, vel humor melancholicus eſt, ut 13. meth. c. 5. at in lib. definitionum medicarum, ſi modo is author fuit, declaravit; quod ſtruma ſit caro ſicca, quæ difficulter ſolvatur.

Celſus vero dixit eſſe tumorem, in quo ſubter concretæ quædam ex pure, & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur. Aetius verò ex Leonida libr. 15. cap. 5. voluit ſtrumas eſſe carnes & ſubcandidas facile augeſcentes in membrana contentas, & in ſumma glandula obduratas quæ in collo, ſub alis, atque inguibus oriuntur, ubi glandulæ vaſis ſubſtratæ ſunt, aliquando etiam, ſed tamen raro ex carne eorundem locorum fiunt, quæ affinitate quadam ad ſtrumarum naturam vertitur, & materiæ acceſſione augetur. Paulus vero lib. 6. cap. 35. omnes ſuis membranis includi voluit, ut ſteatomata, atheromata, melicerides. Poſt hos Guido Cauliacus ſtrumas, & glandulas longe diverſas fecit, dicens glandulas eſſe mobiles, ſtrumas vero immobiles, cum tamen nullus ex veteribus diſcrimen hoc inter illas ſtatuerit; ſi recte cunctos obſervavi.

Sic apparet omnes iſtos auctores adinvicem diſſentire, quos tamen magno ſtudio multi ex poſterioribus voluerunt conciliare: quam rem tamen neutiquam fecerunt: utpote quod diverſam vere ſententiam illi priores habuerunt, vanum autem ſtudium eſt, aliud atque aliud intelligentes velle conciliare. Ego enim ſic ſentio variam eſſe ſtrumarum naturam, ſive ſecundum accidentales ſui rationes, quas ſingulas nominati autores deſcripsêre. Quam rem cum monſtravero, ſic demum finis fiet tot quæſtionibus, & ambiguitatibus, quot ad hunc uſque diem viguere. Primus enim nobis contigit Dei favore, ut rem hanc adverteremus; contra quam Manardus, Philippus Ingraſſias, Fallopius, & Hieronymus Fabritius Celſi omnes interpretes credidêre. Sed nihilominus videamus, quæ & qualia recentiores pro componendis iſtis auctorum diſſidiis protulerint.

Primum igitur diſſentientes ſunt Galen. & Celſus in aſſignanda ſtrumarum natura: Galenus quidem frigidum hunc facit affectum ita, ut ſit inſuppurabilis, ut qui, vel à pituita nimium exiccata, vel ab atrabilario ſucco naſcitur; in ſumma aut ſcirrhum facit, ut 7. aphoriſm. 8. aut ſcirrhoſum affectum, duriſſimum ſcilicet, & inexpugnabilem, quod factum eſt, ut aliqui inter quos Manardus eſt, dixerint ſtrumas dictas eſſe græcis chœrades à lapillis, qui maris tranquilli fundo apparent, globoſis, & lenibus, magnitudine parva. Neque mireris tamen ab Hippocrate libr. de glandulis has ipſas tangenti velut lanas eſſe poſitas: comparatio namque non eſt ad mollitudinem, ſed ad globos lanarum, qui oblongi ſunt, coacti, preſſiores ac duriores πιλήματα græcis. Ita equidem Hippocratem interpretor, ut nulla jam reſtet apud ipſum difficultas.

Phlegmonæ igitur ſtrumæ non ſunt, ut recte etiam colligit Philippus Ingraſſias, neque facile ſuppurantur. Celſus

Celſus verò cum credidit ſtrumam eſſe concrementum puris, & ſanguinis in glandulæ modum conglobatum, hic rectè ſignificat ſtrumam eſſe calidiorem affectum, & quandoque matureſcentem, licet non facile. Addidit præterea, quod febres movet halitu nimirum ſaniolæ materiæ quoquo pacto ferveſcentis. Galenum igitur, & Cornelium nititur conciliare Philippus, diciteque Celſi ſermonem non eſſe tam amplum, ut comprehendat omne ſtrumarum genus, ſed tantum aliquas, quæ matureſcunt, ſanguinem in ſe ipſis, & pus habentes. Itaque de quadam ſpecie ſtrumarum diſſeruiſſe Cornelium vult hic homo. Quæ opinio ſi admittatur neceſſe eſt, imperfectam, & diminutam eſſe Celſi doctrinam, qui de omni ſtrumarum natura tradere omittens, de una tantum ſpecie ſermonem fecit: quæ res cum indigna bono ſcriptore ſit, minime probabilis videtur mihi Philippi interpretatio.

Deinde diſcrepat Aëtius à Galeno, qui ſtrumas dixit eſſe carnes ſubcandidas facile augeſcentes, & in membrana contentas, quorum omnium nullum Galenus attigit dicens, ſtrumam eſſe ſcirrhum in glandula, ſive glandulam obduratam. Certe cum Aetio convenit auctor definitionum medicarum, qui dixit; ſtruma eſt caro ſicca, quæ difficulter ſolvitur. Convenit etiam in genere definiti, neque non conſentit cum Aetio Paulus in eo, quod dicunt ambo contineri ſtrumas membranis. Ad hæc igitur dicit Philippus neglectam hanc differentiam Galeno, atque addit, hunc ipſum etiam libro de morborum differentiis, cap. 9. in fine poſuiſſe ſtrumas morbum in genere auctæ magnitudinis, auctis præter naturam teſtibus, linguâ, mammis, atque oculorum angulis æquiparans. Sed neque hæc Philippi reſponſio ſatisfacit, dicentis, Galenum neglexiſſe differentias, qui exactus & profuſus eſt in omnibus: itemque aſſimilaſſe ſtrumas auctis præter naturam carnibus linguæ, mammarum, oculi angulorum, & teſtium, non eſt ſtrumas in carnibus poſuiſſe: ſed ſi probe Galenum legeris, neque hæc ejus eſt ſententia; quod ſtrumam mammarum, teſtium, oculorum fecerit: ſed longe ſemotus à ſtrumis eſt Galeni ſermo.

Quod autem ad illud, quod propoſuere Paulus, & Aetius affirmantes ſtrumas omnes membranis contineri quemadmodum atheromata, ſteatomata, & melicerides. Hunc nodum porrò Philippus non ſolvit, quare digladiantur inter ſe bonorum auctorum ſententiæ. Quas nos inimicitias ſi non patiamur; quid excogitamus ad componendas eaſdem? nimirum ſi concedis hæc, quæ ſequuntur theoremata.

Puto equidem plane diverſa eſſe ſtrumarum genera, quæ & Cornelius, & Galenus propoſuere nobis; quæ tamen utraque conſtant pro his, quę ſui auctores voluere. Porro Galeni ſtrumæ de genere ſunt ſcirrhi, ſive hic quidem tumor ſubjectam habeat glaſteam pituitam, ſive etiam melancholicum humorem, ſive ſimplicem, ſive atrabilarium: qui communiter humores attribuuntur ſcirrho in via Galeni, quique humores apprehendunt, incurruntque glandulas, ſive his attrahentibus aliunde, ſive ab aliis tranſmiſſas recipientibus; dummodo tamen ſint ipſæ glandulæ quæ recipiant, non glanduloſa corpora, ut teſtes, mammæ, lingua, & oculorum anguli: quibus non accidere ſtrumas putavit Galenus lib. de morb. differentiis cap. 9. ſicut opinatus eſt Ingraſſias; ſed ſimilitudine quadam hoc modo dictarum partium tumores ſtrumis æquiparavit.

Contraria porro ſunt in definitione Cornelii, in qua poſitum eſt non glandulas eſſe ſtrumas, ſed quaſi glandulas, id eſt, glanduloſa potius corpora, aut cava loca, quæ vaſis ſubſternuntur uti glandulæ: atque ad loca cava facile deductis humoribus tum frigidis, tum calidis fit in particula cumulus, ac tumor; cujus materia poſtmodum computreſcens, ſanguinem & ſaniem repręſentat: ſive cum aliquando matureſcens longo poſt tempore per acrimoniam humoris aperitur, ſive cum medicamento, & artificis manu diſrumpitur. Hujuſmodi profecto ſtrumæ difficultate ſua medicos fatigant: atque his non benè præſcindentibus vitioſas radices, cum coalitæ aliquando fuerint, rurſus juxta cicatrices reſurgant, & novam curationem expoſtulant. Nihilominus cum febres moveant, & licet cum difficultate matureſcant, fit, ut non ita rebelles, neque ita contumaces ſint, ut alteræ Galeni; tum ſi ad cauſſam reſpexeris, quę in toto corpore ſubeſt; tum ſi ad morbum. Naſcuntur quippe in cervice, atque etiam in alis & inguinibus; in lateribus & in mammis fœminarum, ut etiam adverterunt pręter ipſum Celſum chirurgici, quæ loca omnia præter unam cervicem non addidit Galenus; ſed tantum Paulus. Addidit, inquam, Paulus, ſi quidem ex aliqua parte cum Celſo conſentit, ut dicemus poſtmodum.

Benè autem addiderunt utrique in lateribus & adjacentibus locis, quia experientia comprobatum eſt, omnes propè artus capaces eſſe ſtrumarum, ubi cava ſcilicet loca ſunt, & vaſis conferta, ita & nos etiam ſæpiſſime obſervavimus multas, tum in viris, tum in fœminis: quæ tamen una potiuntur obſervatione maxima quod principio ſunt concolores carni proximæ; vix attolluntur, & tactæ dolent; mox vero, ut dicit Aetius, accreſcunt, & rubrę fiunt, abunde longiores, quam rotundæ, ut glandem referant, ob id fortaſſe, quaſi glandulas refert Celſus, & longo, ut ipſe inquit, ſpatio detinent ægrotantes.

Ab his quippe non admodum differunt ſtrumæ ab Aetio deſcriptæ, niſi quod membranarum non meminit Cornelius. Et certe mirum eſt, quod & Aetius, & Paulus munitas membranis ſtrumas requirunt, ſed dicam ego ſuper hac re ſententiam meam. Magis autem mirum eſt, quod Paulus velit eſſe membranas, quemadmodum ſteatomatis, atheromatis, & melicetidis Porro ſunt membranæ nil aliud niſi ſumma ſuperficies obdurata ſtrumarum; quæ cum tenuiſſima ſit, non ita facile à medicis præcipuè imprudentibus obſervatur, tu verò ſi dextere aut manu uteris, aut oculo; ſi minus id non potes in exteriori ſtrumæ corpore membranam advertere; luculentius hanc deprehendes in pediculo, quem vulgares fœminæ ſolent vocare radicem. Hæc autem non niſi difficillimo negotio ſolet extirpari.

Hujus quidem Celſus non meminit expreſſis verbis, ſed ſignificavit hanc nobis per illud, quod addidit plerumque iterum juxta cicatrices ipſas reſurgere. id quod recte fit propter reſiduas fibras, quæ negligenter fuerunt à principio reſectæ, enim vero Celſus hanc habuit opinionem; ſtrumarum genera eſſe duo; corpus apprehendentium profundæ, & ſuperficiariæ; ſicut divinè ſcripſit Paulus in hoc loco apertis verbis: profundiores quidem maligniores ſunt; ſuperficiariæ vero benignæ, de his credo locutum noſtrum Cornelium; qua diſtinctione poſita concordat etiam Guido cum omnibus.

Unus nunc reſtat ſcrupulus, vel una difficultas; quam à principio ſignificavi; quid cauſæ ſit, quod Celſus unius ſpeciei ſtrumarum meminerit. Ad quod quæſitum reſpondetur, id fortaſſe factum, quod ſuo tempore alioquin vitæ frugalioris non obſervabantur aliæ ſtrumæ, ex craſſioribus genitæ: ſubſequente verò ætate corruptione rerum etiam atque etiam potuêre comperiri.

Alteram difficultatem exhibet Theodorus Priſcianus libr. primo ad Timotheum cap. 9 qui inquit; ſin vero magno phlegmate ſupervenienti ſolvi non potuerit fu-

runculus, vel parotis, ſed calloſitate permanente chæradas fecerit. Porro dicit hic vir fieri ſtrumas ſuccedentes ad furunculum, vel parotidem calloſiores, & duriores factas: Novum hoc & à nemine unquam productum aut effatum: tamen in promptu dicimus ſtrumas hic dici impropriè, quod vel calloſum ulcus, vel fiſtula aptius diceretur.

Hactenus de perplexa diſſidiis ſtrumarum diſcuſſione. Cæterum id, quod maxime inſtitueram obſervationem nobilem non te celabo, quæ eſt; Comperta ſępe nobis, quæ primus Aetius poſuit, concrementa ex carnibus eorundem locorum; quæ affinitate quadam ad ſtrumaram naturam accedunt, & materiæ acceſſione augentur. Inter cæteros autem id vidimus in Matthæo Riſtayno, quem illuſtris vir Vincentius Strambonus Dux Salſenſium curandum commendaverat in latere abſceſſum diu paſſum, ex qua re diſcis etiam, quod in lateribus veraci Cornelii teſtimonio ſtrumæ oriantur.

Tandem & inter reconditæ naturæ abſceſſus illud erit annotandum, tubercula quædam planiora, quæ nulli planè viſa fuiſſent ſanie vel pure fœda, hæc eadem aperta per me pyrotico medicamento prodierunt pure fœdata, tum, inquam, in Doctore Bartholomæo Lombardo auditore meo, ſub maxilla inferiore, tum in famulo meo, cui nomen Angelo Aitoro è Mirabellæ oppido ſub ala. Retulit autē utrumq; glanduloſum abſceſſum & fortaſſe phygethlon propterea, quod perdolens natura compertum eſt utrumque. Item in R. P. Paulo Samblaſio Jeſuita, qui abſceſſum adeo ſub collo veſicæ reconditum fovit, ut mirum ſit, eundem me divinaſſe, nam divinatio fermè fuit, impoſuiſſe ignem fomitis & recluſum abſterſiſſe, & curaſſe perfoſſum ad vacuitatem locum, & ferramento candente, quo demum eſt mirabiliter obductum ulcus.

Dicam in hanc rem ſimile ex ictu colliſuque rei gravis & obtuſæ productus abſceſſus in ſuperioribus thoracis coſtis, qui nihil apparens, ſed conjectura probatus à me candente cautere adapertus penetrans in vacuitatem repertus eſt; adeo prudenter Hipp. l. de articulis colliſas coſtas principio voluit inurendas, ne provocato per novum lentorem vitio contererentur coſtæ & malum gravius accerſeretur. Aliud adenoſorum tuberum genus eſt, quod inexcuſſum jure merito vocabimus, quod cum parti cuipiam adhæſerit ſemel, nulli medicaminum vel valentiſſimorum generi diſcuſſile ſeſe exhibet, nec etiam annorum longinquitate, ſiquidem ad annos 20. atque amplius ſtabiles & firmos hujuſmodi vidi abſceſſus. Illud autem cum in pleriſque multis obſervârim & quod in memetipſo ſenſi, teſtificabor, cùm ab una capitis lotura per æſtatem obortus ala ſub ſiniſtra fuiſſet adenoſum ovo gallinæ par tuber, hoc ad 25. annos adhuc fero, quanquam verè non eadem mole, ſed ſub vigecuplo minor, principio quidem perdolens, ab uno verò menſe, nullo dolore moleſtus.

Puellæ 11. annos natæ filiæ Marchionis Orioli nomine Iſabellæ Siriſali ſectione atque uſtione multiplici curatum atheroma, cujus vitium interiora thoracis tantùm non penetraverat, à quibuſdam urbis noſtræ medicis famatiſſimis pro ſimplici abſceſſu habitum & unguentis liparis tractatum, quod ipſum tamen noſtris pyroticis quàm acerrimis principio inculcatis nec aliquâ parte ceſſerat, nec fuerat quicquam emotum, quas ob res ad extrema tandem devenire oportuit collegâ Franciſco Moſcha medico peritiſſimo atque aliis conſentientibus multis, quæ cùm prædixerim cogor nunc reliquam abſceſſus productionem attexere; Paſſa jam fuerat nobilis puella ſeptimeſtris noſtræ curationis tędia, cùm jam immuni ac liberæ, ut videbatur, ſubrepit dexterum in brachium eryſipelas, ad quod incurſionis genus prævertendum, fuerat in ſiniſtro fonticulus excavatus primordio, verùm, ut dixi, fruſtrâ. Adeò ſc. memorabili exemplo prævalet aſſuetudo fluxionis huic noſtræ medicorum providentiæ: adeoque etiam fonticuli revulſorii plerunque vana eſt proviſio.

Cap. 6. *De bronchocele.*

Bronchocele teſte Joanne Langio l. 1. epiſt. 1. 43. tumor eſt pendulus circa guttur à bocii ventroſi poculi ſimilitudine bocium appellatum inter cutem, & aſperam arteriam auctore Celſo increſcit, in quo modo caro pituitoſa, modo humor aliquis melli, adipi, aut pulti ſimilis membranula includitur, interdum etiam pili minutulis oſſibus mixti reperiuntur diuturno (quod l. 3. epiſt. 4. addidit) alteratione, ac putrefactione, nam lignum quercinum ſub terra defoſſum mutatum in cotem lapideam hiſce manibus erui. Alterationem autem explicavit Martinus Acakia in lib. 2. artis curativæ ad Glauc. Pro humoris, tum calore, tum concretione, & caloris magnitudine, temporiſque ſpatio aliæ atque aliæ formæ in aliis & diverſis abſceſſibus fiunt, nempe duræ, molles, liquidæ, nigræ, rubræ, flavæ, albæ. Craſſam enim materiam in duritiem temporis proceſſu cogit calor vehemens, quæ ſi nigra ſit, carbonis ſpeciem repræſentabit. Mediocrem vero calor mediocris in pus mutabit, liquidam digeret; Hæc quidem communi nominum ſententia Bronchoceles eſt materia: Verum ego, quæ compererim in reſectis compluribus defunctorum bronchocelis referam.

Anno Chriſti 1625. Julio E ſecta bronchocele cadaveris educta ſtruma libræ unius pondo, quæ ſic adſtricta gutturis venis, ut nimirum fuerit quomodo avulſa. Tempora huic nomini preſſa atque invicem adducta ſit, ut confirmaret aperte judicium phyſiognomonum noſtrorum, qui temporum anguſtiam naturalem ſtrumarum effectricem ponunt.

Anno 1626. Februario Bronchoceles in homine opifice inauratore anteriorem totam colli partem, quam δειρὴν græci vocant, apprehenderat, alto plus quatuor digitos tumore: qui aneuriſma exiſtimatus eſt à compluribus propterea, quod ſub eo vivente homine perſentiretur pulſatio non exilis. Nihilominus id equidem retuli ad jugulares arterias, quarum ex ſuimet compreſſione neceſſarius erat ſenſus. Reperta eſt cyſtis ſanguineæ prope membranæ, quæ amplo veluti ſacco ab externa facie ad uſque trachæam arteriam ab ea compreſſam extendebatur. Intus laminulæ veluti ſanguinea concrementa, & carnes pulmonis atrioris ſubſtantiam referentes univerſam loci amplitudinem complebant, niſi quod ſuperne concretus humor flavidior, gelatinam vulgarem propemodum referens, exiſtebat. Diſces nunc uno noſtro parergo corollarium, quod eſt. Non injuria quidem magiſtro inauratori productum iſtiuſmodi vitium: quod genus opificum Joannes Langius judicio mire ſubjectum eſt bronchocelis viroſo argenti vivi contagio.

At bronchocelæ, quæ multifidæ ſunt, glandulas continent prærubras, & præduras: Tales enim viſæ in puella Parthenophilacii D. Mariæ viſitantis pauperes per nos ſecta in domo ejuſdem templi. Anno 1625. ſpectante Andrea Sgambato viro digno, qui centum annos vixiſſet.

De frigidis abſceſſibus plura quidem eſſent inferenda, ſed cùm nemo celebrius Petro Argelatâ Chirurg. ſuò opere l. 1. tract. 2. de hac materia & ſimul de coſtarum frigidis abſceſſibus ſcripſerit tanto libentius, quòd medici noſtrates, hos non cognoſcentes, eoſdem credant eſſe calidos, benevolum lectorem eò remittere voluimus, qui tibi abundè ſatisfaciet.

Cap. 7. *De abſceſſibus ſanguifluis, ſive aneuriſmate.*

Abſceſſus nos ſanguifluos vocavimus, qui ex multo effuſo in ſinum aliquem ſanguine, ſeu ſimplici & ſolo, ſeu cum aliis humoribus ſuperfluitatibuſve & ſolidarum partium fibris permixto conſlantur. Ex hoc genere facile per noſtros omnes aneuryſma eſt, de quo primum dicam: mox enim non præter hunc ſint & alii abſceſſus ſanguiflui diſputabo. Quod ad aneuryſma pertinet, facit vocabuli obſcuritas, ut ab ipſius declaratione ducendum ſit initium. Aneuryſma (vox) ab unis græcis recte propoſitum

ſitum, ab Arabibus noſtris auctoribus, & hujus factionis amicis dictum . eſt Emboriſma, Aphoriſma, Hyporiſma, & aliis hujuſmodi corruptis ſemper vocabulis: è latinis quidem primus eorum, quos equidem legi, Hieronymus Montuus enervationem tranſtulit ab α) privativa particula, & τοῦ νευροῦ, quod quidem etymon non probatur, tum prꝫterquam, quod neſciveris, quo referatur, cum ſpecie differant nervus, qui ſedes non eſt affectus, & arteria, quꝫ ſedes eſt affectus.] Ego igitur credo dici, aneuryſma ἀπὸ τοῦ εὐρύνειν, quod eſt exilire effluereque. Quanquam de nominibus curioſos nos eſſe diſquiſitores non debere monuit Galenus l. 6. meth. med. c. 1. & aliis in locis quamplurimis. Quapropter, quæ natura ſit rei, brevi præſtat inquiri. Circa quam rem ita magna fuit ſcriptorum diſſentio, ut etiam de genere controverſia fuerit: aliis volentibus affectum hunc eſſe à cauſa externa, id eſt, ab ictu violante ſcindenteque arterias; aliis referentibus humorum irruptioni, quæ producat aut inchoatam ſolutionem, aut tumorem aut abſceſſum; aliis verò non diſcretis cauſis utriſque dicentibus dilatatam arteriam citra effuſionem ſui ſanguinis: aliis verò cum effuſione extra vaſculum. Et qui ſanguinis effuſionem credidere tum tranſcolationem arguerunt, quæ ſine ſolutione eſt, tum cum ſolutione, vel ex perruptu abſoluto, vel ex diviſione vel apertione. Hi modi ſunt omnes quibus aneuryſma creari dixêre priores. Diſputatum à pleriſque eſt, & à Joan. Baptiſta Sylvatico præſertim diligentiſſimo ejus rei ſcriptore, quæ vera & propria ſit ex his cunctis aneuryſmatis ſpecies & eſſentia, ego ejus diſquiſitionis non ſumo laborem, præſertim in hoc libro, cujus mihi cancellos peranguſtos poſui. Inſtituto meo ſatis eſt, quod ex effuſo extra vaſculum ſanguine poſſit aneuryſma eſſe, quod ſane verum eſt adeo, ut inter plurimas hanc maxime ſententiam fuerit amplexus tum ipſe Sylvaticus, à quo definitum aneuryſma eſt tumor à ſanguine calidiſſimo tenui vaporoſoque ex arteria ſub cutem effuſo productus: tum Fælix Platerus in tom. 3. prax. med. qua de cauſis vitiorum ab exuberantia, qui frequentiſſime naſcens ex effuſione ſanguinis aneuryſma confirmavit his argumentis. Primo quod extra cutem ſinum ſibi formaret effuſus ſanguis: quæ quidem effuſio facile fit, quia arteriarum oſcula deſinunt in cutem. Deinde tumor aneuryſmatis rotundus eſt ſemper, non autem teres, & oblongus, teres autem alioqui deberet eſſe perpetuo: ſiquidem à dilatatione, non ab effluxu eſſet. Tertio ex vaſculi dilatatione non humoris effuſione profectum aneuryſma non continuo profluvia ſanguinis infrenabilia promeret: atqui promit: indicium ſcilicet in promptu ſtagnantis ſanguinis. Quod ſi videtur difficilè, ut extra ſuum, qui conſervabat, locum, effuſus ſanguis non corrumpatur: huic ambiguitati & Sylvaticus in eodem tractatu de aneuryſmate ſatisfecit & nos etiam occurremus brevius etiam, & in rem noſtram accommodatius; quod corrumpitur quidem ſanguis affatim in aliqua cavitate collectus: atque hæc fuit mens Hippocratis lib. prognoſt. com. 4. lib. 6. apho. 20. at in ſanguifluis nos ſanguinem, ſeu communiter dictum, ſevichoroden ac dilutum ſtatuimus diſperſum, & cum fibris partium aliquo pacto conglutinatum; ingenio, ac vi naturæ, quæ, ſicut in anomalis explicavimus, unumquodque ſuperfluum potiſſimè, cum aliqua parte utile eſt: perpetuo reducit in meliorem quamcumque valet formam, modo ne corrumpatur. Diſperſi autem ſanguinis & veluti per grumos conglutinati, nec non univerſum in hoc affectu prævalentis ipſius indicia ſunt; nulla in tumore fluctuatio, concolor atque ad rubrum vergens habitus exterior cutis, cumque dolore gravante venæ, & cætera.

His ſic ante propoſitis illud contendo, quod ſi ex arterioſo ſanguine fieri ejuſmodi abſceſſus doctorum omnium hominum opinione firmatum eſt; itemque ex ſanguine fieri poteſt, nam quemadmodum ex arteriarum tubulis ſuus educi ſanguis poteſt: ita etiam è venis ſuus. Quod ſi tenuiorem arterialem ſanguinis dicis, qui facile foras erumpere valeat; ego contra duplicem & ferme cartilagineam vaſorum iſtorum fabricationem allegabo. Deinde ſi arteriis perpetuus eſt motus, ex adverſo venis, & laxitas, & poroſitas eſt.

Prꝫterea anne legiſti, quæ de ſupervomitu venarum Hippoc. prodidit l. 2. de morb. num. 1. Audi autem, quæ Petrus Salius ad id loci interpretatus eſt. Sanguis, ſi qualitate & admixtione pravorum ſuccorum; vel quantitate copioſior, quam ſit ex naturæ præſcripto peccaverit: vix amplius in venis coercetur à natura, imo ſæpius irritatione facta, earum aut adapertis oſculis, aut rarefactis tunicis, ad diverſas corporis partes effunditur, in qua effuſione vel intra membrorum poroſitates, vel in ampla quædam, quæ inter ipſa ſunt, ſpatia, recipitur; ex quo diverſa, vel tumorum, ſi in poroſitates, vel abſceſſuum, ſi in cavitates receptus fuerit, genera oriuntur.

Hunc effuſionis modum, per quem ſanguis è venis erumpens non in poroſitates, ſed in ſpatia corporis partes mediantia recipitur, vocat Hippocrat. venarum ſupervomitum, metaphoricè ſumpto nomine à vomitu propriè dicto. Qui ſupervomitus; ſi fieri poteſt, è venis univerſi corporis ad cerebri ſinus: quid ni inquam fieri queat in alias ex iiſdem vaſis cavitates? nam quis è gravibus cauſis ad effluendum ſanguini non poteſt eſſe motus? Porro narratum eſt à Jo. Schenck. lib. 5. obſ. med. tit. de venis. Religioſam & nobilem fæminam quandam monialem, cum in irruentium hoſtium ſtrictos gladios, ac præſentem jam mortem intentantes incidiſſet, adeo perterritam fuiſſe, & totis interne viſceribus commotam, ut ſanguis ab omnibus corporis partium meatibus continenter efflueret, & exanimis ſub hoſtium oculis concideret, itemque notante eodem Schenckio narravit Gulielmus Rondeletius, cuidam homini per omnes corporis meatus, per oculos, aures, nares, penem ac partes alias ſanguinem erupiſſe adapertis venis uſu nimio braſſicæ marinæ.

Porro ſunt exundantis ſanguinis cauſæ multæ notatæ per Galen. in 5. methodi, perque Sylvaticum in aneuryſmate declarando, una autem & prima eſt ad raritatem reſolutio à calidis rerum occurſibus veniens; igne, inquam, Sole, curſu, ira, furore, cibis acribus, & nimio aromate conditis, vinorum veterum & odoratorum potu. Præter quæ ſunt & ad vaſa colliſus, percuſſus, diſtentus, prægravatus, violentus membri raptus atque diſcerptus, vincula, de ſublimi loco caſus, graviſſimorum ponderum tractatio atque ſublatio adjuvant, & plerunque ſpiritus cohibitio, vehemens efflatio, clamor, & ſi quæ ſunt hujuſmodi plura. His omnibus atque aliis tum externis, tum internis cauſis fieri poſſe ſanguineum hunc, quem dicimus, abſceſſum non dubito: neque dubitabunt alii, me judice, qui revera non unum aut duos, ſed quamplurimos hujusmodi abſceſſus vidi. Primus occurrit Joſephus Palumbus Mercularius in compito Divæ Catharinæ, cui multos menſes ingraveſcens æquabilis tumor tibiæ diruptus ſua ſponte fatum acceleravit. Similis caſus fuit græci cujuſdam hominis, qui diſtentione acerbiſſimæ tumoris ad femur inferius pone genu partem exteriorem multos item menſes vexatus ſic, ut nullus vociferandi, ac ejulandi finis eſſet: tandem his cruciatibus, perpetuiſque vigiliis, & irrequiei ceſſit.

Tertius, ponetur homo Subalpinus, qui bronchocelem prævaſtam multos annos cum angore paſſus, tandem ab ea ſtrangulatus oppetiit, quam nos vitiatam partem in Noſocomio diſſecantes, grumos ingentes ſanguinis undique circumfuſos cum adnatis quibuſdam carunculis offendimus. Porro ſunt

mea quidem opinione bronchocelæ pleræque, cum ſupervomitu vaſorum impenſe dilatorum complexæ.

Quartus fuit homo Pauſylipi villicus, qui à Petro Antonio Provenzano medico integerrimo miſſus in Noſodochium ſpontaneo ſubalaris abſceſſus magni dirupto, acciſuque quotidiano virium è vivis exceſſit. Conſimilem autem tumorem narravit Amatus Luſitan. in centuria 6. cur. 12. à chirurgis male cognitum, & perperam apertum languentem miſerum neci dediſſe.

Quintam mirabilis à nobis curati aneuryſmatis cum ingenti tumore ſanguifluo hiſtoriam à Franciſco de Natali Doctore Medico ſolertiſſimo deſcriptam & noſtris ſcholiis illuſtratam habeas benevole lector ſequentem.

Acceſſitus Doctiſſimus Medicus Marcus Aurelius Severinus à R. D. Anſelmo Pagano, hunc invenit magno laborantem tumore in dextero ſupremo femore juxta inguen, qui cùm per quatuor menſes à multis & omnigenis medicis fuiſſet principio curatus, nullus eſt inventus qui benefecerit, quin imò medicati ſunt omnes ſemper in pejus ruente caſu, cùm enim tumor fuiſſet quidem principio magnitudinis nucis avellanæ maxima cum pulſatione, ita ut cubanti ſublevaret ſtragula dupla vel tripla ſuperjacentia & quicquid aliud ſuperimponeretur, cumque jam progreſſu fuiſſet amplior factus, ceſſavit pulſus (veluti mihi retulit æger) & interim per paulatinam congeſtionem devenit tumor ad magnitudinem hyemalis cucurbitæ triplici tubere faſtigiatus, ſeu triplex monticuli jugum repræſentans, quo tempore accedens Illuſtris D. Severinus invenit R. laborantis tumorem jam ad gangrænam vergentem ac liveſcentem, phlictenas plurimas circumferentem; livor etiam deſcenderat ad magnum uſque pedis digitum, ſenſuque pes totus carebat; erat autem homo multis & gravibus ſymptomatibus vexatus, vigiliis ſcilicet inſomniis perturbatis, oculis gravatis veluti in comate vigili, febre continua & aliquando paraphreniſi, urina erat turbida, vireſque per tantùm gravamen imbecilles, denique totum grus motus erat expers, magniſque doloribus genu, tibię pediſque vexatus æger, ita, ut loco ſtare neſciret, ſemperque clamando aſtantes rogabat, nunc attollerent, nunc deprimerent femur, quò requieſcere poſſet.

Cùm hæc omnia perpendiſſet animo Cl. Severinus enunciato de mortifera affectione prognoſtico, die, qui fuit 28. Januarii 1641. veſperi dedit nepenthes Quercet. gr. vij. tum ad ſopiendas vigilias, tum ad intercipiendos dolores, ac præterea nóvum curandi modum inſtituit, namque ut alii fovebant locum oleis lenitivis, ipſe mandavit ut imponeretur cataplaſma ex farinis aliiſque corroborantibus & conſtringentibus: impoſito cataplaſmate ac factis inunctionibus ex ol. maſtichino, roboratâ hoc modo parte, livor diſcuſſus eſt, remanente duntaxat in ſummitate particulâ quâdam ſenſu privatâ quatuor digitorum latitudine, videns hunc profectum primo Julii expurgavit corpus decem granis antimonii peculiari ſuo modo præparati, quo ſupernè & infernè evacuavit, per ſupernam quidem maximam humoris phlegmatici nimis, viſcoſi copiam, per inferna verò acutiſſimos humores, nempe praſſinam vitellinam porraceamque bilem nonnulla cum conferentia ac virium tolerantia. Porro conceſſit continuo febris, tum & inſigniter decrevit, ſomnum recepit languens & tandem omnia vel abolita vel imminuta ſunt ſymptomata: Et quoniam à tumore ad pedem uſque longè productum erat œdema, adhibita ſunt balnea ex corroborantibus & vim exiccantem habentibus, quibus indies applicatis ſenſim excuſſus eſt tumor, licet hic deinde recurrerit, humores aggregante plus juſto parte tum propria imbecillitate, tum caloris inopiâ. His jam peractis poſt tres dies à medicamento particulam illam emortuam incepit ſegregare natura, quâ re perſpectâ die Jovis 4. Julii ſuper necroſi prehenſas partes impoſuit ignem artificialem quibuſdam inditum peſſulis, qui ignis à Cl. viro dictus per fomitem, repetitus & inculcatus per quinque dies mane & veſperi, donec deſtructa extiterit necroſis, ſublatâ eſcharâ apparuit membrana carnoſa multis partibus perforata, tumor verò grumoſo & nigro ſanguine plenus. Quo viſo die ♂ 9. ſupradicti menſis impoſuit ferramentum ignitum latum, & deinde cauterium prægrande, itemque ignitum circumquaque comburendo & deſuper illinendo larido loco dedit cataplaſma; Die verò ſequente immiſit intro dicta ferrea inſtrumenta & alia deſuper duo, eductaque eſt plus ſanguinis libra veſperi, deinde tandem cataplaſma impoſuit, nocte autem exivit aliquantum ſanguinis pravi odoris: Mane Jovis 11. ejuſdem menſis eadem candentia ferramenta, quæ continenter extinguebantur, perinde ut in aquam conſecta, quibus cauteriis uſus quatenis tum craſſis tum latis, veſperi ſublato cataplaſmate, extraxit grandi cochleari ſanguinis pluſquam duas libras, manè verò ſequenti iterum immiſit ſupradicta ferrea inſtrumenta ignita, continenter educto ſanguine grumoſo ac fluido, graviterque olente, qui pravus odor indies augebatur, veſperi autem ejuſdem ſic deſcripti ſanguinis eductæ cochleari plures quam duę cum dimidia librę, tunc verò immiſit in latam lacunam pulveres corroſivos, id eſt, chalcanthum rubrificatum, ſquamam viridis æris, ſal armeniacum & alumen ſciſſile, deſuper verò immiſit unguentum ęgyptiacum, & turundas eodem ægyptiaco illitas, ſuperaddito cataplaſmate concoctrice facultate excellens prius; hoc modo medebatur vigenis quaterniſque horis, interim extrahendo copiam immenſam corrupti ſanguinis (Tabo à Latinis dicti) intollerabilis prorſus fœtoris uſque ad 17. ſupradicti menſis, tamen 14. die forcipe excidit fruſtrum carnis cruentę, quam comparaſſes ſpongiæ, pondere plus minus unius librę, poſtridie eundem medicamenti uſum retinuit, verum id adhibuit parcius: Die verò ♂. 16. ejuſdem menſis minimè ſe madefecit pars ejuſmodi ſanguine, ſed viſa tantùm putrida caro, apparueruntque funiculi venarum, arteriarum, tendinum & muſculorum fibræ computrefactæ fœtorem reddentes planè abominabilem maxima parte extractæ, non tam multam portionem mane ſequenti videns voluit imponere mundificativum. Die vero ♃. qui fuit 8. menſis prædicti lota parte vino, melle, aqua vini, ſale atque ægytiaco, quod adhibitum fuerat antea, poſt extractum nervum putrem longitudine ſemipalmari, atque etiam carnem putridam, inventum eſt ulcus mundum, quam ob rem viſum eſt imponere mundicativum & ſeq. die, qui fuit 19. ulcus totum apparuit repurgatum & os denudatum latitudine unius digiti & longitudine ſemipalmari; In quam verſus faciem & in totam cavitatem inſperſit pulveres catagmaticos ſpiritu inflato per fiſtulam arundineam, quoniam autem cavitas erat vaſta, tam ubere copia filamentorum carptorum ex linteis in turundas ſe non ſuppeditante, juſſit ex ſtuppa lini ſubtiliſſima has pręparari, cujus in qualibet medicatus requirebatur ℔ß. deinde aucta carne ex goſſypio turundas parabat, quod autem ad nos attinet, ſic illud curare ſuetus inſpergebat ſuper os catagmaticum modo memoratum pulverem, deinde ad hos, quoquo verſum diffundendos modico aquæ ardentis affuſo, poſtmodum aptabat turundas madentes vino medicato atque hæc diebus his, ☉ & ☽ .h. e. 20. 21. & 22.

22. Die verò ♂ ſeu 23. lavit ulcus aqua gurgitelli, oſſi medens impoſuit præter ſupradicta ol. cerę rectificatum & unguentum de gummi elemi in petiola ad æquum commenſum oſſis, h. e. ſecundum longitudinem ejus & latitudinem, turundis verò inducebatur mundificativum conſtans ex melle, terebinthina ac pulveribus ante dictis, ex priori verò mundificativo additâ paucâ farinâ hordei confectum eſt hoc cataplaſma, impoſitumque ad partes exteras, quod medicamentum plurimum eduxit puris, die verò 24. obſervatum os aliquantulum nigricans, ſed caro quia jam deterſa, rubidior, pleniorque ſinus, quare & minori turundarum apparatu deinde fuit opus: tunc impoſita eadem medicamenta pariter & die ſeq. Die verò ♀, qui fuit 26. quoniam ulcus abundè manabat ſanie, bis quotidie ſolvi neceſſum fuit, quę medendi ratio ad uſque 2. Augusti ſervata eſt, & quia pes totus à ſummo genu dolore nimio premebatur, nervique apparebant ſub poplite convulſi, ſunt hi continuo remolliti & illiti oleo lumbricorum, itemque ol. ceræ & terebinthinæ & adipe gallinæ. At verò 3. Auguſti immodica ſanie ulceris cogente, impoſitę ſunt turundæ ſiccæ ex carptis filamentis linteorum mundorum cum fruſtulis ſpongiarum. In abſtinentia contentus ęger, hoc modò dolor ſupradictarum partium mulcitus eſt, in lavacrum verò additum centaurium minus, quo victus & medicamentorum uſu continenter ulcus proficere viſum eſt, caroque rectè ali, die verò 4. & 5. menſis Auguſti manè appoſitę turundę madentes memorato ſupra mundificativo: veſperi verò eædem ſiccæ imponebantur, nullo tamen tempore ſuo oſſis medicamento relicto, quod idem repertum die 6. carne aliquantulum obductum, quæ caro ſiccioribus nutrita medelis indies accreſcere cępit, ſinumque complere, uſque ad 7. hujus turundæ impoſitę ſiccæ. Quoniam verò die ♃. 8. fortaſſis ægrotantis errato offenſum eſt ulcus nimiopere madens & caro defœdata, inſperſi ſunt pulveres conſueti, tum ſicca filamenta, mundificativum verò veſperi ſubditum, ejus diei mane ſeq. idem prorſus modus, ſed os undequaque contectum carne præpurgatâ & bellè rubente, impoſitum oleum ceræ & terebinthinæ cum pulveribus ſupradictis, ſed & veſperi auctior puris modus inde & dolor genu tibiæque exacerbatus eſt. Ideoque ad exiccandum tantum humorem decretum eſt, ut ter diu ſolveretur ulcus, quod & poſtridie factum. Veſperi tum inventum eſt pus modicè cruentum, ſimiliter & die 10. mane, meridie & veſperi madefacta linamenta ſunt aqua gurgitelli, in qua decoctum fuerat centaurium minus, die verò ☽ gratiori colore repertum ulcus, dolor remiſſus & reliqua de more peracta. Die ♂. 12. Aug. abſterſum ulcus vino, in quod immiſſi pulveres ſarcotici ſupradicti, ex quo vino expreſſæ turundæ in ulcus injectæ: Retenta eſt hæc medendi ratio, donec ad unguem repletum eſt ulcus, nihilque mali fuit reliquum, niſi quod œdema tibiæ non abſtitit diu. Cui finiendo cœteriſque cauſis foventibus ſubmovendis menſe Octobris & Novembris expurgatum corpus cathartico propinataque longa decocta ſarſæparillæ, fotumque crus totum vinaceis, probatæque inunctiones adhibitæ, quibus medicamentis bene ſe habuit, jamque rectus incedit innixus aliquantulum humili baculo, abſque quo fultu ſuo fruitur, inceſſu etiam aliquando: Directori ac Autori Deo laus & gratia in ævum eſto.

℞ *Scholium.* Ex multis omnibus, quę venire cuiquam in mentem poſſunt, pręcipuum eſt problema, quî factum ſit, ut principio tumor hic cum pulſatione vehementiſſima conjunctus, poſtremò verò exors illius fuerit, adeò, inquam, vehementem pulſum initio retinuit, ut ne dum manu, ſed oculis fuerit conſpicuus, ac ne dum quidem una particula, ſed & univerſo tumoris corpore, pręterea moleſtus adeo pulſus, ut etiam auditu perſtrepens ægrotanti miſero videretur, terra ſerrari, funibus prætenſis diſcerpi ac lancinari, quid; quod trepidi perpetuo aſtantes ne tantis pulſatoriis doloribus ſuccumberet ægrotans, quare faciei jam Hippocraticæ homini aſſidui aſtitêre cuſtodes domeſtici & ſacerdotes piique viri, qui jam diſceſſuro præforent in officiis memorandæ vitæ futuræ: Ad hæc, quod ſtragula triplicia ſuperiora excuſſu ſummo, inſtar manuum continenter attollentium diducebantur ac ſublevabantur, noctuque diuque. Denique quod ſit ſummum omnium & confirmatio pleniſſima atque certiſſima; Medici ex univerſa urbe præcipuè atque indies lectiſſimi ad conſultationes acciti, hi quidem plumbeas deligationes cum plumbea lamella; hi comitiſſæ inſcriptum ceratum Varignanæ, hi embrochas aſtringentes, hi emplaſtra de pelle arietina, aliaque ad ramices & hernias celebria, hi deniquè aduſque nivis Nicolai præcepto neceſſario uſum dicebant compulſum, adminiſtrarunt. Iſtorum verò omnium hi continenter abſcedere, hi quàm citiſſimè ſeſe expedire, hi vix audire & parumper conſiſtere, hi cum proteſtatione mortis certiſſimæ conſultare, hi refugere ab horrore & calumniæ periculo, hi veſpillonibus hominem & libitinæ devovere ceperunt, fuit & famigeratiſſimus herclè medicus qui viſo ſtatim caſu piamen crucis ut ſit pro luce perpetua tantum ægro prætulerit. Ita rem ſummè extremam certo crederunt omnes, ita nil quidem fuit certius aneuriſmate: Veruntamen ipſe inſtans & quid dices abolitus pulſus, nimirum hic aneuriſmatis perpetuus & pathognomonicus eſt.

Hanc equidem ambiguitatem, ut diſſolvam, ante mihi pręſtruam aliqua, quę ſunt hæc; primum anteacta vita decumbentis laxa nimis commeſſationibus, crapulę, vini meri potationibus & veneri dedita; Intempeſtivę item corporis agitationes atque jactationes tum à prandio, tum à cœna quotidianæ, quæ res ſc. unâ cùm ſint cumulatę omnes, promptas potuerunt parere cruditates & ſuperfluitates: Porro cùm plurima mihi ſe obtulerint aneuriſmata viſenda, quæ quidem αὐτόματα ſuâque ſponte obvenientia fuerunt, voracitatis & bibacitatis, atque adeo cruditatis ſoboles viſa ſunt omnia, quanquam, ut verè dicam, ſanguineam impuritatem & ἴλυ ſicut Galenus ad Glauconem ſcribens, vocavit, agnoſcunt communem parentem. Ita etiam plerumque cachexiâ quidem omni ſed præſertim ęvo noſtro ſyphilia proficiſcuntur, ſed hæc obiter obrepsêre, dum cauſas externas ſequor, quæ Pagano noſtro vaſtum aneuriſma peperere. Nunc autem internas, verum ex his, paucas & reconditas exponam, quæ altius repetendæ ſunt in hunc modum; Per Galenum, perque anatomicos doctos, per ipſam anatomen & αὐτοψίαν conſtat nonnullam eſſe venarum & arteriarum anaſtomoſin, i. e. inter utrarumque oſcula communionem, quantum enim arteriæ materia ſanguinis egent ad ſpiritum colligendum & confingendum, tantundem venarum ſanguis opus habet vivida luce & actu perpetuo, ne corrumpatur, atque adſcito quodam nitore ac ſplendore fruatur, qui quidem uſus, quantum per inculpatum corporis ſtatum atque integritatem pulcher eſt & probatus, tantùm per ſiniſtram valetudinem teter eorundem eſt abuſus & fœda labes, porro ſi copia multa & inquinamentis multis impurus ſubeat ſanguis in arterias, tum inſuper labefactari vitales functiones & conturbari fermè omnia circa ternorum principiorum felices gebernatus: ad hæc ipſa vaſa arteriarum amplè diſtracta, quæ ſua ſponte diſſiliunt laxanturque; ita ut vim ſolutionis experiantur.

Hoc in nobili viro facilè per antedictas cauſas advenire potuit. Quoniam igitur ſecundum ſemora præcipuè

dextrum agitabatur, atque exercitabantur hujus lateris partes & hæc vaſa ſubinde debilitari ac laxari maximè debuêre, atque adeò arteria emenſo primò ramo iliaco, poſtquam cruralem init, hîc debuit diduci nimium & percelli, ſic ut anuriſma produceretur, quare in eductam jam cavitatem irrepens ubertim & ample ſpiritus, ſic ingentem palpitationem & gravem pulſum initio induxerunt, ut jam non miremur amplius, quod triplicia cubilis ſtragula ac tegmina ſuperiora diſſultu perpetuo magnoque ſpirituum ſublevarentur, neque miremur etiam amplius afflictatione inquietum ac turbatum noſtrum ægrotantem.

Jam verò quod ſpectat ad abolitam ſub fine pulſationem, non fiet ſanè mirabile, ſi perpenderis ac diſcreveris ex magno quidem morbo pejora incrementa; Nempe arbitror ex latè diffluente intra vas ſanguine & infinito ipſius diſſultu quandoque factam vel apertionem vel emiſſionem κτ̀ διαπήδησιν, per longos igitur menſes inhærens extra ſanguis, qui computrùit Hippoc. doctrinâ, qui dixit ſanguinem in cavitatem quampiam extra venam fuſum neceſſariò putreſcere, ſic ſecum computrefecit & arteriam; ſiquidem enim duriſſima prerodumtur adhæſu putrido, quantò magis aut modicè dura aut nonnihil mollia, quale corpus arteriæ dixeris? Habes nunc problematis enodationem apertam; quippe ubi diſſoluta arteria fuit, diſſoluta fuit & pulſatio, ſubinde verum, quod diſſoluta & penè corrupta fuerit arteria, tum gangrænæ abſceſſu, tum eductis ſub ulceris funiculis arteriarum, tum eodem ipsâ pulſus privatione dolorumque immanitate, quæ omnia ſymptomata ſoboles fuêre diſſultantis & verberantis perpetim arteriæ.

Alterum nunc ſuper eſt, quonam pacto, vel non ſecuta immenſa ſanguinis profuſio poſt exulcerationem, vel quomodo obductum fuerit jam diffractum arteriæ vas? ſed omnes hos ſedare ſtrepitus argumentationum vel uno licet objectu valentiſſimi ignis, quem & principio quidem, antequam aperiretur tumor, & poſtquam apertus eſt, quotidie inculpavimus, ad quod ignis beneficium omnia bona, i. e. primariam hominis & citam uno menſe libertatem recuperatam referas indubitato.

Porrò quod incantamento, vel ope magicâ tam inſuperabile malum ſuperaverimus (ut quidam noſtris ex æmulis dixerunt) tum ridiculum, tum invidentiæ ore projectum apparet; incantamenti certè vim & magicam præſtantiam æmulatur, & exæquat ritè rectèque comparata aptè accommodata & opportunè adminiſtrata vividi præſidij manuſque divinæ vis, quod ignem appellamus energiâ. Hujus quanta ſit virtus, amplitudo & inter cuncta medici adjumenta Majeſtas in opere pyrotechnia fusè ac plenè per nos eſt credo demonſtratum. Hactenus de problematum enodatione primò propoſitorum, reliquum eſſet nunc ſatisfacere nonnullorum ſubtilitati, qui quærent, abſolvi ſe ambiguitate ac perplexitate binorum nominum aut appellationum in unum veluti coalitum, quos huic vitio adſcripſimus, tum aneuriſmatis, tum abſceſſus ſanguiflui; ſed hanc difficultatem ſi perſpexeris acutè, nullam & vanam feceris ipſe: ſiquidem aneuriſma protogenium eſt vitium; Abſceſſus verò ſanguifluus δευτερότεκτος: vel aneuryſma dum pulſatio perſiſtit & dum ex arteria facta non fuit effuſio revomitusque ſanguinis, abſceſſus verò ſanguifluus, poſtquam illa humoris facta eſt effuſio exundatioque; porro factam affectionem utramque quid vetat? utrumque verò quis negat? Aneuriſma, cùm præ ſe tulerit tam grandem tamque doloriferum palpitatum, abſceſſum ſanguifluum, cujus humoris tam multa copia per cochlearia multis diebus exhauſerimus. At de re iſta jam ſatis.

Alij caſus demonſtratu digni ſuppuncto temerè aneuriſmate thoracis à Presbytero Medicum ſe profitente haud multò poſt tempore defunctus homo, chirurgus verò inſolens expulſore nullo ſponte de urbe tota impoſterum exulavit.

2. Aneuryſmate vi ſub poplite abditi mortuus eſt miſerè ſutor quidam calcearius.

3. Aneuryſmate ad ſternum ſyphylia cachexia producto commortuus alius.

4. Aneuryſmate à prava phlebotome præreptus Calaber quidam.

5. Micat aneuryſma perpetuò à perverſa phlebotome productum Religioſiſſimo P. Puderico Jeſuitæ ſub cavum brachij dextri, cujus pulſu ac diſtenſione productum alterum aneuryſma minus ſub vas cephalicum.

6. Juriſperitus Gallipolita factus gibbus eſt aneuryſmate ſub medio ſterno per ſe ipſum diſcurſo, ſive fortaſſis abducto, quod ovo majus non erat.

7 Cæterum fuit & qui internum expertus Aloyſius Loapane Burgundus, arteriâ cœliacâ, ut locus pulſatione perpetuâ tortus indicare videbatur, dilatatâ. Inde periodicos hebdomadis dolores acerrimos, nec alio quam nepenthe Querc. placabiles, perpeti ſuetus, itemque vigilias, anorexiam; atrophia denique & lenta tabe mortuus eſt in valetudinario incurabilium phthiſicis dicato: quod in Pompeiano prope Tæbias à Galeno memoratas colitur: creditus miſer incurriſſe malum à voracitate & meracitate inauditâ, conſuetus ad ſitim venandam & ad vanam oſtentationem vorare vaſculorum ex rubra argilla tornatorum fragmenta.

8. Curatus autem ab ejusdem arteriæ pulſatione moleſta, verum non conſummata affectione Carolus Nenna Joannis Doriati corregi Auriga fuit, qui quantum mero & eſca immodica primum ſe compleverat ad morbum excitandum, tantundem etiam abſtinentiæ Cereris & Bacchi parcitate longa, ad ſe reſtituendum uſus eſt me hortatore.

Sed iſtos omnes facile ſuperat caſus Hiſpani cujuſdam gracili aduſtoque habitu hominis, cui brachium uſque ad ſummum humerum & anteriorem thoracis partem, quæ ad alas ſpectat; tam nimium extumuerat, tam ample diſtentum fuerat, ut confectus dolore perierit; cujus turgoris immanitatem videre medici & chirurgi omnes Sacri Incurabilium domicilii, & ad hunc locum proxime habitans Bernhardus de Magiſtris medicus, & Aſtronomus non vulgaris.

Cap. 8. *De Gangrænode abſceſſu.*

Ne me quis putet ineptire, qui privatis à me propoſitis ſelectis abſceſſibus vulgaræ nunc cognitionis aliquem interſeram, qui gangrænodes eſt; equidem longe diverſum gangrænæ generationem, ac modum pono, quam pleriſq; viſa videntur. Hanc primus deprehendiſſe diſertiique verbis expoſuiſſe creditus à nonnullis eſt Hieron. Fabritius, qui (licet hunc etiam Fallop. attigit) lib. de tumor. præt. nat. 2. partis chirurgicorum operum primo gangrænam poſuit ex influxu, id eſt, ex humoribus quibusdam venenoſis ad partem aliquam allapſis, qui calidum ejuſdem nativum extinguunt, & membrum in mortem præcipitant, (id quod in febre continua maligna, & peſtilenti fit) & cum dolore graviſſimo, & puſtula quadam, ſub qua eſt macula nigra, extremis ut plurimum partibus, utpote pedis pollice ad uſque tibiam & totam coxam brevi tranſcurrit.

Alium ego gangrænæ modum agnoſco ex abſceſſu, inquam, & corruptione ſubjectarum quarumlibet partium ſolidarum; puta oſſis, cartilaginum, chordarum. Et ex oſſe quidem male habito credo fuiſſe, quam illu-

ſtri

ſtri viro Domino Atichmanno Pignono Marchionis Oriolenſium fratri germano curavi ſecundum totam tibiam ſiniſtram ex talo progreſſam, ab oſſe, inquam, progreſſum opinor; tum, quod perpetuis podagræ incurſibus ſubditus fuit hic vir, tum quod confeſtim & à principio ſe prodidit alienatum os utrumque, quapropter non multo poſt tempore neceſſum fuit totam exſecari ſerra tibiam, & mutilari; ex quo affectu ſeptuagenarium, & ſupra hominem evaſiſſe ſoſpitem mirum etiam atque etiam fuit. Favet autem mihi non parum Ambroſius Paræus, qui chirurgicorum operum ſuorum lib. 11. cap. 12. profeſſus eſt in gangrænis humorum influxibus interdum oſſa primum imbui, atque ab his inflammationis initium habere, quanquam aliter eruditiſſimo viro Collegæ meo Mario Schipano viſum eſt, qui credidit ex venenato humoris, qui per febrem invaluerat, influxu profectum marcorem. Utcunque apparet gangrænam fuiſſe ab influxu; res, quæ parum eſt adverſa noſtris hominibus, qui gangrænas omnes faciunt ſolum à partis inflammatione conſequentes.

Sed & aliud in hoc argumento aperiam; rem quidem, quam à me frequentiſſime in noſodochio Incurabilium obſervatam novêre plerique docti, qui me nova quædam adminiſtrantem perſæpe viſerunt; gangrænas & cum necroſi abſceſſus lente acceſſiſſe atque exitiſſe ob vitiatos infra tendines ac nervos, qui antipathia quadam, & occulta humoris proprietate potius, & prius quam carnes, aut muſculi fuerint obſeſſi.

Cap. 9. *De certis partium abſceſſibus.*

Hac jam majorum, & genere vagantium abſceſſuum expoſita ſerie: deinceps alios partibus definitos, & circumſcriptos enarremus: ſed ita, ut brevitate quidem legentes alliciamus, varietatis vero, & novitatis gratia recreemus. Quis autem perbrevis inſpectus pretio, placituras raritate ac lepore narratiunculas non coëmerit.

De ventricoſis abſceſſibus. §. I.

Tumor mammæ ventricoſus adeò, ut anguriam aut melopeponem quàm maximè fieri poteſt mole adæquaret ejuſdemque formam repræſentaret, obſervatus a me eſt in ſanctimoniali templi ſplendoris fœminæ vetulæ cognomento de Georgio.

De hydrocephalo, §. 2.

Eſt Hydrocephalon puerorum quidem affectus proprius; ſed non ſic, ut grandes ætate non tentet quoque Hippoc. n. lin. 2. de morb. nulla ætatis diſtinctione, & ſi qua eſt illa in viris maxime propoſita, ejus morbi meminit: quanquam non admittit facile hoc in viris Pet. Salius ob ſolidam ligamentorum oſſeorum firmitudinem. Quod ſi tamen eveniat ex malefacta vinculorum materia ſuccubiturum ante hominem credit, quam iſtiuſmodi ſuturarum hiatum paſſurum. Nihilominus Hier. Montuus in puerorum pragmatia meminit opifici furnario caput auctum ad tantam magnitudinem, ut cum naſo facies occultaretur; cui ſimile hydrocephalum mihi viſum eſt hoc;

Hydrope extumeſcens monſtroſè caput obſervare licuit Anno 1600. in filiolo magnificæ, lectiſſimæque fœminæ Claricis Caraphæ, nonum jam menſem nato: cui à quinto natalium menſe cæpit inire tumor; qui poſtmodum auctus eſt adeo, ut circumductus funiculus non brevior eſſet, quam duorum palmorum, & quinque digitorum tranſverſorum communis menſuræ. Creditus à me tumor eſt cerebri intercapedinis, multa humorum copia turgentis ita, ut commiſſuras omnes oſſium, & frontis medij aperta vacuitate teneret ample diſtractas, & circa inferiora diſtentum convulſumque crus dexterum. Revulſi ad obtutum inferiorem oculi, ex ulcuſculis vero in capite ſpontaneis ad denudationem uſque oſſis cutis diffiſſa, quæ ipſa capiti prætenuis nulla extrinſecus mollitudine. Lapſi ſponte aliquot dentes, quos ab uteri clauſtris tulerat. Ad poſtrema morbi tempora non ſugenti lac infundebatur ex cochleari. Infans hebes, & ſopitus fere perpetuo, nil unquam obſtrepens, aut ore ſignificans, morbo ſuccubuit non multis ab extreme aucto ipſo diebus.

His ſimiles hiſtorias ſcriptis mandarunt Albucaſis 4. chir. cap. 1. F. & Razes in l. de morb. puer. cap. 3. & Philippus Ingraſſias, l. de tumor. præt. nat. pag. 380. qui retulit de puero quodam bimulo, cui per hydrocephalon ſuperiores omnes, & legitimæ ſuturæ, præter unam lambdoiden, quæ parum hiabat; ita erant diductæ, ut aqua incumbens cerebro diaphanam per cutem appareret.

Hydrocephalus etiam ſummæ magnitudinis, qui 24. libras noſtrates certa ſectionis fide contineret aquæ, deſcriptus eſt à Guilielmo Fabritio Hildano cent. chirurg. l. 1. obſer. 10. Edit. Baſileæ editæ Anno 1606. in qua ſua obſervatione cum pleraque digna problemata non enodarit vir alioquin eruditus, enucleabimus hæc nos libenter.

Quod è robuſtiſſimis parentibus ortus puer hic languido capite prodierit, referendum eò eſt, quod duo homines corpore & hâc ipsâ firmitatis fiduciâ, arbitrario & prompto qualicunque victu & potu quantocunque uſi, vim ſuperfluitatum inſolentem congerunt; ſic obſervatum eſt mihi plerunque ex ſanis & præfarctis parentibus morboſos ac tenues obortos fuiſſe filios.

Sed quod non profectus utero hydrocephalus, verùm jam ſeptimeſtri puero iniit malum, eam cauſam puta, quod ſub materni clauſtri foco fomentis vegetior pueri calor noxam prætérfugere potis erat, inde elapſus eam vim amittere & cauſis ſe ſubjicere morbiferis jam paratis lente aſſuevit.

His verò ſeptimo ſe menſe ſubdidit, quod judicationibus aptum eſt tempus & prorè fatale.

Quod integris jam viſceribus reliquum corpus non alebatur, non mirandum forraſſe propterea, quod ſimilares noxæ non apparent benè ſe habentibus alioquin organicis.

Nullo id progreſſo morbo factum, admitto, quin imò ſi variolæ & morbilli, exanthemata denique alia præceſſiſſent, præcurriſſet utique malum & hunc miſer non incurriſſet puer.

In lethargum incidit non incongruè ſapientibus nimirum aquis, quæ ſtagnantes trigeſimo jam menſe ſulphuream anathymiaſin & narcoſin inducere debuerunt.

Maturè è lethargo deceſſit, quod & veternus minatus videre potuit, lethaliter jam preſſis omnibus cerebri receptaculis.

Aqua cryſtallo clarior parti videlicet conſona ſale cerebri reſoluto, ut chymiatri volunt & ex his maximus Joannes Petrus Faber in chirurgica ſpagyrica, ubi de œdematis.

Cerebri corpus diſtendebatur aquosâ colluvie propterea quod ſpongiforme & glanduliforme videtur τȣ ἐγκεφάλȣ ſubſtantia, non ita parencephalon, quod ſiccius, durius, denſius, ſolidius, id eſt, minus cavum, atque adeò crebris aut laxis ſuturarum hiatibus, aut oſſium raritate aut tenuitate patulum; idcircò pſeudocephalon, ut parencephalon æquè diceretur me autore, quare & autore Hippocrate partem anticam capitis plus continere cerebri dictum, quaſi ipſa verè contineat cerebrum, non ita verè poſtica.

Anfractus autem & gyri ſeu Spiræ cerebri nullæ apparebant, quippe quæ nimiopere propter diſtendentem copiâ humorem explicatæ; quo referri poteſt, ſpirarum iſtarum cauſam haud ſolo uſu eſſe venarum & arteriarum commodè applicandarum, ut omnes anatomici voluêre; verùm cauſas adhuc reſtare materiam, effectorem & formam; materiam, inquam diſſimilem ſibiipſi, quando ſepti lucidi, calloſi corporis & intercolumnii denſior, preſſior & compactior, rarior verò, laxior & ſolutior ſpiralis cerebri circumductus: in quas binas materias & formas adaptavit ſe bifariam effector, ita plicatilis is fabrefactus diſcuſſus eſt, facile explicante hydero cerebrum?

Craſſa tenuisque membrana intaminatam propterea, quod incumbens aqua intermixta & ſalſa nonnulla parte, ut ſalſa ſunt omnia excrementa hominis, & fœtus præſertim novelli, utpote, quæ ſal concoctorum omnium armoniacum eluerunt ac ſecum abſtraxerunt.

Cranium adhuc membranoſum non oſſeum, quippe quod humore multo circumfuſo nequiverat exiccari aut addenſari, in pueris ſiquidem omnibus calvariæ cartilagineæ magis quàm oſſeæ videantur.

Tertius ventriculus cum reliquis anterioribus confuſus non apparebat, eadem diſtentus vi & inſolentia.

In quatto ſinu concrementum viſcidius & parcius, eâdem quâ dixi, partis poſticæ naturâ exuccâ.

Corpus inferum gracile ac prætenue videbatur nulla exiſtente labe viſcerum interiorum, abſumpto ſc. & rapto in ſuperioribus alimento, vel quemadmodum abundè diſtento ſplene cætera membra contabeſcant. Ea ſc. eſt œconomiæ corporis communitas, ut uno læſo viſcere præcipuo, bellè valere nequeat cœterum corpus.

Brachia, femora, crura, etſi relicta mobilia, convelli lueta, difficile fit id, quod cerebellum & poſtica pars cerebri bene ſe habeânt, veruntamen & ſine labefacta ſecundum ſuam ſtructuram, nihilominus quia neceſſe fiebat ut comprimerentur hæc, unde convulſionis anſam capiebant.

Cæterum febris & dolor nullus: hebetudine & longinquo reductu cerebri.

Ad hunc quidem modum evenerunt ſingula congruenter, licet tamen nimium incongruus eſſet ſtatus naturæ.

De Turgore fervido, laxoque capitis, & faciei. §. 3.

Nonnullis aut ſecundum faciem, aut ſecundum caput ſuperius, qua circumſepit capillus: accidit tumor nunc accenſus, nunc laxus, quem vulgus hominum, & medicorum eryſipelam appellare conſuevit, quam haud ſatis video num eryſipela ſit, multa enim id opinari diſſuadent, nam plerunque fœminis accidit id vitium, & his maxime pituitoſis, mollibus, & inertibus, deinde cum color non flammeus, ſed laxitas, & ceſſilis digitorum impreſſio tumori ſit; quid non œdema magis, quam eryſipela vocitetur? Si memoraveris aſcenſum ad ſuperiora humoris, qui propterea levis & bilioſus judicandus appareat: occurram equidem dicens; fieri poſſe etiam, ut illud eveniat, quia caput omnium maximè partium ad defluxus patulum, & debiliſſimum eſt, quare ad hanc partem veluti ad minime reſiſtentem prompte collimat expultrix irritata morbo facultas. Verum enim vero illud, quod certe judico, ſunt aliquando cum bili commixti ſimul & alii ſuccorum ichores omnes, quorum coacervatu, & violento raptu ad caput, hoc aliquando turgere vidi ſic undique quibusdam decumbentibus in noſtri valetudinarii lectis, ut ſupercilia quidem occultarentur, oculorum vero palpebræ conniventes vix aperiri poſſent; qui quidem abſceſſus interdum per ſe diſcuſſi, interdum in ſuppurationem abiêre: ita falſum apparet eryſipelam hanc eſſe verè, quam dicunt. Confirmat autem & remedii utilitas, etenim provide anticipata fœminis venæ ſectio tumorem prævertit: ut in uxore Antonii operarii Typographi compertum eſt, & in parthenophilacii Spiritus ſancti virginibus fœminis natu grandibus pleriſque.

De exoſtoſi. §. 4.

Eſt exoſtoſis definitore Galen. in lib. de tumor. præt. nat. c. 5. Cujuſpiam oſſis eminentia intrinſecus à melancholica ſuperfluitate profecta, viſitur autem eodem auctore in his, qui elephantiaſi laborant ſecundum utraque tempora genaſve conſpicua, Dionyſiſci appellati, qua ſcilicet Satyri quibus elephantici æquiparantur, cornua exporrigunt. Sed & aliis abſolute hominibus in quibuſque partibus obſervati ſunt à nobis ejuſmodi oſſis exceſſus: in jumentis omnibus multò frequentiſſime viſi, quos veterinarii ſoproſſo, quaſi ſuper oſſa factos acceſſus dicere conſuevere. Primum hoc ego genus incrementi vidi tetigique veluti clivum extare in medio fronte filiæ natu maximæ viri ſpectabilis Aloyſi Saggi: Geſtavi autem & ego ſecundum infimos utroſque cubitos diu, perpetuo dum his inniterer, incommodantes, qui poſt aliquot annos nullo remedio ſunt diſcuſſi: id quod, & memoratæ modo puellæ eveniſſe audio. Porrò ſunt hi nullius interdum prægreſſi morbi ſoboles: cæterum enim lue venerea confectis hominibus ſunt plane frequentiſſimi, capite, fronte, pectore, brachiis, manibus, tibiis, pedibus & reliquis pauca carne munitis oſſibus. Solent autem contagioſæ exoſtoſes, cum plurimum putredinis fermentum incitat, in ulcus, & manationem abire: cum pleræque maneant etiam infractæ, & quantum quidem abſceſſus immunes, tantundem etiam perdolentes.

Hordeoli nova obſervata materia. §. 5.

Et Hordeolum tenue tuberculum ſua ſervat recte medendi laudis argumenta. Veteres quidem, & in hujus cauſa continente dignoſcenda, & in curatione tradenda haud ſatis, quantum debebatur, præſtitiſſe videntur, nempe curatio, quam ipſi ex panis, & ceræ calentium fomento probant, tametſi multum commoda videatur, tamen infrugiferam, & minus felicem uſu ſe prodit, materia verò creditus eſt humor glaſteus, & concrementum durum, atque ſcirrhode, quale ipſum vere non eſt. Quippe nos unica punctione & curandi virtutem, & cauſæ notitiam veraciter aſſecuti ſumus. Namque ſuppungentes interiorem inverſam palpebram, & materiam continenter expreſſimus, quæ caruncula inutilis cerebri forma viſa eſt, & oculum ſemel iſtiuſmodi opera liberavimus. Primus, quem ad hunc modum curaſſe obtigit, fuit Leonardus Cyminus chymicarum rerum non indiligens adminiſtrator & noſter quondam in chirurgia auditor. Secundus Salvator à Creſcentio ſcriba Regiæ, quam dicunt, Cancellariæ ordinarius. Tertia Franciſcana minor Sodalis Sacri Incurabilium templi, atque alii quamplurimi, quos adnotare neceſſarium non eſt: Verum enim vero credidi quidem hactenus nemini priorum tractatam hanc curandi rationem: cum legi nuper tum apud Alfarabium tract. 4. pract. c. 8. tum apud Miſueum lib. 2. Grabadin eandem ex amuſſim deſcriptam: quod & purgandarum aſſertionum noſtrarum, & confirmandæ adminiſtrationis chirurgicæ gratia dictum volui.

De

De miliolo exterioris palpebræ tuberculo. §. 6.

Si profitear ingenue, quod ſentiam, equidem ignoro, num vel antiqui ſcriptores medici meminerint, etſi cognorint; vel noſtri cognorint, licet non meminerint tuberculi cujuſdam exigui in clivo palpebræ ciliari naſcentis, & ſe cum pilis oblique proferentis; quod magnitudine duritieque milii ſementulam refert; ſi tantummodo flavum hujus colorem in exquiſitum alborem intelligas mutatum. Ex qua ſane ſimilitudine κεγχρίδιον miliolum, ſeu miliolum, hordeoli modo placuit appellare: ovo autem tenuiſſimo formicarum facile comparaſſem; niſi quod corticulam duriorem, ac ferme corneolam huic tuberculo advertit, uſque adeo, ut medicamentis acerrimis, id eſt, liquidis cauſticis tentatum nullam vel tactus, vel coloris mutationem ſenſerit. Itaque pinnæ galli Africani cuſpide acuto, cujus identidem pluma medicamenro tincta prius uſus fueram; putamen vix ad ſecundum, vel tertium ictum penetravi, eduxique molliculam chartæ bombycinæ madidæ ſimilem portiunculam. Fuit autem is, in quo primum rem expertus fui, miræ indolis puer Antonius Florillus Jacobi filius, qui per auſtrinum anni ſtatum chæmoſis vix dum elapſæ reliquias eodem oculo præ ſe ferebat.

De varicula oculi. §. 7.

Rem plane novam, & à nullo priorum hactenus adverſam, à me vero non ſine animi voluptate pridem compertam adnotabo frugiferam alioquin auditu noſtris rei medicæ candidatis. Oculi portio candida, quam adnatam tunicam nominavere majores, venulis alitur ſic exilibus, ut ſint inſpectabiles atque inter omnes univerſo corpore minimæ, quæ tamen conſpicuæ redduntur morbo, id eſt, inflammatione, quæ turgeſcant. Hæc autem ſublevamenti ſpecies, quæ ſæpe viſitur, non eſt amplior, quam muliebris capilli magnitudine in ophthalmia, in chæmoſi, in ungula, & pterygio. Et hæ quidem cum affectu rubro venarum ſunt exaltationes, medicorum vulgo cognitæ. Cæterum citra inflammationem agnatæ tunicam, vehementer ab Iridis terminis extumeſcentes vidi venas non vividi quidem, & rubelli, ſed atri ſanguinis diſtentione; quas ſic primum notatas variculas nominavi atque habui, procreatas ac viſas perpetuo mea quidem obſervatione in hominibus ſanguine craſſiore redundantibus, qualis unus fuit in valetudinario noſtro decumbens homo Romanus, cui Antonio de Joanne nomen, quem cum Adamo Marchio medico phyſico vigilantiſſimo & aliis hoſpitalis ejuſdem domus chirurgis obſervavimus. Eſt & ex hoc ordine Franciſcus Cæſarius Neapolitanus, qui ex hoc vitio, levibus primum initiis in magnos acceſſus incurrit tandem oculi proptoſin inemendabilem.

Didiciſti nunc, ſiquidem attentas aures adhibuiſti; ex hoc genere varicularum, ſi negligenter aut perperam curentur, graviora mala proficiſci: quæ ſi prævertere primum volueris, dicam equidem, quid faciendum ſit. Atque illud eſt, ut haſce venulas, quas maxime exporriguntur (eſt autem, qua gibberum tollunt torumque induerunt) proviſa primum univerſitate corporis, acu aurea, vel argentea pupugeris; ſanguinemque redundantem detraxeris; mox, quæ reprimunt medicamenta ſeu fluida, ſeu ſolida, ad coæquandum adhibueris: extrinſecus vero, ſi ſit opus, lamella plumbea, tum diu, tum noctu, ſed noctu potiſſime continenda eſt.

De hæmorrhoidis narium. §. 8.

Hæmorrhoidas narium Arabes primi nominaverunt eo conſilio, ſicut adnotavit Jo. Coltæus in Avicen. quod cæcarum inſtar hæmorrhoidum lateat hic tumor. At Alexander Benedictus l. 5. de morb. cap. 10. ſic dictas interpretatur, quod ſtatuto tempore ſanguinem exomant & eructent. Mihi potius ſic appellatæ videnrur, quod varicoſas ſedis venas referant, è naribus infimis obliqne gybboden carunculam exerentes. Has quidem cum polype plerique confundunt, nullum inter hos diſcrimen agnoſcentes: at vero nonnullum intereſt. Siquidem majoris molis, ac malignioris naturæ vitium apparet polypus, utpote, qui latioribus atque altioribus radicibus nixus longis inter vallis externe atque interne excreſcit, pleniluniis præſertim auſtro euroque flantibus incommodus. Ad hæc cartilaginea prope duritie polypus eſt; hæmorrhoides vero, eodem Alexandro auctore, carunculæ ſunt quædam ſimiles mulierum papillis, hæque narium imis partibus, quę carnoſiſſimæ ſunt, cohærent. Audiendus ergo Gabriel Falloppius non eſt, qui coloribus tantum diſtare tumores iſtos ait. Rectius vero Getrus Bayrus, qui lib. 5. practicæ c. 3. diſcretis utriſque vitiis aperte poſuit hæmorrhoidas carnes molles; quanquam interdum adeo excreſcant, ut multum pendeant extra nares: polypum vero carnem habere præduram, & polypo piſci ſimilem dixit. Quid quod difficillimus tractatu polypus eſt; hæmorrhoides vero (quantum experimentum oſtendit mihi), faciliores, cædentioreſque ſunt. Porro ſolum conciſæ ſanguine multo effuſo deletæ ſunt ſemel Franciſcanę Minori Sacri Incurabilium templi, quam rem novere Franciſcus Romanus chirurgus, qui rem ad me delegaverat ac Scipio Averſanus ordinarius ejus cœnobii phlebotomus.

De miris duobus faucium & palati abſceſſibus. §. 9.

Faucium abſceſſibus loci importunitate & anguſtia terrifici, & verendi ſunt omnes, quorum ego graviſſimos & memoratu digniſſimos comperi duos. Alter, qui tubere inæquali ab hac parte & ad nares protendebatur latus autem ad longa tempora nullo cum incommodo; diruptus excreatu ſanguineum excluſit teres, & oblongum hirudinis modo concrementum, quam Hippocratis bdellam opinatus oſtendi Schipano, qui meam ad ſententiam non illibenter acceſſit. Ipſe autem aliquando monſtraverat ejectos cum urina curculiones. Fuit autem is, de quo loquor, puberis ætatis filius, ni fallor, procuratoris, quem dicunt, fiſcalis. Sed mirabiliorem alteram audi hiſtoriam. Villicus adoleſcens ex frequenti & diu producta ſubdialis frigidique aeris uſura, provocato viſcidæ pituitæ deſtillatu, ſentiit ſibi primum neſcio quid ad palati forulum adhæreſcere: quod aliquot poſt diebus in tuberculi formam ſe prodidit, atque ex majoribus indies incrementis ad eam magnitudinem tandem excrevit, ut rotas homini fauces opplens, nedum firmioris alimenti traductum, ſed etiam potum inſpiratumque præcluderet: renixu duro, colore carneo, variis aliquot plicamentis in ambitu excurrentibus præruptum. Decoctum ſarſæparillæ diu potum nil profecerat, ac neque buccatus & gargariſmata variæ diſcuſſoriis multis ſuccis roborata, cum depoſita propemodum ſpe ſalutis ad Incurabilium morborum hoc ſacrum aſylum tranſlatus eſt. Cui tuberculo extenuando cuncta noſtri medentes experti nil frugis

frugis attulêre: cum ego re inſpecta nova & inſolenti, præfocatum hominem iri certo cognoſcens, collegis meis laryngotomiam non dubitavi proponere, qua ſola velut ſacra anchora tam miſerandæ ſortis exitio poſſet occurri: addens ſi periculoſum & audax id auxilii videretur hos demum eſſe caſus, quibus ope dubia foret ſuccurrendum, nam ſi res ceſſerit, opitulatus utique fueris: ſin minus; eveniet id, quod futurum erat, id eſt, interitus, quod fere oraculum ad hydropis paracenteſin amplectendam enunciaverat Hipp. l. de loc. in homine. Præterea proditum eſt temerariis ac fortuitis percuſſionum caſibus inſanabilia mala multa ſublata, quid igitur à magiſtra manu faciant ſecturæ certis rebus omnibus ac modis accurate proviſis?

Hæc & alia tum ego. Quæ noſtra ſuaſio, quid dicam, ut amiſſa approbatave fuerit: quando ſit in promptu medicis omnibus hiſce ſeculi non uſitatas, & obſoletas operas quasque refellere, neq; enim quadraginta, aut ſupra ſcriptorum auctoritas, aut omnis ratio, quas ego tum memoravi, atque ex ſermone proprio de laryngotomia ſingulos citavi; quicquam operata ſunt, quid autem operarenturinter homines, qui neque experiendi cupidine, neque rerum viriliter gerendarum gloria moventur ac ne tanguntur quidem. Itaque denegatis vitalis auræ fomentis fato functus eſt miſer homo, quo frigente mox corpore in anatomicam inſpectionem vocato, præfectum tuberculum oſtracinum intro repertum eſt totum, cum aliquo particulæ conformatu & quatundam quaſi alarum, & roſtri diſcretu. Itaque non inepte à pleriſque adſtantibus, & à nobis ipſis æquiparatum eſt teſtudini terreſtri parvulæ.

Sed ante hanc tuberis exciſionem, experimentum, quod fecimus, laryngotomiæ narrabo: diſſecta enim primum cute ſecundum longitudinem corporis, ex hoc aditu facto reſoluta tranſverſim tracheia, qua bronchia per ſynchondroſin conjunguntur, confertim & ſubito viſus eſt humor prodiiſſe cum ſpuma, auditusque fragor ſpiritus veluti diſſilientis ab anguſto concluſoque loco. Qua re ſic plane cognita docti viri præſentes plerique, qui viſum advenerant, cenſuerunt valde probabile, ut viventi jam ad prorogandam ſpiritus uſuram ejuſmodi pertuſio ſubventura ſingulariter fuiſſet. Quod autem magis erat optandum, nunc vero tantundem dolendum eſt; fortaſſe quotidianis epidemicæ anginæ caſibus conclamatis eo exemplo medici noſtrates animati didiciſſent aliquando ſuccurrere.

Sed hujus ejuſdem hominis visceribus exectis, quę offenderimus, utile fuerit etiam enarrare. Reperta dextera cordis auricula durior, & cartilaginea, plurimo atro ſanguine diſtenta ſic, ut pugni magnitudinem æquaſſet: quæ diſſecta neque reſedit aut repreſſa eſt, ſed eodem modo fornicata perſtitit, velut, obfirmata huic ſtatui, & velut tigillis affabricata, ſiniſtra quoque auricula nil à priore varians. Inteſtina fibris quibuſdam veluti laciniis aut appendiculis diſtenta luteis, quas & in hominis ſuſpenſi cadavere ſecto per nos Anno 1630. plenis hominum ſpectaculis obſervavimus.

De ſtrumis mammarum.

§. 10

Duros quatuor affectus, ac tumores incurrunt mammæ; glandularum, ſtrumarum, ſcirrhi, cancri. Sed hic quidem ex aduſtis perpetuo gignitur ſuccis: quam ob cauſam, & teterrimus ipſe eſt, & graviſſimis ſymptomatis torquet. Reliqui omnes, ut non ex aduſtis humoribus proficiſcuntur; ſic longe minus infeſti ſunt. Has ob res, ut hoc utrumque genus facillimi diſcretus eſt: ita difficilius aliquanto cæteri diſtinguuntur, ſed ſcirrhus totum frequentius mammæ corpus occupans, immobilis eſt propemodum. Strumæ glandulæque, neque totum mammæ corpus occupant, neque immobiles ſunt, ſed prehenſæ digitis huc illucque diſtrahi poſſunt. Difficile autem glandulis, & ſtrumis diſcrimen poni: ac multi facile confuderint utrumque nomen propterea, quod oſtenderit Galen. ſtrumam eſſe ſcirrhum in glandula: glandula autem quid ſit niſi induratum quaſi ſcirrhode tuberculum plane non invenies apud eundem virum ubilibet: nihilominus apud Aetium è poſterioribus Græcis memini ſecundum Tetrab. 4. ſerm. 3. c. 5. leges accedere aliquid ad ſtrumas glandulas.

Ad omnem modum deteriores ſunt plane ſtrumæ, ac difficiliores contumacioreſque glandulis; imò quæ longos in annos natura, & medicamentis inexcuſſæ manent, quanquam autem per dierum intervalla rarum & momentaneum excitant dolorem, cæterum immutationem nullam doloris aut tactus inferunt. Itaque falluntur egregie, neque defendi poſſunt hi, qui affectum ejuſmodi ſub mammis cancrum arbitrantur inſanabilem, & curatione tantummodo fucata tractandum volunt. Porro cum non hæreat quanquam ſubjectæ carni, concolor ſit, veniſque turgentibus ſeptus non variceſcat, cancrum niſi quis ineruditus non dixerit. Itaque cum ejuſmodi tubercula mihi ſe offerunt, extrahenda ſtatim propono, ne vitii mora negotium poſthæc incurabile faceſſant. Nimirum poteſt ſcirrhus in laxa parte fracto ſuccorum acriorum cumulo in affinem cancrum faceſſere. Meminit autem horum à ſe curatorum Amatus Luſitanus Cur. 32. cent. tertiæ, & Io. Schenckius in obſerv. l. 2. tit. de mammis pag. 336. fortaſſe autem hæc & Megetis antiqui chirurgici ſtruma eſt, de qua Celſus lib. 5. c. 28. In mammis quoque fœminarum ſtrumas ſe reperiſſe Chirurgicus Meges auctor eſt. De hac etiam Ludovicus Mercatus, exſcindendæ extrahendæque ratione hac tradita l. 1. c. 17. p. 137. Qua ſtruma ſubeſt, particulam digitis utrinque comprehenſam, acu filum ducente ſubtus quidem primum tranſues, mox fili capitibus utrinque cum ſtruma ſequente attractis, hanc adacto ſcalpro ſecundum ſuas radices exſecabis, nulla ſui parte relicta membranula, quæ tuberculum inveſtit: qualis & in ſteatomatis atheromatiſque cautio eſt. Quam quidem excindendi rationem à Paræo & in cancro labiorum propoſitam memini, à quo auctore traditam rem mutuatus eſt fortaſſe Mercatus, deducta autem atque immutata eſt ex primo Cornel. Celſo, qui hanc l. 7. clavis oculi extirpandis propoſuit. Addidit autem Ludovicus liberatam mammam quemadmodum recentia vulnera conſuendam, niſi quid intus remanſerit; quo caſu non conſuendum, ſed detergentibus, & purgantibus utendum. Meminit & hujus quoque curationis Joannes Fragoſus in opere chirurgico tract. de apoſtem. q. 61. ſub finem nominato, ſicuti ſua gens conſuevit, hoc vitio zaratana.

Hanc ego curandi rationem cum in complurium medicorum convento propoſuiſſem honeſtæ cuidam fęminæ Lucanæ Ducis Illuſtriſſimæ Bucinenſium ancillæ, quæ eidem ſuo vitio conſultura Neapolim è compoſito venerat; inſolenti quadam & inſulſa, quam docti riſerint, adverſione, medicus quidem ſenior, negavit hæc quaquam attingenda, nedum excindenda tubercula propterea, quód corpora ſunt mammis quidem glanduloſa, aliis verò partibus glandulæ. Unde autem hanc rem didicerit homo ſapiens, quis eſt, qui induare queat? Ipſe nihilomi-

pominus Hipocratem aſſeverebat auctorem, qui ne id per ſomnium quidem: quin vero ait: ἀλλὰ καὶ ἀδένες οὑτοίσι ςέθισὶ μαζοὶ καλέονται, καὶ διείρονται, καὶ γάλα ποιέουσιν, &c. quæ ad amuſſim reddita latine per Ianum interpretem ſunt hæc; quin etiam glandulæ in pectoribus mammæ appellantur, & attolluntur, & lac faciunt, &c. Sed & præter Hippocr. nemo non aliorum omnium glanduloſa corpora dixit mammas, non autem adenas ipſas mammarum. Præterquam quod, ſi glanduloſa corpora ſint eadem, quid prohibet, ut excindi viriata non poſſint; quando & ipſas mammas feliciter exectas cum integras, & inculpatas, in Amazonum hiſtoria l. de aere, aquis, locis perhibuit Hippoc. tum etiam male valentes, ut de quamplurimis commentus eſt Io. Schenckius. Itaque apparet nil facere ad impediendam chirurgiam, quod glanduloſa quæpiam ſint corpora; contra quam homo iſte volebat. Sed his abunde jam cognitis, cæterum opinionem meam eventus rei ſingulariter comprobavit. Etenim mulieri medicamentis variis tum internis, tum externis & victu tenui ſudoribuſq; diu multum exagitatæ, ac prope laſſatæ, ne dum non aliquis profectus acceſſit: quinimò fieri non potuit, ut ne tumor, qui fomitem vitii tamdiu aluerat, demum exulceratus fuerit, quod illi tam impensè moleſtum mox evenit, ut jam rurſus ad nos redire, ac diſcrimen omne ſubire certa ſit, commiſiſſetque ſe utique noſtris manibus, niſi brumalia frigora, quæ teſtimonio Hippocratis inimica ſunt ulceribus, remorata eſſent.

Interim opinioni noſtræ veritatique divino quodam numine caſus adſtipulatus eſt. Scilicet Aureliæ ab Alexandro Ebulitæ fœminæ lectiſſimæ cancro mammæ dexteræ duos jam annos vexatæ glandulam ſpongiformem putredine laxatam, quæ ulceris medio adæſerat, eodem ipſo contradictore atque aliis medicis, tum phyſicis, tum Chirurgicis præſentibus levi forficula exempla exemimus, qua re confecta commodius per ea tempora vixit. Hoc unum exemplum eſto glandulæ ſpongiformis in fœminæ mamma. Sed & in viro comperta eſt hujuſmodi altera, quam de alæ diuturna fiſtula ſubſecui proximis diebus homini, qui perſanatum jam vix ſe ſanum putat: adeo ſpem ejus rei dejecerat ab aliis omnibus immedicatus. In cujus ſpongiolæ aliqua parte carunculæ teretes adverſæ duæ prominulis utrinque labellis, quæ roſtellum raiæ, vel erinacei marini præferebant, hiatus ſcil. unde eructabat fiſtulæ ſanies.

De Zona herpetis, ſive ignis ſacri ſpecie. §. 11.

Zonam quidem ad hoc tempus nemo tradidit à ſe obſervatam; uſque adeo, ut veram ejuſdem formam, ipſe, qui vidiſſet, teſtificari cæteris poſſet. Quo circa mihi ampliſſimis in valetudinariis medicinam quotidie factitanti, cum non ſemel viſenda obtigiſſet ejuſmodi ſpecies: facinus aut inertis, aut inconſulti hominis committere mihi videar, ſi rem hanc inter hos de novis obſervatis abſceſſibus, ac tumoribus ſermones, candidatos medicinæ cœlem, rem alioqui non minimi momenti, quando Plinius admonuerit extingui hominem hoc affectu, præterquam quod aſſequi ſenſus noſtrorum auctorum ea de re varie differentium etiam ad bonum profeſſorem pertinet. Primus ergo Scribonius Largus Paulo poſterior, quantum apparet, Celſo vir, atque à Gal. memoratiſſimus l. de comp. medic. præmiſſis cap. 244. & 245. & 246. ad ignem ſacrum, mox caput 247. 248. inſcripſit, ad Zonam, quam græci herpetem dicunt. Quibus iiſdem verbis uſus eſt & c. 63. qui idem vir, &c. 166. ejuſdem zonæ meminit. Itemque Marcellus Empiricus l. de medicamentis cap. 20. Sed Plinius auctor operis de re medica l. 2. cap. 35. inſcripſit (Ad circinum, quam zonam vocant) & ſubdidit; circinus quem alii zonam vocant, talis eſt; veſicæ tanquam combuſtæ exeunt, & crepant, primum paucæ, deinde cito multiplicantur, quæ ſi hominem cinxerint, occidunt, &c. ſequenti ad ignem ſacrum inſcripto; eſt, ait, genus ſacri ignis, quod zoſter vocatur, quod occidit eum, quem appetit, ſi præcingit. Sed Plinius ſecundus ſcriptor hiſtoriæ naturalis lib. 26. cap. 11. Ignis, ait, ſacri plura ſunt genera, inter quæ medium hominem ambiens, qui Zoſter appellatur, & enecat, ſi cinxerit.

Hęc auctores latini de Zonæ appellatione, more, natura, quæ ejuſdem natura plenius ut intelligatur, operæ precium judico, ut inquiratur etiam tum genus ejuſdem tum materia. Certum eſt quidem, calidiſſimum & fervidiſſimum hunc tumorem ex tali etiam humore procedere, ſed hæc bilis una eſt, quæ vel eryſipelas, vel herpetem parit; quorum appellationes & uſus latinis fuerunt alii, atque alii, nempe quidam ex his herpetis, & eryſipelatis nomen græcum attigêre; quidam non attigêre latino ignis ſacri nomine contenti. Incertum autem herpeticum igni ſacro comprehenderint, aut confunderint, nimirum exacti rerum iſtarum æſtimatores & judices minime placuit eſſe Romanis, quorum gravitas minus quam græci conſueverant, medicam rem excoluit, aut dignata eſt, Plinio adnotante hiſtor. natur. libr. 29. proœmio: unus Cornelius Celſus eryſipelas aperte diſcrevit ab igne ſacro: quod genus duplicis herpetis poſuit æſthiomeni, & ſecus. Eryſipelam verò atq; ignem ſacrum hi, qui ſubſequuti ſunt, aliter atq; aliter acceperunt, nam hi confuderunt, hi diſcreverunt: atque alii ſacrum ignem cum herpete unum eundemque affectum cenſuerunt, quorum unus eſt Io. Manardus lib. 7. epiſt. 2. Alii verò ſejunxerunt, è quibus eſt Oribaſius ad aphoriſmum 23. l. 5. Ita ſcilicet nomina græca, & latina diſtracta atque accepta varios ſingulis ſenſus atque opiniones pepererunt.

Foret autem hic infinitus, aut etiam alienus ab inſtituto noſtro labor, ſi cunctas componere lites, aut univerſam rem pertractare vellem; ſatis huic loco videtur ſi latinorum, qui zonæ meminerunt, ſententiæ duntaxat expendantur, quam rem ſic brevi conſtituo. Scribonius, Apuleius, Marcellus, uterque Plinius abjecto græco eryſipelatis vocabulo ignis ſacri nomine ſunt uſi: herpetem ſi quando nominavere, græcis etiam characteribus expreſſere. Apud hos quidem Zonæ nomen extitit non ſemel, at hoc quidem diſcrimine: nam apud Scribonium herpetis ſpecies eſt Zona: at verò Plinio ignis ſacri, hoc eſt (quæ opinio noſtra, & Ingraſſiæ fuit) eryſipelatis forma quædam. Marcellus vel dubius eſt, vel ad Scribonium acceſſit. Cornelius nuſquam locorum, ſeu zonæ, ſeu zoſteris meminit: fortaſſe, quæ ſuo ſeculo vel non extitit, vel non adverſa eſt. Cæterum enim abſolutus auctor rem alioquin non contemnendam non contempſiſſet, aut prætériiſſet.

His ſic expoſitis inquirendum nunc occurrit, quem in modum aut ſitum hoc ſe cingulum ad corpus accommodet: an tranſverſim ſcil. ut balrheum inducitur; an verò ſatis eſt, ut ſecundum ſe ipſum tantummodò nullo ſitu corporis diſcreto formam illam orbis adſciſcat. Plinius quidem videtur ad uſum cinguli poſuiſſe: alium vero faſcia circui cum attribuit zonæ Ioannes Langius, cum ob nimiam ſub febre continua effervencis choleræ copiam inflammationem à lumbis, umbilico, ac teſticulorum oſcheo uſque ad genua hominem cingit atque circumdat.

Verum, quem nos Zonæ modum, & formam ob-

ſervavimus, audi. Sæpius enim hæc viſa poſteriore thorace, & ſecundum ſuperiores lumbos cincinata, quam in Societatis Jeſu Sacerdote ſacrarum collegii ædium vidi cum Mario Schipano diligentiſſimo rerum iſtarum obſervatore: alteram cum Franciſco Nola Medico ſatis induſtrio curavi Mario Canello Sacerdoti integerrimo. In palma ſimiliter cujuſdam ſutoris calceonarii, qui ſyphile fuerat affectus, luculenta nuper fuit obſervata cumprimis Zona: qui primum dolorem acrem in pectore perpeſſus fuerat. Itemque aliæ pleræque ſe obtulerunt in valetudinario morbis Incurabilibus dicato: quas omnes explicare longum eſſet. Perſequitur hic affectus pallidiores, habitu corrupto, ac viſceribus male valentibus homines: qui his ipſis de cauſis jugulantur, non autem exilis zonulæ vi, aut pravitate, quanquam equidem non inficior, malignitatem ad pernecandum ineſſe zonæ: ſed nihilominus à me nulla comperta perniciosa; propterea fortaſſe, quod hominem ſecundum utrumque latus præcinxiſſe viſa eſt nulla; quod ad necem requiſiſſe viſus eſt Plinius.

De abſceſſu per umbilicum. §. 12.

Umbilicus, ut omnes anatomici definiere, complexus eſt quidam duarum arteriarum, & unius venæ præter unam aponeuroſin, ſive nerveum proceſſum, qui nonnullis quidem cavus eſt ductus, ſolidus vero multis; quæ vaſa mirifico naturæ commento ſunt inſtituta, ut per hæc alimentum vitamque capeſſat fœtus dum utero geſtatur, quemadmodum per pedunculum poma, & fructus omnes, à quo uteri ergaſtula poſtquam egreſſus eſt infans, emerita & vieta reddita iſta vaſa coaleſcunt & occæcantur ita, ut in ligamentum hepatis appenſi ſecedant, quo hepate aut cognatis partibus male habentibus, ac tumore, vel liquore vitioſo ſcatentibus, ac madefactum hoc vas, natura procurante ſic hiat, ut effluere poſſit inde quælibet concepta labes: per quam viam ejecta lotia puellæ, cui per multos menſes fuerant ſuppreſſa, narravit Bartholomæus Cabrol. obſerv. 20. & ex hoc auctore Andreas Laurentius lib. 6. quæſt. 17. Cujus ſimilem hiſtoriam retulit Ioan. Fernel. l. 6. cap. 13. Conſtantius vero Varolius memoriæ prodidit aquam Hydropici per unam hanc viam effluxum habuiſſe. Ego vero ſervo memoria viſos à me complures, quibus in multos annos expurgatio non hepatis tantum, ſed totius etiam corporis facta eſt; ſaniem nunc cruentam, nunc ſolum ichorodem ducente abſceſſu, in hominibus quippe non admodum integris, aut inculpata valetudine. Ex his unus Thomas Carrafa Ordinis Prædicatorii vir facundia non minus quàm genere clarus: qui longo cum hoc effluxu commortuus eſt; florentibus adhuc annis, dignus qui Neſtoreos ſuperaſſet. Alter, qui nunc vivit Honophrius Clarellus adoleſcens vigeſimum annum natus; qui jam tertium, & amplius hoc abſceſſu tenetur. Dubius autem ſum, an hujuſmodi fuerit abſceſſus umbilici, quem decem jam menſes plurimo pure manaſſe retulit modo citatus Bartholomæus Cabrolius in obſerv. 19. Tertia fuit mulier natu grandis quæ ex abſceſſu ad eam partem nato ulcus inſanabile geſtabat. Sunt porro non obducenda hæc ulcera, neq; impediendi abſceſſus, quos natura inſtituit, aut plurima humorum copia fovet. Credo autem non ex hoc genere, ſed ſimpliciorem abſceſſum fuiſſe, quem Annæ Eſtenſi curaſſe teſtatus eſt Antonius Muſa Braſavolus in commentario lib. 3. Aphor. 22. Sed neque hic judico ſilendum à Philippo Ingraſſia lib. de tumor. præter naturam propoſitum plus ſemel genus quoddam abſceſſus umbilicalis à ſanguine conflati, quod æmatomphalon græce vocatum eſt. Hoc autem in infantibus potiſſimum viſum crediderim: quod ad ſanguifluorum abſceſſuum genus referri memento.

De varicibus infimi ventris, & femorum mire implicatis. §. 13.

Aurelius Cornelius Celſus in libr. 7. cap. 17. & Hieronymus Fabricius in oper. chirur. volum. teſtati ſunt inſolentes eſſe ventri variculas. Quod fit propterea quia exterior abdominis habitus admodum parvis & paucis irrigatur vaſculis: quæ trunco circa centrum agitato parum dilatari non ita facile poſſunt, magis id eminentibus locis accidit. Quæ ut vera ſint omnia: nihilominus viſæ mihi per hypogaſtrii ſumma varices mirum in modum implicitæ, atque diſtentæ, ita, ut venter quidem appareret Meduſæ caput; inter verò femora & crurium excurſus anguibus veluti coeuntibus ſub cutem fæti. Quibus affectibus non mediocriter homo gravari ſe referebat, at vero cum decumberet nihil ejuſmodi rerum totis hiſce locis exiſtere. Juvenis erat ex familiaribus Illuſtr. Marchionis Macchiegolanæ, procerior aliquanto, quàm ſtatæ menſuræ homo; habitu mediocri, colore corporis florentiore, ſed diluto, oculis variis, capillitio prope phænicino, quas ob res minime melancholicus exiſtimatus eſt ab omnibus, qui viderunt. Itaque ſcrutantibus nobis exteriores cauſas illud admirationem facti ſummovit, quod aliquot ante annis de ſublimi admodum loco caſum expertus eſt; à quo uno quaſi quaſſatus ſanguis, & ad inferiora propulſus diſtendere vaſcula laxareque facile potuit, ita, ut in poſterum imbecilla redderentur, quid, quod, & in partes inferiores factus corporis prægravatus atque concuſſus varicoſas dictas dilatationes onera bajulantibus, curſoribus, ligones exercentibus, excitare compertum eſt. Quod etiam Arabs Avicenna notavit. Sed & longus recto corpore ſtatus acceſſum provocat varicularum: id quod intellexiſſe videtur Juvenalis poëta, qui ait.

Varicoſus fiet Aruſpes.

Ex grandi ſcilicet conſtitutione, & quaſi ſtabulatione, ac longo ſtatu.

De abſceſſu tereti, ac fermè trunculato. §. 14.

Sed & teretem trunculi modo paulo minus, ſemi ſpithama productum tumorem, è carne atque adipe extantem, neque muſculos attingentem intus, à putrilagine perinde, ut caniculatim excavatum obſervari licuit in ſacri noſtri noſocomii languentibus. Id autem eſſe videtur vitii genus, quantum equidem conjectura aſſequor, quod tentare ſoleas eam hominum ſortem, qui inopiam, aeris udi atque hyberni, proximeque attacti corpore ſoli, dum duriter cubant, injuriis, pravoſque victus, & aquarum malarum potus quotidie experiuntur. E multis, quos ex eo morbo curavi, memoria ſervavi Petrum quendam Leodienſem, tenuis proceríque corporis juvenem, qui ſtudiorum gratia ſuis è laribus Patavium peregre profectus hic Neapoli & febre, & pleriſque tuberculis corruptitiis omnibus ægrotavit. Inter quos illud ipſum erat, quod modo deſcripſi, ab interiore ſupremo femore ad altum filiorum clivum exporrectus: quem ſuppuratu mollem totum unico ſcalpri adunci tractu diſcidi, atque expurgatum brevi curavi. Intus caruncula ſemiputris, carneis corroſis fibris pleriſque locis diſtenta, & veluti lacer panniculus contrita. Quod abſceſſus genus enarratum volui, tum novæ formæ, tum ſitus locique obſervatione; equidem dubius ſæpè

ſæpè an hic ipſe de his ſit, quæ Hipp. com. 2. progn. text. 25. cyrtomata vocavit. Verum enim verò & majora, tum mole, tum poteſtate cyrtomata ſunt, ſiquidem in partes infra cutem abditiora.

De abſceſſibus ſuppuratis artuum mediorum. §. 15.

Abceſſus artuum duplici ſe forma medentibus offerunt; alteri quidem ex una quaſi planicie, ac lata baſi in anguſtum papillæ modo extenuantur, qui tum ægrotantium incolumitati, tum medicis hos diſcretutis curaturiſque commodiſſimi ſentiuntur: ob eas cauſas probati, quod alias oſtendimus ab Hippocrate. Alteri ſunt, qui ſecundum nullam privatam partem, ac neque etiam longo tempore ſublati tota æquabiliter membrorum forma ſervata extumeſcunt. Quorum cum obducta cutis, nullibi ſit extenuata, difficilem abſceſſus notitiam, aut opinionem facit imperitis his chirurgis, qui tractandis hiſce negotiis minime ſunt aſſueti, qui neque tam multum arguendi eſſent, ſi culpam ſuam cognoſcerent. Sed hanc etiam ipſimet infinite augent; cum valetudinaria, & in his occupatos medentes obnixe vituperant, quo jure quave injuria viderint experti doctique alii, enim vero me (quod non meæ quidem laudi, ſed occupationi tributum volo) perpetuo affluentibus in æde ſacra valetudinariis mane veſperique medendis multos jam annos exercitum admirati ſunt non ſemel plerique tum noſtrates, ſed candidi quidem, tum exteri medici non eruditi; quod planos, & nil exiſtentes iſtos abſceſſus ſeu ferro frigido, ſeu per ignem rutilo certis ſemper adminiſtrationibus aperuerim. At verò famigerati aliqui noſtri leviter in levi, & medicamentaria chirurgia verſati jam pridem genus hoc tumoris in brachio Domini Fernandi de Cardinas Illuſtr. Marchionis Layni filii, etiam atque etiam à ſe contrectatum licet præmoniti non dignovêre: ſed ad maturitatem uſque ſuam fovendum, & adjuvandum ſtatuere, à quo jam intus late ſtagnante pure miſellus eques diu lancinatus fuerat ſic, ut noctes inſomnes, dies vero longos in ejulatibus duceret non ſine gangrænæ periculo, niſi feſtine ſuccurſum fuiſſet apertura, quâ unâ declaratum eſt demum, utri recte ſenſerimus in hac re: quam teſtificari poteſt & Petrus Foglia chirurgus, ut cum honore nominem, in valetudinario verſatus. Quæ te volui non ignorare mi homo, qui legis, ut prudens cautuſque ſis hiſce caſibus, qui perperam aut recte diſcreti, tanti momenti ſunt ad vitas ſive tuendas, ſive perdendas miſerorum mortalium ad extremum autem, ni vitæ ſit alea ſubeunda; muſculorum nervorumque mutilatio certa eſt; ſi diutius ab acri ſanie ſinantur hi confici, & abrodi: quem partis organicæ violatum atque abruptum mutilationem dici recte monſtravit Paulus Zacchia Romanus medicorum, & juriſconſultorum Mercurius in lib. 5. quæſtionum medico legalium tit. 3. quæſt. 1. De abſceſſibus verò hiſce articulorum maturè aperiendis lege Nic. Florent. l. 7. ſum. 2. tr. 5. c. 68. p. 224. col. 2. F. Galen. lib. de Theriaca ad Piſonem v. 90.

De flatulentis abſceſſibus artuum. §. 16.

Abſceſſibus, qui nulla præeunte phlegmone naſcuntur, à Galeno libr. 14. meth. cap. 12. memoratis & ab hominum vulgo frigidis appellatis: duplex ad cognitionem ſpectans difficultas ineſt, altera, qua ſuppurati, ſive puris profunditate, ſive cutis craſſitie non deprehenduntur; altera, quæ mollitudine ſuppurationem ementiuntur: quod utrumque diſcriminoſum eſt. Nos hîc de ſecundo genere magis dicemus, ex quo ſunt halituoſi tumores emphyſemata græcis dicta, quæ plerumque medicis imponunt, ut credant aperiendos eſſe, qui minime ferro ſunt attingendi, quam rem aliquot expoſitis exemplis illuſtremus. Evenit enim non raro, ut abſceſſus frigidi ſectionem meditati medici, cum poſtridie mane rem accedunt adminiſtraturi, deletum inveniunt jam affectum. Id quod ad unguem accidit honorato viro Joſepho Capovæ tabellioni publico, Bartholi chirurgi parenti: in cujus genu dextero abſceſſus cum medicis veſperi fluctuantem ſaniem contrectantibus oſtendiſſet: poſtridie, incertum qua vi, diſcuſſus eſt totus. Idem accidit & Gabriæ (vulgo Caprii) fabri ſartoris filiæ, quam Dominicus Moſcha diligens in arte chirurgica vir me plerunque collega curavit: quam rem & alii medici ſibi con pertum etiam plana fide teſtantur, quod ejuſdem rei meminit Avicen. lib. 4. ſent. 3. tr. 2. c. 19. De hiſce cautè ſecandis eſt tibi legendus Avic. apud Nic. Florent. tr. 5. ſum. 1. ſerm. 3. c. 42. p. 204.

De hydrocele præputii. §. 17.

Sed & alterum redundantiæ inchorodis abſceſſum non pœnitendæ lectionis enarrabo; quem nemo priorum ad hanc diem advertit, nominavit, attigit. Conſenſu omnium, & Hieronymi Mercurialis teſtimonio in lib. de fœtus creatione firmatum eſt, ſemen ex ſeroſa ſanguinis portione prima proficiſci: quæ ipſa morbi venerei contagione accidente inquinatur, & quoque pacto alienata rejicitur à natura, & formam ichoris nacta in partes infimas amandatur. Hujuſmodi autem eſt inter multas præputium, quod irruente aqua ſic diſtenditur, ut quam ampliſſime excreſcat: quod compunctum undique ſcalpello multam aquam, ſeu tenuem ichorem reddere ſolet; res, quæ per nos in ſacro valetudinario prope in dies ſingulos obſervatur. Quoniam autem evenire facile poteſt, ut illata vulnuſcula coaleſcant: protinus danda ſunt medicamenta, quæ id vetent, eſt autem inter omnia valentiſſimum Sal, quo Græci, Latini, Arabes, & poſteriores noſtri omnes uſque ad Chymiatros multifariam uſi ſunt in paracenteſi hydropis, tum etiam in ancyloblepharo, atque aliis pleriſque hoc genus cæſuris: de qua re nos fuſe in operis de auxiliis chirurgiæ parte, quæ inſcripta eſt pharmaco-chirurgicum, qua de materia foſſili ac de ſale.

De typocele, ſeu tophaceo abſceſſu ſcroti. §. 18.

Multiplicibus plane vitiis obnoxium eſt ſcrotum; ut quod & multiforme eſt ipſum quaternis intertextum tunicis, & pendula laxitate concuſſile, in proclivi poſitum, infirmæ conditionis & exangue. Decurſus igitur glaſteæ pituitæ cum ad hoſce locos fit; hic exiccatus ac diu duratus tophaceam indui formam: in quo ſuſcitato aliquando putredo ob admixtum aliquod acre fermentum, quod diu latuit: ſic ulceratur accenſus tumor, & contumax ulcus parit, quæ quam difficile curata ſit, cognoſces facile, ſi undique circumſtantem offartum animo propoſueris. Sic unus exeſtus, qui veterem ſanitatem reſtituere valeat, reliquus eſt cujus adminiſtrandæ rei præcepta quidem tradidit Paulus Ægineta lib. 6. c. 63. exempla nos perplura in efficaci chirurgia proprio ſuo loco.

De verticillo ani vitio. §. 19.

Obtigit mihi vidiſſe complurimis hominibus circa podicis peripheriam, neſcio dicam ſarcoma, an inteſtini recti caput extremum everſum aliquo ſive ſuo, ſive altiore vitio corporis obduratum, atque firmatum extra ſic, ut à primo exortu nequaquam remeabile, aut diſcuſſile fuerit, nimirum oſtracode, ac ſcirrhode duritie, exerta, ſed preſſula planaque forma, lævi facie, ac paſſeo plane colore. Ad ſummam ſi dolorem detrahas, ita conformatum, ut verticillum, quod mulieres medio fuſo appendunt, referat: verticillum igitur ani pleriſque per me ſpectatum admiſſis, & nobis nominari non inepte viſum eſt, quod credo nulli priorum adverſum vitium, aut deſcriptum, nam neque fungus apparet, quem l. 6. cap. 18. F. deſcripſit Cornelius Celſus: tum, quod diſcrepat fungi figura; tum quod verticillum tuberculum eſt potius, quam ulcus, quale voluit is autor: ni tamen haud ita ſtudioſe, & examuſſim ſint ea, quæ Celſus propoſuit accipienda. Omnibus autem modis concrementum opinor à non diſſimili, aut communi condylomatum & hypoſarcomatum latorum, quæ hiſce locis obvenire ſolent, cauſa productum. Sed enim è melancholico ſucco, & melancholicicis naturis hæc obſervavi ſemper oborta. Curavi autem non medicamentis vehementioribus, quorum opera tum inefficacior, tum acerbior eſt, ferro equidem candenti, quod & Celſus poſtremo præcepit, malum omne repreſſi tum vetulo cuiquam honorando compatriotæ Alexii Aloniæ medici Caſtelvetrani diligentiſſimi, qui hominem ad me perduxit; tum Gregorio Carariæ Scribæ libellorum Prætorii Neapolitani; tum Calabro cuidam aliiſque compluribus in Noſodochio hoſpitatis: quarum omnium curationum exitus felix fuit. Res apprime notæ toto noſtro valetudinario, atque extra.

De *terminthis.* §. 20.

Terminthus ſpecies eſt phymatis, ait Oribaſius, ſupra quod puſtula nigra eminet; qua rupta inferne ſimilis deſquamato apparet; eo autem diſſecto pus invenitur. Dioſcorides Alexandræus ſcriptis prodidit terminthum eſſe cutis excreſcentiam rotundam, ex nigro viridem terebinthi fructui ſimilem. Id quod etiam Galeno viſum eſt liber. de voculis uſurpatis ab Hippocrate, qui idem Galen. tex. 37. comment. 3. lib. 6. epidemiarum literis mandavit, terminthorum nomen nigras quaſdam puſtulas in cruribus maxime orientes ſignificare, à figuræ, coloris, magnitudiniſque ſimilitudine, quam cum terminthorum, hoc eſt, cicerum fructu habent, derivatum. His addere mihi libet, ſi licet, pleraque, tum quæ intelligentia conſequutus ſum; tum quæ obſervatione, atque experientia comperi. Difficile autem etiam atque etiam pronunciare, quid hoc morbi ſit ex his, quos ætate noſtra cognovimus: quandoquidem ignorantur hodierna die terminthi, planeque ſunt exoleti tum nominis, tum notitiæ; quaſi deſierint extare ab antiquorum ævo, quemadmodum dracunculi, quorum penitus interiit memoria. Nihilominus & ad noſtra tempora exiſtere terminthos, & frequentiſſime nobis obtingere affirmo, nil prorſus evariantes ab his, quos antiqui deſcriptos reliquêre. Enimvero duo ſunt hujus vitii tempora: non exulcerati quidem nulla apud noſtros eſt appellatio neque notio, tuberculum non diſtinguentes, aut dignoſcentes; exulceratum vero quandoquidem deſquamato ſimilis, id eſt, arroſus eſt; referunt ad ulcera contumacia. Mirum autem, quod hæc non enarravit aut Falloppius, aut Vidius, aut Tagautius, aut Fabricius, aut reliqui noſtri ſcriptores induſtrii. Manardus verò, & Ingraſſias qui argumentum hoc tractarunt, rem hanc exacte non explicantes majorem admirationem attulêre. Arabes, & barbaros, & horum amicos non nomino, qui ſubtiliores res iſtas græcorum minime comprehenderunt. Sed nos pauca, quę veteres propoſuerunt, veſtigantes, alia, quæ deſiderantur, eruamus, & adjiciamus.

Prima autem inquiſitio eſto generis, quod anceps eſt nempe phyma, id eſt, tuberculum ponit Oribaſius, & Aetius lib. 1. cap. 6. & Paul. 4. cap. 24. puſtulam Galenus loco cit. Dioſcor. vero Alexandrinus dixit τὴν ὑπερχωρὴν, id eſt, ut Raſarius, Andernacus, & Cornarius verterunt, excreſcentiam. Qui gręci omnes autores, etiamſi diſcrepare appareant; tamen re vera non diſcrepant. Quippe vides univerſum vitium conſtare & phymate ſecundum majorem ſui modum, & adnata puſtula, quæ cum ſuppuratio accedit, tum maxime gignitur, atque extenuata demum cute dirumpitur. Hanc igitur alii privatim, alii tuberculum inſpexere. Quo factum eſt, ut terminthi fructibus ęquales, id eſt, ut Matthiolus cenſuit, juniperi baccis compares, nos vero majores terminthis faciamus; atque eo magis quod Oribaſius eminere ſupra phyma puſtulam dixit. Accedere autem ad phyma puſtulam confirmatur, & quod ἐπικεῖσθαι ἄνωκ ἄτω φλυκταίναν hanc dixit Paulus: quamvis autem ἀνοτάτω corrigat Andernacus; nihilominus; priori lectioni favet Aetius, qui prior fuit Paulo Ægineta: favit & Manardus l. 7. epiſtol. 2. Itaque ſi inferne ſuperne puſtulæ rotundę incumbunt, liquet majuſculum eſſe phyma terminthum.

Sed cauſas nunc, quæ materiam procreandi tumoris exhibent, & aliqua, quę ad has attinent, exponamus. Enunciatum eſt ab Hippocrate l. de humor. ſimilem humoribus efflореſcere calorem: at qui color ſuis cum ſuccis reſpondeat, horum ſubſtantiam non declarare non poteſt, ſi recte animum advertērimus. Porro colorem, alii nigrum, ut Oribaſius, Aetius, Paulus: μελανοχλωρον nigroviridem retulit Dioſcor. Alexandræus, qui certe ſecundum Hippocratem l. 2. prorheticorum colores ſunt peſſimi. Peſſimi igitur ſucci, qui atrę bilis erunt, ſoboles: quapropter epinyctidis communem curationem habent apud Aetium relato loco. Aſſati vero calidique ſanguinis cauſam expreſſit Georg. Bettinus l. 13. ſuę medic. cap. 3. & Franc. Valleſius in l. 2. epid. ſect. 2. tex. 6. Accedit, quod hujus vitii proprium eſt, inopes & malis opſoniis uti conſuetos, ac dura omnia patientes homines inſectari. Oritur autem in cruribus, qua pronus ab jecinore in partes humiles, exercitas, ac debiles vitiati ſanguinis eſt excurſus.

Ad hunc modum expoſitus eſt prior tumoris ſtatus. Reſtat nunc ulceris diſquiſitio, quod natura eſt ferme maligna: ſerpit enim tacite labes, & curatione contumax eſt ita, ut pro herpete habeant quidam: fortaſſis autem hi non male cum herpete congruunt ęſthiomeno: ἑλκώδεις appellat abſolute Cornelius Celſus, adnotante Manardo citato loco. Verum enimvero herpetici dici poſſunt: naturam herpetis revera non habent, ſunt autem tubercula tumoreſve potius quam ulcera, tranſmigrant autem in hæc ex illis, ut quam plurima phymata. Cæterum hos principio cognoveris, quia fructus primum baccarum oxycedrię qui vireſcentes ſunt, mox juniperinarum melanchloron colorem matureſcentes immutant, ita formam, figuram, colorem, magnitudinem ab antiquis poſita ſingulatim comprobaveris. Illud unum inter omnia maxime advertendum eſt, terebintho arbori, cujus fructibus hæc tubercula ſunt æquiparata, binos provenire fructus: alteros in ramorum majorum corpore, qui craſſiores, fabę & amygdalæ forma ſunt ſecundum Matthiolum: alteros in pericarpio, qui ſunt antedictis minores cice-

ris

ris ſcil. magnitudine, qualem fortaſſe voluit, non ciceris formam Galenus. Credo equidem terminthos, aut magnitudinis ergo dictos, quales majoribus terebinthi ramis adnaſcuntur: vel quales pericarpio quidem ſunt, dictos hos tumores propterea, quod, ſicut pro variis maturitatis temporibus terebinthi fructus diverſos colores adſciſcunt: ad hunc modum hæc tubercula, quæ illis comparantur. Atque hæc mihi ſubeunt in præſenti de terminthis, alias fortaſſe ſubtilius explicandis. Pauca nunc, quæ ad curationem ſpectant, exequar in hac etiam demonſtratione accommodata.

Terminthos, ne ſerpant, conſuevi quidem ſcalpro reſcindere, quanto autem magis ab radice, & à ſana parte amputaveris, eo conſultius feceris, effluet autem ſanguis atrior, & mororum nigrorum ſucco, interdum etiam vini fæculæ ſimilis. Quod ſi plurimum reſcindi carnis ab homine laborante vetetur, maneatque caruncula putris; valenter exiccantia ſunt imponenda, ſtudioſiuſque ulcera ſunt tractanda: quippe quæ & difficilia ſunt & cum ſaneſcere apparuerint, conceptam fiduciam imprudentium ſubinde ludere conſueverunt.

De flexu ſupremi pedis alto, ac toroſo tubere velut torquato. §. 21.

Cingulum pedis ſupremi, qua flectitur, pollicis duplicati craſſitudine vidimus in homine ruſtico, qui ſe curandum in ſacrum noſtrum incurabilium nosodochium receperat. Tuber quidem inſolens atq; hactenus à nemine obſervatum, aut certe deſcriptum, facile judicaſſes à longo geſtatu compedum inductum. Sed neque ejuſmodi quidquam compertum in his, qui toto vitæ decurſu compedes duros pertrahere conſuevetunt, ortum autem illud ab erumpente pituita craſſa, & melancholico ſucco; aſperum autem extime velut in elephantico tumore cutis, & ſubnigrum. Hunc nos circumſcictum, & exuſtum facile curavimus. Qualem ad amuſſim toroſum pedis cingulum nos & in alio etiam inope vidimus in valetudinario, qui chirurgicæ ſe manui committere nullis ſuaſionibus paſſus eſt.

Cap. 10. *De perdolentibus, abſceſſu nullo apparente, impreſſuris.*

Dum novos abſceſſus conſequi pergo: duo mihi poſt alios adhuc ſe offerunt abſceſſus multis nominibus digni, qui deſcribantur. Præter enim unam novitatem, ineſt & vitii exilitas aperto alioquin loco non aſpectabilis, & cacoethia, ac præterea contumacia, quæ mortales ad mortem uſque comitatur. Res quæ præter alia, difficultate inveſtigationis, & obſcuritate nulli ſecunda videtur: enormitate verò pleriſque omnibus anteponenda. Antonius à Cavio Provinciæ Romanæ oppido, Sacerdos ſodalis Franciſcanus ex his, quos Conventuales appellant: homo vigeſimum quintum, aut circiter annum natus, puſillo corpore, habitu gracili, dejecto plane colore, craſi omnino bilioſa & non nihil exuſta; id ſibi moleſtiarum & morbi decem jam annos queſtus eſt incurriſſe. Ad medium inferioris maxillæ locum, qua cum labro, item inferiore mediis membranis connectitur, nullo unquam apparente tumore, vel alieno colore, pturigo inſultat in dies ſæpe ſic gravis & effera, ut neceſſum ſibi ſit, ut dolor ejuſmodi prehendit; nunc dextera, nunc læva manu, partitis ſcil. quaſi vicibus laboris, locum, qua mentum inchoat, vehementiſſime quatere preſſumque huc illuc varie deducere, quo facto in horas particulæ defricatu ſic poſſe quieſcere, ut furiente illo dolore non deprimatur, atque diſpereat: Quamquam qualis illa quies, aut qualis illa levatio ſit, cui ſuperſit amaritudo incomparabiliter potior? Cui malo nullæ pares corporis aut inanitiones, aut expurgationes, aut aliæ ſudationes: ut neque diverſoria remedia, fonticuli, externa epithemata, intinctus medicamentorum acerrimi, & quæ denique non medelæ? Adde neque diruptus conciſuſque particulæ, quæ perpetuo, credo, lancinatu callum obduxerat. Quid plura? ſed neque vis ignis ex ferro diaphano, & ſcintillante vitii virus excoquere, quid dicam autem extirpare? valens fuit: adeo ſc. atrox fomes altis nixus radicibus intime ſe reduxerat. Cui contumaciæ, quid remedii reliquum, præter quam reſolutis omnibus operimentis pateret os, abraderetur, atque ad medullam (ſiquidem opus eſſet) effoderetur, unde manaret demum atque exhauriretur cæca vis mali. Sed hæc quis adeat? quis ſuſtineat? qui ſuaſiſſet, aut adminiſtraviſſet, certe non defuit: Sed etiam ſi idem ipſe vir huic operæ pro defungendis quoquo pacto doloribus non difficile annuiſſet: cæterum ſodales, & in D. Laurentii Sacris ædibus antiſtites ſui, nequaquam id attrectandum permiſêre: Quamobrem vivit adhuc vitæ pertæſus homo, vigiliis nocturnis moleſtiiſque diurnis quaſſus actuſque ſic, ut aridus, & ſqualens toto corpore, futurum ſit aliquando, ut doloribus ſalis in modum, quod Plautus ait, liqueſcat. Res nota nullis non Cænobii fratribus, mediciſque Neapolitanis, quo homo miſerabilis ſingulos conſuluit, Patavinis, & Venetis, & Romanis etiam exacto tempore immedicabilis. Itaque, & aſſere malum exile loco perexiguo circumſcriptum, externum, & quaſi hilum in ſe coactum, multis & magnis medicamentis omnis generis, & exquiſitis ceſſurum. Sed enim opinor ſpiritale malum, id eſt, auram fumidam & nitroſam, diu aliquando collectam perioſtium aut os ipſum vitiaſſe, interim autem, ut foveatur & conſervetur ab affluente & perenni ſub venis materia perpetuari; atque perſiſtere. Quapropter remediis ſemper exiccantibus agitatum malum, nedum non elevatum eſt aut fractum, ſed fotum etiam atque auctum, fortaſſis autem ſerapia fumariæ majoris compoſitionis, ex aqua fontana balnea aut lactis aſinini uſus commodiora fuiſſent.

Sed venio jam ad alteram, quam relaturus promiſeram, affectus conſimilis enarrationem. Dominus Antonius Lombardus venerabilis Sacerdos, & Curator Plebanus in Sacris ædibus Sancti Angeli ad ſignum 70. annum attingens, homo plane melancholicus, habitu mediocri, ſed dimenſu procero corporis: ſeptem ab hinc annis dolorem, prunæ modo flagrantem, ac perurentem perſentire perpetuum apud Franciſcum Nolam & me medicos amicos, ſæpe conqueſtus eſt. Qui omni remediorum genere pulſus, nuſquam excuſſus eſt aut levatus, tantum venarum ſummis per commiſſa ritè multa cardui pericarpia compunctis molliri tantiſper acerbum fervorem aſſerebat; ſed mox tamen recurrebat infractus dolor; ut gravius torqueret; ita ferox ejuſdem, ita ſolida ſemper perſtitit cauſa, quam equidem ad ſcaturiginem, & ad affluxum interiorem referendam certus ſum. Porro ſeni ſub umbilicum affatim irrequieta micabat arteria: Indicio ſcil. quod fumidus ille ſpiritus ater teterque plurimus utraque vaſa, ſed maxime arterias diſtringat, atque diſtineat, ex qua aura diſcoquente ſuggeritur pereniter alimonia morbo. Hunc ego ſane quemadmodum & priorem hominem curaſſem: Sed vetulo, neſcio quam ob cauſam, noſtra exaudita ſuaſio non eſt. Ita ſcil. ad ſenſum hominum cadere darique conſilia debent, ut ſuſcipiantur, & ineantur. Habes jam duos mirificos, & ſor-

& fortis agnatæ caſus, quos equidem impreſſuras afficientis mali vocavi: propterea quod impreſſum ſemel parti vitium, tum cauſa aſſidua fovente, tum remedio non attingente, nuſquam emotum perſtat, etiamſi à ſpiritu natum.

His adjicimus ſequentia: Perdolens impreſſura & contumax ex non cognita vel cauſa, vel generatione modo nobis obſervata ſupra veſicam, quæ poſt tentata in caſſum multa præſidia generoſa, brevi fomitis igne diſcuſſa eſt in melancholico quodam viro, cujus nomen non annotavi.

Scipioni de lo Previte Fractenſi Tonſori perdolens impreſſura fuit ad indicem digitum extremum, quam ex uſu gummi, ſeu ſpuma venenata diorum draconum ſuſtuli: adeò hæc mala grandia medicamenta requirunt.

Atrabilaria impreſſura in vulva uxoris Cæſari Fortunati, nullis unquam vel valentiſſimis medicamentis emota poſt diuturnos lancinatus fœminæ miſcellæ mortifera; Porrò tam ope medicâ indelebilis hæc noxa, ut ad τὴν βασκανίαν faſcinum nos aut incatamentum magicum dicemus, retulerint plerique R. P. Benigno minoritæ obſervanti ex oppido Caſtellucii intra podicem perdolens impreſſura ſic pertinax fuit & infeſta, ut candens ferramentum immitti paſſus fuerit in cœnobio crucis, non ſine cruce; Verùm hoc præſidio ſic conſtanter eſt ſanatus, ut nunquam amplius ad ſe redierit dolor.

Cap. 21. *De carunculis ad exulceratos abditos canales corporis adnaſcentibus.*

Exulceratis particulis plerunque viſum exurgere carnem ſuperfluam: quod fit, ſcil. quia multa veniens in alimentum portio, quæ viſcida eſt, coagmentata ſæpe cumulum aliquem facit. Verum ſubſtantia, aut modus non unus ubilibet eſt. Canalibus, qui membranei nerveique ſunt, ſuus & proprius eſt accretus. Sic ad urethram, quam acris & fæda ſub venerea contage proluvies exaſperavit, frequentiſſime ſuccreſcunt carneæ quædam ligulæ. Quanquam autem auctor eſt Jo. Riolanus l. 3. anthropologiæ c. 30. chirurgicis indoctis catetherem adurgentibus imponere renixu carunculam naturalem, quæ valvulæ inſtar orificium utrumque claudat, ne urina in urinarium meatum effuſa, poſthæc in vaſa ſeminaria refluat, nihilominus & hoc eodem loco vitioſas gliſcere ligulas experimento quotidiano comprobatum eſt ita, ut hæc inficiari prudens homo non poſſit: Sed & infimo inteſtino poſt ulcera ſubortas carneas appendiculas, & tactu digitorum, & dioptra ſæpe numero compertum eſt. Majus his omnibus eſt, quod enarrare nunc inſtituo.

Delatam ex Capuano marmoream ſtatuam opificis egregii manu laboratam, ſed pulvere cænoque propterea, quod obruta diu fuerat, obſitam & fædatam, Joſepho Riberæ pictori præcipuo perpoliendam & exornandam commiſerat Illuſtriſſimus & Excellentiſſimus Dux Alcala, meus utique Dominus rerum omnium inclitarum, & antiquitatis inveſtigator inter Principes viros maximus, cui operæ rite peragendæ pictor induſtrius lixivium primum opificis ſaponarii parari juſſerat: quod famulus ad horam quartam aut quintam in vitrea phiala delatum, & alicubi repoſitum, alter puer forte vinum ratus in ſtratam menſulam tranſtulit. Ad quam accedens primus Petrus Panus de los Reyes Madritenſis pictoris alumnus, & contubernalis parum multæ experientiæ juvenis lixivii rubelli pro vino protropo plenum hauſtum (imprudentia commiſeranda an excuſanda magis) in ſtomachum demiſit, quæ potio quas gulæ acerbitates, quæ ventriculo detrimenta invexerit potes ipſe tecum reputare, nimirum præter dolorem ab uſtilagine flammeum, cordis æſtum, ſpiritus angorem: ad hæc ulceratio toto œſophago late reſtitit: quæ medicamentis ad uſturam accommodatis, ex aceto, inquam, oxycrato, lacte, ſero gargariſſatu, ac Pitiſatu non nihil quidem principio conſedit. Verum fieri non potuit, ut brevi obduceretur; quin late circum ad nudata cute loca ſuccrevit inutilis caro: cujus illud experimentum fuit, quod per cereum funaliculum ſæpe adactum nonnulla extrita portio, & per vomitum ejecta eſt, hic quidem ſpongioſa, hic fungea forma. Quo ſubit id quod narravit Albucaſis par. 2. chirurg cap. 36. ſic ſæpe recurriſſe id exulceratas gulæ radices hyperſarcoſin, ut hæc igne perurenda denique fuerit in muliere, quæ jam abſceſſum hoc loco fuerat experta. Quod ægro noſtro hyperſarcoma tantum moleſtiarum, & in cibo deducendo difficultatis peperit. Ut ſolis apalis ovis, & juſculis diſcoctarum pulli carnium etiam cum vi, & manu forinſecus impellente vix delabentibus, ac ſæpe etiam recurrentibus pendula de tenui filo vita ſuſtentetur, extenuato nimis & exucco reddito jam corpore, quod plumbeus color inveſtit. Curatus primum ab Andrea Tamajo Sereniſſimæ Ungarorum Reginæ chirurgo diligentiſſimo, & Jacobo Sublier medicinæ ſcientiſſimo, poſtremum ad me delatus eſt, quam hiſce remediorum generibus tutatus ſum.

Principio, quoniam prima ſe offert indicatio amplandæ viæ, per quam alimenta neceſſaria, & horum vehicula, quæ potulenta ſunt, libere atque expedite ferantur: huc duo ſunt à nobis excogitata remediorum genera, alterum per cucurbitulas ad locum ſcil. qui maximam anguſtiam ſentit, quod ſuperius ſternum ad ſecundam, tertiamque coſtas eſt, oſtenſore ægro. Porro cucurbitulis, & ad anginam dilatandam vim eſſe ſermone de cucurbitulis in Pyrotechnia noſtra monſtravimus teſtimonio Aretæi, Meſuæi, Guidonis Cauliacenſis, Guliermi Brixienſis, Joannis Arculani, Felicis Plateri. Sed & Jacobus Hollerius, & hujus imitator Ludovicus Duretus ſimilibus in cauſſis idem conſuevere. Deinde quoniam in anguſtis urget ſolertia rebus, commentus ſum membraneum, œſophagi ductum inflatu recurvæ fiſtulæ diduci non mediocriter poſſe: quod cum propoſuerim plus ſemel; neque ad hanc diem aut paratum, aut adminiſtratum eſt inſtrumentum. Quod autem ad ulcus ſpectat; ut hoc exiccaretur, ad exteriora datæ ſpongiæ novæ nunc aridæ, nunc ex lixivio ſalſo, aut aqua nitrata expreſſæ, interne vero pitiſſatum decoctum ligni Quajacini quindecies inextinctis craſſiſſimis æramentis inalteratum. Præterea fumus cinnabaris per tubiforme inſtrumentum ore hauſtus. Denique candente auro tres circum inuſtæ cruſtulæ. Quæ remedia atque alia dum factitantur quotidie, ſpes eſt reſtitutum iri hominem: quandoquidem ad hoc tempus, quo ſcribo hæc typographo mox committenda profeciſſe non parum is homo videtur.

Cap. 22. *De Roſa capitis, ulcere rotundo; planoque.*

Nunc è ſpina quidem natam roſam, roridam, rubore nobilem, ambitu flexili circumductam: ſed minime tamen aut ſuave halantem, aut verno decore atque elegantia perplacentem exponam: Id eſt, nullo adhuc nomine donatum ulcus, roſæ nomen nunc primum auſpicatum propterea, quod ad declive caput & ſuper aurem ex parva quæ abſceſſit puſtula, vel thymio maligno, vel parvo hepete profectum, rotundum, inverſis plerunque oris planum

& in

& in tenues verrucas identidem ſublatum ſe objicit: quod ſcaturigine fotum humoris mali ſaniem non reddit pittaciis, præterquam ichoroden, perdolens ad aliqua tempora; nullis remediis quantumvis præſtantibus cedere ſuetum propterea, quod altius infixus fomes pericranion, aut cranion, ne dum cutem & carneam membranam infecit. Adde; quod à vaſis partes bregmatis irrigantibus, quæ à jugularibus profecta in anteriora capitis inflectuntur, alitur & conſervatur perpetuo. Sic vitium apparet valentibus multis cauſis immortale, vel verius cum morte finiturum; ni chironia manus occurrerit, quod ut fiat, enim verò licebit cauſtica quidem primum experiri: ſed enim ſcalper & ignis hi fuerint qui vehementer hærentes mali radices extirpare queant: quæ obſervata comprobataque ſunt à me in viris quidem compluribus: ſed præcipue fœminis valetudinarii noſtri decumbentibus: quam rem Dominico Moſchæ, Franciſco Romano, & Bartolo Capouæ Chirurgis Incurabilium aſſiduis indicavi.

Cap. 13. *De oſſea tuberculi capitis duritie.*

Inter omnia ſymptomatum humanorum, affectuumque genera; ſi ſummam recte ſubducimus: apparebit ſane rimantibus, nil non etiam incredibile in abſceſſibus tumoribuſque fieri. Oſtenſurus equidem ſum paulo poſterius oſſiformes humano corpori fieri abſceſſus, ſed hos precurrit oſſeum ad bregma tuberculum, quod in veſtali fæmina Parthenophilacii Spiritus ſancti delubri Neapolitani clari ſimi primum vidi, magnitudine mali mediocris. At dixi equidem oſſeum, ut a finito genere non diſcederem: ſed enim inſolens illa durities ubi ſecunda viſa eſt: quæ cauſa fuit, ut adnotandam ipſam hoc loco judicaverim. Ex qua una re didiceris interdum, haud mirum eſſe, quod Ovidius mythologiarum arcanus textor in metamorphoſi Pythagoræ noſtro conſentiens verſos in ſaxa homines fecerit.

Cap. 14. *De oculorum abſceſſibus.*

Summa boni eſt acres homini contingere viſus, in hexametra medicinæ Q. Serenus ait, quod cum fortaſſe miraris extreme dictum: te quæſo refer ad id, quod propoſitum eſt metaphyſicorum initio: cognoſces ſuapte natura affectum eſſe hominem ad ſcientiam, argumentum autem præbet ſenſuum dilectio & inter cæteros oculorum, qui plurimas nobis rerum formas oſtendunt. Siquidem igitur ad bene beateque vivendum adeo conducit vivendi ſenſus: in hoc autem, cum ad cæcitatem laborat, curando, quoniam maxime cæcutiunt quam plurimi: ob eam rem de oculorum abſceſſibus, inopinatis peculiariter hoc ſermone dicendum volui; natura partis ſic primum adumbrata.

Sunt oculi natura ſic debiles, ut ab unaquaque cauſarum facile offendantur, quod Hipp. l. de medico prodidit. Verum ab internis multo maxime perturbantur, nam & conceptaculo magno cerebri plurimum humido ſubſtant, & laxi ſunt non ſolidi; tenuiſſimis cavis & multiplicibus tunicis intertexti; vaſiſque duplicibus, & nervorum maxime ductibus pervii; poſthæc agiles, & perciti muſculis ad unam quamque loci differentiam, glandularum aſſeſſu gravibus malis pleriſque in orbita ſubciliari conditi, ut ſint inter alia ſuperfluitatum capitis emiſſaria. Quibus omnibus rebus fit, ut humorum præcipue calidorum in capite oberrantium decubitus in ipſos facile fiant, atque adeo quemadmodum Caſſius 66. ſuorum problematum arbitratus eſt, humores in meatibus oculi deſiguntur atque offarciuntur ita, ut calore per obſtructum intro coercito, cum perſpirare non poſſint, vehementer exardeſcant & effervescant, quam ob rem oculi, qui ſub his ſunt, graviſſima phlegmonarum & abſceſſuum pericula ſunt incurſuri, quæ pericula quidem Hippoc. l. de veter. medic. num. 32. prodidit hæc; quæcunque fluxiones ad oculos vertuntur, ut fortes, & omnigenas acrimonias habentes exulcerant quidem palpebras, erodunt autem aliquorum genas & ſub oculis, & partes ad qualcunque tandem influxerint, rumpunt, ac peredunt eam, quæ oculum ambit tunicam; dolores autem & ardor & inflammatio & extremæ adſunt aliquandiu, donec fluxiones fuerint concoctæ, & craſſiores redditæ; & lemæ ab ipſis extiterint, fit autem concoctio permiſtione temperaturaque mutua & quaſi coctura. Hæc Hippocrates.

Atque hæc una quidem ratio, ſed aliquanto mitior eſt malorum, quibus oculi noſtri patent. Alter modus eſt (Celſi verbis dicam) oculos inflammatione occupante, ubi cum tumore in his dolor eſt; ſequiturque pituitæ curſus nonnunquam copioſior, vel acrior, nonnunquam utraque parte moderatior; cognitam hanc M. Cicero 25. epiſt. l. 8. epiphoram vocavit. Differt igitur hic modus ab illo, quod in poſteriore confertus, & præceps eſt ex capite pituitæ raptus in oculos; in priore vero ſemel ſimulque non fit affluxus. Hæc ſecundum influxus modos expenſæ ophthalmiæ prima diorasis eſt. Altera ſecundum Celſum partitio eſt, qui triplicem omnem ophthalmiam fecit ῥιώδην, fluidam, ξηρὰν aridam, φθινώδην corruptivam, imitatus primum Hippocr. qui alia præter hæc genera non cognovit. Sed nos ſingulas explicemus, Cornelii ſententiis (ſi quando incidet, incidet autem ſape productis atque expoſitis.) Humida ſeu fluxilis ophthalmia diſcreta eſt tumore ac fluxione. Tumor has habet differentias: modicus amplus: mollis durus, longus brevis: oculum occupans alterutrum, vel utrumque. Fluxio duplex, lema, & lacryma, hæc quidem ex ſeroſa portione ſanguinis illa vero ex craſſa, & glutinoſa. Lema ſic dirimitur, alba, mollis, ſicca; multa, pauca. Lacryma vero ſic diſtinguitur, multa, longa, calida, ſalſa. Horum quidem hi ſunt modi circa quos ſuos eventus, & temporis & viæ terminique prædictiones tradidit Cornelius, pro ut variæ miſcentur, ſibique ipſis occurrunt notatæ differentiæ. Si enim ſimul hæc cœperint, id eſt, lema alba & mollis, lacrymæ calidæ miſta, tumore minime duro perſtante: longi morbi metus non eſt, quod evenit, quia ſimul convenientia hæc, robur virtutis expultricis oſtendunt, non ſine humorum lenitate ac benignitate, & quia ex laxo tumore effluit tum craſſa, tum tenuis portio recrementi; non poteſt non breviuſculus eſſe morbus.

Videtur autem in hoc Celſi prognoſtico aliquid, quod diſcrepat ab Hippocrate, ſiquidem hic ponit in hypotheſi lacrymam non valde calidam; Celſus verò ſimpliciter calidam: ſi igitur legatur, ut Hippocrati placuit, multo certior problematis noſtra ratio. Aliud addidit Hippocr. quod oculus agglutinatur: idque fit propter lemam, mollem, & agitatam. Ex adverſo, inquit Cornelius, ſi lacryma multa ſit & calida, lema pauca, tumor modicus, unum utraque oculum occupans, longum vitium erit, ſed periculo tamen vacans, & dolor vix ante vigeſimum finitur; nonnunquam duos menſes protrahitur, ſed quandoque finitur. Fit autem id potiſſime, quod materiæ ſatis in capite corporeve ſubſit; minime autem foras educatur, præſertim per unum oculum; longe autem à periculis eſt homo; quippe qui effluxum habet omnibus modis, neque etiam urgetur dolore: qui ex adducta ad oculum & non educta fit ſuperfluitate. Eſt autem diverſa non nihil hæc prædictio apud Hippocratem, quod hic obſervans vigeſimum indicationis diem, cum non finitur, transfer-

rit ad quadrageſimam : qui ſi non judicatur , ad ſexageſimam diem producit. Aliud addidit Senex ; interea temporis , cum ad vigeſimum perventum eſt , ſordem ſive lemam obſervari oportere : nam cum deſitura hæc eſt , alba & mollis apparet quaſi concoctionem conſequuta.

Pergit Cornelius ; ſi lema alba , & mollis eſſe incipit , lacrymæque miſcentur , aut hæ ſimul utrunque oculum invaſerint : poterit quidem affectio brevior eſſe , ſed periculum ulcerum eſt. Verborum hæc ſententia nullam, me judice , rationem reperit : quin contrarium dictat eventum ejus , qui expreſſus eſt in codice , quando lema alba & mollis , quæ caloris nativi vigentis eſt ſoboles , & concoctionis perfectæ comes, ulcus afferre non debet. Quodque difficultatem auget , cum hæ prædictiones tranſlatæ ex Prorhet. Hippocr. dicto loco ſint longe aliter quam , ut ibi legantur ; ſunt hic expoſitæ , quare facient hæc, ut homo titubet facile ſuper Cornelii doctrina. Sed equidem hoc non committam , qui videam ſectatorem hunc inter omnes Hippoc. fideliſſimum , dicam verò mendum in hac lectione valde probabile, tum inquam interpunctione ,tum depravatione ipſa verborum. Interpunctione quidem. Namque ubi hæc ſententia primum incipiens diſtinguitur per finale punctum ; debet eadem legi dependens à ſuperiori ſic , (ſed quandoque finitur , ſi pituita alba , & mollis ipſe incipit , lacrymæque miſcentur) deinde ubi legitur (Aut) reponendum eſt (At) tanquam contrarium aut diverſum quidpiam ſubſequatur. Quam codicis lectionem eo equidem affirmatius judico retinendam , quod & nullam jam , aut priorem patitur difficultatem , atque illa ipſa eſt , quam Hippocrat. reliquit. Quid igitur hac te certius ? aut opinione noſtra verius ? Difficultatem , inquam , non ſentit lectio : & præterea ratione non caret ſua : quæ ratio eſt hæc. Quandoque finitur, & vincitur diuturnitas ophthalmiæ ſi pituita alba & mollis eſſe incipit , ſubeunte ſcil. maturitate humoris morboſi. Id verè , quod ſequitur ; (ſi lacrymæque miſcentur) equidem interpretor ; ſi ſeroſa lacrymæ tenuitas , craſſitudinem nacta vividior ſit reddita : id quod Hippoc. dixerat ; ἐν τῷ δακτύλῳ μύσγεται —

Deinde cum dixit ex noſtra caſtigatione Celſus. At ſi ſimul hæ utrumque oculum invaſerunt , poteſt eſſe brevior : conſentaneum id rationi vides : quando diviſa in duos oculos materia facilius excuti poteſt. Sed periculum eſt. Hoc extulit Hippoc. comparatè ἐπικινδυνότεροι γίνονται ἑλκωθῆναι , quod moderatius eſt , & explicatius. Sed enim utrumque ſua ratione fulcitur. Nam multa materia longinquo tempore pergens , & utrumque oculum occupans , ut aliquid nitroſitatis , aut uredinis naſciſcatur eſt facile : quapropter exulcerare poteſt.

Pituita autem ſicca , & arida , &c. Jam ab his tranſit Celſus ad prædictiones ophthalmiæ ſiccæ , dicitque ſi lema ſit arida , duo futura , & quod dolorem inducet virium , & quod citius expedietur : idem niſi tamen interea exulceraverit : atque ita ſuccedat tertia ophthalmiæ ſpecies. Demonſtrabimus hæc nos vera. Dolor quippe ſequitur ophthalmiam ſiccam : quod partes occupatæ tumore ſunt adſtrictiores , non laxæ : adeoque cum ſit eadem intentio , feret hæc continuo triſtificum ſenſum ; erit tamen valetudo brevior , quod humoris fluxione parciore manente, nihil eſt , quod prorogare malum poſſit. Verum tamen id periculi ſubeſt , ne ulcus obrepat, quippe cum aſpera ſua natura ſit fluxio : quid mirum , ſi exaſperare poſſit ? magis autem , quod humor expeditum in horas exitum non habens , nitroſitatis & uredinis initurus eſt aliquid. Vel dic cum ſiccitate conjunctam eſſe poſſe ſalſedinem , quæ ſuapte natura exulcerat.

Tumor magnus. Altera Celſi prædictio. Ophthalmia ſicca doloremque non movens , periculo vacat. Rationem habes ex proxime ſuperioribus, dicens ; periculum quidem exulcerationis eſt omne , hæc autem ex una proficiſcitur acrimonia , quæ nulla poteſt eſſe cum dolor non eſt : ergo &c. Atque hæc prima prædictio eſt de ophthalmia ulceroſa. Sequitur alter fluxionis modus

Si ſiccus quidem , ſed cum dolore eſt , fere exulcerat , & nonnunquam ex eo caſu fit , ut palpebra cum oculo glutinetur. Hujus ipſius ſententiæ hæc eſt ratio : quod dolor oriri cum non poſſit ex nulla ſolutione, ac diſtentione : eſt enim tumor ille ſiccus : cæterum oportet acrimoniam agnoſcar, adeoque exulcerabit : atque inde fieri poterit ut oculus cum palpebra conglutinetur ; ſicut profecto conglutinari conſueverunt , quæ mutuæ ſe contingunt ulceratæ proxime partes, ut anguli labiorum, digitorum, &c.

Ejuſdem ulcerationis Sed & malos ad hinc eventus docet præſentiri : quorum primus eſt. Si præter magnum dolorem lacrymæ ſalſæ, & calidæ fuerint, aut ſi tumore nullum finem habente , lacrymæ diu cum pituita profluant , periculum eſt , ne palpebræ ſimul, & pupilla exulceretur. Hæc quidem difficilia perſuaſu non ſunt, expenſa ſymptomatum vi, & ſuperfluitatum oculi nitroſitate, & caliditate. (Aut etiam ſi rumore infinito diu lacryma cum pituita profluit)*ſi cum dolore conjuncta ſit in arida ophthalmia, lacryma ſalſa calidaque, aut ſi tumori non excuſſo lacryma cum lema diutius effundatur, idem ulceris periculum oculum manet. Harum prædictionum prior pars facile ſuadetur ex calidæ ſalſæque lacrymæ eroſione. Poſterior verò pars plana fit ex communi ratione excrementorum , quæ cum putridi nonnihil habent , per ſanam partem ad alluentes exulcerant, ut in fonticulis vulgo dictis , exulceratum autem iri pupillam periculum eſt propterea , quod tumore per oculum manente diu , ex hoc lacryma profluens acris , per pupillam deſcendens nil contineat , ne hanc exulceret. Notandum autem , quod Hippoc. per ſpecies , & diſtribute protulit , Celſum complexim enunciaſſe. Dixit enim ille viris quidem palpebrarum everſionem, mulieribus verò , ac pueris exulcerationem , & palpebrarum everſionem. Dixit verò hic infinite ; exulcerationis tumor in palpebris pupilliſve eſt , non ſine artificio ſcil. compendii ; licet explicatior Hipp. Pejus etiamnum eſt ubi &c. Prædictio ſequitur abſolutæ ulcerationis non evitabilis ex hac hypotheſi , ſi lema ſit calida (fortaſſe pallida) namque Hipp. χλωρά ; lacryma calida , aut multa ; in capite perſentiatur æſtus ; deſcendere de temporibus ad oculos dolor videatur & vigilia comitur. : ſub his neceſſe fuerit oculum dirumpi , ac tandem non exulcerari. Horum certe neceſſitas eſt hæc ; Siquidem maximopere conſentiunt ad oculi exitium omnes cauſæ tum partis mittentis , tum excipientis , tum viarum , & humoris. Mittens quidem pars, eſt princeps , propterea robuſta : recipiens verò cum exanguis , & excarnis ex adverſa debilis , capax , laxa, ſubdita in proclivi ; viæ apertæ , & natura ad tranſmiſſum humorum expeditæ ; humores ipſi tum copia multi , tum qualitate acres , & eroſivi. Jam igitur hæc omnia collecta quaſi manu ſi conſpirent : quæ vis obſtiterit contra ? quid auxilii ſuccurrere poſſit ?

Addit ; intus ruptum oculum febricula juvat. Aliter Hippocrates in lib. 6. aphor. 17. in quo monſtratum eſt , ſolvi hanc ophtalmiam alvi profluvio. Sed quod Celſo rupturæ verbo eſt , taxat Marſilius Cagnatus lib. 7. var. obſer. 27. & ex hoc viro tranſcribens Hieronymus Rubeus dicit, hæc ex Hippocrate tranſlata non recte ſatis ſuam ad ſententiam expreſſa , nimilum Hippocrates ſcripſit febrem conducere ad oculi tutelam , ne rumpatur ; non ad rupti mede-

medelam, ſed ſolvit tamen idem ipſe ſuum nodum: quod oculum rumpi Celſus intellexit, id quod ait Hippoc. ulcus fieri: & idcirco non ſimpliciter dixit rumpi; id eſt, continuum ſolvi, quod autem ſequitur apud Celſum. (Si foras jam ruptus procedit ſine auxilio eſt) idem eſſe, interpretatur Hieronymus, quod apud Hippocratem ῥαγῆναι rumpi, & pertundi, velut acinum uvæ pedunculo educto. Hanc autem prædictionem Hipp. ad hunc modum extulit. Quibus rumpuntur oculi, & poſtea prominent, ut extra locum oculus ſit, his & tempore, & arte opem ferri non datur ad hoc, ut videant. Cujus utriuſque rei communis ratio plana eſt; quod effuſus humor, & oculi ſubſtantiæ pars nullo unquam modò redimuntur, dirupto autem oculo ſubſtantiam hujus abjici neceſſarium unuſquiſque videt.

Si de nigro aliquid albidum factum eſt, diu manet. Cum dixiſſet de aliquo oculi ulcere ſanabili: ſubdit nunc de cicatricibus ab ulcere relictis, quam rem expreſſit Hippocrates ita: ſi ſplendicans cicatrix in nigra oculorum parte fiat, partem aliquam nigredinis dealbat adeo; ut ſi multo tempore permaneat, & aſpera & craſſa memoriam ſui relinquat. Differunt autem autorum ſenſa, quod Hippocratis una prædictionis eſt ſententia, quam Celſus divitit: deinde ἐπὴν πουλὺν χρόνου παραμένει per hypotheſis dictum Celſus fecit eventus. Ratio autem Celſiani dicti eſt: quod extrema cum ſit mutatio de nigro in album, tempore brevi non videtur poſſe reſtituere oculum. Deinde addit; ſi aſperum, & craſſum eſt: id eſt, ſi cicatrix aſpera, & craſſa incumbit, etiam curatus oculus hanc non deponit. Per id enim extreme ulceratus oculus apparet. Atque hactenus bona malave, ſeu fluidæ, ſeu ſiccæ oculorum affectionis, & inflammationis habes omnia. Poſt quæ ſi placet, & curationis modos, quos Hipp. tradidit enarremus.

Ait is aph. 31. l. 6. Dolores oculorum meri potio, aut balneum, aut fomentum, aut venæ ſectio, aut medicamentum epotum ſolvit: qui aphoriſmus, ut dicam quod ſentio, viſus eſt inter omnes lapis offenſionis: ſi in eodem enarrando titubarunt plerique. Primus Celſus autorem ſuum propemodum accuſavit ἀσαφισμοῦ, & neglectæ diſtinctionis & abſolutionis. Galenus verò, quaſi non auſus magiſtrum reprehendere, vel diffiſus à reprehenſione defendere, profeſſus eſt, hæc eidem empirice collecta, necnon experiendo ſingularim tentanda. Sed Aetius quaſi reformidans vinum merum, quod Hippocr. explicate tradidit præcepit, ut diluatur aqua: deinde monet, ne ſi expanditur in caput hominis lipientis facilè lædatur. Quæ monita ſequitur & Jac. Hollerius. Ad hos verò Hieron. Mercurialis miratur, ecquo pacto Hippocr ſolo proferat enumeratu genus omne remediorum, quæ conducunt oculis male affectis. Id autem aut ſolenne vulgaribus, & indoctis, qui nulla ſibi propoſita medendi norma, nulliſque perquiſitis, aut rite conſultis variorum affectuum indicationibus, jis offerunt remedia, quæ tantum uſus medendi comprobarit. Poſt hæc aliud quaſi denuo meditatus Mercurialis, non dubitat ſuadere nobis, Hippoc hæc ſcripſiſſe ad medicos ocularios, & empiricos, qui pleriſque maximis indiſcretis corporum circumſtantiis, certa quædam remedia ad eorum affectus adhibebant.

Sic iſti omnes: poſt quos alius quiſpiam & rationes meditatus proponat, quæ ſint propemodum ejuſmodi. Primum enim, quod de mero proponitur, inſolens videtur, quandoquidem Homero 5. Iliados appellante αἴθοπα οἶνον, ardens vinum, inflammationem augere, nedum non levare natura comparatum eſt, qua cauſa & venenum oculis dixit Valerius Martialis. Quod ſi devenis ad noſtros medicos: Archigenes apud Galen. l. 4. de comp. medic. per loca cap. 1. decrevit oculorum phlegmonis aquæ potum inter cætera, quæ memorat, imprimis convenire. Quin etiam idem ipſemet Hippocrates in l. de affect. num. 2. ſcripta reliquit hæc; vinum in capitis doloribus per partem illam calefactam, & humori attrahendo aptam non eſt exhibendum. Hæc & hujuſmodi, quædam non obſcure læſa ſummi dictatoris authoritate tum iſti, tum alii noſtri profeſſores adſtruxerunt: qui ſuam inconſtantiam liquido monſtrarunt. Non ita quidem nos, ſed medicinæ parentis effata oraculi loco ſuſpicientes optimam ejus particulæ interpretationem allaboravimus; relatis interim aliis quas alii quilibet in medium protulere.

Galenus quidem partitas fecit ophthalmiæ curationes ex mero, ex balneo, ex fomento, ex detractione ſanguinis, ex pharmaco, diſtinctis ſecundum cauſam antecedentem conjunctam, defluxus tempora, ſecundum in ſumma quantitatem, aut qualitatem humorum, nam ubi peccent humores acrimonia, plenitudine non conjuncta corporis, tum conducibile balneum eſt. Si vero ſucci craſſiores oculorum venulas diſtenderint, nulla toto corpore plenitudinis affectione apparente: meri potus hoc excutiet, ut quod attenuare, ac vacuare motuſque vehementia obſtructiones expedire queat. Ad firmitatem autem curationis, & certitudinem proponitur & fomentum, vel uſu dignoſcendi, vel curandi, gnoſticum quidem via tentativa, ut cum uſu præſentis medelæ levatur homo, moxque recurrit dolor: argumento eſt fluxionem adhuc vigere, quare affectu jam cognito ad inanitionem aliquam corporis converti ſcopum oportet, nam ſi plenitudo ſubſit: neceſſaria eſt ſanguinis detractio: ſi vero cacochymia ſe prodat; purgatio. Ut verò therapeuticum aliquod probatur fomentum, cum partem infeſtat fluxio, tunc enim humorem in anguſto contentum digerit & abducit. Hic Galeni logiſmus, & hæc expoſitio eſt. Alia methodo viaque progreſſus eſt Ludovicus Duretus graviſſimus Hipp. doctrinæ profeſſor, quæ eſt. Fit ophthalmia multis de cauſis, primum ex decubitu acrioris & erodentis humoris, cum affectu vitioſo corporis & capitis; ad hanc opus eſt cathartico. Deinde ex diſtentione tunicæ adnatæ ob vehementem ſanguinis affluxum; cui commoda ſanguinis eſt miſſio, tum univerſalis, tum particularis. Ad hæc ex implicitis ad oculos atque irretitis craſſis humoribus, aut flatuoſo cœmento. His remedio erit meri potio, alias vero balneum, quod materiam primo fundat, mox reſolvat. Huic affectui fomentum aliqua commoderandi virtute conducit, quod communi omnium, & ſolenni ritu fit ex decocto fœnugræci, meliloti, & hoc genus.

Aliam rationem addit Jac. Hollerius laudatiſſimus Hippoc. interpres: quæ eſt ſcil. variæ ſunt oculorum dolentium cauſæ: quibus ſuæ ſingulis occurrunt medendi formæ, cauſa primum antecedens amolienda: quæ ſi plethora quidem eſt; hæc ſanguinis miſſione tollitur, ſi cacochymia ſit, hæc purgante medicamento reſolvetur, eadem verò cauſſa conjunctæ; ſi craſſus, & tenax humor ſit; meri potione tum attenuabitur, tum diſcutietur. Si tenuis, & acris, & mordax is humor ſit; accommodato ſuo fomento caſtigabitur. Si vapor aut fumida materia ſit, quæ organo ſe miſcuerit: balneum ad hanc rem commodiſſime deligetur. Hæ multorum interpretum enarrationes ſunt: per quas omnes neque recitatæ nuper ambiguitates eluuntur.

Alia igitur ineunda via eſt, quæ luculentam huic problemati conferat enodationem. Primum igitur ſtatuendum eſt, dolores oculorum aliis acceptos pro doloris latiſſimo quodam vocabulo, qui ad morboſam

affectionem ſe extendit. Ita Jac. Hollerius, & Jo. Heurnius: Vel minus late, & ſpeciatim pro Ophthalmia: quod Celſus, & Galen. fecere. Nos dolores oculorum intelligimus pro ophthalmia diuturna, & pertinaci conjuncta cum pluribus affectibus, id eſt, plenitudinis, & cacochymiæ, cum apparatu ſuccorum acrium, & craſſorum: plenitudo autem non ſolum ſit corporis, ſed totius corporis, & capitis; ex quarum cauſarum omnium incurſu facili negotio ruptum iri debeat oculus: quemadmodum ex eodem Hipp. oſtenſum eſt, quo circa dolores intelligas diſcriminis nomine propoſitos.

Secundo ſuppones in hac ophthalmia tantum eſſe cauſæ conjunctæ, ut venulæ oculorum diſtentæ turgeant humore plurimo.

Tertio non ignorabis, vinum veteres cum uſu balnei miſcuiſſe: quam rem teſtatur Andreas Baccius in ultimo libro de Thermis, & Jac. Hollerius hoc eodem loco.

Quarto ſcire licet, vinum veterum, meracum & vetuſtiſſ. fuiſſe, & ſubtilitate partium cuncta medicamenta ſuperare potuiſſe; præſertim, quod potum alimenti cauſa, natura hoc amice complectitur.

Quinto verò conſtitue balneum eſſe corporis univerſi remedium; fomentum verò particulare. Sed balneum liquat funditque ſuccos; fomentum diſcutit: hoc quidem minime cognoſcente ſenſu; illud verò tum cognoſcente, tum ſecus.

His omnibus ante propoſitis videbis, diſcrimen inter noſtram & aliorum expoſitionem eſſe maximum, nimirum pleriq; omnes volunt ſingula illa remedia disjunctim, adminiſtranda: nos verò, vel conjunctim omnia, vel plurima. Siquidem ex hypotheſi ophthalmia hæc diſcriminoſa plurimum eſt, tot tantarumque cauſarum, & affectuum concurſu; plenitudine corporis totius, & capitis; cauſa antecedente; conjuncta, infeſtante ſecundum quantitatem, & qualitatem: tum craſſam, tum tenuem. Ad plenitudinem autem ſanguinis valet detractio; ad univerſale verò vitium humorum in corpore redundantium, conducit purgatio: His de more præmiſſis univerſalibus & communibus medicamentis: cæterum humores craſſi ac viſcidi ſtabulantur intra venas, adverſus quos peccantes conferret meri potio: ad evocandos autem extra venas, mirifica vis eſt balnei, quod tum evacuat, tum revellit, tum à corpore, tum à capite: quo capite inanito, ad tumorem hujus excutiendum uſus ſummi fomentum eſt. Ita ſuum ſingulis beneficium pro vario medici ſcopo adimplentibus, ſolvitur ophthalmiæ diutinus dolor. Id quod confirmatur. Nam illa tandem eſt felix methodus curandi longas & periculoſas ophthalmias, quæ ipſam mali cauſam exhaurit & ex toto undique corpore conſertim, & ex ipſa ſingulariter parte, ſimul revellendo: obſecundat autem trahenti libenter evocatus humor, & viæ patent. Atqui methodus Hippocr. præſtat hæc ſingula, ſicut oſtenſum eſt: igitur, &c.

Deinde confirmatur, quod vinum, quale deligebat Hipp. vetuſtate elaboratum, atque ut ita dicam, æthereum redditum non lædit, aut ferit caput, quemadmodum, neque ſpiritus vini: verum tamen eadem tenuitate permeat facile per vias urinæ: atque ita ſeroſos acres humores ophthalmiæ cauſas educit, ut in diætetico chirurgico demonſtravi.

Tertio confirmatur noſtra hæc expoſitio: nam per hanc maxime ſervatur autoritas Hippoc. veneranda, tolluntur que ſingulæ obtrectationes, quæ derogabant fidei aphoriſmi. Prima Celſi, qui imputat Hippoc. inexplicationem: atqui ſic ſatis explicita videtur ejuſdem ſententia. Secunda Galeni, qui voluit hunc empirice traditum aphoriſmum, conſtat autem ratione munitiſſimum eundem eſſe. Tertia eorum, qui vinum volebant aqua diluendum & modificandum, metu forraſſe inflammationis. Et quidem merò abſtinendum ad inflammationes, & Ophtalmias recentes, non ad eas, quæ ſunt inveteratæ, pendentque plurima parte ex craſſis ſuccis. Atque adeo non contradicit ſibimet Hipp. aliter loquutus in ſecundo de affect. nec eidem Hipp. incommodant allegatæ adverſus oculos vini noxæ; quando apud antiquos medicatus uſus meri longe alius fuit. Jam igitur ſi conſtant hæc, ut conſtare ſatis poſſunt: quis eſt jam, qui de aphoriſmi veritate ambigat: quis Hippocr. non applaudat, & accinat?

Cap. 15. *De aurium abſceſſibus.*

Auriculæ, quæ nulla prorſus carne participant, quibus modis abſceſſus ineant, & in quo ſinu primum excitam ſaniem, quæ in dies multa fluit, contineant: & à nemine video ſatis explicatum, & difficile id expeditû ſentio. Comprehendit autem & hæc rès problemata perobſcura, minimeque à noſtris adverſa: quæ tamen reſolvi nonnullius momenti ſit. Quas ob cauſas in talibus periclitari meum ingenium facile paſſus ſum, qui res tritas atque vulgatas non ſequor. In univerſum ergo mihi videtur externus hic affectus, & à cauſis cieri ſolitus item externis; ſi id quod plurimum accidit, intelligas: nam & interne conſentiunt interdum. Ad hunc autem modum, ut puto, ſe res habet. Ubi calida vi conciti ſuccorum ichores ad exteriora, & ſuperiora ſunt elati: tunc hos frigidum ſuccedens exprimit: quos natura, quæ parti inſidet, in locum maxime pervium & ſinuoſum remittit, hæ ſunt auris partiumque ſuarum laxitates atque compagines: enim verò Anatomica fide cognitum eſt, auriculam velut extremum tubæ, quod ipſum reſectum concipe; commiſſum quidem cum pericranio: ſed cum hoc admodum laxe coagmentatum & conjunctum, quam rem oſtendit luculenter mobilitas quoquo verſum actæ particulæ. Inter hæc igitur auris internæ prætegmina ſe ſe colligit humor è venarum oſculis effuſus: cujus pars & in declivem organi tubulum refunditur, neque enim, ut multi ſibimet ipſis ſuaſerunt, ex internis auriculæ latebris humor eliſus prodit. Sic enim plane muti, ſurdique omnes, quibus ſecundum interiores aures illuvies purulenta fuerit. Verum enim vero quærenti, num aliqua ſit pars, quæ peculiariter abſceſſum concipiat: protinus reſponderim, illam non deeſſe. Refert enim Jul. Cæſar Arantius tum in libro de tumor. c. 25. tum l. de anat. obſerv. c. 29. in auris anteriore particula ſitum quoddam adenoſum corpus ſolidæ ſubſtantiæ replens cavitatem, quæ ſupra maſſeterem eſt; multis uſibus ſerviens. Primum vaſorum jugularium ad ſummum caput contendentium diremptui muniendo. Deinde articuli motui per madorem perpetuo refuſum conſervando. Tertio ad retrimenta, quæ ex eiſdem vaſis emanant, ſuo ſinu colligenda. Hæc igitur una ſedes eſt, & hic locus, qui primum advectæ materiæ ſupputantur. Argumento autem eſt, quod ſi ſtagnantes hi ſinus manu comprimantur, pulſus humor ſurſum ex auris concha efferetur facile.

Eſt autem affectus ſubcutanei plus centeſima obſervatio per meſacta quorum experimentorum jam aliquot memoriæ ſervata narrabo. Primus fuit ſodalis Franciſcanus Conventualis in Divæ Annæ, cui Dionyſio nomen, patria Cremenſis, atque alii duo Incurabilium valetudinario decumbentes Anno 1624. quorum alter Joſephus de Eriodo Eubulita homo: alter Joſephus Sanna adoleſcens Apulus Thranenſis. Quartus Leonardus Durandus Jatrochymiæ & rerum naturæ ſtudioſus, qui ex parotide, ac maligna febre mortuus eſt. Porro, quod ad parotidas, ſcire licet; has raro qua extu-

extuberant, aperiri per ſe ſe, ſed per viam obliqui ductus effundi: quemadmodum ante de purulentis auribus explicui.

Verum enim verò non diſſimulabo, quæ tranſvadentes introrſum extrorſumque meatus in auriculis perſuadent. Primo compreſſis naribus, atque ore ſurſum compulſo ſpiritu, purulentas aures exhauriri prodiderunt & Razes, qui de hoc eodem affectu tradit; & Meſuæus l. 2. Grabadin partis primæ ſum. 2. c. 8. quos ſequitur & Nicolaus Florentinus ſerm. 7. tract. 4. ſum. 2. cap. 54. quam nos rem periculo in multis facto veram comprobavimus. Inter cæteros memini Domini Hieronymi Montaquilæ, Sacerdotis Regularis, quem apoſtema poſt aurem expertum cum Excellentiſſimo Medico, Sebaſtiano Vecchiono curavimus. Itemque comperimus in Felice Paduano, Tabularum æneatum ſculptore, & in modo memoratis hominibus, atque aliis compluribus. Deinde Alchmæon Calaber, Crotoniata rei anatomicæ primus autor Philoſophuſque vel ab Ariſtotele celebratus: ſicuti ſcriptum eſt in libr. 1. de natura animal. cap. 11. capras non ore ſolum, & naribus, verum & auribus ſpirare ſentiit, quam rem aliquando admonitus Bartholomæus Euſtachius, ſeculi noſtri ſtudioſiſſimus, idemque ſubactiſſimus anatomicus inventis explorate viis ſpiritus, hoc ipſo ſermone de auditus organis mirum in modum admiratus eſt, habet autem uſus in medicina præclaros Horum unum, & admirabilem indicavit Autor l. de rem. fac. parab. ad Solo. c. 10. qui vel ex hoc Galen. aut magnus homo cognoſcitur, quod ad dolentes aures citra ulcus ſulphur ignem non expertum per nares interventu calami inſpirat. Sed & Gulielmus Rondeletius in practica methodo c. iſto ſcripſit, maxime conferre ſternutamenta tinnitibus aurium reſolvendis, ſi frequenter excitantur: nam flatus, ait, cerebri non minus per aures, quam per nares, diſcutiuntur.

Hæc illi: quæ quanti ſint ad noſtra deprimenda momenti jam vides. Spirare apud Alchmæonem noſtrum interpretor, & ſpiritum auribus allidentem, & & ejus omnes modos ſentire: quod Virgilius fortaſſe cum Crotoniaca conſentiens dixit haurire. Donata verò capreis nimirum ardua petentibus, ac de ſumma rupe pendentibus, (unde capricioſa dicuntur ingenia) κατὰ ἐξοχὴν diſciplina, quæ alioquin eſt & damis, cervis, leporibus, ut per hunc exactiſſimum ſenſum ſe ſuamque vitam maxime tueantur. Sed & animantibus omnibus ad diſciplinam apris hæc dos non deeſt. Equus quippe meus inter multos ſagaciſſimus, ſed quia cantherius, & nigro univerſo tegmine amictus, id eſt, exuſtus, & melancholicus: ob hæc pavidæ naturæ, & ad omnia antrorſum, ſemper arrectis auribus incedit, ut differentias omnes ſpiritus, id eſt, rerum captet. Hic jam apparet, nil nobis Alchmæonem noſtrum contradicere.

Sed neque Rondeletii doctrina quicquam adverſus nos facit: quandoquidem infinite tenuior eſt ſpiritus, quam humoris purulenti ſubſtantia. Poſt hæc autem cum Razæ, & cæterorum Arabiſtarum hic producitur experimentum: illud hac ratione explico. Siquidem ore naribuſque compreſſis compulſus ad ſuperiora ſpiritus partim tenduntur muſculi temporum auribus affinium; partim interne diſtenditur auriculæ tympanum: itaque compreſſa externe, expulſa interne ſanies ſic foras non exilire non poteſt, non igitur illud fit, quod ex inferioribus tympano ſi nubus erumpat per obtenſam organo membranam, ut falſo quidam exiſtimarunt.

Cæterum, quod dixi, parte auriculæ ſubcutanea procreari ſolitum abſceſſum, & quod ſuper tympanum externe conſcendens ſanies expreſſa pellitur, non ex interioribus venit (nempe ſic prompta ſurditas) non ſic intelligendum eſt abſolute, ut non interna etiam ſub auricula creari poſſit abſceſſus: quo tempore occupatis à ſanie membranis, neque etiam ſequitur ſurditas perpetuo; quippe quod interdum educitur ſanies vel per rarefactam membranam, vel per rimam inter porum auditorium, & os calvariæ. Scribit autem Fallopius, annulum, quo tympanum continetur, eſſe chartilagineum, non oſſeum, nec conjunctum ſic cum oſſe Calvariæ, ut non ſit contiguum, in pueris autem ſeparari facile poſſe. Confirmat hæc & Rodericus Fonſeca in conſil. 39. to. 1. quæ propterea retulimus, ut ne videantur contradicere noſtris. Quamquam nihil in medicina perpetuum dixit Celſus in procemio generali: & nos ea, quæ plurimum, & frequentius accidunt, producta volumus. Sic de aurium abſceſſibus, & horum problematis expeditam brevi rem habes.

Cap. 16. *De Sclirosarcomatis gingivarum.*

Proditum eſt à Bartholomæo Euſtachio l. de dentibus; ad horum præſepiola ſæpe, tum multum affluere gypſeæ pituitæ, ut ſi nubus ipſorum repletis dentes à vinculis exſolvantur, foraſque ſenſim propellantur. Mea verò eſt obſervatio, ex eadem eluvie concrementum enaſci carneum; ſubrubrum, durum, progerminum, quod interdum galli coronam, interdum oſtracodermi carnem purpuream refert. Hoc genus epulidem noſtrates medici nominant, verum quam rectè viderint. Et ſi enim epulis excreſcentia quædam eſt carnis: hæc tamen ſuccedit ad male purgatam & minime reſiccatam parulidem, quæ Paulo, & Aetio teſtibus inflammatio quædam eſt particulæ cuiſpiam gingivarum. Utraque autem expullatio quædam eſt ſanguinis, & calida ἀποςήματα: quæ Pauli eſt doctrina partim in l. 3. partim in l. 6. deſcripta. At vero, quod nos proponimus germen eſt carnis nulla unquam prægreſſa phlegmone ſed ſola humoris viſcidi craſſique ſcarebra profectum: quod genus σαρκὸδη βλαςήματα Galen. vocavit lib. de tumor. præt. nat. c. 21. παρόντιδας vero latino non invento nomine dixit Cornelius Celſus libr. 6. rei medicæ c. 13. Non difficile autem eſt, ut germen latiuſculum intellexerit carnis; quandoquidem ait; ſi major is tumor eſt, commodius totus exciditur ſic, ut ex utraque parte dens liberetur. Quod ſi minor interdum etiam hic tumor à Celſo deſcribitur: id propterea non facit, quo minus & major hoc genere comprehendatur.

Rectè igitur Aldinus uterque codex, id eſt. Venetus, & Romanus παρόντιδας, non parulidas legit: quod nomen perperam reponunt primus Joannes Manardus l. 7. Epiſt. 2. mox Gulielmus Pantinus, & Robertus Coſtantius in ſcholiolis. Neque enim quicquam facit, quod apud Græcos id nominis non extet. Nempe fieri potuit, ut neque omnes iſtorum libri ad nos pervenerint; præſertim Alexandrinorum, quos ubique citavit latinorum antiquiſſimus Celſus. Jam verò, quod aſſeruit hic auctor vocatas à Græcis parontidas: id adſtruit & vere vocatas, quippe ſuum nobis abunde teſtimonium ſatisfacere poteſt. Quid quod recte formatum, apteque impoſitum nomen videtur parontidum: id eſt, poſiti juxta dentes affectus vitiive qua de re laudo ſummopere conſtantiam Balduini Ronſei viri medius fidius de medicina benemeriti, qui parontidon nomen mutari nullo modo paſſus eſt. Quod ego germen, tum ex ſubſtantia, tum ex duritie ſcliroſarcoma vocandum judico: quale ferme deſcripſit idem Balduinus in hiſtor. medicinal. miſcellaneorum 7. aut quale narravit Felix Platerus in obſervat. Sed & quæcunque nos ejus generis curavimus, omnia citra phlegmonem evenêre. Quæ, ſi placet, experimenta de plurimis ſelecta narremus.

Perſiæ

Perſiæ Peregrinæ conjugi Michaelis Angeli Pinti trigeſimum] annum natæ ad antepenultimum molarem oblique nata caruncula principio lentis magnitudine, mox dimidiæ fabæ modo. Quod concrementum à medicis, & chirurgis leniter tractatum, & per medicamenta plurima non repreſſum, intus extraque ſepta dentium excrevit ſic, ut molarem altera parte revulſerit, & contorſerit, quo tempore infrenabilia profluvia ſanguinis extiterunt: atque eo magis verenda, quod cumulatiſſime prægnantem oſtenderunt, à qua jam ſarcina diu levata; ſed incremento latiore ſarcomatis, & putore ſaniei, quam grypi duxerant, afflicta & pertæſa, jam me ferramenta liquido adhibiturum accerſit. Quibus ego tum frigidis, & reſcindentibus, tum igne retorridis varie, atque apte adminiſtratis viraginem alioqui fœminam ab annua, & amplivaga noxa liberavi; collega ad eam rem Ioanne Dominico Malliocho efficacis medicinæ cumprimis amico. Quo ipſo item præſente, & Io. Baptiſtæ filio Andreæ Piſcicelli octavum annum nato ſcirrhoſam iſtiuſmodi carunculam mole quidem aliquanto minorem, ſed pro immedicabili ab aliis ſummis chirurgis relictam, ſeu el igneo diſcindente ſcalpro curavi. Poſt hos erit tertia filia Tonſoris, Antonii Fuſci, quam rem in l. privatæ chirurgiæ c. de ſarcomatis gingivarum expoſui. Sed aliis nominibus admiranda narratio fuerit de Victoria Antonii Conradi Sartoris filia, quæ ad hunc ſe modum habuit. Maxilla inferior dextri lateris mirum in modum turgida vitium alebat; qua molaris ſecundus eſt. Hic ſi ferro pluſculum attrectaretur, audiri tum fragor, & reſonitus vaginulæ veluti quaſſæ. Ita ſ. minus amicus dentium complexus erat, quamobrem de excutiendo ſaltem uno molari alioquin infirmiore ſignificatum à me eſt: qui ſic quidem hærebat laxe, ut matris manu per filum fuerit exemptus. Sic carnis inutile glomer, quod radicibus extracti dentis exultaverat, tractari commodius fuit, adeoque reſectum primo per ſcalprum, mox ignito auro repreſſum eſt: quæ cum ſemel opera exhauriendo vitio non ſatisfeciſſet rurſus ac tertio repetita eſt. Mirumque fuit, ut extumeſcens diu facies, atque etiam maxillæ turgor reſidere brevi ſunt viſæ; quanquam ad exteriorem malæ faciem & medicatæ cinnabaris fumo ſpongiolæ, & diapyriti emplaſtra, & ex plumbo hydrargyroque conflatæ lamellæ, nonnihil adjumenti dedere. Quas meas omnes adminiſtrationes, & curationes confidenter admittendas, atque exequendas parentibus ſuaſerat excellens in arte medica vir Horatius Theſaurerius Salernitani Collegii Doctor. Ad hæc exempla poſſem & de caruncula ſpongiformi dicere, quam illuſtri fœminæ Victoriæ Pyrrhoniæ de primo molari dente ſubduxi. Quibus jam omnibus expoſitis experimentis ſatis perdiſcere potuiſtis, initiis, materia, ſubſtantia, magnitudine, more, atque aliis accedentibus propriis, & privatis ſcliroſarcoma eſſe. Tantum abeſt, ut de parulidis genere ſit, quod fimatum aliorum opinione fuerat.

Cap. 17. *De genuini dentis eruptu ementiente abſceſſum.*

Graves, ac perdolentes ſingulorum dentium omni ætate ſentiuntur exortus: In quibus ſ. excludendis, magnus in dies à natura commiſſus apparet conatus. Ex qua cauſa febres, æſtus, convulſiones, languor & immutatio multa corporis viſuntur: in pueris maxime, de quibus Hippocrat. in libr. 3. aphor. 23. Narravit autem Ambroſius Paræus in lib. 23. ſuorum operum cap. 57. complures teneros ſuos natos ad uſque fauces orci perductos, una vi prorumpentium denticulorum: uſque adeo ut ſcalpri neceſſitas fuerit expediendis obicibus, & habenis ipſorum. Quam rem & Andreas Veſalius in l. 1. de fabrica corpor. humani cap. 11. docuit, atque etiam Alexander Benedictus in 8. lib. de cur. morb. c. 18. & poſt hos omnes Iacobus Fontanus in l. 1. pract. med. F.

Sed ne minus quidem moleſtus eſt proruptus dentis prudentiam ducentis (ſophroniſterem græci dixerunt) ſub obduratis ævo membranis dum vigeſimo poſt anno, aut etiam trigeſimo contingit, ſub quo tum inchoante, tum in dies augeſcente, abſceſſus, muſculorum maſſeterum diſtentus & genarum gingivarumque tumor non exiguus cum oris maxillarumque impedimentis adveniunt. Quibus omnibus fit, ut parum experti medici nil diſcernentes ætatem, affectiones habitudinemque corporis, circumſtantias denique rerum obtuſe perſpicientes, ad multas ſanguinis detractiones, ad ſolennes corporis expurgationes protinus accedentes, illud operis, quod à natura ſedulo curatur pro phymate proque inflammatorio abſceſſu tractant, ex quo genere, quod hiſce diebus evenit nob. Decio Favillæ Neapolitano ſupra xxv. annum nato juveni; narrabo. Doluerat homini diu multumque forinſecus commiſſura malorum interne verò molarium utrorumque confinium parte ſiniſtra propterea, ſ. quod extremi molaris nuper exerti menſula parum exerta, ac tantum non gingivæ fibrulæ contecta, cibos ſolidiores nedum commandere non poſſet, ſed graves etiam diſtentus noctu diuque ſentiret. Cum verò ſub ſemitecta particulæ lacuna ſanies aliqua collecta putorem redderet, opinio multis fuit ulceris, aut fiſtulæ. Ego verò perſpecta re continuo ſuſpicionem exurgentis dentis ſophroniſteris objeci, qua ſic, ut abſurda re audita decurſum eſt ad demoliendam incumbentis gingivæ particulam qua confecta re continuo quidem putor, ac dolor abjicere: verum ad extremum luculenter apparuit affectiones omnes malas una dentis eruptione productas. Sic luſę ſæpe ſententię, quæ firmamento nituntur aliquo, præſtabiles exitu ſeipſas produnt: & contra falſa, quæ primum ſpecie probatæ fuerunt, ad extremum leves & inanes deprehenduntur. Quæ de ſenilis dentis eruptu primo relata volui; ut ementitam abſceſſus imaginem præmoniti ſint inexperti quicunque porro quemadmodum Gemmarius artifex lapides orientis pretioſos ab his omnibus, qui nexiles, aut culti non ſunt, ſecernit, atque ſecludit: ita & qui de morboſis affectibus agit, ementitos à legitimis ſejungere debet.

Cap. 18. *De lepido ſarcomate, ſeu ſquamiformi tumore buccæ interioris.*

Poſt illud verò, quod modo audiſti, ſemiputridæ pituitæ germen, tradam & alterum loco quidem proximum, forma verò, & materia longe diſſitum. Homini cuidam ſtatæ ætatis, corporis aliquanto procerioris, nigris oculis, nigriſque capillis, venis ad brachia manuſque extantibus, colore fuſco, melancholico ad ſummam habitu; gena tonus dextera interne magna velut incluſa offa ſublatum tuber carneum globoſum quidem initio, mox ligulæ cujuſdam craſſioris modo ad guttur oblique flexum; multos jam annos cum incommodo multiplici loquendi, mandendi, deglutiendi perlatum fuerat, à medicis omnibus pro immedicabili relictum: cum ad me & ad Flamminium Craſſum Calabrum Tropienſem Curtorum inſtaurandorum peritum ab homine, qui noſtram operam etiam in arduo negotio expertus fuerat, miſſus eſt, quem nos inito conſilio curandum ſuſcepimus, juſſum interim, & ſuaſum, firma ſpe ut eſſet ſui breviſſime reſtituendi. Quibus ille malum, ait, omne futurum ſua miſeria levius. Ventum ad agendi commenta, ac rite paratis omnibus, quæ neceſſaria viſa fuerant, collocato in humili ſella homine, diductoque ad proximam operam ampliter ore per miniſtri manus; & lignea forfi-

forficula conſectum eſt glomer carneum acuto ſcalpro; qui primum obtuſus eſt cum offendit ad aliqua, quæ mox referam. Nempe reſciſſo per vim majorem & firmiorem toto ſarcomatis corpore, in conſpectum ſe dedere ſquamæ propemodum oſſeæ perſperſæ per ipſum, nulloque ordine diſpoſitæ ſic, ut hirtum hortenſis braſſicæ thyrſum referret. Res oſtenſa multis amicis medicis, qui nulla non admiratione ſunt completi. Sub exectionem, aut poſt ipſam offenſa nulla præterquam aliquid ſanguinis effuſum eſt, è reticulata quadam vena, quam vitii creditam nutriculam cauteriolo ad id parato facile repreſſi. Vixit autem exinde homo minus pro menſe liber, famulus & pediſſequus Illuſtris Viri Fr. Horacii Majorani ex ordine militum Melitæorum jam vetuli. Rem quam annorum duodeviginti memoria vidit Ioannes Baptiſta Nauclerius vir præter multam rei phyſicæ ſcientiam optimis moribus excultus.

Cap. 19. *De ſubatro farcimini ſimili tumore.*

Prodidit memoriæ Thomas Cneulinus autor ab Joanne Schenckio in opere medicin. obſervat. ſæpe relatus, puello nuper in lucem edito vivido & eleganti, ſub dorſi finem paulo ſupra coccygem; viſum tumorem farciminis modo extantem, è quo Chirurgica manu aperto ſaniei modicum effluxit; quo rurſus aliorum medicorum conſilio funditus execto, quarto poſt die puer jam noviſſime relictum reviſit Orcum. Id ad unguem, ut nil ferme detrahas; An. 1621. evenit filiolo Domini Flaminii Conſtantii criminum quæſtoris in magno prætorio probatiſſimi, quem atro cruentum inteſtinulum, cum contra ſentiente Tarquinio Mokio Chirurgo ſatis perito, diſcidiſſet alter quidam non poſtremæ notæ Chirurgus; lepidiſſimo protinus puello (proh facinus) tenue vitæ flamen incidit. Vidi & ejuſmodi aliam quaſi jecinoris ſubatri fibrulam fronti appenſam, in puellulo nuper nato Antonii de Luca in valetudinarii Sancti Angeli ad Nilum ordinarii noſoduli. Item in tenerrimo infantulo Hieronymi Dentii quotidiani in Parthenophilacio Spiritus Sancti obſonatoris. Atque item in filio Franciſci Albini Fabri Stannarii ad ſubſellia Portus Neapolitana: atque in aliis ætatis primæ puellulis, ſed maribus perpetuo. Ut jam conjicere liceat ex multa tum materię, tum facultatis attrahentis vi, talia concrementa naſci: quæ aceti ego fæcula, & diluto vividæ calcis ſpongiolis accommodatis, & hujuſmodi medicamentis exiccantibus ſæpè diſcuſſi.

Atq; hactenus quidem de lacteolorum homuncionum atroſanguineis abſceſſibus: nam & natu grandibus, ac bene firmis hac coloris ſpecie vidi nonnullos; inter cæteros quale morum ſemimaturum coloratus, varicoſus, & pulmonis inſtar laxus tumor de ſuperioris labri angulo Eſcharæ marinæ ſpecie pendulus eſt illuſtris & integerrimi Conſiliarii Sanfelicii ſorori germanæ, qui tumor cum vulgare mulierum verticillum in præſenti ſuperet magnitudinem: fuit & quo tempore vix etiam juniperi baccam attigit; arbitror autem, (quod nemo propter atechniam referendo diſcrevit) ortum habuiſſe ex tenui varicula, quam affluxus poſtmodum humoris multus ampliavit, atque diſtendit ſic, ut formanti voces, & manducanti nonnihil incommodum, & grave ſit additamentum.

Cap. 20. *De faviformibus abſceſſibus.*

Faviformes abſceſſus vocavi ſubputria quædam & cæca ulcera, quæ circum adductis digitis primoribus expreſſa ſanioſum mucorem forulatim reddunt, ad eum prope modum, quo favus mel. Adveniunt autem plurimum poſtica corporis parte à cervicibus pone dorſum aduſque coccygem, ſenibus, aut grandi jam ætate hominibus, qui craſſum & ſemiputrem ſanguinem cumularunt. Ego vetulos homines, qui labem hanc ſubiêre, poſſem numerare quamplurimos: ſed paucis ero contentus.

Primus, quem adhuc invenis ad curantem magiſtrum Julium Iaſolinum obſervavi; fuit Horatii Cytharellæ medici pater ſeptuagenarius: qui cum eo morbo in dies proſerpente commortuus eſt. Secundus ab eodem præceptore curatus Hieronymus Albertinus, vir patricius octogenario non minor, qui ab eodem affectu ſpathulas graſſato præreptus eſt: Tertius Martius Cinnamus ſexageſimum annum natus, qui ſecundum cervices id vitii perpeſſus diſtentiones exitiales jam à medicis interminatas incurriſſet; niſi Chironia per nos opera ſuccurſum eſſet; cujus rei deſcripta plene legitur hiſtoria libro Pyrotechnię noſtræ Chirurgicæ cap. de anthracibus, enimvero ſic ibi cum vulgo medicorum appellare libuit eos; qui nonnullam cum anthracibus cognationem habent. Quarta vetula fuit monacha veneranda Parthenophilacii Spiritus ſancti, cui Franciſcæ Caſtigliæ nomen, ſecundum cervices etiam experta ſævituram in mortem affectionem; niſi provido equidem conſilio totum ulceris ambitum ad radices uſque præſecuiſſem. Quintus Melchior de Gaudio ſupra ſexageſimum quintum annum natus; qui vir etiam ad inion foraminoſum hoc malum ſenſit: liberatus item à me vi ſcalpri. Sextus Marcellus Ferrellius cuſtos noſtri valetudinarii ſeptuagenario major, qui binis ad nates amaris ejuſmodi favis poſt importune ſuppreſſam à ſe ſcabiem, poſtque diram in ſcroto ſedeque feliciter à nobis curatam gangrænam, gravatus eſt. Poſt hos omnes ultima recenſebitur Catharina Scarpata Cler. Fanciſci Antonii Maſulli mater quinquagenaria, quæ ab amico quodam noſtro in Chirurgica ſatis exercito valentiſſimis quidem medicamentis, ſed ſine reſpectu diù curata vitam prius, quam ſinuoſum mali fomitem reliquit. Porro ſis admonitus velim, malum hoc ſpongiæ favique modo perfractum; propterea, quod ſecundum omnes ſuos cuniculos expurgari probe non poteſt, putredinem nutrire latentem; qua ſenſim ἄνω καὶ κάτω proſerpens affatim ampliato vitio ſerpit, ac debiles homines febre, doloribuſque opprimit, quanquam non ita eos, qui robore valentes reperit. Adverſus quæ diſcrimina noſtrum eſt experimentum vel ab initio ſcalprum & poſt hunc, ſi multa vitii vis exegerit; ignem etiam ſalutariter adhiberi, pauco & momentaneo doloris ſæpe diſpendio, periculis præſentibus incluſam vitam facile vendicaveris.

Cap. 21. *De vaſtiſſima omphalocele atque enterocele.*

Patiemur & in hos quoque ſermones aliquando veniant abſceſſus, qui ſunt cum illapſu partium certarum corporis: has κήλας veteres græci nominaverunt. Ex his autem omnibus formis commemoranda eſto multo ante tempore à me notata omphalocele atque enterocele, quotquot cernere licuit vaſtiſſimæ: nos umbilicarium ramicem prius exponamus. In Parthenophilacio Spiritus Sancti virgo fuit adoleſcentula, (Sabellæ Carbonæ nomen) cui ab aſſumpto leviter veneno, concitatis cum vi plurima vomitibus & inconſultis, ſicut in caſibus hiſce fit, ejuſmodi concuſſibus corporis: ad umbilici laxitatem, partem agitato ventriculo proximam: diruptum eſt principio parte tenus aliqua diploidis peritonæum, quam inchoatam unitatis ſolutionem imprudens

puella victu promiſcuo ciborum flatulentorum, & frigidæ potibus intempeſtivè, nec non ex catarrho, cui ſe ſubdidit, & conſequente, quam acetariis fovit, tuſſi; non mediocriter promovit; uſque adeo, ut ab exomphalo in luculentam devenerit Omphatocelen: quam fatua puella præ rubore nulli medicorum oſtendente, ac negligente, ſub pannis etiam fuit facile deprehendere nobiliter extuberantem, quo tempore admonita (ſodales etiam ad ſuadendum hortatæ) ut obligaculis abſceſſum reprimeret, & cohiberet, atque etiam, ut ſe curari permitteret: levitate neſcio dicam in fœminis miranda magis an miſeranda rem in contemptum in dies ponens, tandem ſupplicium incuriæ pleniſſime tulit. Porro abſceſſus in magnitudinem excrevit non mediocris utris, aut diſtenti potius ferrarii follis, ut figura referatur: nam mirum eſt ſane quantum impellentibus interne inteſtinis poſſit diſtendi cutis. Viſus enim Neapoli plurimos annos inops homo, qui nudata publicitus enterocele medio tritici pari, ſtipem in triviis emendicabat. Itemque fuit alter, cui laxatum cum hypogaſtrio ſcrotum obtecto undique pene ad media uſque femora lato circumambitu deſcendebat. Illud autem non dubito, ex diſtracto ſeu quod perdoleat, ſeu quod prægravet, tum epigaſtrio, tum hypogaſtrio, concitatos ex ſuperioribus interioribuſque confluxus humorum aſſiduos; unde tam multa ſarcomati facta fuerit acceſſio: quod idem in bronchocelis compertum à nobis alias narravimus. Sic major admiratio ſarcomatis, quam ingentis inteſtinorum dilapſus eſto.

Cap. 22. *De abſceſſibus perinæi, ani, & partium proximarum.*

Non ſunt autem in his omnibus prætereundi perinæi affiniumque partium abſceſſus: quorum & naturæ conſideratio, & propria curandi ratio graviſſima eſt. Prius autem agendum eſt de natura ad quam conditio partis privata, cauſa, & effectus modi pertinent. Sunt hæ partes, ut quæ diſtendi, ad uſus, mox contrahi debent, ad ſpiritus excurſuros recurſuroſque poroſæ, ac laxæ, ſummo naturæ ſtudio comparatę; ad quos ipſos meatus cum illuvies putrida ſeu corrupti ſeminis, ſeu materiæ purulentę, quæ de veſica, aut urethra exulceratis pervenerit: hęc viſciditate ſua prompte ſub anguſtis locis adhærente, ac quotidianis ſe additamentis tollet ſic, ut aliquo poſt tempore computreſcens abſceſſum faciat. Cujus & carunculis, quę per tubulum colis expullularit, ſæpe cauſa eſt. Siquidem obſtructa per ſe fiſtula, quæ per hanc effluxura fuerat, ſanies ſubiens alio, quæ proximæ viæ ſunt; huc divertens, atque conſiſtens apoſtema creat, cujus jam procreandi modum quæſieras ante.

Sed illud inſuper intelliges eiſdem, quas retuli, cauſis naturalibus nimirum, & pręter naturam vocatis fieri, ut non uno ejuſmodi phymate contenta ſit materia, quę diffluit: verum pluribus etiam excurſus faciat: uſque adeo, ut cum unum ſ. ex his ſumma cura perpurgaveris, ſubinde tuberculum aliud proximo loco appareat, idque tertio quarto quintoque viſeris, quę res curatori medico fiduciæ plurimum adempſerit. Quam ob rem natura in curando, ſeu potius prævertendo providentia opus eſt; quę meo quidem experimento multis conſtat adverſionibus.

Prima ut ſimul ac hiſce partibus quid vitii doloriſq; ſenſerit is, qui difficultatem mictus experitur: has continuo fluxiones revulſeris ac diverteris vomitionibus, dejectionibus, ſudoribus, vinculis, frictionibus, omnibus denique averſionum generibus: victus quoque modum præſcripſeris, quo minus alimenti cauſa morbificæ ſuggeratur. Ad hæc affectus hic morbiferus tollendus eſt ingenti cura deſtructis ulcerum carunculis, expeditiſque viis &c. Atque hi quidem occurrendi modi ſunt adventanti malo: ſed enim, ubi vel non principio curaveris hominem, vel ſic curato facere non potueris, quo minus abſceſſus plenis ſe incrementis provexerit: tum alter prudentiæ modus eſt in effluxu feſtine dando, nam neque ad ultimam maturitatem ſinendus eſt idem. Verum ubi ſe ſuppuratæ ſubſtantiæ portio ſub cute prodiderit, continuo per ſcalpium aperies phyma, quod tu quidem, tum accommodatis medicamentis exacte expurgabis; tum victus potuſque parcitate ſiccabis. Non nimium autem utilis eſt expreſſio, qua pari doloris detrectatu nonnulli medentes abſtinent.

Multo autem omnium maximè neceſſaria eſt ſinuum quorumlibet, præſertim ad alterum reſpondentium. Ad hunc quidem modum Joannem Donatum Corregium Bergomatem Civem induſtria & virtute ſua nobilem ſeptuagenarium propè hominem ex multiplicibus ad ſcrotum atque interfœmineum abſceſſibus; per quos ampliter urina defluebat; ex vicennali veſicæ purulentia profectis, liberavi. Cui curationi interfuerunt ab initio Marius Schipanus, & Aloyſius de Gratia Medici noſtræ urbis conſultiſſimi. Aliter vero curatus Surrentinus ille Patritius Cognatus Illuſtris viri Domini Antonii de Bologna fiſtulam in medio cole longos in annos duraturam ſervat, quod dictum volui propter eos, qui leniſſima curandi ratione delectantur. Cæterum iſtiuſmodi fiſtulas per quas urina deſtillaverat in valetudinario nonnullis ad unitatem perduximus, quod Thomas Zampalia civis Montecalvenſis chirurgus pro re admiranda prædicat, habetque inter omnia verè maximi. Hæc jam de perinæi abſceſſibus, & vomitis monitus eaſdem ferme de ano ſtatues obſervationes. De his autem Langius l. 3. epiſt. 4.

Cap. 23. De *elephantia privato pedum tumore.*

Cum de vaſtis quibuſdam tibiarum abſceſſibus aliquando retulerim: conſentaneum rationi viſum eſt, ut dicendum eſſet quod de tumore pedis ampliſſimo, calli modo præduro, intime craſſo, concolore, ac non perdolente: in quo ſi quidem ulcus aut prurigine aut extrinſecus aliter excitatum ſit; hoc cum priore malo ſit inſanabile. Accidit autem hoc mali genus melancholicę quidem craſis hominibus cujuſque vitæ generis & inſtituti; ſed potiſſimum inopibus & victu quocunque contentis. Hujuſmodi autem in valetudinario nobis occurrerunt complures: inter cæteros unus, cui vis abſceſſus pollicem admodum ad interiora retraxerat. Hujus autem cauſa continens non omnibus judicibus una eſt: aliis referentibus ad humorem melancholicum: è quibus eſt Haliabbas in 8. Theoricæ; aliis, quorum unus eſt Avenzoar. 2. Theiſir. tr. 7. c. 26. P. ad craſſos humores promiſcue: aliis ad phlegma gypſeum aut glaſteum. Avicenn. vero l. 3. fen. 21. tr. 1. c. 16. dixit elephantiam additionem eſſe ad pedes accidentem modo varicum. At vero Guido Cauliacus in tract. 2. doctr. cap. 7. ſingulari quadam opinione cenſuit, elephantiam eſſe carneum quoddam additamentum in pedes ac tibias ultra dimenſum proprium, ſed ſimilem pedibus elephanti.

Cui placito firmiter adhæſit Rembertus Dodoneus, profeſſus inſuper incrementum hoc eſſe non ex humoribus quidem qualitate peccantibus, qui ſint ad eum locum affuſi, ſed ex ſuperfluo ad partem illapſo alimento nondum tamen rite agglutinato, quo copioſius huc adjecto pes craſſior ac veluti præturgidus redditur ſuperioribus particulis, ut alimento deſtitutis,

magna

deſtitutis, magna ex parte extenuatis; quanquam autem Guidoni placuit, & tibias eſſe his iiſdem affluxibus incrementi participes; nihilo tamen minus ait Dodonęus ſibi perpetuo partes ſuperiores viſas extenuatas. Addit autem ad hęc Rembertus pro modo prævalentis auctricis facultatis hæc incrementa pedum evenire, quæ quidem opinio, niſi fallor & ex Felice Platero videtur deducta, rem hanc ex profeſſo diſcutiente in tomo 3. prax. medicæ titulo de extuberantia, qua de cauſis affectus diſputatur, opinio profecto non aſperanda: quam propterea retuli libentius, quod noſtræ de carniformibus abſceſſibus ſententiæ non parum ſuffragatur, ſuadet autem, & ad confirmationem facit; quod gracilibus corporibus accidiſſe nunquam viſa eſt affectio, plurimum autem ſupra mediocritatem plenis corporibus gaudet, quam tum equidem obſervatione mea conſequor. qua cauſa mihi viſus eſt hoc morbi genus expertus aliquot ab hinc annis Dominus Franciſcus Caraccioius Binetti Marchio vir alioqui belle procero atque æque ſecundum latum perfarcto corpore: cujus morbi curationem, quam reſcripſi conſultus; tum quia plurimum huic loco congruit eadem; tum, ut me multorum labore levem: huc libuit referre, quæ fuit.

Hippocr. l. 2. proth. num. 17. conſtituit; abſceſſus, & ulcera rite dignoturis, ſpectandas eſſe primum hominum naturas, ætates, & habitudines, quę meliores ad eadem perferenda ſint aut deteriores: deinde perſpiciendos eſſe locos, quibus hæc acciderint. Subdidit autem ſpecies hominum commendari; quę leves ſunt, & commoderatę, quęque viſceribus non ſint vitiatis, aut malis obductæ coloribus. Horum aliqua ſi nos obſervare curemus in Ill. viro; difficiles hercle curandi conditiones offendemus. nam quod ad naturam corporis ſpectat, hæc non levis, & commoderata; ſed contraria prorſus apparet. ex viſceribus verò ſibi ſit unum aliquod, quod non bene habeat, oportet, quale equidem puto jecur: cujus vitio fit proferentis humores ineptos, ut hos natura non amplexetur, ſed ad ſubjectas ſibi partes deponat, quam tranſmiſſionem promovent foventque multa primum humorum plethora cum ſuperfluitate multa conjuncta, exemplo vini, cum dolium magnum complentis multa ſubſidet fæcula. Prçterea favet abſceſſui proclivitas & imbecillitas partis recipientis, unde dixit Hippocrates, quod morę fiant in ipſis & recidivæ. Favet & robur partis mittentis, quod eſt jecur impenſe vegetum ac magnum. Adjuvant & vicinitas; & viæ brevitas; & humoris gravitas, & hypoſtaſis; quæ nutu facili vergit, ac penè procumbit ad inferiora. Ita conſentiunt ad hunc unum defluxum cauſæ multæ, quas omnes, aut plurimas, quantuncunque licet medicus prudens incumbere aut. etiam retundere debet.

Igitur, ut jam ad curationem deveniam; appetente proximo vere, quod commodiſſimum tempus puto: minuenda nimietas eſt & plethora ſanguinis pluſculis detractionibus ex utroque brachio: & poſtquam etiam cacochymia fuerit elevata per accommodatos corporis eruderarns: ſub hæc ex venis ſedis etiam eliciendus eſt ſanguis; deinde decocto ſarſæparil. & chinæ radicum & rhapontici, quod à Dioſcoride ſuiſque maxime commendatum eſt ad defluxiones cohibendas, atque ad humores fervidos contemperandos; additis herbis aliquot aliis aut harum ſuccis peccantes viſcerum diſcraſias commoderantibus, ad viginti dies utetur: at non ſine ſudatione competente; quam plenitudini minuendæ neceſſariam ſtatuo: quas ſudationes eodem inanitionis nomine ad Anianæ Cryptæ, quæ in agro Puteolano eſt, mirificos evaporatus captabit. Interim optima victus ratio ciborumque. parcitas amice colitor. vinum pauciferum cum lixæ rhapontici portione tum prandio, tum cœna bibitor. omnibus autem modis ſi contra radix recens, vel conſervæ, vel zulapii, vel aquæ ſtillatinę, vel lixæ modo parata uſui eſtò quotidiano, eſtò magno hanc uſui futuram conducibile & pro comperto habetur.

Atque hæc quidem univerſi corporis medicamenta ſunt, cęterum extumeſcens membrum procurandum ita videtur. primum fonticulus, ut cum præclariſſimo collega Stephano de Rinaldis decrevimus, de loco inferiori tibiæ, qui nimiis humorum incurſibus patet, ad ſupremum fæmur interceptus gratia transferendus. ſpongiis verò ex aqua nitrata expreſſis fovendus in ſingulos dies crebro pes eſt, Rondeletius ad pedum œdemata lixivium commendat cinerum ſarmentorum, & hujuſmodi, ex quo etiam madefactum exiccatumque tibiale dies ac noctes indutum geret. Sed duo ſubeunt hic advertenda: alterum quidem, ut topici medicatus non adminiſtrentur prçterquam ubi diu multumque tum plethoræ, tum cacochymiæ conſultum ſatisfactumque fuerit: alterum, ut ab hoc tempore nullus ſit metus ſuperdandorum exteriorum, quantumvis aſtringentia, atque exiccantia ſint. etenim non placet conſilium illorum medentium, qui poſtquam corpori providerint unis quibus unice confidunt catholicis remediis: cæterum partem, quæ languore preſſa eſt, immedicatam relinquunt, per epithemata prçcaventes ad interiora recurſum humoris, qui longo jam tempore fuit caſtigatus, atque repreſſus; atqui, ut unaquæque pars dè univerſitate corporis eſt: ſic junctim cum illa gaudet curari. Hæc quidem ego in Illuſtri perſona; qualis quidem, ut Celſus ait, fieri non poteſt, ut ſine verecundia curetur: verum durioribus efficaciſſime medicatus ſum, ad inguina ſetis affixis chirurgicis, & ad partem extumeſcentem facto crebro ſe artificatu & per fomitem à me dictis uſturis: de quarum omnium rerum adminiſtratione mox in efficaci Chirurgia noſtra propediem edenda leges.

Cap. 24. *Super Syphilide morbo ſelecta aliquot adverſiones.*

POſt hęc omnia non indictus abibit mihi venereus; qui totus abſceſſorius eſt affectus; dignus profecto, qui dum conſiſtat, perpetuò ab optimis ingeniis obſervetur, ab induſtriis quibuſque ſcriptoribus pertractetur. Primum autem theorema eſto de natura ejus & vi, quæ ſummam ob ſuam inſolentiam atque atrociam nulli morbo comparabilis, ſed ſuper omnes admirabilis viſa eſt ita, ut veneno contulerint plerique. Alii verò crediderunt affectus totius ſubſtantiæ, id eſt, qualitatum omnium exuperantiis exercentem ac labefacientem temperamentum humanum; nempe nulla ex his, quas primas appellant, facultatibus circumſcriptus; & fervidos evagatus, & frigidos infirmatus, laxos madores & graciles ſqualores æque parit. Ad hos acceſſerunt & alii, qui ſcripſerunt affectum, ut ſecundum ſingula quidem ſymptomata nulla non parte perſpicuum; ita ſecundum formam humanæ menti abditum & incomprehenſum. Mihi verò poſt magnos viros, explicandus, quando certe non demonſtrandus, ſic brevi videtur. Syphilis eſt impreſſura prodiens ab inquinabulo impenſe putri craſſoque & à tota ſubſtantia oppugnante temperamentum humanum, ad partes primum ſpermaticas ſpectante, mox alias acris fermenti facultate, ac virulentæ auræ tranſmiſſu pervadente; quod ſi intro perſtiterit, nec effluxu aliquo abſceſſerit: hepate occupato corpus omne conterit & tabefacit. Scire licet per impreſſuram exprimi formam ac vim apprime fixam: quę tinctura vocata per Theophraſtum, infectio vulgo; nobis alioquin inſigni vehementia & inaudita contumacia rectius impreſſuræ nomine cenſetur. primum quod extrinſecus inducta, ut nota quædam inuſta eſt: deinde velut ictus morſuſque feræ venenatus,

l'tius ſeſe promovet ac propagat ; eademque vim deleteriam conſervans , varia producit toto corpore ſymptomata , quę multo negotio vix delentur , in filios uſque traducta ; quanquam hoc utique neceſſarium aut perpetuum non eſt, ut Ludovicus Mercatus in libr. de morbis hęreditariis oſtendit.

Aptiſſime autem inter omnes morbos elephantiaſi propter eaſdem cauſas æquiparatur ſic , ut à multis pro illa fuerit habita ; revera tamen elephantiaſis non eſt. Siquidem hæc definitæ facultatis , & actionis eſt , ſemper cum calore conjunctæ. At verò morbus venereus, quemadmodum inferius exacte demonſtrabimus , ſumme varius ſecundum primas alterationes ſentitur: itemque diſſita, nec unius ordinis, ſed omnis generis ſymptomata profert ; quorum ſua , & probabilis non invenitur cauſa. At vero effectorum omnium ab elephantiaſi productorum ſua & certa apud omnes eſt cauſa. Pręterea ſyphilis partes omnes tum ſanguineas , tum ſpermaticas æque tentat, cauſis morborum & morbis omnibus ad has invectis. Et, quod maxime mirum eſt, in una eademque particula, puta membrana varios & acres, humore præſente frigido, dolores ; in diverſis verò membris plurimos cruciatus modos creat ; quæ res in elephantiaſi viſuntur nullę, ſicut cuique diſcurrenti per ſeipſum eſt facile comprobare. Taceo diſcrimina duorum complura , quæ Gabriel Fallopius expoſuit , leviora non dubito, ac minutiora, quam antedicta.

[Ab inquinabulo, ſeu mavis inquinamento] cauſa ſcilicet effectrice atque materia; cujus tanta eſt neceſſitas eaque vis, ut Hieronymus Capivaccius ſeminarii ſolius interventu judicarit omnia primum mala fieri , & ab hoc uno vitio ſuccos utiles corrumpi ; hac facultates impediri ; indeque cætera detrimenta in corpus derivare ſingula. Verum enim verò, quod non cauſa , ſed morbus vere ſyphilis eſt , hoc nonnulli demonſtraverunt : inter quos Thomas Minadous & Fabius Pacius fuerunt. [Impenſe putri craſſoque.] Hæ ſunt conditiones inquinamenti ſyphilii perſpectæ, cæterum enim ejuſdem antipathia & admiranda proprietas non perſpectæ. Putredo inquam , manifeſtè ſe prodit ex univerſo ſui fervoris, & actimoniæ complexu, qui phymata, abſceſſus , ulcera, & caries uſque oſſium excitat. Advertendum autem cum duplex putredo ſit ; conſummata , qualis ab Ariſtotele definita eſt ; ſemiperfecta, qualis à Galeno ſuiſque propoſita eſt : hanc nos, qui Galeni dogmata profitemur, intelligi volumus : quam ipſam intenſa quadam ratione valentem nos ſtatuimus propterea , quod uſque oſſa ſublevat & erodit , quid mollia & cedentia dicam ? Adhæc & univerſum corpus abſumit , niſi quemlibet effluxum nacta fuerit. Alterum putredinis indicium eſt contagioſa natura : à qua putredo non ſejungitur ; ut diſerte quidem Fabius Pacius l. de morbo gallico ; ſed multo ſatius id oſtendit exactiſſimus inter noſtros multos Hieronymus Fracaſtorius, qui l. 5. de contagio cap. 1. definiit contagionem eſſe conſimilem quandam miſti ſecundum ſubſtantiam corruptionem de uno in aliud tranſeuntem, infectione in particulis inſenſibilibus primo facta. Sed Fracaſtorio quidem auctor Ariſtoteles in problematis fuit.

[Partes ſpermaticas, &c. Hac re porro nihil certius eſſe debet ; quando ſic maxime ſervatur analogia venereę materiæ ; quod ſemen eſt, ad partes ex hacce ſubſtantia conflatas quam rem oculatus homo Franciſcus Valleſius in librum tertium epidemiorum ſect. 5. ſuper hiſtoria ægrotorum decima diſertis hiſce verbis expreſſit ; Venere putreſcit ſemen ; quod computrefacit rores partium , utpote ſuccos analogos. Confirmatur & quod partibus ſpermaticis, id eſt, cuti, membranis, nervis, unguibus, articulis, dentibus, oſſibus infeſta plurimum eſt ſyphilis ; minus verò ſanguineis, & carnoſis. Quod ſi neque jecinori parcit : illud quidem non iſta , ſed abdita, & excellenti quadam alia ratione fit ; quæ veneni eſt antipathia , per hoc affectum principium hominem perditura : quam rei ſubtilitatem neſcio an attigerit alius quiſpiam. Interim ea re ſic expoſita cognoviſti duplici nobis uſu ſignificationis eſſe ſpermaticas. Verum enimvero è partibus ſpermaticis ; i. uſui ſeminis univerſo dicatis , præcipuum ſyphilicis conſidentis diverſorium pono glandulas proſtratas , veſiculaſque paraſtatas ; utpote quę loco ſtructura & uſu ad alienam excrementitiamque rem omnem ſuo ſinu excipiendam ſeſe exhibent accommodatiſſimas. Jam vero ſic non omnes univerſi corporis glandulas complector , quas Pacius adſtruxit propterea , quod his adſtantia perpetuo vaſa tranſcurſuræ labi ductus paratos præbere poſſunt. Porro fit alia ratione , ut etiam non ſeminariis quibuſque viis conceptum vitium , in alias partes omnes transfundatur, nempe quod , ut adverti principio, plurima fermenti vi & mirifica energia diſſeram hic cum Petro Caſtello Romanæ ſcholæ doctore , & ſcriptore in evicendis ſuis placitis acerrimo atque efficaciſſimo ; in epiſtolarum , inquam, medicinalium 3. 4. 5. in quibus unius divinum hominis ingenium facile reſpexerint docti. Quos enim in his diſputationibus maximos ex omnibus Theologos , Philoſophos, Hermeticos, medicos confirmatores , ac teſtes ſuos non produxit ? aut , ut rectius dicam, quos horum locos ad hanc diem incomprehenſos non attigit ? aut quos eorum abditos ſenſus non aperiit ? aut quæ ſubtiliſſima naturæ ſecreta non eveſtigavit ? de αὐτοκιρήτȣ plaſte, diſcretore, formatore, perfectore , moderatore , panturgo ſpiritu philoſophatus ; ſed nos pathologiam hujus potius , quam phyſiologiam commeniſcemur.

Eſt fermentum , ſecundùm præcipuam, atque energeticam ſuam naturam, acidum : ſic enim , ut ipſum eſt , & alia coaceſcere facit , eſt autem acidi participatio certe ab aceto, quod paronymiæ fundamentum præbuit , profecta ; ſed aceti mira profecto eſt natura : quod calidi ſimul & frigidi poteſtatem atque effectus complectitur & comprehendit ; ut à Galeno monſtratum eſt 3. de temperam. & lib. 1. de ſimpl. medic. facult. Ad hæc acetum, & humidum eſt, ut Hippocr. 2. de dięta , & eodem ibidem auctore humiditatem conſumit ; ſic ſitim ſedat & infert. eod. 1. de ſimpl. Vulgata autem opinione etiam aduſque tertium ordinem areſacit. Item adſtricta laxat , quæ methodicorum & Proſperi Alpini fuit opinio l. 19. de medic. metho. c. 15. atque ex adverſo adſtringit , ſiquidem phthoæ ſubvenit, qua ad unguem ſententia fuit Aureolo Theopraſto tract. 3. Paragrani. Ad hæc acute perrodit , ut 8. ſimp. & acute perrodentes humores obtudit , denſatque & gracilia reddit corpora , quod Jo. Meſuæo viſum eſt. Reprimit quoque putredinem , & corpora conſervat , deinde ſubſtantiam à nonnullis exprimit extrahitque quotidianum Alchymiſtarum eſt experimentum , ſed præterquam detrahit (l. 1. & 8. ſimpl.) etiam reprimit 1. de comp. medic. per loca. Pręter hæc & venas aperit , & ſanguinem provocat : quam rem Ambroſius Paræus alicubi ſuorum operum oſtendit ; nec non cohibet , cogitque, poſtremo exaſperat excitatque dolorem, ut 5. ſimpl. & mitigaret etiam : nempe podagram Agrippæ ſedavit , ut eſt apud Plinium. Itaque ſi recte ſummam ſubducimus à primo qualitatum ordine ad uſque quartas, in ſingulis contrarios effectus acetum promit.

Illud autem fit multas ob cauſas. Primum quod unum ad unguem non eſt : quin etiam è contrariis conſtat partibus , ut primo ſimplicium ; deinde & præteriti ſtatus energiam , quæ vini fuit, retineat conſervetque nonnihil : quemadmodum ligni ab extincto igne cinis : mirum autem atque etiam mirum , quod vini calorem

putredine

putredine amiſerit & calorem ipſum ex putredine retinet, ut primo, & quarto ſimpl. & alibi. Sic & lac poſtquam acidum redditum eſt & dulcia aceſcentia omnia contrarias & mirificas complectuntur in ſe conditiones: quas & fermentum quoque refert, & quę ab ipſo ſunt homologa contacta. Item & quæ acetum acida & fermentum æmulantur omnia. Sic una quidem atra bilis eſt: ſed quid ipſa multiciplius & inæqualius eſt? nimirum hæc calida ſimul & frigida; humens & ſicca; varia & inæqualis; neque ad unum motem determinata; atque illud maxime fit, quia fermento, acidis, & aceto perſimilem naturam eſt nacta. Quid igitur ſi his reſpondeat Syphilis? ſed reſpondet utique plurimum, ſi recte ſingula perviſantur.

Porrò ſi veneream luem qualitatibus & affectionibus comprehenſam accipias; harum nulla Syphilidi determinata eſt: verum nunc ſub hujus, nunc ſub illius eſt forma, veluti Protheus, & Hyle, quam ſingularem atque admirabilem conditionem, ut indicaret Theophraſtus Paracelſus, etiam cum duplicibus antitheſibus expreſſit 2. de orig. morbi gallici, dicens: in frigido quidem corpore calidum, in calido frigidum. Similiter autem ſiccus eſt in humido, quando quidem obeſa plene corpora marcore conficit, quæ res Dominico Antonio de Alexiis accidit. Itemque ſiccos multam in plenitudinem perducit: quod expertus Doctor Fulgentius Phaſanarius teſtari veraciter poteſt; uſque adeo, ut ne mirum quidem ſit, quod intelligentiſſimi rerum ſcriptores alii quidem ad exuperantiam calidam; alii verò ad frigidam retulerint, mire nocentem hominibus; hique madidatu multo, hi ſqualore intrinſecus indito corrumpentem corpora dixerint. Deinde ſicut putredo inchoata in acido multarum eſt virium, ac poteſtatis: ad eundem propemodum computrefactum Syphilide ſemen, & ad hoc attinentes partes alias præterea contaminat, & conficit. Sed & progreſſilem fermenti vim adſcivit ſyphilis, qua ſe celeriter in omne corpus dedit, lateque diffundit: atque id quidem cum ſubjecta ſeminarii materia calidior, accommodatiorque ſecundum cętera ſe obtulerit. Fit autem & cum ſegnior ipſa eſt, ubi torpidiores & obtuſiores ſuccos offenderit, ſub quibus ſane vim ſuam omnem expedite & cito exerere non poteſt, velut ignis nimirum qui lignis implicitus viridibus, feſtine flammam edere non valet.

Quæ communis morbis omnibus eſt una, unde Syphilis nos incurſet ratio. Cęterum eſt & alia triveneſica propria, quę per inexplicabilem antipathiam ſymptomata plane contraria, tum in uno eodemque homine, eademque corporis parte (quid autem in multis & diverſis?) producit. Hæc autem apte comparari poteſt aceto & acidi ſucci portioni, qui ſolidos uniones, corallia, metalla, ſilices reſolvunt ac molliunt; mollia vero adſtringunt & indurant.

Præter quæ ſunt & alia ſubtilius eruta: in quibus conferri bina rerum capita reliquum ſit; nam quæ Syphilidi poteſtas ac varia vis ineſt, hæc & in uno fermenti acore reperitur plane plurima; quæ res futuro mox ſermone pateſcet. Deinde, quæſo te, qualis & unde illa per exilem, ne indiviſibilem dicamus, micam propagatio? ut exanthematum inſtar in corporis uſque ſumma ſe rapiat? & unde niſi à præpotenti ſeminis ſemicorrupti fermento? proruptus autem quis, aut qualis? in ampullatus varios toto corpore papularum, verrucarum; elephantica tubera; bubones; terminthos; adenas; ſtrumas; atque (ut unum pro multis argumentum feram) in ſatyricos dionyſiſcos, atque exoſtoſes gummi vulgo vocata; quam quorum oſſium duritiem ac ſoliditatem quid in altum extulerit, præterquam unica fermenti vivida vis? quam cognoſces inſuper & Syphilidi præcellenter ineſſe propterea, quod eadem & ſua ſymptomata, (febrem etiam ut Capivaccius notavit) hydrargyri tum liquor fluorque tum σαρκτικὸς intimuſve dulcor exolvet? nam quid ptyaliſmus ſub hydrargyro tam conducibilis; quam laxata per ipſum acoris putridi vis & compago.

Jam verò, quid fermentum apud nos (ſi recte ſententiam aſſequutus fueris;) quam invecta ſub parte plurima, vel præcipua corporis præpotens, licet non abſoluta putredo? Atqui hanc ſyphilidi ſummam eſſe, quis homo doctus inficietur? de qua dicerem quidem quantum ſatis: ſed rem relegari ſatius eſt ad Fabium Pacium; qui deſertiſſime ſuper omnes de hac ipſa re diſputavit peculiari, quem alias memoravi, libello de morbo gallico. At ne ſic quidem illud affero voloque, ut putredinem cum ſyphilide conjunctam opiner ſolam mali cauſam effectricem, longe gravior, ac ſenſibus noſtris abſtruſior vis ejus omnis eſt; quam totius ſubſtantiæ ſcriptores optimi cenſuerunt. Nam quid præterquam abditæ naturæ medicamentis non expelli à vides etiam quos ſyphilis tabefecit, ſuis alexipharmacis, non aliis medicamentis reſtitutos? Deinde ut tam effera, tam inemendabilis putredo temporis momento ſubeat corpus, & complexu venereo, baſiatu, compotatu, convictu, lactatu, ſupra communem omnem putredinis morem modumque communicetur? Qui tot ac tanta & inſolentia & admiranda & contraria proferat & producat? Putredo autem humoris quomodocumque conſtituti vis, ſiquidem in elephanticis, & melancholicis affectibus mira facit: horum utique cauſę rimantibus notæ; ſed inſolentiæ ſyphiliæ, non prorſus ignotę: niſi quantum cum admiranda fermenti natura, & cum acidi varia & multiplici conditione ſit collata, hac enim unice ratione pateſcere poſſe contendo: quamquam alius aliorum eſt modus. Ad extremum hoc noſtra traditione lucrifeceris, ut ſingulari, & incomparabili hujus naturæ ſatius intellecta non ſic offendaris, ac torquearis, quando rei cuipiam inveneris hanc plurima parte correſpondentem.

[Quod ſi intro perſtiterit.] Declarandum hoc à me poſterius & experimentis uſque monſtrandum, ſuſtine tantiſper amice lector. Cæteras autem omnes definitionis particulas, quoniam planæ ſunt & à pleriſque noſtris expoſitæ, declarare non ſum ſollicitus.

Poſt hæc ſi grata futura ſit definitio Chymiſtarum, quæ noſtræ nonnulla parte reſpondeat: hanc dabimus ex Petri Joannis Fabri chirurgia ſpagyrica translatam: quæ eſt, morbus venereus eſt corruptio univerſalis trium ſubſtantiarum i. ſalis, ſulphuris, Mercurii; cum alteratione, & corruptione ſpirituum vitalium & calcinatione ac deſiccatione ſalis balſami naturalis; ita ut lepram imitetur, & communem cum ea curationem deſideretur; ubi ſ. abſoluta fuerit corruptio trium ſubſtantiarum quas dixi.

§. II. Deſcriptus autem & enarratus ſic Aphrodyſias peculiaris & proprios ſuos mores habet: quorum ego ſpecies ſeu modos fecerim quaternos; unus, qui ad intemperiem ſpectat, licet materiæ non expertem exuſtorium appellatum: ſub quo ſunt phlogoſis manuum præcipuè; eryſipela, fervor urinæ peniſque, quæ piſſe chaude dicta eſt gallis, puſtulæ, exanthemata; pruritus; ſcabies, pſora; alopecia; de quibus lege commentarium Joannis Baptiſtæ Montani: qui calidam ſiccam intemperiem morbo venereo tribuit. [Alterum genus eſt ficoſorum, ſub quo ſunt mariſcę, thymi, verrucæ; fungi; tubercula; gummi; atheromata, ſarcomata; ſycoſes; tonſillæ; carunculæ præſertim urethræ; interfœmineorum, interſtitiorumque in digitis maxime pedum.] Ab hac ſymptomatum idea, qui lue venerea correpti ſunt, ficoſos perpetuo vocavit Levinus Levinus in opere de naturæ miraculis: non aliter, quam nos ſyphilios, alii putide gallicoſos appellant.

Sic villicus univerſo corpore verrucoſus, avellanæ magnitudinem exuperantibus verrucis viſus eſt, & deſcriptus à Leonardo Botallo lib. de morbo gallico c. 8. itemque ab aliis & à Marcello Donato l. 5. medic. hiſt. c. 5.

Tertius cenſeri poteſt puſtuloſus: ſive quidem hæ puſtulæ ſint minutæ ac variolarum modo per corpus perſperſæ, quales erumpere conſueverunt in ſuppreſſa pſeudogonorrhęa: ſive ſint papulæ majores ac latiores, quę ſæpe cruſtis renaſcentibus & recidivis obſitę viſuntur. has hiſpanice bubas, gallicè dartres, apud vulgus hominum noſtrorum ſcabies gallica dicuntur.

Quartus corroſivus eſt character: ſub quo equidem obſervo penis ulcuſcula, herpetem, phagedenas, mutilationes narium, &c. de quo genere cecinit hæc aptiſſime Fracaſtorius:

Quin etiam erodens alte, & ſe funditus abdens
Corpora paſcebat miſerè; nam ſæpius ipſi
Carne ſua exutos artus, ſqualentiaque oſſa
Vidimus, & fœdo roſea ora dehiſcere hiatu;
Ora atque exiles reddentia guttura voces.

Ad hunc accedit proxime rimoſus venereæ contagis affectus: qui loca poſt aures, linguam, angulos labiorum, mammas, umbilicum, penem, vulvam, anum, ſed maxime palmas manuum, plantaſque pedum, & interſtitia digitorum occupare conſuevit. Mirum autem, ut manus acerbe findit ac multifariam arat; rhagades ſeu rhagadia fiſſuras ejuſmodi græce dicimus; ex quibus mire moleſtis ac jam annuis & recidivis Illuſtrem quendam virum patriciæ gentis Neapolitanum, hoc titulo non dehoneſtandum liberavi, collega Marco Antonio Galterio gymnaſii noſtri profeſſore, ac medico multis nominibus ornatiſſimo, ipſe autem ſemet editis pleriſque libris declaravit. Jam autem hos ordines omnes affectionum diſpoſueris ad hunc modum. Comprehenduntur ſimul æſtuoſus, corroſivus, rimoſus, quippe qui veniunt ab unis humoribus fervidis. Sed eo tamen diſcrimine, quod corroſivus & rimoſus aguntur à vi quadam ſalſa & nitroſa, quanquam corruptorius cum humido, rimoſus cum arido conjunctus eſt, ut alias oſtendimus. At vero nitredinis ineſſe aliquid æſtuoſæ affectioni non eſt neceſſe. Hæc omnia partim ad ſulphur, partim ad ſalem referret facile Theophraſtus Bombaſtius; ad argentum verò vivum revocaret ficoſum & puſtuloſum, quanquam in puſtuloſo videtur plus ſulphuris, apud nos fermenti ſubeſſe. Sed doloribus gravem ideam ad craſſamenta ſalis, qui ad ſublime corpus ex interioribus agi non potuit acriorem agitatu caloris perpetuo redditum, refert Petrus Io. Faber in ſect. 3. cap. 13. apud quem auctorem hæc & alia perpulcra de hac re leges. Nos enim vulgatæ philoſophiæ cauſis rerum compendio conſulentes abſtinere ſatius eſſe duximus.

Alius mos dolorum & vigiliarum eſt ſator: cujus vis hærere videtur halituoſæ ſimul & craſſæ materiæ, quę ſub perioſtii muſculorum membranis intime ſe defigit, ut has perinde ut ampullata lancinet ac divellat; ſed & juncturas oſſium, ſeu qua finiunt, ſeu circa intercapedines inflatu diſtendens, quotidie nobis obſervantibus in veſperam ferit laceſſitque ita, ut de his apte cecinerit Fracaſtorius in l. primo Syphilidos:

Illis nulla quies aderat; ſopor omnis in auras
Fugerat; his oriens ingrata aurora rubebat;
His inimica dies, inimicaque noctis imago.
Nulla Ceres illos, Bacchi, non ulla juvabant
Munera; non dulces epulæ; non copia rerum;
Non urbis, non ruris opes; non ulla voluptas.
Quamvis ſæpe amnes nitidos, jucundaque Tempe,
Et placidas ſummis quæſiſſent montibus auras.

Hæc ille: qui deſcripſit etiam quo pacto & ad ſolis occaſum invadant ejuſmodi cruciatus. Aliam partitionem plane prolixam, & longe diverſam expoſuit Antonius Muſa Braſavolus in opere de morbo gallico; quæ meo quidem judicio ad noſtram hanc facili negotio redigi ac replicari poteſt; nam lapſus capillorum, dentium, unguium, ad calidam laxitatem proxime referentur.

§. III. Poſt hæc intelliges miram naturæ providentiam in teterrimo ac viroſo fomite abigendo ac profligando eſſe; perſpicitur autem à principio ſummum hoc ejuſdem ſtudium. Nempe gubernatrix noſtri tota in hoc eſt; ut per quamprimum foca vitium venit, genitales inquam & his attiguas partes: per has eaſdem vias quaſi facto recurſu pellat. Sic parat lurida per penem effluvia: quæ falſo quidam, ſi ſubſtantiam rite ſpectes, gonorrhæam appellant: aut etiam proximo quaſi bivio per inguina bubonum orditur abſceſſus. Vidi autem ſæpe per expeditas ani venulas erupiſſe virulentam materiam, quę primum inguinibus fuerat concepta: contra verò per ſedem, quę prima contagia ſenſerat aliquo facto gyro ad bubonas, aut ad colis vias illuviei tranſcurſus eſt factus. Facient autem, ut in ejuſmodi re non dubites impuberes pueri innuptæque puellæ, qui contacti poſtica ſyphilide, ſæpe per antica ſubeunte lue, ſeu turgidos adenas inguinibus, ſeu ſuppurabiles bubonas, ſeu perpetuas, interfœminiorum uligines, ſeu thymos eruptiles, ſeu effluxus denique luridos per naturalia ſensêre. Ita converſis quaſi vicibus ſibi mutuo communicant quidpiam alterutræ partes.

Quoniam autem id me locus admonuit, referam hic abſceſſum, ut mole quidem aſpernabilem, ita conditione mirificum. Etenim vero neſcias primum plus ulcus an tumor ſit; deinde cum tumores quilibet novi non ſint, quos ducit aphrodyſia lues præterquam in hac una duntaxat, non in alia qualibet affectione tuberculum, ulcuſculumne, quod prædico videris: ut mirum ſit, cur illud nemo noſtrorum ad hanc diem adverterit. Hæc autem humoris eſt eruptio pinguis & ſemiputris odore viroſo & rancido propemodum; ab epidermide nudata, & exultata parvo lupini gyro, cute manans; puſtulam aut verruculam planam dixeris, pachas à vulgo vocatas non abſurda hercules voce; quando παχὺς craſſum aliquid & pingue ſignificet, atqui craſſus eſt humor, quem ejuſmodi verrucæ ducunt ac pinguis etiam & glutinoſus, ut adhæſus oſtendit.

Ad hæc, ut de cæteris eruptionibus dicam: ubi vel habitudo materiæ vel locorum aptitudo ſic requiſiverit: per ſudores excretionem amplexa eſt ſæpe natura, qui ſudores ſi uberes fuerint ſic ſatisfeciſſe viſi ſunt, ut hominem ab omni labe liberarint, quin & ſi bubo unus aut alter initiatus etiam erit; materia per aliquot corporis exſudationes fuſa, & extra cutem acta, etiam ipſa abiit forte felici laborantis. Quæ mea quidem obſervatio non ſemel, ſed plus ſexcenties comprobata eſt: qua una nixus equidem ſæpe non mitto ſciſcitari, cum diſcuſſum bubonem quæritur quiſpiam, num per infinitos cutis extimæ canales exturbata prodierit clandeſtina tabes, ut poſſim ſcil. judicare bonus, an ſuſpicioſus fuerit tumoris ille diſceſſus.

Dixi de ſudoribus; at neque per ſedem difficilis excretio eſt; licet admodum rara, neque adeo fœlix: quando ſ. à venis ad inteſtina non ſic opportuna tranſitio fit, etiamſi non ſum neſcius, quando ipſa deligat tutrix unamquamque commodam eſſe viam languenti. Audi verò quam ſingularis, quam admirabilis in hac re perſpicientia in ſe ſit: nempe ſi quando ſic correptus homo fuerit; ut ab his protinus excretionibus adjuvari nequiverit; neque in præſenti poſſit propterea ſ. quod hæ partes apprime denſæ coactæque ſint: continuo toto luſtrato corpore, atque artubus, qua laxitas major apparet, hac humoris exitialis exitum machinatur. Sic & poſt aures; perque jugulorum foſſulas; per umblicum; per intefœminia; per glandis urethrę meatus inſenſiles; per ſcrotum; per digitorum pedum intercapedines, & per ungues manuum

manuum & pedum aphthis veluti quibuſdam, aut puſtulis exuſcitatis ichorodem ac terræ illuviem diu exhauſit. Vidi autem & cum per carpos interiores exterioreſque virus infeſtum elui procuravit. Porrò Ametho Barbaro nunquam ſatis laudandi viri Scipionis Roviti Regii ſupremorum libellorum & cauſſarum Regentis ſervo ſellulario, qui conceptam hanc luem nulla primum excretione levaverat: poſt aliquod tempus natura ſagax ad ſimos ulnarum fines exaſperata cute veluti per lichenas, & achores artuum novos, putrilaginem intro exulcerantem expromere multos menſes conata eſt: quin hæc ipſa emiſſaria adobſtruentibus quibuſdam Chirurgis, qui rem hanc minime perviderant: ipſa nihilominus ſuum inſtitutum perpetuo retinuit, atque recruſtata per aquas fortes ulcera ſæpe redintegravit. Rem quidem, quam ſerio advertere debebunt hi, qui ſyphiliorum hæc ſymptomata curant. Quam omiſſorum achorem viam cognovit unus lectiſſimus poëta Hieronymus Fracaſtorius, qui l. 2. ſyphilidos ad hunc modum cecinit;

Protinus informes totum per corpus achores
Rumpebant faciemque (horrendum) & pectora fœde
turpabant. Et rurſus l.2. curationem iſtorum attingens ait.
Verum ipſos ope non alia conſumere achores,
Urentum quam vi poteris: quibus addere debes
Pingue aliquid, quod ſecum intro ſiccantia portet.

Sed & per phlictænas atque pſydracia (quod adnotavit Joannes Langius in epiſtola 42. l. 1.) conſuevit oprima curatrix obſeſſorum corpora levare. Deſcripſimus autem nos ſuperius hydrocelem præputii, quo de ſpermaticis ſedibus derivat labes maligna, non aliter, quam ſæpe etiam in hydrocele ſimpliciter dicta.

Sunt jam plurimi narrati loci, quos in emiſſaria torquet natura. Jam verò qui fieri poſſe videatur, ut per plantas pedum noxius humor effundatur? at nihilo tamen minus novi ego adoleſcentem familiarem ejuſdem Illuſtriſſ. Regentis, cui manantibus in dies ſingulos affatim pedibus per ſeſquimenſem, & amplius, diſcuſſio bubonum facta eſt fælix: quem perniciosum ille regreſſum certo crediderat, rem quam plurima animi delectatione cognovit Alexander Alexius philoſophicas & medicas res non vulgariter profeſſus. Ita ſuis opificiis ſatagit natura parens; ita in adverſis proſpicit; ita nullam viam relinquit intentatam, ut nos adjuvet.

§. IV. Atque hi quidem abſceſſus ſunt fluidarum effuſionum, quas extra corpus omnino molitur natura: ad hæc autem alterum effluxûs eſt genus, humorum, inquam, è partibus principibus atque intimis effuſorum, nam ubi cutim alioqui denſiorem ſucci craſſiores attigerunt, utraque hac cauſſa fit, ut ſub extima pellicula conſiſtant, formam glandularum, tonſillarum, ſycoſium, nodorum, terminthorum, tuberum, ectymatumque duriuſculorum, verrucarum, & uſque ſtrumarum. Quas res omnes ad levanda lue viſcera, quis non videt maxime commodas? Ad hunc equidem modum non raro vidi homines, quibus ſuppreſſa pſeudogonorrhæa fuerat, extima coporis ejuſmodi defœdatione levatos; atque ita etiam aliqui docti bono laborantis indicio perhibent, quod principio defluxerint his capilli: diffuſo ſ. extrorſum, vel ab incunabilis vitio, quod natura non tulerat intro.

Aliud inter hæc privatim enarrandus eſt affectus, plerumque cum bonis quidem ægri rebus eveniens; ſed profligatu contumax, & refractarium: quod eſt ſcil. ſcliroma teſtibus utriſque, vel alterutri circumjectum. Hoc præterquam colliſu, equitatu, poſt calidam affectionem refrigeratu, & cæteris cauſis externis, ſæpiſſime proficiſcitur: ex congreſſu venereo ſeu perperam exercito, ſeu ſyphilio, quem nos dicimus, alii Gallicum. Nimirum, ut notat G. Rondeletius in meth. pract. c. de ardore urinæ ſemen coëuntis interdum agitatum, & non emiſſum, ad laxatas ſcroti partes per venas, quæ ſunt ibi multæ, confluit, & ibidem hæret, ut extra ſuum locum perfrigeratum in durum tumorem abeat, & perſiſtat.

Jam autem hujuſmodi ſcliroma in pueris interdum automa, cum inſuetum, & extra genus omne ſarcocelarum ſtatuunt obſervatione Franciſci Hildeſii Joannes Schenckius in l. 3. Paratitiſcon medicarum: quid & nos præter ramicum omne genus non faciamus? Cui demoliendo mirabile ſane cataplaſma deſcripſit ipſe Gulielmus eodem opere cap. de teſtibus, & ſcioti inflammatione. Gravioris autem notæ ſymptoma eſt, quod referam. Porro ſolent ad articulos manuum ſuperne tranſverſi quidem obnaſci tumores propemodum oviformes, itemque genubus, & malleolis, qui neque corpus levant & perdolent: non levant, inquam: propterea, quod ex multa materiæ ubertate ſunt. Indicio autem eſt, quod præterquam ſudoribus aut ſpontaneis, aut Laconico prolectis non exhauriuntur. Arthritin hanc ſiphiliam vocare poſſis: cujus materiam frigidam, viſcidam, craſſam facile concipis: pituitam nimirum vitream aut hujuſmodi. Atque hæc quidem expoſita ſunt cum effunditur ad exteriora ſyphilidis materia. Cæterum enim cum eadem intra corpus conſiſtit: hæc accipe.

Luis venereæ duo ſunt ſtatus & ſumma tempora: interminati, ſive inchoantis unus; abſoluti jam & late graſſati alter; in ſcheſi, & in hexi dixere græci. Ab abſoluto nulla primum manatione, ſed multo languore ſequutis marceſcit corpus, vel fœdis excretionibus exercetur, ſive per penem, ſive per uterum, ſive per inteſtini ac ſedis ulceratę vias, quæ effluvia certè ſunt tanta, ut vix fieri poſſe videatur: præſertim ſi ad ulcera referas, ſed nihilominus ſunt manationes non ex ulcuſculis privatim, ſed ex univerſo corpore; quemadmodum ſcilicet alba fœminarum profluvia non ex utero privatim; quod Altimarus noſter advertit, ſed ex corporis univerſitate eluuntur. Has tu nullo pacto cohibeas oportet; præterquam ſi labem omnem & cauſſam prius exemeris atque deleveris. Quod dum facturus meditaris ſedulus expende, num rite fidem opinata merentur; nimirum etiam atque etiam difficile, ut tantæ proluviei cauſa, quæ ſumma intemperie fit viſcerum, pauco negotio fuerit abolita. Ipſe tamen interea videris, an cachexia, vel quod Cornelio malus eſt corporis habitus, vel quę Hippocrati κακοπαλαχυανσια καὶ κακόχροια ſit: ſub his enim nulla unquam recta fiducia fuerit. Cæterum ſi juventutis vigore aut firma ætate, aut virium robore munitus homo ſit, nonnihil ſubire ſpei poſſis. Hæc obſervatione mea longa firmata fac comprehenderis; plurimum ad uſus medendi compereris ipſa facere.

§. V. Extremis his memoratis ſtatibus, tertius & medius eſt quidam; id eſt, neque adeo gravis, neque adeo commodus, qualis eſt excretio periodicæ pſeudogonorrhęę, quæ ſtatis temporum intervallis obrepit: cujus equidem haud novi, qui meminerit. Quanquam neſcius non ſum equidem Joanni Langio quadruplicem diſcretum fluxum, ex quo viro mutuatum Hieronymum Fabricium certus ſum; verum periodicam pſeudogonorrhæam, quæ contagio ſyphilio profecta non eſt, ambo explicarunt, primus ego de periodica aut etiam inordinate recurrente ſermonem feci; quæ pleriſque, tum viris tum fœminis in ſingulos, binos, ternos, quaternos ſenoſque menſes accedit interdum cum levibus ſubuculæ inquinamentis, interdum etiam cum majoribus & longioribus; ſunt & quibus in annum reſurgit: cujus quidem circuitus cauſas difficillimum eſt aſſequi ſic, ut probabiles appareant. Quas tamen facillime produxerint hi, qui congenitis ex cauſis evenire ſyphilidem opinati ſunt, Theophraſtus inquam Paracelſus, dein Alexander Petronius, & Gregorius Vella Brixienſis, & ſi qui ſunt alii, nimirum in horum placito

recurſus iſtos habuerit ſyphilia pſeudogonorrhæa non aliter, quam collectis ſuo tempore ſaniebus in pſeudogonorrhæa ſeptentrionalium incolarum, quas memorant Langius & Fabritius, vel in ſtatis muliebrium menſium anaphoris. Sed enim hac eadem ratione & in ſyphilia pſeudogonorrhæa pariter uti commodum non eſt propterea, quod morboſior & enormis hæc plane; neque tam ex peculiari quatuor humorum ſtatu & conditione, quam privata ſua cacoethia & fortaſſe totius ſubſtantiæ proprietate nititur Syphilis, niſi quod fortaſſe ſervata humorum & ſui quaternionis legitima atque, ſyſtaſi etiam verò poteſt ad hæc accommodari ſyphilia anomalia.

Atqui ego cum pleriſque doctis ſentio venereum hunc affectum, & ſi propriis privatisque ſuis prærogativis exlegibuſque conditionibus cenſeatur gaudere, certaque ſui ſpecie conſiſtere, quæ humoribus analoga non eſt: tamen hæc analogia ſua vacuitas in humorum etiam affectiones & motiones non ſuam abſolutè hyperchen ſequetur; quemadmodum vigor æthereus ſtellarum rebus hiſce generabilibus accedens, horum ſe materiæ qualitatibus accommodat: aut ut peſtilens omnis cauſa & divinum, quod Hippocrates dixit ad eadem noſtra corpora & ad humores allapſa ſic agitant, ut ſubjectorum diatheſes popoſcerit; verum ejus rei cauſſam medicus eruditus agnoſcet, quod ſyphilia vis omnis & inexplicabilis forma principio adalligata & concreta fuit corpori ſubſtrato ſeminis, cujus & ſecundum ſe diſcreti & corrupti per morbum affectiones atque elementarias qualitates omnes non ſequi non poteſt impreſſa forma: quemadmodum indita flamma ligni ac ſubjecti cujuſque corporis protogonas conditiones naturali quodam formarum concilio mutuoque tranſitu neceſſe eſt ſequatur. Itaque quid eſt quod dubitemus ſyphilidem morbum eximium prævalentibus ſingulis humoribus & horum apparatibus variiſque flexibus coaptari: ut expeditum jam habeas problema de ſtatis ſyphiliȩ pſeudogonorrhææ recurſibus.

Sub his aliud non ignorare te velim, duos à me poni modos morbi venerei, ſanabilem & inſanabilem, hujuſmodi quidem ſyphilis eſt conſummata atque perfecta: ante quod tempus & ante quem terminum ſanabilis ipſa eſt. Porro perfecti morbi ſubjecta ſedes hepar eſt; ut qui aptus eſt veluti fons, & ſcaturigo ad diffundendum perpetuandumque malum cum vita finiturum, non ita quidem inchoatus: qui quoniam in fluxu eſt, & non permanet: (etenim vel ad confirmandum ſe pergit, vel à natura per excretiones exercetur) ſic morbus adhuc non eſt, ſed paſſio vel pathema, quod Galeno vocabulum eſt in meth. Hujus nulla certa ſedes eſt quam ſtatuere quis poſſit: ſed ſatis eſt, vel ut toto ſanguine & humorum univerſitate vagetur, ex ſolidis verò partibus nunc enti, cum primum exoritur, nunc altiùs extimo carnium habitui, nunc membranis, nunc vaſis particuliſque ſpermaticis inhæret. Fabius quidem Pacius in commentario de morbo gallico, quem tractatum ad expoſitiones librorum ſex methodi priorum appendit; glandulas adæquatum, ut ipſe vocat, gallici morbi ſubjectum poſuit: Id quod plurimum ego verum affirmo tum in morbo confectis, tum in nuper expertis: tamen in utriſque non ſemper, verum in confectis quidem frequentiſſime: porro quotquot ſyphiliorum nos cadavera inſecuimus, qui fuerunt certe quam plurimi; in omnibus fere aut maxima iſtorum parte vitiatas quoquo modo partes has offendimus. Atque hæc noſtra ſententia, rataque obſervatio de partibus ſyphilide correptis eſto. Ad alia nunc experimenta noſtra recenſenda tranſeamus.

§. VI. Hic ordo fælicis effluxus eſt. Verum cum hi modis omnibus allaborati non eveniunt: alteri ſuccedunt illa quidem invita progreſſi; ſed ſic tamen, ut cauſam ipſorum non negligat, interdum enim vi materiȩ productos in halitum primo, ſi datur, quoad ejus fieri poteſt, diſpergit: vel ſi illud non conceditur, ad apoſtemoden aliquem maturatum perducit aliasque item operas & conatus edit in his gubernatrix corporis, in quibus mira ſui ſtudii vis elucet: ut in diſcludendis emarcidis oſſibus, quæ ſub gummoſis ſuppuratibus abſcedunt: in procreando item & promovendo poro ſarcoide, & in obductu demum ulceris procurando. Quoniam autem de abſceſſibus cum oſſis marcore ſuppuratis, incidit ſermo: placet, ut hic explicetur problema inter cætera hujus argumenti omnia nobiliſſimum, cujus expoſitionem ſcribentes omnes de morbo gallico neglexere: rem alioqui nedum quidem non negligendam, ſed maxime curandam & pertractandam.

Scire licet affecto capite per hos abſceſſus, ſic uberes aliquando ſubeſſe puris & ſaniei manationes, ut cerebri membranas affatim alluant: quæ res quidem exitio multis fuiſſe deberet: illud obſervantibus nobis, ſiquidem abſceſſus ab illato vulnere fiat circa cerebrum, aut ejus membranas, è ſanguine de venis effuſo perniciosum hoc eſſe. Cujus tamen cauſæ diſcrimen commentus eſt unus, ni memoria fallit, Baptiſta Leo, qui in opere de vuln. capitis dixit à ſyphiliis capitis abſceſſibus aliquod periculum non eſſe propterea, quod huic vitio alioquin automato, non autem per vim illato, aſſueſcit natura ſic, ut non lædatur extremo vitæ diſpendio. At quæ lethalem vim inferunt, illȩ ſunt confertæ ac ſubjectæ mutationes; non quæ ſenſim modice ſe inſinuant graduque teſtudineo, id eſt, lenibus quaſi momentis obrepunt. Hoc judicium hæc dividendi ratio viſa eſt multis ſatisfeciſſe, ſed enim ambiguitatem parit, quod cerebrum omnibus modis aeri circumfluo ſubditum, omni cœlo patefactum; hujus vim ad immutandam promptam ac non lentam neque inefficacem ſentire deberet: at nihilominus non ſentit.

Sed occurritur, quod fortaſſe obduratum antea cerebrum ad ſuppurationis attactum videtur, ob id, &c. Atque illud quoque te perturbet, quod narrat Vidius Florentinus in opere de curatione gener. tract. de morbo gallico c. 18. homini cuidam à putrida oſſis calvariæ ac teredine curato non multo poſt tempore frequentem ac vehementem epilepſiam acceſſiſſe; mox vero ſanitatem reſtitutam uſtione per ferrum candens adminiſtrata, qua parte guttula ſaniei tam prava quam parva ſupra craſſam cerebri tunicam defluebat. Quod ſi guttula, inquam, in cerebri membranam incidens, epilepſiæ miniſtraverat; quid eſt, quod plurima incumbens ſanies epileptica cunctis non eſt? an peculiaris locus & capitis privati craſis aliquod facit? ſed neque ſanies ad membranas vulnerati capitis interdum accidens hominem perdit. Quæ faciunt omnia, ut quæ particulas circa cerebrum repente permovent ac tranſmutant: hæ diſcriminum maximȩ ſint cauſæ: quæ ſenſim obrepunt & latenter obtruduntur, non item.

§. VII. Inter hęc omnia & pulchræ indaginis uſu & optato curationis fructu præcipuum eſt theorema contumaciæ; qua ſuper omnes affectus teterrima & odioſa ſumme fit Syphilis. Noveris igitur ſyphilidis duas eſſe ſummas facultates, alteram, quam ſuæ qualitates effectuſque produnt, nititur enim hac parte temperamentis ſingularium corporum & humorum; atque hoc ſic afficit, prout habentes invenerit. Alteram cujus σωματικὴν energiam admirati quidem ſunt omnes ſemper; comprehendit huc uſque nemo: ita nimirum abdita eſt, ita ſenſuum omnium noſtrorum & intelligentiȩ vim exuperat. Ex hujus igitur vehementia tum, quod minime nota, quatenus his aut alijs remediis expugnatur; tum quod omnino ſummȩ poteſtatis eſt totius ſubſtantiæ morb. proficiſci pertinaciam poſſe quis non videt? ex altero verò qualitatum & humorum apparatu proficiſci eandem poſſe monſtratur.

Primum

Primum aphrodyſius morbus exercet homines pro modo temperamenti, proque more materiæ prævalentis. Sic melancholici cumprimis hoc affectu correpti vexantur: ſecundi ſunt bilioſi; minus his ſanguinei; multo minime pituitoſi; quæ opinio quæque gradatio fuit Joannis Almenaris Hiſpani in libello de morbo gallico, cujus quidem rei ratio ac norma nititur in eo, quod tradidit mirus Hippocrates initio libri de locis in homine per hæc. Quod enim ſiccius eſt, morbos magis recipere ac magis dolere à natura ſolet; humidum verò minus; morbus enim, qui in ſicco eſt, ſtabilitur & non ceſſat; qui verò in humido, diffluit, & alius aliam corporis partem occupat; ſemper tranſmigrans requiem facit, & citius quoque ſedatur, utpote non ſtabilitus.

Hæc ille, quam quidem hominis doctrinam, ut univerſo de ſtatu corporis latam approbas, ita & de parte ejuſdem principe veram exiſtima: quippe cum ſiccius calidiuſque jecur extiterit, neque imperiti dubitant tunc efferatiorem vim ſyphilidis futuram.

Accedit ad hæc textura, quam dicunt habitumque corporis, qui ſi vel denſus vel gracilis, ſive natura ſive exercitatione fuerit, hæc firmius hanc labem ſunt receptura, quod ſcite advertit Jacobus Catanæus Genuenſis non contemnendus de morbo gallico ſcriptor; non abſimili ſ. ratione, quam quę producta fuit nuper ex Hippocrate.

Sed humoris craſſitudinem ac viſciditatem quid non memoro? quæ ſi quod aliud morbum quemcunque fovere diuque conſervare & hunc maxime poſſunt: atque ita Hieronymus Fracaſtorius propterea valentiſſimam hanc contagem facit, quod phlegmati craſſo ſordidoque putat hærere; quanquam difficilis percuratu viſa eſt eadem Joanni Baptiſtæ Montano, cui calida quidem, ſed magis ſicca intemperies cenſita eſt. Succedunt his ætates: ex quibus omnibus ſenilis accommodatiſſima eſt; nimirum quæ melancholica eſt & ſicca. Deinde etiam quia Razes docuit ſenibus ſalſos plurimum ſuccos provenire; prẹterea craſſos humores eſſe; poros ſuimet coalitu anguſtos; expultricem verò vim debilem. Sed & imbecillitas concoctricis multum facit, ut minus dextere diſcuti poſſit ſyphilis, nam quæ bona, aut quæ verius non mala proferat ſyphilis? His adde poſtremas morbi cauſas malasque corporis diatheſes, quæ ſunt ſ. viſcerum tum obſtructio vetus, tum debilitas; cacochymia, cachexia, gibboſis, ad tabem propenſio; congeniti morbi: de quibus Hippocr. in l. Coac. prænot. & in aliis. His comprehenſis utique poſſis & contumaciſſimæ ſyphilidos cauſas cognoſcere, & eventus inſuper, ſolvendęque ejuſdem tempus & modos prę-ſentire.

§. VII. Syphiliæ metamorphoſis.

Nunc ſuper omnia maximum prævalentis in noſtrum genus Syphilidis monumentum exponam: quod eſt ſcil. cum male feriatum, direque interminatum à ſe hominem, in ſatyricam uſque formam immutat: quam quidem nonnullorum ſcribentium narrationem fabulæ cujusdam loco admirationis excitandæ libidine confictam, juvenis adhuc habueram: verum ab hinc longo medendorum ejuſmodi valetudinariorum uſu comperi, tam verum id eſſe, quod circumferebatur, quam nulla nunc ratione vellem, ſpectata noſtri mortalium miſeria. Inter cæteros enim occurrit unus Neapoli, qui potuit à multis adverti; præter omnem modum ad hyrcinam ſpeciem facie tenus abreptus. Utinam autem par mihi ſtyli dexteritas, quæ graphice talem exprimere queat, utcunque illum ego meo modulo deſcribam. In memoriam autem revocandum eſt primum, ſyphilidi vocato morbo fermenti plurimum ineſſe: cujus vis in ſublimem faciem, rerum ita ferente conditione, cum attollitur; enormem plane deformitatem inducit, ſic alicui naſum verrucis undique turgidum, limonii corticoſi magnitudine vidi. Aliis tuberoſa undique facies ac frons eſt notata. Alii rictu prope canino ſe obtulerunt: ſic labia foras extulerat tumor. Quæ cum ſingulatim immutata, tantum admirationis pariant: quid cum omnia ſimul perverſionum modos faciei partes ſingulæ coacervarint? Primum enim homini miſero circa frontis utramque partem, quæ temporibus reſpondet, projectura quædam veluti nodoſa ſubſultantis inferne oſſis, gummi dixerunt aliqui; cujuſmodi & alia complura ſub cutem obducta glabrum caput obliquè dextra levaque coronæ modo præcinxerant. In cujus capitis utroque latere proclivi ſurgentium auricularum tum ſupremas pinnas, tum infimos lobos vidiſſes ample diſtractos. Sed epiſcenium, quod oculis attrahimus, cum deglabratis ſuperciliis atque glabella, tuberculis uno quaſi clivo conſertis ſic extabat; ut ſubgrundium utrinque ingens appareret: ſub quibus, & verrucoſis depilibuſque palpebris occulebantur à nimia viſcerum ariditate retracti oculi, fibris quibusdam veluti ſanguineis tincti. Inter quos naſi jugum plus ſemiſſe defierat: nimirum oſſis firmamento, quod interſeptum vocant, per abſceſſum collapſo. Cæterum autem naſi globus flammeo circum rubore obſitus, & ad philtrum humile depreſſus, cum labiis neſcio quo madore turgentibus; rictum delphini vel neſcio cujuſmodi pecudum efficiebant. Conſonum etiam univerſo faciei vitio mentum, quod lichene ſcabrum & pugni modo præturgidum infeſto pondere maxillam ad infera detrahebat, quod proxime loco dictus anthereon ludibundas barbæ reliquias oſtendebat. Sed malas quas dico, vel quales nunc adumbro cum reliquis partibus? porro, liquatis circum carnibus exertiſque pene oſſibus; oris muſculi convulſi ſic, ut riſum ludere videretur homo ridendus, quin verò miſerandus, qui cætero corpore qua quidem abroſus & phagedænis infoſſus qua ſcaber ac tuberoſus, languidus ad ſummam totus, ſquallens ac doloroſus, ut etiam commemorantem ac deſcribentem me compleat horror. Satius igitur lepidiſſimi poëtæ Fracaſtorii ſit audire rapſodiam.

Ipſe ego Cenomanum memini, qua pinguia dives
Paſcua Sebina præterfluit Ollius unda:
Vidiſſe inſignem juvenem; quo clarior alter
Non fuit, Auſonia, nec fortunacior omni.
Vi pubeſcentis florebat vere juventæ,
Divitiis proaviſque potens, & corpore pulchro.
Cui ſtudia aut pernicis equi compeſcere curſum,
Aut galeam induere & pictis ſplendeſcere in armis;
Aut juvenile gravi corpus durare palæſtra;
Venatuque feras agere, & prævertere cervos.
Illum omnes Ollique Deæ, Erydanique puellæ
Optarunt, nemorumque Deæ, ruriſque puellæ:
Omnes optatos ſuſpiravere Hymenæos.
Forſan & ultoris ſuperos neglecta vocavit,
Non nequicquam aliqua, & votis pia numina movit.
Nam nimium fidentem animis; nec tanta timentem
Invaſit miſerum labes; qua ſævior uſquam
Nulla fuit; nulla unquam aliis ſpectabitur annis;
Paulatim ver id nitidum, flos ille juventæ,
Diſperiit vis illa animi: tum ſqualida tabes
Artus (horrendum) miſeros obduxit & alte.
Grandia turgebant fædibus abſceſſibus oſſa
Vlcera (proh divûm pietatem) informia pulchros
Paſcebant oculos, & diæ lucis amorem,
Paſcebantque acri corroſas ulcere nares;
Quo tandem infelix fato poſt tempore parvo,
Aetheris inviſas auras lucemque reliquit.
Illum Alpes vicinæ, illum vaga flumina flerunt,
Illum omnes Ollique Deæ Erydanique puellæ,
Fleverunt nemorumque Deæ, ruriſque puellæ.

Sebinuſque alto gemitum lacus edidit omne :

Hi blandæ ſcilicet voluptatis, hi tenerorum complexuum ſunt fructus; heu tragici tantum & miſerabiles, quantum inter multiplices cruciatus amiſiſſe vitæ dulcedinem & quantum ex humana ſpecie tranſmigraſſe in brutam.

§. IX. Jam autem ad exactas ſyphilias adverſiones incertus equidem ſum, an ab ullis medicinæ candidatis requirar, ut ejuſdem morbi curationem exponam; dubius etiam quod vulgata jam ſunt hęc & nullis non antehac pertractata: ad quę alioqui longe plurima quis aliquid addere vel audeat vel poſſit? verumtamen præreptam cuiquam ad hoc tempus ea de re tradendi facultatem haud opinor; qui videam vaſtiſſimam exhiberi materiam à morbo; qui ad hanc ætatem ad uſitata remedia plerumque contumax & inexcuſſus manet; quapropter ad inſueta & nova tranſire ſæpe neceſſum fuit. Ex quo genere cum ſint Chymica & ad Hermetem primum experimenta relata : de his eſt animus inquirere; quæ præſtantiſſima puto : rem autem cum experientiſſimis aliquot doctoribus exequar : qualem inter cæteros exiſtimo Joſephum Quercetanum, & Rodericum Fonſecam, qui de hoc argumento tradidere ſcriptis ea de re conſiliis, quæ tu viſas opto.

Fonſeca quidem illam ingreſſus fortaſſe viam, quam præmonſtraverat Hippocr. in lib. de alimento, pharmaciæ modum in eſcas induxit; ad has adjectis alexipharmacis abdita quadam facultate valentibus adverſus luem, cogitatum, ut equidem arbitror, amplexatu dignum. Enimverò dum partes ſolidæ nutrimentum adveniens in ſui ſubſtantiam applicant & convertunt, medicata vis, quę ſubeſt, morboſam partium affectionem paulatim corrigit, munitque ipſas, ut cum ſublevato calore nativo vitium omne depellant, ita panem initio confici docet cum diluto decoctove ſparti parilis Indici vel ligni Quaiac. vel radicis Chinæ; cum quibus & carnes pullorum atque aliorum præcepit incoqui, ptiſanam item ac neceſſariam omnem eſcam, præparat autem & vinum Indici Sparti radice medicatum ad hunc modum.

Cape Sparti parilis Indici conciſi lib. 2. vini albi mediocris non dulcis lib. 30 vaſe, quod receperit, ad ignem admoto; vino primum inferveſcenti præparatum Spartum immittito, quorum ebullitione competenti facta, removendum ab igne vas, panniſque obvolutum triduo ſervandum, & rurſus igni ſubjiciendum, quoad ferveat, quo tempore tranſcolatum vinum infundito in doliolum, quod capiat libras centum : & de hoc tribus diebus obturato, atque intacto deinceps hauri, quod neceſſarium eſt, mane veſperique tum in prandium, tum in cœnam. Hæc in victu curatio eſt; quæ continenter in longos menſes ſervari debet. Poſt hæc cogitandum eſt de medicamentis, quæ nullo non judice viro. docto vel experto non alia ſunt, quam, quæ gens omnis amplexa principia retinet ad hanc diem: lignum inquam Quaiacinum dictum, & hydrargyrium ſeu quidem hęc à prudentibus experimento ſeu ratione primum excogitata fuerint.

Nempe Dei hæc pietas terras non poſſe malorum,
Nec ſimul expertas vindicis eſſe manus.

Verum enimvero Quercetano delectus horum & apparatus eſt, qui requiritur ſolum. Itaque rejectis vulgatis hominum modis, exquiſitas aliquot horum præparationes proponit, tum experimentis, tum rationis ſuffragio maxime commendabiles. Primum autem ſtatuit, ut in rebus quidem omnibus, ita & ligno Quajacino ſpiritus eſſe acidos plurimum neceſſarios, qui vi ſua extenuent eleventque mali conſtabilita concrementa; non aliter, quam acidus fermenti ſpiritus panis crudi craſſamentum leve reddit ac ſublevat. Indicio autem eſt clariſſimo, quod elicitus ex eodem Quaiacino ſicut ex quercino juniperinoque ligno ſpiritus calcanthinus non minus, quam ipſius calcanthi ſpiritus corallia, margaritas & alia diſſolvere viſus eſt : quod quotidianum Chymiſtarum eſt experimentum. Accedit, quod pręſtabilis ejuſdem ſpiritus aciduli virtus eſt extenuandi craſſas humorum materias, in ſudores elevandi, ac per corpus omne diffundendi. Adeo autem præſtans aciduli ejuſque ſpirituum eſt vis, ut hujus ex Quaiacino, junipero, ſulphure, calcantho atque hydrotica omni materia ſecreti guttulas decoctis, quibuſque Quaiacini vulgo paratis anteponat longe Joſephus: id quod ſuo non ſemel facto periculo teſtatus eſt. Deinde, ſuppoſito quod iiſdem ſimplicibus medicamentis ſpiritus faciles exolutu diſſipatuque ſunt diu ad ignem exercitu ſine cautione fervoriſque retorridi moderatione: ſic tertio damnato more noſtrorum hominum, qui ad quadrantis aut ſemiſſis abſumptionem dilutum igne urgent, ſic enim ut tenuiſſima atque optima medicamenti pars non in auras rapta diſſolvarur & expiret?

Præterquam halituoſam calcanthi portionem & alteræ Mercurialis ſulphureaque ſunt ad ſudores exprimendos apprime nobiles; quæ perperam uſitatis illis ligni decoctionibus, quo pacto non difflentur rapaci & longo ignis adhęſu? Sic probatiſſimam ſuam apparandi rationem expoſuit Quercet. quæ eſt. Principio tum ſcobe ligni, tum aqua quanta ſuffecerit, conjecta in retortum vitrum, quod noſti; hoc Hermetico luto concluſum igni cinerum vel ad halitum aquæ ferventis impone. Extillabit tum aquea quędam, tum acida portio Mercurialis & ſpirituoſa; atque hac tenuior etiam ſulphurea ſive oleaginea, tertia hæc & precioſa & palato non inſuavis Quajacini ſecretio ſuo ipſius decocto millenis momentis præcellit, ut uncias hujus binas aut ternas, libræ vulgaris decocti potiores ſis experturus. Licebit etiam univerſum humorem deſtillare ad ſemiſſem, & quod exceperis cum decocti reliqua parte percolata commiſcere. Cæterum in ſedimentum ex prima deſtillatione reſiduum, affuſam rurſus aquam plurimam per horas 12. cum primis cęmentis ad coalitum relictam ſecundo premes igne; ut qui proliciatur humor ſaccharo vel cinnamomo conditus, tum prandio tum cœna & reliquo etiam tempore poſſit uſui potus eſſe.

Ad hæc reſiduis illis binos jam ignis adhæſus expertis, & Mercuriali ſuo ſymbolo exutis, ſi tertium ignis furorem immiſeris, oleum inde recipies ex nigro rubens, quod gummi, phagedænis ulceribuſque ſyphiliis & cancroſis percommodum erit. Sed neque fæculas illas poſt inculcatos tot ignei caloris impreſſus ſua carentes gratia reperies; has enim modo cinerum arefactas atque contritas, ſi ultimæ deſtillationis aqua principio per te ſervata dilueris ſæpe ac ſæpius; prægnante cremoris utilis aqua reclinata & ſeparata; ſalem demum habebis ad ſudores ciendos præcipuum, ad alvum verò bis terve dejiciendam non contemnendum.

Poſt hæc Argenti vivi præparamenta ſunt recenſenda: quorum turbith minerale primum ab eodem auctore Quercetano in pharmacopęa reſtituta deſcriptum ad unguem eſt; non recitandum hic à me ſuperfluo labore, quod illud opus omnium manibus teri videam. Eſt & altera turpethi mineralis deſcriptio, apud Oſwaldum Crollium libr. quem Baſilicæ chymicæ inſcripſit. Alterum eſt ſpiritus Mercurii, qui Quercetano auctore parabitur facile, ſi ſuper fluidum argentum oleum armoniaci ſalis affuſeris, hoc enim metalli compages continuo reſolvetur, cujus reſoluti portio cum interne cum vini hauſtu, tum externe illita mira præſtabit eorum, quæ tu quæſieris ſyphilidem & ejus ſymptomata propellens. Præter hæc & illo medicamento ſtrumæ diſſolventur ſi credimus experimentis, quæ multa Joſephus expoſuit. An autem homini prætereà crediderimus, qui ſcripſit oleo Mercurii palmis plantiſque pedum illito luem hanc diſcuti per ſudores. Id certe confeſſum ab omnibus ad ſyphilios quos libet contu-

contumaces affectus expugnandos nil præſtantius extare Mercurio: cujus etiam varios apparandi modos deſcripſerunt Oſwaldus Crollius, Bernardus Penodus, Jacobus Vecchetius, Philippus Mullerius, & Joannes Beguinus, & horum omnium poſtremus Petrus Joannes Faber in Chirurgię Spagyricę ſect. 3. c. 13. quorum omnium auctorum ſingulos locos in Chirurgica chymiatria noſtra produximus.

Cap. 25. Hiſce noviſſimè obſervatis abſceſſibus adjicimus & alios non minus lectu jucundos quam ſcitu neceſſarios.

Cap. 26. *De cornu referentibus abſceſſibus.*

CUm Jacobo Rigitano Locrenſi Medico Doctore probato vidimus corniculum in frontis angulo ſubortum Carolo Sartore ad D. Dominici Sartoriam officinam habente, corniculum inquam parum eductum, quale vel cervæ vel vitulæ primordio exurgit. Tale quidem mirè depinxit Flaccus ad Julum Antonii Triumviri filium ſcribens l. 4. carmin. 2. per hæc

Me tener ſolvet vitulus relicta
Matre, quæ largis juveneſcit herbis,
In mea vota:
Fronte curvatos ignes
Tertium lunæ referentis ortum.

Cap. 27. *De abſceſſibus naturalibus, h. e. inoffensâ ſanitate incilpatæ materiæ turgore venientibus.*

REſtant è tot multis abſceſſuum generibus quidam, qui me judice & adverſore nullo cum hominis detrimento, quin etiam augmento fieri conſueverunt, quos vel hoc ipſo titulo, quod ſolius naturæ præſtantia & acceſſu meliore proficiſcantur, ſtatim cum admiratione excipient non pauci; verùm ſi me audient & mecum ipſi concordabunt & admirabilis naturę factum, poſita jam admiratione, collaudabunt. Cum primum induunt ephebi ac ſentiunt ſeſe hirquitallos, h. e. craſſeſcere ſibi vocem & inter acutum & grave modis in æqualibus aſperique ſtrideſcere, quemadmodum natura ſit hircis grecè τραγίζειν, ſub hoc inguina ſponte ſua ſibi diſtendi atque extumeſcere advertent, durabit autem hic tumor luna una vel circiter, donec ſua itidem ſponte ſecedat; ſimiliter & puellæ, quæ pubeſcunt jam jamque nubiles fiunt, in unanimis adenas in globulum exaltari experientur, & ſua ſotoriandi primordia, quam rem non intelligentes Medici vulgares medicamentis providi tractant, ſtultitiam natura ridente. Porro fiunt utraque glandularum incrementa capeſſente jam hominis natura præſtabiliorem conditionem & uſum, qui eſt viro quidem ad ſeminandum, fœminæ verò ad excipiendum non prematurè ſemen. Ratio autem συνβεβικήα pueris quidem dum ad loca generationis proxima commotus derivat ſuccus; puellis verò dum pluſculus ad mammas affluit humor alimento pueri παρασκευαςικὸς: qui affluxus à noſtris dicitur la fava, quod fabæ nimirum vocentur ab his glandulæ univerſæ: quod genus quidem tumoris in Parthenophilacio Spiritus S. Neapolitano plus centies obſervatum & à nobis comprobatum fuit.

Quoniam verò de fœminis & de bubone criticum ementiente dictum eſt, utrorumque mentione ac rerum ſimilitudine factum eſt, ut alius jam ſuccurrerit animo memorandus & criticis accenſendus bubo, qui mulieribus jam grandibus ex menſium mora naſci ſuetus eſt; de quo Hippocr. in l. de nat. pueri & principio de morbis mulierum ſcripſit hęc; quibusdam ubi bimeſtres aut trimeſtres, aut diuturniores fuerint menſes & ad lateris mollitudinem allapſi fuerint, cùm non ſuppurati ſint menſes, velut tuberculum fit ſupra inguen ſine capite magnum, rubrum & vulgus medicorum ignarum quid hoc eſſet, jam ſæpe ſecuerunt & ſic rem in periculum induxerunt. Cęterum illud, quod veluti tuberculum fit, tali modo fruitur ſanguine caro ipſa; utpote oſculo uterorum lateris mollitudini adjacenti & impletur caro ab ipſo & inſurgit & eminet velut ſanguine repleta, & aliquando ſi tranſmotum fuerit os uterorum & ad pudendum converſum & menſes proceſſerint per pudendum; id quod circa lateris mollitudinem eminuit, ſedatur, in uteros enim diſtribuitur, hi verò foràs laxantur. Hactenus Hippocr. de bubonis fœminei generatione & modo.

Vias autem abſceſſus proprias aſtruxit Julius Cæſar Arantius in libr. de tumoribus p. 11. c. 46. per hæc; ſcire enim licet vaſa, quæ per inguina feruntur, majoris illius jam ſoboles eſſe, à quo vaſa in uterum propagantur, ut ab utero ad inguina turgens in venis humor facile derivari queat. Hactenus nos de triplici bubone ſalubri.

Cap. 28. *De abſceſſu ἐπίσημα dicto morbum originarium elevante.*

HIppocrates in l. de morbo ſacro numero nono ſcripta reliquit hæc; Si verò modica exiſtens pituita in utraſque venas defluxum fecerit aut in alterius partis: ſupervivunt, nota ex morbo impreſſa relicta, aut enim os convellitur, aut oculus, aut cervix, aut manus, ubicunque ſanè vena pituita repleta ſuperata fuerit aut gracilis reddita. Hanc itaque venam neceſſe eſt debiliorem eſſe, & hanc corporis partem læſam defectuoſiorem. Verùm ad longius tempus plerumque prodeſt, non enim amplius morbo apprehenditur, ſi ſemel notata impreſſam ſuſceperit.

Et numero decimo, quibuſcunque aut imperfectas & valdè modica pituita defluxerit & ea in dexteras partes, hi citra notæ impreſſionem ſupervivunt, verum periculum eſt, ne morbus connutriatur, & ſimul augeſcat, ſi non his, quæ commoda ſunt, curetur. Hæc quidem ille cum aliis pleriſque ſuperius traditis; Quæ divini hominis effata ſi perpenderis, ſi plenè comprehenderis, vides lector, materiam morbi ſacri, quæ pituita eſt ut plurimum ſuffuſa in tenues infantium venas, atque his ſucci craſſitudine & copia confarctis obſtructiſque ſic, ut via ſpiritui præcludatur, ſanguiſque congeletur, perimi pueros; ſic ex adverſo modicâ pituita in utrinſque lateris venas aut in alterutras delapsâ non perimi pueros, verùm ipſos in vita relinqui, notâ, quam ἐπίσημα vocavit, à morbo impreſſa relicta, hoc eſt, oculo, ore, cervice, manu convulſis; quæ cauſa interim eſt, ut pars venam ambiens reddatur debilior, venis ſc. reliquis ſimul repletis & gracilibus factis. Dixi jam, ſi modica irruens pituita notam reliquerit in infantibus, quod ſi valdè modica pituita defluxerit, præſertim in dexteras corporis partes; Vides etiam per Hippocratem ἀσήμως, id eſt, citra notæ impreſſuram pueros ſupervictutos, quanquam non ſine periculo, ne morbus connutriatur, & cum augeſcentibus pueris ſimul augeſcat, niſi arte prævertatur.

Itaque jam noſcis, quæ ſit ejuſmodi nota, ac quanti in morbo ſacro momenti ſit, quatenus aut fermè liberet, aut pueros retineat ſub periculo, ne connutriatur. Verum enim verò ſi licet novum quidpiam cum Hippocratis norma ſtatuere notam hanc, ne dum in morbo ſacro, ſed etiam in apoplexia, comate, caro, catoche, catalepſi & in alia quacunque, ſed gravi cerebri noxa, ſi relicta in ſubjecta aliqua parte fuerit à morbo impreſſa, credam equidem hanc pari pacto bene facturam, nec ſolum notam convulſionis ſed & paralyſis, tremoris, atrophiæ, languoris & cujuſque contracturæ, qualem Aureolus Theophraſtus nominavit. Quas ob res, ſiquidem abſceſſum, ἐπίσημα græcè, latinè notam, notare ſcriptis hiſce noſtris & inter alios multos reponere voluerim,

voluerim, ne ineptum quidem illud videatur, præſertim quando ex divini magiſtri placitis petita obſervatio fuit, ſed hæc ut neque incongruè videamur feciſſe, qui notas iſtas inter abſceſſus repoſuerimus, en ipſius magni Dictatoris exemplum, qui l. 2. prædict. ſcripſit, impetigines & lepræ & vitiligines albæ leucæ appellatę, quibus quidem juvenibus, aut pueris aliquid horum factum eſt, aut paulatim conſpectum in multo tempore augeſcit, his non putare oportet, abſceſſum tam popularem eruptionem aut morbum. Quę quidem Hippocr. verba ut plenè intelligantur; eſt annotatio lucida Hieronymi Mercurialis, qui ſubdit hæc; quid ſit abſceſſum eſſe & non morbum, atque è converſo forſan non omnes intelligunt, verùm intelligent facillimè, ſi ſciant, tumores vel ſponte oriri atque ex ſeſe operationes lædere, ſi enim primo modo fiant, morbi ſunt, ut docet Galenus l. de differentiis morborum cap. 9. ſin autem ſecundo modo, ſymptomata potius, quam morbi ſunt appellandi; quod itidem in lichenibus & lepris ſtatuendum eſt, quæ ſi ſint ſymptomata, abſceſſus eſſe ſcribit, autor, ſicuti ſi fiant citra alias ægritudines, vocat morbos.

Cap. 29. *De Tuberculis lapidicondis.*

Retulerunt quidem priores rei medicæ ſcriptores in abſceſſibus anomalis reperta corpora lapidiformia, factis ſcil. his heterogeneis & pluriformib. Verùm, qui tuberculum præſertim exteriori habitu corporis ex unica uniformi lapidea ſubſtantia conſtans memoriæ prodiderit, hactenus legi neminem. Hoc autem genus obtigit vidiſſe mihi anno hujus ſeculi 40. menſe majo. Porro, ſpecioſa quædam & honeſta fœmina oppidana Fractenſis, cui Arborellæ nomen à viro ſuo, & à Damiano de lo Proite Doctore Chirurgo perito, meo quondam auditore ad me perducta, qui ſcirrhoſum fœminæ tuberculum pone jugularia vaſa ſitum dextera, dexterè extirparem. Attrectato equidem tuberculo profeſſus ſum confeſtim, ſupra quam ſcirrhodem eſſe duritiem, atque adeo lapideam videri, quod meum enunciatum continuo medicus confirmavit, nimirum, quod diceret propemodum incredibile, quàm multis quamvè valentibus malacticis tentatum; tamen indies ſolidius permanſiſſet, tandem ventum eſt ad id, ut omnibus modis vellet mulier eximi ſibi malum etiam cum reſpectu, quippe quæ informem affectum in tota vita pati nollet. Nempe appoſitè Celſus in ſexto, fœminis quidem ornandi ſui cura eripi non poteſt.

Itaque aperta per ſemilunarem ſectionem cute, deinde pollicum binorum expreſſu facilè ſectum eſt, caſtaneæ formâ & magnitudine concrementum, at inæquale & ſemiſepultis quaſi botris undique diſcretum, lapidea duritie ac denſitate, quod in aquam conjectum rubellum perſtitit propterea, quod amiculum prætenue venulis & fibris obſitum puſillulis ſecum protraxiſſet aſtrictiſſimè obductum. Interim una ad æqualitatem recepta fibula & eccryſi enæma ſanguinis microcoſmi tractata plagula brevi eſt coalita. Quod lapidis genus vidit & hoc anno 1641. dum apud me degeret Neapoli ſolertiſſimus naturæ inveſtigator Joannes Georgius Volckamerus Norimbergenſis, atque alii plerique maximè admirati. Aliàs autem vidimus & de batrachio detractum lapillum coryli forma juriſperito, cui Octavio nomen. Quâ meâ jam obſervatione demonſtratâ idem modo memoratus vir retulit continuò viſum à ſe lapillum nuclei dactularis formam repręſentantem, quem dexterrimus & ſagaciſſimus anatomicus ac peritiſſimus Chirurgus, Johannes Georgius Wurſung, Bavarus, Practicus Medicus Patavinus, fœminæ cuipiam anno præterlapſo 1640. Patavii extraxerat ex angulo linguæ ſubdito, ſecundum ductum ejuſdem linguæ locatum.

Hæc dum accepiſti, lector erudite, credo diſcreviſti duos jam modos conſiderandarum lapidearum materierum eſſe abſceſſibus, alterum quidem eorum, qui immergantur & innatent propemodum in ſinu cyſtive anomalorum ſub infarctu pultaceo adipeve pleniore, qui totum ſinus ambitum complet, adeoque hæc illorum ſubſtantia omni undique ſuperficiei cavæ conceptaculi non arctè adhæret, neque idem conceptaculum unà complet aut exæquat.

Alterum modum continendi vides, qui eſt, quantum ſinus arctè materiam comprehendit, & viciſſim hic comprehenditur ab eôdem, qui modus à priori diſtat, tum quidem in eo modo complectendi, quem modo dixi cum mutuo adhæſu perfecto, tum etiam quia modus hic eſt cum ſimplicitate materiæ conjunctus, quare privatus eſt anomali calculus, ille verò promiſcuus. Verum enim verò nec tantum homogeneę & heterogeneæ ſubſtantiæ varietas eſt, nec ſolum inhæſus receptuſve diſcrimen eſt, verum etiam generis anomalorum nobilis eſt diverſitas: Quando novum hoc genus duri condum videatur, non autem ſpecies ſub atheromate vel ſteatomate comprehenſa: Quod enim tria tantum genera non plura priſcis ſint prodita, credo equidem factum, quod præcipua hęc genera voluerint trinario ſolum anomala concluſa, pręterquam quod omnia ſemel ſimulque mortales conſequi divinitatis potius videtur quàm humanitatis. Atque hoc περὶ τοῦ φύματος λυθοφόρου noſtrum eſto judicium.

Jam verò quod lapidum interiore corpore concretorum memini nolens, de his jam volens diſſero paucis. Hippocrates quidem in 5. epidem. 2. lapidis aſperi in utero concreti meminit. Paulus verò Ægineta l. 3. c. 41. ejus, qui in teneſmo rejectus eſt; ſic calculus ſub lingua procreatus Avenzoari l. 2. Theyzir. tr. 2. c. 2. & Gentili referente Nicolao ſerm. 4. tr. 1. c. 6. Jacob. Foroliv. l. 4. aph. c. 29. Montuus l. 4. c. 1. Joubert. decad. 2. paradox. 8. Foreſtus l. 14. obſerv. 26. Zacutus Luſitanus l. 1. de princip. med. hiſtor. 10. Aetius Tetrabibl. 3. ſerm. 1. c. 30. natos raro licet calculos in colo teſtatus eſt. Johannes Centimanus l. huic ipſi narrationi dicato, duodena lapidum genera variis humani corporis locis accreta prodidit. Nos duas hujus generis exploratiſſimas hiſtorias trademus.

Prior hęc eſto: Franciſcus Compagnus auditor quondam meus, nunc Medicus & Chirurgus arte probatus certa fide narrabat, Scipionem Peluſium, qui dolorem incenſivum in meiendo acerrimum tetrę ac viſcidæ ſpurcitiei emiſſu ſentire conſueverat, calculos per anum tres nucis juglandis forma excreviſſe. Hanc autem & omnes ſuperat tum rei magnitudine, tum fide probatiſſima traditio lapidis, qui apud nos eſt anſerini ovi magnitudine & formâ, hunc in colo demortui cujuſdam hominis diſſecti Romę in valetudinario D. Jacobi Incurabilium oculis & mente rimatus reperiit anatomicus exercitatiſſimus & Phyſico-Chirurgus præſtantiſſimus Nicolaus Larcheus, qui, quâ eſt humanitate & animi candore, pleraque hujuſmodi ſua obſervata ſolitus eſt ad me tranſmittere, quippe qui rara & nova geſtiam indies adnotare; ſed de lapidiformibus concrementis nolim jam plura quam ſatis.

Cap. 30. De *atro cruento labii tuberculo.*

Sed & lacteolæ Infantis vix ſemeſtre ſpatium emenſæ Andreæ cujuſdam holoſerici mercatoris filiolæ atro cruentum tuberculum labio inferiori agglutinatum nedum obſervare mihi contigit, ſed & curare molliuſculum, non ęquabile, internè etiam prominulum teſtudinis terreſtris ovo majus, cujus objectu laborioſè cumque ejulatu ſimul & exuctu minus felici remixtis infantula victum attingebat. Ac ne attingebat quidem, ne proinde adjutans autrix prompta manu compreſſis aſſiduè mammis quęſitam nectaris guttulam aridum in

os

os infunderet: ad quam calamitatem diurnam nocturnamque levandam accitus ego miſeris in rebus adhiberi ſolitus ſum, non tam pœoniam quàm chironiam opem neceſſariam denuncio; cui decreto remiſſus à parentibus nuncius continuò fuit, qui tamen poſt aliquod tempus auxilii cujuſque puellulam videntes exſortem infortunioque obnoxiam perpetuo per Deum perque homines orarunt me ſupplices maturè ſuccurrerem, ferre nec ſe nec miſellulam infantulam poſſe longiora ſupplicia.

Tum accedens paratis omnibus, quæ de more requiruntur aureis ignitis ſcalpellis ſanguineum offenſamentum omne ſum demolitus, ſanguis quidem fluere paratus & abundè fluens noſtris nonnullis adminiculis retroceſſit: Curatum empyreuma per dies pluſculos; interea dum expreſſa de papilla per manum lacte ſuſtineretur infantulæ vita, perpurgata caro, cicatriculam recepit, vivitque puella læta jam annis & libera. Illud jam non eſt omittendum natam infantem de matre ſanguineæ plenitudinis & corpore ſanè præfarcto, ut videantur jam aptè reſpondiſſe ſuperflua fœtus concrementa generationi & ſanguinis affluentis undique primordiis.

Alter infans mihi ſeſe obtulit hoc anno 1642. ſexto plus minus menſe natus, cujus labium item inferius mirabile viſu fuit, nam magnitudine præaltum, ut pueri ipſius pugillum æquaret, naturalem formam tum internè, tum externè excedens, colore violaceo, aliquando dilutius, venarum ſurculis quam creberrimis diſtinctum; figurâ linguæ teſtudinis marinę, id eſt, craſſis ſeu bucca ſeu mento tenus initiis in quoddam quaſi roſtrum & in ſinum dedolatum ad ſummam de ore infimo extabat, modo pinnulæ pulmonis leporini, quæ quidem animantis pinnula objecta matri fuerat cum utero geſtaret in eſum appetita medici menſibus, extra autem opinionem noſtram de ſuctu infantis ſciſcitati reſcivimus, in tam magno offenſamento neque amiſſum infanti ſuctum & hoc etiam lac ſibi prolicere non difficile: ſic edocti, ſic & inſtructi à natura procedimus ad exuctum, quam rem adulti vix ullo poſſumus ingenio comparare. De vitii verò curatione requiſiti reſpondimus, præterquam ablactatum infantem non adigendum in chirurgi manus niſi grandiuſculum factum, tum futuram tutiorem curationem, quando vita pultibus & ſorbilibus ſubſtineatur, in cujus alioquin diſcrimen facile hoc præcipuè tempore & per ulcus & per ſanguinis compeſcendi neceſſitates, ſublato ſuctu liquido conjiceretur, qui puer & matre prognatus eſt ſummè melancholica atque hepate retorrido: ut peracri phantaſia illud monſtri pareret in ſuo genito; ſed de hiſce natis infantium ſub utero impreſſis alias fortaſſe privatim.

Cap. 31. *De abſceſſibus naturâ fiſtulatis.*

QUantum quidem obſervavi diu factitans medicinam terna ſunt à totidem cauſis prodita fiſtularum genera; Unum quidem eorum, quæ fiunt malo medentium conſilio, qui tubercula, collectiones & ulcera curantes ſinunt hæc facilè fiſtulari, vel in cavitatem quampiam ſerpere & penetrare deſito vitio, vel quod ante callus obducatur ulceribus ſinubuſque, quàm hos ſanie depleverint aut carne repleverint. Hujus generis meminit Ludovicus Duretus in Hippoc. coacas prænotiones corollario de fiſtulis. Aliud genus eſt earum, quæ producuntur à morbi vi, quæ vinci non potuit, utpote cùm ampliſſimus ſinus & vaſta lacuna vel exhauriri ſuperfluitatum affluxu, vel carne jam longè lateque abſumpta compleri, atque adeo coaleſcere nequit. Tertium genus eſt earum, quæ naturæ, vitæ & ſoſpitatem homini ſatagentis & providentis conſilio parantur, materia ſcilicet mala de toto corpore vel de hujus obſeſſo viſcere per deſtinatas huic operi vias in viliorem ac laxiorem partem quampiam amandata, ſine cujus effluvio deterius malum futurum animali fuiſſet. Itaque ſunt hæ fiſtulæ rei ſtatuſve melioris, ſi rectè naturæ proſpicientis arbitrium intueri noverimus, quod inſtitutum quoniam à Magiſtra noſtra bonorum noſtrorum diſcreti ce parente proficiſcitur, facinus hercle ſit, aut antevertere, aut divertere, aut retro trahere, aut amoliri, aut cohibere, conari; tametſi enim haud criticum eſt illud opus, nihilominus, quia cum profectu eſt animalis, amplectendum eſt beneficium & à parente benefica agnoſcendum. Porrò, præterquam in cachecticis, i. e. habitus corrupti hominibus id non fit, aut fit nova ſuccedente affectione ſub morbi prioris ſuperfluitatibus & reliquis: de quo ſecundo genere profeſſus Avicenna fuit hæc; ulcera generata ſucceſſione ægritudinum ſunt mala, quoniam natura repellit ad ea reſiduum corruptionis ſuperfluitatum. Mala autem hæc germina cenſuit Avicenna, quia ſanationem non ſint adeptura, hæc autem fiſtulas non malas viſus eſt judicaſſe Hipppoc. qui lib. de humoribus 28. & 6. epidem; ſect. 3. §. 35. fiſtulæ, dixit, abſceſſuum aliorum medelæ: ab his enim fiſtulis, inquit Galen. in com. de humoribus, ſicut etiam ab hæmorrhoidibus repurgatur redundantia humorum in animantis corpore collectorum, ac plerique non ſecus quam ex hæmorrhoidum excretione, hujus evacuationis beneficio integra valetudine perfruuntur, ut igitur neque oſcitanter neque ſine magna diligentia curare hęmorrhoides oportet, ita ne fiſtulas quidem: neceſſe enim eſt, ut humores ſuppreſſi & dolores & morbos pariant; eoſque ejuſmodi, cujuſmodi ſunt humores, qui redundant, non igitur à ratione alienum eſt, quod dixit, fiſtulas eſſe aliorum morborum remedio, ſicut de hæmorrhoidibus loquens, affirmavit eos, in quibus illæ eſſent, neque lateris dolore, neque pulmonis inflammatione, neque cæteris corripi morbis poſſe: Hæc ille; Cęterum, ut diſcernantur hæ fiſtulæ naturæ providentia paratæ ab his, quas vel prava medentium curatio, vel morbi vis peperit, operę pretium erit exponere. Utinam autem id tradere nobis primis hujuſce rei authoribus liceat; ſed allaboremus. Hæc igitur diſcrimina tum corporum ſtatus varii, tum morbi vitiaque docebunt. De corporum habitudine nunc pauca: ſi hæc bene colorata, ſi bonis viſceribus ſucciſque prædita; ſive per hæc ſive per evidentes cauſas fiſtulas promant, à medicis parum ſcientibus curata, dicito fiſtulas ab homine non autem à naturæ opera factas; ſin minus intueri naturas patientium oportet; quemadmodum docefecit nos Hipp. in l. prædict. 2. num. 17. profeſſus hæc; ſpecies hominum bonæ ſunt, hæ leves & commodoratę & bonis viſcerib. præditæ, & neque valdè carnoſæ neque durę, juxta colorem verò ſit ſpecies alba aut nigra, aut rubens; hę enim omnes bonæ ſunt, ſi purę ſint; ſi verò pallidus color admixtus fuerit, aut color ipſe pallidus aut lividus fuerit, pejus eſt: ſpecies verò, quæ prædictis contrarię ſunt, eas deteriores eſſe ſcito. Hæc naturæ diſcernicula ſi ritè recteque ſpectaveris, Lector, facilè diſcreturus es & corpora, quæ fiſtulatis abſceſſibus ſunt parata, atque ita, ſi me Deus bene amet, nonnullos & divina vi malo huic obnoxios, qui verè jam erant, nec quiquam aperuerant, & pręterea nonnullos ex his curari ſe volentes dimiſi, monitos, ne ſe curent, quibus tamen ulcus obduci fuerat facile. Narrabo huc auditu non indignam & memorabilem hiſtoriam, quæ eſt; Sacerdos quidam apprimè pius, cujus nomen reverentiæ E. non audeo publicare, perpeti ſolitus, hæmorrhoidas lenes ex tuberculo pone podicem reſiduas curandas obtulerat fiſtulas, doloribus diurnis ac nocturnis affligentes, adeò ſecundum pubem

atque

atque os coccygis, ut nulla ſe miſer conſolatione tueretur, niſi quod hæc quaſi martyria reciperet voveretque Servatori Chriſto. Exhorreſcere ſuetus fecum excernendarum neceſſitatem propterea, quod ſupplicii modo torqueretur in his reddendis. Hanc ob cauſam emetico levi ſtomachum imbecillo viro perpurgo; ſecuto levamento per eductam bilem amaram, ad fiſtularum negotium appello manus, quas fiſtulas cùm judicaverim reſpondentes ex altero orificio in alterum deducto, ſpecillo ſtanneo funiculum ducente, relinquo funiculum cerato ccpyitico tinctum: mirum viſu fuit, quàm ſubinde levari dolores ceperint omnes, retroagi febricula, ſomni diu expetiti obrepere, ventriculus reconciliari, vires denique reſtitui non triduo vel quatriduo, verum etiam indies; quare non tam laudandum funiculum medicatum quàm ſuſpiciendum θεοδῶρον ac divinitus miſſam exiſtimavi ſic, ut eundem proviſioni malorum & cautioni perenni decreverim: de curandis vero affatim fiſtulis cura renunciata. Quod conſilium ut ſequerer, multa ſuasêre, atque ut in unum complura referam phyſiognomonicâ: Puſillus & macer homo, voce exili, penè glaber tum mento, tum ſuperciliis, tum toto corpore, fronte perampla, pulſu arteriarum exiguo, colore inter plumbeum & palleſcentem medio, paucæ eſcæ ventriculus & pauci potus, quanquam ad potum propenſior quam ad eſcam, actiones omnes lentę, laxantib. quibuſcunque citatior alvus. Hęc homini naturalia fuêre, ex his verò quę p. 11. præſertim quæ circa ulcus ſuperfluitates, ichorodes quàm plurimæ; quod unum inter multa fuit argumento ſanguinem huic viro crudum & ichorodem fore, venit autem hûc obſervatione in mentem mihi, quam accuratè Hippocr. melancholicam cruditatem appellaverit, quas ob res itaque maximè confirmatus ſum, ut fiſtulas haſce crederem morbum congenitum, indelebilem, incurabilem, ſicut curandum non attrectarim, Hippoc. monitori parem & ſuaſionibus naturæ jam dictis.

Cap. 32. *De abſceſſibus forulatis.*

SUnt abſceſſus qui ſponte dirupti forulum relinquunt, qui forulus vix ſpectabilis eſt, quare ut curentur expreſſione ſola, velut furunculi contenti ſunt; curantur autem citò propterea, quod carnium natura minimum fuerit extrita ſuppuratu, materia quippe ſubſtrata plurimum ichoroſa: forulatos hos jure vocaveris ad eum propemodum, quo natura fiſtulatos abſceſſus dixit Hipp. l. de humoribus; ſic linguę tumorem magnum, adeò, ut os totum oppleret cum collegá Joſepho Civella Benincata ſolertis ingenii medico curavi, qui abſceſſus quidem ſuppuratus & diruptus, eo quem dixi modo, compreſſus reſedit.

Cap. 33. *De abſceſſibus qui in partes ſolidas putredinem invexêre.*

IN puella bimæ Ferrantis de Afflicto filiæ poſt apertum abſceſſum, qui 20. quinque diebus ſupuratus fuerat, repertum ligamentum humeri & radii jam diruptum, quâ calamitate in tenellula infantula quid miſerius? In Joannis Dominici Mammoli Florentini atheromate, quod genam prehenderat, oſſis jugalis caries. Itemque ſub atheromate ſelectæ matronę Aureliæ de Ligorio verticis os labefactatum & cancroſus affectus eſt inductus, qui poſtmodum à me vividi ignis præſidio curatus eſt, ſic etiam in aliis pleriſque longo atheromatis inhæſu cariem & teredinem oſſi ſubſtrato convectam vidi. Quam rem diſcant hi, qui, quod nihil moleſtent hi abſceſſus, neutiquam attrectari volunt; quando autem ſolidiſſimis oſſibus non parcit vitium, quî cæteras partes ſpermaticas prætereat innocuum?

Cap. 34. Steatoma in coxa cancriformi ſpecie mulieri cuidam in valetudinario noſtro decumbenti redditum, ex carnoſo perpetram curato abſceſſu. Talis fortaſſis fuit, quę deſcripta eſt à Benevinio l. de abd. c. 13. Itemque Aureliæ de Ligorio nobili fœminæ Neapolitanæ ex malè curati ſteatomatis reliquiis obvenerat cancroſum ulcus, quod nos igne compreſſimus & obduximus.

Cap. 35. *De abſceſſibus qui ſua vel vi, vel mole peremerunt.*

IOannes Salius Glavenſis ſanguifluo ſub poplite abſceſſu peremptus eſt. Itemque Sutor veſtium Magiſter prope Palatinas ædes. Celebris genere Iſabella Garilia Lucæ de Alimentis uxor, ex ſanguifluo in crure abſceſſu mortua, quam ad hoſpitale noſtrum ulceroſorum domum duxerat tonſor quidam amicus. Victoriæ Carinolę bronchocele livens mortifera: R. P. D. Stephanus Tuccius Societatis Jeſu Sacerdos ac Theologus ex appendula ad collum naptha aliâs bronchocele, quæ 18. ℔. pependit præfocatus eſt. Itemque presbyter ſpectatiſſimus in ædibus Domini Clementis N. amici noſtri fuerat hoſpitio receptus. Puellam nuper natam, quę de materni uteri clauſtris detulit ad poſtremum ivion molle tuberculum ſanguinis concreti colore, pomi Aurantii mediocris magnitudine, ſecunda à partu hebdomade ſepeliit parens.

Abſceſſus omnes magni, quæ noſtra eſt obſervatio, proferunt mala ſymptomata vel mortem.

Cap. 36. *Anatomicæ de abſceſſibus obſervationes.*

POſt hæc, & comitatos ad mortem abſceſſus corporis interioris deſcribi par eſt. nam ſi qui oculis & manuum adminiſtrationi non ſe ſubduxerunt, ſed ſe cominus obtulerunt; hos enarrari prætio fuit: quid non & latentiores atque altiores, qui mentem medentemque torſere? gratiora profecto ſcitu fuerint hæc, quæ præter quam Orcus & umbræ, non fuerat aliquis inſpecturus. Ea igitur his gratia eſto; quę jam erutis à caligine monumentis eſſe ſolet.

Cap. 37. *Hydropicus in utero, tum abdomine tum pectore, collectis aquis.*

§. 1. PRincipio rem exponam nulli hominum ad hoc tempus aut viſam aut auditam: quæ dextera nobis ſorte ſub Junium anno labentis ſeculi trigeſimo primo Neapoli viſenda obtigit. Quis opinetur acerba hydropis illuvie vixdum vitam, nedum non lucem expertum puellum; non plenum adhuc uteri geſtamen & crudum jam hominis rudimentum, in ipſo non tam mortalis matris, quam foventis & educantis naturæ ſinu correptum? quomodo enim integro jam & vivido & late ſe diffundente calore naturali, uberrimque vigente ſpiritu æthereo & vitali, ſolidiſſimis & firmiſſimis formationis noſtræ principiis & fundamentis mire munitum & cuſtoditum agalma novum: invida morbi vis attigerit, & inſolens intercus penetrarit? profecto non debuerant infeſtę aquæ tantum virium & facultatis habuiſſe, ut congenito viſceribus igni prævaluerint: ſed tamen ita demum evenit, ut plus molitus pluſque potentiæ nactus morbus naturam vicerit, ac ſymptoma produxerit, quod eſt hydrops. Itaque quod difficile viſum eſt, id plane neceſſarium & verum apparet: nimirum ut præſidia corporis & ad hæc ſpectans omnis apparatus labefactati prius fuerint, ſic incredibilis ille morbi languor acceſſerit. Anne igitur res evenit toto habitu & ipſa craſi uteri complectentis everſa? An male habitis utrorumque principiorum ſeu quidem efficientium, ſeu ſubſtratorum generationi circumſtantiis & præcipue

præcipui quando relatum eſt, ternas aut quaternas abortiones exactis annis tenuem alioqui fœminam commiſiſſe. An denique anteacta vitæ victuſque ratio, & ſine lege potus omni tempore plurimus, qualis quantuſque ſolennis mulieri fuiſſe dicitur, hoc mali peperit? non attinet autem ad nos hæc diſquiri tantum ut vere narrari. In qua re facienda nomina quidem parentum aut hiſtoriæ lege, aut fidei cumulandæ neceſſitate pandenda eſſent: verum quia dubito, quam æquo animo rem tuliſſent parentes, illuſtres in urbe Neapoli viri: parcendum nominibus exiſtimavi. Satis eſt ad ſubſellia Nili cum integerrimis atque optimis teſtibus rem eſſe hanc peractam, inter quos alter eſt omni reverentia colendus Andreas Albertinus è Societate Jeſu Sacerdos: alter Marius Schipanus omni literarum genere ſpectariſſimus. Fœtura fuerat abortiva octimeſtris diſtento ſic abdomine, ut magnitudine reliquum corpus exuperari facile dixiſſes. Qui venter diſciſſus è veſtigio fluentem affatim reddidit aquam, qua patinæ argenteæ quam ampliſſimæ vacuitas repleta eſt, ſed & totum pectus eodem humore perfuſum erat; ex abdominis (quod Fernelius in l. 5. Pathologiæ cap. 11. credidit) cæcis ductibus profecto illuc. Quod autem oppido mirum fuit, hepati nulla labes aut vitium; niſi quod ſciſſuræ omnis expers, ac pendulis lobis nullis: ſed globoſum & obtuſæ non præruptę rupi ſimile: qualem huic ſpeciei fides anatomica refert eſſe.

§. 2.) *De coli inflammatione mirabili.*

HOMINI cuidam, qui ex colico diuturno, id eſt, viginti dierum dolore afflictus & omni remediorum genere nihil adjutus in valetudinario deceſſerat, mox execto ſic ample turgens inventum eſt inteſtinum, ut ocreas itinerarias magnitudine ſuperaſſet, qua meſenterio complexus eſt inflammatum totum, cætera parte cyaneum, & pene ad gangrænæ modum emortuum: diſtentum quidem mire fecibus, ſed maxime flatibus, quibus & omnes item inteſtinorum ductus extumeſcebant; quam ob rem fortaſſe ſuppreſſa lotia poſtremis vitæ diebus. Ad hæc iliorum vacuitas & mollitudo contage viſcerum utrinque nigreſcentes, & flaccidæ, venter antequam inſecaretur, hydropis in modum elatus, qui ex ſubito flatus exultu fragorem edidit adminiſtro pungenti terrificum. Sed hepar flaccidum ſubnigrumque aqua ſub liene crocea multa; ſubque inteſtinis ſanies craſſa putidaque, qui putor etiam undequaque multus. Obſervationi diſſecti corporis interfuerunt medici chirurgicique valetudinarii noſtri omnes, qui ſunt Adamus Marchius, Joſephus Chiricus, Dominicus Moſcha, Franciſcus Romanus & Bartholus Capova; viri quidem omnes à me ſuas ob virtutes plurimum honorandi. Narrat autem ejuſmodi quoddam Franciſcus Tidicæus, apud Joannem Schenckium tom. 3. medicarum obſerv. tit. de gravidis pag. 625. cum qua ſua obſervatione noſtram conferre non erit abs re.

§. 3.) *De abſceſſu putrido calloſoque veſicæ.*

ANno 1624. April. 26. interierat in ſacro Crucis Cœnobio Neapolitano Sodalis quidam Franciſcanus ex abolito mictu, cui diſſecto cadaveri curante Antonio Sanctorello naturæ morborumque obſervatore ſolertiſſimo: reperti ſunt inter cætera meatus urinę flatu diſtenti renes interne puſtuloſi, lividiſque carunculis obſiti varie, callus enormis & inæqualis ſub collo veſicæ; quæ ipſa undecumque turpi ſanie deſędata, eademque toto habitu prætenſa tentabatur atque prædura.

Cap. 38. *Mira quædam in internis viſcerib; reperta.*

§. 1.) *Concrementum gelatinæ ſpecie in cordis utroque ſinu.*

ANno 1616. Februario, in hominis cadavere per me ſecto in noſodochio Cæſariæ inventus utrique ſinus cordis humore obſitus concreto inſtar vulgaris gelatinæ flavioris, quem ego putavi putrem pituitæ muccaginem bilis aliqua portione tinctam. Hic primum epilepticus & elinguis, demum occubuit cum ſiniſtri brachii convulſione: quæ ſpectantibus Horatio Cytharella ejus valetudinarii medico & ſuis auditoribus omnibus, itemque Franciſco Antonio Caietæ medico vigilantiſſimo facta diſſectio eſt. Ejuſmodi ad unguem concrementum repertum eſt & in venis magnis, quę cordis inſeruntur atque etiam in hujus auriculis diſſecti cadaveris non vulgariter religioſi P. Nicolai à S. Franciſco ex ſodalibus ſoleatis D. Auguſt. cui operę interfuit Franciſcus Nola medicus Neapolitanus, quē honoris cauſa nomino, ac Dominicus Coccia & Petrus Anellus Coſta, qui dulci novitatis amore viſū rem venerant, Neapolitanus uterque medicus eruditus.

§. 2.) *Fungi in hydropici abdomine.*

ANNO 1624. Auguſti in ſacris Incurabilium ædibus ſecti hydropici abdomine parte interiore pallidi quaſi fungi boleti ubertim reperti; cui adminiſtrationi atque obſervationi interfuerunt Reverendi Patres aſſiſtentes ægrotis, Doctor phyſicus Joſephus Chiricus, atque aliàs à me ſæpe citati Doctores in eodem valetudinario rem Clinicam & Chirurgicam factitantes non ſine laude.

§. 3.) *De Atheromatis interni corporis.*

NAturæ quidem in œconomia corporis humani ſæpe ludenti, non ſatis fuerat pomiformia tubera mortalibus admiranda ſub externum conſpectum ſubjeciſſe; niſi & per intima quoque viſcerum caloris ingeniti theſauros, illa eadem interdum materia ſe ſuggerente produceret. ſed enim hæc cum quis in animum haud fortaſſis inducat facile: proferam huc ego certa & teſtificantia luculenter exempla: primum autem ſingulari utar uno, quod apud Bartholomæum Cabrolium Anatomicum & Chirurgicum Monſpelienſem obſervatione poſtrema legi. Puella fuit illuſtribus parentibus Tholoſæ decimo tertio menſe nata, cujus longo morbo commortuæ facta diſſectio protulit hæc. A ſiniſtro latere immenſæ molis abſceſſus duplici tunicâ donatus apparuit à tranſverſis vertebrarum lumborum apophyſibus natus, qui deinde tranſiens ſub lienem totum id latus occupabat; erat autem cyſtula vaticoſis pluribus vaſculis intertexta, revulſus autem abſceſſus x. libras pependit. Sed neque hic admiratio finit: in eodem enim abdomine tres alii abſceſſus pondo lib. trium inventi, ſinguli ſua cyſti contecti, ſimilibus diſtincti vaſculis, eodemque cæmento referti: quę res pulmentum, ova cocta, ficus, carnem hujus generis alios inſolentes naturæ fœtus referebant. A dextro latere duo abſceſſus immenſi tanquam gemelli prope vertebras exorti, cum ſimilibus membranis venarumque ramis, oculis aſpectanda ſe dederunt pondo ſingula librarum quatuor; quorum unus cavam hepatis partem complebat; alter ad os pubis ferme deſcenderat, eadem, quâ alii farragine refertus. Hæc ferme ille.

Nos minores noſtros, quod videre licuit, abſceſſus, exponamus: minores, inquam, molles, ſed partium affectarum dignitate haud ſecundos fortaſſe: ſiqui-

ſiquidem cadavera diſſecantibus & hepatis & pulmonis & renum, & teſtium & uteri exteriore habitu ſæpenumero melicerides & atheromata viſenda ſe obtulerunt. Atheromatis quidem ſub pulmonis corpore viſus eſt meminiſſe vel ipſe Hippocrates l. de oſſium natura, numer. 19. per nomen τρῶπος, quod interpreti verſa eſt calloſa durities; Hieronymo verò Mercuriali creditum eſt tuberculum; utcunque autem ea, quæ pulmonibus innaſcuntur dura tubercula diſſecta præ ſe ferunt atheromatis ſpeciem: ſteatomatum autem non memini an ullum unquam obtigerit: utpote quod difficillimum hiſce locis ortum nanciſcitur: tum quod benigniorem hujus materiam partim emendare: partim ad ſe rapere viſcera calore munitiſſima poſſunt: tum quod nudiorem & majorem ejus globulum oporteret intimius recondi, quod ne pati quidem natura videtur. Dixi jam in humani generis extis creari hæcce tubercula: ſed & in beſtiis brutiſque omnibus ſanguineis multo frequentiſſima ſunt eadē à me reperta, dū multigenas ſpecies ad Zootomiam Democritæā exercendam & conſcribendam quotidie domi exſeco, quæ ipſa minutiora cum ſint, non eſt quod explicanda quiſpiam à me requirat.

§. 4.) *De ſyphiliis internis abſceſſibus.*

PLerique viri graviſſimi, quales ſunt Alexander Benedictus, l. 23. de morbis curandis & Jo. Fernel. l. 1. de abditis rerum cauſſis: & Laurent Jubertus l. de variola magna: & Conr. Tigurinus in obſer. & Bernardinus Tomitanus; l. 2. de morb. gall. cap. 13. certos nos fecerunt vita ex ſyphilide defunctis hominibus ſtudioſe confectis viſcera quælibet nullis exclufis, reperta tum phymatis, tum abſceſſibus, tum ulceribus fœda non aliter, quam extimo corporis habitu papulæ, collectiones, tubercula. Sed aliud longe majus addidit Nicolaus Maſſa; diſſectas quorundam ſyphiliorum, qui vita deceſſerunt, venas minimùm ſanguinis, plurimum albæ pituitæ reddidiſſe: itemque diffiſſos muſculos, qui private perdoluerant, mucida multa pituita ſcatentes extitiſſe: quæ mihi admirabilia quondam viſa, comperi mox omnia quam veriſſima; etenim in valetudinario Syphiliis decumbentibus, ſi quod alius, refertiſſimo, qua viſendarum ego rerum novarum cupidine diu moveor, & quo diſſectionum exercendarum munere teneor, dum accommodatis temporibus plurimos inſeco: ex his, qui conſpecti fuerant illo morbo laborantes, complures offendi, quibus exulcerati tum œſophagus, tum trachea; quibus item puſtuloſus pulmo, puſtuloſumque jecur, apoſtemodes verò proſtatæ ſunt adverſi. Fuit autem & cui (cadaveri ſc. ſuſpendioſo, quod Anno 1631. ſub ſaturnalib. in publico anatomico theatro ſcholæ Neapolitanæ diſſecui) repertum eſt ſiniſtrum vas deferens ſpermatis, qua ſuper interfœminio ad penem inflectitur, ſub ejus loci glandulas interiores aliqua parte demerſum atque ſepultum, cùm autem eidem homini bubo ſyphilicis ulceroſus fuiſſet adverſus; prompta fuit omnium opinio & ejaculatotia, nedum glandulas ſyphilios iſtos abſceſſus expertas, quod hactenus nemo definivit aut prodidit eorum, qui novas obſervationes medicas deſcripsēre.

§. 5.) *De hydropicæ fœminæ cruenta aqua.*

HYdropicæ fœminæ in umbilico ſuppunctæ, non aqua mehercules pellucida, ſed dilutus ſanguis erupit, quod admirationi non mihi ſolum, ſed & Sebaſtiano Vecchiono valetudinarii Incurabilium Medico Phyſico Primario, cùm autem id quidam inconſultè retuliſſent in ſcalpri vim & in ſanguinem è ſecta cute cum aqua hydrotica commixtum, evicit hos falſitas, quod ejuſdem poſtmodum demortuæ cadavere per nos diſſecto toto circum abdomine viſus eſt exundans idem albidus cruor.

Hactenus de Tumoribus in genere & in ſpecie. Sequantur jam variæ circa eos Obſervationes.

De Tumore in genu, ex quo aperto puris loco flatus egreditur.

Mulier triginta annos nata, ab octo menſibus tumorem patiebatur, partem femoris inferiorem occupantem & ipſum genu, nullus rubor aderat, ſed dolor eam infeſtabat, ut claudicare cogeretur; multis remediis reſolventibus adhibitis, tumor in eodem ſtatu permanebat. Tandem in duobus locis, parte ſcilicet interna & externa, elevatio ſatis inſignis apparuit, eaque circumſcripta cum mollitie & fluctuatione, ita ut purulentam materiam adeſſe omnes exiſtimarent, admotum eſt cauſticum potentiale parti magis tumenti, quæ erat exterior, poſtmodum ſcalpello inciſâ eſcharâ & aperto tumore, flatus quidam emanavit, & nihil aliud. Simile exemplum habetur apud *Zacut. Luſitanum lib. 2. prax. admir. obſerv. 163.* Ubi docet ex *Galeno* & *Avic.* hujuſmodi tumores in genu ſæpe à Medicis aperiri, pus intus latere exiſtimantibus, & nihil aliud tamen quam flatuoſum ſpiritum egredi. *Lazarus Rivius, obſerv. 13. cent. 3.*

Pro Tumore pedum.

℞. Stercor. vaccin. q. ſ. aceti q. ſ. coq. ſimul ad pultis conſiſtentiam. Hæc cum aliquoties tumentibus pedibus applicata fuit, tumor brevi admodum omnis abſumptus eſt. *Martinus Rulandus, curat. 12. cent. 9.*

Tumida membra hoc ſequenti oleo manibus perunctis bene erunt confricanda.

℞. Ol. nucum vel amygdal. amar. ℥ iv. ſem. aneth. cumini, an. ʒiij. vel iv. bacc. juniper. ℥ß. ſal. & alumin. an. ʒij. vini albi, opt. ℥iij. coque trita & miſta ad vini conſumptionem, deinde exprimendo cola, & ſervetur oleum in uſus prædictos. *Reinerus Solenander. conſil. 7. ſect. 3.*

Præmiſſo cathartico & ſudorifero.

℞. Fol. fumar. eupator. origan. ſerpill. abrot. an. M. j. rad. hirundinar. cortic. ſambuc. an. ʒ iiß. ſem. aneth. cumini, fœnic. an. ℥ß. bacc. juniper. lauri, an. M. j. contund. & incid. & coq. in aq. ſ. q. pro fomento ſicco, ſupra quod decoctum effervescens ponantur pedes linteis obvoluti, quoad ſudor è vapore erumpat; idque repetitis vicibus. *Joh. Petrus Lotichius, obſerv. 15. cap. 3. lib. 6.*

Pro Tumore ſuppurato reſolutione curato.

Filia mea octo annos nata tumorem phlegmonoſum & œdematoſum ſatis exiguum paſſa eſt in parte externa mandibulæ inferioris dextræ, qui ad ſuppurationem venit. Ego metuens ne à cicatrice facies fœdaretur, antequam ad abſceſſus apertionem venirem, reſolutionem prius tentare decrevi, Guidonis authoritati innixus, qui dicit aliquando apoſtemata ſuppurata reſolutione finiri: quod etiam ſolemni Paræi experimento confirmatur, qui ſe apoſtema ſuppuratum mercurio crudo cum emplaſtro diapalma ſubacto, per viam reſolutionis curaſſe teſtatur. Ad cujus imitationem dicti mercurii ʒj. cum emplaſtr. diapalm. ℥j. admiſcui, & tumori ſuppurato admovi; qui intra quatuor dies omnino reſolutus eſt. Ad materiam ſuppuratam reſolutione diſcutiendam, ſequentes conditiones neceſſariæ ſunt. Primo ut materia ſit quantitate exigua. Secundo ut ſit tenuis & ſeroſa. Tertio ut cutem & corporis ſuper-

ſuperficiem occupet, non autem partes profundas. Quarto ut ſit in corpore robuſto, juvenili, & molles carnes habente. Quinto ut ſit tempus æſtivum. *Dionyſius Pomaret. obſerv.* 1.

Eadem filia mea paſſa eſt tumorem œdematoſum crudum & minimè ſuppuratum ſupra regionem lumborum, magnitudinis volæ manus, qui eodem remedio intra paucos dies diſcuſſus eſt. *Idem obſerv.* 2.

Tumor carneus palpebræ inferioris, prope angulum externum oculi, ſectione feliciter ſanatus.

Simili ferè morbo laborabat quidam Pater ex Franciſcanorum Reformatorum cœtu, qui variis in locis curatus incaſſum, Neapoli nempe, Romæ, Florentiæ, & Genuæ, tandem meæ curæ ſe commiſit, qui tumorem vidi carneum in palpebra inferiori, prope angulum externum oculi obortum, inſtar acini uvæ. Præmiſſis itaque univerſalibus, humores noxios evacuantibus, forfice totum tumorem ſecui, applicato ſtatim ovi albumine, cum aqua roſacea; necnon poſt aliquot dies adhibita portiuncula viridis æris, erodendis quibuſdam fruſtulis radicum ipſius tumoris, in parte ſuperſtitibus, demum pulveribus exſiccantibus cicatrice inducta, perfecte ſanatus æger ſpatio viginti dierum. *Petrus de Marchettis in Obſervationum Medico-Chirurgic. Sylloge.*

Tumor gingivæ, ſub quo, non ſolum dens, ſed & ejuſdem alveolus, cum parte mandibulæ inferioris, uſque ad os jugale, corrupta, ubi ſubortus novus tumor, qui ſectus, patefecit labẽ, qua abraſione & inuſtionibus ſuperata, æger ſanitati fuit reſtitutus.

Tumores quidam in gingivis aliquando oriuntur, parulides à Græcis vocati, ex ſanguine, qui ante ſuppurationem dolores graves inferunt, atque ſuppurati, niſi diſrumpantur, alveolos dentium corrumpunt, unde plurimum fiſtulę, quæ abſumunt partem, non ſolum alveolorum, ſed mandibulæ quinetiam; prout ſuperiori anno præ manibus habui Monachum quendam juvenem Divæ Juſtinæ, cui obortus tumor in gingiva, ſub qua dens non ſolum corruptus fuit, ſed & alveolus, cum parte mandibulæ inferioris, inſigni adeo labe, ut pertingeret ad os uſque jugale, ubi ſubortus fuit tumor inſignis, qui à me ſectus maximam copiam puris effudit; quem cum aliquot poſt dies ſpecillo explorarem, inveni oſſa prædicta omninò corrupta, erumpente per foramen eodem pure ex cohibito in ore ſpiritu. Curationem itaque molitus ſum ſcalpris prius abraſoriis; verum quia os erat corruptum uſque ad alveolos inferiores dentium, pluribus propterea inuſtionibus inurendum fuit, foramine patefacto uſque ad ſeparationem ipſius, quo educto, ad cicatricem totum deduxi. Quæ monuiſſe volui, ne ſuppurationem horum tumorum expectetis, à qua facillimè corrumpuntur hæc oſſa, & oriuntur fiſtulæ inſignes, ægreque ſanabiles; ut propterea apparentibus his tumoribus in gingivis, ante ſuppurationem ſtatim ſint ſecandi ſcalpello, & quidem longa ſectione, quo ſanguinis confluxus ad ipſam gingivam evacuetur, qua ratione prohibebitis omnes prædictas affectiones; quod tum propria experientia, tum aliena firmatum; facta ſiquidem ſectione, & evacuato concluſo ſanguine, abſque ulla medicamentorum ope, ſola ſaliva natura ſectionem ſanat, ceſſante quarta poſt horæ parte, dolore. *Idem ibidem.*

Tumor colli inflammatorius in puero menſem nato, cũ læſa deglutitione, quatuor cucurbitulis cum ſcarificatione ſcapulis, & infra eaſdem adhibitis, ſanatus. Aliquot exempla venæſectionis feliciter adminiſtratæ in pueris acuto morbo laborantibus.

Præter alios tumores colli ab omnibus autoribus deſcriptos, vidi in infantulo menſem nato, nunc Canonico Patavino, inflammatorium, externum, ad glandulas bronchiales. Tumor hic progreſſu duorum dierum ita adauctus fuerat, ut nobilis infans non poſſet lac deglutire, cum proximo vitæ periculo; cui cum adhibitæ frictiones, & lotiones pedum, leviores forent pro magnitudine morbi, præſcripſi ſtatim quatuor cucurbitulas parvas, vulgo cornetti dictas, duas ſcapulis, duas verò infra eaſdem applicandas, tribus tantum, & quatuor ſcarificationibus adhibitis, & educto ſanguine ad uncias duas, quarum uſu tumor paucas poſt horas imminutus, ac ſenſim & ſenſim ſublatus, & feliciter ſanatus eſt, lethalis alioquin.

Neque metuendum hoc genus pręſidii in tenella adeo ætate, pręſente potiſſimum morbi magnitudine; cum ſæpius ego, ſecta quinetiam vena, ſanguinis miſſionem præſcripſerim, & quidem primo ex ſalvatella ejuſdem lateris, nobili Patavino ex familia Tergolina, decem annorum, pleuritide graviſſima laboranti, qui hoc præſidio ſub veſperam ſequenti die fuit liberatus, & omninò convaluit; quod contigit & alteri nobili Patavino ex familia Ridi, annorum ſeptem, laboranti itidem pleuritide, cum vehementiſſimo dolore pungitivo; cui educto pariter ſanguine ex ſalvatella, ad ſex uncias circiter ceſſavit dolor, cum febris remiſſione, qui aſſumto poſtmodum ſyrupo roſaceo, cum manna, quarta integre ſanitati fuit reſtitutus: quo præſidio quinetiam uſus ſum in aliis pueris angina laborantibus, hac ratione adductus, & propria experientia, quod quam pluribus pueris trium, quatuor, vel quinque annorum, vulneratis, aut ſaxo, aut cultello, vel aliquo alio inſtrumento, ſanguinis libra effluxerit aliquando; atque illi potiſſimum, cui ex ſecta arteria muſculi temporalis magna vis ſanguinis erupit; quem tamen juxta cum aliis ſanavi citra ullum in facultate auctrice detrimentum: quinimò ipſorum aliquos novi, adhucnum ſuperſtites, robuſtos, pingues, & carnoſos; ut propterea in morbis cum vitæ diſcrimine, præſente indicatione venęſectionis, hoc præſidium non ſit reformidandum. *Idem ibidem.*

Tumores jecoris ſuppurantes, in gibba potiſſimum ejuſdem parte tutò ſecantur; in cava verò, per urinam expurgandi, exemplo Virginis; quæ tumore ejuſdem partis laborans, per urinam magna vi puris excreta, eo liberata eſt.

Tumores aliquando in Jecore ſuboriuntur, in quibus alii ſunt crudi, & nunquam ſuppurant, alii verò ad ſuppurationem veniunt: & quia Jecur pauci eſt ſenſus, nervulis quippe gibba tantum ſui parte donatum, non ita facilè propterea, niſi progreſſu temporis horum differentia dignoſcitur: tunc enim qui ſuppurant, gibba potiſſimum ipſius parte in acumen prominent, & ſectionem indicant, nullo vitę diſcrimine; prout ego in multis ſum expertus, ſectis licet integumentis communibus, muſculis, & peritoneo; quod ſi in cava delituerit, per urinam expurgandus, ut obſerva-

obſervavi in Veſtali virgine Divę Annæ, ex Buzzacarinorum familia, quæ cum maximam copiam puris minxiſſet, à tumore liberata eſt, dolore licet Jecoris quandoque moleſto, cum febre; à quibus tamen ſola evacuatione ſanguinis ex vena Jecoraria dextri cubiti convaluit; quod non contingit tumori partis gibbæ Jecoris, c. ſecto imponenda turunda, imbuta ovi albumine; tum digerentibus utendum, prout in vulnere illius partis; poſtmodum ſarcoticis; tandem epuloticis cicatrix inducenda, evacuata prius tamen tota materia purulenta, turundatum ope, nec non cannulis plumbeis, quibus utpote citius, & commodius expurgatur. Qua ratione multos ſanavi, quorum aliqui adhucnum incolumes degunt. *Idem ibidem.*

De tumore ſuppurato, nec non de carie osſis.

Puella decem annorum, febri fervida correpta, brevi poſt dolorem, ac mox etiam tumorem ſenſit in humero, qui erat ejuſdem cum cute coloris, ac duriuſculus.

Sanguis nempe à febre ſolito magis agitatus ex latibulo hujus aut illius partis ſolidæ eluit particulas multas acidas & viſcoſas, quę, cum ſanguine circulantes, aliqua ſui portione egreſſę ſunt ex poris arteriarum tum temporis, ob febri fervorem magis dilatatis in tubulos circa humerum & longe infra cutim ſitos, in quibus hęrebant & dolorem excitabant, dum laterum ſuorum acie fibrillas ſolito vehementius commovebant, atque hoc pacto tubulos vicinos etiam aliquatenus diſtorquebant, unde humores ibidem etiam ſtagnarunt, qui, licet eſſent ſinceri, brevi mora ibi aceſcebant; ſanguis hinc etiam ſtagnabat in multis vaſculis capillaribus, ſed tam profunde intra cutim ſitis, ut rubor per cutim translucere nequiret, atque ideo tumor apparuit ejuſdem cum cute coloris.

Sed unde durities illa tumoris? nam liquor eſt, qui in eo continetur, & liquor, utpote fluidus, & manui blande appellenti nullam reſiſtentiam exhibens, non ſentitur durus, ſed mollis.

Sed magna liquoris copia continetur in pomo, poteſtque ex illo exprimi, & tamen interim ſentitur duriuſculum, quia ſcilicet liquor ille valde diviſus eſt, ac in ſingulis pomi tubulis & poris à ſe invicem diſtinctis hæret ſeparatus, quare manus pomum tangens occurrit primo pomi tubulo, unde particulæ liquoris in eo contentæ quidem aliquatenus recedunt, ſed mox accedentes ad ſubjacentem tubulum, inveniunt reſiſtentiam, atque hinc manifeſta redditur pomi durities & per conſequens etiam durities tumoris.

Certò igitur perſuaſus, hoc in caſu peccare particulas viſcoſas obſtruentes, acidaſque ſcindentes & irritantes, nihil magis hic convenire judicavi, quam aperientia & acidum temperantia, quamobrem appoſui tumori emplaſtrum Stickicum Paracelſi; ſed, ut hoc obiter notem, in eo ſupervacuus mihi videtur magnes, qui nulla alia de cauſa hic additur, quam ut res noxias ex profundo ad ſe alliciat; magnes autem non quævis corpora ſine diſcrimine ad ſe accedere facit, ſed tantummodo ferrum & magnetem, atque hanc etiam vim prorſus amittit, ubi in pulverem conteritur, quia pori ſtriati tunc diffringuntur, ſicut id ipſum expertus eſt Rohaultius, qui melioris notę magnetem in pulverem redegit, eúmque indidit linteo, ejuſque pulviſculos ſatis valide ad ſe invicem appreſſit, & tunc invenit & animadvertit, priſtinas in magnete vires in totum evanuiſſe.

Emplaſtrum citatum (ut ad propoſitum revertar) reliqui per aliquot dies ſuper tumorem, ſperans, acidum hoc pacto temperari, ac viſcoſum attenuari poſſe ita, ut partim circulationi priſtinæ reſtitueretur, partim per poros cutis avolaret, ſed malum fuit nimis pertinax, atque ideo ſpes mea me fefellit. Quid igitur factum eſt? Scilicet acidum particulis ſuis ſcindentibus tandem fibrillas & tubulos quoſdam diſrupit, atque ita liquor in tumore contentus in unum locum confluxit, & tum temporis tumor non amplius duriuſculus, ſed mollis exiſtebat, non aliter quam liquor, ex pomo antea duro expreſſus, & vaſculo aliquo exceptus, ſe mollem exhibet digito palpanti, atque in eo puto conſiſtere factam in tumore ſuppurationem.

Jam jam audire videor clamans contra me vulgus eruditorum, quod ſcilicet hanc ægrotulam non tractaverim ſecundum artem, hoc eſt, ſecundum falſam ac inutilem ipſorum theoriam, quæ in principio tumorum repellentia applicare jubet, ſed reſpondere facillimum eſt, dummodo dicam, quòd omnium fermè tumorum cauſa ſit obſtructio, quę (ſecundum proprium ipſorum axioma, quòd ſcilicet contraria contrariis curentur) per aperientia tollenda venit, non autem multiplicanda per repellentia vulgo dicta, hoc eſt, per frigida adſtringentia.

Sed quid, ſi adverſarios proprio ipſorum gladio jugulem, eoſque convincam duobus argumentis, vel in ipſo tumorum ferè omnium initio rariſſime, imo nunquam convenire repellentia vulgo dicta? tentabo ſaltem.

Volunt igitur adverſarii, ut in principio tumorum applicentur repellentia, ſed interim tamen duos caſus excipiunt, primò cum tumor fit per congeſtionem, ſecundò, quando ille reperitur in emunctorio.

Quoad primum, certum eſt unicuique, à præjudiciis nondum plane occæcato, nullum tumorem fieri per fluxum, qua talem, utpote naturalem, ſed omnem tumorem fieri per congeſtionem, hoc eſt, tum demum, quando ſanguinis ac humorum fluxus aliqua ex parte impeditur propter obſtructionem, ob quam ſanguis & humores alicubi congerantur & accumulentur, atque hinc evidentiſſime ſequitur, repellentia nunquam valere in tumoribus.

Quoad alterum, brevitatis ergo ſumemus tantum unum emunctorium, ſic ab illis vulgo nuncupatum. Aſſerunt igitur, repellere non licere in tumore inguinis, quia illud eſt emunctorium hepatis, hoc eſt, quia per illud ſordes hepatis expelluntur, ſed hæc eſt ratio mehercule falſiſſima: nam vaſa lymphatica & venæ liquorem contentum ab inguine ſurſum deferunt, ſic ut nihil reſtat, præter nervos & arterias, per quos vel quas hepatis excrementa deponantur; ſed licet nervi excrementa quędam ejicerent per inguen, tunc illud non eſſet emunctorium hepatis, ſed potius cerebri aut medullæ ſpinalis; nam nervi, qui valde pauci in hepate eſſe reperiuntur, ex eo nihil recipiunt; & quamvis per arterias, quæ ex hepate etiam nihil excipiunt, recrementa quędam expellantur in inguen, ac per illud foras protrubentur, non ideo inguen meretur dici emunctorium hepatis, ſed potius totius maſſæ ſanguineæ, & ſi propterea in inguine repellere non licet, quia illud eſt emunctorium ſanguinis, tunc per conſequens vetitum erit in ulla corporis parte repellere, quia ubique per poros corporis multæ particulæ ex ſanguine evacuantur & exhalant.

Sed tempus eſt, ut ad propoſitum revertamur, unde nimis longè digreſſi ſumus.

Quandoquidem igitur tumor maturus erat, & pus quod continebat, tam profunde ſitum erat, ut carnem ac cutim ſuperpoſitam perrumpere non poſſet, ideo apertionem feci in ea tumoris parte, quæ mollior ac eminentior apparebat, ſicque puris haud parum profluxit; ſed ecce, tunc invenio ſubjectum nigrum ac carioſum ab acido ſcilicet in tumore contento, quod fibrillas

fibrillas perioſtei, ac poſt ipſius etiam oſſis diſcidit, ejuſque ſalem volatilem corrupit, qui oſſibus naturalis eſt, ac magna copia in illis reperitur, ſicut liquet ex deſtillatione cranii humani, ex quo multum ſpiritus, multumque ſalis volatilis in forma ſicca elicitur.

Quod ſi autem aliquis in hiſce meis ratiociniis nondum acquieſceret, nec credet hanc cariem ab acido eſſe inductam, illi juberem, ut oleum vitrioli, quod valde acidum eſt, applicaret dentibus, nam ſic damno ſuo animadverteret illos tandem inde reddi carioſos ac fruſtulatim excidere.

Imo Fabritium Hildanum, experttiſſimum illum ac celeberrimum medico chirurgum, hoc non latuit, quamobrem ille in carie oſſis nihil magis damnat, quam oleum ſulphuris, vitrioli, aquam fortem &c. acida, & quidem merito.

Jam dudum ſciebam ulcera cum carie oſſis comite ſanari non poſſe, niſi oſſe prius reſtituto, atque ideo oſſis carioſi medelę primo incubui.

Non ignorabam quoque pinguia oſſibus valde nocere, quia illa ramulis ſuis facile obſtruunt anguſtos poros & tubulos oſſium, & quidem ſatis pertinaciter, qua de cauſa omnia pinguia cane pejus & angue hic vitavi, ac oſſi carioſo inſperſi pulverem euphorbii, quod multum ſalis volatilis, & quidem acerrimi, continet, atque ita brevi tempore omnis caries ſub forma pulveris impalpabilis ex ulcere ſenſim evacuata fuit.

Quod acredo euphorbii non ſit acida, ut aliquis forſan conjiceret, ſed ſalina, manifeſtum redditur ex eo, quod tam vehementer ſternutationem moveat, non aliter quam ſpiritus ſalis armoniaci, qui à nemine ſalſus eſſe negatur. E contra naribus admoveto ſpiritus acidos nitri, vitrioli, ſalis & ſulphuris, animadvertes illos, licet acerrimi ſint, ſternuationem tamen minime movere.

Ut autem externis medicamentis per interna opem ferrem, inter uſum euphorbii ægrotulæ ex china, ſarſaparilla, aliiſque multum ſalis volatilis continentibus conſtans.

Si caries hiſce cedere noluiſſet, adhibuiſſem ferrum candens, quod à quibuſdam dicitur cauterium actuale, ad diſtinctionem cauterii potentialis, ſed male; nam cauterium potentiale non datur; omne cauterium, hoc eſt, omnis res urens agit; & ſi illud cauterium potentiale dici meretur, quod, quamvis jam urere nequeat, brevi poſt tamen illud præſtabit, tunc glacies optimo jure habebitur pro cauterio potentiali, quia illa reduci poteſt in aquam bullientem, & quam inepta ſit talis locutio, aliis judicandum relinquo.

Ferrum candens autem duabus de cauſis in oſſe carioſo juvat; primò namque fermento acido-corroſivo in oſſe hærenti tantum de motu ſuo communicat, ut illud evaporare poſſit, ſicut ſpiritus vitrioli in diſtillatione per ignem in altum elevatur; ſecundo illam portionem fermenti acido corroſivi, quę reliqua manet in oſſe carioſo, temperare poteſt, nam ferrum egregie reſiſtit acido, ut patet confectione vitrioli Martis, in qua manifeſta ſatis excitatur fermentatio, dum ſpiritus vitrioli infunditur limaturæ chalybis, atque ita brevi temporis intervallo ſpiritus vitrioli multum amittit de ſua vi corroſiva ac de acore ſuo, imo dulceſcit.

Carie oſſis ſublata reliquum ulcus brevi carne impletum fuit ſola therebinthina communi cum vitello ovi impoſita, ac cicatrix per lintea carpta ſicca inducta fuit, quæ imbibunt continuo pus, quod in ulcere relictum cicatricis generationi non parum obſtat.

Complures ſunt, qui arterias & venas ex parte ſublatas nunquam regenerari exiſtimant, quia nempe ſunt partes ſpermaticę ſic ab illis vulgo nuncupatæ, ſed falluntur, nam qua de cauſa ſanguis ex arteriola abſciſſa prorepens non poſſet ad latera protrudere particulas quaſdam ramoſas & ad motum minus aptas, quæ ſibi invicem implicitæ formarent ibidem rudimentum alicujus tunicæ, quæ arterioſæ nomen mereretur, & cur idem ſanguis, in curſu ſuo tandem impedimentum aliquod offendens, non poſſet reflecti, & ſic, particulis ramoſis iterum ad latera projectis ibidem producere rudimentum alicujus venæ, non aliter, ac videre licet poſt aliquot ab incubatione dies in ovo, in quo arteriæque venæque eodem modo ex colliquamento proveniunt? hæc res ſanè intellectu eſt facilima.

Imo blandus tantummodo contactus illius tenellæ carnis, quâ ulcus de novo impletum eſt, ſtatim ſanguinem prodire facit, quod certe non fieret, niſi arteriæ, venęque eo uſque eſſent prolongatæ.

Sed ſi forſan aliquis adeo incredulus reperiatur, ut dictis fidem adhibere nondum queat, illum dimitto ad induſtrium dominum Blanckart in collectaneis Medico-Phyſicis, ubi narrat, vel ſe, vel alium quendam in ulceribus prius cavis ac nova carne iterum repletis detexiſſe venas & arterias per microſcopium, imo per nudos etiam oculos ac nullo microſcopio munitos, ſi pars ſanata prius aliquandiu ſugeretur.

Atque hoc pacto puto me phænomena in hac ægrotula occurrentia modo tam perſpicuo explicuiſſe, ut ab omnibus queat intelligi, longe aliter, quam facere conſuevêre nimis anxii veterum ſectatores, nam ſi illos interrogaſſem, unde tumor ille humeri, de quo antea locutus ſum, exortus eſſet in ęgrotula febricitante, mox repoſuiſſent, naturam ſe ibidem loci exoneraſſe, ſed hoc æque abſurdum judico, ac ſi ego interrogarem, cur cereviſiæ recens coctæ fæx per dolii foramen evacuetur, ac alter regereret, naturam cereviſiæ ſe ibidem loci & hoc pacto liberare ab onere ſuo, cum potius dicendum foret, cereviſiam fermentari, hoc eſt, motum quendam inteſtinum eſſe in parvis cereviſię particulis, atque ab illis particulas ramoſas aliaſque ad motum illum non ſatis idoneas protrudi eodem, ubi ad motum tam celerem non coguntur.

Si porrò rogaſſem, quare tumor ille potius in humero, quam alibi ſe prębuerit conſpiciendum, in promptu ſequens habuiſſent reſponſum, nempe hoc contigiſſe ob debilitatem facultatis expultricis in humero, bellum ſanè ratiocinium, tot Chimæras, quot verba, continens.

Quod ſi aliquis ex vaſe capaci liquorem quendam tenui ac æquali ſemper radio infunderet in cantharum anguſtioris colli per infundibulum, ac primo videret liquorem eadem celeritate egredi ex infundibulo, quâ intraret, deinde autem obſervaret, liquorem in infundibulo magis magiſque accumulari, an ille non egregie ſe unicuique exponeret ridendum, ſi pro cauſa hic in medium afferret debilitatem facultatis expultricis in infundibulo, cum vera cauſa ſit obſtructio in inferiore ac anguſta infundibuli parte, aut in anguſto canthari collo, inducta à corpore aliquo craſſiore in liquore forte contento? quicunque jam hęc omnia attento animo perpendere voluerit, rem in utroque caſu eodem modo ſe habere animadvertet, utrobique allatam inveniet æquè ridiculam.

Antequam hanc obſervationem finiam, unum adhuc problema mihi diſcutiendum reſtat, nempe an ulcus aut vulnus cavum non poſſet impleri aliâ quâdam carne, quæ toti agglutinaretur, ſive illa caro deſumeretur ex alia quadam parte ejuſdem hominis, ſeu etiam ex alio homine, aut beſtia aliqua? præſertim cum

videamus ungues, quibus galli contra gallos gallinaceos in pugna utuntur, ex pedibus exſectos capiti non tantum agglutinari, ſed egregie etiam augeri brevi tempore, ſicut hoc quotidie videmus, dum galli gallinacei caſtrantur, imo etiam nemo ferè eſt, qui non aliquando conſpexerit, quàm belle ramulus ex una arbore exciſus cum trunco alterius arboris coaleſcat & uniatur.

Sed diſpar longè ratio eſt, nam tubuli in unguibus gallorum, inque ramulis arborum conſtantes ſunt, ita ut ſectio illos diſtorquere non poſſit, quare liquorum circulatio per eoſdem facile peragitur, etiamſi in alienam partem aut aliud corpus inſerantur. In carne verò noſtrâ tubuli adeò tenelli ſunt, ut à ſectione, aut aliâ quâdam vi ſtatim valdè diſtorqueantur, atque eorum latera hoc pacto ferè ad ſe invicem accedant, atque ita tùm temporis & humorum circulatio per eoſdem prorſus impeditur. *Joh. Muys in Praxi Chirurgicâ rationali.*

De Tumore frontis connato.

Puella ſemeſtris erat in fronte deformata tumore valdè rubente ac doloris experte, quem in utero adhuc deliteſcens contraxerat. Mater ægrotulæ, dum utero gerebat, vulnus in fronte accepit, ex quo multum ſanguinis profluebat, & quod dolorem ſatis magnum inferebat; quare mater, infortunii ſui certior fieri volens, adiit ſpeculum, & ſic non parum perterrebatur.

Quis neſcit jam temporis quam arcta ſit unio inter matrem, ſuumque fœtum? idque mirum videri non debet, quandoquidem ſanguinis circulatio utrique communis eſt.

Sic Pariſiis in noſocomio ſtultus ad annum uſque vigeſimum vixiſſe perhibetur, cui oſſa brachiorum, crurum, aliarumque partium à nativitate fuerant diſrupta, non aliam ob cauſam, quam quia mater illius prægnans non ſine terrore conſpexerat malefico cuidam oſſa à carnifice publice confringi.

Si jam gravida mater tenello ſuo fœtui tantum malorum accerſere potis eſt, dum alium moleſto dolore aſpicit affectum, cogita, quid contingere poſſit, ubi illa in proprio corpore vulnus ſanguinolentum & cernit & ſentit.

De modo autem, quo illud eveniat, utpote ad praxin parum faciente, hîc loci ſcribere ſuperſedeo; & ſi quis curioſior ſit hac in re, illum adire jubeo L. de la Forge in notis ad tractatum Carteſii de homine, ut & acutiſſimum Auctorem tractatus cujuſdam gallici, qui inſcribitur *la Recherche de la Verité*, qui non ineleganter de modo, quo hic effectus producatur, ibidem diſſerit.

Ego conſpecto huic tumori impoſui corroſivum ex calce viva & ſapone communi ſimul mixtis tantum, quantus erat ipſe tumor, & ſic inducta fuit eſchara.

Sapo communis ſcilicet conficitur ex lixivio & pinguedine ſimul coctis tam diu, donec multi ramuli particularum pinguium diſrupti ſint, quod vel ex eo liquet, quod pinguedo in veſtibus producat maculas pertinaciter inhærentes ob ramulos, quibus ſe implicat fibrillis veſtium, & ſapo contra ſola aqua facilè eluitur.

Calx verò viva eſt ſal alcalicum fixum & quidem ſatis acre.

Calx viva igitur miſcebatur non cum aqua, quia hæc ob efferveſcentiam ſuam cum calce vires ejuſdem frangit, nec quoque cum pinguedine, quæ poros cutis nimis obſtruit, ſed cum ſapone communi ſale ſuo lixivo calcis vires non parum juvante.

Impoſito hoc corroſivo vapores pro more ſolito egrediebantur ex arteriolis per poros cutis in aërem, ex quo iterum in locum à ſe relictum propellebant materiam ſubtilem, quæ in tranſitu ſuo agitabat particulas ſalſas tàm calcis quàm ſaponis teretes, rigidas & pungentes, eaſque ſecum tulit uſque in cutim, & quidem ſecundum longitudinem particularum, non ſecundum latitudinem, ſicut ſagitta in altum miſſa non tranſverſum aërem ſecat, ſed per longitudinem ſuam, quia hoc pacto minus reſiſtit, & faciliorem viam invenit in aëre.

Particulæ hæ ſalſę in cutim uſque adactæ, ac à materia ſubtili egregie ibidem agitatæ, fibrillas cutis diſruperunt ita, ac tubulos ejuſdem ita diſtorſerunt, ut ſanguinis, humorum ac ſpirituum circulatio illic prorſus impediretur, ac illa pars emoreretur & ſub forma eſcharę in conſpectum veniret, quâ brevi ſeparatâ omnis tumor oberat, quare placentulam meam dutiuſculam, de qua ſæpius mentionem feci, impoſui, quæ carnem alias facile luxuriantem comprimebat, ac inſuper cicatricem lævem inducebat, quæ primò quidem aliquatenus rubebat, ſed ille rubor poſtea in totum ſublatus eſt, ubi cicatrix aliquoties leviter tangebatur oleo tartari per deliquium.

Hæc puella ab omni frontis deformitate hoc pacto feliciter liberata Chirurgis calcar addere debet ad tollendas multas deformes maſculas ac tumores, infantibus, dum in uteri ergaſtulo captivi retinebantur, impreſſos, qui à non paucis pro inſanabilibus habentur. *Idem ibidem.*

De Duro Tumore abdominis.

Puella quinque annorum malæ diætæ aſſueta vexabatur per longum tempus abdomine admodum tumido, duroque, ac facies exiſtebat pallida.

Fruſtra jam fuerat uſurpatum linimentum ſequens.

♃. Ung. alth. comp. Ol. lilior. alb. an. ℥ſ. de lateribus ʒi. M. S. Quod tamen in ſimili caſu non parum laudatur à Clariſſimo Sylvio in praxeos libro primo, cap. 14. titulo 56.

Rem benè conſiderans judicabam ſanguinem hujus ægrotulæ exiſtere nimis viſcoſum ac acidum atque capropter multas omenti glandulas eſſe obſtructas, ac miram in molem adauctas; & quo pacto pallor faciei ex tali ſanguine producatur, unicuique notius eſſe puto, quam ut opus ſit illud explicare.

Mirabitur forſan aliquis, nec credet, glandulas omenti in tantam excreſcere poſſe magnitudinem, ut cauſa ſint tanti, adeoque duri tumoris, qualis in abdomine hujus puellę tactu percipiebatur, ſed illum inſpicere volo Fabritium Hildanum, qui narrat in Centuriæ tertiæ obſerv. 50. ſe aperuiſſe cadaver, cujus omentum ob glandulas intumefactas habebat pondus quinquaginta ſex librarum.

Rebus ita conſtitutis nihil proficuum magis eſſe judicabam emplaſtro ſtyptico Paracelſi, quod abdomini imponi juſſi, poſt quam ſuper linteum eſſet extenſum ac inunctum oleo nucis myriſticę.

Ac ut ſanguinem viſcoſum & acidum corrigerem, puellæ quotidie bis exhiberi juſſi guttas aliquot ſalis volatilis oleoſi, atque hoc pacto ægrotula noſtra paucorum menſium ſpatio feliciter priſtinæ ſanitati reſtituta fuit. *Idem ibidem.*

De Tumore ſanguineo ad palatum.

Maria de Waart, filia natu minima Ampliſſimi Conſulis D. Gerbr. Nicolai Pancras ex morbo diuturno, capitis, auris, dentiumque dolore gravi, tumorem contraxit albicantem, nucis juglandis magnitudinem habentem, circa palatum.

Pure repletus nobis ſimiliter ac Medico Luſitano Ephraim Booma videbaur, unde apertionem ejus neceſ-

neceſſariam omninò judicabamus, quam ubi admiſit ægrotans, lanceolæ ope peractam, non pus, ſed ſanguis calidus purus, rubicundus inſigni copia effluxit, cùm tamen, uti indicavimus, albedine notabilis tumor occurreret, fluorem hunc preſſione digiti continuâ ſiſtere coacti fuimus.

Diebus quinque aut ſex elapſis tumor dictus de novo à nobis apertus fuit, quod & majoris amplitudinis occurreret, & de purulentiæ in eo præſentia nullus dubitaret. At diſſectione peractâ eâ copiâ ſanguis ardens acriſve impetu effluxit, ut linteo combuſto vulneri impoſito hæmorrhagiam ſiſtere coacti fuerimus.

Fruſtra ſic hactenus laboravimus, iterare adeoque apertionem conſultum minimè viſum, quin potius ſanguinem temporis diuturnitate, uſuque medicamentorum commodorum, in pus verum converti neceſſarium. Ad hoc collutio ſequens aliquoties calide ore detinenda à nobis præſcripta.

℞. Rad. Alth. Lilior. an. ℥ ii. Fol. Malv. Biſmalv. Parietar. an. Mi. Sem. Lini ℥ ß. Ficus recent. n. vi. Coq. in aq. purâ, in Colat. ℔ i. diſſolve Syr. de Alth. Fernel. ℥ i. M. F. Gargariſm.

Uſu gargariſmatis hujus tumorem indies imminui obſervavimus, continuatio adeoque neceſſaria. Conſolidatio tamen vera neutiquam ſecuta, priuſquam fragmentum aliquod oſſis palati ſepararetur.

Curatione ſic inſperatâ abſolutâ, noſtrum credidimus eſſe, unde collectio ſanguinea dicto loco ſe exhibens proveneri, cognoſcere: Nullus hic occurrit, qui vel verbis, vel ſcriptis vias commodas indicare potuit. Aliquid lucis huic difficultati adferunt quæ obſ. 24. Armant. Chir. proponit Joan. Schultetus, Medicus & Chirurgus Ulmenſis, ductum hic deſcribit circa dentes molares à palato ad nares extenſum, in quo vena æque ac arteria, commoda tunicæ incluſæ detinentur, de quo loco cit. plura legi poſſunt.

Poſt hæc tempora affectus priori ſimilis bis nobis occurrit, ſanguinis majorem uterque exhibuit quantitatem quam puris. Aliis, quod ſi eadem occurrerint, facilius, certiuſque ea curare poterunt. *Jobus à Meeckren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

De Tumore femoris inſigni.

Anna Laurentii Anno 1655. peſte laboraverat, ex qua Anthracem contraxerat femur ſub oſſe iſchio occupantem. Hujus curatione, quæ tamen tarda valdè, peractâ, tumore correpta ab inguine ultra genu ſe extendente, magis hic magiſque indies increſcebat, adeò ut ulnæ cum dimidia longitudini accederet menſura craſſitiei ejus. Hinc in partes duas diviſus.

In conſilium vocati Clar. Viri Dn. Franciſcus Sylvius, Franciſcus van der Schaagen, Henricus Lons, Medici, & Dn. Henricus Roonhuyſen, Chirurgus. Variis pro & contra propoſitis, quæ allegare ſuperſedebimus, veroſimile nobis viſum, humorem aliquem pinguedinē loco dicto occupaſſe, imò vi ſua acriore ad facilem influxum inſequentis diſpoſuiſſe. Hanc ſententiam noſtram confirmare ſtudui exemplo eorum, quorum pedes anthrace laboraverant, his enim (quod in nobis ipſis experti) tumores omnes poſtea ſupervenientes ſolito majores. Cauſam ejus rei in eo conſiſtere judicabamus, quod natura in eas partes venenum ſuum, venenique materiam ableget, quæ hic ob pinguedinem ſuppoſitam magis magiſque corrumpitur, undè pars ipſa & debilis, & poroſa magis.

Ad curationem, præmiſſo uſu Medicamentorum purgantium, menſes moventium, imprimis apozematis ex oculis cancri, faſcia adhibita, ejuſque uſu legitimo, ab inferioribus nempè ſurſum inſtituta ligaturâ, integrè Dei gratia reſtituta ægrotans. *Idem ibidem.*

Tumor Vulvæ inſolitus.

Clariſſ. Jacobi Auguſtini Hunervvolffii Miſcell. Curioſ. Decur. iij. *Ann.* 1.

Mulier pagana ad quintum gravida menſem, durâ alvo, nauſeâ, cardialgiâ, dyſpnœa, ventris femorumque tumore afflicta, petit à me auxilium. Cui ex gialapio præbui pulverem, & benè hunc tulit. Nauſeam & dolorem ventriculi vici mixturâ theriacali. Tumor inde ceſſit de ventre, & inceſſit ad vulvam, cujus labia tali augebantur incremento, ut caput æquarent hominis robuſtiſſimi, & gravidæ impedirent penitus itum. Dura vero & vexata illa labia ad mollitiem & ſuppurationem redacta convenientibus rumpebantur, & magnam cruentæ purulentæque materię copiam fundebant. Sulcô poſtea genitali reſtitutô in integrum oleo hyperici compoſito Lebelii, nixibus maturis grandi capite puer in lucem fuit editus.

Scholium.) Caſum ferè ἀνάλογον in Piſcatoris cujuſdam conjuge gravidâ hîc Norimbergę, ante biennium me obſervaſſe recordor: quæ, cùm ob inſignem abdominis, crurumque pedumque tumorem, nec ſedere nec decumbere valeret, meum implorans auxilium, ex uſu Electuarii mihi valde familiaris, ex Rob Ebulino Juniperino & Elect. Tamarindinato, cum Extracto Diacarthami compoſito Diſpenſatorii noſtri parati, haud parum allevata, detumuit quidem in majorem è contra molem vix credibilem excreſcentibus vulvæ labiis, quibus fruſtra applicatis Cataplaſmatibus Emplaſtriſque emollientibus, pulverem inſpergere juſſi Eryſipelatodem Mynſichti, tanto cum ſucceſſu, ut evaneſcente tandem omni tumore, penitus reſtituta hæc Piſcatrix, juſto partûs termino, filiolum & ſanum & adhuc cum matre ſua viventem, pepererit.

Stupendus brachii dextri Tumor.

Clariſſ. Pyrrhi Mariæ Gabrielis Miſcell. Curioſ. *Ann.* 2.

Petronella virgo Clauſtralis in Magno Senarum Xenodochio Sanctæ Mariæ de Scala, viginti ſex Annos nata, temperamento calido & humido prædita, corporis habitu ad gracilem inclinante, ſtaturâ mediocri, facie florida, vultuque non minus eleganti, quàm modeſto conſtituta, dum infantiles ducebat annos, Tuberculis, modò in temporibus, modò in collo, & in ipſo Thorace hinc illinc divagantibus cœpit vexari, quorum nonnulla, præcipuè circa Collum, ſtrumas repræſentabant, alia verò, Tumoribus, qui Bronchocelæ appellantur, erant conſimilia, & quidem carnoſa apparebant. Quæ quidem longo temporis ſpatio, nullo remedio adhibito, & ſine ſuppuratione, aut materiæ exitu ſanabantur, quandoque verò à quibuſdam præſertim à carnoſis, factâ in iiſdem ſpontaneâ excoriatione ſeroſitas extillabat, unde prorſus evaneſcebant. At per plures Annos nimirum nedum infantiles & pueriles, ſed & ipſius Adoleſcentiæ, prædictos Tumores modò in uno ex dictis partibus, modò ex pluribus alternatim ſubortos, nec non Ulcera dexteram Capillatam capitis Partem occupantia infelix Puella paſſa eſt; rarò enim ab iiſdem vitam traduxit immunem.

Tempore pubertatis accedente, conſuetum menſium beneficium expectans cum ſpē inculpatâ corporis ſalute fruendi, vix eorum ſignum unica duntaxat vice in uno nimirum ex Menſibus Anni ſuæ ętatis decimi quarti proſpexit, & exinde toto ejus vitæ decurſu ceſſavêre.

Ipſo eodē Anno decimo quarto varii Tumores, ne dū in partibus deſuper memoratis, ſed in humeri ſummitate,

I 4 & Bra-

& Brachiis ipſis tam dextero, quàm ſiniſtro ſupervenêre, modò cum majori, modò verò cum minori Tumefactione, hinc Pedes quoq;, & Crura conſimiles tumores infeſtare cœperunt, necnon moleſtę ſciſſurę Pedum digitos occupãtes usq; ad Annum decimum ſextum circiter perdurârunt, quo tempore ſingulis menſibus, interdum verò alternatim augebantur, & tunc febres vehementes cum magna ſiti,& capitis dolore intenſo noſtram Patientem per tres, aut quatuor dies continuò vexabant, unde Tumores aliquantulum minuebantur, & pręcipuè dum ſerum ab iiſdē, ipſiſq;ſciſſuris effluebat,quandoq; verò prorſus evaneſcebāt.

Decimo ſeptimo ſuæ ætatis Anno, ſupervenerunt in Brachio dextero circa Cubitum, præſertim in parte exteriori quidam Noduli, ex quibus dolore ſuborto, contractio ipſius Brachii ſubſecuta eſt, quæ per plures dies perduravit, atque hinc cùm in ſtatum fere naturalem, & ſine ulla contractione Brachium ipſum fuerit redactum, Tumor quidam in parte ejus cubiti versùs humerū exter-nâ, exortus eſt, qui quidem dum augmentum celeriter aſſumebat, cæteri Tumores varias partes occupantes paulatim in tantùm minuebantur, ut pauco tēporis intervallo, exceptis Capitis Ulceribus, quæ continuò emittebant ſeroſam ac purulentam materiam, evanuerint.

Spatio ſeptem Annorum, quãvis plura ac varia fuerint adhibita medicamenta, & pręſertim ex ſarſaparilla, Ligno ſeneto, & ſimilibus parata, Tumor tamen tale ſumpſit augmentum, ut centum & viginti libras circiter penderet, unde abſq;auxilio,aut adminiculo Ligneo ab aliis geſtãdo, neutiquam ipſum ſuſtinere, nec aſportare poterat, & quãquam maximæ fuiſſet molis, ut totum ſpatium à Metacarpo uſque ad medium humerum occupaſſet,ei fuit liber omnium muſculorum motus, ut digitis opera quędã Acu fœminali, ſiniſtro tamen Brachio in auxilium vocato, ritè peragere valebat. Tumor erat mollis ad inſtar carnoſę alicujus partis, ac veluti Abdominis in homine, aut Mulieris admodum carnoſę & pinguis; Tactûs ſenſatio aderat per totam molis cutē adeò exquiſitus, ut calorē,frigus, pulicis morſum, & pedes cujuſcunq; Animalculi ſuper ipsã perreptantis ęque ac in aliis Partibus perciperet. Color,& calor ipſius Cutis ſicut & in aliis partibus in ſtatu naturali poſitis aderat,pręter quã quòd ſtatutis temporibus, ſingulis nimirum menſibus, aut omni tertio menſe, quibus per aliquot dies, dum ei febres accedebant,inflamatione in dicto Tumore, maximo cum dolore patiebatur, atque hinc color lividus, & durities in nonnullis ipſius Tumoris particulis, præſertim in circumferentia ſuperveniebat, quæ quidem omnia minuebantur, vel per ſudorem, quandoque per urinam,& interdum ex effluxu copioſo aqueę materiæ ex Tumoris poris admodum dilatatis, ac interdum ex Ulcuſculis in dicto Tumore ſubortis, ut præſertim evenit duobus abhinc annis, quo tempore à poris ſolumodò dilatatis absque ulla exulceratione pauco temporis curſu humor aquoſus effluxit ad libras circiter quadraginta. Indeque verò mirum in modum ex Uſu cujuſdam ſuffumigii vaporoſi,ex vapore Aceti mediis lapidibus ignitis elevato, à quodam Chirurgo præſcripſi, majus ſuſcepit augmentū, & quotieſcunque, quod ſequebatur ſingulis, aut alternis menſibus,dolor adveniebat cum duritie & cutis livore,cōſueta febris accedebat, iterumque humor aqueus in magna copia egrediebatur, & quidem cum puellę levamine, Tumor enim aliquantulum minuebatur, & quando febribus non laborabat,color faciei erat rubicundus,appetitum habebat vegetum, quin imò ſæpe ſæpiùs fame torquebatur Morbosâ, præcipuè verò duobus abhinc annis, quibus Tumor maximè augebatur, abſque ulla corporis emaciatione; Alvus rarò reſpondebat, parum mingebat, & maximum frigus in dicto Tumore patiebatur, unde pannis calidis ad Brachium tumidum cooperiendum, & præſertim hoc anno tranſacto, ne dum Hyemis, ſed æſtatis tempore maximè indigebat. Occaſione qua febribus cruciabatur, dum celebrata fuit phlebotomia, ſanguis mediocris conſiſtentiæ, & in colore floridus fuit obſervatus, prærerquam in ultima emiſſione, iis poſtremis diebus, quibus febre conſuetâ, ſed acutiori laboravit per quatuor dies, qui quidem ſanguis fuit aliquantulum ſeroſus. Quo tempore quamquam effluxiſſet maxima humoris copia à Tumore mirum in modum aucto cum dolore ſummo, colore liveſcente, & nigricante circa extremitates, ut eveniebat in aliis febribus, oborta eſt in extremis hiſce periodis maxima durities indolens, unde propter mortificationem imminentem fuêre factæ à perito Chirurgo nonnullę inciſiones, attamen ſuperveniente quoque copioſę ſeroſitatis alvi fluxu, minimè evaſit, ſed quinta die à febre, die nimirū decimâ quintâ Novembris *1693*. ab hac in ęternam vitā migravit.

Poſt mortem non pauca Materię aquoſę Copia ſpacio octo horarum effluxit, quę quidem unà ſimul cum eâ quæ emanavit ab inciſionibus arte Chirurgicâ factis ultimis quatuor diebus, dum febre laborabat pondus librarum octuaginta circiter ſuperavit, unde Brachium à ſcapula in humeri ſummitate reciſum, cùm ponderis eſſet librarum centum viginti, facta computatione cum ſupradicto fluido jam effuſo,librarum circiter ducentarum pondus ęquabat, & cùm reliquum Cadaver, excepto brachio. libras centum & viginti penderet, hinc tumidum Brachiū totius corporis pondus ferè duplum attigiſſe manifeſtum eſt.

Tumoris figura erat ſimilis maximo Utri repleto, & ex uno latere aliquantulum depreſſo, quo nonnulli utuntur pro aſportando Oleo, cujus magnitudo, dum viveret, per circumferentiam erat palmorum, loquendo de Romanis Geometricis, undecim & digitorum quatuor, & ſecundùm noſtram menſuram Senenſem, vulgò dictã, *Braccio à Canna*, quatuor æquabat menſuras cum quarta ejuſdem parte. Ejus diameter in parte magis lata continebat quatuor palmos, & digitum unum, hoc eſt unam ex noſtris menſuram cum dimidiâ. Diameter verò in parte minùs lata tres palmos, & digitos duos, ſeu menſuram unam Senenſem, & ferè quartam ipſius partem, & in profunditate in loco nimirum elatiori deſumpta, palmum unum & digitos quinque, ſeu dimidiū ex noſtris Senenſibus cum quinta totius menſuræ Parte continebat.

Hinc totum Brachium ſuper Tabulam Anatomicam depoſitum,fuit nudis oculis obſervatū continere Cuticulę, & cutis poros admodum dilatatos & inter ſe plurimùm diſtantes,per exquiſitum autem Microſcopium pori videbantur latiſſimi, unde Cutis ſubſtantia Retis latiuſculam texturam repræſentabat, ſubſtantia verò, quæ inter poros nudis oculis apparebat ſatis denſa, mediante Vitro oculari ad inſtar ſtipatæ retis contextę, nec non cum quibuſdã laminulis albis inter ſe densè complicatis, & cum liquore gelatinoſo cōgeſta fuit obſervata. Atque interim glãdulę conſpiciebantur conſueto majores,& inter ſe diſtantiores, ac tandem Rugę, ſulci, & Areę, nec non reliqua ex accuratiſſimo Malpighio in ipſa cutis ſubſtantia detecta, ſolitò majora apparuere. Inde verò factâ per Cultrum portionis Cutis ſeparatione, medietatis digiti craſſitiem ipſa Cutis ęquabat, & ſtatim aqueus liquor cœpit ſtillatim effluere, qui quidem ulteriori procedente inciſione, magis, magiſque profluebat: Unde factâ dilatatione pluribus inciſionibus per totam humoris molem, ſubſtantia ipſum componens obſervabatur mēbranoſa, porulis latis,ſed limpido humore repletis, plurimiſque hydatidibus interſperſis, nec non vaſis lymphaticis admodum dilatatis, ac lymphâ turgidis, & per totam ſubſtantiam membraneam diſperſis, ex pluribus pelliculis mucillaginoſis conſtructa. Inter Lymphica vaſa & memoratas membranulas, Lobuli conſtructi erant ex Veſiculis, ſeu adipoſis ſacculis, qui adipe repleti inter ſe inęqualiter, modò majori, modò minori diſtantiâ diſpoſiti ac disjuncti cernebantur, ita ut inter unum, & alterum Lobulum plurimis ſacculis compoſitum nulla eſſet ęqualis diſtantiæ, vel ſpacii proportio. Hi Lobuli adipoſi, ſi fuiſſent uniti, compoſuiſſent craſſitiem ſolummodò membranæ adipoſæ, quæ in parte Brachii non tumida pollicis

pollicis craſſitiem non excedebat. Pręter dictos ſacculo adipe repletos, nonnullę minimæ glandulæ albicantes inter ſubſtantiam membranoſam diſperſæ conſpiciebantur. Vaſa atterioſa, & venoſa, quæ per dictam ſubſtantiã rariſſimè diſſeminabantur, erant adeò exilia, ut oculum effugerent. Remotâ totius molis ſubſtantiâ, quæ in omnib' partibus eandẽ & conſimillimã conſtitutionẽ, quam deſcripſimus, ſervabat: circa cubitum tam in parte interna, quã externã, mẽbranea ſubſtantia majori cũ denſitate & craſſitie fuit reperta, unde difficiliorem patiebatur inciſionem, atque hinc mẽbrana carnoſa, & muſculi omnes per totum brachium ferè in naturali conſtitutione, præterquam quòd aliquantulum tumidi, & albicantes, fuêre obſervati; Arteriæ quoque, venæ & nervuli erant naturaliter conſtituti, quæ omnia à Tumore jam deſcripto taliter circumdabantur, ut brachium ferè in ejus centro permaneret abſconditum. Liquor, qui per plures inciſiones factas affluenter è tota mole ſtillavit, pependit libras centum ſexaginta, unde moles carnea ad libras ſolummodò quadraginta fuit redacta, & tunc ſubſtantia ejus interna apparebat ſubſtantiæ Uberis Vaccæ non lactantis conſimilis, aut Mammarum muliebrium, ſed minus glanduloſa conſpiciebatur, quæ quidem poſt liquoris mucilaginoſi expreſſionem ad libras duntaxat viginti & prorſus exſiccata ad ſeptem, aut octo circiter fuit redacta; unde quælibet libra Tumoris poſt exſiccationem, dimidiam tantùm unciam æquavit; Materia verò aquoſa, quæ emanavit ex Tumore, erat limpida, ad ſaporem inſipida, cum aliquali ſalſedine, & igni expoſita, ad inſtar ſeri ſanguinis, aut albuminis Ovi, brevi temporis ſpatio evadebat albicans & condenſabatur, atque hinc ſaporem albumini ovorum cocto conſimiles guſtantibus inducebat.

Tumor Pedis monſtroſus.

Clariſſ. Joh. Victoris Jægerſchmidt. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 2.

Criſtophorus *Scher* ruſticus in *Sanſpach* Dominatûs Wiſenſteigenſis, habebat dextrum pedem uſque ad genu ingenti tumore affectum, magnitudine medium corpus hominis ferè ęquantem, quem per multum temporis ſpatium, ingentem ob molem, ampliùs tolerare nequiverat, de illius amputatione conſilium iniit, eôque Chirurgis patefactô, quoniam jam multa à multis Medicis & Chirurgis omnia quamvis incaſſum adhibita, illum ut amputarent, inſtanter rogat, quapropter illius precibus ut ſatisfieret, per ſupra genu amputatus erat, qui ponderatus ſexaginta libras habebat, cumque ulterius incideretur, gelatinæ pedum vitulinorum ſpeciem referebat, neque carne neque ſanguine in eo repertis, pręterlapſis aliquot diebus, fato functus.

Tumor brachii & manûs inſignis.

Clariſſ. Lucæ Schrockii. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 2.

Notatus in principio harum Ephemeridum ab Excell. D. Gabriellio Caſus, hiſtoriam alterius à me obſervati ut hîc recenſeam, perſuadet; Matronę ſcilicet quinquageſimum ætatis annum ſupergreſſæ, quæ ſanguineâ conſtitutione & inculpatâ ſanitate prædita, inque conjugio ſterili, menſtruo fluxu ordinato olim gaudens, à multis annis in mamma ſiniſtra tumorem durum, ex papilla ichorẽ abſque moleſtia nonnunquam fundentẽ, nullâ, quantùm recordabatur, cauſâ externâ prægreſsâ, ſenſerat, qui cùm increſceret, à continuato Emplaſtri Saturnini Mynſichti, aliorumque internè ſumptorum, reſolventium ac ſanguinem depurantium remediorum uſu, ſenſim diminui, ac tandem omninò evaneſcere cœpit, ipſa mammę ſubſtantiâ unà penitiùs diſparente, ut cutis reliquo corpori ibidẽ ęqualis, niſi quòd rugoſior eſſet, appareret, ipſaque belliſſimè valeret. Sed A. 1689. m. Majo cum febre continua dolore, & inflammatione, tumor ſub axilla ſiniſtra obortus, tandem in abſceſſum abiit, ex quo multùm ſeroſæ ac purulentæ materię cùm effluxiſſet, ex arte, non neglectis etiam internis remediis, iterum conſolidatus fuit. Anno tamen ſequente, tempore æſtivo brachium ſiniſtrum tumidum & quaſi œdematoſum evaſit, ſed ab adplicitis diſcutientibus ſenſim ad priſtinum ſtatum rediit. Quamvis paulò pòſt denuò, magis tamen in parte inferiori, in cubito nempe, quàm in ſuperiore vel humero intumuerit, ipſamque etiam manum cum inſigni duritie tumor occupaverit; qui equidem non omnem tangentis manûs impreſſionem ſubterfugiens, ad ſcirrhoſam tamen duritiem magis inclinabat, atque indies magis magiſque, in ipſis etiam digitis in immenſam molem diſtendebatur, ac durior evadebat; ut brachium illud monſtroſum, quod in Guilelmi Fabricii Hilni Centuriâ 4. Obſerv. chirurg. 69. delineatum ſiſtitur, referret. In digitorum interſtitiis, utplurimum ex poris viſui non patentibus multùm ſeri, interdum limpidioris, modò etiam craſſioris, quandoque & acri odore nares ferientis, nunquam tamen exulcerationem inducentis prodiit: quo largius fluente, manus nihilominus priſtinam molem ſervavit, brachium autem, quod non adeò durum erat, nonnihil interdum ſubſedit; nullo interea dolore urgente, niſi quem oborta, vel ab Emplaſtris Galbano ſimilibuſve reſinoſis permiſtis, vel parca vini deguſtatione, aut etiam ſtomacho ab adſumpto paulò difficilioris digeſtionis cibo gravato, inflammatio, facillimè ſuccedens & ęgriùs abigenda, nonnunquã excitabat; mole tamen ſuâ & pondere, ac immobilitate multùm moleſtiæ inferebat. Interea cuncta, quæ ars ſuggerere poterat, in uſum ducebantur, & juxtà cùm ſanguinem ac ſerum depurantibus atque attenuantibus, humoris etiã ſeroſi diminutio purgantibus, diureticis, diaphoreticis, quin & moderatâ per Mercurium dulcem ſalivatione intendebatur: quæ equidem operationes ſuas ex voto, aſt ſine ullo partis tumidæ decremento, peragere videbantur. Externè, præter fonticulum, emplaſtris, unguentis, fotibus ſiccis humidiſque, cataplaſmatibus, ſpirituoſis liquoribus &c. diſcuſſio, reſolutio, emollitio, aut etiã ſuppuratio, ſed fruſtra, tentabantur; quę & ipſis partibus tumẽtibus adplicabantur, & tandem ſub axilla quoq; (ubi A. 1692. M. Febr. denuò leve inflammationis indicium, cum ſeri viſcidi exſudatione, obſervabatur,) ad viã ſtagnanti ſero purandã imponebatur. Et quãvis difficillimã vel nullam hujuſmodi ſcirrhi curã eſſe ſcirem, cuncta tamen, collato etiam cum aliis præclaris Medicis conſilio, experiri, quàm ægrotam, ſine remediis eſſe quæ recuſabat, derelinquere malui. Uſque dum A. 1693. M. Februar. difficilis reſpiratio, cum aliquali caloris pręternaturalis ſenſu, & pulſu intermittente, neſcio ex qua occaſione vel cauſâ externâ, & quod mihi videbatur, ob ſanguinem in corde polypoſam concretionem ſubeuntem, accedens eandem, medicamentorum tandem pertæſam, intra paucos dies valde debilitaret, ipſaque inopino animi deliquio oppreſſa placidè exſpiraret.

Uti verò noſter hic tumor in brachio œdematoſis accenſeri, in manu autem ſcirrhos inter reponi meretur: ita cauſam utriuſque, ſtagnationi lymphæ, glanduloſam cutis ſubſtantiam, ſubjectaſque fibroſas partes extendentis atque exhalantibus tenuioribus particulis, viſcidiores hinc eò magis concentratas & coëuntes ſervantis, imputandam eſſe judicavi; cujus motus à vaſorum lymphaticorum in brachio ad axillares induratas, compreſſione vel obſtructione, ſufflaminabatur;

tur; ita ut lympha à manu & brachio aliàs naturaliter reflua, ſanguini reaffundi cordique inferri prohiberetur. Utrum exſuperantes acidas coagulantes lymphæ particulas, quæ accuſari in ſimilibus tumoribus ſæpiùs ſolent, ſimul hîc producere debeam, hæreo; præſertim cùm mihi perſuadeam, quòd eædem diuturna ſtagnatione concentrari & acriores magis reddi, atque inſignes excoriationes ac dolorum moleſtias inducere debuiſſent; id quod tamen non contigit. Ipſum manûs brachiique poſt mortem ſcrutinium denegatum, conjecturis meis uberiùs diſcutiendis obſtitit.

Tumor Scroti cancroſus, cum teſticuli extirpatione, ſanatus.

Clariſſ. Joh. Acolathi, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 4.

Senſerat à multo tempore Theologus, in Ducatu Olsnenſi nobis vicino, Vir probus & doctus annorum 46. habitûs obeſioris, tuberculum in dextrâ ſcroti parte enatum, quale deſcriptum videre licet in Marc. Aurel. Severini aureo de reconditâ abſceſſuum naturâ Tractatu lib. IV. Cap. IX §. 18. p. m. 201. Concolor idem reliquę ſcroti ſubſtantiæ: parum ſollicitudinis ab optimo viro ſibi vindicaverat, uſque dum Anno 1692. menſe Decembri, mutata ejus facies, in nigrum vergeret. Tum malè ſecum agi auguratus, ad Medicum properat, ex cujus ſenio, uberes prolixę experientiæ fructus ſe lecturum, confidebat, ejuſque conſilio nixus, fila cruda ex lino contorta (*rohes Garn*) lacti incocta, ſedulus affecto loco applicabat. Tum verò, quieſcens intra tuberculi (vel penitus, non attingendi, vel orbiculatim mox exſcindendi) parietes, malignum fermentum, intempeſtivè motum, oras tranſcendere, atque in majorem molem extolli cœpit. Ejuſdem Medici juſſu, cùm validè compreſſus tumor crepaſſet, aliquot libris emetienda hæmorrhagia ſucceſſit quàm horrenda labiorum inflatio, livor, & cum intolerabili fœtore mortificatio, exceperunt. Jam demum ad ægrum evocatus ad adſpectum ſcroti capite humano majoris horreo, labia ulceris inverſa, aliquot pervia foraminibus, magnam partem omnis expertia ſenſûs, varios inſuper offerebant ſinus, ichorem fundentes, turpiſſimæ ſentinæ fœtore graviorem. Nulla hîc efficacis Medicinæ præſidia admittebat remotus ab urbe locus, ad quam negotia eadem die me revocabant, uſque dum propior mihi ęger, conſiliis accurate ſublevari poſſet. Juſſus itaque ad urbem deferri, requiſitis pro circumſtantiarum ratione medicamentis, interea ſuſtentabatur ulcus decocto abſynthii, Centaurii minoris, Myrrhę, Aloës, Olibani, Camphorę &c. Sinubus injecto, eluendo, cavitateſque plumaceolis eodē imbutis, implendo, totâ poſtmodum mole, linteis, decocto nigro, cui ſpiritûs vini partem addideram, imprægnatis, involutâ. Internè humores acriores temperantia, reſolventia, Balſamica blanda &c. propinabantur. Moram non ferente malo ulteriorem, ad urbem ubi deventum, quicquid ſphacelati aderat labii, omne quàm profundè licebat carnem aggredi ſanam, reſcindi jubeo, quaquaverſum candente ferro applicato, ut inſigniorem hæmorrhagiam compeſcerem, & ſi quę abſconditę laterent cancroſi fermenti reliquiæ, radicitus evellerentur. Eſcharę unguentum digeſtivum Hildani ſubveniebat, Emplaſtro defenſivo rubro tectum, ambiente partes univerſas decocti nigri fotu. Cruſta poſt aliquot dies ſponte decidua, pus laudabile, cum colore carnis debito, comitem ducens, ſpes noſtras erexit, ſic, fore ſperans ut brevi ſanatio ſuccederet, niſi caro teſticulum dextrum involvens, inferiore ſui parte excreſcentia fungoſa deturpata, omnia medicamenta, ipſum denique ferrum ignemque ſuſque deque habuiſſet. His igitur, irrito conatu per aliquot hebdomadas adhibitis, totum illud teſticuli velamen reſecandum, ſtatuo, ne ſerpente ulteriùs ad interiora malo, hoſpitii culpam infelix hoſpes lueret. Tum judice viſu, quantitas lymphæ ſubflavæ, uncias tres excedens cum impetu proſiliebat, inferior autem teſticuli pars arctè integumento, eo, quo caro luxuriabat, loco adhęrens, cautè erat ſeparanda. Denudatus hac ratione teſtis nihil monſtroſi alere videbatur, unde balſamico fomento ab injuria aëris ſtudioſè præmunitus, eam expectabat fortunam, quâ aliis ſui generis obtigiſſe, Hildanus Cent. 5. obſerv. 76. Thiermayer Conſ. 1. p. 1. p. 106. Timæus à *Güldenklee* L. VI. Caſ. 32. Borellus Cent. 3. obſerv. 17. recenſuit. Contrariam autem rerum faciem poſtera exhibebat dies, quâ, non teſticulum tantùm inſigniter tumentem, ſed cancroſo inſuper fungo, per noctem enato, deformem, conſpiciebamus, manifeſtô indiciô, malignum hoſtem, ad ſecretiora hæc penetralia, jam tum fuiſſe admiſſum. Conſiliô proinde ex arenâ depromtô (cùm ab extirpatione teſticuli, ferrô perficiendâ, nimiâ ejus ad inguina factâ retractione, excluderemur) ligamento ſericeo rotundo, vaſa præparantia pedetentim conſtringebamus, nodo indies arctiore reddito, uſque dum nutrimentum omne interceptum, teſticulum penitus deſtitueret, brevi ſequente illius aridura, & caſu. Interim ab externo balſamice partium fotu, nunquam receſſimus, tenſum autem, ab exquiſito, quem ligatura inferebat ſenſu, abdomen oleo chamomillæ, Caſtorei, Verbaſci, Hiperici, Roſarum &c. aſſiduè unximus; Emplaſtrum defenſivum viride, illique ſacculos herbis anodynis atque reſolventibus, refertos, calidè ſuperimponentes. Difficilius tamen interna medicamenta ægro admittente, evitari non poterat quin ex diuturno decubitu, largioreque ſanguinis profuſione, cachecticam diatheſin, tumore pedum œdematoſo notabilem, corpus acquireret, quam Medicamento Salino-Balſamica, imprimis Eſſentia mumiæ Clauderiana, de methodo balſamandi corpora p. 196. deſcripta, interpoſitis amaricantibus atque martialibus, raro evacuantibus, tandem levabant. Sic magis magiſque priſtino redditus ſtatui æger, vires colligebat, ablati teſticuli veſtigium, firmâ carne obliterabatur, continuatus decocti nigri uſus, reliquum ſcroti tumorem diſcutiebat, ut pro deplorato ab omnibus habitum Paſtorem, Feſto Paſchatos, ad obeunda ſacra munia, Eccleſiæ ſuę, omnium cum admiratione, ſalvum & incolumen reddere per Dei gratiam licuerit.

Tumor pirguedine refertus.

Clariſſ. Eliæ Camerarii, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Quantâ haud raro incertitudine circa varias tumorum ſpecies verſentur Chirurgi de contentis dubii, ejus tota die praxis exempla exhibet, externa enim facie, conſiſtentiaque tactu explorata facilè ipſis imponi contigit, ut ſiquidem ſint cautiores, non poſſunt non hæſitare in cura iſtiuſmodi tumoris ſuſcipiendâ, ne temerè quidquam tentare videantur. Sequenti id caſu comprobatum exiſtimo. Vir ann. 30. duodecim abhinc & quod excurrit annis tuberculum fabam magnitudine æquans in exteriore dextri genu parte ſenſit, lento primùm gradu increſcens, ita, ut poſt plurium annorum decurſum juglandem magnitudi-

gnitudine non excederet, nec dolorem ullum niſi motu frigidaque aqua accedente (coriarius autem erat) excitaret. Menſ. Januar. 1695. (celeriùs jam aucto tumore) pugnum quantitate ſuperabat; quoſcunque verò & Medicos & Chirurgos adiit, ii quidem Emplaſtra ſimiliaque commendabant præſidia, ſectionem verò rumoris diſſuadebant uno ore omnes. Occupabat jam magnam femoris ſupra genu partem, eratque ea protuberantiæ durities, qualis glanduloſorum tumorum eſſe ſolet, cùm, nactus tandem qui apertionem ſuſciperet Chirurgum. Menſ. Jun. 1695. in eminentiore tumoris parte inciſio inſtitueretur, extillabat ſanguis haud paucus, hians verò vulneris orificium, pinguedine copioſe protruſa, puris expectati loco explebatur, cujus, cochlearis ope non exigua portio lenſim abſque dolore exempta fuit. Increvit mox majori celeritate tumor latiuſque terminos ſuos extendit, exundante liberius indies pinguedine, acceſſit ingenti tumori, & quâ parte patebat horrido, totius tabes, cordis vehemens palpitatio, laſſitudo ſumma & debilitas &c. quæ tamen aliquandiu medicamentis repreſſa ſunt. Cæterum irriti erant in curando tumore tum Chirurgorum, tum (quod fieri ſolet Agyrtarum conatus, aliis Emplaſtra, aliis ex naſturt. aquat. Cataplaſmata, aliis alia ſuadentibus.) Cùm verò in tumore coërcendo fruſtrà laborarent, itum eſt quorundam conſilio ad corroſiva, admotumque arſenicum, nitro, ut ajunt, correctum, quod tamen largiſſimâ & contumaci hæmorrhagiâ inſequente in tempore removendum erat. Brevi alius tonſor eum invaſit, atq; unà cū aliis externis internisque remediis aliquam, quod adſtantes referunt, admovit aquam, quę nunquam abſque ingenti dolore applicabatur, recurrente unà ſubinde à motu hæmorrhagiâ. Iſthęc verò brevi dolorificę quędam colli conſtrictiones, linguæ impeditus motus, voceſque inarticulatæ ſequebantur, dehinc tenſivi dorſum dolores occupabant, ſenſim vox intercipiebatur, concutiebatur corpus, urgebant dorſi dolores, maxillam porrò ſpaſmodici motus agitabant, ſicque convulſus tandem rigiduſque obiit. Aliquot verò ante obitum diebus, horrenda ulceris facies, immanis fœtor, atque rubedinis loco cœruleus livor ſucceſſerat. Incuſabat Chirurgum qui tumorem audaciùs aperuit defuncti uxor, ipſique actionem intentabat, quâ lite effectum eſt, ut loci Magiſtratu judicium ea de re meum expetente, ſectione inſtituta contumax tumor peniriùs inſpiceretur. Ea verò ſe facie ſecanti tumor, haud adeò durus tactui viſus, obtulit: occupaverat non genu ſolum ſed mediam quoque & quod excedit femoris partem, pede infra ſupra tumorem eadem cum univerſo corpore, macie & tenuitate conſpicuo, non verò æquabili intumeſcentia affectam partem vidimus tumidam, ſed & in interiore genu parte & in exteriore cum primis, primâ mali & tuberculi ſede, multùm eminebat ingens protuberantia reliqua ſuperficie longè elatior, cui & in inciſione vulnus inflictum erat, fœda mollique & ſanioſa pinguedine nunc hians atque turgidum. Separatis ſollicitè cute atque muſculis, ſtupendam iſtam partis affectæ molem non niſi pingui materiâ conſtare oculis patuit, (ſi excipias purulentæ ſaniei, ſtagnantiſque inter corruptos circa medium femur muſculos, ſanguinis quandam portionem) ordinariam verò pinguedinis conſiſtentiam, utpote mollior, non referebat. Plurimis quaſi alveolis incluſa erat, è quibus nullo negotio exprimebatur; iſtius verò pinguedinis pars in medio femoris (circa genu nulla corruptione conſpicua) unà cum inſignibus quorundam muſculorum portionibus computruerat, eandemque ſortem vaſorum ſanguivehorum minores rami (truncis adhuc integris) experta erant; tantaque pinguedinis & incredibilis moles non muſculorum modò interſtitiis intruſa eos violentè diſtenderat, ſedibuſq; ordinariis deſturbaverat, ſed & in ipſâ oſſis femoris cum fibula tibiaque articulatione ſub patellam, in oſſis femoris inferiorem ſinum, interque omnes loci iſtius tendines membranaſque ſeſe copioſiſſimè inſinuaverat. Hæſerat verò primùm tuberculum (ſectione id nunc oſtendente) circa internam atque inferiorem oſſis femoris protuberantiam, ubi cartilago deſinit, & quamvis durior ea in regione tumoris ſubſtantia fuerit, nulla tamen ibi aderant corruptionis veſtigia, ſed quantùm licuit aſſequi in tendinosâ membranâ hæſerat tuberculum. Oſſis femoris duæ tertiæ partes flavebant, non ſolum p. n. ſed & eroſæ ſcabræque comparuerunt, excavatis corroſiſque, in infimâ maximè oſſis parte juxta cartilaginis marginė, profundis ſulcis creberrimiſque foraminibus, totaque ſuperficie admodum aſperâ redditâ; nulla tamen carioſâ nigredine oſſis ſubſtantiam fœdante. Quodque obiter addere lubet, pulmones dextro lateri firmiter adnati atque ex cœruleo lividi, tenaces valde atque ſicci conſpiciebantur, veſiculis aëre turgidis. Cordis ſummè flaccidi ventriculi ſanguine (ut totum ferè tabidum corpus) deſtituebantur. Hepar durum lividumque conſpeximus &c. Ita ſcilicet rupto ſemel vaſculo, & pinguedinis quadam portione ſuis elabente utriculis, prima tumori fatali anſa data videtur, qui tardiùs primùm robuſtis adhuc fibris fortiter reſiſtentibus increvit, uſque dum cedentibus iis tandem, & ſectione ſpatium concedente, liberiùs in interſtitia effunderetur (pari ratione ac in Hydrope ſemel patente Lympha uberior in cavitates depluit) ſubducebatur hac viâ ſanguini corporiſque univerſę machinæ balſamico-oleoſa, blanda, & melior portio, unde preſſo pede lenta febris, tabes & (deficiente Salium moderamine) acrimonia, cordis palpitatio, laſſitudo ſumma non potuit non inſequi, tandemque, accedente hæmorrhagiâ, acribus remediis, ipſaque ſaniei in ulcere acritudine, nervis laceſſitis convulſiones colophonem miſerię impoſuerunt.

Tumor fungiformis ſupra dextrum genu fæliciter curatus.

Clariſſ. Joh. Mauricii Hoffmanni. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Tumor hic genu dextrum Illuſtriſſimæ Comitiſſę NN. obſederat per biennium & medicamentis non ſolùm, ſed & pręſtigioſis remediis atque incantamentis cedere renuerat, ita ut ſpem medelę futuræ omnem abjecerit; idem verò magnitudine ovum gallinaceum fermè æquaverat, albus, inſenſibilis, & contactui ſpongiæ inſtar obſequens: Illo igitur viſo cùm ſciſſitatus eſſem, num ex contuſione aut lapſu, aut contorſione violenta enatus fuerit, nil autem horum præceſſiſſe reſciviſſem, culpam attribui genubus propter preces religioſas diutiſſimè flexis, & ideò fibrillis genu afflictum tegentibus membranaceo-nerveo-tendinoſis ruptis ac divulſis, indeque ſubſecutâ lymphæ effuſione & coagulo. Applicandum igitur ſuaſi Emplaſtrum mixtum ex Malactico Emplaſtro & Cerato de galbano crocato Mynſichti, ſic paulatim tumor ſubſidere cœpit tandemque evanuit. Emplaſtri malactici compoſitio ſeq. in modum ſe habet. ℞. Olei communis ℥iij. in his coque ceruſſę pulveriſatę ℥iij. Dein admiſce Reſinæ pini ℥iiij. Ceræ ad lentum ignem liquefactæ ℥j. gummi galbani, ammoniaci in aceto ſoluti, myrrhæ pulveriſatę an ℥ß. M. f. l. a. Emplaſtrum. Ceteroquin utriuſque nominati Emplaſtri amico fœdere juncti ope Emphyſema in Olecrano ex alliſione vehementiori ad pavimentum lapideum factâ, exortum brevi curavi, imò ſolo etiam malactico imminentem ſtrumarum deformitatem in aliquot feminis anteverti.

Tumor

Tumor axillæ prægrandis infœliciter curatus.

Clariſſ. Joh. Georgii Hoyeri Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Fœmina 54. annos nata phlegmaticę conſtitutionis & vitę ſedentariæ dedita, quin etiam collo ſtrumoſo multis ab hinc annis deformata, pręciſis ſubitaneis terroribus, curis & afflictionibus variis, ante annum & quod excurrit, tumorem circa ſcapulæ ſiniſtrę regionem verſus axillam protenſum obſervat, ſine doloris & ſine moleſtiæ ſenſu. Fallente igitur ἀπάθεια, nihil periculi ſubeſſe putans, negligit illum imò ulteriùs de eo ne quidem cogitat. Hebdomadis aliquot elapſis manum forte admovens ad ovi gallinacei formâ & molem excreviſſe tangendo notat: Brevi poſt ad pugni duplicis magnitudinem auctum, ſingulîſve diebus incrementa capientē, non ſine mentis perturbatione animadvertit. Ideoque jam & nunc eò ardentius proficua remedia quærit, quo magis magiſque motum brachii ſiniſtri depravari, dolorumque faces ſimul accendi ſentit. Adhibita ſunt emplaſtra & cataplaſmata, queis Chirurgi ſolent uti, varia ſine ſucceſſu, tumore nihilo ſeciùs indies creſcente: Ex meo denique conſilio purgantibus phlegmagogis mercurialibus & ſudoriferis, antimoniatis, cinnabarrinis fortioribus, emplaſtris reſolventibus, item de ranis Vigonis cū mercurio aliquandiu continuatis, non quidē increviſſe, parum verò decreviſſe notatus. Non deſiit alia plura ab aliis Celebrioribus Chirurgis hinc inde conquiſita in uſū vocare: Sed in caſsū fiebant omnia, indies adaucta mole plures libras jam ponderante. Parum aberat quin deſperarē de rebelliſſimi tumoris curatione, memor obſervationis 1. Ann. 2. Decur. iij. Ephemeridum N.C. ab Experientiſſimo D. Pyrrho Maria Gabriele communicatę. Quare ut prorſus intactum relinqueret tumorem talem ac patienter ferret, quod mutari vix poſſet, ſuaſor eram. Enim verò empiricus quidam afflictiſſimæ, quæ intra annuum ſpatium tanto tumore veluti ſarcinâ quadam preſſa, ſpondet auxilium. Huic credulas præbens aures ſummo cum deſiderio juvamen expectabat. Proleſcit enim ſicuti pluribus aliis in locis, ita & ſic prava conſuetudo, ut cuivis agyrtæ vel circumforaneo thraſonico fides habeatur major quam noſtratibus Medicis Experientiſſimis, pręſertim ſi fortè fortunâ curatio quędam ſucceſſerit. Curam itaque ſuperſtitioſo quodam magnetico remedio ſine ſucceſſu tentans, cauſtica attrahentia & corrodentia vocabat in uſum: Quibus mediantibus eroſa & abraſa ſenſim cute, tumorem oblongum ſubligatum & hinc magis magiſque pendulum factū, audax agyrta ſine ope cultelli ſolis manibus ſeparabat ſeptem libras civiles ponderantē. Sanguinis verò & lymphę copiâ, tum durante eroſione, tum poſt ſeparationem effuſâ quinque librarum civilium pondus exſuperabat. Tumor ita ſeparatus tetrum ſpirans odorem, diſſectus anatomico cultello ex glomeraminibus glāduloſis fermè innumeris magnitudine variantibus (quorum ſubſtantia axungiæ humanæ ſive potiùs adipoſę materiæ conformis admodum) compoſitus erat. In glomeraminum illorum interſtitiis, pluribus fibris & ductibus quaſi refertis, ſerum quoque ad inſtar albuminis ovi conſpiciendum: Admiratione dignum aberrantem naturam, à ſarcinâ dictâ quidem liberatam, nihilominus alimento vitiato parti ſaucię tam curioſè proſpexiſſe, & ſic nova quaſi glandularum glomeramina majuſcula & minora ſub vicina cute quotidie in tanta copia progeneraſſe ut vicibus iteratis eadem ſeparare neceſſum haberet empiricus, qui de ſeparatione dicta fruſtraneos egerat triumphos. Neque enim ullis remediis defendere poterat ulcus cancroſum ab affluxu & effluxu materiæ vitioſæ & glomeraminum illorum glanduloſorum generatione. Appetitum toto curationis tempore ſentiebat auctum & hinc quævis oblata eſculenta & potulenta avidè abſorbebat. Inde verò reliquis corporis partibus parum vel nihil nutrimenti accedere, quin potiùs macie ſenſim conſumi, omnem verò ſuccum nutritium ad partem ſauciam & cancroſam ferri notabat & quaſi ſentiebat. Ulcus interea temporis longè lateque vicinas arrodebat partes, adeò ut ab axillis infra os ſcapulę ad coſtarum regionem protenſum notaretur: Quin imò cùm ne minima ſpes ſalutis affulgeret, miſeræ per ſex menſes crudeliter ſæpe diſcruciatæ novæ & lethales afflictiones ſuperaddebantur. Nam præter fœtorem intolerabilem quem putrilago cutis & ſubjacentis muſculoſæ carnis ſpirabat, novi tortores accedebant dolores, inquietudines & vigilias cauſantes. Hinc lipothymiis, nauſeâ, vomitu, ſingultu, viribuſque ſummè proſtratis ſubſequentibus animam Redemptori ſuo tandem committebat.

Tumor in axillâ ad cubitum uſque propendens in ſeptuagenariô feliciter extirpatus.

Clariſſ. Joh. Pauli Wurffbainii Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Anno 1696. in Noſocomium Novimbergenſe Spiritui Sancto ſacrum, receptus eſt civis quidā pauperculus filorū ferreorum ductor. *ein eiſſerner Dratzieher* nomine *Magnus Erhard*, Anno ætatis ſuæ LXIX. à cujus brachio dextro ab oſſe humeri & ſub cavitate axillari ad cubitum uſque, Tumor propendebat Capitis magnitudinem excedens, ventriculum ſuillum quoad figuram externam aliquo modo referens: Hic Muſculo brachii bicipiti adnatus, totum ambiebat brachium, & radices ſuas in Muſculum Brachialem externum, ſeu gemellum majorem, inque Brachialem internum & Deltoidem, uſque ad bicipitem alterius lateris extendebat, variis vaſis ſanguiferis intertextus, & quod mirum, hactenus mole ſua ſolùm moleſtus, quem ob viri ætatem & Venarum tam magnitudinem quàm multitudinem maximè axillarium vicinitatem, intactum relinquere primùm viſum fuit.

Sed cùm A. 1697. Menſe Septembri præviâ inſigni tumoris hujus inflammatione ſpontaneâ, magna vaſorum horum oborta eſſet hæmorrhagia, Præ-Nobiliſſimo atque Excellentiſſimo Dn. D. Scheurelio Collegii Norimbergenſis Seniori primario & Noſocomii ibidem ad Spir. Sanct. Medico ordinario, Dn. Collegæ & Fautori meo honoratiſſimo, rectius eſſe viſum fuit, cum Medicorum Cicerone Celſo, anceps adhibere conſilium quàm nullum; Expertam hinc manum ſuam operi admovit dextre, Daniel Robertus noſter, Chirurgus ibidem ordinarius exercitatiſſimus, & fundo utriusque lateris abſceſsûs hujus proximè à Muſculo bicipiti & Deltoideo ſecundùm longitudinem, cauſticum admovit potentiale, tanto effectu, ut vena etiam (ceu ex cruore extracto innotuit) ſex horarum ſpatio corroſa, obque inductam Eſcharam, ſanguinis ſimul profluvium cohibitum fuerit: Eſcharam verò inunxit Balſamo ex Terebinthina Veneta, Vitello Ovi, Croco, Gummi Elemi oleoque Hyperici parato, vulnuſque artis lege deligavit.

Elapſis aliquot diebus, applicatio Cauterii denuò fuit repetita, & quidem in ſuperficie cutis tam ſub brachio, quàm verſus cubiti regionem: exoptato, exinde ſubſecuto effectu, ſeparabatur his ipſis in locis cutis, & denudabatur ſimul tumoris interior ſubſtantia, quæ ex parte faſciculum inteſtinorum convolutorum, ex parte verò lobos, quaſi pulmonum mentiebatur; omnia verò bene multis venarum & arteriarum ramulis erant intertexta.

Hinc

Hinc acus incurvata, qualis Herniotomis in uſu eſſe conſuevit, funiculo ſericeo inſtructa, circa vaſorum horum fundum, ſumma cum cautione variis in locis, imprimis verò ad tumoris radices adacta, ipſaque vaſa modò dicta, funiculi hujus ope fortiter contricta fuerunt.

Finito jam decennio magnus obortus eſt fœtor, à putredine partium carnoſarum & glanduloſarum, ſanguiniſque ope ligamentorum, intercepto motu, ortum ducens, quæ cùm in dies magis magiſque ipsâ Chirurgi manu scitè ſeparata fuiſſet, ſub ipſius axillæ cavitate ipsâ, Abſceſſus hujus radix principalis in conſpectum venit brachii craſſitie, quæ variis in locis, mediante acu ſubducto filo, fortiter ligata fuit.

Decimam tertiam cùm æger ſupervixiſſet noctem, circa proximè inſequentis medium ob inopinatò exortam hæmorrhagiam vocatur Robertus noſter Chirurgus, qui repentè advolans, obſervavit filum ob partium circumjacentium putredinem injectum, quodam in loco relaxatum fuiſſe, ſicque venulam quandam hiantem, ſanguinem huncce ſtillaſſe, cui crepitum, ut vocant lupi impoſuit, cumque levamine exoptatiſſimo forti firmavit ligaturâ, Ægro de intolerabili fœtore, & faucium ſiccitate valde querulo: Quibus cum à Medico Xenodochiano Ordinario Excellentiſſ. Dn. D. Scheurb convenientibus proſpectum fuiſſet remediis, d. 15. Septembris ad ipſum ſeſe accinxerunt opus, & auditâ priùs concione matutinâ, totum hunc tumorem digitorum ope, quantum potuit, ſeparavit Chirurgus, reliqua forfice, ſine tamen magna hæmorrhagia abſcidit, cutimque partibus denudatis ritè iterum impoſuit, Emplaſtriſque firmavit, ut ſuppuratione tandem feliciter abſolutâ, vulnere conſolidato & clauſo, Patiens LXIX. jam ætatis ſuæ anno, cùm à tumore hoc ſeptem ponderante libras civiles, quem magnâ moleſtiâ per integros viginti annos geſtaverat, penitus liberatus ſit, hodienum ſine incommodo vivat.

Tumor ex pudendo fæmineo, feliciter ablatus.

Clariſſ. Joh. Mauricii Hoffmanni. Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Cum Chirurgi in extirpandis tumoribus experientiſſimi Dn. Johan. Michaëlis Sutorii τὴν χεῖρα πρακτικὴν feliciſſimam aliquoties ipſe obſervaverim, & teſtari poſſim: memoratu dignam quoque cenſui obſervationem ſequentem ab illo communicatam. Quinquennio ab hinc femina trigenaria virgo tum ſat matura viro, plenis jam nubilis annis ſenſit juxta orificium vaginæ uterinæ extremum in ſiniſtro latere tumorem duriuſculum, qui, cùm illa poſtea per matrimonium viro juncta eſſet, ad magnitudinem pruni Damaſceni excrevit, poſtea autem anteriora verſus ſimul amplior factus συνουσίαν connubialem intercepit, ſucceſſu autem temporis per inſecutum triennium tantum ſumſit incrementum, ut triginta unciarum civilium pondus adæquaverit; ſuſtulit nihilominus miſera mulier gravem ejuſmodi molem magnâ animi conſtantiâ, & hancce quidem eò magis moleſtam, quòd inter crura pendula ingreſſus facilitatem remoraretur, tandem autem cùm morbidus ille tumor in medio ſponte rimam egiſſet, & caro inde propullulans fungoſa putris carcinoma futurum minata eſſet, laudati Chirurgi opem implorare coacta eſt. Hic verò inſpectione inſtitutâ, ſituque & nexu tumoris priùs exactè explorato, ab interiori vaginæ tunicâ ultra modum extensâ & labio pudendi ſiniſtro, impoſito ex arte cauſtico ſuo probatiſſimo ſenſim feliciter ſeparavit, vulnuſque relictum ſpatio unius menſis optime conſolidavit, adeoque ægram ſanam & habilem ad concipiendum reliquit.

Tumores pedum monſtroſi.

Clariſſ. Danielis Nebelii, Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Virgo ſedecim ferè annorum, quæ ob præclaras animi dotes omnibus magnam de ſe ſpem fecerat, & ob roſeum faciei colorem integra ſanitate frui videbatur, anno MDCXCVII autumnali tempore per febrilem ſanguinis motum in crure dextro ſupra genu tumorem contraxit, ovi magnitudine doloriſicum & cuti concolorem, qui ſemet latiùs paulatim extendens intra ſpatium quatuor menſium (quo præter interna ſudorifera volatilia & externa Spirituoſa diſcutientia & exſiccantia nihil medicamentorum adhibitum fuit, virgine parentibus ob pudorem hunc affectum aliquandiu celante) totum femur occupavit, quod æqualiter tumidum & duriuſculum erat, venis per cutem ſerpentibus varicoſis. Acceſſit paulò poſt menſium ſuppreſſio & major cruris debilitas cum dolore indies accreſcente. Chirurgus femur inſpiciens in internâ & mediâ illius parte locum molliorem deprehendit, cui cataplaſma maturans & anodynum appoſuit, emplaſtro mirabili Ammanni quod in Cl. Joh. de Muralto operib. Chirurg. p. 723. deſcribitur, toti femori deſuper applicato. Præterea decoctum lignorum cum lixivio aperitivo Clauderi manè atque veſperi fuit exhibitum. Dolores primò in parte cruris molli & dein in toto femore, hinc magis aucti, fecerunt, ut die 19. Februarii MDCXCVIII. Tumor in parte molli lanceolâ fuerit apertus, profluente ſero cruento ad ℥iv. quod mox ſub aëre frigido in gelatinam concrevit, tumore prope genu nonnihil ſubſidente, quem ubi tunc primùm vidiſſem, conſimilem in Jobi à Meckren Obſer. Chirurg. poſthumis Cap. X. depictum reperiri indicavi, & ab eo tempore de proſperâ inveterati tumoris medelâ dubitavi, præſertim cùm talem tumorem femoris monſtroſum in puero nulla arte medica tollendum viderit & deſcripſerit Celeb. Wedelius in Ephem. Nat. Cur. Dec. I. A. III. obſ. LXIX. Inflicto vulnuſculo turunda immiſſa fuit, ſed quia ſeqq. diebus nihil ampliùs ſeri effluxit, idem brevi conſolidatum, femore ad ſeri diſcuſſionem oleo petræ & philoſophorum ſæpius inuncto, & adhibito ſimul cataplaſmate reſolvente ſpiritibus penetrantioribus imbuto, quibus tumor nonnihil emollitus fuit, & vulnuſculum reſeratum, è quo die 12. Martii ſeri cruenti ℔ß. circiter proſiliit & mox in gelatinam concrevit, veſperique ſub eadem fere quantitate effluxit, unde tumor paululum diminutus fuit & venæ varicoſæ nonnihil ſubſederunt, præſertim cùm indies aliquid ſeri ex vulnere promanarit. Petitum, tunc per literas fuit à celeberrimo Dn. D. Brunnero conſilium medicum, de quo in ſeqq. Poſt biduum ſellæ inſidenti ægræ vena varicoſa in infimâ cruris parte ſubitò diſrupta fuit, è qua ſanguinis ſeroſi menſura pluſquam dimidia profluxit, virgine mox animi deliquium patiente; obligatâ tamen venæ rupturâ, brevi ad ſe rediit, & mixturâ analepticâ refocillata fuit; Vires autem iſto ſanguinis profluvio ita debilitatæ erant, ut deinceps lecto ſemper incumbere coacta fuerit maximè cùm ex vulnere jam patentiore ſeri cruenti major copia quotidie non ſine fœtore prodierit. In conſilium itaque vocatus Cl. Dn. D. Schrood Phyſicus Marburgenſis expertiſſimus, qui mecum interna analeptica & ex-

terna epithemata putredini reſiſtentia debitè adhibuit & mortis periculum imminere prædixit, quoniam facies pallida atque collapſa, pulſus celer, debilis & inæqualis ſerumque cruentum ex vulnere majori copiâ & vehementiori cum fœtore indies profluens, id ſatis indicabant. Nec fefellit nos triſte præſagium, quia die 10 Martii poſt meridiem ſuperveniens lipothymia, omnem corporis ſenſum motumque ſuſtulir, ſuccedente morte placidiſſima. Altero die in crure inciſo magna cavitas reperta fuit, cruento & putrido ichore madens, in qua muſculi exeſi & ipſum os femoris ad medullam uſque in minimas particulas corroſum variiſque excreſcentiis oſſeis hîc illic inæquale viſum. Ex venis varicoſis aliquot polypi tenues atque prælongi extracti fuerunt. Paulò pòſt ſeriùs mihi allatæ Celeberrimi D. Brunneri reſponſoriæ Literæ, quas bonâ cum veniâ illius, mei hactenus Fautoris plurimùm colendi,
„ ut lectu digniſſimas, his annectere liceat: Caſum deſ-
„ cribis, de quo non viſo difficile eſt judicium Gra-
„ vis ſanè eſt & curatu difficilis ejuſmodi tumor, id
„ quod experiundo didici. Memini me talem vel con-
„ ſimilem vidiſſe Pariſiis, *à la Charité*, in quo percu-
„ rando Chirurgorum quos Gallia alit, dexterrimi ole-
„ um & operam perdiderunt. Conſimilem tractavi
„ Ravenſburgi in Suevia, ubi decumbebat Mercator
„ è Saxonia, cui uſque eò intumuit pes totus, femur
„ præſertim, ut planè monſtroſus apparuerit cum tan-
„ tis cruciatibus, ut intrantis greſſus vix, attactum
„ vel levem minimè ferre potuerit. Ruptus tandem
„ tumor circa genu fudit ſerum, quod in gelatinam
„ abiit, ad inſtar albuminis ovorum. Varia adhibita
„ fuerunt à variis & diverſis cùm Chirurgis, tum Me-
„ dicis, tandem advocatus, præter decocta lignorum
„ & imprimis ſalſæparillæ, dedi Turpethum minera-
„ le à gr. ij. iij. uſque ad V. alternis diebus, id quod
„ nec vomitum, nec dejectiones, nec phtyaliſmum;
„ ſed à quartâ, nî fallor, doſi, tantam cievit diu-
„ reſin (etſi viribus jam antè proſtratis, labiis in-
„ ſidentem tenebat mortem) ut nyctemeri ſpatio
„ ultra ſex aquæ menſuras per urinarias vias reddi-
„ derit, cum extrema debilitate virium, vicit tamen
„ natura; pes incatamenti inſtar detumuit; ulcera
„ fiſtuloſa circiter genu coaluerunt, & ita ferruminata
„ fuerunt extrema oſſium, ut diriguerint immobilia
„ per vitam. Quid ſi fruſtraneis omnibus aliis ean-
„ dem calcaris viam? imponendo foris Cataplaſma
„ *de quatre farines*, quod Galli vocant, cum aceto aut
„ ſpiritu vini paratum. Evolve ſuper hac materia Mor-
„ toni phthiſiolo 9. cap. de phthiſi ex ulceribus & fiſtulis,
„ quo potentiorem Medicum circa talia non inveni.
Hactenus vir prælaudatus. Conſimilem ferè cruris dextri tumorem ſeroſum, ſed medicamentis tandem, favente Divinâ Clementiâ cedentem, contraxit ante tres annos Vir Nobilis in viciniâ degens, qui defluxionibus catarrhalibus dolorificis ob ſeri acrimoniam obnoxius, & modò à talibus collum & fauces afficientibus liberatus, dum anno MDCXCIX. menſe Aprili ſub cœlo pluvioſo equo vectus unius diei iter fecit, ſenſit in media & externâ femoris dextri parte tumorem oviformem, digitis nonnihil cedentem & admodum dolorificum, abſque inflammatione ſubitò exortum, cui impoſuit emplaſtrum à Chirurgo in itinere datum, quod dolorem auxit & inceſſum difficiliorem reddidit, ſequente febre quotidiana intermittente, quæ quidem medicamentis brevi ceſſit, ſed tumor ex continuato emplaſtrorum emollientium & ſuppurationem promoventium uſu, nova ſenſim incrementa ſumſit, donec totum femur occupaverit cum inflammatione gravi & intenſo ardore atque dolore lancinante in femoris parte interiore. Die 14. Junii cum Dn. D. Schrood in conſilium advocatus, vidi crus valde tumidum & poſt externum Spiritus, ſalis ammoniaci aromatici uſum, minus inflammatum, digitis impreſſis nonnihil cedere eorumque veſtigia aliquandiu ſervare, œdematis inſtar, qualis tumor etiam totum pedem infra genu abſque ulla phlegmones notâ ſimul occupaverat. Serum igitur viſcidum & acre, non pus, uti Chirurgus præſens ſibi perſuaſerat, tumoris cauſam eſſe ratus; ſuaſi ut lixivium forte ex cineribus ligni fraxini cum ſemine ſinapi coctum, calidè inſtar epithematis cum linteis cruri applicetur & Elixir aperitivum Claud. Tincturâ tartari mixtum, in decocto lignorum mane atque veſperi guttatim aſſumatur, noctu verò pulvis cordialis pretioſus cum arcano duplicato exibeatur, quibus tumor in ſuperiore femoris parte nonnihil diminutus, ſed dolor ardens atque lancinans ad levem cruris motum mitigatus fuit. Ad inſtantiam igitur Amicorum die 28. Junii interna & declivior femoris pars paulò ſupra genu, quæ mollior erat, lanceolâ paulò profundiùs perforata fuit, paucis ſanguinis guttulis prodeuntibus, & brevi pòſt ſequente ſero limpido & acri, cujus duæ circiter menſuræ intra tres dies guttatim ferè tranſudarunt, citra tumoris decrementum aut doloris levamen. Cùm potius tumor circa & ſupra genu major & durior rubicundiorque viſus, majorem dolorem intulit qualem etiam paulò pòſt liveſcentia & duriuſcula vulneris jam ſiccati labia excitarunt, quæ tamen admoto Elixirio Balſamico D. Juncken cum Tinctura anodyna, & applicato cataplaſmate ex rad barbæ caprin. herb. ſcord. abſinth. agrimon. flor. chamom. ſamb. farinâ fabar. myrrhâ atque aloë vino incoctis, exhibitiſque diaphoreticis mitioribus, ad priſtinum colorem & debitam mollitiem redierant, ceſſante dolore & pauco pure bonæ notæ ex vulnere profluente. Cùm autem dolor lancinans & ardens circa tumidum durumque genu adhucdum maximè moleſtus eſſet, fonticulus in parte interna tibiæ ſub genu lapide corroſivo inuſtus fuit, & vulnus ſupra genu poſtea conſolidatum, totum verò crus ſpiritu vini caſurato ac crocato ob redeuntis inflammationis notas, fotum, hac verò mox diſcuſsâ ſpiritu ſalis ammoniaci aromatico circumlitum. Internè, præmiſſo purgante leni, Liquor aperitivus B. Wepferi ſeq. cum ſubjunctis pilulis reſolventibus in uſum vocatus ℞. limat. ♂tis puri ℥ij. ei in vaſe vitreo robuſto, affunde ſpirit. ſal. ammoniaci urinoſi ℥iij. ſpir. ſalis dulc. ℥j. ſalis abſinth. ʒij. ſalis tartari ʒj poſtquam deferbuerint bene tecta in locum temperatum reponantur & ſubinde agitentur, tandemque poſt 48. horas liquor ſupernatans decantetur & per chartam emporeticam filtretur. Hujus liquoris aperitivi drachmæ duæ, & deinceps tres; aquæ fragariæ & petroſelini ſingularum unciis tribus diluebantur; & iſtius mixturæ cochlear unum manè atque veſperi cum hauſtu juſculi carnis inſulſi ac tenuis quotidie aſſumebatur, poſtquam decem pilularum ſeqq. cum pauxillo ſyrupi papaveris erratici vel violarum deglutitæ fuerunt. ℞. diaphoret. ♂lis ʒij lap. canc. præp. milleped. præp. ana ʒj. flor. ſalis ammoniaci cum hæmatite ſublim. ℈j. ſal. vol. lumbr. terreſt. cinnab. nativ. præp. ana ℈ß. extract. trifol. fibr. ʒij. ol. terebinth. gutt. iv. m. f. cum elix. aperit. Claud. pil. n. 260. conſperg. pulv. glycyrrhizæ. His medicamentis per integrum menſem aſſumtis, tumor œdematoſus totius tibiæ diſcuſſus & cruris ſupra genu paulatim magis emollitus, ſeroque multo ex ſubortis in toto femore puſtulis prurientibus, indies effluente, valde diminutus fuit, ac tandem penitùs diſparuit, viribus corporis & appetentia redeuntibus, poſtquam ex ſalubri conſilio Dn. D. Joh. Georgii Gmelini & Joh. Caſp. Herlini Sereniſſ. Ducis Wurtembergici Archiatrorum celeberrimorum, (qui in auxilium vocati, ſuum de hoc affectu judicium erudito calamo ad ægrum perſcripſerunt)

Eſſen-

Eſſentia mumiæ & fuliginis Claud. mane, veſperi, & noctu aſſumta; & in prandio ſal volatile oleoſum Sylvii exhibitum, uſusque pilularum ſeriducarum ex Maſſa pilul. de Succino Crat. reun. jalappæ, mercurio dulci, cinnab. nativâ præp. & extracto refinoſo ligni guajaci menſtruatim interpoſitus fuit. Priſtinæ ſanitati ſic quidem reſtitutus videbatur æger, qui jam genu nonnihil flectere & ob cruris imbecillitatem reſtitutem baculo innixus obambulare poterat, proptereaq; ſub aëre pluvioſo atq; frigido rheda vectus, negotia in vicinis pagis curavit & domum rediens, accedente animi excandeſcentia, mox febrem continuam protraxit, cum cruris dextri inflammatione, dolore ac tumore, qui brevi totum pedem occupavit & circa genu maximos cruciatus induxit: Pulvis bezoardicus Sennerti cum antimonio diaph. & nitro depur. manè atque veſperi datus, febrem quidem ſuſtulit, & ſpiritus vini camphoratus atque crocatus inflammationem cruris diſcuſſit, ſed tumor atque dolor in eodem maximam moleſtiam creavit; redit igitur æger ad uſum liquoris aperitivi, & pilularum reſolventium, interpoſitis catapotiis ſeriducis ſuprà deſcriptis, quavis ſeptimanâ ſemel aſſumtis, ex quorum uſu rurſus quàm plurimæ puſtulæ ſeroſæ & prurientes in crure ſubortæ fuerant, è quibus ſcalpendo læſis, ſerum limpidum & acre copioſè profluxit, atque ita tumor dolorque paulatim diminutus, tandem penitus diſparuit, remanente ſaltem cruris imbecillitate & tumore circa genu duriuſculo ac œdematoſo, qui genu inflexile reddidit, & admoto ſpiritu vini camphorato permixtoque ſalis ammoniaci vinoſo nequicquam ceſſit, tametſi decocta lignorum cum pilulis ex antim. diaphor. lap. Cancr. & mercurio dulci, mucilagine tragacanthi ſubactis, pro ſudore leni alternis diebus eliciendo, ſimul hauſta fuerint. Juſſi tunc fonticulum in brachio ſiniſtro excitare & alterum in crure conſolidare, ſimulque ſuaſi uſum Thermarum Serpentinarum ad Svalbacum ſitarum, qui tamen ob impedimenta varia in proximum ver ſequentis anni dilatus fuit & tandem æſtate præterita admiſſus, tam felici cum ſucceſſu, ut æger, depoſitis fulcris ſubalaribus, quibus innixus obambulabat, cum ſcipione incederet, tumore prorſus diſcuſſo, ſed genu adhuc dum inflexili permanente. Hinc ſponte ſua ex Thermis Serpentinis ad Wisbadenſes tranſiit & ibidem, cùm vix una vel altera vice iiſdem uſus fuiſſet, febrem contraxit continuam non ſine cruris dolore, quo tamen poſt fugatam brevi febrem ceſſante, domum incolumis rediit, & paulò poſt longum iter ſine omni incommodo confecit, jamque ſubjecto ſcipione, facilè etiam per acclivia obambulat, hoc vere ad Thermas Emſenſes profecturus, earum adminiculo, favente Divinâ Clementiâ, priſtinam genu flexibilitatem recuperare poſſit. Cùm præterita æſtate hunc Virum Nobilem viſerem, vocabat ad juvenem 19. annorum, qui pauperculis parentibus natus, ante aliquot annos contraxerat in femoris dextri parte externa paulò infra coxam, tumorem pugni magnitudine duriuſculum, minùs dolentem, & cuti concolorem, cui varia topica fruſtra per aliquod tempus applicuit. Tandem Medicaſter eundem cultro aperuit, effluente magnâ ſeri cruenti copiâ, & poſt aliquot dies ſequente pure albo atque ſpiſſo. Ulcus deinde ſua ponte fuit conſolidatum, pes autem circa talum ſenſim ad genu uſque intumuit, (digitorum impreſſorum veſtigiis in eodem aliquandiu remanentibus) nec ab initio doluit, poſtea verò tumor iſte œdematoſus indies augmenta capiens, in altero quoque pede conſpectus fuit, dolore tandem ſuccedente in utroque valde moleſto. Anno ſequente ex femoris abſceſſu, ſua ſponte rurſus aperto prodiit pus varium, malè olens, cum dolore cruris oſteocopo, dies noctesque urgente, adeò ut citra finem præteriti anni æger continuis hiſce cruciatibus & vigiliis defatigatus, ſuperiore corpore contabuerit ſenſim & pedibus ad genua uſque monſtroſè intumuerit, protuberantibus in metatarſo & ipſis pedum digitis tumoribus ſubrotundis & molliuſculis, ſine ulla inflammatione, è quibus non minùs ac digitorum valde tumentium interſtitiis ſerum tenue per cutis poros largiter tranſudavit, ita ut paucarum horarum ſpatio multiplicia lintea pulvinaris inſtar pedibus ſuppoſita, undique maduerint. Ipſi ſero graveolenti multos vermiculos aſcaridum innatare vidi, qui ſuis motitationibus moleſtum cutis pruritum intulerunt. Retulit autem mihi Æger ad genua uſque valde emaciatus, ſeſe ſudoribus nocturnis Tantaleâ ſiti dies noctesque, quas in ſella ab integro fere anno ſedendo miſerrime tranſegerit, admodum divexari, & paucam urinam, eamque valde tinctam ac lixivioſam emittere. Pulſus debilis, frequens & inæqualis erat: Vires valde proſtratæ: Somnus breviſſimus: Pedes adeò tumidi, ut eos duabus manibus meis complecti non potuerim. Venæ varicoſæ hederæ inſtar per genua proſerpebant. Aliquot diebus poſt diſceſſum meum, æger fractis penitus viribus, placidè vitâ defunctus eſt.

Tumor horrendus cervicem ac dorſi partem occupans, feliciter curatus.

Clariſſ. Andreæ Myrrhen. Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Puer Ruſticus undecim annorum, Georgius Hulm dictus, Filius Prætoris pagani Gammelsbacenſis, ditionis Sereniſſimorum Comitum ab Erbach, tertio ſuæ ætatis anno tumore aliquo duriuſculo in regione colli, in latere ſiniſtro, inter Muſculum ſplenium & ſcapulæ levatorem ſiniſtros, ſine præcedanea vi externa, jactu, contuſione, plagis, lapſu, contorſione &c. corripitur, ſed à parentibus ſpe futuræ evaneſcentiæ parum æſtimatur, aſt cùm tractu temporis obſervaſſent, tumorem hunc vix nucem avellanam æquantem, non ſolùm Lunâ creſcente augeri, ſed & indies permagnum ſumere incrementum, de filii ſalute anxii, hinc inde (licèt fruſtra) quæſivêre conſilium atque auxilium, aſt perſuaſionibus Empiricorum & pſeudochirurgorum per multos annos lactati, quidam enim per diſcutientia, alter per emollientia & maturantia, tertius per cauſtica cum interveniente hæmorrhagiâ adeò enormi, ut deſiſtere neceſſe haberet, ſe viros præſtare conabantur. Aſt parentes quid jam faciendum in ancipiti hærentes, dum non ſolùm hactenus ab adhibitis nullum levamen, è contrario horrendum tumoris incrementum indies cum aliis circumſtantiis toti machinæ interitum minantibus, animis tremuli obſervarent, DEI credo providentiâ, & interventu Sereniſſimæ cujusdam Perſonæ Principis & conſilio factum, ut hoc omni commiſeratione digniſſimum, ſceleto in plurimis ſimillimum corpus exſuccum, & portentoſo tumore deformatum ſubjectum curæ concrederetur Viri, ſicut in omnibus aliis ad probum chirurgum pertinentibus requiſitis, ſic imprimis in parte Chirurgiæ ἀφαιρέσεως probè inſtructi & ſolertiſſimi viri, Domini Joh Michaëlis Sutorii, Chirurgi Norimbergenſis, AUGUST. Imperatoris, ac Sereniſſ. Electoris Palatini t. hit. Aulici qui ſummâ curâ ac diligentiâ eò feliciter proceſſit, ut ſpatio ſex hebdomadum horrendum illum tumorem, cum non levi adſtantium admiratione exſtirparet, Patienſque planè convaleſceret. Ego licèt nondum trium luſtrorum tempus in facienda praxi medica conſumſerim, tamen ſine vanâ jactantiâ vetificare auſim, me plurimis non ubivis obviis operationibus chirurgicis, tum in caſtris Gallo-

Gallorum, tùm Noſodochiis Palatinatûs inferioris olim ut Phyſicum Electoralem Aleyenſem intetfuiſſe, hinc miratbar prælaudatum. Sutorium periculoſam & laborioſam hancce (partim in ſe ſuſcepiſſe, præ primis ſolis corroſivis peragendam, magis verò quod belluam hanc ſpatio ſex hebdomadum, ſine inciſionibus, inflammatione, doloribus enormibus, hæmorrhagiâ, animi deliquiis &c. domatam & plenarie eradicatam viderim. Conſiderandam autem propono 1. Tumoris quantitatem & magnitudinem, quæ pondus ſeptem librarum civilium, ſeu ℥cxii. ſuperabat; non æſtimatis multis diverſæ magnitudinis particulis, in applicatione corroſivorum obſtaculo inventis, nec ponderatâ ſubſtantiâ quæ in dies in formâ ſaniei moli tumoris decedebat. Incipiebat in ea occipitis regione, ubi ſutura ſagittalis & lambdoidea coëunt ſupra unam aurem ad alteram in linea ſemicirculari ferebatur, poſtmodum illius mole non ſolùm cervicis partes, ſed & tota fermè ſiniſtra, cum dimidia dextra ſcapula tegebantur, quaſi à duabus diverſæ magnitudinis cucurbitis ſuperiùs & in medio coalitis. Cute quoad peripheriam corroſivis jam dilacerata, (quæ antea tumori certos limites præſcripſerat,) nunc tumor in ea amplius contineri neſcius, longè ultra limites excurrendo, & hinc unde horridas protuberantias formando, ſeſe ſpectandum dabat, pericranium & dorſi integumentum commune, tum quoad partes ſuperiores, tum inferiores, & laterales, erant concavæ adeò, ut tractû temporis & affluxu majoris nutrimenti tumor in vaſtiſſimum montem microcoſmicum excreſcere potuiſſet. 2. Tumoris qualitatem, qui attactu quidem durus & indolens, ſed quoad tùm exteriorem tùm interiorem ſubſtantiam, multis hinc inde diffuſis ſanguiferis vaſis diverſæ magnitudinis intertextus, adeò ut haud abſurdus fuiſſet, qui hæmorrhagiam lethalem, præſertim in hocce ſubjecto emaciato & ſemianimi, metuiſſet. 3. Locum huic operationi incongruum, cùm vel levioribus in caſibus ibidem tractandis ſæpe nec ſumma dexteritas chirurgi fermè ſufficiat; Quis neſcit, vaſorum tum venoſorum, tum arterioſorum, cervicalium, vertebralium & carotidum multivarios plexus, muſculoſque, cùm capitis ſuſtentationi, tum ejuſdem vario motui voluntario inſervientes ibidem ſitos eſſe, taceo exordium ſpinalis medullæ & tot excurrentes nervos, cùm tamen ut funditus tolleretur ſupraſcripta moles, neceſſum fuerit, ut quidam muſculi ipſi corroderentur ex profunditate, colli vertebræ, nempe ſecunda, tertia, quarta & quinta, proceſſibus ſuis acutis tum temporis denudatis & cervicis partibus hoc modo enormiter ſauciatis, triſti ſe offerrent ſpectaculo. 4. Tumoris profunditatem millenaſque divaricationes & plexus innumerabilium fibrarum, quæ non ſolùm decuſſatim, ſiniſtrorſum, dextrorſum &c. Sed inexplicabili & confuſo tractu muſculorum colli & tumoris ſubſtantiæ, non ſolùm ſuperficialiter aderant, ſed & quibuſdam in locis (præſertim ubi tertio ætatis anno fundamentum tumoris jactum fuerat) inter muſculos tantos formarunt cuniculos, ut quoſdam proceſſus vertebrarum colli univerſales funiculi hi fibroſi non ſolùm attingerent, ſed & illis variis circumvolutionum modis firmiſſimè adhærerent. Ipſum tumorem aciei cultri anatomici ſubjectum, invenimus fuiſſe Steatoma adipoſum, vaccinæ mammæ perſimile, attactu durum, albicans, ex innumeris, ſparſis hinc inde & confuſis capilli & chordis quaſi præditum, tanta duritie ut fermè aciem forficis Chirurgi ſat acuti eluderent, inveniebantur porrò in hujus tumoris quaſi viſceribus, innumeræ, diverſæ texturæ & tenacitatis cuticulæ, quæ involucra erant diverſæ magnitudinis tuberculorum, & particulis, partim ut glandulas conglomeratas, partim ut conglobatas continebant; quorum quidam fermè tophorum podagricorum, alii cartilagineam, nonnulli planè oſſeam ſubſtantiam oſtendebant: & licèt bene memor, ſuccos evaſuros diuturnâ ſtagnatione, avolantibus particulis ſpirituoſioribus, & ceſſante particularum motu tum inteſtino tum progreſſivo, craſſioribusque relictis, accedente preſſione externa, pro reddendâ tumoris materiâ compactiore &c. hanc vel illam faciem inhærere poſſe, geneſin tamen ejuſmodi oſſium, & quid talis tumoris materia (licèt diuturna ſtagnatione variè alterata) cum ſubſtantia oſſea commune haberet, primò non ſatis capere potueram, donec examine accuratiore, tum ſeparationibus multivariis, lotionibus &c. non erraſſe me cognoſcerem, & quaſdam particulas oſſeas non exiguas, digiti utplurimum latitudine, ſuperius & inferius lamellâ oſſeâ ſat firmâ cultri dorſum æquante dotatas, intus verò poroſas conſpicerem.

Tumor Abdominis verminoſus

Clariſſ. Joſephi Lanzoni, Ephemerid. German. Centur. 1. *&* 2.

Adoleſcens Annorum quatuordecim, poſt dolores circa umbilicum in Abdomine internè ſubortos, febre continuâ quatuordecim diebus laboravit: hinc apparuit quidam tumor mollis, diſtans ab umbilico ad tres digitos in parte dextrâ. & hoc in abſceſſum mutato, abſque ullo Chirurgico auxilio, ſanies in magnâ effluxit quantitate & copiâ: hinc poſt aliquot dies vermes plures teretes viventes exiêre mediocris magnitudinis; Abſceſſus verò poſt eruptionem, quamvis validiora ac præſtantiora per experitiſſimum Chirurgiæ Profeſſorem ad curationem vocatum, remedia adhibita fuerint, neutiquam tamen ad perfectum ſtatum ſalutis reſtitui ac redigi potuit; quia materies ichoroſa, & putrida aſſiduè emanabat, ex quo magna ac ſumma emaciatio ſupervenit, cum virium jacturâ; unde tandem miſerè ex hac vita in æternam migravit Patiens. Aperto poſt obitum cadavere, ſtatim ſublatum fuit dubium de loco, ubi lumbrici memorati fuerunt producti; fuit enim notatus, & diligenter obſervatus canaliculus quidam membranoſus, calami ſcriptorii magnitudinem, & latitudinem quatuor digitorum adæquans, ducens originem à tunicâ internâ inteſtini Ilei uſque ad peritoneum protenſus, per quem vermes ab inteſtino tranſibant, & per abſceſſum apertum exitum ſibimet ipſis parabant. Ex hac obſervatione confirmatur opinio illorum Doctorum, qui dicunt in noſtro corpore humano de facili poſſe produci diverſas concretiones, membranoſas nimirum, carneas & novos ductus, & receptacula juxta noſtri corporis indigentiam, pro variis uſibus exequendis.

Tumor Abdominis ſtupendus ex lochiis ſuppreſſis

Clariſſ. Matthæi Harderi, Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 5. *&* 6.

Joh. Schitmeti, textoris Sr. Gallenſis uxor, 51. circiter annorum, Maria *Walſerin* vocata, ſex liberorum mater; quorum binos abortu excluſerat, ac ultima vice, filiam Sabinam, ſub ipſis Calendis Februarii,

rii, anni 1677. pepererat, vergente præterita æſtate morbo extinctam: hunc partum lochia in principio ſat copioſè & ritè fluentia exceperunt, quæ autem ex improviſo fœminæ ſuſpectæ Pharmaceutriæ attactu è veſtigio rurſus ſubſtitêre, nec ampliùs comparuêre, & quidem ad proximum autumnum uſque, ubi aliqua ſed obſcuriſſima catamemiorum veſtigia denuò ſenſerat, abdominis interea tumore à lochiorum ſubſiſtentia in dies incrementum ſumente, imò is medicaminum vim non tantùm eluſiſſe, verùm in majorem inde quoque aſſurrexiſſe molem fertur, fortè ab uterum irritantibus & moventibus medicinis nimium laceſſitus. Vixerat olim minimè valetudinaria, ſed ſana & vegeta, donec inſecuta à puerperio lochiorum infauſta ſuppreſſio, omnium malorum lerna, necem per tot ærumnas miſeræ tandem attulerat. Et cùm ipſâ diem ſuum obeunte opportunè St. Galli ſubſiſterem, facto neſcio quo, pluribus Chirurgis & Pharmacopæis præſentibus ac ſectionem deſiderantibus cadaver aperui, viſurus, num ſuſpecta mola, vel alius affectus (meam enim de Meſenterii abſceſſu conjecturam Rever. Dno Paſtori Sclumfio, ante ſectionem recenſueram) abſconditus lateat. Sciendum igitur abdomen hujus fœminæ in tantum intumuiſſe, ut ſpitamæ duæ cum dimidia ſpatium ab umbilico penitus diſtento, ad ſpinam dorſi uſque non emetirentur; circa hypogaſtrii regionem ſumma tumoris renitentia ac durities notabantur: unde fortè ſub molæ alicujus ſpecie impoſuiſſe potuit. Veſtigia digitorum impreſſa, nullibi manebant, ſicut in aſciticis, pedes parum vel nil tumebant, ſupernè & ultra diaphragma tabida & extenuata fuit. Nec ſeroſam nec gelatinæ ſimilem continebant ſubſtantiam diſſecta integumenta communia, verùm naturali inter ſe cohærebant nexu. Inciſione abdominis decuſſatim continuata; ac cultello paulatim intra peritoneum prope regionem lumbarem ad λαγόνα verſus adacto, ingens ſeri ſubflavi copia ad amforam ſemiſſem uſque ex ipſo abdominis cavo proſiliit, hoc emiſſo deprehendi corpus durum peritonæo, regioni umbilicali, nec non epigaſtricæ & hypogaſtricæ ſubſtrato, quàm firmiſſimè annexum: quod ab hoc ſtudiosè dum liberarem; complures diverſæ magnitudinis & figuræ hydatides offendi, corpori huic ſuperficietenus adhærentes: iſto verò leviter pertuſo vere præconcepti abſceſſus præſentia, copioſo püris effluxu ad ſex menſuras uſque ſeſe manifeſtavit: cujus folliculo craſſo & tenaci à peritonæo ſupernè ſeparato perrexi ulterius, primordia ejus ſciſcitaturus, ubi totum fere abdomen adimplêre mox cernebatur: cuncta enim inteſtina quaqua verſum loco detruſa abſceſſui cedebant: Hepar, quod ſublividum erat, membranâ p. n. ceu aranearum obvelatum, cum maximâ felle flaviſſimo repletâ cyſtide, abſceſſus pondere ſurſum protruſum diaphragma membranæ inſtar extendendo, pluſquam thoracis medietatem occupavit: Ipſi folliculo inteſtina alicubi firmiter connectebantur, alibi tamen facillime ſeparabilia: Omentum maximam partem putridum erat & conſumtum: Meſenterium itidem mera videbatur putredo glandulis induratis tantùm ſpectabile, nec ullam cum hoc abſceſſus iſte habebat connexionem, vel eò protendebatur; verùm bina efformabat crura (quorum quodlibet 3. digitos craſſum) utrinque uteri cornubus & tubis ſeſe inſerentia: quæ duo corpora in magnam glandulam induratam concreta videbantur: figura hinc naturalis eorum à craſſa crurum inſertione ferè formabatur, ita ut totius abſceſſûs ad minimum ultra 6. libras civiles pendentis primordia exinde augurari haud videatur difficile: Duobus igitur his pediculis ceu fulcris notabilis hic abſceſſus innitebatur, tenaciſſimo folliculo cinctus, ac permultis variæ magnitudinis corporibus glanduloſis infarctus, quibus diverſæ formæ hydatides, majores, minores, flaveſcente lymphâ turgidæ undique adhærebant: pars abſceſsûs reliqua tum carnoſa, tum glanduloſa, eapropter in pus vertenda hinc inde certas fovebat cellulas candidiſſimas & ferè cartilagineas, ſanieque refertas. Toto abſceſſu ubique liberato & exemto, alius minor pugni magnitudine comparuit, inteſtino cœco fortiter cohærens, aliquibus etiam hydatibibus corruſcans ac eadem cum majori compage conſtans, cujus portio ad proximas meſenterii duras glandulas pertingebat, hinc ex iiſdem ortum habuiſſe dubium non eſt. Notandum omnes totius abdominis glandulas majores ac duriores fuiſſe pancreatis & teſticulorum exceptis, quæ parum majores ac molliores erant: Ventriculus & colon flatibus diſtenta: cœcum pariter ſat inflatum: Inteſtinum rectum ſphacelatum & nigerrimum, glandulis oblongis ceu Papillis annulorum inſtar circumdatum: Tenuia paſſim inflammata fuerant. Extracto & altero hoc abſceſſu, uterus cum cornubus tubis & teſticulis in apricum magis veniebat, horum ſiniſter, nigrior & ſubputridus, uterque tamen mollis: Cavitas uteri vix piſum capiebat: craſſitie tres digitos ſuperabat, extima ejus ſuperficies glanduloſis portionibus ceu papillis undique conſita erat, ſicuti inteſtinum rectum, hinc glandulas uteri non omnino negandas cenſeo: Orificium interius planè cartilagineum ac firmiſſimè coalitum: Collum uteri perangultum ſanie concretum: Renes cum veſica ritè ſe habebant. Lienis extimam partem ingens occupabat hydatis. Medii ventris Sectionem declinavit Dn. Paſtor Schlumf, vanis tamen rationibus.

TURUNDA.

De eâ vid. ſub titulô

INSTRUMENTA CHIRURGICA.

Finis Libri Decimi Septimi.

JOH. JAC. MANGETI
BIBLIOTHECÆ CHIRURGICÆ
LIBER DECIMUS OCTAVUS
De Affectibus & Operationibus Chirurgicis à Literâ V. incipientibus.

VALGI

De iis vid. ex Marcô Aureliô Severino, ſub titulô Luxatio. Ubi ſcilicet de Luxationibus Internis, ad quas pertinet hæc affectiô.

VARI

De iis itidem vid. ſub eôdem titulô, ob mox memoratam rationem.

VARIX.

Super hôc morbô ſic ſcribit Clariſſ. Joh. Municks.

I. QUemadmodum *Aneûriſma* Arteriæ, ſic VARIX *Venæ præter naturam Dilatatio* eſt: in qua tamen non ſimpliciter dilatantur Venæ, ſed & quodammodo intorquentur, ſubindeque ceu nodos quoſdam contrahunt, & efformant, nigricantes.

II. Accidunt autem Varices in variis corporis partibus: frequentiſſimè in cruribus; aliquandò in temporibus; nonnunquam in ima abdominis parte ſub umbilico; quandoquè in ſcroto ſupra teſticulos, qui tumor in ſpecie κιρσοκήλη nominatur. Etiam in internis corporis partibus hujuſmodi venarum tumores oriri poſſunt, atquè in pulmonis venis quondam Varices notavit Hippocrates. Nec mirum; venæ quippè ubique valvulis ſcatent, ad quas craſſus & terreſtris ſanguis ſubſiſtens, ac continuò incrementum capiens, venarum tunicas (utpote teneriores) facilè diſtendere poteſt.

III. Equidem non ſemper Varices fiunt, quod craſſior ſanguis circa valvulas ſtagnans, venas itâ extumeſcere faciat. Sed & Varices nonnunquam oriuntur, haud ſecus ac Aneuriſmata, cum intima venarum tunica diſrupta ſit, exterioribus integris, at ſolummodò dilatatis: Venæ namque ac Arteriæ quatuor donantur tunicis, tenuioribus licet, uti per ἐγχειρίσιν anatomicam palam nunc oſtenſum eſt.

IV. Enimverò haud infrequenter contingit, ut craſſus ac terreſtris ſanguis, qui præ craſſitie venas commodè pertranſire nequit, circa valvulas ſubſiſtens, intimam venarum tunicam ibidem dehiſcere faciat, unde magnam in latitudinem reliquæ diſtenduntur: atquè hinc fit, quod malum hoc melancholicis & hypochondriacis familiare ſit, prę ſertim in cruribus, ubi ingentes nonnunquam obſervantur Varices. Meminit Lovverus *tract. de Corde cap.* 2. Varicis in crure, magni farciminis adinſtar, circiter duas ſanguinis libras continentis. Hildanus quoque *Cent.* 4. *Obſ.* 85. ſcribit de Varice Monſtroſo, longitudine ſpithamam, latitudine aut craſſitie brachium ęquante, ab ipſo curato.

V. Porrò facilè cognoſcuntur Varices, cum in membrorum, præſertim crurum, ſuperficie turgentes, venæ conſpicientur, atquè pars affecta aut livida, aut nigra appareat, & preſſus tumor retrocedat, ſed mox iterum revertatur.

Solent quoquè Varices plus moleſtię afferre, quam periculi.

VI. Equidem ut Curentur Varices, cautè hìc procedendum: ſanguis mittendus, corpus aliquoties purgandum, ac talis porrò inſtituatur Cura, qualis inſtitui ſolet in Affectione Hypochondriaca. Deinde Adſtringentibus, Exſiccantibus & Digerentibus Topicis Medicamentis, Faſciiſque & Ligaturis, quæ ſanguinem ſuperiora verſus protrudunt, utendum. Atquè à Compreſſione aliavè Externa Cauſa ſi intumeſcat Vena, Adſtringens aliquod Emplaſtrum, & ad Partem Affectam firmiter ligandum, haud ſecus ac in Aneuriſmatis Cura fieri ſolet.

VII. C. Celſus *lib.* 7. *cap.* 31. duos proponit Curandi modos, quorum alter fiebat Ferramentis Candentibus; alter Exciſione Peragebatur, ſub Ferramento Candente aduſtus contabeſcit Varix ex Celſo, & Uſtio fit in Varice recto, aut ſimplici, tranſverſo, & exiguo. Cutis ſuperinciditur, tum patefacta Vena tenui & retuſo Ferramento Candente modicè premitur; vitaturque ne plagæ ipſius oræ adurantur, quas reducere hamulis facile eſt; id interpoſitis ferè quaternis digitis per totum Varicem fit, & tunc Medicamentum ſuperimponitur, quo aduſta ſanautur. Altera Cheirurgia, quæ Exciſione Varices curat, cutem ſupra Varicoſam Venam incidit, dein hamulo oras cutis excipit, & Scalpello Venam undique

undique ſeparat; cavetque ne Scalpello Vena lædatur, quæ hamulo attollitur, & primum in uno, mox in altero extremo præciditur, evellitur, & foras trahitur. Similem ferè Varicum per Exciſionem Curandi modum proponit Paulus Ægineta *lib. 6. cap. 28.* Sed hæ Antiquorum ad Varices curandos Chirurgiæ adeò difficiles & crudeles ſunt, ut unum tantum Cajum Marium, qui ſepties Romæ Conſul fuit, ſtantem ſibi extrahi paſſum fuiſſe Plinius, auctor. eſt.

VIII. Hinc Aquapendens *in Operat. Chirurg. de Varicum Chirurgia* mitiorem proponit Operationem; viz. cutem Sectione latâ aperit, dein Varicoſam Venam à circumjacentibus ſolvit partibus, ac ſupra & infra Filo duplicato Varicem firmiſſimè ligat; eundemquè aperit, & ſanguinem effluere permittit. Sed de hac Aquapendentis Chirurgia ſcribit Scultetus *in Armament. Chirurg. Tab. 43.* ſe hunc operandi modum ſemel tentaſſe; ſed errore Patientis, motu ſcilicet nimio (qui nullus eſſe debuiſſet) ſequutam fuiſſe inflammationem, quæ Ægrum vehementer afflixit, & prohibuit, ut voto non potuerit reſpondere exitus. Atquè hoc famæ naufragium ſemel paſſus Scultetus, Varicibus in extremis Affectos, deinceps ſolis Topicis, ſub tibialibus ex Pelle Canina confectis, tractavit.

IX. Atqui multi & variè complicati Varices ſi in cruribus exiſtant, & faſciis, ligaturis, ſimilibuſquè externis Curari nequeant, Scalpello ſunt aperiendi; deindè compreſſione ſurſum deorſumquè factâ contentus ſanguis exprimendus atquè vacuandus, hinc aliquot dierum imperatâ quiete, & convenientibus appoſitis medicamentis vulnuſcula curentur.

Hactenus Clariſſ. Joh. Munnicks in ſuô Opere Chirurgicô, Cui jam Clariſſimum ſubjungemus Godefridum Bidloo, qui ſuper eodem argumento hæc habet in ſuis Exercitationibus Anatomico-Chirurgicis.

Anno MDCCI, poſtridie Kalendarum Aprilis, acceſſit ad me *Jan Rotbertz*, Goudâ-Batav. ætatis XLI, vir macilentus, ſcipioni inhærens, præ dolore repens potiùs, quam incedens, & ne minimum quidem greſſum ſine querela & gemitu promovens. Denudato pede dextro, veniebant mox in conſpectum in genu regione exteriore, varices ingentes tres, livido ſubrubroque colore extus conſpicui, intus multò ſanguine impleti cumque turgentes in modum, ut jam jam cuti rupturam minari viderentur: inquiſivi mox in eorum cauſam, ortum, ætatem & de tempore in tempus mutationem; hauriens ex ipſo ægro ejuſque uxore, ipſi annos nato octo, in genu parte, quâ ad tibiæ os deſcendit, erupiſſe tuberculum piſi magnitudinis ſubrubrum, quod: etſi continuo caperet incrementum, negligenter tamen ab ipſo tractabatur, uſque dum ad ovi colu bini magnitudinem aſſurrexiſſet atque *Trajecti ad Rhenum*, Chirurgo cuidam Gallo inſpiciendum exhibuiſſet, qui, poſtquam ei timoris ſat injeciſſet incuriæque arguiſſet vehementer, curationem eſt aggreſſus; ligaturâ, nempè toti tumori circumjectâ eâque firmiter conſtrictâ, ſcalpello majore, eum abſtulit; ſed verò non ſine relicto poſtea ulcere impuro; cui alius Chirurgus, poſt multos labores multumque tempus, dubiam injecit cicatricem: expullulante indies hocce & duobus novis ejuſdem generis tumoribus, res de mala in pejorem abibat: de cauſa hujus mali ſuſpicabatur ipſe æger, eam ex gravibus laboribus & geſtationis onerum moleſtia, quibus ab ipſa juventute fuit expoſitus, veriſimiliter fuiſſe productam, ſaltem auctam, degens poſtea hac in urbe (Lugduno in Batavis) & ad fores civium lac vaccinum circumferens & vendens, ea tandem in varicem unum erat ſanguinis coacervatio, congeries & affluxus; ut ille caput infantis magnitudine æquipararet inque ejus ſuperficiem cum gangræna jam videretur ruiturus ſphacelus, nigreſcente, videlicet, quibuſdam locis cute & dehiſcente cuticula ab eadem: auxiliatrices itaque poſtulat, febre ſæpius correptus, doloris impatiens & animo, neque viribus conſtans, famigeratiſſimi quondam Chirurgi, *Chriſtiani* à *Steneeveld*, manus, qui, uſus conſilio celeber: viri H. *Oſterdyk Schacht*, renuntiato morbi titulo (varicem enim dicebat) ei mederi conatus eſt inciſione & apertura, cujus ad tibiæ os veſtigium expulſa ergo de varice, ingente ſanguinis copia plagâque continuò, ſecundum artem, exceptâ, ulceri poſtea expurgato, omni molitus eſt modo, cicatricem inducere; ſed verò (docta enim plus valebat arte malum) non perato eventu, exiſtente vulnere & ulcere quidem inferius conſolidato, varice autem non ſupreſſo, vel ablato; è contrario, de novo protuberante ſarcomaque cutaneum, vel hyper ſarcoticum fingente ulcus.

Poſtquam aliorum Medicorum & Chirurgorum medicationes palliativas eſſet expertus, obſervaſſetque cum iis varices continuò de minoribus in majores, doloreſque de levibus in graviſſimos, cum perditione motus genu abire, me quoque convenit & conſuluit: egi itaque cum quibuſdam ex medicis & chirurgis, quos habuerat conſultores aut actores, & quamvis eorum plurimi, moniti veterum dogmatibus, ſtatuerent, hoſce varices eſſe intactos, ut incurabiles, relinquendos; ſedulus tamen deſperato huic incubui negotio & hoc noli me tangere, tangere eâ, quâ par videbatur, prudentia mihi propoſui.

Ex tribus itaque hiſce varicibus, examinatis cæteris omnibuſque eorum circumſtantiis, unum, pugni magnitudinis, curatu aptiorem & faciliorem tractitare incepi, quâ methodo, ſequetur inferius. Qui curandi ſpem & opportunitatem mihi faciebat, is erat, qui infra apicem genu ad ejus latus eminens, interioribus partibus, tendinibus, aut ligamentis non adhærebat & cum ſibi vicinis varicibus nullum commercium habere videbatur, quique rupturæ proximus, ſpatii ſatis inter ſe & ſibi vicinos relinquebat, ut ſolus tractaretur: perſuadebam ultimò mihi miſerandam hunc hominis conditionem, per meum aliquod, prudenter inſtitutum conamen, in pejorem non poſſe verti duxique; ſed videamus, priuſquam ad curationis actum progrediamur? Primò; quid ſit varix; Secundò; an unus ab alio differat? nomine, re &c.

Ne multis te, Lectorem & ſæpèſæpius citatis morer, incipe cum Hippocrate & pone lectioni tuæ, cum hujus ævi ſcriptoribus finem, experieris denique, omnes, mutatâ literâ, ſolummodò ſupponere; *varicem venæ dilatationem*; cujus cauſam Veteres *ſanguinem melancholicum, atrum, concretum*; Neoterici *craſſum, terreſtrem*, ſtatuunt; primi; *ſplenis oppilationem, hepatiſve debilitatem*, ſecundi; *venæ valvularum laxitatem, affluente in eas præ icto ſanguine eaſque extendente*, incuſant; afferentes, arteriæ aneuriſma, quemadmodum venæ varicem, eſſe vaſis ſanguiferi dilatationem præter naturam; ſed o! falſam & tyrones chirurgos decipientem varicis deſcriptionem: etſi enim ab quibuſdam addatur, venam non ſimpliciter dilatari; ſed quodammodò intorqueri ſubindeque quondam nigricantes nodos contrahere; illud ad varicis veri deſignationem, ne hilum quidem facit; ſed verò è contrario varicem verum, cum hæmorrhoïde & multis aliis, tum venarum, tum harum & arteriarum morbis atque ſymptomatibus

tibus confundit; niſi forſitan ſufficiat, pro diſtinctione & deſcriptione hujus (varicis) morbi ſpecifici venæ, venam in eo dilatari & vice verſa, cui tamen aſſertioni nemo prudens medicus ſuffragabitur: nam etſi in varice verò vena dilatetur; aliud tamen quid hæc vena morbificum habet, præter dilatationem, quod facit ad morbi hujus ab aliis morbis diſtinctionem & ex quo petendus eſt morbi titulus, notitia & curatio.

Inſpiciamus quàm parum, cum varice, conveniat aneuriſma.

Primò; aneuriſma, cum reliqua vicina ſibi cute, concolor; varix diſcolor eſt.

Secundò; in aneuriſmate unus & ſolus ille tubus arterioſus, in quo aneuriſma, non unus & alter; in varice verò major vena & ejus ramificationes ſimul plus, minuſve, pro ætate morbi, extenduntur.

Tertiò; ex aneuriſmate, licet inveterato, ipſe ſanguis nunquam inter partes vicinas diffunditur; quod vero frequens in varice: nam etſi in aneuriſmate quandoque partes vicinæ inflammatione corripiantur, idem hoc ſymptoma aliis morbis multiſque, imò omnibus ferè tumoribus familiare eſt: ſic ab exoſtoſi, talpa, ſteatomate &c. diſtentis, compreſſis vaſis ſanguiferis, vicinæ inflammantur partes.

Quartò; aneuriſma nunquam chirurgicè; varix verò ſemper cum fruge aperitur.

Quintò; aneuriſmate, ſponte ſua, rumpente, mors certa; varice verò ſuapte diſtentione crepante, doloris levamen & ullo ſine vitæ periculo, ulcus, præ foribus eſt.

Sextò; aneuriſma cum cute nunquam; varix ſemper cohæret: cum igitur comparatio aneuriſmatis cum varice & vice verſa non procedat (audi lector) quid, ſecundum me, ſit varix, nempè, venæ alicujus cutaneæ majoris, unà cum ſuis ramificationibus morboſa dilatatio, ex qua in corporis ſuperficie livido-ruber, inæqualis & ſine pedunculo tumor oritur; proinde varices in in-& externos diſtinguendi non videntur: etſi enim primorum meminerint cum Hippocrate veterum multi, eorum & ſecundorum omnes poſteriorum temporum Chirurgiæ ſcriptores: qui enim pro varicibus habentur interni quidam tumores, puta ſic dictæ herniæ vaſorum ſpermaticorum, hæmorrhöides & alii, venarum quidem; ſed non ſine dilatatis ſimul & arteriis, dilatationes ſunt: argumentor itaque morbum, quo vaſa dicta ſpermatica diſtenduntur, non eſſe herniam: in omni enim hernia peritonæum extenditur, quod in ſic dicta hernia vaſorum ſpermaticorum non plus, quàm in illa, ſic dicta, gutturis, obtinet, contendoque prædictum morbum non eſſe varicem, utpote in quo & venæ & arteriæ ſimul peccent & diſtendantur ſiatque ex iis ſarcomatis quædam ſpecies, aliquando ab vicinis partibus ſolubilis, ſine laceratione, nexu, ipſis affixa.

Varix porrò ab varice non differt; niſi magnitudine, loco, tempore; quia autem primariò, hac in diſſertatione, mihi propoſui agere de varice in cruribus & artubus oriundo, relicta ulteriore cæterorum inveſtigatione & ratiocinatione, an omnis varix, methodo ab me deſcribenda, auferri poſſit? ad prædictorum varicum cauſam detegendam accedo, non facilè iis accedens, qui ab ſanguinis acredine interiorem venæ lamellam corrodi, perforari & ita varicem fieri affirmant, ſtatuens violentos artuum motus & multam mox inſequentem quietem amiſſionemque toni partis alicujus venæ, porrò venarum ultra modum compreſſiones, conſtrictiones & ſimilia, varicem producere; exemplis uti ſi liceat, ea habemus in curſoribus, onerum geſtatoribus iiſque, qui pedibus diutiùs inſiſtere coguntur ut & iis, quibus pedes, aut brachia catenis vincta, uno loco firmius comprimuntur. Exploremus nunc, an varicis curatio factu facilis, an verò difficilis? in aliquod tempus differenda, an verò accelleranda; corporis decori ſolummodò, an verò corpori omnimodo inſerviens & neceſſaria ſit?

Primæ propoſitioni favent quidam neoterici, aſſerentes, ſcilicet; *varices plus moleſtiæ adferre, quàm periculi*: porrò, *varices nec dolorem inferre, nec vitæ impedimentum parere, nec per ſe periculum adferre*; *ſed eorum curatio eſt ſaltem propter decorum, & non neceſſitatis gratiâ expeti*: *item*; *quoſdam vulgares Chirurgos varicum curationem aggredi reformidare; verum ad hunc eliminandum tumorem ea conducere, quæ ad melancholiam hypochondriacam melancholicamq; inſaniam conſignata ſint*: *quinimò, varices præſervare & liberare ægros ab omni morbo melancholico*: *hic enim morbus* (varix) *præterquam quod nullo modo periculoſus, corporis inſuper* (ſic aiunt) *utiliſſimus eſt.* Bellè, me Hercle! ſed, ſi licet & pateris (lect. beniv.) tacebo horum auctorum nomina; ne ipſis videar gravis & ut aliàs, ineptam ſolummodò exercere criticam. Belle (inquam) me Hercle; quoniam ipſiſſimi hi ſcriptores, huic ſuæ aſſertioni mox ſubjiciunt; *ut curentur varices cautè hic procedendum*; *ſi intempeſtivè tollantur varices inſaniam, pleuritidem, renum dolores, hæmorrhoidum fluxum, tuſſim, ſanguinis expuitionem, apoplexiam, cachexiam, hydropem adferunt*: porrò; *difficilem eſſe varicum curationem, docere cum omnibus veteribus compendioſe Foreſtum & varicem morbum eſſe contumaciſſimum.* Tu lector, artis chirurgicæ & ſimul pacis amans, dictita mihi, quæſo, verba, quibus ſine horum auctorum indignatione & extra odium poſitus, liceat dicere, eos ſibi non conſtare, & veriſimiliter varices veros nunquam tractitaviſſe.

Sed apage verba! demonſtrem potius, *primò*; *omnem varicem curatu difficilem*, *ſecundò*; *ejus curationem accelerandam*, *tertiò*; *corpori toti eſſe neceſſariam*; quod ſi hæc probavero, habebo te (lect: beniv:) eoſque ſcriptores mihi amicos: amant enim, ut ſpero, nobiſcum, veritatem & ægrorum ſalutem.

Primò; ad primum, militant pro me ipſi illi auctores, experientia & quæ hiſce prior tempore & jure eſt, ipſa ratio: quæ enim vis, ab inhærente ſanguinis mole venæ accidit extendendæ, ſuperat cutis reſiſtentiam immensùm, deſiccantibus adſtringentibus medicamentis; quinimò, nec ligaturis, aut pulvillis, partibus innoxiis vicinis, coercenda; quoniam venæ interque partes adjacentes molliores recedendi ſeſeque extendendi datur opportunitas; cum itidem in varicum curatione, nunquam levi peracta, opus ſit violentiore medicatione, igne, ferro; imò & hiſce, in hocce morbo, nunquam aliquid boni efficiatur, patet, *varicis curationem factu eſſe difficilem.*

Secundò; ad ſecundum: accceleranda eſt, quæ fieri poteſt, curatio: *tempeſtivè enim ſi non tollantur varices* (teſte ipſo modò citato auctore) incurabiles proſtant; *tempeſtivè* autem ſignificat hoc loco, mox ubi erumpunt, mox ab ortu: inveterati enim multos ſecum trahunt morbos ſymptomataque varia; *acceleranda ergo eſt varicis curatio.*

Tertiò; ad tertium: Toti corpori varicum curatio neceſſaria eſt & maximè, totum enim corpus in quo varices deteguntur, periclitatur diriſque exponitur morbis (Vide ſupra eorum elenchum) varicibus verò ablatis, hic metus omnis abeſt; ergo, *varicum curatio* (totum namque ſpectat corpus) *toti corpori neceſſaria*: feſtinemus itaque eam, tueamurque totum corpus contra infeſtum, toti corpori, prædictum morborum agmen.

Suppono (ut brevius rem ipſam expediam) methodos curandi varices, ab veteribus atque neotericis

ricis deſcriptas, notas eſſe nimiùm, quàm ut illæ ab me ſingulatim & quaſi ex propoſito recitentur: tentaviſſe, nempè, eos adſtringentibus remediis, ligaturis, inciſionibus, pertuſionibus, transfixionibus, extirpationibus, ferro auroque ignito, huncce ſuperare atque curare morbum, præſcriptâ inſuper convenienete diætâ, memoriæ proditum extat luculenter; quàm parum autem frugis in curando vero varice, ex hiſce mediis, hauſerint cum medentibus varicoſi, docent & dolent omnium temporum monumenta medico-chirurgica.

Sed en, Deum è machina! ſed en, qui agenti & patienti omnem adimat ſollicitudinem ac difficultatem felicemque cataſtropham huic adjiciat tragœdiæ, *Carol. Muſitanum*: is enim gloriatur de curandis varicibus *pag. 93*. His verbis: *nos expertum habemus remedium, ad varices curandos, quod nunquam nos felici defraudavit eventu, hoc eſt bryoniæ ſuccus, qui ſanguinem in gurgite ſtagnantem, fluxilem reddit, venam dilatatam corrugat, priſtinoque ſtatui reſtituit.* Miror hominis jactantiam & temerarium aſſertum, edoctus multâque experientiâ certus, iſto ſucco ecchymoſin maculaſque quaſdam cutaneas diſſipari: ſed varices veros hocce remedio, æque minus ac Dæmones monachorum exorciſticis imprecationibus carminibuſque, aut futilibus luſtrationibus expelli fugarique. Poſthabitis hiſce & aliis nugis relictiſque in integrum aliorum tentaminibus, appendam artis trutinæ meam, non infelicem & hoc tempore inſpiciendam varicis curandi methodum, de qua, ex narratione inchoata, & jam nunc abſolvenda, velim ſtatuant renuntientque, quod ipſis videbitur æquum, medico-chirurgi. Præſcripta conveniente vivendi methodo, toti genu injeci *emplaſtrum defenſ. Vigon*: ſed ad modicam duritiem concoctum; ut partes varici vicinas contra corrodentis, tumori applicandi, medicamenti vim tuerer unoque in emplaſtro haberem ſimul, ut vocant, agglutinatorium & inflammationi reſiſtens: foramine emplaſtro huic inciſo, ad varicis magnitudinem, ei impoſui *butyro antimonii* madens carptum (plumaceolum) hujus tamen circuitum carpto, *aq. lithargyricâ* conſperſo, ornavi intraque limites compeſcui, non neglectâ ligaturæ, modicè comprimentis adhibitione.

Accedens, poſt aliquot horas ad ægrum, conquerentem de intolerando dolore, videbam totum apparatum multo madere ſanguine, partim fluido, partim concreto, ſolutiſque ligaturis tumorem partim cruſtulâ obductum, partim rimulis perſciſſum: ex quibus, levi digitorum compreſſione, quod potui, expulſi ſanguinis, penicilloque denuò *butyrum antimonii* iis & toti tumori inſperſi, illinens lautè *ung. alb. caphur.* partibus vicinis; ullo ſine motu pedem ſeſeque in lecto detinuit, hoc die, æger; poſtero, linteamina quidem extus conſpurcata, liquore ſanguineo; ſed iis reſolutis, varicem incruſtatum, nigricantem parteſque vicinas nullo modo corroſas ipſumque ægrum doloris patientem obſervavi: ut ergo incepi, perrexi, uſque in quintum diem, quo mihi tentaturo ſpatulâ eſcaram elevare, magna obſtytit ſanguinis effuſio, quam tamen pulvere meo ſtiptico ſuppreſſi, ſuperſedens per biduum cæteræ & omni diſquiſitioni; niſi quod ſenſim relaxarem ligaturas. Prudenter iterum ablato apparatu, cruſtam inveni duram ac nigerrimam, omni itaque molimine eam augere ſtudui & eo quidem cum ſucceſſu, ut intra decem, aut duodecim dies, pertusâ interim primo punctúris, deinde inciſionibus (ſcarificationibus dicunt) eſcara, adhibitiſque de die in diem, ſupra memoratis mediis, conſervatis partibus vicinis, totam de fundo ſepararem, nullâ inſequente hæmorrhagia; ulcere ritè purgato, id porrò inſtar plani, comprimendi & conſolidandi, tractitavi, eique, conſervata genu mobilitate, tandem cicatricem probam injeci; ab quo tempore æger, doloris expers & ex hoc experimento multum ſpei concipiens, non deſiſtit me precibus efflagitationibuſque proſequi; ut cæteros varices, indies incrementum capientes, eodem modo, quo deſcriptum, amoliri, vel intra limites compeſcere, tentem; quod, ut ſupra retuli, mihi in animo eſt: auſu ergo dicam, an ſpe, ſi excidam, ſciolorum ſugillationibus non vapulabor meritò, neque temeritatis accuſabor ab artis Chirurgicæ peritis hujuſque hiſtoriæ æquis lectoribus, utpote, qui ſecundum rationem & artem, proximo laboranti ſuccurrere, pro ſcopo habui unicè; dicturus, data in collegio oportunitate, corroſiva & eſcarotica diverſè applicanda & de eorum & in ſpecie butyri Antimonii uſu & abuſu, in morbis medicamentis acrioribus chirurgicè tractandis; adhibiturus illi diſſertationi eorum varia exempla obſervationeſque multiplices.

VENÆSECTIO.

Super Venæ ſectione, jam non exquiremus; an illa ſit in omnibus morbis adhibenda, tanquam primaria ac vera eorum medela, ut Borallo placuit? An verò eadem ſemper veniat repudianda, ex aliorum plurium, ac præcipuè Chimicorum, ſententiâ? An tandem modicus ſanguinis miſſionis uſus pluries admodùm proficuus non evadat? Illas etenim quæſtiones, tanquam Chirurgicam Artem nullatenus ſpectantes, ad Bibliothecæ noſtræ Medico-Practicæ Editionem ſecundam rejicimus, eòque Lectorem remittimus, hic pauca tradere contenti ſuper Venæ ſectionis ratione, formâ, inſtrumentis; ſuper venarum ſecandarum diverſitate, aliiſque aliquibus, ex variis. Veniat autem primò Clariſſ. Joh. Van Horne, qui de Venæ ſectione hæc habet in Microtechne.

Venæ ſectio licet parvam induſtriam requirere videatur; frequenter tamen accidit, ut ea variis modis artifici negotium, & patienti dolorem non exiguum inferat. Nam contingit aliquando, venam feriendam nullo modo ſe offerre, præſertim in obeſis, quorum venæ ut exiguæ, ita pinguedine obvolutæ ſunt: quid hîc chirurgo faciendum? arreptum brachium fricare oportet planâ manu & calente; hinc ligatura injicienda paullo ſupra cubitum, aut talum; eaque non nimis arcta, ne pulſus arteriæ intercipiatur, nec laxa nimis, ut ſanguis præterlabatur: mox pollex intra volam abditus, arctè à digitis comprehendendus, ut tenſis muſculis, ſanguis ex iiſdem magis expellatur. Tum venam ipſam dividere neceſſe habet, quæ *aliquando* aciem ſcalpelli ſubterfugere ſolet, ob ſuam mobilitatem; *aliquando* etiam vena dividitur quidem, ſed cutis vulnus eidem non reſpondet; in *primo* caſu metus eſt, ne in arteriam aut nervum cuſpis derivetur, in *ſecundo* caſu omnino ecchymoma evitari nequit: utrique autem incommodo licebit occurrere, ſi ſuperaddita in brachio, infra ſectionis locum alia ligatura, vena firmiter in ſuo ſitu retineatur; tum etiam, ſi chirurgus aciem ſcalpelli venæ inſertam, non per eandem viam reducat, ſed potius attollendo, venam cum cute dividat. *Forma* ſectionis omnium optima eſt obliqua; quod ſi id non liceat ob anguſtiam venæ, eidem ſuccedit per longitudinem facta, neutiquam tranſverſa. *Inſtrumenta* duplicia ſunt, quorum *unum*, in Germania & Helvetia uſitatum eſt, quod una manu comprehenſum, alterius manus digitis per talitrum eſt adigendum intro in venam; apparet autem quod ab illo non exiguum ſit periculum feriendi nervum aut tendinem: ſcilicet enim *alterum*, quod *lanceolam* vocamus, & Hiſpanorum aut Gallorum eſt in-

inventum, ſuo quoque periculo non careat, tamen in frequenti apud nos uſu eſt, cum prioris ne veſtigium quidem ſuperſit: Ut autem venæ ſectio rite peragatur, ambidextrum artificem eſſe convenit, eo, quod dextrum ægri brachium dexterque malleolus dextram manum poſtulent, ſiniſtram vero partes oppoſitæ, quare bonum chirurgum decet utramque manum frequenti uſu exercitatam & promtam habere, non ad ſecandas venas tantum, ſed & alia munera, quæ ſubinde occurrunt. Multiplices ſunt venæ, è quibus, de medicorum conſilio, ſanguis mitti ſolet; præcipuas tamen enarrare libet. Occurrit primò *vena frontis*, de cujus ſectione mentionem facit *aphoriſ.* 68. *lib.* 5. hanc ubi animus eſt incidere, eodem modo procedendum, ut in apertione venarum *raninarum* ſeu *ſublingualium*, nimirum collo circumdanda eſt linea mappa, eaque ſenſim coarctanda, ut intumeſcant venæ. In *capitis* confinio ſunt *venæ jugulares externæ*, has memini me vidiſſe apertas manu M.A. Severini: neq; formidare oportet eas; quia nec magis operoſe nec periculoſius, quam cæteræ venæ ſecantur, teſte cl. Moreau *in epiſt. ad Bartholin.* oportet autem easdem prius benè intercipere & firmare, ne vacillent; extractoque ſanguine, eodem clauduntur modo, quo venæ in brachio. Venæ *brachiorum* ſuccedunt examinandæ, quæ *triplices* ſunt, *cephalica* exteriori in parte, *baſilica* l. *jecoraria*, & quæ ex amborum concurſu efformatur in ipſa brachii flexura, *mediana*. Hanc novit vulgus chirurgorum, cum tamen nulla periculoſius ſecetur, ob ſubjectum tendinem muſculi bicipitis. *Cephalica* etiam non eſt id, quod dicitur, quia nec habet cum capite conſenſum aut connexum majorem, (licet id perſuadere nobis conetur Veſalii *tab.* 1. *l.* 3. cum qua confer 17. Higmori) nec proinde capitis affectibus plus prodeſt quam alia quævis. Hoc ſcrupulo ſemel ademto, inpoſterum ſecabimus magis apparentem ex illis tribus. In *manu* ipſa ejuſq; *dorſo*, innoxiè & cum non pauca utilitate ſecantur venæ; partim quia oculis patent, nullique periculo ſunt expoſitæ; partim, quia ſanguinis magna copia, citra detrimentum virium, ex iisdem extrahi poteſt, propter anguſtiam viarum, id eſt, vaſorum capillarium; quæ ratio eſt, cur *ſalvatellæ* ſeu ſalubres etiam dictæ fuerint: quanquam hoc nominis inditum ſit peculiariter venæ illi, quæ in manu ſiniſtra repetitur inter digitum annularem & minimum, referente Jac. Carpo *comment. in anat. Mundini p. m.* 166. *verſa.* ſed mittamus hæc Arabum figmenta, & cum Anglorum Herophilo ſtatuamus, nullum eſſe venarum, ſibi invicem proxime adſitarum, delectum habendum, cum promiſcue hauriant liquorem ex communi arteria: ſed ſi quis venam, parti affectæ proximam invenire poſſet, operam in ſecando non luderet. Quæ de venis brachii diximus, intelligenda quoque veniunt de venis in *pede*, inter quas ſola *ſaphænæ* ſectio in uſu eſt, quæ requirit immerſionem pedis in aquam calentem.

Præter venas inciduntur etiam *arteriæ*; eſt autem *arteriotomia* noſtræ regioni valdè infrequens, licet uſitata fuerit Galeno, ut dilucide teſtatur idem *lib.* 5. *m. m. cap.* 7. ut & *l.* 13. *cap.* 22. *ejuſdem oper.* Proſper Alpinus de Ægyptiis (quorum chirurgia maſcula proximè à Græcis derivata eſt) refert, eos felici cum ſucceſſu hoc remedii genere uti: nec reticuit utilitatem & adminiſtrandi rationem Fernelius *l.* 2. *m. m. c.* 18. Severinus *efficac. chirurg. part.* 2. Ejuſdem exemplum exſtat apud ampliſſ. Tulpium *obſ. l.* 1 *c.* 48. Quamvis autem hoc remedii genus olim fuerit cognitum, vix tamen reperti fuerunt, qui id auſi ſunt in uſum ducere, ut liquet ex commentario Heurnii ad *Aphoriſm.* 23. *lib.* 1. metuebant enim, ne arteria diviſa poſſet iterum occludi, aut, ſi contingeret eam coaleſcere, ne aneuryſma generaretur poſtmodum: ſed Galenus *l.* 5. *m. m. cap.* 7. jubet nos hac de re ſecuros, quia licet difficilius coëat, quam vena, eſt tamen par utrobique ratio, differens tantummodo ſecundum majus & minus, quippe poſtulat emplaſtica medicamenta fortiora & arctiorem ligaturam; qua ſola reſtatur ampliſſ. Tulpius *l.* 4. *c.* 16. aneuryſma incipiens fuiſſe ſanatum. Adminiſtrandæ arteriotomiæ porro hæc ratio eſt: ſupra temporalem muſculum decurrentes, frontem verſus, arteriolæ, ſpongia calente aqua imbuta, abraſis primum accuratè pilis, fovendæ, & ægri collum mappâ ſtringendum, capitis quoque ſitus declivis nonnihil ſit, ut intumeſcentes arteriæ ſe in conſpectum dent, quas deinde facile eſt pertundere, idque transverſo vulnere, ut ſanguis fluat liberius. Quod ſi metus, vel minima futuri aneuryſmatis ſuſpicio ſit, licet easdem omnino diſcindere, ut partibus oppoſitis ſub cute retractis & corrugatis, fluxus ſanguinis cohibeatur. Sed ignoſcat mihi lector, ſi paucula hîc adjecero de *aneuryſmate*, ejusque natura & curatione. Nunquam ſane potui concipere, quomodo rupta interna & craſſa arteriæ tunica, integra remanente externa tenuiſſima & aranearum telis ſimili, (quod placet Sennerto *l.* 5. *p.* 1. *cap.* 43.) aneuryſma poſſet generari, cum ejuſmodi tunicarum diſtinctio omnino ſit à rei veritate aliena. Sed *duplicem* agnoſco generationis *modum*, *unum* à cauſa externa, *alterum* ab interna: *externa* eſt vulnus arteriæ ab imprudente chirurgo factum; conſolidatur enim ſuperficietenus arteria, ſed non tam firmiter, quin ſanguis impetuoſe irruens in imbecillem tunicæ partem, eam in tumorem non attollat: *interna* cauſa eſt apertura ſeu anaſtomoſis arteriolæ; è qua ſanguis egrediens in ſpatium ſeu interſtitium muſculorum, denſatur in thrombum, qui ſenſim adauctus magiſque per moram excoctus, in carniformem maſſam tranſit, muſculis haut abſimilem, quæ & reperitur concava, & in ſui centro copiam nigri concretique ſanguinis continet. Hæc autem à me non dicuntur, niſi ſuffulto experientia per diſſectionem hujus affectus acquiſita Venetiis *anno* 1643. de quo caſu tractatus à me prælo ſubjectus fuit *Panormi anno* 1644. Nuperrime autem vidi confirmatam hanc experientiam à cl. Bogdano *obſervatione medica* VIII. ſubjuncta *cultro anatom. c. Lyſeri.* Sicut autem prior caſus adſtringendo comprimendoque tumorem ſanari poteſt, ita ſecundus caſus curationem vix admittit, niſi quis velit comprimendo arteriam, cutemque dividendo, globum carneum auferre, arteriamque diſruptam, ſarcoticis adhibitis, nova carne replere.

§. 26. Hæc de venæſectione, quæ adhibetur evacuationis gratia. Non exiſtimo, ingratum fore lectori, ſi ſubjunxero eam, quæ noſtro tempore in lucem expoſita eſt, venæſectionem, repletionis cauſſa inſtitutam. Intelligo autem *Chirurgiam infuſoriam* cl. Profeſſoris *Jo. Dan. Majoris*, aut *D. Elsholzii clyſmaticam novam*, quando per apertam venam immiſſo tubulo, mediante ſiphone liquor aliquis nutriens, alterans, cardiacus aut purgans injicitur, qui ad cor tranſiens, & deinceps arterias univerſumque corporis habitum perambulans, eoſdem producit effectus, ſed breviori tempore, ac ſi ore hauſtus in ventriculum demiſſus fuiſſet. Hoc ipſum artificium poſtea amplificatum fuit facta *transfuſione* ſanguinis arterioſi canis in venas alterius canis. Imo, ut *diarium Doctorum* 28. *Junii anni ſuperioris* Gallico idiomate conſcriptum, nobis retulit, tentatum fuit hoc experimentum in duobus hominibus, in quorum venas ad aliquot uncias, exinanitas, transfuſus fuit ſanguis arte-

arterioſus agni, qui etiam exinde habuerunt: nec mirum, in locum enim ſanguinis haut ita probi, alius inculpatus ſubſtitutus fuit. Alium modum transfundendi ſanguinem excogitavit *D. Tardy M. Doct. Pariſienſis*. ex uno homine in alium: quandoquidem vero arterias majores aperire fas non eſt in homine, conſulit idem, ut ſanguis ex unius hominis vena emiſſus in alterius venam derivetur mediante tubulo: quod & nos in canibus duobus, multis præſentibus oſtendimus. Nihil amplius addam, quia chirurgica operatio eſt nova, cujus utilitas frequentioribus experimentis eſt confirmanda.

Hactenus Clariſſ. Joh. Van Horne, ſequatur jam Celeberrimus Antonius à Nuck, qui in Experimentis Chirurgicis ſic habet de Venæ ſectione, & punctura Nervi.

Venæ-ſectio, communiſſima quamvis operatio, magnamque induſtriam requirere non videatur; Artifici tamen, licèt experto, multum aliquando faceſſit negotii, & patienti non raro dolorifica eſſe ſolet. In corporibus enim obeſis, quorum vaſa exigua admodùm, multaque pinguedine obvoluta, vix oculis venæ dignoſcuntur.

Ligaturâ itaque nec arctè nimis, neque nimis laxè injecta, brachiôque manû calente frictô, circa cubiti flexuram taliumque, vena (obſcurè quamvis in conſpectum prodeat) quanta fieri poteſt circumſpectione ſecanda. Si vero non occurrat vena, ſed in pinguedine abſcondita lateat, eam cæco impetu ſecare non licebit, ſed alibi in manu vel pede vena quærenda, ne Chirurgi imprudentiâ vas vicinum, aut arterioſum, aut nervoſum, lædatur.

Si ob mobilitatem ſuam *Lanceolæ* aciei cedat vena, quadam ligatura infrà vulnus infligendum erit injicienda. Eodem modo procedendum, ſi ob profundiorem venæ ſitum, inflictum vulnus vulneri cutaneo non reſpondeat: hocque malum facilius evitari poteſt, ſi ſectâ venâ extrahendæ Lanceolæ mucronem Chirurgus attollat, vulnuſque cutis hoc modo dilatet, & amplius reddat; potiſſimum ſi ſectio non rectilinea, ſed obliqua, quæ ubique præſtat, inſtituatur.

Inter Venas ſecandas occurrit *Primò Frontis*, *Secundo Raninæ* dictæ, quarum Sectiones uti minus neceſſariæ, ſic etiam non ſatis tuto inſtituuntur. Si cui tamen volupe fuerit eas ſecare, collum circumjectâ mappâ ex linteo confecta tantillum conſtringat, quo conſtricto dictum factum venæ diſtinctius apparent, facilius inciduntur.

Tertiò occurrunt *Venæ jugulares externæ*, quas, ſi ullam in toto corpore, tutò ſecare licebit; quia neque nervi punctura, neque tendinum arteriarumque læſio hîc metuenda. Quod autem dicant ab ejus Sectione nuper quendam fuiſſe exſtinctum, falſiſſimum credo, illùdque non hujus Sectioni, ſed Symptomatibus aliis adſcribendum puto, cum tutiſſimè has incidi poſſe expertus noverim.

Quartò vulgatiſſimæ occurrunt Sectiones venarum brachii, *Cephalicæ*, ſcilicet, *Baſilicæ* & *Medianæ*, Veteribus ita vocatæ, quòd peculiaribus partibus deſtinatas crederent. Verum invento circulari ſanguinis motu, hæc opinio exſpiravit. Ex his autem tribus Cephalica tutius inciditur, dein Baſilica, ſed minus tutò Mediana, propter ſubjectum ſæpe nervum, aut arteriam, aut muſculi *Bicipitis* partem tendinoſam. Hoc tamen ſemper non eſt metuendum, ſæpe enim eadem ſine ullo planè periculo ſecatur, quòd ſitus ejus tendinis, arteriæque aliquando profundior, & nervi curſus tantillum aberret.

Quintò ſequuntur Sectiones venarum in manu & pede, *Salvatellæ* & *Saphænæ* dictæ, quæ nec-ſſitate illud exigente circumſpectè incidendæ. Quod ſi Saphæna incidi debeat, pes in aquam calentem prius immergatur: quod in Sectione Salvatellæ ſæpius quoque neceſſarium.

Dum vena inciditur, non raro Nervus vel Tendo punctus, doloris, pulſationis, inflammationis, convulſionis vel Spaſmi cauſa exiſtit. In dolore convenit Pulticula ſupra præſcripta ex *Mica Panis albi*, *Croco*, *Lacte*, &c. Vulneri inſtillentur calidè ſequentia:

℞. *Ol. Thereb. Hyperic. aa.* ʒvj. *M.*
Vel, ℞. *Ol. Ceræ.* ℥j. *Hyper. Spir. Vin. aa.* ℥ß. *Euphorb.* ʒiß. *M.*
Vel, ℞. *Thereb.* ℥j. *Ol. Cer.* ʒij. *Vitell. Ov. N.* j. *Mel.* ℥ß. *M.*

Ut autem hæc intimius penetrent, linteum carptum oleo dicto madidum admovendum, ſpatulâque ferreâ ignitâ tamdiu comprimendum, quamdiu patiens id ferre poterit.

Secta vena aliquando ſanguinis extravaſati portio in partibus cutaneis vicinis hærens (*Ecchymoſis* dicta) maculas liveſcentes aut flavi coloris inducit, vel nodulus ab humore viſcoſo productus, poſt V. S. remanet: quorum curatio haud difficile abſolvitur ſequentibus:

℞. *Spir. Vin.* ℥ij. *Sal. Armon.* ʒß. *M.*
Vel, ℞. *Spir. Vin.* ℥iß. *Sal Volatil. oſ.* ʒij. *Succ. Abſint.* ℥ß. *M. & plumaceolis aut linteis ter de die applicentur.*

De Vulneribus Vaſorum Lymphaticorum, in Venæſectione, hæc habet idem Clariſſ. Antonius Nuck.

Præter incommoda Venæſectioni ſupervenientia, & paſſim obvia: Vaſorum quoque Lymphaticorum Vulnera, toties à Chirurgis, in arte cœteroquin peritiſſimis, Venæſectionis occaſione læſorum, examinanda erant.

Inſtitutâ enim Venæſectione, præſertim in brachii flexura, lymphæ aliquod non raro remanere ſolet ſtillicidium, à Vaſe Lymphatico vulnerato cauſatum; quod omnibus ferè Chirurgis, Anatomiæ & Vaſorum Lymphaticorum curſum neſcientibus, magnam creavit moleſtiam, idque non tantùm in dicta flexura, verum etiam in pede obſervatur ubi *Saphænæ* ſectio inſtituitur; nec non in multis aliis corporis partibus, quæ dum vel punctim, vel cæſim, vel quovis alio modo læduntur, lympham ſæpe copioſiſſimam exſpuunt.

Reliqua ut præteream, illa ſolummodo notabo; quæ in brachii occurrunt flexura, nec non venæ Saphænæ, quæ ſocia ſunt lymphatica: Ab extremitatibus enim digitorum, tam manuum quam pedum vaſcula hæc exeuntia, in duos treſve abeunt ductus lymphaticos, hederæ in modum vel etiam rectilineo attactu per latera venarum Cephalicæ & Saphænæ aſſurgentes, metam, alio loco examinandam, attingunt.

Si jam fortè contingat (quod Chirurgus etiam dexterrimus evitare ſæpius non poterit) præter venam ſectam, ſimul Vas Lymphaticum eſſe inciſum, omni ope curandum, ut quàm citiſſimè fieri poteſt, non modò venæ ſectæ, ſed & Vaſis Lymphatici læſi vulnus claudatur.

Nihil jam dicam de iis, quæ alii communiter hoc in caſu commendare ſolent, quæque rarius ejuſmodi vulne-

vulnera, niſi ſummâ cum moleſtiâ reſtituunt; ſuffecerit indicaſſe, lymphæ iſtiuſmodi ſtillicidium haud difficilè curarari, ſi quàm primum parti læſæ ſequentis pulveris portiunculâ aſpergatur.

℞. *Bol. Armen.* ʒj. *Nuc. Cupr.* ʒiß. *Sang. Dracon. Sem. Hyper. aa. gr.* xv. *M. F. Pulvis.*

Mox vulnuſculum compreſſulâ liquore ſtyptico irroratâ, comprimatur. Neque hoc ſufficeret, niſi & alterâ compreſſâ eodem liquore madidâ, & infra partem vulneratam locatâ, eâdem faſciâ fortius conſtringatur, ut hoc modo vaſe lymphatico compreſſo, lympha per aliud vas lymphaticum viam ſibi quærendo, motum ſuum abſolvat.

Hæc obſervatio non tantùm circa Vaſa Lymphatica jam propoſita locum habet, verùm etiam circa alios lymphæ ductus, aliis in partibus occurrentes, de quibus hoc loco ſtudiò nihil dicam.

Si verò hiſce ſtillicidium non cedat, ad Cauterii Actualis applicationem confugiendum erit, quo ſolo ejuſmodi vulnus ſubinde fuiſſe curatum experientia docet.

Hactenus Nuckius. Sequantur jam de Venæ ſectione.

Obſervationes.

Venæ ſectio infelix, cum arteriæ læſione & horrenda brachii tumefactione.

Clariſſ. Eberhardi Gokeclii. Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 1.

ANno 1692. die 14. Septembris Balneator vicinus Adamo Zechen Murario, venam baſilicam ſiniſtri brachii phlebotomo aperuit, eandemque pertudit, ac ſimul arteriam tetigit, quo facto, ſanguis ſtatim cum ſaltu copioſiſſimè prodiit, cujus rei Balneator nullam ulreriorem curam habuit, ſed ſaltem ſanguinem compeſcuit atque refrenavit, monendo inſuper, ut patiens de dolore ac tumore conquerens in peragendis ſuis negotiis & perficiendis operibus manuariis brachium alacriter moveat, ſicque in priſtinum ſanitatis ſtatum redùcat. Patiens autem hiſce monitis obtemperans, indies cum monſtroſo brachii tumoris incremento pejus ac deterius habuit. Cùm itaque dictum malum quotidie non ſine magno gangrænæ inſequentis periculo incrementum ſumeret, prænominatus Patiens præterfluxis ſeptem poſt hancce læſionem hebdomadibus, Ulmam ſe contulit ibidemque exercitato Chirurgo Georgio Riedlino brachium circa dictam venam baſilicam capitis magnitudine tumefactum, purpureiſque maculis variegatum monſtravit, ipſiuſque opem & auxilium anxiè expetiit.

Cui Chirurgus, quòd hic tumor à læſione arteriæ ac multo ſanguine extravaſato inter cutem carnemque brachii muſculoſam ſtabulante latitanteque (ſine tamen manifeſto aneuriſmate) provenire, neque leve periculum ratione ſupervenientis fuſiſſimæ hæmorrhagiæ, quin etiam gangrænoſæ putredinis atque corruptionis ſubeſſe, ſignificavit, ſicque Patientem rurſus ad ſuum Balneatorem ablegavit. Et hoc Chirurgi de præſenti judicium etiam inſulſo illi balneatori, ut alio tempore cautiùs mercaretur, notificatum eſt, quòd verò ex malevolentiâ quâdam erga ipſum conceptâ provenire ſtatuit, & hoc malum uſque ad 11. diem Martii inſequentis anni 1692. flocci pependit ac neglexit. Poſt quem terminum ægrotus doloris ampliùs impatiens, totiuſque corporis atrophia cum languore virium laborans prænominatum Riedlinum rurſus adiit, ipſique brachium duro, nodoſo magnoque tumore affectum ac inſuper plumbeo fuſcoque colore tinctum inſpectioni ſubjecit, ac ſalutarem ejus medelam imploravit, quam vero, (cum ipſi maximum ſubeſſe periculum indicaſſet) ante ſui Reverendiſſimi Magiſtratûs notitiam atque ad faciendam inſpectionem per Deputatos ordinarios, conſenſum, recuſavit. Impetratâ itaque veniâ, dicta inſpectio facta eſt, ubi Deputati unanimiter, quod hoc malum ab infelici venę ſectione & ſimul arteriæ læſione per balneatorem in ferendo auxilio neglectâ, ac patientem ad laborem ſubeundum monente & inſtigante, ac per conſequens ſanguine extravaſato inter cutem carnemque contento corrupto ac putreſcente lethalem hæmorrhagiam, (quæ jamdudum per vices prorumpere conata, ſed à grumoſo interpoſito ſanguine impedita, perque quietem interea temporis læſa arteria conſolidata ſit) minitante provenire, maximumque proinde periculum patienti imminere pronunciarunt ac concluſerunt.

Poſt factam inſpectionem ſæpe nominatus Chirurgus dicto malo manum admovit, brachium emplaſtris exſiccantibus ad rupturam, & ſtictico, quæ confeſtim humoroſam materiam guttatim exſtillantem extraxerunt, circumdedit, & præter hęc cataplaſma ex farina hordei volatili, fabarum, micâ panis, gallis, vitriolo, alumine & ſale tartari, cum lixivio coctum quotidie bis applicavit, ſed una quavis tertia vel quarta die proter cutis excoriationem, uberioremque aquæ proventum cataplaſma imponendo, quievit, brachiumque madidum unguento albo de ceruſſa tractavit atque exſiccavit: Quibus remediis tam diu pergere non dubitavit, donec tandem natura prope locum venæ pertuſæ in cutis lividâ ac nigricante parte viam aperuit, quæ apertio ſucceſſivè mirè dilatata fuit, ac tandem per eam materiæ coagulatæ, duræ & carniformis fruſta pugni magnitudine cum maximo fœtore & relictione ingentis cavitatis exiverunt, quæ cavitas poſtea lavamento ex prunella, betonica, agrimonia, ſcordio, aliiſque herbis vulnerariis cum melle roſaceo coctis, mundificata, ac inſuper Emplaſtris convenientibus atque glutinantibus, itemque ſpleniis, pulvillis & faſciis ſuper impoſitis ac per ligaturam applicatis carni adaptata, ſicque brachium priori ſuo ſtatui naturali reſtitutum, patienſque per Dei gratiam priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit.

Venæ ſectionis utilitas, per experimenta probatur.

Clariſſ. Joh. Conradi Brunneri. Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 4.

Anno ſuperiori mittendi ſanguinis neceſſitatem experimento luculento demonſtravi, quo ſanguis nimio motu & calore rarefactus & intumeſcens uſque eò diſtendere ac dilatare thalamos & auriculas cordis viſus eſt, ut contrahendi ſe & ſanguinis circa præcordia accumulati molem propulſandi potentiam amiſerint, haut aliter atque animal ex inſufflato per tubulum in venam aëre extingui ocyus & ſuffocari *experimento Wepferiano* conſtat. Idem phœnomenon hactenus vel oculis uſurpavi in duobus, qui ſanguinem particulis peregrinis refertum, fermenteſcibilem habent & elaſticum. Quidam illuſtri *Hochbergiorum* ſtemmate oriundus, Regulæ D. Franciſci adductus, patre podagrico natus, fratres habet ſimili morbo conflictatos: facilè is reſpirat & elata voce per horas concionatur, lateraque innoxiè quatit; longiùs autem ſi pedibus eat, aut acclivia ſcandat, aut cum contentione quadam procedat, præcordia anguſtantur, ſpiritu & animo linquitur, ſuffocationiſque

que imminet periculum, id quod urgentius venæ ſectione prævertit feliciter.

Illuſtriſſima quædam Imperii Comes, procreata à parente podagrico, matre Cancrô mammarum affectâ, ſanguinem elaſticum, particulis peregrinis refertum nacta, varias patitur phlogoſes & ſanguinis ebullitiones. Imprimis vernales ſanguinis effervescentias graviores experitur, æſtum ſcilicet, & capitis dolorem, qui in libero aëre, aurâ præſertim frigidiuſculâ mitigatur; nec tamen ceſſat, niſi à miſſo ſanguine, unde præſentaneum levamen percipit. Nuper præcordiorum dolore & ingenti anxietate correpta, nullo remedii genere liberari nec levari potuit, niſi venæ ſectione ad extremum uſque vitæ habitum, mulierum hortatu intempeſtivo dilatâ. Vix autem inciſa vena ſanguis impetuosè proſiliit, rediitque reſpiratio, & cum hac fugiens vita. Nimirum intumeſcens, æſtu ſanguis præcordia replet, farcit & obruit cordis thalamos, & auriculas diſtendit, ut fibræ ſupra modum extenſæ ad propulſandam aggeſti ſanguinis molem & continuandum circulationis filum, inhabiles fiant & impotentes. Illuſtre preterea exemplum mihi Viennæ hoc Anno videre contigit, in perſonâ illuſtri Cœlibe, monaſticæ addictâ vitæ. Fuſcus faciei & niger crinium color, vultus & totus corporis habitus floridus, ætas conſiſtens, ſatis ſuperque prodebant morbum hactenus occultum; ſucci enim & ſanguinis plena mihi viſa fuit. A multo tempore, ejus cœlibatum perpetuum conceſſit malè ſe habere cœpit; crevitque morbus magis magiſque: miras præcordiorum anxietates experta fuit, quin ceu tetano correpta præcordia diſtendebantur; ut ſæpius ſpiritus & pulſus deficere afflictam viderentur, dolores inſuper per univerſos artus vibrantes intenſiſſimos. Variis obruta malis medicationes ſubiit, antihyſtericorum calidiorum, inutilium efficaciam nimis multùm experta. Cumque Carthuſianorum regulæ auſcultaret, qua non tantùm carnibus, ſed & ab his pro doctis veſci, tum ovis tum butyro prohibitum eſt, inculcarunt medentes, ut ſtrictiori abſolveretur regulâ, vires ut conſtarent morbo pares; crevit eò uſque morbus, ut ſeſe diutiùs ferre poſſe diffideret egra. In conſilium vocatus, copiam ſanguinis & particulas elaſticas undecunque advectas, indeque intumeſcentem circa præcordia ſanguinis molem, tanta tamque horrenda patrantem ſymptomata ſubolfaciens, affectum *ſpaſmum* ſeu *cordis tetanum* vocare nullus dubitavi, rationes expoſui, & contraria planè methodo inſtiti. Omni liberaliori victu interdixi, vinum, quod ſuaſerunt alii, abrogavi, ac refrigerantia omnis generis ſubſtitui, tàm alimenta, quàm medicamenta: *Sanguinem ſingulis menſibus* mitti juſſi, & ut potaret acidulas author fui, quibus tantundem perfeci, ut mitiorem ſenſerit affectum, mox continuato horum uſu integram recuperarit valetudinem. Noviſſimè de conſervandâ porrò valetudine per literas conſilium rogatus fui. Et experimento juxta mecum didicerunt graves medici plures, quæ monaſticam conſtituerant vitam, vel invitas occultos ſentire morbos, quę tandem in convulſiones miras prorumpant, nec meliùs, nec citiùs, quàm frequenti ſanguinis miſſione levantur.

Quæ à ſanguinis rarefactione in enumeratis caſibus contigit præcordiorum anguſtia, eandem à condenſatione ac concentratione ejus contingere poſſe, ſequenti experimento didici.

Sereniſſima quædam, florido vultu atque corporis habitu, ejus temperamenti, quod ſanguineum vocarunt veteres, mortem infantis quem habet & primogenitum & unicum, graviter mœrebat, altoque premebat pectore dolorem, quem ſub mamma ſiniſtra ſenſit. alatum, ut in abſceſſum vel quid gravius ne terminaretur metueret. Terrore abhinc novo eoque panico perculſa, pejus ſeſe habuit, & impenſius circa pręcordia angi cœpit, ut ſpiritum vix ducere potuerit, quo ſeſe verteret neſcia. In vicinum conclave manu ducta, inſcia de ingenti præcordiorum dolore conquerebatur; extrema frigebant, pulſus ſilebat, ſuffocationis periculum imminebat; Lumine capta, lucidis oculis ſe non videre quiritabatur; loquebatur interdum delira, interdum loqui non poterat, artus convellebantur, reſpiratio modò citata, modò intercepta, inæqualis ſemper fuit. Conſilium in arena cepimus: extrema pannis calidis & ſpirituoſis liquoribus fricuimus, fortiter graveolentia naribus admovimus. Sal volat. Oleos. Sylvii affatim infundi & liquores alios ſpirituoſos; tandem urgente ſuffocationis periculo (nec enim citiùs adfuit Chirurgus) venam incidimus: prorupit quidem ab initio ſanguis, mox ſtillavit, in pelvi in grumum concrevit, nec tantumdem effluxit, quantum deſiderabamus: Senſim nihilominus pulſus micare cœpit, rediit extremis calor & præcordiis ſpiritus: brevi abhinc ad mentem rediit Sereniſſima unicè conqueſta, apertis ſe non videre oculis. Infuſo abhinc juſculo calido, & vini generoſi aliquot cochlearibus viſum recuperavit; ſenſit nihilominus dolorem in præcordiis; poſtridie iterata venæ ſectio dolorem ſuſtulit. Liquet ex dictis, nimio mœrore ſanguinem ſpiritibus non ſatis colluſtratum, lentum in motu, circa præcordia accumulatum tantum dolorem & anxietates intuliſſe, nec debitò ad extremas corporis oras emanaſſe. Etenim frigebant extrema, pulſus ſilebat, ſuffocationis periculum imminebat, lucidis non videbat oculis, ſanguis ſectâ vix effluxit venâ, & tantùm non ſubſtitit *Circulatio*, quâ frictionibus ſpirituoſis & inprimis ſectione venę proſperè & cum hac Sereniſſima in vitam revocata fuit.

VENTRICULI MORBI.

Præcipui, ac omnes propè hujus partis morbi, abundè deſcripti reperiuntur in Bibliothecâ Medico-Practicâ, ſub titulis, Anorexia, Bulimus, Cholera morbus, Digeſtio læſa, Vomitus &c. Hic tantùm per Obſervationes pauca de periculoſis orificiorum Ventriculi obſtructionibus &c. ex Gulielmô Fabriciô Hildanô, ut & de Anatome Fęminæ Ventriculi ulcere extinctæ ex Ephemeridibus Germanicis trademus, omiſſis, quæ ex Clariſſ. Corneliô Stalpartiô ac aliis adjungi poſſint, quia alibi reperientur.

De periculoſis Orificiorum ventriculi obſtructionibus.

Ex Celeberr. Gulielmô Fabriciô Hildanô.

VEntriculus duobus orificiis donatus eſt, utrumq; non ſine vitæ diſcrimine obſtruitur, ut præter experientiam teſtatur Clariſſimus Dn. Riolanus Practic. Meth. Med. Sect. 3. cap. de ventr. his verbis: *Obſtrui etiam poteſt ventriculus in utroque orificio. Obſtructo ſuperiore prohibetur introitus alimenti. Obſtructo inferiore, non eſt liber chylo in inteſtina exitus. Hæc vitia quamvis dignoſcantur, curari tamen non poſſunt.* Hactenus Riolanus. Judicium atque prognoſticum celeberrimi Domini Viri Riolani, profectò durum eſt, ideoq; ne ſtudioſos & Tyrones Medicinæ ab inſtituto abſterreat, aut practicos negligentes reddat. Exempla aliquot in medium producam, ex quibus manifeſtum fiet, utrumque orificium occluſum, arte recluſum eſſe. Primò autem agam de obſtructione ſuperioris orificii, quod & gula, fauces, & Oeſophagus nominatur, & multas ob cauſas obſtruitur, uti ſunt inflammationes, apoſtemata, ſcirrhi, oſſicula, ſpinæ piſcium, & ſimilia, quæ inter comedendum gulæ infiguntur; & tam tenaciter inhærent, ut ad ventriculum deſcendere nequeant.

De inflammatione ſuperioris orificii triſte exemplum habuimus Coloniæ Agrippinæ, circa annum, ſi rectè recordor 1592. in Viro genere, pietate, & Virtute verè Nobiliſſimo, Domino N. Pilgram, Conſule prudentiſſimo, Patre Patriæ. Hic quum in decrepita ætate catarrho ad

ad fauces correptus fuiſſet, & difficulter deglutire poſſet, celeberrimos Viros, Dn. D. Arnoldum Manlium, Academię Colonienſis Medicinæ Profeſſorem primarium, & Dn. D. Henr. Botterum, Illuſtriſſimi Landgravii Haſſiæ Medicum, in conſilium vocavit, qui & protinus omnia ex arte præſcripſerunt, nec ab initio ſine ſucceſſu. Quum verò in augmento, & circa ſtatum morbi, ſymptomata, ut fieri ſolet, ingraveſcerent, & deglutitio aliquantum difficilior fieret, Medicis viſum fuit, ut clyſteres nutrientes, & leniter alvum moventes, injicerentur. Quid fit? Vix exhibito primo, en vetula ægroto accedens, omnibus modis uſum clyſterum vituperare, & maledico dente carpere non erubeſcit. Falſis hiſce perſuaſionibus cum æger ad iram atque excandeſcentiam maximam in Dn. Botterum, qui hujus præſidii præcipuus autor erat, incitatus fuiſſet, & Medici circa veſperam ad ægrum veniſſent, contumelioſè Dn. Botterum inſequitur ac lacerat. Injuriam hancce, quum Dom. Botterus, ut qui omnia ſe ex arte pręſcripſiſſe ſciebat, ęgre ferret, & Dom. Conſuli viriliter contradiceret, ipſumq; deſereret, nec amplius inviſere vellet, magis magiſque ad iram commotus fuit æger. Incenſo itaq; humore bilioſo, adaucta fuerunt ſymptomata omnia, & quia propter altercationem inter Dominum Botterum, & ægrum, ipſiusque Botteri abſentiam, interrupta fuerat curatio Methodica, omnia in deterius abierunt, ita ut intra paucos dies animam Creatori ſuo pie placideq; reddiderit, maximo cum civium luctu. Hæc ex relatione Dn. Manlii & Botteri habeo. Hinc videre eſt, non ſufficere, ut Medicus ſuum faciat officium circa ęgros, ut rectè monuit Hippocrates lib. 1. Aphor. 1. niſi aſſidentes adjumentum adminiſtraverint. At lingulaca illa vetula hîc non adjumentum, ſed detrimentum, non ſolatium, ſed exitium attulit. Æger tamen excuſari non poteſt: ſui infortunii enim ipſemet ex parte author fuit. Ille enim, ut Vir prudens, & Urbis præcipua Columna, potius Medicorum præclariſſimorum conſiliis, rationibus ſtabilitis obtemperare, quàm garrulam illam auſcultare debebat. De periculoſâ obſtructione Oeſophagi lector videre poterit Exemplum ſingulare Cent. 3. Obſ. 34. Hæc obiter: nunc ad lætiora exempla tranſeo.

Exemplum I. Civis & ſutor quidam Colonienſis, cum inter confabulandum fruſtum corii in ore contineret, & inopinanter ad medium gulæ deglutiret, parum abfuit, quin ſuffocatus fuerit. Divino tamen aſpirante Numine ipſum reſtitui. Vide Cent. 1. Obſ. 21.

Exemplum II. Anno 1592. Mulierem quandam ab oſſiculo undique aſpero, & gulæ cum ſuffocationis metu infixo, feliciter me reſtituiſſe, in eadem Cent. 1. Obſ. 22. dictum fuit.

Exemplum III. Anno 1603. Cum apud Paterniacenſes Medicinam facerem, quadragenario cuidam oſſiculum ex gulâ feliciter extraxi, qui & feliciter reſtitutus fuit, uti in prædicta Cent. 1. Obſ. 36. lector videre poterit, unà cum delineatione inſtrumenti, quo oſſicula, ſpinas piſcis, & ſimilia ex gula extraho. Quod ſi tamen inſtrumentum hoc ad manus non fuerit, ſpongiola cathetere, quo in exploratione calculi veſicæ utimur, aut filo ferreo mediocris ſpiſſitudinis, annectenda eſt.

Exemplum IV. Anno 1612. cum Hildenam in patriã profectus fuiſſem, accidit Coloniæ Agrippinæ 11. Octob. ut puella quatuordecim annorum, & filia Dn. Wilhelmi ab Hæſz civis Colonienſis, cum poſt cœnam aciculâ mediocris longitudinis dentes circumpurgaret, nec ſatis prudenter ineptum hocce dentiſcalpium duceret, verſus fauces delapſa & linguæ infixa fuerit acicula. Quid fit? Oritur ſtatim dolor, deglutitio quin etiam impeditur, ita ut noctem in maximis tranſegerit doloribus, nulliſque remediis à parentibus & amicis, qui accurrebant, adhibitis, ſublevari potuerit. Sequenti die ſummo manè vocãtur duo ex primariis Chirurgis urbis, qui quidem omnem adhibuerunt diligentiam atq; induſtriam, ſed fruſtra. Cùm itaq; parentes ex amicis meis intellexiſſent, me præcedenti die Hildena Mulhemium propè Coloniam perveniſſe, & verſus Helvetiam ad meos properare, puellam Mulhemiũ ad me ducunt, & omnia, quę acciderant, exponunt. Ego cum inſtrumentis (pręter pauca ad praxin quotidianam neceſſaria) inſtructus non eſſem, unà cum parentibus atq; ægra (quam in maximis anguſtiis videbam conſtitutam) anxius fui. Precibus tamen parentum & ægræ commotus, malui aliquid tentare potius, quàm afflictiſſimam ægram ſine auxilio ablegare. Invocato itaque auxilio divino, ſpeculo ſimpliciſſimo, linguam quidem deprimo, aciculam tamen viſu, imò ne digito, leviter in gulam immiſſo, detegere potui. Iterum itaque anxius fui. Quum verò ęgra auxilium meum magis magiſque efflagitaret, & ut digitum profundius gutturi intruderem, aciculamq; perquirerem, rogaret, ac ſe mori potius, quam in tantis anguſtiis diutius vivere paratam eſſe, exclamaret, immiſſo indice ad radicem linguę uſq;, & quidem cum violentia quadam, tandem aciculam linguæ infixam reperi; In transverſum autem, & tamen profundè infixa erat, ut caput aciculæ vix perſentiri poſſet. Tentavi quidem aliquoties, an ungue apprehenſam illam extrahere poſſem, ſed propter craſſitiem digiti irritato ventriculo, ab opere deſiſtere coactus fui. Quapropter diligenter obſervato loco affecto, & ſitu aciculæ, hamulo, aciculam toties apprehendere conor, donec tandem illam, magnâ cum admiratione adſtantium, pręſertim ęgræ, quę alacritate & lætitia ad Deum laudandum incitata fuit, extraho. Poſtea gargariſma ex betonicâ, roſis, plantagine, in aquâ coctis, addito melle roſaceo, pręſcripſi, quo & brevi reſtituta fuit. Operationi, pręter parentes, interfuerunt Dominus Hubertus Freyalderhouen, Bertramus Brevver Hildanus, Henricus Grilenberg, Petrus von Werdt, Cives Colonienſes, quos honoris cauſa nomino.

Anno 1624. cum adoleſcenti cuidam, ex domeſticis Mag. Joh. Bergtoldi Brettelii, Civis & Sclopetarii Bernenſis, Hans Ballier nomine, inter prandendum os ſatis grande Oeſophago infixum fuiſſet, & mox dolores ingentes, & ſuffocationis metus ſuperveniſſent, ad ædes meas conductus fuit, ubi uxor mea, unà cum filio meo Petro p. m. (qui operationem hanc aliquoties à me viderant) me abſente, beneficio inſtrumenti, in prima Cent. Obſ. 36. delineati, os feliciter extraxerunt, deinde brevi convaluit. Non eſt igitur omnis obſtructio ſuperioris orificii ventriculi, ut Riolanus voluit, mortalis. At quoties quæſo in Angina vera & magna, obſtruuntur fauces, nec tamen moritur homo? Exemplum ſingulare lector videre poterit Cent. 3. Obſ. 27.

Orificium inferius ventriculi, ſive pylori, rarò obſtruitur: eſt enim ſuperiori paulò amplius, ita ut quæ per ſuperius orificium ingeruntur, per inferius facilè excernantur. Deinde ſuperius orificium defluxionibus ex capite, uti etiam vaporibus calidis, in morbis acutis aſcendentibus, valdè obnoxium eſt, inferius verò non item: quapropter mihi non niſi ſemel videre contigit. Fuit id Anno 1627. in parvulo ac tenello ſemeſtri puero, Dn. Henrici Othonis p. m. filio: huic puero, cum nutrix ſive gerula pulta ſpiſſa ac viſcida per dies aliquot ventriculum adimpleviſſet, & calor innatus, ut pultem digereret, & in tempore ad inteſtina ablegare poſſet non ſatis validus eſſet, paulatim in ventriculo coacervata fuit puls, adeoque pylorus obſtructus, ut omnia quæ ingerebat, iterum per vomitum rejiceret, nec quicquam per inferiora excerneret. Hinc adeò debilitatus fuit tenellus ille puer, ut ipſum jam jam ſpiritum emiſſurum eſſe aſtantes arbitrarentur. Tum ego accerſitus fui, puerumque divinâ gratiâ feliciter reſtitui: quibus verò remediis id perfecerim, recenſebo, dum prius adſcripſero, quomodo noſtrates pultem conficiant, puerisque infarciant.

Farinam puriſſimam tritici, vel ſpeltæ, cum lacte integro, in ſartagine tam diu coquunt, donec in ſpiſſiſſimam ac viſcidam pultem abeat: plerumq; quoq; aliquid butyri admiſcent. Deinde nutrix aut gerula, indice ſuo dextro apprehenſam particulam pultis, pueri ſupini jacentis ori, & plerumq; (pręſertim ſi ipſam recuſaverit) ad fauces ferè uſq; intrudit, & ita quidem, ut volens nolens cogatur ipſam deglutire. Hinc ſæpè numero graviſſima oriuntur ſymptomata, dum ventriculus infantulorum adhuc imbe-

cillis

ciliis ſpiſſa illa pulte oneratur. Ventriculus enim horum infantulorum non recipit id quod appetit, ſed id quod nutrix vi intrudit. Hæc verò ut rectè intelligantur, deglutionis modus conſiderandè eſt, videlicet, an naturalis an verò animalis, & à noſtra voluntate dependeat? Sunt qui deglutionem naturalem actionem, alii animalem eſſe volunt, in rei tamen veritate mixta eſt actio: maſticatio enim cibi in ore, & ad Oeſophagum propulſio, eſt actio animalis, & à noſtra voluntate dependet, fitque muſculorum beneficio: deſcenſus verò cibi ex ore per Oeſophagum ad ventriculum, qui fibris rectis perficitur, naturalis eſt: Qamdiu itaque appetitus cibi adeſt, Oeſophagus quoque beneficio fibrarum rectarum ipſum ad ſe trahit, & ad ventriculum mittit, dum tamen prius voluntariâ actione ad Oeſophagum miſſus fuerit. Ubi verò appetitus ceſſat, ceſſat quoque facultas attractrix Oeſophagi, cibumque, etiamſi ipſi oblatus fuerit, non attrahit, ſed reſpuit. Porrò ſi nutrix infantulo pultem ad Oeſophagum ferè uſque, ut plerumque noſtrates faciunt, protrudit, tunc actio animalis inutilis eſt, naturalis verò attrahendi facultas Oeſophagi operabitur, pultemque ad diſruptionem ventriculi, ut ita dicam, attrahet, idque non ſine magno periculo infantis, ut in hoc noſtro ægro vidimus. Ut itaque periculum evitemus, cochleare, non digito, infantulis puls offerenda & ingerenda eſt: hoc enim modo quamdiu naturalis appetentia adeſt, animalis ſuo quoque fungetur officio, pultemq; ex ore ad Oeſophagum deferet, ſatiato verò ventriculo, infans pultem protinus, & antequam ad Oeſophagum perveniet, exſpuet. Hæc in gratiam nutricum abſcribere volui. Nunc quomodo in curatione proceſſerim, paucis annectam.

Primò prohibui, ne pultes, aliaque edulia, ex pane aut farina cocta, ſed juſcula tantummodò carnis infantulo exhiberentur, quibus & aliquid Olei amygdalarum dulcium admiſcui. Et quia inſignis obſtructio pylori, propter pultem in ipſo retentam, aderat, ideoque ſequentibus oleis ventrem regionemque ventriculi inungere juſſi.

R. Ol. Amygdalarum dulcium
Liliorum alborum an. ℥. j.
Ol. ex floribus ℥. ß. Miſce. Sequentem quoque ſacculum emollientem, aqua coctum, calidè ventriculo applicui.

R. Radicum Altheæ Liliorum alborum an. ℥. ß. Foiorum Altheæ Malvæ an. m. j. Menthæ Abſynthii Pontici Florum Meliloti an. m. ß. Seminis lini Fœni græci Aniſi an. ℥. ß.

Incidantur & contundantur omnia pro ſacculis. Et quia natura omnia per ſuperiora rejiciebat, nihil verò per inferiora excernebat, ſingulis diebus Enema unum aut alterum nutriens ex conſummatis cum vitello ovi, & pauco ſacchari miſcellanei exhibui. Beneficio horum enematum infans per multos dies nutritus fuit, quãdoquidem omnia, quæ per os aſſumebat, protinus evomebat. Enematibus autem vitam hominis ad tempus conſervari poſſe, Lector exemplum habet in 4. Cent. Obſerv. 30. Hiſce remediis feliciter reſtitutus fuit puer iſte, & in hunc uſque diem 2. Decembris 1629. quo hæc ſcribo, vivit, & quàm optimè valet. Non eſt igitur omnis obſtructio inferioris orificii ventriculi inſanabilis.

De vitrivoris Exempla aliquot, admiratione digna.

Viro Amplisſimo atque Doctiſſimo,

Dn. Gregorio Horſtio, Philoſopho ſummo, & Medicinæ Doctori Excellentiſſimo, Nec non inclytæ Reip. Ulmenſis Archiatro longè celeberrimo, Amico meo ſingulari,

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Ante menſes aliquot Vir Ampliſſime, Amice colendiſſime, cum Centuriam meam quintam ad prælum præpararem, Epiſtolam de matrona, trichiaſi laborante, ad Te quidem ſcripſi, & Centuriæ inſerui, hactenus tamen illam non miſi: Putabam enim, librum propediem in lucem proditurum. Nunc verò quia impreſſio differtur, propterea quod inter hæredes Domini de Bry p. m. (apud quos manuſcriptum Exemplar delitescit) non ſatis rectè convenit, apographum literarum ad Te mittere volui, quibus portionem aliquam pilorum, à matrona illa cum urina excretorum, incluſi, ut videas, veros eſſe crines. Mitto quoque Lithotomiam veſicæ, quam ut A. V. ſerenâ fronte accipere, ſuumque judicium liberè reſcribere velit, etiam atque etiam rogo.

Nunc quod ſpeculationibus Ampl. viri dignum ſit, nihil ſingulare habeo: Ne tamen planè vacuæ ſint literæ, occurrunt Exempla aliquot de vitrivoris, quæ Ampl. V. communicare volui. Tres novi viros robuſtiſſimos, & ebrietati à juventute addictos, qui inter pocula, ex merâ petulantia, plura dentibus contriverunt & devorarunt vitra, & quidem tantâ cum aviditate, ut ſanguis per os emanarit, idque ſine detrimento valetudinis: horum duo etiamnunc vivunt, tertius verò, cum ſexageſimum ferè annum attigiſſet, phthiſi quidem obiit, an verò morbum, quo extinctus eſt, ex devoratis vitris contraxerit, non conſtat. Ab eo enim tempore, quo vitra devoravit, per aliquot annos incolumis vixit, ſed adeò intemperanter, ut, an morbum ex devoratis vitris, an potius ex ingurgitatione vini & ebrietate contraxerit, valdè dubitem. Unum ex duobus illis, qui adhuc ſuperſtites ſunt, Paterniacenſis, & amicitiâ mihi junctus, quemque à multis annis non videram, hiſce diebus hîc offendi, & miratus fui. Eſt enim, quamvis nunc ſit ſenex, & in florenti ætate quàm plurima vitra devoraverit, attamen etiamnunc robuſtus, & morbis parum obnoxius.

Cæterùm, Vir Ampliſſime, non ſatis mirari poſſum, quomodo fragmenta illa acutiſſima, & in copia devorata, inteſtina, exquiſitiſſimo ſenſu prædita, ſine incredibili cruciatu, ac vitę exſtinctione, permeare potuerint? Rationes naturales, quæ mihi ſatisfacere poſſint, non invenio: ideoque id divinæ bonitati potius adſcribo, quàm cauſas phyſicas perquiro. Deus enim pro infinita ſua miſericordia ac clementia, clementer nobiſcum agit, & reſipiſcentiam noſtram patienter exſpectat, uti quoque in tractatu meo Germanico, de Chriſtianorum comeſſandi ratione pag. 25. monui. Mirando autem quodam modo, ac ſolâ divinâ bonitate atque miſericordiâ, prædictos viros ſervatos eſſe, fidem faciunt exempla vitrivororum, qui temeritatis ſuæ atque ſtultitię pœnam morte perſolverunt, ut videre eſt apud Johannem Manlium, tomo 2. in quinto prępcepto, ſub titulo De Conviviis Cyclopicis, his verbis:

Satellites Regis Galliæ, largius ſe vino ingurgitantes, contuderunt vitrea pocula, ac alter alteri prębibit illũm pulverem. Elapſis vix duobus menſibus, omnes mortui ſunt. Hæc mihi narravit quidam multis nobis notus, ipſiſque aſſidens, cui tamen, ut homini Scholaſtico, pepercerunt.

Ante paucos annos fuerunt quidam Ambergæ in Bavariâ, qui longâ potatione inebriati, tandem vaſa teſtacea, è quibus biberant, contundunt, ſeu in pulverem redigunt, & alter alteri illum pulverem in vino præbibit: tandem ventum eſt ad vitra, quę ſimiliter in pulverem redacta ſunt, ac invicem ſibi præbiberunt. Hæc ante paucos annos hiſtoria hûc ſcripta eſt, additumq; erat in literis, tres ex nobilium numero eo die eſſe mortuos, reliquos ægrotare, & mortem certiſſimam exſpectare. Et paulò poſt addit Dn. Manlius; Credo non fuiſſe tam nociva illa vaſa teſtacea, quam ſunt vitra, quæ, in alvum demiſſa, inteſtina erodunt, unde homo ſuperſtes eſſe nequit. Hactenus Dn. Manlius. Ex quibus magis magiſque in opinione meâ confirmor, videlicet prędictos viros, ut antea dixi, miraculosè ſervatos fuiſſe. Ignoſce, Vir Ampliſſime, ſi tibi moleſtus ſim. Vale, & cum lectiſſimâ tuâ Conjuge æternum quàm feliciſſimè vive. Raptim Bernæ, 19. Junii Anno 1626.

Reſponſio ad Obſervationem de Vitrivoris.

Viro Clariſſimo, Experientiſſimo,

D*n. Guilhelmo Fabricio* Hildano *Medico & Chirurgo ordinario Reip. Bernenſis Helvetiorum, Domino & Amico ſuo,*

GREGORIUS HORSTIUS,

S. P. D.

GRatiſſimę mihi fuerunt literæ tuæ, Vir Clariſſime & Experientiſſime, Fautor & Amice plurimùm colende, unà cum Germanico tuo Tractatu de Lithotomia Veſicę, pro quo gratias ago maximas. Lubenter inſuper quoque legi epiſtolam incluſam, qua ſingularem Obſervationem de τριχιάσει continuas. Vittivororum natura non admodum admiranda videretur, ſi Temperamentum hoc ævo ejuſmodi vitris conveniret, quale Plinius olim Tiberio Principe excogitatum fuiſſe refert, ut ſcilicet flexibilitatem vitra nanciſcerentur. At cum vitrum ultimus tranſmutationis terminus aliàs conſtituatur, vix ejuſmodi artificium exſpectandum erit; Imò potius contrarium ſequeretur, quod in ejuſmodi pellucida conſiſtentia, vi ignis ad ſummam puritatem deducta, videatur Εντελέχεια, & perfectio quędam abſoluta, quo nonuulli finalem Mundi tranſmutationem quoque referunt, unde Civitas Dei gemmea, tota pellucida, cujus plateæ aurum mundum, ὡς ὕαλις διαφανής, juxta Apocal. Joh.

Quanquam a. acutiſſima fragmenta Vitrorum aliàs acumine ſuo facillimè partes corporis lædant, alia tamen eſt ratio, quando maſticationis beneficio conteruntur, ac poſteà cum alimentorum ac potulentorum liquoribus commiſcentur, ubi non dubito,quin ad primarumViarum purificationem faciat ejuſmodi Vitrum, comminutum in partes minimas, acrimoniâ ſuâ facultatem expultricem ad excernendum ſtimulante. Novi quoque tales qui petulanter Vitrorum particulas devorarent, ſæpius non abſque faucium Hæmorrhagia, qui num petulantiæ ſuę pœnas dederint, ignoro. Sed fortaſſis hac de re pluribus communis noſter Amicus, Clariſſ. Hoffmannus, cujus literas mihi incluſas hîc accipies. Libellum de Lithotomia, propter Occupationes & peregrinationes, nondum perlegi, ſed eundem noſtro Merckio communicavi, maximè eam ob cauſam, quod hoc menſe Generoſus quidam Baro è Styria ipſius dexteritati ſeſe ſubjiceret, à quo quidem Calculum ℥ij. dextrè extraxit, laborante tn. ſexta die ex Inflammatione, & Sphacelo Veſicæ mortuo. De quo caſu, tum etiam de iis, quę Merckio noſtro aliàs, ut noſti, exercitatiſſimo, in hac manuali operatione, in libro tuo dubia videntur, pluribus poſthac agam. Hiſce bene vale, cum familia. Raptim Ulmæ 17. Auguſti, 1626.

Idem Ad Eundem.

Prioribus meis has addo, Vir Clariſſ. Excellentiſſime, Fautor & Amice plurimùm Colende, tibique gratias ago pro Scripto tuo Germanico, Lithotomiam Veſicæ continente. Rectè facis, mi Fabrici, quod nihil non tentes, quò diverſas Medicinæ partes illuſtriores reddas. Aſſertiones tuas quod attinet, perplacet imprimis, quod in generatione Calculi potiùs cum paucis veritatem defendere, quàm cum multis errare velis. Miror, cur toties celebriores Medici viſcidam materiam, & calorem exurentem inculcare ſoleant: cum tamen ejuſmodi figulinæ concretioni res ipſa contrarium demonſtret, ne quid dicam de varietate Calculorum, è Veſica detractorum, quorum quilibet ferè, quoad conſiſtentiam, colorem, & uno verbo, quoad diverſitatem Tartari ſui nativi, diverſimodè productus conſpicitur: quemadmodum ſatis mirari non poſſum talia, cùm tot Calculorum humanorum diverſa genera penes noſtrum Lithotomum (qui jam ultra bis mille manu propria à Calculo Veſicæ, & Herniis,ſectione & tractione liberavit) reſervata perpendo. Quoad modos extrahendi Calculum, noſti quem noſter Lithotomus præferat aliis, non abſque certa diutinaque experientia, qui penitus rejicit illorum ſententiam, qui ſtatuunt, Vulnus illud Turundis & aliis apertum retinendum eſſe, propterea quod hâc ratione facillimè fiſtuloſis Ulceribus occaſio pręberi queat. Imprimis inhumanum omnino, & ab Artis operibus alienum eſſe ſtatuit inquiſitionem Calculi, ubi ex voto non ſuccedit extractio totaliter, tertia vel quarta die reiterare, quod abſque inſigni dolore, viriumque jactura fieri non poſſe veriſimile eſt, cùm vulnus poſt triduum contra rationem de novo ſit irritandum.

Quoad Balneum noſti diſſenſum ipſius, ubi puto differentiam inter Balneum aquæ dulcis temperatum, ac inter Balneum calidius, vel etiam cum herbis apparatum, dubitationes iſtas tuas conciliare poſſe. Illuſtris Baro Carinthius, Joh. L. B. à Malech, p. m. de ſubſequente inflammatione valdè ſollicitus fuit: qua de cauſâ paulò ante ſectionem, Acidularum potu, præmiſſis præmittendis, uſus fuit: imò Victus rationem exquiſitam temperatamque talem adhibuit, ut nihil quicquam in eadem deſideraretur. Sed quid fit? Calculus è Veſica vix fuit extractus, en ecce dolores circa pubis & Veſicæ locum, nocte primâ ſubſequuntur intolerabiles, quibus remiſſis, matutino tempore, grumi ſanguinis è Vulnere cum Urina excernùntur. Dolor hic remiſſior ſecunda die, circa tertiam noctem ita exacerbatur, ut ſigna inflammationis Veſicæ, vicinatumque partium inde colligerentur, quod omnis generis remedia; tam interna quam externa, nobis extorſit: fruſtrà tamen adhibitis omnibus, ſub finem ſexti diei Vir optimus exſpirare vitamque cum morte commutare cogitur. Aperto poſt mortem corpore, Veſica interius, unà cum ſubjacente Inteſtino recto, Sphacelo correpta conſpiciebatur. Quod cùm tam brevi tempore factum eſſet, tuæ Obſev. olim ad me perſcriptæ mox recordabar, ubi 24. horis poſt contuſionem gravia lethaliaque ſubſecuta fuerunt. Integrum Caſum, cum conſiliis Clariſſimorum Medicorum, huic ægrotanti communicatis, σὺν Θεῷ, per occaſionem aliam tranſmittam, ubi diebus hybernis cum Deo plus otii dabitur. Hiſce bene Vale, cum familia tua, diutiſſimè, feliciſſimè. Ocyùs Ulmę 20. Auguſti 1626.

Clariſſimo Viro,

D*n. Guilhelmo Fabr. Hildano, Anatomico & Chirurgo præſtantiſſimo, & Amico meo magno.*

CASPARUS HOFFMANNUS

S. P. D.

VIr Clariſſime & Præſtantiſſime, non injuria doles occaſum Anatomiæ. Quidni enim ita loquar? Vix ego novi jam ullam Germ. Academiam, in qua exercitia illa obeantur, ut par erat Paravium amiſit non Spiegelium tantum, ſed & concurrentem ipſius, ut vocant, Plazzonum. Qui ſucceſſiſſe his videri vult; Pompejus Caymus, mira de ſe excitat Diſcipulorum judicia. Soleo Ego apud amicos deprædicare felicitatem meam, cui audire, & ſecantes videre contigerit duos ſummos Anatomicos, Dn. D. Aqua-Pendentem, & Bauhinum. Feci ego hactenus, quod potui: verum jam tradita eſt ea lampas alii. De Veſalio melius ſentis. Potuiſſet verò eſſe major, ſi minor eſſe voluiſſet, ſi, inquam, explicare Gal. maluiſſet, quàm reprehendere. Ego hactenus ſeriò laboravi in enodandis quibusdam difficultatibus, ſed mirum eſt meum fatum, ſunt enim quidam, qui velint, etiam errores Galeni me defendere. Nimirum eo ipſo Galeni ſibi videntur, ſi ſemper in ore habeant Galenum. Hac de re dicent tibi aliquid hæ duæ orationes, quas mitto. Interim ſtrenuè ego pergo in Galeno,ſecurus quid deblaterent iſti. Rogo autem, ſi quid habeas, quo poſſit Galeni illa Editio reddi ornatior, uti mecum communices. De communicatis exemplis illis rarioribus, gratiam habeo.

De

De vitrivoris ita judico, deſcendere fragmenta Vitrorum, immiſta cibis & excrementis, atque ita minùs lædere, obtuſâ videlicet acie illotum à lentore iſtorum. Sed cur non fit in omnibus? Credo fieri in iis tantum, in quibus Natura eſt robuſtior, ideoque expeditior ad obeundas res ſuas. De Calculo Lindavienſi jam totus ſum tuus. De cavitatibus ſupra oculos ἐπέχω; Puto autem voci ſervire, ut doceo comm. in lib. de uſu partium; Aerem pro ſpiritibus Animalibus quò minùs credam præparari in illis, multa faciunt. Vide autem, ſi vacat, in libro de Digreſſione illa libri octavi, dictorum Commentariorum, quis verus ſit uſus oſſis illius; quod in quibusdam Animalibus diſtinguit Cerebrum & Cerebellum, tum demum ſciemus, ubi ſciverimus, cur Cerebrum ſit diviſum in Cerebrum & Cerebellum? Hoc autem ut obſcuriſſimum eſt, ita illud quoque, quominùs credam roſioni ſervire, facit, quod roſio ab utraque Maxilla tantum fit, nihil conferente Calvaria, & præſertim parte ejus aliqua interna, qualis eſt Os, de quo agimus. Et ſi gallinæ etiam habent, quid rodunt illæ? Sed neque credo ſphæricam figuram quicquam facere ad robur Capitis. Vide hac de re Hypomnemata Mauritiana Steini. Viſum inſtrumenti Hydragogi mitto, ut accepi à Dn. Chriſtophoro Burckardo, Medicinæ Candidato, qui nunc Patavii vivit. Ab hoc ſcire poſſumus, ſi quid amplius neceſſe ſit ad inſtituendam operationem. Rogo autem ſignifices mihi, quid putes de toto negotio? Tractatum de Ichoribus mittam, ſi Deus volet proximâ occaſione: jam enim ad manus non eſt. Promiſerat Auguſtanus quidam, ſe totum Tractatum de Humoribus (cujus particula eſt libellus de Ichoribus) excuſurum: ſed fefellit ſpem meam. Tempora illa ſcilicet ſtudiis noſtris valde inimica ſunt, & perdant etiam illos, qui nobis auxilio eſſe ſolent in his talibus. Hæc cauſa eſt, cur VVecheliani etiam refrixerint de Galeni Græco-Latini editione. Sed abrumpo, & commendo Te tutelæ divinæ. Bone Tu vale, mi Fabrici, & perpetua mihi amorem tuum. Scribo Altorffii, 4. Aug. 1626.

De *aciculis, abſque inſigni moleſtiâ diu in corpore retentis,*

Quę horrenda ac crudeliſſima Symptomata poſt deglutitas aciculas in Virgine quadam ſequuta fuerint, Lector videre poterit Centur. I. Obſervat. 34. In alia tamen mattonâ robuſtâ, & conſiſtentis ætatis, per annos aliquot in corpore ſine magno incommodo delituiſſe aciculis, obſervare mihi contigit Coloniæ, in hunc modum.

Anno 1612. Cum in Belgium profectus eſſem, à nobiliſſima quadam matrona in conſilium adhibitus fui. Illa mihi expoſuit, ſe ante annos ſex, cum quodam die caput exornaret, & aciculas aliquot, ut ſolent mulieres, in ore retineret, eas inopinanter deglutiiſſe, ſtatimque pungitivos dolores, ſed non uſq; adeo vehementes, in Oeſophago exortos fuiſſe, eosque tamen adhibitis præſidiis quibuſdam à Medicis præſcriptis, paulatim remiſiſſe, præterquam quod ab eo tempore inter comedendum, pręſertim degluriendo cibum ſolidum, adhuc dolorem fixum in Oeſophago percipere ſe ajebat. De dolore quoque pungitivo in fundo ventriculi, uti & in quibuſdam aliis partibus ventris, conquerebatur, præſertim poſt paſtum, forſan, quod aciculę ab onere cibi deprimebantur. Ex quibus omnibus facilè colligere mihi fuit, diverſis in locis aciculas adhuc deliteſcere.

Conſului, ut medicamento lenitivo corpus per intervalla expurgaretur, ſi forſan hoc modo aciculæ ſuo loco amoveri poſſent. Deinde ut uſum olei amygdalarum dulcium cum ſaccharo in formam Electuarii mixti, familiarem ſibi faceret, & ſingulis diebus bis aut ter de hoc Electuario, & præſertim ante paſtum, ſumeret, idque in eum finem, ut beneficio olei dolor leniri, ulcera verò, ſi quæ forſan adeſſent, ſaccharo abſtergi & conſolidari poſſent. Hoc medicamento per menſes aliquot, & quamdiu ego Coloniæ ſubſtiti, maximo cum fructu uſa fuit, quid verò poſt meum abitum cum ipsâ acciderit, ignoro.

Ventriculi ulcere, extinctæ Mulieris Anatome.

Clariſſ. Adami Chriſtiani Thebeſii Ephemer. German. Centur. 3. & 4.

Uxor Domini Dipoltii (qui Illuſtriſſimi Comitis de Sirotim Diſtrictûs Chemnicenſis Præfectus eſt) à multis annis cachectica, dolorem jam majorem, jam minorem prope ſcrobiculum cordis in ſiniſtro latere ſenſit, cui acceſſerunt varia Symptomata & maximè vomitus pertinaciſſimus poſt paſtum. Ceſſit tandem fatis, poſtquam nonniſi per quatuor dies decubuerat Anno 1713. menſe Februario; & quoniam ipſa vivens voluerat, ut poſt mortem ſecaretur, ſaltem ut intenſiſſimorum dolorum cauſa patefieret, mihi, in abſentia Medici ordinarii Dn. D. Siſſenbachii, ſectionis cura commiſſa fuit. Invenimus abdomen pure, & aquâ repletum cum inſigni fœtore. Pus erat ſpiſſum, glutinoſum, ex albo & luteo hinc inde vireſcens, partim inteſtinorum canali arctè adhærens, partim cum intermixta materia alba, ceracea vel ſebacea aquæ innatante. Heterogenea hęcce corpora igni admota liqueſcebant inſtar ceræ, & ut opinabar, maſtichis grana erant ægræ à Medico pro Medicinâ ordinata, quæ in ventriculo ſoluta poſtmodum coagulum tale iterum ſubierunt. Fons puris & materiæ hujus heterogeneæ in ipſo orificio ſuperiori ventriculi deprehenſus eſt, ubi foramen nucis myriſticæ magnitudinem excedens, in cavitatem ventriculi & œſophagi hiabat, quorum uterque pure plenus fuit. Huic foramini aliud ex oppoſito in eodem œſophagi fine viſum fuit, pariter puri exitum præbens. Utrumque horum foraminum circa limbum valde tumidum, nigreſcens & Sphacelatum ſe exhibuit. Ulcus autem, antequam perforavit viſcus, ſat amplum fuiſſe collegimus, quia tum œſophagus valde dilatatus, tum ventriculus cum ſtomacho tantùm depreſſus erat, ut pylorus locum illo ſuperiorem teneret. Vaſa ſanguifera circa nervos ſtomachales, circa plexus meſentericos, circa plexus minores in pelvi, inprimis in Siniſtro latere turgebant, membranæ lividæ erant & tumidæ, propterea haud dubiè pes ſiniſter & totum latus ſiniſtrum, quaſi paralytica facta; ab ægra vix moveri potuerunt. Teſtes ſive ovaria inflammata & ex parte cum utero paulisper ulcerata fuerunt, ita, ut per tubas fallopianas utero compreſſo pus exiret, atque via ex tubis in uterum, & ex utero in tubas valde patula eſſet. Renes ſolitò flaccidiores erant. Pancreas tenuiſſimimum; glandulæ meſaraicæ parviſſimæ. Veſica urinaria nè guttam quidem urinæ continebat, quamvis ęgra multis ante mortem diebus nihil urinæ reddiderit; Forſan quia poſt perforationem ſtomachi plurimus potus in cavitatem abdominis effluxit, & reliquus per corpus prorſus emaciatum facilè tranſpiravit. Renes benè conſtituti: bilis ſolitò ſpiſſior: Liquor pericardii copioſiſſimus & ſanguinolentus. Neutiquam tamen colorem illum rubicundum per incautam manum in diſſectione adeptus eſt; id quod ſtudioſiſſimè fuit prohibitum. Neque illum è glandulis Malpighianis contraxit, ut pote quæ pariter ac omnes glandulę tenuiſſimę & inprimis hæ in hoc cadavere prorſus inviſibiles. Verùm auricula cordis dextra tantùm dilatata erat, ut dextrum cordis ventriculum non modò æquaret, ſed magnitudine ſuperaret. Per hujus membranam, accedente leniſſima digiti compreſſione, tranſſudabat ſanguineus ille pericardii liquor, id quod ſine dubio eadem ratione in vivente corpore per impulſum ſanguinis factum eſt, inprimis cùm in articulo mortis, ceſſante jam motu auriculæ ſiniſtræ & ventriculi ſiniſtri, nihilominus ventriculus dexter; &, ceſſante etiam ejus motu, ultimo adhuc auricula dextra ſyſtolen & diaſtolen ordinario patiatur. Hunc novum liquoris pericardii fontem declaravi in diſſertatione de Circulo ſanguinis in corde & alibi. In ipſis cordis ventriculis parum ſubſtantiæ polypoſæ carneę deprehenſum eſt.

VERPUS.

Vid. ſub titulô RECUTITI; ſeu potiùs in PENIS MORBIS, ubi Operatio Celſi in Recutitis adhibenda ex Hieronymô Fabriciô ab Aquapendente, enarratur.

VERRUCA.

VErrucæ ſunt tubercula in cute enata quæ pro variis quas obtinent, formis, diverſas ſortiuntur appellationes; alię enim ſunt ſeſſiles Græcè μυρμηκία dictæ, quæ humiles ſunt infra latæ, & radices altè infixas habent; dolore etiam affligunt: aliæ rurſus ſunt penſiles ἀκροχορδόνες Græcis appellatæ, quæ parte quidem ſumma latiores ſunt, imâ verò verſus cutem, tenuiores, qua quaſi pediculo innituntur, thymia denique vocantur, quæ colorem thymi repræſentant, ad cutem etiam ſunt tenues, in ſummo autem latæ, durę, & aſperæ, penſilibus minores; oriuntur autem omnes vel à materia craſſa melancholica & pituitoſa, vel ex ſucco cuti & cuticulæ alendæ deſtinato.

Pater meus cum juvenis manus verrucis repletas haberet, ei conſultum fuit à *Spiringio* Medico, ut omni die ſale & aceto eas fricaret; quo remedio ſanatus fuit, noſtra ætate quidam ſucco calendulæ ſolo inuncto ſanari ſunt. *Petrus Foreſtus. obſerv.* 10. *lib.* 4. *obſerv. Chirurg.*

Ad verrucas, myrmecias & acrochordonas tollendas ſæpè feliciter uſus ſum ſucco tithymali. Præterea raphanum excavato, ſale impleto, operculo occluſo in catino per noctem ſervato, ſalem in liquore verſum invenies: eo verrucas confricato, & panno in eodem liquore tincto ſuperligato, poſtea decident; eſt hoc ſecretum *Alexii Pedemontani.* Ad verrucas etiam valet radix chelidoniæ cum axungia trita & admota, eas enim abſumit & tollit, agrimonia quoque cum forti aceto emplaſtrata verrucas tollere dicitur. *Idem. obſerv.* 11. *lib.* 4. *obſerv. Chirurg.*

℞. Limac. rubr. q. v. ponantur in vaſe plumbeo aſperſo ſale, & ſic maneant per quatuor dies, abjectis limaciis, ter, quaterve in die cum liquore illarum liniantur verrucæ. *Idem. ſchol. obſerv.* 11. *lib* 4.

Verrucas nobilis cujuſdam puellę totas manus occupantes, ſola ſanguinis tauri jam mactati calidi illitione ſublatas vidi. Idem etiam ſanguinem cervinum quidam præſtare referunt. *Philippus Salmuthus. obſerv.* 27. *cent.* 2.

Ut ſubitò verrucę omnes manuum curentur, lotio tantum earum inſtituenda eſt, ex aqua communi in qua ſal armoniacum ſolutum fuerit; quod à *Dom. Videl.* Medico *Delphin.* qui millies expertus eſt cum feliciſſimo ſucceſſu, acceptum teneo. Nuper famulum *Dom.* legat. *Hollandiæ* curavi, qui innumeris verrucis à duodecim annis ſcatebat, nec ab ullo curari potuerat: curatus autem fuit ſolâ aquâ cum ſale armoniaco ſæpè fricando ut dictum eſt. *Petrus Borellus obſerv.*46. *cent.*

Quidam patiebatur multas verrucas in digitis manuum, quas curavit meo conſilio, illitu lactis ficulnei quater aut quinquies adhibiti. Idem præſtitit idque multò efficacius ſpir. ſulph. per campan. per aliquot dies admotus in ruſtico quodam. *Simeon. Jacoz. obſerv.* 17.

Intra ſeptem vel octo dies, curantur verrucę portulacâ contuſâ, eâ pars confricatur, deinde inſtar cataplaſmatis admovetur, iterando bis in die. *Samuel Formius obſerv.* 34.

Eſto pomum tranſciſſum, cujus pulpa interna ſit affricta verrucis, donec intepuerit, & religatis medietatibus per filum, donec pomum putruerit, tum enim videbit verrucas attactas diſparuiſſe: ſimulatque enim vita pomi ultima perit, cui verrucarum impreſſio fuit conglutinata, perit etiam verrucarum vita ultima. *Joh. Helmontius. tractat. cui tit. Magnum oportet.*

Verrucæ atque ſtigmata à perturbatione prægnantis fœtui inducta, attactu cadaveris ſenſim ac ſponte mortui, donec pars intimè refrixerit; ſponte evaneſcunt. *Joh. Helmontius. tract. cui tit. Tumulus peſtis.*

Pro Verrucis in virga & locis ſecretis ex lue gallica.

Poſt univerſales purgationes, diſſolvo parum ſublimati in aq. plantag. cum exiguo aluminis, & plumâ verrucas illino, quibus exſiccantur, & cum cruſta decidunt. Chirurgi in noſocomio *Delphenſi* in *Gallica* lue verrucas tollunt, inungentes unguento morbi gallici, quo ſi non deſinunt, etiam utuntur ſublimato & alumine cum aq. plantag. (quo remedio & nos uti conſuevimus, antequam illi eo uterentur) donec decidant & perfectè curentur: *Isbrandus* Chirurgus *Delphenſis* hac aqua egregia utitur ad condylomata, verrucas, thymos ani, virgæ & membrorum muliebrium conſumenda & auferenda in lue gallica.

℞. Aq. plantag. ℔ß. ſublimati ℈iv. alumin. ℥ß. pulverizentur in aqua penna intincta vel petia lini verrucę tangentur: hac aqua nos feliciſſime uſi ſumus. *Nicolaus Maſſa cap.* 5. De cura ulcerum morbi *Neapolitani*, deſcribit modum faciendi aquam ſeparationis auri ab argento, qua utitur in verrucis hoc modo.

℞. Vitriol. roman. ℔ii. alumin. roch. ʒvi. (forte ℥vi.) ſalis nitri ℔j. pone in cucurbitam curvam lutatam, vel ſi vis pone in rectam cum capello ſuo & recipiente ad ignem fornacis, & habebis aquam cum qua ſeparatur aurum ab argento, & cum qua fit pulvis angelicus, quę aqua eſt mirabilis ad removendas verrucas in quacunque parte, & maximè in ano & vulva; cauterizat etiam iſta aqua ulcera maligna ambulativa, ubicunque etiam fuerint, ut in gutture, & prohibet progreſſum ulcerum virgæ & vulvæ. Sed cum eſt nimis acuta, oporter lymphare ipſam cum aqua roſac. at ego [inquit Maſſa] ſæpe ſanavi ulcera mala gutturis, tangendo bis in die cum aqua dicta, cum medietate aq. roſ. admixta, & eſt de ſecretis noſtris. *Petrus Foreſtus. obſervat.* 11. *lib.* 4. *obſervat. Chirurg.*

Pro Verruca Gallica in mucrone linguæ enata:

Æger multis preſſus anguſtiis, medicos, pacta liberali mercede, rogat, ut pro ſui ſalute veterum ac juniorum monumenta revolvant: ego ſtipendii compendio adductus, amicos, i. e. libros, tota nocte conſului. Multas pro tanto malo remediorum myriadas inveni. Octiduo tentavi omnia fruſtra, Ultimò adii *Lacunam. lib.* 2. *in Dioſcor. cap.* 17. qui pro Verrucis curandis nullum aliud præſidium utilius eſſe inculcat, quam chelidonii maj. folia piſta cataplaſmatis forma ſuper verrucoſam partem imponere. Ad ægrum lætabundus accedo, remedium experturus, & emplaſtrum exertæ linguæ appono lineo panno involutum, & in medio linguæ triplicato filo ligo, non pertranſierant dies duo, quando verruca omnino contabuit, ita ut ilico exciderit. Hoc exemplo edoctus plures in volis manuum & plantis pedum renatas, quæ miſerrimè ægros excruciaverant, radicitus hoc facili & certiſſimo auxilio extirpavi. *Zacutus Luſitanus. obſerv.*79. *lib.*1.*prax. admirand.*

Clariſſ.

Clariſſ. Godefridus Bidloo de Verrucis hæc habet in Exercitationibus Anatomico-Chirurgicis.

MOrbos quoſdam, ſi eorum definitiones deſcriptioneſque examinemus, nomine inter ſeſe; non verò re & vice verſa convenire, docet *Verruca*, utpote, cujus ſub titulo, diverſiſſimos ab ea, tumores morboſque recenſent auctores.

Sive itaque *Verruca* ab eminente de monte loco nomen habeat comparativè, ſive aliis rebus, puta veſtium cuidam generi, vel incultis hominibus, ex ſua ſimilitudine, nomen dederit, id ipſum nomen *Verrucam* non exprimere, conſtabit ubertim: datur enim *Verruca* (taceo alias) plana, lævigata, glabra, clavum mentiens; ut inter digitos, in vola manus, planta pedis aliiſque in corporis partibus, videre eſt; ſed miſſa faciamus nomina comparationeſque, videlicet, claudicantes omnes videamuſque potius, quid, in hoc uſque tempus, hocce de tumore ejuſque eſſentia, renunciatum ſit ab medico-chirurgis & an parte affecta, non cognita, ejus curatio rationi potuerit eſſe conveniens?

Ut ſingulorum auctorum nomina non commemorem, hic *Verrucam* definit; *excreſcentiam carneam, fungoſam, vel ſylveſtrem, ſenſu expertem, cuti concolorem*; ſtatuens ejus cauſam, *craſſiorem ſanguineam materiam, quam robuſtior calor de toto latice ſanguineo ſeparavit:* ille, *melancholicos, terreſtres & phlegmaticos* inculcat *humores*: neque deſunt, qui *Verrucam ex ſucco verè alimentitio; ſed vitioſo, poris cutaneis infarcto & tandem propullulante extra ſolidas fibras, ortum ducere contendunt:* ſunt & qui *eam ab externis injuriis, puta verm bus, araneis, fimo, ſale leniter corroſivo &c. poros cutis intrantibus ſuccumque naturalem vitiantibus* generari & germinare ſuſtinent.

Hæc ut figmenta (eſſe namque figmenta demonſtrare mox conabor) exponent ſuaſque tegant hallucinationes, confundunt cum *Verruca* varias excreſcentias carneas tumoreſque fungoſque varios; exempli gr. Thymum, Sycoſin & alios, de quibus latiùs infra.

Verrucam, non quod ab auctoribus eſt dictum; ſed verò eſſe papillarum nervearum cutanearum excreſcentiam, oculo apparebit, inſpicienti eam, armato, diſtinctè; ad oculum autem hæc cum poſſit demonſtrari veritas, ab ea omne abſcindo inutile verborum plurium ſyrma;

Quia verò haſce inter papillas cumque iis aliquando glandulę, protuberant luxuriantque cutaneæ; variæ conſpiciuntur quaſi *Verrucarum* ſpecies; cum ipſe tamen morbus ſolummodò in prædictas papillas vim exerceat ſuam & *Verruca*, propriè loquendo, carnea, vel glanduloſa ſit nulla eoque in caſu mixtum quoddam extruatur excreſcentiæ genus.

Verrucarum varietates in magnitudine, colore, figurâ &c. quærere, laboris videtur infructuoſi; quoniam hæ & ſimiles varietates, differentiæ & diſtinctiones ipſam morbi eſſentiam non variant atque pro tempore mutantur; pro loco tamen atque proinde reſpectu methodi medicandi, *Verrucas* differre inter ſeſe, docebitur inferiùs:

Orbicularis itaque, vel ſeſſilis ſit, lato, vel tereti pedunculo inhærens, aſperitatibus una, vel pluribus, magnis, vel parvis *Verruca* aſſurgat, vel multa preſſione, vel crebra frictione obtundatur, modo una, vel plures papillæ nerveæ cutaneæ cuticulam perforando ultra ſuos limites extuberant, *Verrucam* conſtituunt.

Glandulæ quoque cutaneæ; etſi non rarò protuberent, aliud tamen excreſcentiæ genus (ut ſtatim innui) efformant, abeuntes in calloſam duritiem nunquam.

Qui porrò clavum, ſpinam cutaneam, vel nerveæ tunicæ callum *Verrucam* nuncupant, vel ad ejus ſpeciem revocant, non magis eam habent perſpectam, quàm qui eam ſchirrhum pronunciant.

Colligi ex hiſce poterit facile, acrochordonis & myrmeciæ nomen ejuſque morbi eſſentiam, cum ea *Verrucæ* nequaquam convenire; Morum itidem, Criſtam, Ficum, Mariſcam & inprimis Condyloma, ad carneum ſuum luxurians genus eſſe referenda, patentque harum excreſcentiarum differentiæ inter ſeſe, ut & cum *Verruca*, ex ipſa *Verrucæ* deſcriptione.

Verumenimverò, tametſi in partibus pudendis quoque *Verruca* quandoque aſſurgat, illi ſanè cum ſpurciſſimis & ex mala Venere ortum ducentibus excreſcentiis, dictis (præter nomen) *Verrucis*, commune eſt nihil:

Nam *Primò*; fœdæ iſtæ & obſcœnæ, tumentes citò, excreſcentię madent mox ab earum exortu fœtentque deinde horrenter; *Verruca* non.

Secundò; putidæ hæ protuberantiæ mittunt ſuo de corpore continuò ſanguinem; *Verruca* nunquam & quod ſanguinis circa, vel de *Verruca* fluere aliquando obſervatur, non de *Verruca*, ſed verò partibus ei vicinis lęſis, vel eâ ipsâ ultra & per baſin lacerata, hauritur.

Tertiò; turpes hæ excreſcentiæ de die in diem, medicamentis ſedulò non adhibitis, de malis abeunt in peſſima ſemper; *Verruca* verò ſępiſſimè, nullo adhibito medicamine; quinimò, ulla ſine cicatrice, curatur.

Quartò; prædicti tumores gangrænâ & Sphacelo, ſive putredine corripiuntur pro parte, aut toti facilè; indurantur verò nunquam; *Verruca* è contrario prioribus ſymptomatibus nunquam, poſteriori, imò & incurabiliter, exponitur ſemper.

Quintò; ſcirrhoſa *Verruca* extitit nunquam, utpote quę in glandularum carnearum, vel veſicularium neutro verſatur ſyſtemate atque ſchirrhus aliis in partibus fieri nequit.

Operæ pretium non videtur (*Lect*: *Beniv*:) te moneam demonſtremque in palpebris grandinum & mixtum hordeolorum genus; quinimò, veſiculas lapidosâ materiâ turgentes cuticulæque aſſurgentis indutatas ſquammulas, ab quibuſdam; ſed & imperitis, pro *Verrucis* haberi; cum hi tumores & protuberantiæ diſtinctu, viro medico chirurgo, ſatis ſint faciles.

Quod tamen tecum (*Lect*: *Beniv*:) *De Verrucis*, priuſquam earum curationem deſcribere aggrediar, communicandum habeo, eſt;

Primò; me, ex multa obſervatione Anatomica practicaque mea Chirurgica, compertum habere, juniores homines, præſertim pueros, hocce malo; ſenio verò confectos, nunquam vexari.

Secundò; *Verrucas* dolorificas & contagioſas eſſe ramoſas eaſque non ſolum ſuperiùs; ſed & inferiùs; imò, uſque in ipſam membranam muſculorum communem, extendi.

Tertiò: *Verrucas* omnes hiemali feliciùs, quàm ulla alia anni tempeſtate, curari.

Ne autem hæc à poſteriore ſolummodò longaque praxi tandem & tantum poſſe comperiri videantur, adjiciam hiſce aſſertis, mea in ſingula hæc obſervata, cogitata & rationes, quæ, quod ſuppono, docere & adſtruere, quoque à priori, videntur pleniſſimè.

Ad Prim: cùm *Verruca* ſit morbus, ſive excreſcentia nerveę molis, vel nervearum papillarum cutanearum (quod ad oculum eſt demonſtrabile) mirum non eſt, in pueris juvenibuſque (lauta quibus largaque ſucci nervum comitantis eſt copia nervique ipſi ſunt molliores) eas luxuriare; in ſenibus verò, quibus nervi hocce liquido deſtituti, rigent, non oboriri & inveniri.

Ad Secund: illæ etenim parti infiguntur admodum ſenſili, unde motæ, quod cum cute ferè continuò fit, doleant,

doleant, oportet maximè; adde ad earum circumferentiam liquidi, ab ſtagnatione, acrioris quid, vicinis, aut plurimum tum, ſtillitare de partibus inflammatis: pono itaque *Verrucarum* contagium non tam in ipſas *Verrucas*, quàm partes iis vicinas læſas & jam nunc, ab aliquo tempore, ichoroſâ materiâ obſeſſas, hancque ad *Verrucæ* margines & fiſſuras eructantes exhalationeſque ſuas ejicientes: hac ratione ſequitur (vide *Artic. Tertium*) hiemali faciliùs, quàm quavis alia anni tempeſtate *Verrucas* extare curabiles: omne enim contagium, luis Venereæ, peſtis, ſcabiei, verbo, omnes conſpurcationes infectioneſque calore & ſub jove calido, vehementiùs, quàm è contrariò promoveri, graſſari & diſpergi de vivente in viventem, [ſuperſedeo rebus inanimatis] inficias credo ibit nemo, ad quod accedit; curationem *Verrucarum* fieri palliativè, induratione, abſolutè, exſiccatione, quâ decidunt; utrum autem hoc medicamentis, an verò manuali operatione fiat tutiùs, citiùs, jucundiùs, indagare & exponere tentabo dilucidè.

Etſi remedia, quæ in genere, ad curandas *Verrucas*, in ſpecie quoque ad eas palpebrarum tollendas, adhibenda videantur: monitos tamen Chirurgophilos volo; ne hoc, axiomatis inſtar, accipiant, ſtatuantve: auferuntur enim *Verrucæ* & ut volunt auctorum præſcripta, ſecundum artem, medicamentis corrodentibus; ut *Spir. merc. alb. auripigment. turpeth. mineral. merc. Præcipit. ol. Sulph. per camp. ol. vitriol. butyr. antim. arſenic. lapid. infernal. aq. fort. &c.* Quid autem ego (ſalvo experientiore judicio) hiſce de remediis in genere & ſpecie ſentiam & experimentis variis didicerim, videbis (*lect: beniv:*) ſtatim; tu autem quiſquis es, cave, ne hæc palpebrarum *Verrucis* injicias unquam: teneræ quippe hæ & continuò movendæ partes, leviſſima etiam actium & corrodentium medicaminum, prudenti licet adhibitione, perforantur, conſtantque ſæpius ægris viſus partiumque nobiliorum jacturâ: huc itaque ſpectat, quod in anteceſſum, de differentia loci *Verrucæ*, indigitavi: quamvis etenim medicamentis corrodentibus forſitan (de quo tamen dubito) ablata de palpebra, ſine magno vicinarum partium damno & detrimento fuerit *Verruca*, iſtam nihilominus curationem, bonæ deæ Fortunæ potiùs, quàm Apollini adſcribendam, reor: audi itaque, audi inſuper (*lect: beniv:*) horrendum hujus audaciæ, dicam an imprudentiæ? pretium & alieno diſce mercari periculo cautiùs.

Anno MDCXC. *Hagæ-Comitum*, Chirurgus quidam, cujus nomini, propter res ab ipſo ſæpius, in Republica Chirurgica, viriliter geſtas, parcere duco æquiſſimum, *Verrucæ* majuſculæ, dextram ſuperiorem palpebram, juveni XVI annorum, non longè ab naſo, pro ſede, habenti, ſcalpello punctulis pertuſæ multiplicibus (leviter ſcarificatæ ajunt) communis ruptorii injecit fruſtulum. Æger, quamvis intra horam, totus ipſi jam doleret oculus, ſtatuens conſumi debere *Verrucam* prævioque hoc & non ſine comite dolore poſſe fieri, Chirurgum non accerſit & ille non, niſi elapſo quatuor; ſed, ut æger, referebat, ſex horarum ſpatio, redit remque indagat: omni ſepoſita ligaturarum ſupellectile (curaverat etenim, ne palpebrarum motu, qua vellet, alior ſum, cederet apparatus flueretve cauſticum medicamentum) vix oculum inſpicit, quin, non *Verrucam* tantùm; ſed & totam ferè palpebram; imò & iſtius lateris tempora genaſque: in eas enim & in dorſum occubuerat quandoque æger, levi nigredine conſperſa intuetur; ut verò, abſterſo liquore, rem perſcrutatur propiùs, ipſam palpebram, adnatam corneamque tunicam ſuo contactas medicamine, horret, meque in conſilium vocat ducitque ad patientem. Quantum potiſum, dolores arroſioneſque lenio, ſiſto quodque ex arte medica judico, ſedulus perago fotibus, cataplaſmatibus medicamentiſque topicis: detergo, nempe, Croco & Opio, cum lacte mixto' ſeminumque cydoniorum & pſyllii mucilaginibus, albumine ovi cum alumine conquaſſato, omnes partes: injicio quidem, hoc modo, repenti malo moram; ſed verò demortuis & moribundis partibus, jam nunc & vita & vigor deerat: non levis quippe poſtea palpebræ adnatæque pars tunicæ ablata & corneæ condenſata fuit; ità ut poſtea nullum per . . . pupillæ, vel ligamenti ciliaris veſtigium apparuerit, totuſque oculi bulbus unicolor & tumidè prominens manſerit: brevi, imprudentiæ hujus hiſtoriam expediturus, ei nihil addo; niſi hominem, hoc oculo, reſtitiſſe viſu privatum ſibique ſe luminis aliquid percipere, perſuaſiſſe aliquando.

Curationem quod ſpectat in genere, triplici illam poſſe abſolvi methodo, ſuſtinent auctorum plurimi; medicamentis, videlicet, chirurgiâ & occulta rerum adhibitarum qualitate. Harum ultimam, utpote fabuloſam; ne quid pejus dicam, & inſulſam, rejicio in totum: quis enim mente conſtans Medico-Phyſicus ſibi habebit perſuaſum, *Verrucam* manu mortua contactam, emori mox & decidere? aut aquâ pluviâ ex cippis hauſtâ, conſperſam, evaneſcere; aut filis, ex induſio *Verrucoſorum*, demortuorum in nodulos, ad *Verrucarum* auferendarum numerum, contortis & ſtillicidio fontis naturalis ſuppoſitis, putreſcere? de cute ſeparari atque ſine cicatrice curari? vel pomum *Verrucoſum* per medium ſciſſum & poſtea uvidæ demandatum terræ, huic morbo non fallax eſſe remedium? Quis genio, moribuſve admodum eſt auſterus; ut, ubi hæc legerit: *Accipe tot grana cicerum, quot ſunt porri & ſingulis granis, ſingulas tange verrucas, deinde liga grana cicerum in linteolo & poſt tergum projice; ſed hoc non fiat, niſi luna nova*, riſum teneat? vereretur ſanè rectiùs phantaſtico-lunaticus quiſpiam, memor Apologi Deucalionis & Pyrrhæ, *Verrucarum*, hac ex arte, regenerationem & multiplicationem; Sed ineptiarum harum ſatis & plus erit feſtinandumque ad methodos priores duas eluſtrandas.

Medicamentis cauſticis poſſe tolli *Verrucam*, non nego; ſed verò tutò, citò & jucundè, pernego: nulla enim ex medicamentis corroſio, depaſtio, corraſio impediri cùm pro neceſſitate & lubitu queat, temporis indefiniti intervallum requirat, non ſine dolore fiat; tuta, cita, jucunda renuntiari poteſt minimè.

Medicamenta itaque, ſecundùm me, *Verrucis* adhibenda, ſint emollientia & blandè deſiccantia; prima, ad ipſas *Verrucas* reddendas aptas extirpationi, ſecunda, ad earum conſolidationes exſtruendas: ſic bono cum eventu ipſis injeci; *E. pl. de mucilaginibus, menſes muliebres cum ſputo mixtos ceràque obductos, gum. Sandaracum & ſimilia*: Nam *querni de trunco, aut eſulæ ſuccum* hunc morbum non tollere, certus ſum: *atramentum* enim & *fel* huic ſi immiſceantur liquori eoque modo *Verruca* auferatur, agentis & patientis periculo (cauſticum enim eſt) fieri ſuſtineo; ſed emollitas, noſtra arte, *Verrucas*, poſſe tutò erui: imò & extrahi, ipſa teſtatur Empyria.

Sed liceat (*lect: beniv:*) quod æquum & utile videtur, effari reverenter: omni medicamento, in curanda *Verruca*, potior eſt Chirurgia, quæ triplex hoc in caſu exiſtit; *Verrucæ*, nempè, *Ligatio, excîſio, inuſtio.*

Agam primò, ut ſtatim, de ultima methodo, utpote rejicienda, aut non niſi ſumma cum cautela, adhibenda quæque nihilominus non erit tuta, cita & jucunda.

Inuſtio (cauterium actuale) ad auferendas *Verrucas*, æquè minus quàm potentiale convenire, docebit ipſa cum ratione praxis: etſi enim per cannulam, partibus vicinis ab injuria candentis ferri defenſis, comburatur *Verruca*; impoſſibile tamen eſt, plùs, aut minùs quàm oportet, non comburatur: quod enim in deſiccandis oſſibus, partibus duris carie &c. correptis, pro lege eſt infallibili; ferrum, nempè, ignitum parti eſſe adhibendum deſiccandæ

candæ, omne uſque dum ſileat ebullientis liquidi murmur; in *Verruca*, parte molle partibuſque mollioribus ad & inhærente, locum obtinere non poteſt: murmur enim illud deciperet, vel prudentiſſimum Chirurgum perſiſteretque uſque dum unà cum *Verruca*, combuſtæ eſſent vicinæ quæque partes.

Inuſtione tamen curari poſſe *Verrucam*, quâ ſequitur methodo, expertus ſum ipſe; acu, nempè, candeſcente, *Verrucæ* ſæpè ſæpiùs intruſâ eſcarâque poſtea medicamentis ſuppurantibus ſeparatâ cicatriceque ulceri deficcantibus inducta; utrum autem hoc tutò, citò & jucundè fuerit peractum, judicet æquus lector, quem inſtructum inſuper volo, me illud coactum & ex mandato ęgri perpetraviſſe quaſi artificium.

De liganda *Verruca*, vel volſellâ comprimenda, inutilis non eſt inſtructio; utrumque illud artificium ſolummodò fieri (ſecundùm artem ſi fiat) ad tutam, citam & jucundam *Verrucæ* ablationem: radicitùs enim ligaturâ auferuntur *Verrucæ* nullæ; ſine periculo recidivę, unquam.

Curatio *Verrucæ* itaque ſpeſque ejus omnis in extirpatione, exciſione, collocanda exiſtit; forfice autem illud, ſive ſcalpello fiat, non moror: poſſe hanc operationem tutò, citò & jucundè peragi, nemo negabit; niſi forſitan is, qui eam tentaverit in vetuſtiores & jam nunc, ab multo tempore, induratas *Verrucas*, plus valentes pertinacitate ſua, omni doctiſſima medicatione atque manu.

Cave quoque (*Tyro Chirurge*) ne, ubi cum *Verruca* palpebræ tibi negotium eſt, eam pertundas: vulnus enim illud, fœdiſſima ſine cicatrice, conſolidari poterit nunquam; neque laceres palpebræ muſculum violenter: tuâ enim culpâ relaxabitur palpebra incurabiliter, videſis porrò concedas nunquam, dente, aut ungue avellatur, aut abſcindatur *Verruca* (hæc tamen methodus ab quibuſdam commendatur) quæ enim inevitanda huic ineptię & pediſſequa ſunt ſymptomata, noveris, facilè. Exemptâ *Verruca* fundo injicienda ſunt balſamica, nervis amica, calidè: Ultimò; quæ hoc ſcripto propoſui, ſingulatim exemplis confirmarem multiplicibus; niſi aſſertionis meæ vim ipſa confirmaret ratio.

Verruca Scroti penſilis fungi-formis.

Clariſſ. Joh. Mauricii Hoffmanni, Miſcell. Curioſ. Decur. iii. Ann. 1.

Verrucas ex ruptis fibrillis cutaneis, & ſuccô nutriciô inde extillante produci, ſicuti aliquoties obſervavi, eaſdemque ſæpiùs ſolô flor. calendulæ recentium affrictû adhibitô periiſſe, & in me & in aliis expertus ſum; ita ſingularem verrucam annô ſuperiore vidi in viri cujuſdam obeſi corporis ſcrotô ex attritûs ipſius inter deambulandum factô enatam, tenui pendentem pedunculô, dehinc verò inſtar fungi terreſtris in capitulum latum expanſam, & ſub æſtivô calore à ſudore ſalsô allabente, intertriginem quaſi paſſam, cum luxuriantis carnoſæ ſubſtantiæ, contactûs impatientis, & hinc ſub deambulatione maximopere dolentis, ulteriori excreſcentiâ; ita ut de abſciſſione ejuſdem, aut per corroſiva abſumtione ſollicitus fuerit afflictus Vir: Ego verò neutrum approbans, filô ſericeô duplicatô inceratô pedunculum fortiter conſtrinxi, & nutrimenti affluxum in verrucam intercepi. Capitulum autem, hujuſque additamentum atramentô vulgari illiniri juſſi; ſic, ſpatiô paucorum dierum intercedente, verruca tabida cum pedunculô decidit, atque domicilium priſtinum reliquit.

VESICÆ URINARIÆ MORBI.

Vid. ſub titulis

CALCULUS, ac URINARUM MORBI.

VESICATORIUM.

De Veſicatoriis ſic compendiô ſcribit Clariſſ. Antonius à Nuck, in ſuis Experimentis Chirurgicis.

Ad Fonticulos commodè referuntur *Veſicatoria*, medicamenta ſeu Epithemata ex particulis acribus & volatilibus compoſita, quibus neceſſitate ita ſuadente, in quadam corporis parte vaſorum cutaneorum extremitates ita irritantur, ut variæ indolis humores ſeroſos copiosè evomant, & per aliquod temporis intervallum, in aliis tamen longius, in aliis vero brevius, eoſdem evacuare continuent.

Uſitatiores æque ac commodiores eorum compoſitiones utplurimum ingrediuntur *Cantharides*. En formulam.

℞. *Pulv. Canthar. cum alis & pedibus* ʒj. *Euphorb.* ℈ſs. *Empl. de Melilot. q. ſ.*

Incorporentur hæc manu calidâ, ſumendo tantum pulveris, quantum Emplaſtri maſſa capere poteſt.

Hujus portio ſuper alutam extenſa (ita tamen ut margines ejus non attingantur, quo eo melius parti impoſitę adhærere poſſit) applicetur per horas 7.8.9.12.15.

Si cui Hildani Veſicatorium magis arrideat.

℞. *Fermenti acris* ℥ſs. *Canthar. pulv. N°.* vj. *Aq. beton. q. ſ. F. Maſſa.*

Vel ℞. *Canthar. N°.* ij.

Ung. Baſil. q. S. Incorporentur hæc manu & F. Maſſa.

Veſiculis ſatis magnis excitatis maſſa illa eſt removenda, veſiculęque leviter ſaltem, vel forfice aperiendæ, vel acu hinc inde perforandę, ut materia intus collecta exprimi poſſit: Cave autem cuticulam veſiculæ in modum elevatam nimis cito à cute divellas; Hæc enim epidermide ſuâ deſtituta, aëris ſubjecta injuriis, intolerabiles patienti dolores excitare poſſet. Si igitur Emplaſtrum ſolummodo aliquod huic parti ſuperimponatur, cuticula ſucceſſu temporis ſuâ ſponte decidet.

Horum veſicatoriorum particulę cauſticæ volatiles, cuticulam abſque læſione penetrantes, vaſculoſam cutis & muſculorum ſubſtantiam profunde ſatis ſubingrediuntur, ubi ſi particulas craſſiores viſcidioreſque inveniunt, eas attenuant, ſalſas & acidas diffringunt atque involvunt, ſicque multis morbis Catharticis & Diaphoreticis fruſtra impugnatis, imo exquiſitiſſimis quibuſvis eludentibus eludentibuſque remediis, finem feliciter imponunt. Particulę vero illorum craſſiores & acriores circa cutim ſubſiſtentes vaſculorum quaſdam fibrillas diffringendo humores ibidem circulantes ex parte impediunt, qui in ſuperficie cutis collecti, cuticulam in veſicæ formam attollunt. Quapropter in intemperie ſanguinis acida & ſalina veſicatoria hæc maximam afferunt utilitatem. Hinc in Scorbuto, Leucophlegmatia & quavis cacochymia cum fructu applicantur. Præſertim verò in doloribus capitis pertinacibus, Vertigine, Affectibus Soporoſis, Catharris, Apoplexia, Epilepſia, imo doloribus quibuſcunque magnæ ſæpius ſunt efficaciæ.

Non tamen omnibus, prædictis morbis laborantibus, Veſicatoria conveniunt. Nephritici enim, Stranguriâ laborantes, gravidę & puerperæ vix eadem ferunt.

Quibus denique ſummum pariunt dolorem, Inflammationem, Ulcuſcula ſerpentia, Mictum cruentum, & præſertim ubi ex vaſculis tanta humorum ſeroſorum copia profluit, ut virium inde ſequatur debilitas, Veſicatoria ut intermittant, Autor ero.

Hactenus Clariſſ. Nuckius: Sequuntur jam de Veſicatoriis, eorumque utilitate ac efficaciâ, quatuor obſervationes.

Veſicatoriorum utilitas.

Clariſſ. Sigiſmundi Ledelii. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 4.

Quantæ hæc ſint utilitatis in foro Medico, notum eſt practicis. Fœmina primaria Gerlicenſis incommodabatur defluxione ad fauces, quæ omnem Balneatoris eludebat ſagacitatem & diligentiam. Convocatas jubebam brachiis veſicatoria applicare, & intra biduum fornix colli

vix colli integrè erat reſtitutus & renovatus. Hanc dum ſigno, me ! ſubeſt curæ pecuniarum collector noſtri diſtrictûs, hic nimium quantùm colicâ ſcorbuticâ excruciatus, tandem incurrebat febrem ardentem, cum delirio inſigni, & obſcuritate visûs. Suadebam medianæ ſectionem & veſicatorium in nucha. Dictum factum, mens ſana, Deo ſecundante, redibat, & paucis adhibitis, priſtina ſanitas. Zullichienſis fœmina nobilis, tantâ laborabat debilitate capitis ſcorbutica, ut è lecto ſurgere non valeret vertigine, & ſcotomiâ præpedita. Datis plurimis ſelectis & ſpecificis, nihil remiſſionis mali videbamus, tandem ad veſicatoria pedibus applicanda deveniebamus, & malum erat ſuperatum. Virgo 30. annorum hîc loci, imminuto fluxu menſium detenta, per annum, & ultrà, tantam perferebat cephalalgiam, ut exinde indies Apoplexiam metueret. Expurgabam, dein confortabam debitè, jubebamque ſaphœnarum ſectionem, & tandem veſicatorium cervici apponendum. En! ne guttula ſeri aderat: applicabantur meo juſſu brachiis emplaſtra talia, at nec hîc ulla gutta ſeri erat extorquenda. Tandem deſcendebamus ad pedes: verùm cum ſimili fato, ſiquidem nec hîc ulla veſica aut ſeri apparebat effluxus. Propinabam demum ſudoriferum, ad infringendam humorum viſciditatem, quem tandem magno molimine expellebamus, cum aliquali doloris capitis remiſſione. In febribus ardentibus & petechialibus mortem vidi, ubi à veſicatoriis nullæ veſicę fuere exſiccatæ, aut cutis nigredine fuit picta.

Veſicatoriorum efficacia.

Clariſſ. Erneſti Sigimundi Grasſii. Miſcell. Curioſor. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Inter quamplurima, quæ in Praxi contigêre, veſicantium proſperè adhibitorum, exempla, eminere videntur ſequentia. Anno 1683. 28. Aug. Puerperam dignitate primariam hujus civitatis, 14. à partu diebus, Paroxyſmus ſubitò invadebat epilepticus, ad 17. uſque menſis ſequentis diem, ſeptimâ vice recurrens. Facies, Paroxyſmo incipiente, rubore notabili ſuffundebatur, imò & collum & brachia, quouſque nuda conſpiciebantur, rubeſcebant. Extra tales inſultus ſincipitis varias partes, dolores infeſtabant acerbiſſimi & continui. Tollendis hiſce malis imparia erant omni ſtudio adhibita remedia tam interna quàm externa, interque ea ſectio Saphœnarum, hirudines fronti affixę, ipſaque nuchæ applicata veſicatoria. Quin imo dolorum vehementia, delirium primo mitius, tandem vero plenariam menſis emotionem furibundam pariebat. Idcirco aliis vel nihil proficientibus vel ampliùs non admiſſis, inter medios furores ægrę neſcienti duo veſicatoria majora ſupra malleolos pedum interiores per decem horas fuêre applicata, eo quidem cum ſucceſſu, ut paucis poſt admotionem horis, adeoque ante veſicarum adhuc exortum quietior, ſequenti vero die, primo poſt tot vigilias obveniente ſomno, à delirio ſenſim libera fieret, ſibi reddita omnium præteritorum immemor, ſicque brevi integram ſanitatem recuperaret.

Vir Illuſtris ac Generoſiſſimus quinquagenario haud multùm major, & per annos 20. poſteriores arthriticus, tandem in cephalæam incidebat graviſſimam, quam ſi in tali ſubjecto arthriticam cognominaveris, fortè non errabis, præſertim cùm & durante capitis dolore arthritici paroxyſmi primordia gliſcerent. Atrocitas effectûs atque ſymptomatum concomitantium Nobiliſſimum Ægrotum in ſtatum redigebant moribundo ſimilem. Nimirum 16. 17. & 18. Martii 1686. cum pulſu languidiſſimo loquela deficiebat, atque interrogata rariſſimè & vix ampliùs intelligebat, urina involuntariè profluebat ſicut & alvinæ feces, corpore præter brachium dextrum planè immobili exiſtente, & ſpiritu quoque, quem ore hiante ducebat, tandem ſæpius intercepto. Inprimis verò 18. Mart. omnia ad interitum vergebant, quem adſtantium corona tanquam certiſſimum lacrymis jam urgebat acerbis nec immerito; ſenſus enim omnes & motus, etiam adhuc priùs adhuc ſponte mobilis brachii dextri, erant aboliti, neque inclamationes in aures fortiſſimas audiebat æger, provoluto in latus ſiniſtrum, corpore priùs ſemper reſupino, ex ore profluebat amurca nigreſcens, & dejectio alvi, clyſtere ſollicitato, haud multùm abſimilis erat, acidiſſimi præterea fœtoris. Mihi tamen tantillum ſpei repullulabat ex ſudore blando univerſali cum corporis totius incaleſcentia oboriente, qui poſtea uſque ad 20. Mart. conſtanter continuavit. Hinc quamvis jam, antequam res ad has anguſtias devenirent, 4. veſicatoria ad nucham & tibias adhibita periculum avertere nequiviſſent, tamen ad eandem denuo confugere anchoram non dubitavi, & dictâ die 18. Mart. poſt horam 11. antemeridianam, etſi omnium oculis res penitus conclamata videbatur, ad 4. pedum malleolos 4. veſicatoria latiora unicâ vice applicare juſſi, ad quorum effectum obtinendum, uſque ad craſtinum mane adeoque triplo majori, quàm aliàs fieri ſolet, tempore expectandum erat; 19. Mart. manè ex veſicis tum demum apertis ichor flavus largiter emanabat, cujus effectum auſpicatum ſenſûs & motûs ut & loquelæ, quam verſus meridiem hujus diei recuperare incipiebat, tam parvô 4. vel 5. horarum intervallô reſtitutio abundè teſtabatur. Delirium ſuccedebat per plures dies cum ſiti valde intenſa, & tandem menſe ſequenti ſanitatis redintegratio, licèt ſat brevis. Recidiva proximo menſe Majo ſuperveniens lethalis haud permittebat, occaſionem ſubminiſtrante caſu ab equo graviſſimo. Laudibus tamen veſicantium hactenus recenſitis, tenebras forte non offundet, quod repetitus eorum variis in locis uſus hac vice non ampliùs ſuffecerit; vel enim planè non operabantur, vel ægerrimè & multo labore excitatæ veſicæ, mox iterum exareſcebant, ſuccedente notabili partis excoriatæ intumeſcentiâ. Ubi inprimis relatu dignum, quod in pedis dextri malleolo externo veſica tandem obtenta inſtar ovi ſubventanei inanis & nullo planè humore ſtillans fuerit inventa, id quod concluſionem ex aliis id genus caſibus jam formatam magis confirmabat: *Veſicatoria nempe eo difficilius effectum ſortiri, quò magis humores ad coagulationem tendunt, unde & actio earum fruſtrata in malignis ſemper mali ominis habenda.*

Veſicatoriorum rurſus efficacia.

Clariſſ. Danielis Crugeri. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Quæ Excellentiſſ. Dn. D. Graſſius de Veſicatoriorum Efficaciâ notavit in Ann. 5. Decur. 2. p. 37. tribus exemplis confirmare libet. Evocatus enim ad Illuſtriſſimum quendam Ægrotum, ubi per octiduum commoratus, domum rediens, video cum luctu animi uxorem meam jam per octiduum lecto decumbentem, oculis clauſis & ſine loquelâ, varia adhibita à Medico præſenti remedia, aſt ſine effectu; ordinavi ut abraſis capillis toti capiti mitrâ inſtar veſicatorium imponeretur per noctem, etſi veſicâ non exercitatâ propter cutem denſam, attamen multùm ſeri effluxit, item retrò aures duo veſicatoria applicata & manè duæ magnæ cucurbitulæ ſuper regionem palpebrarum, omnia tanto effectu, ut altero die, remotis veſicatoriis, oculos aperiret, loqueretur, & ſenſim convaleſceret.

Nobilis quidam à Steinbach poſt febrem malignam petechialem, decimo quarto die, per malam Criſin in eundem affectum incidebat, ita ut maligni humores totu

totum cerebrum obruerint, & apoplectici inſtar ſine loquela clauſis oculis decumberet per 6. dies, applicato toti capiti veſicatorio & duobus retrò aures, perfectè liberatus eſt.

Quemadmodum & virgini Nobili poſt febrem petechialem accidit, quæ eodem modo curata fuit.

Reliquiæ deinde per fomentationem ex herbis cephalicis in vino coctis diſcuſſæ ſunt & cerebrum roboratum.

Veſicatoriorum ſuris applicatio Aſthmaticis ſalutaris.

Clariſſ. Gothofredi Klaunig. Ephem. German. Centur. 1. & 2.

Conſenſum, qui pectori intercedit cum cruribus, vix ratione, ſatis verò evidenter experientiâ quotidianâ poſſe demonſtrari, vix indiget ulteriore probatione, cùm præter noſtra obſervata, ipſe *Hippocrates* jam olim intimam dictarum partium harmoniam *l. 2. Prognoſ. 67. In Pulmoniis, quicunque tumores fiunt ad crura, boni, nec poteſt aliud quicquam melius accidere, præſertim ſi mutatô ſputô ſic appareant*: & alibi paſſim innuerit. Hujus forſan Prognoſeos memor famoſiſſimus *Capivaccius*, in aſthmate inveterato adhibuit uſtiones tantâ cum euphoriâ ut *l. 2. c. 2. Medicinæ practicæ*, candidè fateatur, ſe, ſi aſthma foveatur à materia, neſcire remedium excellentius uſtione cruribus applicatâ. Noſtris temporibus ad eundem ſcopum, mitiori tamen viâ collineaſſe videtur celeberr. *Baglivius in Diſſert. de uſu & abuſu veſicantium*, qui uſtioni ſubſtituit veſicantia, eaque in Pleuriticis, ubi adeſt magnæ ſpirandi & expectorandi ſputi difficultas, adeò ut Patiens in ſummo vitæ diſcrimine appareat, tibiis admota maximè extulit. Quapropter jam ante aliquot annos avidè arripui hoc conſilium, & *Pleuriticis*, juxta normam *Baglivii*, *non ſanguine acri, ſed craſſo, viſcido, ad coagulationes ſtagnationeſque diſpoſito præditis*, veſicatorio in utraque ſura applicato expuitionem liberrimam & ſæpius ſanitatem procuravi. Vocatus poſtmodum ad ægros aſthmate modò humoroſo, modò convulſivo vexatos, ob morbi vim morti proximos, & ad ſenes quandoque grandævos, qui jam fruſtraneo conatu medicamenta pectori dicata cujuſcunque generis aſſumſerunt, non amplius attendens ſanguinis diatheſes, promiſcuè ob analogiam ad veſicatoria tanquam ad ſacram anchoram confugi, & nunquam non inveni ſalutem. Huic methodo obicem, quam tribus vicibus obſervare contigit, poſuit temerarius Balneator, qui ex febre ſymptomatica venæ ſectionis neceſſitatem judicans, venam in brachio, me inſcio, ſecavit, quâ apertâ, expuitio penitùs intercepta, nullôque remediô, ob turbatum naturæ motum revocanda morti occaſionem præbuit. Si itaq; modo memoratum Chirurgi errorem in duobus juvenibus & Fœminâ commiſſum excipiam, Aſthmaticis hactenus veſicatoria utique ſuræ per aliquot dies adhibita nunquam ſine maximo ſanitatis emolumento deprehendi, quem exoptatiſſimum & imitatione dignum effectum alios etiam experturos confido. Cauſæ indagationem cuilibet lubens relinquam. Si vero mihi meam circa hoc phœnomenon mentem breviſſimè explicare liceat, perſuaſus ſum, veſicatoria ſuris impoſita, dum dolorem excitant, animam, hincque dependentem humoris affluxum divertendo, aufferre in reſpirationis organis, arteriâ ſcilicet aſperâ, bronchiis, pulmonum veſiculis &c. ſpaſmodicam illam contractionem, quæ reſpirationi impedimento fuit. Idem obſtaculum pariter occurrit in aſthmate ſic dicto humoroſo, dum infarctus materiæ pituitoſæ in bronchiis ob violentam extenſionem non poteſt non ſpaſmos inferre, quibus per Veſicantia in remotis partibus adhibita, ſublatis, materiæ liberrimus conceditur exitus & inſtans præcavetur ſuffocatio. Accedit quòd etiam Emplaſtra veſicatoria energiam ſuam exerceant ſolvendo humorum coagulationes, juxta *Baglivium*, & diureſin promovendo, prout clariſſimus *Olaus Borrichius in Act. Hafn. ad An. 1676. p. m. 187.* ingenioſè docet, ut hac ratione effectu Aſthmaticis ſalutari triplici, reſolvente, diuretico & inprimis antiſpaſmodico, in morbis ſuffocativis utramque faciant paginam Veſicatoria.

VIRGÆ MORBI.

Vid.

PENIS MORBI.

VISIONIS MORBI.

Vid.

OCULORUM MORBI.

VITILIGO.

Vid.

CUTIS VITIA.

ULCUS.

De Ulceribus plura videri poſſunt tum apud Veteres, tum apud mediæ ætatis Medicos. Nobis inter eos inſtar omnium erit accuratiſſimus Hieronymus Fabricius ab Aquapendente, cujus propterea Librum integrum, quem ſuper hoc argumento ſcripſit, jam exhibebimus.

Cap. I. *De Nomine, Definitione, Differentiis, Cauſis, & Prognoſticis Ulcerum, in genere.*

Ulcus, τὸ ἕλκος, multa ſignificat; primo, omnem membrorum noxam, Tex. 17. lib. 2. de art. cap. 6. lib. de inæqu. intemper. nam omnis morbus ulcus dici poteſt, quia immodicus calor, & frigus proximè accedunt ad id, ut unitatem ſolvant; calor quidem ſegregat, ac incidit ſubſtantiæ continuitatem; ſummum vero frigus, conſtipando, tum introrſum intrudendo, quædam exprimit, quædam quaſſat. Sumitur deinde ulcus, pro continui ſolutione, quæ in carne facta eſt, cap. ult. lib. de cauſ. morbor. Denique ſumitur pro unitatis ſolutione, ſive hæc fiat in carne, ſive in nervo, oſſe, capite, pulmonibus, inteſtinis, &c. De Ulceribus ergo nos agemus in hac tertia ſignificatione; & quidem de iis, tantùm, quæ Chirurgi manus poſſunt attingere, ut ſunt ulcera externa, nam de internis, ut ſunt ulcera pulmonum, & ſimilia, nihil dicemus.

Ad definitionem ulceris inveſtigandum, videre oportet, quomodo vulnus & ulcus differant; nam Hippocrates li. 1. de Ulceribus & Gal. lib. 3. Meth. hæc nonnunquam confundere videntur. Gal. penes cauſam efficientem diſtinguit; nam cap. ult. lib. de cauſ. morb. cauſas duas affert, quæ unitatem ſolvunt, alias, quæ extrinſecus adveniunt, ut omnia, quæ vulnerare, & contundere poſſunt, alias, quæ ex ipſo corpore ortum ducunt, ut humorum vitia quæ corrodendi vim habent; è qua diſtinctione cap. 6. lib. de Conſtit. art. colligit vulnus fieri à cauſa externa, ulcus ab interna, id eſt, ab humore in corpore. Avicennas, cap. 4. Doctrina 1. Fen. 4. Can. 1. vulnus vocat ſolutionem continui, in qua nondum factum eſt pus: Ulcus autem, in qua fit pus: ideoque ait ulcera ſæpe è vulneribus generari. At Galeni diſtinctio potior eſt: nam multa etiam ulcera ſicca ſunt, ut in morituris.

Proinde ulcus eſt ſolutio continuitatis, ab interna cauſa, ex eroſione proveniens. Adjecimus, ex eroſione, ut cum Gal. c. 4. lib. 3. Meth. &c. c. 1. lib. 4. Meth. indicaremus, omne id, quod ex eroſione provenit, id eſt, omne Ulcus, compoſitum eſſe affectum, è ſolutione continui, & diminuta quantitate.

Ulceris

Ulceris differentiæ ſumuntur; primum, à loco affecto, ſive partibus ulceratis: ſecundò, à natura affectus, ſive ulceris in ſe conſiderata; tertiò ab iis, quę prętcr naturam ulceri adjunguntur; quartò à quopiam extra poſito. A loco affecto, ulcera alia ſunt in carne, alia in vena, in oſſe, in capite, &c. A natura, & eſſentia ulceris, c. ult. l. 3. Meth. nimirum à figura, magnitudine, inæqualitate, æqualitate; à figura, alia recta, obliqua, rotunda, pampinorum more retorta, alia hami ſimilitudine unca; à magnitudine, alia magna, alia parva, ſuperficiali, profunda, longa, brevi, lata, anguſta; ab æqualitate, & inæqualitate, alia æqualia, & uniformia, alia inæqualia. A rebus præter naturam ulceri adjectis alia habent junctum morbum, ut dyſcraſiam, putredinem, inflammationem, gangrenam: tumorem alia morbi cauſam, ut ulcera cacochyma, corroſa, vexata fluxione; alia habent juncta ſymptomata, ut ulcera dolentia, ſordida, dura, cruſtoſa. A rebus extraneis, ut à tempore, alia recentia, alia vetuſta. Ab iis, qui primò curarunt, ut Cheironia, c. 2. l. 3. Meth. ab iis, qui primò iis correpti ſunt, ut Telephia; à ſimili, ut cancroſa.

Differentiæ à loco affecto, maximè ad curationem, ſunt utiles cap. 10. lib. 3. Meth. ſic enim ulcus in vena, aut arteria, valentioribus eget exſiccantibus, quàm in carne, & ulcera in cute capitis, valentioribus egent ſiccantibus, quàm in cute reliqua. Interna ulcera alium curandi modum poſtulant, quàm externa, nam æs uſtum, pompholyx, lithargyrus, &c. externis ulceribus utiliter imponuntur; in internis locum non habent, quia nocent, c. 7. lib. 4. Meth. Secundus fons differentiarum etiam utilis eſt; id enim, quod curam deſiderat, nihil eſt aliud, quàm affectus eſſentia, c. 9. lib. 1. Meth. Sic magna ulcera vehementioribus egent ſiccantibus, rotunda difficilius curantur; quia non habent angulos, quibus committi poſſint; æquale ulcus uniformi eget medicamento, inęquale difformi. Tertii fontis differentiæ, non ſunt veræ ulceris differentiæ; quæ enim conſiſtere per ſe poſſunt, non ſunt alterius rei differentiæ; nam differentia eſt rei forma, quæ à re ſeparari nunquam poteſt, niſi per interitum, c. ult. lib. 3. Meth. Hinc Galenus Com. Aphor. 45. Sect. 6. ait; ſi ulcus dicitur putridum, non conſtituitur aliqua ulceris differentia, ſed affectus implicitus ex ulcere & putredine. Verumtamen recentiores, has differentias ulceris, ceu proprias retinent; cum enim tractaverunt de ſimplicibus ulceribus, accedunt ad alia, cum intemperie, fluxione, dolore. Hinc Galenus, cum lib. 3. Meth. tractaſſet de ulcere plano, & cavo; in lib. 4. deinde agit, de ulcere cum intemperie, gangræna, & de aliis, quæ præter naturam ulceri junguntur; imò ferè ſemper omnem curationem hęc ad ſe trahunt; nec enim ulcus intemperie affectum, fluxione vexatum, dolens, curari poteſt, niſi priùs curetur intemperies, fluxio, dolor. Quarti fontis differentiæ non ſunt utiles: nam ulcus diuturnum non poſtulat aliam curationem, quàm recens, quatenus eandem habet proportionem; at verò, ſi aderit intemperies, putredo, tumor, non diuturnitas curabitur, ſed putredo, intemperies, ſordes, quæ ulceri vetuſto plerumque conjunguntur. Sic in ulcere Cheironio, nil curationi conducit, ſi ſciamus à Cheirone medico fuiſſe curatum; unde hanc nimis curioſam eſſe appellationem Galenus ait in Comment. Aphoriſmi 41. ſectionis, 6. & c. 33. Lib. de Tumoribus præter Naturam. Hæc de differentiis.

Cauſę ulcerum ſunt internæ, cap. ult. lib. de cauſ. morb. nimirum humores, qui in toto fluunt, & vim corrodendi habent. Porrò hi humores variant, calore, craſſitie, tenuitate, &c. ſi enim fuerint tenues, efficiunt ulcus purulentum; ſi craſſi, ſordidum; ſi valde calidi, ſerpens, quod noſtri corroſivum, & ambulans; ſi calidi admodum, tenues, & flavæ bilis æmuli, fiunt ulcera, quæ tantùm cutim corrodunt, propter humoris tenuitatem, ac vocantur herpetes exedentes; ſi calidi, craſſi, & proximi bili ſuperaſſatæ, ſive ſalſæ, non ſolum cutim, ſed ſubſtantiam etiam carnoſam, propter humoris craſſitiem, corrodunt; unde phagedænę, ulcera phagedænica, & cancroſa dicuntur; ſi humores hi fuerint tantum calidi, ulcera fiunt cruſtoſa, ſicut carbunculi; ſi humores corrodentes ſint admodum ſalſi, fiunt ulcera pruriginoſa; ſi adeo fuerint vitioſi, ut è toto adverſentur calori nativo, fiunt ulcera putreſcentia, gangrænoſa, quæ Galenus lib. ſexto κ. γ. νομώδη appellat. Cauſæ ergo ulcerum ſunt humores acres & erodentes, qui, ubi conſiſtunt in parte affecta, ſunt proxima, & continens cauſa ulceris; ubi autem in toto redundant, ſunt cauſæ non ita proximæ, antecedentes dicuntur. Cauſæ porrò ſuperiores horum humorum, conſiſtunt vel in corpore vel exterius adveniunt. Cauſæ internæ plerumque ſunt vitia jecoris, aut lienis, ut intemperies, obſtructio, tumor, cap. 2. lib. 6. κ. γ. Externę ſunt vitioſi cibi, allia, cepæ, aromata, vinum potens, aër pravis qualitatibus affectus, motus nimius, vigiliæ immodicæ, &c.

Ulcera in genere manifeſta ſunt, nec ſignis egent; particularia ſequentur in ſpeciali doctrina: quamobrem de prognoſticis ulcerum. Omnia igitur ulcera periculoſa fiunt, propter tres cauſas, cap. 6. lib. 4. Meth. Primum propter loci affecti, id eſt partis ulceratæ præſtantiam; hinc externa ulcera, de quibus nos agimus, periculoſa hac ratione non ſunt, quia cutis non eſt pars principalis. Secundò propter ulceris magnitudinem; nam in magno ulcere pars valde debilitatur, parteſq; ſubjectæ præſtantes, ut tendines, venæ, arteriæ, nervi, &c. propter profunditatem corroduntur; propter latitudinem etiam ulceris multæ partes internę deteguntur, & debilitantur ab aëre externo. Tertiò ulcus redditur periculoſum, propter malignam qualitatem, ita ut omnibus decenter factis, vix tamen, aut omnino non ſanari queat, cap. 5. lib. 4. Meth. hujuſmodi ſunt ulcera, quibus jungitur aliquid eorum, quæ præter naturam ſunt, ut ulcus cum intemperie, putridum, ſordidum, dolens, fluxione vexatum, cacochymum; gangræna, aut inflammatione affectum. Hinc Aphor. 4. Sect. 6. ulcera circum glabra maligna dicuntur; quia ubi pili decidunt è parte ulcerata, aut caruncula, aut ſquamulæ demittuntur, ſignum eſt, admodum vitioſos ac erodentes humores in parte abundare. Sic Aphoriſ. 45. Sect. 6. ulcera annua, aut diuturniora, in quibus os abſcedere, aut cavas fieri cicatrices neceſſe eſt, omnia ſunt maligna, propter vitioſi humoris præſentiam. Periculoſa etiam ſunt ulcera, quæ aliis ſuccedunt morbis, ſecundùm Rhaſin, 14. Continent. natura enim exonerat materiam corruptam per partem exulceratam. Pariter maligna ſunt ulcera, quæ conſiſtunt in extremitatibus dorſi, brachiorum, tibiarum, ſecundùm Galenum, & Avicennam. Sic ulcera procreata ab atra bile, Galeno ſunt incurabilia, cap. 4. lib. de atra bile. Summati, ubi perpenſo corporis habitu, videtur adeſſe calida jecoris intemperies, aut Lienis vitium, ſine dubio maligna ſunt ulcera, & difficilis curationis.

Cap. 2. *De curatione ulcerum generali.*

Univerſalis ulcerum curatio hoc axiomate comprehenditur; omne ulcus perpetua exſiccatione indigere, ſecundum Hippocratem in principio lib. de Ulceribus, & Galenum, cap. 3. lib. 3. Method. quod præceptum ad ulcera, & vulnera communiter pertinet: poteſt enim ulcus tripliciter conſiderari; quod ſemper tamen ſiccantibus eget. Vel enim eſt ſimplex inciſio, ſive unitatis ſolutio, quę glutinatione curatur; vel non eſt inciſio ſimplex, ſed cum amiſſione ſubſtantię, nimirum, aut cutis, quæ curatur cicatrice, ſeu operculo; aut carnis ſimul, quæ curatur carnis generatione. In ſimplici ulcere glutinantia adhibentur, quæ ſicca ſunt; in amiſſione carnis requiritur generatio carnis, quæ eſt opus naturæ; quia autem in generatione carnis reſultant duo excrementa, tenue, & craſſum; ideò natura eget

medici

medici auxilio, nimirum ſiccatione, & deterſione hujuſmodi excrementorum; in amiſſione cutis, quia hæc, ceu pars ſpermatica, regenerari nequit, ideò caro ulceris, eatenus ſiccanda & denſanda, eſt, ut cutis ſuppleat officium.

Practici in ulcerum curatione quatuor ſcopos obſervant. Primo imponunt pus moventia, ſeu ſuppurantia, ab ipſis digeſtiva dicta; Secundo, detergentia, ab ipſis mundificativa; Tertiò, implentia; Quartò, cicatricem inducentia. Sic enim procedit Rhaſes, cap. 3. l. 14. Continent, ſic Avicennas, ſic Celſus, cap. 26. l. 5. ſic Gal. c. 9. l. 13. Meth. c. 12. l. 1. per gen. Com. 7. l. 3. de fract. Com. Aphor. 22. Sect. 5.

Ratio autem, cur primùm uſurpentur ſuppurantia, eſt hæc; quod nimirum materia, quæ extra propria vaſa fluit in poroſitates, cogitur putreſcere; nos igitur ipſam concoquere debemus, ut pus bonum generetur. Alia eſt ratio, quod caro in ulcere, per ſarcotica, & ſiccantia generari nequit, niſi craſis generans carnem ſit ſana, id eſt, niſi materia concoquatur, & purgetur; ſic enim ulcus redditur idoneum ad carnis generationem. Ultima ratio eſt, quòd omnes morbi per ſua tempora curantur, ideoque pro temporum diverſitate, remedia diverſa poſcunt. Tempora verò ulcerum ſic ſe habent; primùm ſanies tenuis, & aquoſa ex ulceribus defluit; deinde in augmento parcior, & craſſior; poſtea in ſtatu, non ampliùs ſanies, ſed pus tenue; poſtremò in declinatione pus exit, colore magis album, conſiſtentiâ craſſius, & minùs copioſum, cap. 3. lib. de totius morbi temporibus; proinde, in principio ſanies tenuis craſſior eſt reddenda, ut tandem concoctionis beneficio, in pus vertatur, atque hoc in album, craſſum, & minùs copioſum.

Galenus quidem lib. 3. Meth. curans ulcus planum, & cavum, nullam facit concoquentium mentionem; quia modum ſaltem docet ulcus carne implendi, & ſupponit ulcus idoneum factum jam eſſe, ut repleri carne queat. Præterea, Comm. Aphor. 22. ſect. 5. ait in ulceribus putridis, & fluxione vexatis non competere ſuppurantia; putridis enim addenda non ſunt, quæ putredinem augere poſſunt; & ſi fluxio à toto corpore habeat originem, ſanè pus moventia non conveniunt; quia ſunt laxantia, & partem valde diſpoſitam efficiunt ad receptionem materiæ fluentis, unde poſtmodum phegmone corripetur; quod ſi verò fluxionis cauſa ſit in parte recipiente, ſeu affecta, ut dolor vel inflammatio, tum ſuppurantia, quæ imponuntur, erunt blanda, quæ dolorem leniendo, ac inflammationem moderando, fluxionis cauſas intercipiant.

Interim huic præcepto, ulcerum initio uſurpandi, quæ pus movent, non adverſatur Galenus, licet cap. 12. lib. 1. per gen. adſtringentia, & repellentia probet in ulceris principio, quæ ſuppurantibus contraria videntur. Nam hoc fit diverſo reſpectu; quia ſuppurantia diriguntur ad evacuationem materiæ influxæ, quæ cum acris, & calida ſit, partem inflammaret, niſi ſuppurata expurgaretur, facta enim ſuppuratione, ceſſant inflammationes; at repellentia reſpiciunt fluxum materiæ influentis, c. 2. lib. 13. Meth. Poſſumus autem utriuſque uti præſidiis; quia enim materia parti infixa propelli nequit, ideò ſuppurantia in parte ulcerata ponenda: & quoniam materia in partem influens neceſſariò defluit è partibus ipſum ulcus circunſtantibus; proinde repellentia, quæ fluxionem arcent, non imponenda ſunt ipſi ulceri, ſed partibus circumſtantibus; Aphoriſ. 23. ſect. 5. Hinc ergo patet, pus moventia conducere in principio omnium ulcerum, niſi putrida; in iis autem quæ fluxione tentantur, eo modo imponenda, quem jam tradidimus, circumponendo ſcilicet repellentia; ſic enim, primò repellemus materiam influentem; deinde efficiemus, ut medicamentum ſuppurans, quod calidum eſt, nihil poſſit à partibus circumjacentibus attrahere; tertiò facultate adſtrictoria, partem ulceratam corroborabimus; Quartò partem per ſe ſanabimus, quia adſtringentia ſicca ſunt, & quia etiam materiam aliò propellendo, per accidens exſiccant cap. 6. lib. 1. per gen. Ultimò, vis ſuppurantis intendetur, per antiperiſtaſin frigoris medicamenti adſtringentis; ſic enim fiet, ut calor partis ulceratæ, fugiens frigidum, quod circuncirca eſt, in ulcere uniatur, & validiùs concoquat.

Neque à ſuppurantium uſu deterrere nos debet, quod Galenus Com. Aphor. 22. ſect. 5. ait, ulcera maligna, quæ corroſas habent partes circunſtantes, eſſe inſuppurabilia; non enim ſuppurationem hic negat Gal. ſed ſummè difficilem eam eſſe innuit; unde in malignis ulceribus ſuppurante medicamento, nimirum thure, utitur Galenus c. 18. lib. 1. per gen.

Porrò quæritur etiam de craſi pus moventium; quoniam igitur ſuppurantia debent roborare calorem nativum, ut poſtea facilè concoquat, & pus moveat, c. 6. l. 5. Simp. patet ſanè, pus moventia in temperamento convenire debere cum partibus, quibus applicantur, quia calor nativus in quantitate augendus; ut ſi calido ut 1. addamus ſimiliter calidum ut 1. non autem augendus in qualitate, quia ſic verteretur in febrilem; ut ſi calidum ut 2. adderemus calido ut 1. hinc ſi pars fuerit temperata, temperatum quoque erit pus movens, ſi calidior, paulò calidius & illud; quoniam verò natura humana eſt calida, ac humida, Galenus voluit, pus moventia in genere eſſe calida, & humida.

Dubitatur autem, cur Chirurgi imponant ſiccantia, ut ſunt thus, reſina, terebinthina, & abiegna, oleum maſtichinum, ſuccus apii, &c. Reſponſio; in ulcere duas habemus indicationes; Primùm enim materia incocta, eſt in pus vertenda; ſecundò, detergendum, & expurgandum eſt id, quod in pus eſt verſum, quod ſi ergo ſeparatim his ſcopis ſatisfacere voluerimus, pus moventia ſemper ejus erunt craſeos, cujus eſt pars cui applicantur; qua ratione Hippocrates cap. 2. lib. de Ulceribus præcipiebat, ulceribus apponendum eſſe cataplaſma calidum, & humidum. Galen. cap. 5. lib. 3. Method. jubebat in naturis temperatis thus addere; ſicut enim hoc in naturis humidioribus ſiccum eſt, & carnem generat, ita in temperatis, & ad ſiccum vergentibus, thus non ſiccat, ſed humidum eſt, & pus movet. Si autem duobus his ſcopis ſimul cupimus ſatisfacere, miſcenda ſunt ſuppurantia cum ſiccantibus, & detergentibus; unde ſuppurantia evadunt calida, & ſicca; in hac tamen miſtione obſervandum, non indifferenter hæc miſcenda eſſe, ſed temporis adhibendam diſtinctionem, ita ut in principio ſuppurantia, in fine detergentia præpolleant; ita reſina abiegna, & terebinthina, quatenus ſunt calidæ, & humidæ, pus movent; quatenus ſiccant, & detergunt, reliquo ſcopo ſatisfaciunt; ita ſuccus apii, & oleum maſtich. calore, & vi emplaſtica, pus movent, ſiccando verò detergunt. Hic autem poſtremus modus, qui ambos ſcopos ſimul reſpicit, priore potior eſt: natura enim nunquam, ac ne in principio quidem, otiatur à carnis generatione, & propterea ſemper ſegregat illa duo excrementa humida, & craſſa; unde fit, ut ulcera perpetuò ſiccatione indigeant; & proinde eo tempore, quo puri movendo ſtudemus, ulcus ſimiliter exſiccabimus; unde Galenus thus addit, cap. 18. lib. 1. per gen.

In talibus ſuppurantibus inſiſtendum, donec pus bonum appareat; quod eſt album, quia fit à craſi arteriarum, venarum, nervorum, membranarum, quarum alba eſt ſubſtantia; æquale etiam eſt, non grumoſum, quia calor naturalis per omnes ejus partes permeavit, & æquale illud effecit; qua de cauſa etiam

etiam leve exiſtit tangenti; poſtremo minimè eſt fœtidum pus bonum; cum omnes pravæ qualitates materiæ jam ſint à calore naturali ablatæ. His ita peractis, ulcus mundificandum, & pus expurgandum, tum carne implendum; Poſtremò tegendum operculo, id eſt, cicatrix inducenda, quæ omnia cap. ſequenti docebimus. Et hactenus in parte affecta immorati ſumus.

Verùm, cum ulcus, manente cauſa. perfectè curari nequeat, cap. 4. lib. 4. Meth. ideò etiam cauſæ ulcerum ſunt auferendæ. Ulcus igitur omne fit ex influxu humorum acrium, & corrodentium, ad partem aliquam, influxus excitatur à redundantia humorum vitioſorum in toto corpore; atque hæc redundantia interdum fit vitio jecoris, aut lienis, perpetuò autem à cauſis externis, id eſt, à rebus non naturalibus. Fluxio igitur tribus auffertur inſtrumentis; revulſoriis, repellentibus, & intercipientibus. Primùm enim humorem revellere poſſumus ad loca contraria, c. 6. lib. 4. Meth c. 2. lib. 2. ad Glauc. Deinde eundem retrò pellere poſſumus, c. 16. lib. 13. Meth. c. 6. lib. 1 κ. γ. c. 4. lib. ejuſdem c. 17. lib. 5. Simpl. Tertiò, humorem fluentem, in itinere quaſi detinere, & intercipere poſſumus; ut ſi ulcus ſit in ſumma manu, & humor illuc fluat, nos eum in carpo, aut cubito detinebimus, c. 1. lib. 1. Meth. Aph. 23. ſect. 5. hoc præſtatur per medicamenta, quæ communiter defenſiva vocantur, & ſunt frigida; quoniàm cogunt humores, ne ulterius influant; fiunt è bolo Arm. ſanguine drac myrtillis, balauſtiis, in pollinem redactis, deinde cera, ſeu ovi albumine, & aceto ſubactis, ſeu mixtis; quæ omnia ſunt adſtringentia, & proinde frigida, ac ſiccantia; imponuntur autem ante adventum humoris ad locum ulceris. Repellentia etiam ſunt frigida, & poſſunt vel humida eſſe, vel ſicca, quamvis in ulceribus ſiccantia conveniant, c. 12. lib. 1. κ. γ. Revulſionem molimur attrahentibus, ut ſunt Calor, Dolor, Vis vacui. Calore attrahunt, balneum, inunctiones calidæ, & digerentes. Dolore vinculum dolens, ligatura: Calore, & dolore ſimul, cucurbitulæ, veſicatoria. Vi vacui attrahit purgatio, fonticulus, ſive emiſſarium, quia humores ſequuntur id, quod evacuatur. In revulſione autem, obſervanda eſt rectitudo, tum partis, tum vaſorum; partis, ut ſi ulcus fuerit in crure dextro, revellimus in brachio dextro; vaſorum, ut ſi ulcus ſit in crure dextro, revellimus in crure ſiniſtro, quia ſic ſervatur communicatio vaſorum, ſic igitur fluxioni occurrimus. Cacochymiæ purgatio eſt accommodata, c. 6. lib. 13. Method. Cauſæ denique ulcerum externæ, niſi abierint, amovendæ, ne ampliùs ulcus foveant, & hæc de generali ulcerum cura.

Cap. 3. *De curatione Ulcerum ſimplicium, planorum, & cavorum.*

Simpliciora appellamus ulcera, quibus, præter unitatis ſolutionem, ab eroſione factam, non copulatur morbus, cauſa, vel ſymptoma. Hæc ulcera, ſi tantum in iis amiſſa ſit cutis, & cuticula, dicuntur plana, ſeu æqualia, cap. 3. lib. 3. Meth. ſi carnis etiam amittatur portio, appellantur ulcera cava. Agemus ergò primùm, ſecuti Gal. lib 3. Meth. de ulcere cavo; in cujus doctrina, de plano etiam ulcere agendum erit.

Cùm igitur in ulcere cavo duplex ſit affectus, nimirum ſolutio unitatis, & cavitas; indicatur unio, carnis generatio, & cicatricis inductio, quæ operationes tantum à natura fiunt; ſed natura medici eget auxilio, non alia de cauſa, quam propter ulcerum excrementa, quæ ulcus reddunt δύσκρατον, cacochymum, dolens; quare ſi hæc excrementa ſint bona, id eſt, ſi pus ſit album, læve, paucum, craſſum, minimè fœtidum, ſignificant ulcus poſſe carne impleri, Com. ult. lib. 1. Prognoſt. contrà, ſi mala, id eſt, ſi pus ſit nigrum, inæquale, aſperum, ſeu grumoſum, & fœtidum, indicant, non poſſe ulcus carne impleri, niſi reddatur idoneum, id eſt, niſi materia illa ſuppurantibus bona reddatur, & expurgetur. De excrementorum in ulceribus differentiis Celſus agit c. 25. lib. 5. Galenus cap. 3. lib. de totius morbi temporibus, hæc excrementa dividit in ſaniem, & pus, & utriuſque duas facit ſpecies; prima ſaniei ſpecies, eſt ſanies tenuis, & aquoſa, primùm ex ulceribus defluens, altera ſpecies, eſt ſanies paucior, & craſſior; prima ſpecies puris, eſt pus tenue, & copioſum, ſecunda, pus albidum, craſſum, minùs copioſum. Ex hac igitur excrementorum obſervatione conjiciendum, quando pus moventibus, vel ſarcoticis uti, aut non uti, aut quando his magis, quàm illis uti debeamus.

De conficiendo pure laudabili.

Quod ſi igitur à copia, & qualitate excrementorum, quæ ex ulcere defluunt, cognoſcamus, opus eſſe pus moventibus, hæc imponenda, ſunt autem alia ſimplicia, alia compoſita; ſimplicia ſunt thus, reſina abiegna, & terebinthina, oleum maſtichinum ovi vitellus, &c. Compoſita debent conſentire temperamento partis, cui applicantur, & modicè erunt emplaſtica, ut caloris halituoſi tranſitum detineant, ac includant, quò materia in pus vertatur, c. 6 1. lib. 5. Simpl. quocirca, ſi corpus fuerit humidum, ſuppurans medicamentum tale erit, ℞ olei roſ. completi unc. ſem. ovi vitellum dimidium. Miſce. Si corpus non ita ſit humidum, ℞. ol. maſtich. unc. ſem. reſinæ terebinthinæ unc. iii. ovi vitellum dimidium, miſce, ſi corpus adultum ſit, ℞. reſinæ abiegnæ unc. i. olei roſati drach. vi. farinæ hordei q. ſ. ad inſpiſſandum. In corporibus duris, & maximè ſiccis, ℞. farinæ fœnigræci, ſem lini, ana drach. iii. farinæ hordei, terebinthinæ, pingued. anatis, & gallinæ, ana unc. ſem. ſucci apii q. ſ. ut fiat medicamentum, quod commodè concoctionem præſtare queat.

In circumjacentibus autem partibus, imponemus repellentia, & linteum madefactum in vino nigro auſtero, ac expreſſum, &c.

De *Pure, Sordibuſque expurgandis.*

Ubi pus horum medicamentorum beneficio bonum apparet, relinquemus pus moventia, ut monet Rhaſis 13. Continent. aliàs enim ulcus fit ſordidum, & carnis generatio retardaretur, ut plerunque Chirurgis ſtolidis accidit. Debemus verò pus factum detergere per mundificativa, ſimplicia ſunt talia; lintea melle infecta; hordeacea, fabaceáque; farina, cum melle, melicratum, cap. 8. lib. 2. ad Glauc. Compoſita hujuſmodi ſunt, ℞. mellis roſ. unc. ii. farinæ hordei, q. ſ. ad mel inſpiſſandum. Vel ℞. terebinth. drach. ii. ſyr roſ. unc. ſem. ſucci apii unc. i. ſem. farinæ hordei, & lupinorum q. ſ. ad inſpiſſandum. Sæpenumero autem eodem tempore, & concoquimus, & detergimus: nam quæ pus movent, ut reſina terebinthina, & abiegna, apii ſuccus, & aliarum bona pars, etiam detergunt. Cùm verò deterſio non eſt facta per ſuppurantia, propoſitis mundificantibus tamdiu utemur, quandiu pus in ulcere apparebit.

Signa ulceris puri, vel impuri, tradit Celſus cap. 26. lib. 5. ſi enim ulcus rubet, ac nimiùm neque ſiccum, neque humidum eſt purum exiſtit: contra, quod ſenſu caret, quod nimiùm eſt aridum, aut humidum,

aut

aut pallidum, albidum, lividum, vel nigrum, non eſt purum. Quomodo autem ulcera in profundo ſita cognoſcantur eſſe deterſa, docet Galenus cap. 2. lib. 4. γ. κ. purum enim ulcus eſt, ſi medicamenta incipiant ſenſum mordicationis inferre.

De Carne generanda.

Purgato autem ulcere, ſequitur ut carne impleatur, per ſarcotica. Gignitur quidem caro à natura, id eſt, à partis ulceratæ temperatura; at quoniam in carnis generatione, dum ſanguis in carnem mutatur, tenue, & craſſum excrementum ſegregatur, fit ut natura medici egeat auxilio; aliàs, ſi ſanæ ſint partes, in tertia concoctione ſingularum partium, tenue excrementum eſt inſenſibilis illa perſpiratio, quæ ſi interdū, aut ex motu, aut cibo, aut imbecillitate, aut alia de cauſa viſibilis fiat, ſudor dicitur, craſſum verò excrementum ſunt ſordes, quæ extrinſecus corpori adhæreſcunt, hæc excrementa in parte ſana à natura detruduntur extra corpus, ſenſibiliter, & inſenſibiliter; at cum exulceratæ partes imbecilles ſunt redditæ, excrementa non poſſunt ampliùs à natura extra ulcus propelli; unde à craſſo excremento ulcus ſordidum redditur, à tenui, humidum. Hinc ergo patet, ulcus duplici indigere medicamento, ſcilicet ſorditiem detergente, & humiditatem exſiccante; & quia nullum eſt tempus, quo natura à carnis generatione ceſſat, nullum etiam eſt tempus, quo non hæc duo excrementa ſegregentur, & ulcus non indigeat ſiccantibus, & detergentibus, hæc, medicamenta Sarcotica, id eſt, carnem generantia dicuntur, noſtri vocant, generativa carnis, ſeu implentia ulcus; non quod ipſa carnem generent; quia natura hoc facit, ſed quia ſiccando, & detergendo, impedimenta auferunt.

Jam autem inveſtigandum, quantum ſit ſiccandum; proinde experientia obſervatum eſt, ſarcoticum medicamentum eſſe exſiccans in primo gradu, in natura humana: ſed cum primi gradus magna ſit latitudo, non ſufficit hoc ſcire, verum etiam indagandum, num vis ſiccandi primi gradus, remiſſa, aut intenſa eſſe debeat; hoc autem æſtimabimus ex iis, quæ in ulcere apparent; ut ſunt craſis corporis totius, & maximè partis ulceratæ, quæ per ſimilia cuſtodienda; deinde copia ſaniei, quæ per contrarium tollenda, quapropter ſi multa eſt ſaniei copia, ut in ulcere magno, valentioribus indigemus ſiccantibus, mitioribus in ulcere minori: item ſi natura corporis ulcerati mollior eſt, ac humidior, ſimilis quoque caro, nimirum humida, & mollis regeneranda; ideoque mitioribus indigemus ſiccantibus, at ſi caro ſit denſa, & ſicca, valentiora ſint ſiccantia, ſic ergo ſiccantium quantitas decernenda. Si ulcus parvum, & corporis temperies humida, ratione utriuſque, ſiccante egemus mitiori, ideoque thus erit accommodatiſſimum; ſi ulcus magnum, & temperies humida, ſiccantia paulò erunt valentiora, quia indicationes pugnant, unde farina hordeacea, & fabacea conveniet; ſi ulcus magnum, & temperamentum vel temperatum, vel ad ſiccum vergens, ſiccantia adhuc erunt valentiora, ut farina ervi, & iris; ſi ulcus magnum, caro verò admodum ſicca, & dura, indigemus medicamento valentiſſimè in ſuo, nimirum in primo gradu, ſiccante, ut eſt ariſtolochia, tuthia, pompholyx. Hæc omnia medicamenta ſiccant tantùm in primo gradu; differunt autem ratione intenſionis, & remiſſionis; nam alia in primo remiſſo, alia in æquali, alia in intenſo exſiccant, tale autem medicamentum num conveniat, nec ne; cognoſcimus è ſignis, quæ afferuntur à Gal. c. 1. lib. 4. κ. γ. nimirum, ſi pars ulcerata eam ſiccitatem adipiſcatur, quam antea ſecundùm naturam habuit, ut ex ulcere neç pus, nec ſanies effluat.

Eadem in detergentibus eſt ratio; licet enim hæc non ſint diſtincta in quatuor ordines, ſeu gradus, ut ſiccantia, nihilominus pro ulcere cavo implendo, detergentia mitiora requiruntur; unde Galenus ait nitrum, aphronitrum, & ſcyllam, quæ valentem facultatem ſalſam, & amaram poſſident, ad detergendum ulcus in carne non eſſe accommodata, ut autem ſciamus, qualenam conveniat detergens, perpendenda eſt natura ægrotantis, magnitudo ulceris, & ſenſus ipſius partis. Si enim ulcus ſit parvum, & corporis laborantis temperatura mollis, ſive humida, & pars ſenſu exquiſito prædita, uſurpanda ſunt quæ moderatè detergunt; ut manna thuris, farina ervi hordei, fabarum, & mulſa aquoſa, cap. 4. lib. 8. Meth. cap. 2. lib. 6. κ. γ. Parvum enim ulcus, non omninò multas efficit ſordes, caro autem mollis facilè colliquatur, & pars ἐυαίσθητος facilè exacerbatur à validiore detergente, unde in tali caſu, quod modicè detergit, ſolum ex uſu eſt; ſi verò ulcus fuerit magnum, caro mollis, ſeu humida, & ſenſu exquiſito prædita, valentiora requiruntur detergentia, ut iris, panacis radix, ariſtolochia, licet pugnantes ſint indicationes; ſi verò ulcus magnum ſit, & caro ſicca, & ſenſus obtuſus, adhuc valentiora indicantur deterſoria, ut ſtaphiſagria. Denique, ſi ulcus valde magnum ſit, & corpus valde durum, & obtuſum habeat ſenſum, magis valentia indicantur deterſoria; ut cyminum, ſemen erucæ, mel roſaceum; &c. quæ in genere ſarcoticorum ſunt valentiſſima. Signa autem ſunt medicamenti detergentis accommodati, ſi purum appareat ulcus, & ſine mordicatione; nam ſi impurum ſit ulcus, & morſum ſentiat æger, non eſt bonum detergens, quia ſic impeditur carnis generatio; imò cavitas fit major, & ora ulceris rubentia, atque calidiora evadunt, totumque ulcus veluti inflammatione afficitur; quod ſi hæc ſigna non compareant, ſed ulcus ſit purum, & caro rubra, ſine ſordibus, craſſiſve excrementis adhærentibus, certi ſumus nos inveniſſe medicamentum deterſorium ulceri implendo accommodatum, cap. 6. lib. 3. Meth. med.

Verùm cum ſiccantia, & detergentia etiam activis agant qualitatibus, cavendum, ne ulcus ad calidam, frigidamve intemperiem deducatur, & carnis generatio ita impediatur, cap. 8. lib. 3. Meth. Hinc alcercum, meconium, mandragora, fugienda; quia ſupra modum refrigerant; reſina verò, ſive aſphaltum; non uſurpanda ſola, cum præter modum calefaciant; proinde ſarcotica cum tenebunt caloris gradum, quem pars, cui applicantur, qui gradus eſt primus, aliquam tamen habens latitudinem, & hoc intelligendum, de naturali partis conſtitutione quam per ſimilia conſervabimus; unde ſi caro ulcerata ſit temperata, ut in ſumma manu, ubi modica eſt caro, & plurimi nervi temperatum erit ſarcoticū; ſi verò paulò calidior fuerit, ut locus ſupra cubitum, vel in humero, &c. ubi major veræ carnis eſt copia, calidius erit ſarcoticum; quod ſi caro ſubjecta receſſerit à naturali habitu, vel per frigiditatem, vel per calorem, non ampliùs ſimilibus; ſed contrariis utendum, ut caro ad priſtinam temperiem reducatur; in quo caſu Galenus monet, aeris quoque ambientis, id eſt, anni temporis, regionis; & conſtitutionis habendam eſſe rationem, ut horum exceſſui occurratur; ſic enim Hippocrates, frigidioribus anni temporibus, paulò calidioribus utebatur medicamentis, & contra: nos item, verbi gratia, emplaſtrum capitale, æſtate conficimus cum aqua; hyeme, cum vino. Signa autem, quibus innoteſcit, num invenerimus accommodatum ſarcoticum ratione caliditatis, ſunt, color, tactus, & laborantis ſenſus; color enim partis interdum rubet, interdum

albicat; tactu in parte affecta modò calorem vehementem percipimus, modò nullum; ipſe verò patiens interdum uſtionem ſentiet, interdum manifeſtum frigus, gaudebitque calidis, vel frigidis medicamentis. Spatio autem unius, duorumve dierum, certi eſſe poſſumus, num accommodatum ſit remedium, an verò aliquid addere, vel detrahere oporteat. c. 1. lib. 7. per gen.

Porrò, quantum ad Sarcotica attinet compoſita, ſolent ea unguentorum forma adminiſtrari: debent enim eſſe lævia, æqualia, non aſpera, tenuia, mollia, alioquin facilè partem ulceratam irritabunt. Si ergo ulcus fuerit parvum, & temperatura humida, ſenſus acutus, ac tempus anni temperatum; unguentum de betonica convenit, potiſſimùm factum è ſucco betonicæ, oleo, & cera, ſine pulveribus. Si verò ulcus magnum ſit, corpus durum, & ſiccum, ut nautarum, & ruſticorum, ſenſus obtuſus partis ulceratæ, & tempus hyemale, Sarcoticum erit valens, & calidum, ut eſt unguentum Iſidis dictum, quod à Galeno deſcribitur lib. 2. per Gen. ſi eædem adſint indicationes, ſed tempus fuerit æſtivum, convenit unguentum de tuthia, & de ceruſſa. Si indicationes fuerint contrariæ, ita ut ulcus ſit magnum, & temperatura humida, & habeat ſenſum exquiſitum; ſarcoticum erit medio loco conſtitutum, quale hoc eſt. R. reſinæ terebinthinæ unc. iij. ceræ unc. i. thuris, maſtiches, fœni græci, ana unc. ſem. olei communis q. ſ. ad unguenti formam. In quo caſu, & Baſilicum magnum, & unguentum Apoſtolorum commendantur.

In horum unguentorum uſu, duos errores incurrere poſſumus, primùm, ſi nimis ſint mollia: tum enim propter partis calorem liquantur, & undique diffluunt, mundumque linteum relinquunt ſupra carnem ulceratam quod eam mordicat, cap. 8. lib. 2. ad Glauc. unde Galenus monet, in ulceribus non admodum profundis, ſed in ſummitate hærentibus, medicamenta craſſiori debere eſſe conſiſtentia, nè ſcilicet liquentur; deinde, ſi nimis mollia ſint unguenta, propter & remollientem naturam, caro ab hoc medicamento gignitur nimis, laxa, & mollis, carni ſubjectæ diſſimilis, quod potiſſimùm in naturis ſiccioribus, & corporibus duris contingit; quapropter ſi puer ulcere laboret, quia caro generanda debet eſſe mollis, & tenella, utendum eſt mollioribus; in dura autem carne, non ita, mollibus utendum, ſed minus admiſcendum olei; vel pulvis aliquis ſarcoticus medicamento adjungendus, proinde nos in duris, & ſiccis corporibus, ubi carnem expetimus duram, ut plurimùm, vice unguentorum, utimur medicamentis, quæ potentia, & actu ſunt ſicca, cujuſmodi ſunt pulveres ſarcotici, qui inſperguntur parti ulceratæ. Ut, R. thuris, reſinæ, colophoniæ, ana unc. ſem. redacta in pollinem, inſpergantur. Vel, R. aloes, ſarcocollæ, ſang. dracon. tuthiæ præparatæ, æqualia pondera, miſce. Pulveres etiam ſarcotici fiunt è radice iridis, manna thuris, myrrha, ſarcocolla, radice panacis, reſina laricis, qui pro ſcoporum varietate, permiſcebuntur. Si utamur mollibus, extendi debent ſupra linamenta ſicca, ſi non adſit dolor, & ſenſus partis ſit obtuſus; at verò ſi ſenſus ſit acutus, deraſa meliùs uſurpantur, quæ conficiuntur ad formam ſplenis, id eſt, rotundam, & longam, qua de cauſa, ſplenia dicuntur.

De roboranda parte Ulcerata.

Non tantum verò parti ulceratæ, ſed etiam circunſtantibus medicamenta admoventur; primùm ad detinendum ſarcoticum, quæ tamen non eſt cauſa principalis, quia etiam faſcia, & linteo poſſemus detinere. Secùndò, ut pars ulcerata à frigore defendatur, quod ulceribus mordax eſſe ſolet. Aphor. 23. ſect. 5. Tum. ut calor innatus magis detineatur, & includatur. Quæ cauſæ & ipſæ non ſunt præcipuæ, quia ſtupa, lana, aut goſſypio partem à frigore defendere, & calorem fovere poſſemus. Tandem, ut partis ulceratæ ſubſtantia, ſicut Gal. ait, c. 90. art. med. ſalubris conſervetur, quæ cauſa eſt potiſſima. Multa autem ſunt quæ partem à priſtina ſalubritate deturbare poſſunt. Primùm enim, cùm ex ulcere perpetuo ſegregentur excrementa, ſeu humiditates, quæ propter imbecillitatem partis extra ulcus propelli non poſſunt. ideò periculum eſt, ne hujuſmodi humiditates in carne vicina imbibantur, & abſorbeantur, atque ſic eam deducant ad intemperiem humidam. Deinde, quia ulcus partem reddidit debilem, unde licet nullus ſit fluxus, ſemper tamen timenda eſt fluxio, quia natura conſuevit ſemper corporis excrementa propellere ad partem debiliorem. Tertiò, cum Sarcotica parti ulceratæ impoſita ſint mollia, & oleoſa, metus eſt, ne laxando & effeminando, partis robur exſolvant, & eam fluxioni reddant obnoxiam. Ut autem ſaluti partis conſulatur, his tribus incommodis obſiſtendum. Humiditates ſunt exſiccandæ, fluxio repellenda, pars laxa aſtringenda, & roboranda. Hoc aſſequimur medicamentis aſtringentibus, quæ repellunt, ſiccant, roborant, c. 2. l. 2. ad Glau. Varia autem hujus generis medicamenta recenſentur, c. 5. l. 4. κ. γ. cum enim ulcus eſt altum, totum ipſius cavum medicamento indito replebitur, poſtea aliud platyſma accommodabitur, quod etiam labia comprehendat, hæc ergo reſpiciunt partem ulceratam, quæ carnem poſtulat; hinc deinde rurſus linteum frigida madens objiciendum, poſtremò extrinſecùs ſpongia mollis faſcia ex linteo obducenda. Frigida hic utitur Gal. ad repellendum, ſpongia, ad abſorbendum humiditates. Et c. ult. l. ejuſd. ait, ſupra ſplenium lanam ſuccidam, vino, & oleo intinctam alligari debere, vinum enim facit ad repellendum, & ſiccandum, oleum, & ſpongia, ad leniendum dolorem, ibidem ſpongiam ex aqua, vel poſca madentem, & expreſſam imponit, nam aqua, & poſca repellunt, ſpongia, & poſca exſiccant. Utitur etiam Galenus emplaſtris, quæ nos vulgo cerata appellamus, ut eſt Diapalma, quod deſcribit l. 1. κ. γ. & tempore potiſſimùm temperato uſurpatur, quemadmodum hyeme emplaſtrum Barbarum, & æſtate ceratum de Ceruſſa. Admovemus etiam partibus circumjacentibus rubi germina, & folia in aqua cocta, item folia plantaginis in aqua decocta, aut in vino nigro, ſi hyems ſit. Præſtantiſſimum eſt vinum nigrum auſterum, aut ex linteo duplicato, aut ſpongia expreſſum. vinum enim optimum eſt medicamentum omni ulceri, qua ulcus eſt, cap. 4. lib. 3. Meth. Quod ſi pars admodum ſit laxa, aut corpus repletum, & cacochymum, ita ut mirum in modum fluxum timeamus, alterandum eſt vinum nigrum auſterum. & in eo ebulliendа quæ validam habent vim adſtringendi, ut balauſtium, malicorium, ſcabioſa, olivæ folia, myrti, germina cupreſſi, ejuſdemque folia, & nuces, denique alumen in vino liquari, & incoqui poteſt. Si non adſit vinum nigrum auſterum, alumen ſimiliter vino liquandum, ſi ceratis uti libet, horum forma ſolidior erit, ne propter multum oleum remolliant. Poſtremò, quia ſanguinem, è quo caro generatur, & quantitate, & qualitate bonum eſſe oportet, accommodatam victus rationem ſervari in quantitate, & qualitate neceſſum eſt.

De abſumenda carne ſuperflua.

Hactenus, quomodo ulceris cavitas carne replenda ſit, docuimus, quia verò ſæpe vel medici ignorantia, vel ægri errore, caro ſuperflua in

in ulceribus generatur, huic quoque occurrendum. Cauſæ, cur generetur caro ſuperflua, duæ ſunt; primum, ſi alimentum ſuperabundet; ſi æger in victus quantitate deliquit, unde ſanguis in majori copia, quàm debet, ad ulcus accurrit. Deinde, ſi ulcera à medico minus purgentur, & exſiccentur, quàm res poſtulat, unde humiditates in ulcere conſiſtunt, quarum cauſa ſuperflua caro generatur.

Quod ſi igitur caro inutilis gignatur ob ſanguinis tantùm abundantiam; hoc inde cognoſcitur, quia caro genita eſt ſimilis carni ſubjectæ. Hinc oritur indicatio ſanguinem minuendi, per venam ſectam, cucurbitulas; vel ſecundo, per purgationem, ſi corpus ſuperfluis ſcateat humoribus; nam ex evacuatione excrementorum, partes corporis redduntur ſicciores, in detinendo avaræ, in expellendo promptæ; vel tertiò, per victus rationem tenuem. Ulceri verò Sarcoticum ſiccans magis admovendum, quàm ſi nulla adeſſet ſuperflua caro.

Quod ſi caro generetur, ut plerunque contingit, culpa medici, qui minùs exſiccarit, & purgarit, ſive deterſerit ulcus, quàm par eſt, hoc inde cognoſcitur, quia caro genita eſt laxa, mollis, flaccida, & veluti ſpongia. In hoc caſu oritur indicatio carnem minuendi; quod fiet, ſi valentiùs ulcus exſiccetur, & purgetur, cap. 8. lib. 3. Method. Proin ſi modica fuerit caro ſuperflua, & corporis natura humidiſſima, ſtuppæ cannabinæ minutim inciſæ ſatis erunt, ex Avicennæ ſententia; vel ſpongia mollis ſicca; ſimiliter inciſa, & impoſita, ſicca quoque linamenta, modicè carnem reprimunt, è Celſo: ſi caro excreſcens ſit modica, & corpus humidum, carnem minuet lana combuſta, caro porci ſalita, & macra; ſimiliter linteum infuſum in aqua ſalita, ſecundùm Paulùm; item linteum in aqua aluminoſa, ſi caro ſupercreſcens luxuriet, & pars ulcerata humida: convenient, miſy, chalcitis ærugo, c. 8 lib. 3. Method. cum iis, quæ deſiccant, & detergunt. Secundùm Dioſcoridem in hoc ordine ſunt cinis quercus, tithymali, & ficus. Secundùm Rhaſin, ſal melli permiſtum, cepa cum melle, nuclei dactylorum uſti, ſemen urticæ, radix vitis albæ; 4. Continent Secundùm Avicennam, oſtrea contuſa, fæx aceti, & vini, pulvis hermodactylorum, Ariſtolochia rotunda. Si caro ſupercreſcens ſit adhuc copioſior, pars verò ſicca, & dura, uſurpentur, quæ validiſſimè detergunt, ac ſiccant, ut æs viride, alumen uſtum, & è compoſitis præcipitatum, unguentum Aegyptiacum, calx viva, cum melle involuta in paſta, & in furno cocta, nigrum veratrum in pollinem redactum, & inſperſum, oleum vitrioli, & de ſulphure.

In horum medicamentorum uſu duo notanda, ex Avicenna, quarta quarti, tract. 3. c. proprio: primum enim partes ulcus circunſtantes aliquo refrigerante inungi debent; quia carnem exedentia interdum inflammationem movere ſolent; hinc frigidis fluxio repellenda, nimirum cerato, aut unguento de ceruſſa; vel de tuthia, aut vino nigro auſtero, aut alio quodam ejuſmodi, de quibus & antea. Deinde ab oleoſis abſtinendum, quæ propter unctuoſam naturam magis remolliunt, quàm carnem minuunt.

De cicatrice ulceribus obducenda.

His ita expeditis, reſtat, ut ulceri cicatrix inducatur. Idem vero eſt inducere cicatricem, & curare ulcus ſimplex, planum, quia eadem utrobique eſt indicatio uniendæ cutis. Natura autem in utero cutim generat, extra verò procreare eam nequit, ob materiæ ſeminalis defectum, proinde ars ſupplet aliquid cutis ſimile, quod ejus præſtet officium. Ducere igitur ulcus ad cicatricem, eſt, tegere carnem aliquo naturali tegumento, è ſubjecta carne comparato. Cutis carne eſt durior, denſior, ſiccior. Caro ergo eatenus alteranda, donec ita dureſcat, denſetur, & ſiccetur, ut cutis ſuppleat officium. Indurant autem tum refrigerantia; quia conſtringunt, & veluti exprimunt partes tenuiores, craſſa verò in unum cogunt, ut in glacie videmus; tum ſiccantia, quia tenuiores partes abſumunt; quomodo ruſticorum manus è nimio exercitio duræ ſunt, lib. 5. Simpl. Ea autem refrigerantia oportet eſſe adſtringentia, non humida, quæ emolliunt, non indurant. Cum ergo cicatrix ſit caro denſata, ſiccata, & veluti calloſa reddita; certè quæ carnem calloſam inducunt, pro cicatrice accommodata, cap. 16. lib. 1. Simpl. Hæc medicamenta dicuntur, συνουλωτικὰ καὶ ἐπουλωτικὰ, à noſtris, Cicatricem inducentia, à Barbaris, conſolidantia, ab Avicenna, Sigillativa.

Hæc autem medicamenta ſicca eſſe dicuntur in gradu tertio, cap. 1. lib. 4 κ.γ. nam carnem generantia ſicca ſunt in primo, quia tantum ſiccare debent excrementa, quæ in carnis generatione reſultant; glutinantia verò ſicca ſunt in ſecundo; quia non tantum excrementa, ſed etiam totum illud exſiccare debent, quod aliunde affluit; cicatricem inducentia, ſicca ſunt in tertio; quia non tantum excrementa, nec tantum quod aliunde affluit, ſed etiam naturales humiditates ipſius partis exſiccare debent. Quod ſi his conferamus ea, quæ carnem minuunt; hæc tertium ſiccitatis gradum tranſcendere debent; quin & excrementa, & id quod aliunde fluit, & naturalem carnis humiditatem, & ſubjectam etiam ſubſtantiam, ſive carnem ſiccare debent. Ut autem ſcire poſſimus, in qua menſione tertii gradus, cicatricem inducens debeat exſiccare, oportet duo conſiderare; primùm, naturam ægrotantis; nam naturis ſiccioribus, magis ſicca medicamenta adhibenda; deinde, ulceris magnitudinem; quia cicatrix modica fieri poteſt ſiccantibus mitioribus; proinde naturis humidioribus, ut pueris, & mulieribus, cicatricem inducent gallæ immaturæ, malicorium, id eſt, cortex granatorum, fructus ſpinæ Ægyptiæ cap. 5. lib. 3. Meth. ſi autem ulcera ſint majora, & corpora non ita humida, proſunt miſy, chalcitis, æs uſtum, æris ſquama, alumen ſciſſile; vehementia ſunt miſy, & chalcitis; mitior æris ſquama; adhuc mitius æs uſtum, quod, præcipuè lotum, præſtantiſſimū ἐπουλωτικὸν eſſe prodidit Gal. cap. 15. lib. 5. Simpl. & nos ſæpe experientia comprobavimus. Compoſita ſunt, ceratum diapalma, de minio, barbarum; quod tamen in naturis humidioribus, & parvis cicatricibus, hyemali tempore ſaltem accommodatum eſt, & hæc medicamenta cicatricem inducentia ſunt adſtringentia per ſe, & propriè; quæ verò ſiccant tantum, & carnem denſant ſunt linamenta ſicca, cap. 5. lib. 13. Meth. item myrrha, lithargyrum, oſtreum, diphryges combuſta, ſicca, illita, cap. 26. lib. 5. Simpl. item pini cortex, reſina ſicca, abrotanum aſſatum, oſſa combuſta, folia ficus, ariſtolochia combuſta, radix iridis, ſecundùm Avicennam 4. 4. tract. 1. cap. 10. quibus addi poſſunt os ſepiæ, cornu cervi uſtum, tuthia præparata, & id genus alia.

Quæritur autem, quo tempore epouloticis utendum; ſi enim ulcus ad æqualitatem carne ſit repletum, tunc fiunt cicatrices, circumpoſita cute magis eminentes; cap. 5. lib. 13. Meth. Cauſam reddit Avicennas; dum enim ſtudemus cicatricem inducere, natura carnem generat; quia natura nunquam ceſſat carnem generare, licet epoulotica imponantur, ideoque ne hoc accidat, oportet epouloticum imponere, non quando caro eſt ad æqualitatem producta, ſed quando aliqua adhuc ineſt cavitas, non tamen notatu digna.

Modus inducendi cicatricem deſcribitur à Galeno c. 5. lib. 13. Meth. qui, ut intelligatur, ſciendum, epouloticum duplex eſſe; vel & actu, & poteſtate ſiccum,

vel poteſtate ſiccum, actu verò, & conſiſtentia humidum: deinde notandum, ulcus omne, quod indiget cicatrice, & habet aliquam cavitatem, ſemper majorem habere cavitatem in ulceris medio, minorem in circuitu; proinde, cum cicatrix eſt inducenda, imponatur epouloticum potentia, & actu ſiccum, oris ulceris, ſeu in circuitu; cujuſmodi eſt æs uſtum, æris ſquama, & quæ ſuperiùs retulimus, in pulverem redacta; & hoc fit, ut citiſſimè in his partibus inducatur cicatrix, quia cavitas media major eſt, nec tam forti eget epoulotico. In medio autem ulceris Galenus imponit epouloticum molle, & humidum conſiſtentia, ut unguentum ex lithargyro, è cadmia, quod prout ſiccum eſt, cicatricem inducit; prout verò molle exiſtit, eatenus non præproperè, ſed tardiùs, quàm pulvis, cicatricem facit; quia mollities, & humiditas actualis, carnem emolliendo, retardat etiam cicatricem, ut ſic carne generata, major illa cavitas quadantenus impleatur; quod ſi modica hæc caro in ulceris medio generata fuerit, amovebitur medicamentum conſiſtentia humidum, & ſiccum tantùm uſurpabitur, lato ſpecilli mucrone ſuper toto ulcere voluto, & inſperſo toti ulceri aliquo epoulotico: hic modus in praxi optimè ſuccedit, à nullo tamen hodie nec obſervatus eſt, nec animadverſus. Ego in praxi feliciſſimè induco cicatricem, inſperſo ære uſto, loto, aut tuthia præparata, ſuper ulceris ora, in medio autem ulcere impoſito unguento de tuthia, de ceruſſa, aut è lithargyro, aut alio epoulotico conſiſtentia humido: foris ſufficiet linamentum, vel ſiccum, vel vino madens, potiſſimum quod fit è mollibus elychniis.

Ex hoc modo id notandum, loco corollarii, quando in ulcere plures oriuntur indicationes, his omnibus ſatisfaciendum eſſe diverſis medicamentis, diverſo loco impoſitis. Sæpe enim, potiſſimùm in magnis, & latis ulceribus, natura in una parte ulcus purgat, in alia carne implet, in alia cicatricem inducit; proinde, ſi bene operetur natura, id eſt ſi cicatricem inducat, ubi ea neceſſaria eſt, & carnem generet, ubi decet, &c. naturam imitari debemus, imponentes in una ulceris parte epouloticum, in alia ſarcoticum, in alia detergens; ſi verò natura non bene operetur, ejus defectum ſupplere debemus. Sic Gal. in cura Carbunculi, cap. 5. lib 5. κ. γ. aliud medicamentum imponit cruſtæ, aliud parti vicinæ.

Et hæc ratio eſt curandi ulcera, quæ facilis ſunt curationis, & quæ nec fluxione, nec intemperie, nec ulla quapiam alia re præter naturam afficiuntur, unde totius corporis providentiam, venæ ſectionem, purgationem, ac diætam omiſimus; hæc enim ad ulcera ægrè ſanabilia ſpectant.

Cap. 4. *De Ulceribus ægrè curabilibus; & primùm de ulcere cum vitioſi humoris affluxu, proinde difficulter cicatricem admittente.*

HActenus egimus de ulceribus ſimplicibus, planis, & cavis, quibus nihil ineſt vitii, præter cutis, & carnis amiſſionem; quæ ob id facilis ſunt curationis: jam ad ea deveniemus ulcera, quæ junctum habent vel morbum, vel morbi cauſam, vel ſymptomata; quæ ob id difficulter curari poſſunt, cum enim in omni ulcere requiratur, ut natura carnem, cutemque generet, per craſin partis ulceratæ, è ſanguine bono, ratione quantitatis, & qualitatis; proinde ſi craſis partis illæſa eſt, ſicque ſanguis quantitate, & qualitate moderatus affluit, facilè curantur ulcera; at ſi vel craſis vitiatur, vel ſanguis peccat, non niſi cum difficultate caro generari, ulceraque queunt.

Sunt autem potiſſimum quatuor ſpecies ulcerum ægrè curabilium; quando enim ulcus oritur ex influxu humorum multorum, vel acrium; vitium autem craſſeos in carne ulcerata non adeſt, dicuntur ulcera δυσεπούλωτα. Quando vitium eſt in temperamento partis ulceratæ, dicuntur ulcera maligna, cacoethe, C. 18. lib. 1. κ. γ. c 1. & 13. lib. 4. κ. γ. ſi hæ cauſæ miſceantur, ut & vitioſus ſanguis affluat, & pars dyſcraſia laboret: dicuntur ulcera ſupra modum maligna, c. 5. lib. 4. κ. γ. Quod ſi humor influens admodum ſit vitioſus, & intemperies ita intenſa, ut pars habitum pravum contrahat, oriuntur cacoethe, id eſt ulcera, quæ vicinas partes putrefaciendo, & erodendo, depaſcunt, febreſque inferunt, c. 1. lib. 6. κ. γ. De ſpeciebus ulcerum ægrè curabilium, vide etiam Galenum c. 1. lib. 4. Meth. & c. 5. lib. 4. per. gen.

De Ulcere Dyſepouloto.

Ulcus cicatricem difficulter admittens, dicitur δυσεπούλωτον, alias vocant ulcus fluxione vexatum, quia provenit à vitioſo humore influente: in hoc ulcere cum duplex ſit affectus, nimirum ulcus, & fluxio; duplex oritur intentio, nimirum & ſanandi ulceris, & removendæ fluxionis, quia verò ſanari ulcus nequit, niſi fluxio auferatur, contra hanc omnis noſtra dirigetur intentio; ulcere tamen non omninò neglecto: primùm ergo videbimus ſigna ulceris fluxione vexati; deinde cauſa fluxionis; tandem ut fluxio ſit curanda.

Primum ſignum eſt, quod ulcus hoc non ſanatur, ob vitioſum humorem affluentem, etiamſi ritè peragantur omnia, quæ aliàs ad ulcus curandum requiruntur; unde ulceris diuturnitas ſequitur, cap. 5. lib. 4. Meth. Secundum ſignum eſt, quod hoc ulcus ſemper plus minus eroditur, ac dilatatur; & eò magis, quò copioſior, & acrior fuerit humor fluens. Tertium, quod ulceris labia tumida, ſimiliterque partes ulceris circumjacentes tumefactæ apparent. Quartum eſt, quod major copia ſaniei, & virulentiæ ſemper effluit quàm pro magnitudine ulceris. Quintum quod ut plurimum hoc ulcus ſit cum dolore, qui provenit è ſolutione continui, facta in partibus nervoſis, viliſque ob humorum acrimoniam, quem dolorem plerumque ſequitur inflammatio.

Cauſæ fluxionis ſunt, pars mittens, & pars recipiens, cap. 7. lib. 2. ad Glauc. Humor non fluit è ſe, & proprio impetu, aliàs omnis fluxio ad inferiora fieret; ſed vel à parte mittente propellitur; vel à recipiente trahitur: pellitur à mittente, tum quia robuſta; tum quia irritata, c. 1. lib. de Cauſ. Morbor. Irritatio fit à natura vitioſa, cujus cauſa vel interdum vitium jecoris, aut lienis, perpetuo autem ſex res non naturales, ut aër putridus, motus nimius, cibi acres, & calidi, nimius ſomnus, nimiæ vigiliæ, vacuationis ſuppreſſio, ira, agonia, &c. Recipiens attrahit tum calore, tum dolore, cap. 3. lib. 13. Methodi med.

Curatio primùm ad fluxionis cauſas, deinde ad ipſam fluxionem dirigitur. Externæ igitur cauſæ, ſi ulcus, & fluxionem adhuc fovent, emendandæ; unde Aër frigidus alterandus, ut calor, & putredo ejus emendetur. Cibi erunt boni ſucci, qui non generent humores pravos, & erodentes. Potus non ſit vinum, vel ſaltem pauciferum, aut aqua cum vino granatorum, quod refrigerat, & conſtringit humores, ut in propriis maneant receptaculis. Habenda etiam ratio eſt motus, quietis, ſomni, & maximè eorum, quæ præter naturam detinentur

tur, omneſque viæ naturalium vacuationum aperiendæ.

Cauſa interna eſt redundantia vitioſorum humorum plerumque à jecoris, aut lienis vitio ortum ducens; quorũ curatio à practicis petenda. Perpetuò autem adeſt copia vitiatorũ ſuccorum, qui fluxionẽ concitare, & exulcerare poſſunt, quorum tres potiſſimùm ſunt; nimirum, bilis, humor melancholicus exuſtus, & pituita ſalſa: hi ergo humores, priùs præparati, purgandi ſunt. bilis præparatur ſyrupis cichoraceis: ut. R. ſyr. de cich. ſin. p. unc. i. de ſucco acetoſæ unc. ſem. decocti endiu. ſonchi, hepaticæ unc. iiij. Miſc. pro ſyrupo. Purgatur hoc modo. R. rhab. el. pulver. drach. i. ſem. ſpicæ gr. v. vini albi parum, fiat infuſio in decoctione tamarindorum, & expreſſioni adde ſyrup. roſ. ſolutivi unc. iiij. Miſ. & fiat potio. Hoc medicamentum mite eſt; ſi deſideretur valentius, addentur elect. de ſucco roſ. drach. ii. aut etiam electuar. roſati Meſues drach. ii. Humor melancholicus exuſtus præparatur refrigerantibus, & attenuantibus, ut ſyrup. de fumar. de ſucco borrag. cum decoctis meliſſæ, bugloſſi, fumariæ lupulorum. Purgatur hoc modo. R. epithymi, polypodii, ana drach. i. ſem. fol. ſenæ drach. ii. ſchœnanthi, zinziberis ana gr. vi. vini albi aromatici parum, fiat infuſio in decoctione florum & fructuũ cordialium, & expreſſioni adde ſyr. de polyp. unc. iv. Miſce, fiat potio. Hoc medicamentum valentius reddetur, additis confect. Hamech. drach. ii. Vel in forma boli, R. elect. lenitivi drach. x. confect. Hamech. drach. iij. cum ſaccharo fiat bolus. Pituita ſalſa præparatur ſyr. de beton. de ſtœchade, cum decocto cichorii, betonicæ, &c. Purgatur hoc modo. R. agar. trochiſ. ſcr. iv. zinziberis gr. vii. vini albi aromatici parum, fiat infuſio in decocto betonicæ; expreſſioni adde mannæ calab. unc. iij. mellis roſ. ſol. unc. ii. Miſce, & fiat potio. Valentius hoc ſi cupis, adde drach. i. diaphœni on. Vel in forma pilularum. R. pil. coch. drach. i. de agarico Meſ. drach. ſem. M. & cum ſyr. de beton. fiant pil. num. v. deaurentur. Verum, præter humores jam dictos, conſiderandus etiam eſt humor ſeroſus, qui & ipſe ulcera excitat, & perpetuò aliorum humorum eſt vehiculum: vacuandus ergo vel per urinam, vel per ſudorem; per urinam, diureticis, unde ſyrupis prædictis addi poteſt, vel ſyr. de capillis veneris, vel decoctum polytrichi, aut apii, aut betonicæ, aut alterius diuretici, quod vel frigidum ſit, vel moderatè calidum. Poteſt etiam in hoc caſu dari ſerum lactis caprini. Aquæ thermarum D. Petri, aut Lucenſium, conveniunt. Victus ratio eandem habebit facultatem; unde laudo cucurbitas, lac ſeminum melonum, &c. Per ſudorem ſeroſi vacuantur humores, ſi detur decoctum ſalſæ parillæ, cui adjectum ſit parum guaiaci, & ſi guaiacum calore noceat, præparanda eſt decoctio cum cichoraceis hæc de parte mittente. In parte recipiente, cauſæ fluxionis ſunt, calor accenſus, & dolor; unde indicatur refrigeratio partis, & doloris mitigatio; quæ, ut præſtanda ſint, infra docebimus, c. 7. de ulcere calida intemperie affecto, & dolente. Hæc igitur de fluxionum cauſis.

Jam ad ipſam fluxionem, ſeu humorem fluentem oculos dirigemus. Superatur autem fluxio tribus inſtrumentis, Revulſoriis, Intercipientibus, & Repellentibus.

Revulſoria ſunt, quæ humorem ad partes contrarias trahunt, calore, dolore, aut vi vacui; ut venæ ſectio, purgatio, balneum, frictio, inunctiones calidæ, & digerentes, vincula, ſetacea, fonticulus. Quoad venæ ſectionem, quamvis cacochymia adſit, attamen ſi repletum fuerit corpus, vena ſecanda contraria parti affectæ, & è directo. De purgatione antea dictum; reliqua etiam revulſoria in partibus contrariis inſtituenda, ut frictiones, una cum inunctionibus calidis, & digerentibus, ex oleo caſtorino, liliaceo, rutaceo, caryophyllorum, &c. item balnea calefacientia, ex origano, pulegio, hyſſopo, &c. Fonticulus etiam in parte contraria, maximè à me probatur, in ulcere cum fluxione.

Intercipientia ſunt, quæ faciunt, ne humor fluens ulterius procedat, aliàs defenſiva dicuntur; quia partem affectam defendunt & præſervant à fluxione: hoc faciunt frigiditate, & aſtrictione, hæc enim vaſa conſtringunt; illa verò & vaſa cogunt, denſantque, & humorem incraſſant, quò ad fluendum ſit promptus. Sumuntur autem æquales portiones boli Armen. ſang. drac. myrtillorum balauſt. corticum granatorum, quæ in tenuiſſimum pollinem rediguntur, deinde excipiuntur ovi albumine, oleo myrtino, modico aceto, ac cera, & conficitur medicamentum. Idem præſtat vinum nigrum auſterum, vel ſimplex, vel in quo alumen ſit liquatum, aut calx ſæpiſſimè fuerit extincta: & hæc medicamenta ponuntur ante adventum humoris in locum exitus; ut ſi ulcus ſit in ſumma manu, imponantur in carpo, ubi vaſa magis apparent, & partes minùs ſunt carnoſæ; ſi ſupra, in cubito, ſi magis ſupra, in humero; ſi in coxa, ad inguina; ſi in capite, ad collum; ſi in mamillis, ſub his, & etiam ad inguina; hinc enim vena quædam è venis uteri ad mamillas aſcendit; imo etiam ad hypochondria, in quibus vena quædam prodit conſenſum habens cum mamillis. Oportet autem hæc defenſiva frequenter immutare, ne caleſiant.

Repellentia ſunt frigida, & ſicca, humida enim laxando partem, fluxioni eam magis faciunt idoneam: diriguntur autem in materiam, quæ influit; & propter a circum partem affectam ponuntur; ſicut revulſoria in loco contrario, & defenſiva in ſpatio intermedio.

Porrò, humor qui ad partem affectam fluxit, vel conſiſtit in venis exiguis ipſius partis; vel effunditur extra vaſa; at tunc, aut in ſpatiis vacuis hæret, quæ ſunt inter partes ſimilares, nimirum arterias, nervos, venas, membranas; aut moratur in ipſarum partium ſubſtantia, ſeu poroſitatibus, ſi in vaſis eſt ſpatiiſve vacuis, adhuc in ipſa parte movetur, & propterea faciliùs repelli poteſt; magis quidem, qui in vaſis; minus, qui vacuis detinetur ſpatiis; ſicut qui in poroſitatibus ſubſtantiæ firmatur, quoniam impactus, & induratus eſt, repelli non poteſt. c. 5. l. 13. Meth. Hanc autem repellendi vim habent ſpongia, aut linteum, ſi exprimantur in poſca, vel vino nigro auſtero, vel vino, & aceto, c. ult. lib. 4. per gen. Nos utimur ſpongia nova, quæ maximè ſua natura exſiccat, & combibit humores, eamque ſæpe exprimimus in vino nigro auſtero, cui tamen balauſtia, gallæ immat. cortex granat. myrtilli, ſcabioſa, quinquefolium, olivæ folia, &c. priùs ſint incocta, ipſamque ſpongiam procul ab affecta parte ponimus. Si fluxio ſit vehemens, corpus robuſtum & durum; vino miſcemus quartam aceti partem, inque his copiam aluminis liquamus. Si minor ſit fluxio, & corpus mollius, ſufficit germina, & folia incoquere vino nigro auſtero, aut in poſca, & contundere; ac modo cataplaſmatis imponere, conferunt etiam folia plantaginis in vino, poſca, aut aqua decocta, impoſitaque; deinde linteo ſuperaddito, quod expreſſum ſit è vino auſtero. Hæc medicamenta faſcia obvolvenda ſunt, & ita circunducenda, ut humores procul ab affecta parte exprimantur; niſi inflammatione, aut dolore prematur ulcus. Hæc de fluxionis curatione.

Ad ulcus accedamus, hoc tollitur ſiccantibus, quæ valentiora eſſe oportet, quàm in ulcere ſimplici: nam & propter excrementa, quæ in carnis generatione ſegregantur, & propter materiam in partem influxam, ſiccans requiritur. Debent autem hæc quidem, valentiora eſſe, ita tamen ut ne propriam ſpeciem tranſcendant, id eſt, ne ſarcotica, gradum primum;

mum; aut epoulotica tertium in ſiccitate excedant; licèt, ratione manſionum, intenſiora eſſe debeant, quàm in ulcere ſine fluxione, cap. 3. lib. 4. Meth.

Inter ſimplicia ergo conveniunt cadmia, terra lemnia, æris ſquama, chalcitis combuſta & lota, ærugo cremata; præterea buccinorum teſtæ crematæ, ut purpurarum, oſtreorum, &c. item ariſtolochia, artemiſia, panacis radix, dracunculus, gladioſus, calx. Inter compoſita, ſi corpus ſit molle, tempus anni humidum, & ulcus exiguum, convenit Sarcoticum mitius ſiccans, ut. R. chelidonii majoris exſic. & pulveriſati, radicis panacis ana unc. ſem. reſinæ abiegnæ unc. i. ceræ drach. vi. olei vetuſti q. ſ. ad conficiendum medicamentum. Si corpus ſiccius, ulcus magnum, materia influxa copioſa, tempus anni ſicciſſimum; quia pugnant indicationes, hoc uti poſſumus, R. terebinth. unc. i. ſevi taurini unc. ſem. plumbi uſti unc. i. ſem. vel unc. ii. Miſce. Si corpus ſit durum, ulcus magnum; materia influxa copioſa, pars ſenſu obtuſo prædita, ſarcoticum valentiſſimè exſiccabit; ut hoc R. abrotani uſti, gall. immat. ana unc ii. calcis ſemel extinctæ unc. ſem. mellis colati quantum ſufficit.

Notandum, ſi materia influxa ſit acris, incocta, & mordex, ut ulcus videatur aliqua concoctione indigere, tunc dictis medicamentis portionem thuris eſſe addendam.

Deinde obſervandum, ut hæc medicamenta non ſint conſiſtentia humida, ac mollia; quia ſic partem magis laxarent, cap. 6. lib. 1. per gen. Hinc Gal. cap. 1. & 13. lib. 1. per gen. ait, in ulceribus dyſepoulotis vitari debere quæ generis ſunt oleoſi; ut adipes, præſertim porcorum, reſina, cera id eſt, hæc per ſe, & ſola non eſſe uſurpanda, ſed cum aliis; additque, aquam, & oleum omnium maximè humectare; ac proinde his, nec cum aliis miſtis utendum eſſe; quod de oleo communi intelligendum eſt; nam myrtinum, rutaceum, lentiſcinum, maſtichinum, &c. ſiccant, non humectant.

Porrò, in his ulceribus detergendis, monet Gal. loco citato lib. 4. per gen. ſæpè accidere, ut medicamentum, quod ſemel, vel bis ulceri eſt impoſitum, tertia vice non amplius ſit commodum; ob reſiccatum videlic. humorem, qui priùs vim medicamenti modicantem obtundebat; proinde ſi ſub medicamento impoſito pars ulcerata fiat ſicca, & rubra, imminet mordicatio; ideoque medicamentum mitius eſt eligendum.

Ulcere carne repleto, opus erit cicatricem inducere. Si ergo corpus ſit mollius, & ulcus non admodum magnum, hoc conveniet epouloticum: R. cadmiæ unc. i. ariſtolochiæ, iridis, ana unc. ſem. olei myrt. unc. ij. ceræ q. ſ. ad conficiendum medicamentum in forma ſolidiore. Si ulcus ſit parvum, corpus ſiccum, anni tempus humidum, pugnant indicationes; valentius tamen exſiccans requiritur priore; quale hoc. R. teſtarum oſtreorum crematarum dr. vj. rad. panacis dr. iij. gallarum immat. dr. ij. olei myrtini unc. j. ſem. ceræ q. ſ. Miſce. Si omnes indicationes poſtulent valentiſſimum exſiccans, & adſtringens, hoc proderit, R. virgæ paſtoris unc. ſem. antimonii drach. vi. radicis dracunculi unc. ſem. olei lentiſcini, aut myrtini unc. i. ceræ parum; Miſce. Ad eandem intentionem hoc valebit, R. aluminis, malicorii, ana unc. ſem. chalcitidis uſtæ drach. iij. calcis vivæ drach. ii. ol. myrtini unc. ij. ceræ parum. Miſce. Optimè quoque in hoc ulcere fluxione vexato, cicatricem inducit aqua vitæ, potiſſimùm chalybeata; inſuper oleum de ſulphure, aut de chalcantho; quibus tamen non utendum eſt puris, cum ſint cauſtica, ſed permiſtis cum aquis myrti, ſcabioſæ, aut aliis.

Cap. 5. *De ulcere Maligno, quod Cacoëthe dicitur, & primùm de eo, quod junctam habet ſiccam intemperiem.*

De prima ſpecie ulcerum ægrè curabilium, dictum eſt, quæ oriuntur è vitioſo ſanguine aliundè affluente ad ulcus; ſequitur altera horum ulcerum ſpecies, quę Maligna, & Cacoëthes dicitur; quoniam partis ulceratæ craſis, & temperies læſa eſt; unde fit, ut difficillima fiat curatio, licet omnia rectè, & ordine adminiſtrentur.

Intemperies autem octo eſſe poſſunt in ulcere, calida, frigida, humida, & ſicca; ſine materia, & totidem cum materia, cap. primo lib. quarti Meth.

De Ulcere cum ſicca intemperie ſine materia.

Signa, quibus hoc ulcus cognoſcitur, ſunt quatuor. Primum, caro ulcerata apparet ſqualens, & ſicca, ita ut vel nulla ichoroſa ſanies affluat, vel certè quàm pauciſſima, c. 2. l. 4. Meth. Deinde pars ulcerata eſt quodammodo aſperior, & durior, hi enim ſiccitatis ſunt effectus. Tertium ſignum ſumitur à cauſis ſiccitatis prægreſſis, quales ſunt ambientis temperatura ſicca, lavacra rerum exſiccantium, medicamenta nimis ſiccantia ulceri impoſita. Poſtremum ſignum ſumitur à toto membro, cui ulcus inſidet; vel toto etiam corpore, ſi hæc nimis ſint reſiccata.

Quoad præſagium, omnia ulcera maligna curationis ſunt difficilis; omnium autem maximè ulcus hoc, quod ſiccam habet junctam intemperiem; nam in aliis ulceribus, eodem tempore intemperii poſſumus occurrere, & tamen ulcus non negligere, admovendo ſcilicet ſiccantia; at hic, cum indicationes prorſus ſint contrariæ, neglecto ulcere, tantum dyſcraſiæ cogimur occurrere.

In cura ulceris ſicca affecti dyſcraſia, removendæ ſunt cauſæ ſiccitatis, c. 1. lib. 1. Meth. ut regio ſicca, cœli ſtatus ſiccus, aër, lavacra, medicamenta ulceri impoſita nimis ſiccantia. Ablatis cauſis, neglecto prorſus ulcere, auferenda intemperies; quæ oritur, vel quia pars alimenti laborat penuria; vel quia ſicca intemperies eſt impreſſa; vel quia utrumque accidit. Si ulceris exſiccatio proveniat ab alimenti penuria, oritur indicatio attrahendi alimentum ad partem, corpuſque nutriendi, ſecundùm Albucaſin. Ut attractio fiat ad partem, hæc fovenda eſt panno linteo, aqua calida imbuto, donec rubra efficiatur; & hoc, de Albucaſis ſententia. Rhaſes 14. Continent. monet, ſiccandam eſſe partem, non quidem ulceratam, ſed circunjacentem; ut attracto ſanguine ulcus nutriatur; ſuadet etiam Albucaſis, ut calida medicamenta partibus circunjacentibus imponantur, nimirum picationes, ita ut pix ducatur ſuper linteum, & parti admoveatur, deinde auferatur; quod tandiu faciendum, admovendo, & auferendo, donec pars rubra fiat; hoc quippe ſignum eſt alimentum jam eſſe attractum. Corpus etiam nutriendum eſt cibis boni ſucci, carnibus laudabilibus, ovis, vino, &c.

Si intemperies ſicca impreſſa ſit in parte ulcerata, tunc ſi exigua ſit, non impedit carnis generationem in ulcere; ideoque ulceri, ſiccantibus mitioribus, ſatis proſpicere poſſumus, non valentioribus, ne intemperiem in parte imprimamus; verbi gratia, ſi ulcus poſtulat ſiccantia in ſecundo gradu, & ſecunda manſione, utemur nos medicamentis ſiccantibus quidem in ſecundo gradu, ſed mitioribus, nimirum, in prima manſione, c. 2. lib. 4. Meth.

Sin in ulcerata parte vehementer impreſſa eſt dyſcraſia, pars redditur imbecilla, ſecundùm omnes quidē facultates, potiſſimùm tamen ſecundùm attractricem: ſi enim alimentum non attrahitur, nec ſanè retineri

nec

nec concoqui, neç excrementa ejus expelli poterunt. Hic ergo oritur indicatio, & humectandi ſiccam intemperiem, & attrahendi nutrimentum ad ipſum locum: hoc efficit Galenus, dum ulcus aqua moderata, & tepida fovet, atque humectat, donec pars rubeſcat, & ipſius moles attollatur, aſſumit aquam, quia hæc humectat, non frigidam, ſed temperatam, ut meatus ob ſiccitatem ſtrictos laxet; quin & tepida aqua fundit, ac liquat humores, faciliùs penetrat, c. 7. lib. 1. Simp. c. 2. lib. 4. Meth. Sunt quidam aliàs ulcera non niſi vino madefacienda, libro de ulceribus, vel poſca, c. 2. lib. 4. Meth. quia videlicet, ulcus perpetua eget exſiccatione, ut humectantia ei non conveniant, cap. 7. lib. 1. κ. γ. At in ulcere cum ſicca dyſcraſia. ulcere ſepoſito. in intemperiem oculos dirigimus: ideoque aqua illa tepida eſt convenientiſſima; qua partem Gal. primùm fovet, deinde perfundit. Avicenna partem ulceratam cooperit, ut vaporem ab aqua exhalantem ſuſcipiat, & tandiu detineat, donec pars fiat rorida, & quaſi ſudet.

Quoties autem aqua hac eſt utendum? Galenus com. cap. 15. lib. 3. de his, quæ fiunt in medic. vult; ultra tres vices aquam perfundendam: ego verò aut bis, aut ſaltem ter in die perfunderem: nam pars ulcerata debilis, forſitan non poſſet plures perfuſiones tolerare; & ſic quotidie pergendum, donec exſiccationis ſigna receſſerint. meta in ſingulis vicibus, eſt rubor in parte contractus: ſi enim diutiùs perſiſtatur, quod attractum eſt, rurſus diſcutietur, quod ſi corpus ſupervacuis redundet humoribus, dum aqua utimur, hi priùs purgandi, ne ad ulcus confluentes, carnis generationem impediant. Fallopius, aquæ videtur hydrelæum præferre, maximè hyeme: ait enim, aquam tepidam, præter id quod humectat, etiam refrigerare, calorem ſcilicet evocando, c. 17. lib. 3 de iis quæ fiunt in medic Dum autem quotidie bis, vel ter ulcus aqua perfundimus, non debemus temporibus intermediis dyſcraſiam ſiccam relinquere, ſed tum in ulcere, tum in partibus circunjacentibus imponere humectantia. Gal. cap. 7. lib. 1. Simpl. laudat linamentum ſiccam imbutum aqua temperata; quod ſi amovere velis hoc linamentum, & invenias eſſe humidum, perſiſtes in eodem, ſi invenias ſiccum, non convenit, quoniam ſiccat; & propterea in eodem caſu, vel linamenta, aqua imbuta, ſuperponenda ſunt, aut ſpongia, aut linteum hydrelæo imbutum, quod ratione olei conſervabit linamentum humidum; vel linamentum non aqua, ſed hydrelæo eſt imbuendum; ſic enim oleum conſervabit aquam, ne effluat, aut digerat; vel denique linamentum inficiatur hoc unguento. ℞. olei dulciſſ. unc. II. ſucci malvatum unc. i. ceræ mollis, recentis, & aqua ablutæ, q. ſ. ad conficiendum unguentum molliſſimum, quod humectat. Partibus autem circunjacentibus extra ſunt imponenda quę jam diximus, nimirum ſpongia, vel lintea hydrelæo madefacta. Sic ergo pergentes, ſiccitatis ſigna ſenſim recedent, ipſaque ſicca ulceris intemperies curabitur.

Curata autem ſiccitate, ad ipſum ulcus deveniendum, quod carnis generationem, & cicatricem poſtulat, debent autem ſiccantia in his ulceribus mitiora eſſe, quàm in ulceribus quæ non habent adjunctam intemperiem; ne videlicet per vehementiora ſiccantia, in ſiccam dyſcraſiam recidant, cap. 2. lib. 4. Method. Avicenna 4. 4. tractatu 3. c. 10

Laudatur ergo hoc. ℞. maſtich. thuris, picis Græcæ ana drach. i. ſevi arietini unc. i. olei roſati unc. ii. ceræ parum, Miſce. Oportet autem nos in his medicamentis eligendis, perpendere aëris conſtitutionem, ulceris magnitudinem, craſin ægrotantis, ut fusè ſupra diximus. Probatur etiam hoc. ℞. reſinæ terebinth. unc. ii. thuris, aloes ana drach. i. olei roſati unc. i. ceræ mollis, q. ſ. ad conficiendum unguentum. Ego quoque unguentum conficio è ſucco betonicæ cum multo oleo, ut molliſſimam ſubſtantiam contrahat; eſtque moderatiſſimæ ſiccitatis, ac inſuper concoquit. Cicatrix obducenda erit, vel cerato de minio, vel linamento ſicco, vel Diapalma, vel alio epoulotico, de quibus ſupra.

Cap. 6. *De ulcere cum humida intemperie.*

Signa humiditatis in ulcere ſunt, primùm, ſi caro humidior videtur, quàm pro naturali habitu; c. 2. lib. 4. Method. Deinde caro eſt mollis, flaccida, & quaſi relaxata. Tertiò, præceſſerunt cauſæ humectantes; ut ambiens humidum, lavacra rerum humectantium; aut medicamenta humectantia ulceri impoſita. Quartò, multæ humiditates in ulceris poroſitatibus continentur, & effluunt. Ultimò, ſi vel membrum, cui ulcerata pars adhæret, vel totum corpus eſt humidum, veriſimile etiam eſt, ulcus per ſocietatem eſſe humidum. Fallopius addit carnem ſupercreſcentem; quod ſignum dubium mihi eſt, quia caro in malignis ulceribus non gignitur, ob intemperiem; niſi dicatur, carnem illam ſuperfluam non bonam eſſe, ſed malam, & pravam; ut ſunt tubercula in ani fiſtulis.

Faciliùs autem curari hoc ulcus poteſt, quàm præcedens; nec enim hîc ulcus negligere cogimur.

Quoad curam. Cauſæ externæ, ſi quæ adſunt; amovendæ; ut aer humidus, medicamenta humectantia, vel parum ſicca adhibita. Deinde ulcus indicat ſiccantia; intemperies humida, & ipſa indicat ſiccantia, & præterea, quoniam partem imbecillam reddit, roborantia flagitat & adſtringentia. Siccantia autem hic non ſolum tanta eſſe debent, quantum partis humiditas præter naturam aucta eſt; ſed oportet etiam nos magnitudinem ulceris perpendere, & exſiccare excrementa, quæ ſecernuntur; unde in gradu medicamenti ſiccantis definiendo, oportet nos reſpicere ad ulceris magnitudinem, dyſcraſiam humidam, ſenſum partis, temperamentum ægri, cæli ſtatum; ſi enim humida intemperies non ſit admodum intenſa, nec ulcus magnum, corpus molle, aër temperatus, pars ulcerata ἐυαιϑήτος, mitiora erunt ſiccantia; ut. ℞. cadmiæ drach. i. ſem. æruginis. æris combuſti, ana drach. i. aluminis ſciſſilis drach. ſem. ceræ novæ pinguis unc. v. Miſce ad ignem. Hoc medicamentum optimè ſatisfacit omnibus indicationibus; nam cadmia, ærugo, æs, alumen intemperiem humidam corrigunt, ac ulceris humiditates exſiccant; præterea alumen etiam valenter adſtringit, ac roborat, c. 1. lib. 4. κ. γ. ærugo, & æris ſquama, tum exſiccant, tum detergunt, hoc medicamentum compoſitum eſt mitiſſimum, ratione humidæ intemperiei; licet enim quæ ingrediuntur, valenter ſiccant, cera tamen in quantitate decupla aſſumitur, quæ aliorum medicamentorum facultatem remittit. Si humida intemperies fuerit valentior, & ulcus parvum & ſenſus partis obtuſus, & craſis ſiccior; anni etiam tempus ſiccius; pugnantes ſunt indicationes; ideòque medicamentum requiritur, quod prædicto valentius exſiccet, detergat, & adſtringat. ut. ℞. æris ſquamæ, æruginis raſæ, ana drach. I. lanæ combuſtæ drach. ij. ceræ ſem. reſinæ laricis unc. ſem. Reſinæ, & ceræ liquatis, arida affundantur, & miſceantur. Si indicationes requirant valentiſſimum exſiccans; detergens, & adſtringens, hoc conveniet. ℞. æris ſquamæ, calcis bis lotæ ana drach. ij. calcitidis combuſtæ drach. I. ſtibii. drach. ſem. ceræ unc. ii. reſinæ terebinth. unc. i Miſce, affundendo liquida ſiccis. Cera autem in hoc medicamento, tripla eſt ad re-

ad reliqua medicamenta, ſicut in priore eſt quintupla, in primo decupla, prout videlicet magis, vel minùs vim medicamentorum retundere volumus, in mitiori enim ſiccante ſumit Galen. ceram decuplam; in valentiore, quintuplam, vel quadruplam, in generoſo tandem triplam; non verò ceræ q. ſ. apponit, ut noſtro tempore chirurgi faciunt, in componendis medicamentis ulcerum. Propoſuimus autem in hoc affectu, ſaltem compoſita medicamenta; quia vix unum eſt ſimplex, quod omnibus ſcopis poſſit ſatisfacere.

Notandum, nos in medicamentorum compoſitione, nec adipes, nec olea uſurpaſſe, quia maxime humectant, cap. 3. lib. 4. κ. γ. ceram quoque, & reſinam videtur damnare Gal. quia unctuoſitate ſua carnem remolliunt, quæ ſiccanda potius, & conſtringenda erat, cap. 1. lib. 4. κ γ. At hoc de cera, & reſina verum eſt primaria ratione, itemque ſi ſola uſurpentur, nos vero iis uti cogimur; tum ut medicamento unguenti, aut cerati formam aptemus; tum ut aliorum facultates valentes horum permixtione frangamus. Et ſanè, niſi primaria ratione ingrediantur, non multùm nocere poſſunt, quia parum unctuoſa ſunt.

Veruntamen, ubi humida intemperies valde intenſa eſt, & caro valde flaccida, ac relaxata, ut devitem unctuoſam naturam medicamentorum, uſurpo compoſita in forma ſicca ſeu pollinis. Mitius ergo erit, thutiæ præparatæ, cornu cervi uſti, aloes, ana drach. i. ſubtiliſſimè pulverizata miſce. Valentius, R. calcis lotæ drach. ii. aluminis drach. ſem. ceruſſæ drach. i. Miſce. Valentiſſimum; R. Antimonii drach. i. tuthiæ drach. ſem. Miſce.

In his medicamentis, uſurpari etiam feliciter poteſt aqua vitæ chalybeata; ſi modo cum humida intemperie, frigida quoque fuerit conjuncta.

Hæc porrò medicamenta opportuna eſſe cognoſcimus, ſi nullum, aut levem tantùm dolorem, morſumve inferant; ſi enim contra fiat, ſtatim mitigandum, moderandumque eſt, medicamentum.

Si ulcus eſt abluendum, id fiat vino, vel poſca, vel decocto auſterorum, ut ſi roſæ, germina rubi, folia myrti, balauſtium, malicorium, alumen, hypocyſtis, &c. in vino decoquantur; Sic ergo curabitur humida intemperies, id quod è ſignorum remiſſione cognoſcetur.

Ulcus poſtea ſarcoticis, & epouloticis ſanandum, quæ hic majoris eſſe debent exſiccationis, quàm ſi ulcus non fuiſſet paſſum humidam dyſcraſiam; facilis enim aliàs in hanc poſſet, eſſe relapſus. Componentur medicamenta ad imitationem eorum, quæ in aliis ſupra propoſuimus.

Cap. 7. *De ulcere, cum intemperie calida, ſine materia.*

Signa deſumuntur, primum à colore; nam in particula rubor levis apparet, & caro ulcerata, eſt rubicundior, quam pro naturali habitu. Deinde à tactu; nam pars ulcerata calidior ſentitur, quam partes reliquæ. Tertio, à ſenſu laborantis; qui manifeſtum calorem, & quaſi uſtionem percipit, ut propterea frigidis medicamentis impoſitis gaudeat. Tandem dolor hunc ſenſum ſequitur. In curatione, cauſæ externæ ſi adſint, amovendæ; ut aër calidus, lavacra rerum calefacientium, medicamenta calefacientia impoſita. Ulcus indicat exſiccantia, & detergentia. Caliditas indicat refrigerantia, & quatenus calor ad ſe trahit, indicat etiam repellentia, defenſiva, & aſtringentia. Quoniam autem caliditas humiditates abſumit, quæ in ulcere exiſtunt; indicatur utendum eſſe quidem exſiccantibus, ſed mitioribus, quàm ſi ulcus non eſſet affectum intemperie calida. Proinde in hoc ulcere indicantur refrigerantia, ſiccàntia, detergentia, & aſtringentia.

Quantitas horum medicamentorum conjecturis indaganda. Si enim calida intemperies mitior fuerit, mitiora requirit refrigerantia, & aſtringentia, ſed ratione ulceris ſiccantia valentiora; quia mitior intemperies minus ſiccat. Si ulcus ſit parvum, tempus anni calidum, pars ἐυαίσθητος, craſis calida; mitiora erunt refrigerantia, ſiccantia, detergentia, aſtringentia; unde commodum erit, intra quidem unguentum ſantalium, extra verò ceratum infrigidans Gal. Si indicationes pugnent, ut indigeamus mitiori refrigerante, & ſiccante, convenient intra ulcus quidem, unguentum de tuthia, de ceruſſa, extra vero, linimentum ſimplex. Si omnes indicationes valens poſtulent medicamentum, intra ulcus conveniet unguentum populeum, extra; vel hoc, vel aliquod propoſitorum. Præter hæc omnia, maximè contulerit linteum duplicatum, aut ſpongia è vino nigro auſtero expreſſa, & ſuperpoſita; poſſunt etiam refrigerantia, & adſtringentia in vino decoqui, ad refrigerandum, repellendum, & ſiccandum, ut balauſt. myrt. gallæ immaturæ, malicorium, &c. Avicenna laudat ſolanum, cum bolo Armena, & aceto, aut cum ſantalis, & caphura, præcipuè in externa parte impoſita. Optimum quoque eſt, ſi lithargyrum contritum, & aceto diſſolutum, oleo roſaceo, aut myrtino ſubigatur, & miſceatur cum modico ceruſſæ, plumbi, caphuræ. Sic ergo curata intemperie ulceris calida, ipſum poſtea ulcus ſarcoticis, & epouloticis curabimus; quæ, ut ſupra diximus, minùs erunt ſicca, quàm ſi pars non laboraret calida diſcraſia. Medicamenta verò accommodata ſupra retulimus.

Cap. 8. *De Ulcere cum frigida intemperie.*

Signum primum eſt color ulceris albicans: Tactu deinde frigiditatem in parte ſentimus; & ipſe æger frigus ſentit, gaudetque calidis.

In curatione, cauſæ externæ removendæ. Porrò, ulcus indicat ſiccantia, & abſtergentia; frigiditas, calefacientia; & quatenus frigus carnem ulceratam denſat, ac meatus conſtringit, indicat rarefacientia, & relaxantia poros obſtructos.

Quantitas calefaciendi, ſiccandi, detergendi, rarefaciendi, relaxandi, ſubminiſtratur nobis à conjecturis ſæpè propoſitis. Si ergo ulcus ſit parvum, dyſcraſia non valenter impreſſa, ætas puerilis, anni tempus calidum, indicatur mitius medicamentum. Forma autem medicamentorum, in intemperie frigida, eſt fomentum, quod & actuali caliditate, & vaporatione meatus laxare, partemque rarefacere poteſt: quo adminiſtrato, alia medicamenta imponenda ſunt, mitius ergo fomentum parabitur è vino albo, calido, & non admodum potente, in quo madefacta ſpongia, vel panno, pluries pars fovenda, intra verò, imponatur unguentum Iſidis, quod calefacit, exſiccat, & detergit; aut etiam Apoſtolorum; extra, in partibus circumjacentibus uſurpare poſſumus, aut ceratum de Betonica, aut Iſidis, quod valentiùs calefacit.

Si indicationes ſint pugnantes, ut indigeamus valentiori medicamento, fomentum parabimus è vino malvatico, aut vino albo, in quo decocta ſint ſalvia, calamenthum, origanum, mentha, & alia cal. ſicca; ulceri poſtea imponetur reſina laricis, aut pini, ſive colophonia, emollita oleo de ſpica; extra uſurpabitur emplaſtrum ceruſſæ Galeni.

Si denique ulcus valentiſſima poſcat, fomentum fiat è lixivio: intus utamur cerato ſacro, remollito tamen, cum oleo de ſpica, aut de caryophyllis, extra admovebimus ceratum ipſum Sacrum, quod valenter ſiccat, & calefacit; poſſumus etiam pro fomento uſurpare aquam calcis vivę valet etiam aqua vitæ, quæ valenter calefacit, & ſiccat, cui ſi immiſceatur

quid

quid ſyrupi roſ. aut mellis, redditur medicamentum etiam deterſorium, & poteſt intra ulcus, & extra hæc aqua uſurpari, intra quidem, filamenta ſicca imbuta; extra verò linea madefacta. Sic curata intemperie, ulcus poſtea ſarcoticis, & cicatricem inducentibus conſolidabimus.

Cap. 9. *De Vlcere Verminoſo.*

VErmes interdum in ulceribus gignuntur; præcipuè æſtate; quorum generatio eſt è putredine, ſolùm in ulceribus immundis, ſordidis neglectis, quæ cava ſunt, & ſinuoſa. Materia vermium in ulceribus eſt potiſſimum excrementum pituitoſum, Paul. c. 17. lib. 4. Cauſa efficiens eſt calor putredini, exortus à putridis excrementis, Com. Aphor. 2[illegible]. Sect. 3. ad quem calor etiam nativus accedit, cum nihil putreſceus, ſed concoctum gignatur, c. 2. lib. 3. de gener. animal. In ulcere ergo verminoſo præter naturam ſunt putredo, calida intemperies, & ulcus.

Quoad ſigna, interdum oculis conſpiciuntur, ſi ulcus pateat; interdum morſu dolorem inferunt, aut ſaltem triſtem quendam ſenſum, quin etiam vermes moventur proprio quodam motu, qui undam imitatur, & hic undoſus motus à partibus percipitur; ultimò fœtor adeſt maximus, propter inſignem putredinem. Vermes hi eximendi ſunt manubriolo, ſeu ſpecilli mucrone, vel alio inſtrumento; quia autem ita interdum pertinaciter carni inhærent, ut ſine maximo cruciatu avelli non poſſint, primum necandi ſunt, deinde auferendi. Necantur amaris; ut ſucco abſinthii, abrotani, calaminthæ, aloe, filice, felle taurino, farina lupinorum ex hydromelite decocta; item ſi folia perſicorum, vel capparum contundantur, & imponantur, vel eorum ſaltem ſuccus; ſic & marrubium, ſcordium pulverizatum, matricaria, ſuccus cucumeris aſinini, centaurii, menthaſtrum, decoctum lupinorum; quorum uti poſſumus ſucco, decocto, vel pulvere. Necantur etiam vermes ab acribus, ut medicamento Archigenis; è ceruſſæ & polii, pari pondere, cum pice liquida illito. Conveniunt etiam ſulphur, miſy chalciris, viride æris, ſuccus hellebori nigri, itemque hujus decoctio, & pulvis; prætereà epithymi, ſuccus cepæ, pyrethrum, urina antiqua, lac tithymallorum. Si ulcus admittat, præſtantiſſimum eſt, ferramento candenre vermes interficere; quibus interfectis, & ablatis, detergendum eſt ulcus valentioribus deterſoriis, ut eſt ariſtolochia cum melle, marrubium cum melle; ſed inter hæc valentiſſimum eſt, unguentum Ægyptiacum. Amota putredine, ſi aliqua intemperies calida in ulcere fuerit relicta, auferenda eſt medicamentis ſupra poſitis. Ultimò curandum eſt ulcus ſarcoticis, & epuloticis.

Cap. 10. *De ulcere cum oſſe corrupto.*

OS, quod ulceri ſubeſt, corrumpitur à cauſa externa, vel interna. Externa eſt, vel ambientis frigus nimium, quod oſſium calorem nativum extinguit; vel nimius calor, qui evocando, reſolvendoque humidum ſimiliter corrumpit. Internæ cauſæ, quæ in noſtro hoc caſu ferè ſemper locum habent, ſunt vel humiditas viſcoſa, & ſuperflua, remolliens primò ſubſtantiam oſſis, deinde corrumpens; cap. 7. lib. de cauſ. morb. vel humiditas virulenta, ſeu prava ſanies ulceris antiqui, quæ contactu os corrumpit; t. 37. lib. 3. de fract. vel humor acutus, & corrodens, cap. 7. lib. de cauſis morbor. vel humor, qui occulta proprietate magis adverſatur oſſi, quàm reliquis partibus; ſæpè enim experientia comprobavi; corrupta fuiſſe capitis oſſa, id eſt, carioſa evaſiſſe, ſuperpoſita cute non exulcerata; quæ tamen, ut ad patiendum magis idonea, prius debuiſſet erodi, ſi humor qualitate manifeſta os corrupiſſet.

Signa corrupti oſſis ſunt, ſi os conſpiciatur, primum, quod os redditur pingue, & unctuoſum, quia ſeparatur naturalis humiditas; ſecundo fit nigrum, & carioſum; nigrum, quia ablatum eſt temperamentum, quo os album conſervabatur; carioſum, deficiente propria oſſis ſubſtantia. Si oculis conſpici os nequeat, primum eſt ſignum, quod ulcus interdum cicatrice obducetur, & ſanum apparebit, ſed pauco interpoſito ſpatio, rurſus abdiſrumpetur cicatrix, & ulcus renovabitur; humoris enim valido curſu, ab oſſe putreſcente, ac contabeſcente, tum inflammatio, tum pus oboritur, quæ cicatricem lacerant; Com. Aphor. 45. Sect. 6. Paulo c. 10. l. 4. renovato ergo ulcere ſemper os ſuſpectum eſſe debet. Alterum ſignum eſt, ulceris diuturnitas; tunc enim neceſſe eſt os abſcedere, quia ob continuum contactum os madet & remollitur, Aphor. 45. Sect. 6. Tertium eſt quod caro ulcerata, oſſi corrupto ſuperpoſita, impensè mollis, flaccida exiſtit, ita ut ſpecillum turunda, & convoluta linteamina facilè per ipſam penetrent, cum enim os à ſanie corruptum eſt facilè, propter viciniam, caro remollitur, & in corruptionem tendit, & hoc eſt Avicennæ. Quartum eſt, quod immiſſo ſpecillo ad os, per partem ſuperpoſitam, hoc non reperitur lubricum & læve, ſed aſperum, & carioſum; vel non reperitur ſtabile, & reſiſtens, ſed penetrat per ſubſtantiam oſſis corrupti remollitam. Quintum eſt, quod conſpicitur ſupra os corruptum, frequenter caro livida, & corrupta, Aphoriſ. 2. ſect. 7. Sextum, humores ex ulcere effluentes, primò copia plures ſunt, quàm conveniat ulceris magnitudini; deinde qualitate ſimiliter pravi ſunt, nimirum tenues, & plurimum valde fœtidi; unde Fallopius addit, ſi linamentum ſiccum in vulnus indagetur, ut os contingat, & amotum altero die, valde fœteat, os corruptum arguere.

Quod ad prognoſticum, tale ulcus inter maligna recenſetur, nihilque medicos in curandis ulceribus magis fatigat, quàm oſſis corruptio.

In curatione, ulcere neglecto, os eximendum; quia corruptum eſt, & vita privatum; & hoc facilius fit oſſe detecto. Quod ſi os carne operiatur, denudendum eſt os, ulcere abſciſſo, cap. 7. lib. 8. Celſi. Ut plurimum tamen ſectio hæc tutò fieri non poteſt, quia oſſa in corpore alte ſepulta ſunt, & undique obvolvuntur muſculis, nervis, arteriis, ac tendinibus; ſi ulcus eſſet cum oſſe corrupto, in pede, aut ſumma manu, propter numerum tendinum, non poteſt os ſectione denudari, in hoc igitur caſu; nos os corruptum detegimus, & dilatamus, quantum poſſumus, vel immiſſa radice gentianæ, vel ſpongia compreſſa, & contorta, vel medulla cannæ, quam Sorgo noſtri vocant, compreſſa, & indita, vel aliquo alio, quod vehementer dilatare ulcus queat.

Detecto ulcere, & oſſe, eximendum eſt os, vel medicamentis, ſi os tantum in ſuperficie corruptum eſt, quod cognoſcitur dolore, & febre remiſſis exſiſtentibus, indicatur enim ſic parva corruptio; vel Chirurgia, in oſſis corruptione profunda, ac intenſa, quæ è dolore, & febre intenſis cognoſcitur.

Medicamenta, quibus os eximitur, ſunt valenter ſiccantia, ſecundum Paulum, quod ipſe deſumpſit, è Com. Aphor. ſect. 6. ubi Gal. jubet ulcera valenter ſiccare, uſque quo ſquama decidat, ſi os fuerit corruptum. Quare ſubinde majora exſiccantia imponenda ſunt, donec os corruptum decidat, ſiccitas autem facit os decidere, dum humiditates, quæ in oſſis ſub-

ſtantia

ſtantia imbibitæ ſunt, & hanc mollem reddidere, abſumit, hinc enim os exſiccatum redditur firmius, ſurgenſque facultas expultrix os corruptum à ſano ſeparat; vel natura oſſis, beneficio ſiccantium firma reddita, carnem generat inter os corruptum, & ſanum, quæ deinde aucta os corruptum expellit, & ſeparat. proinde, ſi corruptio eſt ſuperficialis, & exigua, natura mollis, ut in pueris, inter valenter exſiccantia, mitiora eligimus ad os eximendum, ut eſt radix vitis albæ, iridis, ariſtolochiæ, myrrha, &c. ſi latior fuerit oſſis corruptio, & natura ſit mollis, valentioribus utimur; quale ad extrahendas ſquamas ab Avicenna componitur, ex æqualibus portionibus ariſtolochiæ rotundæ, iridis, myrrhæ, aloes, corticum opopanacis, plantæ, pumicis uſti, ſcoriæ æris, & corticum pini. Radix etiam dracontii in hoc genere conſiſtit, & aqua vitæ. Gal. etiam quædam habet compoſita, unum c. 6. alterum c. 7. Tertium c. 11. lib. 8. κ. γ. Si adhuc latiùs pateat oſſis corruptio, & natura ægri robuſta ſit, ac dura, aliæ etiam indicationes, circa aërem, & reliqua, valentiſſimum expoſcunt medicamentum; laudatur à Dioſcoride euphorbium pulverizatum, & vitriolum Romanum; huc etiam facit aqua illa fortis, per quam fit ſeparatio auri ab argento; item oleum de ſulphure, de vitriolo, quæ valentiſſima ſunt. In uſu horum valentiſſimorum, quia aliquo modo vim cauſticam habent, muniendæ ſunt partes circumjacentes linteis, ne adurantur.

Quod ſi chirurgia uti cogamur, vel quia medicamenta jam propoſita non è toto ſquamam expulerunt; vel quia profundior eſt oſſis corruptio, ſciendum, hanc manualem operationem perfici poſſe ferro, vel igne. Ferrea inſtrumenta hic duo poſſunt uſurpari. Scalprum, & Terebra. Scalpro utimur, ubi non ita profunda eſt oſſis corruptio, ideoque deradimus, donec ad os ſanum perveniamus, quod cognoſcitur, ſi aliquid cruoris emittatur, ſi os appareat album, ſi ſolidum, ſecundùm Celſum c. 2. l. 8. Terebra utimur in corruptione profundiore, donec nigra eſſe deſinant oſſa; nam per ſcalprum operatio eſſet longa, ac difficilis. Amoto oſſe corrupto ſupra os ſcalpro deraſum, eſt inſpergendum vitrum bene tritum, & poſt terebram, utendum candente ferro, ut ſi forſan humor extraneus in oſſe relictus fuerit, exſiccetur. Poſt uſtionem factam candente ferro, imponimus ſuccum porri, cum ſale, ad ulteriorem exſiccationem, aut trochiſcos Andronis, Paſionis, & Polyidæ, aut pulverem radicis hellebori nigri; ſtudemus poſtea cruſtæ, iride cum melle, radice panacis, ariſtolochiæ, acori. In corporibus mollibus, Gal. putat ſufficere orobi farinam, cum melle, & thure.

Porrò, ſi os corruptum nudatum quidem ſit á ſuo perioſtio, ut perpetuò in oſſis corruptione contingit, ſed non ſit tamen conſpicuum, ut non poſſimus omnia remedia propoſita adminiſtrare; quemadmodum contingit in corruptione oſſis in manibus, & pedibus in quibus non poſſumus cutem ſecare, & os, ut par eſt, detergere, tunc ferrum candens adminiſtramus per cannulam, quam prius immittimus, ut os corruptum attingat; & poſtea ſubinde, quoties opus eſt, ferramenta; per cannulam etiam poſſumus injicere pulveres, & inſtillare oleum de ſulphure; quod facimus, ut partes nervorum adjacentes à cauſticis defendantur.

Cap. II. *De Fiſtulis.*

Fiſtula, quam Græci ſyringa vocant; eſt ſinus anguſtus, & longus. Celſus ait eſſe ulcus, altum, anguſtum, calloſum, c. 28. lib. 5. Rectius pro genere ponetur ſinus, quàm ulcus; nam hoc genus valde eſt remotum. Sinus enim eſt cavitas partium priùs unitarum, quæ jam diſtant, evacuato pure, ob humorum affluxum, c. 4. & 5. lib. de tumoribus præter naturam, c. 8. lib. 2. ad Glauconem. Quoniam verò ſinus eſt altus, & anguſtus, curari citò nequit, unde neceſſariò callum contrahit.

Genera fiſtularum ſunt varia; nam aliæ breves, aliæ longæ, & altiùs penetrantes: aliæ directè intus feruntur, aliæ ſunt ſimplices, aliæ duplices, triplices, &c. aliæ uno orificio oriuntur, aliæ pluribus; deſinunt in carnem, aliæ ad oſſa, cartilagines. Ad curam eæ maximè faciunt differentiæ, quibus fiſtulæ dicuntur ſimplices, vel multiplices; item quæ deſumuntur à partibus, in quas terminantur fiſtulæ.

Si fiſtula deſinat intra carnem, cognoſcitur, quia ſpecillo immiſſo, molle eſt, quod ejuſdem extremo tangitur; deinde, pus læve, album, copioſius fertur. Si ad nervum terminetur, immiſſo ſpecillo, dolor excitatur intenſus; pus item pingue eſt, & oleo non diſſimile. Si perveniat ad venas, aut arterias, & hujusmodi vaſa eroſa non ſint, veluti fæx è fiſtula egreditur; quia ſanguis è vaſorum poris exſudans, cum ſanie miſcetur, & ita ex ambobus reſultat excrementum, quod eſt veluti fæx, ſi autem vaſa fuerint eroſa, & quidem ſi vena fuerit, ſanguis excidit craſſior, obſcurior, & ſine ſaltu; ſi arteria, rubicundior, clarior, non ſine ejaculatione.

Si perveniat ad os, durum eſt, & renitens, quod ſpecilli extremo tangitur; nec dolor excitatur; porrò, os hoc corruptum arguitur, ſi immiſſum ſpecillum oſſi innititur, nec relabitur; & ſi os adhuc æquale deprehendatur, ad corruptionem ſaltem eſt diſpoſitum; ſi inæquale, caries os jam planè tenet; contra, ſi ſpecillum elabitur, non adeſt caries, quia os ſanum eſt, lubricum, & politum. Aliud ſignum oſſis corrupti eſt, ſi humiditas tenuis, citrina, & fœtida dimanat à fiſtula. Num autem fiſtula ſimplex ſit, an multiplex, è puris modo colligitur. Si enim plus fertur puris, quàm ſimplici ſpatio conveniat, plures ſinus eſſe conſtat.

Quoad prognoſticum, fiſtulæ omnes difficilis ſunt curationis, quædam etiam incurabiles: quia medicamenta difficulter imponuntur; nec ad fundum devenire poſſunt, ac partes ut plurimùm non tolerant medicamenta opportuna; præcipuè ſi pertingant fiſtulæ ad venas, arterias, aut nervos:

Antequam verò curationem aggrediamur, ſciendum quaſdam fiſtulas curari non debere, Com. 39. Sect. 3. lib. 6. Epid. & lib. de Humor. per quas videlicet ſupervacui corporis humores expurgantur, & quæ homines propterea ab aliis morbis præſervant; hujuſmodi autem fiſtulæ ſi ſunt antiquæ, in loco declivi, procul à parte principali; hæ apertæ ſunt relinquendæ, immò clauſæ rurſus ſunt aperiendæ. Multos vidimus qui fiſtulas habuere circa anum per 15. aut plures annos, & ſaluberrime vixerunt. Fiſtulæ etiam quædam ſua natura ſunt incurabiles, ſecundùm Albucaſin cap. 88. lib. 1. quæ perveniunt ad magnas venas, arterias, vel nervos, ſpectantes ad ſiphac, ſeu peritoneum, inteſtina, veſicam, vertebras dorſi, ani, & coſtas; denique quæ conſiſtunt in aliqua junctura, ut manus, & pedis; hæ enim medicamenta commoda non admittunt.

Curatio fiſtularum alia eſt ficta, mendoſa, & palliata, alia vera. Fictam inſinuat Galen. cap. 4. lib. de Tum. Præt. Nat. & Avicen. 4. 4. Tract. 4. c. 11. & eſt, quando fiſtula exſiccatur interiùs, conſolidatur exterius, intus adhuc ſinu conſiſtente; & hoc fit ſiccantibus in fiſtulas impoſitis, proba victus ratione, & corpore à ſuperfluis purgato. Sic cohibitus ſinus aliquanti-

quantiſper manet, & orificium occluſum; at poſt, aliqua humiditate ſubventitia in ſinu illo collecta, rurſus fit abſceſſus, reditque fiſtula. Hac mendoſa curatione interdum, & ego uſus ſum, ut verum fatear, pro conſolatione ægrotantium; purgato enim corpore, ac ordinata tenui diæta, turundas abſtuli, quas in fiſtulis illis incurabilibus diu adhibueram; alligavi ſpongiam novam, expreſſam ex aqua thermali, vel lixivio, vel aqua calcis; unde foramen exterius velatum eſt, ut ſana fiſtula videretur, & ſic ęgros dimiſi; quæ curatio interdum bene ceſſit, interdum minus: plurimum enim in curandis morbis externis, refert habere cutem ſanam, vel aptam, & non inciſam; naturalis enim calor ex inciſione expirat, & operationes partis naturales pereunt; clauſo autem orificio, calor naturalis, includitur, tumque bene concoquit, digerit, & diſſipat excrementa, ita ut interdū coaleſcat ſinus, qui alioquin non potuiſſet uniri, aperta fiſtula exiſtente; non igitur è toto ſpernenda eſt, ficta fiſtularum curatio.

Alia autē curatio fiſtularum eſt vera; cujus duplex eſt via, ſecundùm Celſum, cap. 28. lib. 5. & Galenum c. 8. lib. 2. ad Glauc. Prima via fit per glutinantia; ſecunda per ſarcotica; poſſunt etiam hæc miſceri.

Sed hic in primis expendendum, quænam ſint cauſæ, quę glutinationem, aut carnis generationē impediant, ſumuntur autē è definitione fiſtulę; primum enim fiſtula dicitur ſinus, id eſt, cavitas, quę non unitur, propter affluxum humorum; unde primum impedimentum eſt humorum influxus; ſecundum eſt fiſtulæ altitudo, cujus ratione medicamenta non poſſunt ad fundum uſque pervenire; quo fit ut in fundo colligatur ſanies, quę carnis generationem, & unionem impedit; tertium eſt anguſtia fiſtulæ; hujus enim ratione imponi medicamenta non poſſunt, nec fiſtula probè expurgari poteſt; unde humores qui in ſinu anguſto relinquuntur, prohibent conſolidationem; ultimum eſt caro calloſa, & dura; omnia enim dura difficulter uniuntur, ut lapis cum lapide, mollia contra, ut mel cum melle. Hæc igitur impedimenta ſunt tollenda, antequam fiſtularum curationem aggrediamur.

Primum impedimentum eſt influxus humorum; qui ut ſit removendus, docuimus in ulcere fluxione vexato.

Secunda indicatio eſt, eximere callum, id eſt, partem, quæ dura eſt reddita, propter influxum, & infarctum materiæ craſſæ, quæ in poroſitatibus ipſius partis eſt imbibita, & cujus partes tenuiores reſiccatæ ſunt, & reſolutæ à calore, tum nativo, tum extraneo. Humor autem craſſus, pariens callum, vel pituitoſus eſt, & tum callus eſt albus, vel melancholicus, & eſt fuſcus, ſeu lividus. Gignitur callus potiſſimum in orificio fiſtulæ externo, id eſt, in ipſa cute, idque potiùs, quàm in carne; quia primum facilius indureſcit cutis, quæ denſa eſt, quàm carò, quę mollis; deinde, quia natura perpetuò protrudit excrementa ad cutim. Cum autem inveteratæ ſunt fiſtulę, in carne etiam ſubjecta callus contrahitur, & per totū ipſius fiſtulæ ductum. Quibus verò locis conſiſtat, & quantus ſit callus, facilè cognoſcitur; ſi enim eſt in fiſtulæ orificio, & tactui, & oculis apparet: in partibus verò profundioribus ſi conſiſtat, tunc immiſſo ſtylo nullus ſentietur dolor, aut exiguus etiam erit ſenſus, deinde verò ſanguis è ſtyli contactu nullus exibit, ſtylo etiam perſentietur durities. Contra, ſi vel ſanguis exeat, vel dolor excitetur, nullus in fiſtula eſt callus. Num callus ſit profundus, & magnus, an verò exiguus, cognoſcitur è ſignis propoſitis, remiſſis, aut intenſis. Callus porrò aufertur medicamento, ferro, vel igne. Medicamentum eum aufert qualitate manifeſta, vel occulta. Quæ manifeſta, ea ſunt mitiora, aut valentiora. Mitiora ſunt mollientia & digerentia; valentiora, deterſoria; valētiſſima cauſtica. Si ergo callus ſit exiguus in carne molli, & ętate puerili, aufertur iis, quę humores infarctos diſſipant, ut ſunt calida, & ſicca non valde tamen, ne, ſiccatis partibus tenuioribus, reliquæ lapideſcant, & callus durior evadat; ideoq; mollientia, & diſcutientia miſceri poſſunt. In hoc caſu laudatur à Dioſcor. lenticula cum melle, cinis ficus pinguedini anſeris admiſtus, diachylum magnum cum gummis, unguentum Apoſtolorum Avicennæ, emplaſtrum ex oxelæo. c. ult. lib. 1. κ. γ. tabacum, ſeu herba reginę dicta, ſi ejus vel folia imponantur, vel ſuccus immittatur. Si callus ſit major, vel in ętate magis adulta, deterſoria valent, quæ corrodendo callum eximunt; ex his mitior eſt radix Sphondylii deraſa & impoſita, ſecundum Paul. cap. 49. lib. 4. Valentius eſt, ſi ſumantur, æruginis drach. xij. Ammoniaci dr. ii. aceto diſſoluta, quæ imponantur. Hoc valētius eſt unguentum Aegyptiacum, quod feliciſſimè uſurpatur. Valentiſſima ſunt chalcanthum uſtum, præcipitatum, cantharides in pulverem redactæ, & niger ſapo. Occultis qualitatibus callum eximunt, radix hellebori nigri tribus diebus relicta in fiſtula, maximè ſi callus ab humore melancholico ſit ortus; occulta enim proprietate evacuat humorem, callum facientem; corroſione verò manifeſta, callum quoq; demit. Laudatur etiam elaterium, terebinthina exceptum, in callo pituitoſo; pręterea radix cucumeris aſinini. Si callus ita ſit magnus, & durus, ut his non poſſit auferri, recurrimus ad cauſtica; inter initia igitur confert lac tithymalorum, myſ. ſory, chalcitis, lixivium è cinere, è calce viva, arſenicum pulverizatum &c. Ferro etiam callum pręcidere poſſumus, ſi admittat ęger, quod fit levi doloris ſēſu. Pręcidere autem debemus, donec ad ſanum deveniamus; quod dignoſcitur è ſanguine, & doloris ſenſu. Ferramento candente, præduri calli, & expeditius, & minori dolore auferuntur.

Tertium & quartum impedimentum, eſt anguſtia & altitudo ipſius ſinus. Quia autem propter anguſtiā medicamenta difficulter in fiſtulam immittuntur; propterea vel fiſtula dilatatur, vel medicamenta liquida redduntur. Dilatatio fit inſtrumentis, quę altera parte tenuiora ſunt, altera craſſiora, & pars tenuior primū in fiſtulā infigitur. Fiunt autē hęc inſtrumenta è radice gentianæ, bryonię, ariſtolochię, è ſpongia vehementer contorta, & expreſſa: quidam utuntur medulla ſambuci; ego medulla ſorgi quæ contorta & intra fiſtulā immiſſa, dum attrahit, & imbibit humiditates, turgeſcit, fiſtulamq; dilatat. Hęc medicamēta, ad dilatandum comparata, interdum imbuuntur medicamentis, quæ valent ad callum auferendum, carnemve gignendam. Medicamenta etiam redduntur liquida lixivio, mulſa, aut vino mulſo; hæc tamen minus ſunt valentiora, quam quæ forma ſolida uſurpantur. Ut autem propter altitudinem ad fundum uſque pervenirent medicamenta, & fiſtulæ comodè expurgarentur, excogitarunt chirurgi inſtrumenta quędam, quę turundę appellantur, quibus medicamentum ad fiſtulæ fundum deduci poteſt, excogitarunt clyſteres, ſeu injectiones, quibus totam colluviē è fiſtulæ fundo eluunt; hi parantur è lixivio, vino mulſo, aqua mulſa, aqua marina, muria, aqua calcis, aquis thermarum, aqua vitæ, vel hordei aqua cum melle roſaceo, vel aqua aluminoſa.

Ut autem ſciamus, quęnam ablutio ſit conveniens, notandum eſt, ablutionem reſpondere debere medicamento poſtea imponendo. Si enim medicamentum imponendū, ad callum eximendum valebit; ablutio etiam futura eſt, quę ſimiliter callum adimat, ut lixivium, aqua calcis, aqua vitæ, Aegyptiacum unguentum lixivio dilutum. Si glutinans eſt imponendum medicamentum, ablutio erit glutinatoria; ut aqua aluminoſa, decoctum plantaginis, rubi, hypocyſtidis, vinum nigrum & auſterum, maximè ſi prædicta ei incoquantur.

Si medicamentum imponendum eſt ſarcoticum, etiam ablutio ſarcotica erit, ſiccans, & detergens; ut aqua mulſa, vinum mulſum, aqua marina, muri, aqua hordeacea cum melle, aquę thermales, &c.

Impedimentum etiam eſt, quod fiſtulæ curationem moratur, ſi ſupra incipiat, & infra terminetur, unde humores pondere ſuo inferius deſcendunt; hic ergo, aut inferius foramen perforandum, ſi propè cutim terminetur, & ſi non obſtet vena, arteria, nervus, tendo, vel membrum collocandum eſt, ut effluxui humorum ſit accommodum.

Impedimentis ablatis, deveniendum eſt ad ipſam fiſtulæ curationem, quæ fit, primum ſinus carne impleatur, deinde reliquum glutinetur. Carnem in fiſtulis generat ſuccus pimpinellæ, virgæ aureæ, centauri minoris, radix ariſtolochiæ; unguentum Iſidis, & de tuthia. In his perpendenda natura ulcerum, tempus anni, craſis ægri, &c. de quibus aliàs diximus. Quoad glutinantia, primum ablatis turundis, deinde adductis labiis ad mutuum contactum, ligatura è duobus initiis circundari debet, quæ ritè facta, ſæpè ſola ſufficit. Glutinantia etiam imponenda, quale hoc R. gummi olivarum, aloës, ana partes æquales, excipiantur ſucc. foliorum Perſici, & in mortario plumbeo terantur. Optimum etiam ad fiſtulas glutinandum, eſt emplaſtrum Barbarum; item Galeni emplaſtrum gilvum, c. 12. lib. 2. κ. γ. Valet etiam plurimum, emplaſtrum ex oxelæo, quod fit è parte una lithargyri, duabus aceti acerrimi, & oleo vetuſtiſſimo.

Proprietate ſanant fiſtulas, gentiana, cum vino epota, radix ariſtolochiæ rotundæ contrita, è vino bibita, quæ expurgant materiam fiſtularum per inteſtina. Ranæ pulverizatæ etiam proſunt.

Fiſtulæ autem perfectè curatæ cognoſcuntur, ſi humor emanans ſit paucus, craſſus, coctus, ſi locus ſine tumore, dolore, & ad unguē ſiccus, capite 8. lib. 2. ad Glaucon.

Cap. 12. *De Fiſtulis in ano.*

ANI fiſtulæ, particularem curationem expoſcunt: frequentiſſimè autem circa anum excitantur, primò, quia hæ partes molles ſunt, & admodum laxæ, unde facilè humores ſuſcipiunt; deinde quia locus ille, etiam in ſanis corporibus, aquoſa humiditate refertus eſt, &c. licet autem hæ fiſtulæ curari non debere videantur; cum diſtent à partibus principalibus, ſitumque habeant declivem; niſi tum curentur, facile multiplicantur, & ex una, duæ vel tres fiunt; item, intra inteſtina, tubercula quædam dura oriuntur, quæ obſtruendo meatus, fæcum prohibent exitum.

Porro, in curatione videndum, ne ſupprimantur humores, nevè fluxio intra corpus intercludatur: obſiſtimus autem fluxioni, primum frequentibus totius corporis purgationibus, interdum quidem per inteſtina, ut plurimum autem per vomitum, ſi fieri poteſt; deinde per averſionem fluxionis, & potiſſimum per fonticulos in cruribus, item per exſiccationem totius corporis, cujus gratia ſudor provocatur decocto ſalſæ parillæ. Hippocrates deſiccat fluxionem per urinam, datque mulſam, in qua radix ſeſelios macerata eſt, ternos jejuno cyathos; in ſumma, totius corporis procuratio repetatur è doctrina ulceris fluxione tentati.

In ipſius autem fiſtulæ curatione, primum explorandum num hæc ſit unica, an multiplex, id eſt, num unum habeat orificium, & ductum, an verò plura orificia, pluresve ductus: deinde, num inteſtinum penetrent fiſtulæ: num ſit unica interdum cognoſcimus viſu, interdum immiſſo ſtylo; num penetret in inteſtinum, cognoſcimus, ſi ſtylo in fiſtulam immiſſo digitoq; indice in anum indito, nudus digito ſtylus occurrat. Si propter fiſtulæ tortuoſitatem, in hanc cognitionem devenire nequeamus, alia ſunt ſigna; nam num è fiſtula penetrante interdum fæces exeunt, ſi amplior ſit; vel ſpiritus & ventus, aut ſaltem fœtor, ſi anguſtior; interdum & lumbrici exeunt. Secundum ſignum eſt, quod ex ano profluit ſanies, & induſia inficit; tandem in fiſtulam liquor immiſſus, exit per anum, & vice verſa.

Quod ſi ergo fiſtula circa anum exiſtens, admodum profundè progrediatur, ut incidi non poſſit, primum dilatanda eſt; deinde abluenda per clyſterem, factum è flore æris, myrrha, lycio, vino dilutis, ut callus auferatur; quo ablato, reliqua curatio eſt eadem, quæ in aliis fiſtulis, niſi quod vehementiora hic requiruntur; quoniam partes admodum humidæ. Laudantur ergo diphryges, oſtreorum cinis, lithargyrus, ſicca magis conſiſtentia, quàm humida.

Verum hujuſmodi fiſtulæ ſæpè propoſitis medicamentis curari nequeunt, ideoque ad ſectionem veniendum; quæ niſi adminiſtrari queat, relinquendæ ut incurabiles, ægriſque præcipiendum, ut apertas teneant.

Si incidi poſſunt, incidendæ ſunt, quouſque penetrent; pro quibus mihi gladiolum paravi, acie donatum longa, & anguſtiſſima, circa cuſpidem aliquantum recurva; apertione facta, æris flos inſpergendus, ad diem uſque quintum, pro callo auferendo; extrinſecus cataplaſma imponendum ex aqua polentæ, & betæ: quod Hippocr. facit ad inflammationem arcendum; reliqua curatio, abſolvetur glutinatoriis ut ſupra dictum eſt.

Si inteſtinum penetret fiſtula, aliquando ab Hippocrate ſine inciſione curatur, nam primum turundam fiſtulæ inſerit ſucco tithymali madidam, pro callo eximendo, deinde florem æris inſpergit. In anum, ad phlegmonem prohibendum, glandem immittit corneam, exterius illitam, uſque ad quintum diem. Ablato callo, glandem alumine implet, anoque imponit; ad glutinandum, ad inflammationem arcendam; ad locum affectum circunquaque exſiccandum.

At curatio hæc, ut quod ſentio apertè dicam, vix unquam dextrè ſuccedit: melior eſt multò, quæ inciſione fit; cujus duplex eſt modus. Vel enim ſumimus filum ſericum, quod ob tenuitatem, & tincturam faciliùs incidit, & erodit, hocque trajicimus ab orificio fiſtulæ ad anum, & tranſverſo quodam parvo ligno obvolvendo, arctiùs ſubinde ſtringimus, donec univerſus ille locus incidatur.

Poſtea, ad calli abſumptionem, æris flore locū reſpergimus; deinde imponimus, quæ ad inflammationem modò recenſuimus. Inciſio etiam brevi abſolvi poteſt ſyringotomo, quod inſtrumentum eſt recurvum, altero extremo capitulum craſſius habens, & hoc fiſtulæ unico ictu, ſeu adactu inciduntur, ne diu ægri doloribus torqueantur; contra, quæ filo peragitur inciſio, cruciatuum diuturnitate aliquot diebus moleſta eſt; locum tamen hæc apud eos habet, qui meticuloſi ferrum expaveſcunt.

Facta inciſione, & callo ablato, vulnus carne implemus, & glutinamus iis, quæ ſupra retulimus. Peculiariter autem in hiſce fiſtulis, aquas thermales, enematum forma in anum infundo, & ex iiſdem aquis inſeſſus parari jubeo; ut tum ulcus intra inteſtinum ſiccetur, tum omnes etiam partes circunjacentes, ſiccando, roborentur, ne in poſterum tam promptè humorum colluviem recipiant.

Appendix ad Doctrinam de Ulceribus.

Cap. 13. *De Ulcere in urethra, è Gonorrhœa.*

GOnorrhœa eſt aſſiduus ſeminis fluor, cui nec voluptas, nec tentigo conjuncta eſt. Cauſæ ſunt acrimonia, & tenuitas ſeminis, unde intra vaſa contineri nequit. Item abundantia ſeminis in his qui Cereri, & Bac-

& Baccho ſunt dediti, vel cœlibatui ſeſe addixerunt. Imbecillitas quoque teſticulorum, ob dyſcraſiam ſimplicem, aut compoſitam, ob tumores præter naturam, ob omnimodam continentiam. Ignavia enim exſolvit, teſtePlatone, exercitatio autē robur addit particulis. Solet etiam oriri ob inexhauſtam libidinem, acceſſumque ad ſcorta, præſertim dum menſtruæ fluunt purgationes. Sæpè ſi quis vel virginem, vel matronam inexorabilem per vim ſtuprare tentat, nec eam expugnare poteſt, oritur hic affectus.

Sic longa ſub ardenti cœlo equitatio laxat arterias illas, & venas, quæ juxta renes ſunt, ut per illas ſucci liquati ad teſtes facilè delabantur. Nonnunquam tres, vel quatuor annos hoc durat profluvium, corpuſque ad extremam maciem deducit; ſi enim, quod ſæpè fit, ex uno, alteroque concubitu corpora contabeſcunt & labefactantur, multò ſanè magis id accidet è tam diuturno benigni ſeminis effluxu; inſuper ut menſtrua ſingulis menſibus prodire ſolent mulieribus: ita viris quibuſdam redundantia ſanguinis, quæ nec per urinam, nec ſudores, nec inſenſibilem tranſpirationem diſcuti poteſt, ad teſtes confluit, & per lotii meatus excernitur. Hinc viri nonnulli effeminati, & lac gignunt, & purgationes, inſtar muliebrium ordinata viciſſitudine, patiuntur, in Germania & Lotharingia.

Si igitur ſemen, quod effluit, ſit purum, pellucidū, ōniſq; alienæ qualitatis, & odoris expers, nec adhæreat meatui, nihil nocet: indicat tamen plenitudinem, vel imbecillitatem facultatis retentricis, vel convulſionem vaſorum, ut in epilepticis. Si verò ſit infectum vitioſis ſuccis, odore viroſo, conſiſtentia & colore referens pus non probè concoctum, tunc id collum veſicæ calefacit primùm, poſt etiam erodit, pungit, & exulcerat; licet à calculis quoque anguloſis, & urina acri ſæpè exulceratio oriatur.

Diſtinguendum verò eſt, inter colis, & veſicæ ulcus. In colis ulcere pus una compactum, & collectum urinam præcedit; dolor inter meiendum acerbiſſimus. In veſicæ ulcere, non ita ſævus eſt dolor, nec pus ab urina ſecretum meitur, ſquamulæ etiam quædam excernuntur, fœtet lotium. Si urinæ meatus ſit exulceratus, colis tenſus eſt, dolet, curvatur ad inferna, nec niſi inter femora indolenter teneri poteſt.

Ulcera in penis cavo, niſi citò curentur, in carunculas præter naturam tranſeunt, quibus urinæ meatus obſtruuntur. Ut enim è ſanguine bono caro laudabilis, ſic è ſuccis vitioſis ſpongioſa, ac prava creſcit, quę ægrè exterminatur in locis abditis, & inacceſſis; ideoque ulcera his in locis citiſſimè curanda.

Curatur ulcus in veſicæ, vel urinæ conſiſtens meatu, ſi exſiccetur, & cicatrice obducatur; quod fieri nequit, niſi humor affluens coerceatur. Si igitur plethora adſit, vena tundenda, victuque tenui æger alendus. Si ſuccorum acrimonia, & tenuitas adſit, hi incraſſandi, ad ſymmetriam reducendi. Corroboranda vaſa ſpermatica, ſi imbecilla. Si labor, & æſtus præceſſerint, corpus refrigerandum.

Ut autem res magis fiat perſpicua, caſum quendam, ſeu exemplum ſpeciale proponemus, totam curandi rationem, ſubjectis formulis medicis, breviter adumbrantes. Vir quidam quadragenarius, ſanguineus, & bilioſus, venas habens amplas, hirſutus venereus gonorrhœa corripitur; indeque in collo veſicæ ulcus contrahit; calculoſus item, & urinæ ardore affectus: hic ſub veris initium curandus venit, in regione calida, & humida, fluxionibus obnoxia, nimirum Romæ.

Alvus huic primùm ſubducenda eſt, clyſmo emolliente, qualis hic eſt. R. fol. malvæ, violariæ, parietariæ, lactucæ, ana. Manip. j. hordei mundi Pugil. i. prun. dulc. n. xii. coq. ſ. a. ex aqua; Colaturæ libræ i. adde pulpæ caſſiæ unc. i. rhodomelitis, ol. violati, an. unc. ii. injiciatur. Alvo ſubducta, ſecanda vena Baſilica, & extrahendus ſanguis ad unc. vi. circiter. Poſtea quinque, vel ſex diebus continuis, mane hauriat æger ſyrupum præparantem, indeque poſt quinque horas prandeat. R. ſyr. violati, & de endivia, ana unc. i. aquæ hordei unc. iv. ſpec. diatrionſantal. ſcrupul. ſem. Miſ. Septimo die, niſi novilunium ſit, vel plenilunium, jejunus hoc ſumat. R. glycyrrh. raſæ prun. Damaſcen. tamarind. hordei mundi, ana drach. iii. quatuor ſem. frig. major. mundatorum ana drach. ii. ſem. florum cordial. ana Pugil. i. coque, in decocto diluantur electuarii diacathol. & pulpæ Caſſiæ, ana drach. v. vel, horum loco, mannæ unc. ii. ſyr. roſ. laxativi unc. ii. ſpec. diatrionſantal. ſcrup. i. Miſce. Atque hæ vacuationes repeti toties poſſunt, quoties opus erit.

Abſoluta vacuatione, ſumat aliquot diebus mane, conſervæ roſ. unc. i. ſuperque bibat aquæ hordei cyathum. Abluantur crura decocto roſarum rubear. hordei, viol. calycumque papaveris. Ablutis cruribus, plantæ pedum radantur, ungues reſcindantur, renes ac tota ſpina, teſticulique & pudendi radix, refrigerentur. R. unguenti roſati Meſvæi, & infrigidantis Galeni, ana unc. i. ol. violati unc. ſem. pulv. roſ. rub. ſantali citrini, ſpodii, ana drach. i. camphoræ grana v. Miſce diligenter, addito aceti roſati pauxillo. Si ſpermatis fluxus non ſiſtitur, lamina plumbea mediocris craſſitudinis lumbis admoveatur, qua meatus relaxati comprimantur. Vel hoc. R. boli Armenæ, terræ ſigillatæ, ſanguinis dracon. coral. rubeor. roſ. rub. ſpodii, ſantali citrini, an. drach. ii. acaciæ, thuris, maſtiches, ana drach. ſem. terebinthinæ, ceræ, ana unc. i. olei myrtini unc. ii. fiat ēplaſtrum, quod perpetuò adhęreat renibus, denec decidat. Bibat diebus aliquot cyathū ſeri lactis caprini, cui ſyrupi violati unc. i. ſit addita.

Quoad ipſum ulcus, hoc purgandum, & glutinandū, unde aqua hordei, cum modico melle roſato per ſiphonem injici debet, ad detergendum, & eluendum. Cicatrix poſtea inducatur. R. aq. roſarum, & plantaginis, ana unc. iv. ſacchari canditi unc. i. ceruſſæ, argenti ſpumæ, aluminis ropeiana dr. i. ſem. camphoræ ſcrup. ſem. fiat collyrium; cui addi poterunt unguenti Aegyptiaci drach. ii. ſi valentiùs ſiccare placeat.

Victus ſit mediocris, refrigerans modicè, & humectans, ſuccorumque acrimoniam retundens. Paſtum inchoet ſemper à prunis Damaſcenis, ex aqua cum ſaccharo coctis: potus ſit non vinum, ſed glycyrrhizæ & hordei decoctum. Caveat æger à diureticis validis; itemque à venere. Utendum his, quę dolorem minuunt; impetumque ſiſtunt humorum turgentium; ideoque dum æger ſomno ſe daturus eſt, quatuor à cœna horis, ſingulis noctibus ſorbeat emulſionem amygdalarum dulcium, hoc paratam modo. R. amygdal. dulc. excorticatarum unc. i. ſeminum quat. frig. major. recentiū unc ſem. papaveris albi drach. i. tundantur & extrahatur. emuls decocto glycyrrhizæ; colaturæ adde ſacchari roſati tabulati. unc. i.

Cap. 14. *De Caruncula in collo veſicæ.*

SI ulceri in veſicæ collo accreſcat caro ſuperflua, tunc inſignis eſt urinæ difficultas: lotium enim non niſi guttatim, maximoque conatu redditur, ita ut ſæpè alvi etiam fæces una egerantur; in venere ſemen frigidum languidè, & citra voluptatem ſtillat; nec lotium recto filo excernitur, verum in unam alteramve partem infringitur; interdum divaricatur, prout caro meatus partem occupavit; ſæpè omninò non excernitur, ſed per alias partes erumpit, ut per ſcrotum, peritoneum, ſedem, per inguina. Præterea, ſpecillum ſi per veſicam inſeras, penetrare ad veſicam uſque non potes, ſed in tumorem ipſum impingis.

Signa diſtinguentia à calculo; primò diſcernitur tactu ipſo per ſpecillum; deinde è prurigine juxta penis radicem; tum è diverſo modo ſuppreſſionis urinæ; interdum enim calculo laborantes liberè, & copiosè meiunt, lapide ſcilicet ſe revolvente, dum ſupinus collocatur æger, ut crura ſint ſublimiora corpore.

Curandi duplex eſt methodus; una violenta & periculoſa; cujus Galenus meminit Opere de loc. affect. ſcilicet, ſi ænea fiſtula carunculam illam deteramus; altera mitis, & facilis, nec periculoſa, quæ fit medicamentis.

Pręmiſſis igitur evacuationibus, ac diæta mollis cauliculus apii, aut malvæ, oleo amygdal. dulc. inunctus, molliter veſicæ collo eſt inſerendus; qui, ſi facile penetrat, ſignificat carunculam non adeò excreviſſe; unde ſpes magna ſurgit curationis.

Si verò impingens flectatur, aut frangatur, emollienda eſt excreſcentia, ut tractabilior reddatur, fomentis, collyriis, & emplaſtris eam ad rem aptis, Fomentum. R. fol. malvæ Manip. i. rad. apii, fœnic. altheæ, ana unc. iij. ſeminis lini, cydon. ana unc. i. florum chamæmeli, ſtœchad. meliloti, pulegii, origani, ana p. ii. caricarum ping. unc. i. ſem. coque ad rad. diſſolutionem. poſtea æger decocto inſideat mane, & veſperi, ut vaporem univerſum ab eis ſublatum pudendis excipiat, ac præcipuè ipſa colis radice; vel ſpongiam imbutam, & expreſſam impone.

Et dum hæc fiunt, æger reddat urinam; poſtea, partes abſtergantur linteolo, & ungantur. R. unguenti dialth. Agrippæ, œſipi, butyri bubalini, ana unc. i. ol. amygd. dulcium, lilior. albor. chamæmeli, ana unc. ii. Ammoniaci unc.ii. ſem. ſucci apii, & chamæactes, ana unc. iii. mucilag. rad. althææ, ſem. fœnigræci, ana unc. ii. coque ad conſumptionem ſuccorum, adde ceræ modicum, & fiat ſec. art. unguentum.

Inunctæ partes lana ſuccida integantur. Poſtea ſiphone hoc injiciatur. R. rad. althææ, ſem. lini, & fœnigræci, ana drach. iii. coq. è tribus cyathis aquæ fluvialis ad tertias; cola, adde ol. amygd. dulc. unc. ʒ. His peractis, cauliculis dictis tenta carunculam pręterire; quod ſi potes, brevi diſcutietur tumor, cauliculus longus ſit palmum unum, & duos digitos ipſius ægri.

Quod ſi adhuc renitatur, inſerenda leniter cerea cãdela tenuis, è forti filo, & cera, cui aliquid terebinthinæ additum ſit, ne frangatur; perungatur prius ol. amygdal. dul. modicè inflexa, juxta tenuiorem partem; quæ ſi ultra carunculam progreditur, bonum; quia ſic compreſſa digitis, ſignum loci affecti denotabit: quam poſtea candelæ partem ſignabis, & medicamentum aptum ei applicabis, & ſi plures partes lęſæ conſpiciantur, etiam pluribus medicamentum appones. Quod ſi autem candela tumorem ſuperare haud poſſis, virgulam plumbeam confice, ac illine oleo dicto; plumbum enim & anodynum eſt, & ulcera exſiccat, & excreſcentes carnes ſupprimit, conſtringitque ut ſideant.

Si & hinc caruncula reſpuat, aureo, vel argenteo cathetere utendum; tutius tamen prioribus res agitur; hoc enim inſtrumentum ſanguinis fluxum excitare ſolet; ad quem compeſcendum, ſiphone in meatum injiciantur, aq. plantag. & roſar. quibus albumen ovi ſit permiſtum; ſic enim fluxus ſiſtitur, & extra apponatur hoc cataplaſma. R. aquæ, vel ſucci plantag. aquæ roſ. ana unc. iv. aceti roſ. unc. ii. albumina ovorum num. ii. pulv. boli Armen. ſang. drac. corall. rub. myrtill. corticum mali Punici, terræ ſphragitidis, ana drach. ii. Miſce, fiat cataplaſma.

Siphonum autem ſit quantitas, pro varietate ſexus & ætatis, pro maribus, maximus ſit 15. digitorum, medius 12. minimus 9. Pro mulieribus, major 9. minor 6. viriles magis curvantur; quod viris magis intorqueatur collum veſicæ. Aeger ſuper ſellam ponatur ſupinus, Chirurgus à dextris illi aſſiſtens, ſiniſtra colem teneat, dextra immittat ſiphonem, & ubi ad collum veſicę pervenerit, ſimul cum cole fiſtulam inclinatam, ſenſim in veſicã compellat, & per totã diẽ intus relinquat; cogaturque æger lotium ſic reddere, ut tum ab urina, tum ab organo, ductus ille dilatetur. Educto cathetere, inſerenda cãdela cerea, ibidemque ſinenda, donec ipſi à caruncula ſignum imprimatur.

Parti autem candelæ, ubi carunculam contingit, ſequens emplaſtrum applicandum, partes ſanas defendens, excreſcentiam vero abſumens ſine inſigni dolore, R. æruginis, auripigmenti, chalcitidis, id eſt, vitrioli offic. aluminis rupei ana unc. ii. infunde in aceto acerrimo, interque lapides marmoreos reducantur in leviſſimum pollinem, exponantur ſoli caniculari, idque octo vel novem vicibus, donec ſumma partium tenuitate acquiſita, omnem prorſus vim mordicantem amiſerint.

Præterea. R. argenti ſpumę unc. ii. ol. roſ. unc. iv. coque ad ẽplaſtri conſiſtentiã, adde pulv. dicti unc. ii. fiat medicamentum duriuſculum, ut candelæ, vel plumbo adhærens, diffluere à propria ſede non poſſit.

Sed ob varia corporum temperamenta, duplex habeatur compoſitio; una mitiſſima, quę pręhumidis, atque maximè ſenſibilibus adminiſtretur; altera robuſtiſſima, quæ robuſtis applicetur, quas dein varie commiſcebis, pro mediis conſtitutionibus. Auſpicandum ſemper à mitioribus, progrediendumque ad acriora, ſi ex uſu fore videantur.

Fortiſſima erit compoſitio, è pulveris dicti, & argenti ſpumæ æquis partibus. In ſumma, curandum, ut medicamentum adhæreat carunculæ. Sic 5. vel 6. dierum ſpatio caruncula conſumetur.

Interim ſi quis dolor, aut inſolitus rigor, aut febris, aut ſymptoma aliud acciderit, extrahenda candela, eluendus meatus lacte caprino, aut aqua roſar. cum pauca caphura; idque tamdiu, donec ſedata illa impedimenta videbuntur.

Signa exſtirpari carunculam, habentur è mordicatione circa partem, & è copia effluentis puris.

Signum abſumptę carunculę eſt, quando facilè candela, etiam parte craſſiore tranſire poteſt, uſque ad veſicam, ſi lotium libere, cito, copioſe, & recto tramite profluit, ſicque celeriter genitale excernitur ſemen.

Diſcuſſa carne, ulcus abſtergendum, injecto hoc collyrio, R. centaurii minoris, apii, caudæ equinæ, ana Manip. ſem. hordei contuſi unc. i. coque in lib. ii. aquæ puriſſimæ, donec media pars abſumatur, colaturæ adde rhodomelitis, vel mellis centauriati, unc. ii.

Laudatur collutio ex aqua deſtillata è cochleis, & fabis viridibus, cui additum ſit nonnihil mellis roſati; ſi vero ſordidum ſit maxima colluvie, adde unguenti Aegyptiaci parum.

Ulceri puro cicatrix inducenda, R. aquæ plantag. & roſ. ana unc. iv. ſeri lactis caprini unc. ii. ceruſſę drach. vi. aluminis rupei, marmoris candidiſſimi, ſpodii, cryſtalli, ana drach. i. ſem. caphuræ ſcrupul. i. terantur terenda tenuiſſimè, & cribrentur; poſtea humidis miſceantur. Victus interim alterandus, ut ſit paulo tenuior. Diuretica exhibenda, cum non amplius humor affluit.

Fabricium ab Aquapendente jam excipiat famoſiſſimus Aur. Philipp. Theophraſtus Paracelſus Bombaſt ab Hohenheim, Medicus & Philoſophus celeberrimus, ac Chemicorum omnium verè Princeps. Hic etenim de ulceribus plura ſanè momentoſa, ſuâ Chirurgiâ, tum Majori, tum minori, quamvis aliis forsàn levioribus, imò futilibus ac ſuperſtitioſis, immiſta tradit; quæ non abſonum fuerit hic in majus Bibliothecæ noſtræ complementum, exhibere; omiſſis illis quæ Luem Veneream ſpectant; quandoquidem ea abundè videri poterunt ſub propriò titulò à Clariſſimò Muſitanò allata. Sic autem Paracelſus, de Ulceribus.

Tractatus

Tractatus Primus.

De Antiquorum Medicorum tam verorum quam pſeudomedicorum ad ulcera Experimentis.

Cap. I. De vulnerariorum remediorum uſu inutiliter in ulceribus attentato.

POſt inventam vulnerum curationem, cùm & ulcera paulatim fieri inciperent, remedia vulnerum in ulceribus uſurpari cœperunt, ſecundo quandoque, quandoque improſpero ſucceſſu. Maxime vero potiones, olea, unguenta, traumatica, ac Emplaſtra, in uſum recepta ſunt: inter omnia tamen plurimum valere Emplaſtra experientia docuit, unde non mediocris laus illis conciliata eſt. Verum enim domeſticum hoc ſemper malum fuit in Medicina, rerum cauſas & origines ignorari, quod & hic contigit. Ejus mali cauſa fuit ſemper, oſcitantia, lucri & voluptatis ſtudium inter medicos, qui tibias, Cytharam, cantum, magis quàm ægrorum ſalutem ſectati ſunt, quod in aliis mechanicis artibus non contigit: eæ enim ſemper cultores habuêre, quibus virtus ac laus majori quàm emolumentum curæ eſſet. Hic vero proximi dilectio ſtatim extincta eſt, ac præceptum quo non tam noſtræ quàm proximi ſalutis ſtudioſi eſſe jubemur, omnino neglectum: cùm tamen hoc præceptum omnibus ſanis inquirendi conſilii pro ægris, neceſſitatem imponat. Quin ipſemet Deus naturæ hujus author, quærere ut inveniamus præcipit, cùm inquit: Diſcite ex me, quia mitis ſum, & humilis corde. Quamobrem diligens remediorum indagator nunquam deſperare debet, ſed ejus quod quærit inventionem ſibi certò polliceri: nam nihil tam ſecretum natura habet, quod ipſi denegatum ſit. Hinc in paucis quibuſdam fraternæ charitatis ſcintillæ enituerunt, qui canum exemplo ægrorum ulcera lingere non exhorruerunt, ac ſanitatem ſummum bonum poſuerunt, omni pompa ac voluptatis ſtudio poſthabitis: diligens dein indagatio iſta docuit, acriora ac vehementiora ulcerum, quàm vulnerum remedia eſſe debere: edocti quinetiam hinc ſunt, magnam ulcerum varietatem eſſe, ſuamque ſingulas ſpecies curationem propriam deſiderare: tandem per indicationem contrarii remedii, ulcerum putredinem, aqua ſalis, fabrorum, ac ſimilium, arcere tentarunt: non ita multo poſt Chelidoniæ, fol. quercus, ac muſci, craniorum, reſinæ, ac Terebinthinę uſus innotuit. Verum curationis perfectio ſemper deſiderata adhuc eſt. Donec tandē adulterata ac Sophiſtica Medicina, nugis ac loquacitate, ſic falſa remedia palliavit, ut paſſim pro veris haberentur: ſed quia Sophiſtæ ventris ac gulæ tantum commodum quęrebant, nil ſolidi indagare ſolliciti fuerunt, ſed ruinoſis fundamentis contenti, neſcio quas nænias ſuperſtruxerunt. Iſti tamen ut maxime vulgata remedia extenuare conati ſunt, tamen Deus Opt. Max. ea tali effectu donavit, ut paſſim iis uti quàm fucatis (quæ medici falſarii obtrudebant) vulgus mallet.

Cap. 2. Dolor ulcerum, quas inquirendi remedii occaſiones dederit.

DOloris magnitudo, malam medicinam, ut ſcilicet contrarium contrario, malum malo pelleretur, primum omnium induxit. Hinc illa per acres ac rodentes medicinas, Salem, Vitriolum, Lixivium, ex herbis Radiculam & Chelidoniam, &c. curandi ratio orta, ſed ferè ubi gravius aliquod malum erat, inutilis ea fuit, quamvis in vulgaribus non omnino contemnenda eſſet. Poſt hęc ad ſectionem ventum eſt: verum quia radix mali reſecari non potuit ſua ipſorum explodenda temeritate cognita, mox eam abjecerunt, ad Uſtionem ſe convertentes, in qua tanta luſerunt varietate, ut nil ſupra, alii candente Metallo, auro ſcilicet, argento vel ferro: alii liquefactis, Plumbo ac Stanno in ulcera infuſis, mali radicem fruſtra exurere conati ſunt. Et ſane meo quoque tempore fuerunt, qui ipſum attentarent, ſed fruſtra omnia, nam niſi quandoque Natura ipſis remediis efficacior ulcera curaſſet, nullus unquam ſanitati ab illis reſtitutus eſſet. Fuêre qui non irrito conatu, Mercurium calidum ulceribus infunderent, & ſane non ſpernenda ſalutis ſpes in hoc remedio apparebat, niſi Tremor & odontalgiæ quæ ſequebantur, curationis hanc rationem derelinquere coëgiſſent. Atque ſic ſubinde in eo laboratum eſt, quomodo minus malum, per majus incommodum tolleretur, ſed à Medicinæ veris theorematis hoc alienum eſſe, facile palàm fecero. Contrarietatis iſta indicatio certe non malum remedium oſtendit (nam malum malo ſimile potius eſt, quàm contrarium) ſed bonum, clemens, benignum: nam iram patientia, non ira vincit: iram à majore ira vinci ac pelli contrà dicunt illi: ita ſane: nam nec ego hoc inficias eo, ſed cruenta victoria eſt: etenim ſi fortis à forti vincatur, victoria non ſine incommodo paratur: ſic ſi malum ulcus à malo remedio ſuperetur, talem hæc curatio memoriam poſt ſe relinquit, ut æger ſe non curatum mallet. Quamobrem omni ſtudio in id incumbendū, quo pacto leni remedio malum evincas, qua in re quid ego præſtiterim, ſequentes tractatus teſtabuntur.

Cap. 3. Alchymiſtarum in Medicina ulcerum labores & inventa.

CUm Alchymiſtæ didiciſſent, Medicos per acria, ac rodentia medicamenta ulcerum curationem tentare, ipſi Chemico more remedia illa parare cœperunt, ac ſūmas illis rodendi vires inducere, ſunt conati. Sic ſalem communem, & ſalem petræ ac gemmeum per Reverberatorium in calcem redegerunt, Vitriolum quoq; calcinatum, medicis utendum exhibuerunt, qui deinde ad uſum adhibitis remediis, non parum virium ad ſanandum ineſſe illis experti ſunt, maximè ubi ea mali radicem attigiſſent. Verum cùm varietas quędam ulcerum appareret, iſtis particularibus relictis, ad univerſalia animum adjecerunt, inter quæ Mercurius ſublimatus palmam tuliſſet, niſi ob intenſiſſimos dolores quos creabat, contemptui haberi cœpiſſet. Secundum locum Arſenicum meruit: pòſt Realgar aliaq; deinceps Corroſiva, quibus omnibus in quibuſdam ſingularibus perſonis, ſuas vires non deeſſe obſervatum eſt. Atque hinc Phyſici perſpecta varietate iſta, juxta diverſitatem remediorum ulcerum differentias quaſdam meditati ſunt, ſed omnia manca, ac mutila erant, quòd originem morbi non intelligerent: originem dico quam Aſtronomia ac Genealogia, non hominum modò, ſed & cœli indicant. Nam cœlum (in cujus conſideratione Medicum perpetuo verſari decet,) ſubinde movetur ac ſeneſcit, ſuaſque operationes ſenis hominis inſtar, accuratius ac ſeverius perficit. Humana vero Genealogia, ſēper in deterius abit, veneno per parentes cōmunicato, ut jā poſterior priore ſēper morboſior, ſit & habeatur. Hęc hujus ſecretioris philoſophiæ ignoratio, omnium illorum errorum mater eſt.

Verùm ſciendum omnibus ſeculis Medicinæ vehementiam affectatam eſſe, hoc eſt, malo malum pellere attentatum, ſed decebat conſideraſſe iram nullam, quamvis maximam ſibi oppoſita patientia non evinci. Et ſi enim ulcera venenata eſſe, certum erat, non tamen ideo venenis ea curare ſtatim oportuit, cogitandum potius erat, duo contraria, iram ſcilicet ac lenitatem in eodē corpore ineſſe poſſe. Sic in Mercurio, (qui in ulceribus curandis primas tenet) duas contrarias facultates, dulcem ſcilicet & corrodentem ineſſe videmus, itaque per Mercurii dulcedinem non corroſionem curandum eſſe ſcire debebant

debebant, ſed quia dulcedinem ignorabant: nil mirum eſt, ſi hoc modo egerit. Scorpio item veneni ſui medela eſt, ſed certe non qua venenoſus eſt, ſed quia duas diverſas naturas obtinet. Hęc in eũ finẽ protulimus, ut oſtenderemus, vulgatum illud quaſi Axioma, Malum malo pellendum eſſe, in Medicina non valere: ſed cum in quovis corpore bona & mala quædam natura inſit, malam ſeparandam ac bonam Medicinam faciendam eſſe.

Cap. 4. *De compoſitis Medicinis ex corrodentibus & vulnerariis, earumque uſu ac noxa.*

COgnita jam ac perſpecta corrodentium medicamentorum natura, quomodo ſcilicet ea Eſcharam facere nata eſſent: porrò illa vulnerariis medicamentis admiſcere tentarunt, ac utiliſſime ea Reſinoſis ac Emplaſticis remediis jungi & miſceri didicerunt: unde poſtea innumerę Emplaſtrorum ac unguentorum deſcriptiones extiterunt. Sed quia nec iſta vera Methodus erat, qua ulcera curari oporteret, varia & hic acciderunt adverſa ſeu mala, quæ curationem turbarent. Namque immenſus hic eſt errorum Oceanus, enavigari impoſſibilis: etſi enim Eſchara ſatis magna decidebat, nil tamen de radice mali adhuc ademptum erat. Nã in origine ac radice mali inquirenda ac tollenda, omnes & Phyſici ac Medici à ſcopo aberrarunt, in quo tamen attingendo ſcriptores plurimi ſtrenue laborarunt: verum quia ex iiſdem fontibus argumenta ſua (ex quibus & priores) haurirent, non minus quàm illi ſpe ſua dejecti ſunt. Interim ſi quando Naturam per ſe ulcus curare accideret, illi jam perſuaſum habebant, rem acu ſe tetigiſſe.

Sciendum porrò, vulnerariam medicinam hîc magnum uſum præſtare, Corroſivis dulcibus junctam, ſed ſemper ad originem reſpiciendum, quod niſi fiat, oleum & operam ludes: nam nulla plane medicina proficiet, fonte mali neglecto, ſed ſi hic ulcus ſanes, alibi aliud protrudet natura, priore longe pejus. Itaque & illa quorundam perſuaſio ſtulta & ridicula eſt, qua quidam ulcus in uſtionem, vel vulnus tranſmutare conati ſunt, ipſumque dein tamquam vulnus vel ulcus curare: nam roſio, ſectio, uſtio non ſunt legitimi curandorum ulcerum modi, quemadmodum Phyſici ac Chirurgi nonnulli prodiderunt. Neque ea curandi Methodus, quâ abſtinentia & uſus Ligni Guajaci imperatur, vera ac cum mali fontibus conſentiens eſt: nam niſi ultrò jam natura curare velit (tum enim non contemnendum auxilium putamus) nil ea proficies. Hęc eo nomine dicimus, ut admoneremus, curationem, quæ tempore, occaſione, ab ipſamet natura perficitur, non expectandam. Ea enim vera Medicina eſt, quæ & ipſam naturam celeritate prævertit.

Cap. 5. *Quomodo artifices quidam Studio ſanitatis varia remedia invenerint, per quæ multorum morborum cauſæ innotuerunt.*

VEterum Chemiſtarum tanta fuit in inveniendis ac inquirendis remediis diligentia & induſtria, ut eam non celebrare ac memoriæ mandare indignum videatur: nam etiamſi non ſemper quod ſpetabant conſequebantur, tamen hac occaſione Magnalia Medicinæ innotuiſſe manifeſtum eſt. Per ipſos enim metallorum viliorum tranſmutatio tentata eſt, quam etſi naturæ impoſſibilem eſſe non aſſeram, pluribus tamen difficultatibus obrutam conſtat. Nam ferrum in Cuprum, Venerem in Saturnum mutari, nemo eſt qui ignoret, &c. Illi ergo miranda hac ſpecierum tranſmutatione obſervata, eã in medicum agrum transferre voluerunt: nam cùm Tincturas ſuas malè curatas, à gallinis domeſticis devoratas, id efficere caſu obſervaſſent, ut plumæ deciderent, novæq; ſuccreſcerent, (quod & ego teſtari poſſum.) Experiri placuit, an in humano corpore ſuperflua, ſic quoque abſumpta irent, unàque ulcerum radices tollerentur, & ſanè, uti in tractatu de curatione ulcerum oſtendemus, non plane irritus conatus fuit. Hujuſmodi experimenta facere, naturæ non inconſentaneum eſt, ſed maxime gratum: nam & illa ipſa quandoque hac ratione vires ſuas oſtentat. Etſi autem per hujuſmodi experimenta curatio ulcerum non plane inventa eſt: nam ſtatim ea per ſophiſticam quatuor humorum commentationem adulterata ſunt, partim omnino contemni cœpta (etenim quamprimum loquacitas in medicina dominari cœpit, veræ Medicinæ fontes turbati ſunt.) Tamen donec iſtis Arcanis inquirendis invigilatum eſt, lumen quoddam naturæ illuxiſſe credere licet. Nam quid majus in tota medicina eſſe poſſit iſta expurgatione, qua omnes ſuperfluitates totius corporis radicitus evelluntur, conſumuntur, reſolvuntur. Illa enim vulgata purgatio, an purgationis nomen meretur, cùm ea ſaltem detrahat, quæ paulo temporis momento regenerari poſſunt? In ſumma, ſi ſemen primarium mundum reddatur, tum juſtam purgationem factam eſſe dicendum eſt. Nam etſi ab antiquis, quæ ſingulos humores purgent, deſcripta inveniantur, ſcripta tamen inania, & ſine pondere ſunt, eo argumento, quòd etſi humores purgaſſe ſe glorientur, morbos tamen curaſſe teſtari non poſſint. Verbi gratia: In quartana, etſi Melancholiam vel Choleram aduſtam expurges, non tamen cedit febris. At ſi antiquatum ſanguinem expurges, regeneres, novum facias (quod in Liene effici oportet) jam quartanam curaſti, quod niſi præſtes, nunquam quartanarium quemquam ſanitati reſtitues. Similiter Hydropis curatio contingit, ſi novus ſanguis generetur, qui deinde reliquum corruptum inveteratumque expellit. Sic dentes eroſos, putrefactos, quo nullis remediis curare poſſibile erat, per hujuſmodi Arcana, ex alvolis extractos, ac novas dentium radices regeneratas ſcimus, atque eadem ratione ſciendum, in quartana Lienem ſic renovari debere, imò in omni morbo, maxime vero in ulceribus ſemen illud, in quo morbi radix latet, expurgandum eſſe: nam ſine hoc medio curatio omnis irrita erit.

Cap. 6. *Cauſæ Ulcerum quam variis modis inventa. Et cur radices eorum quandoque loco cedant.*

MAla illa Medicina, de qua ſuperioribus capitibus ſermo fuit, quæ malum pejore malo pellit: etſi per ſe noxia eſſet, egregiarum tamen inventionum ac experimentorum occaſionem præbuit. Nam Aquę Gehennæ & Mercuriales, cùm in ulceribus uſurpatę eſſent, ob nimium quem faciebant dolorem, etiam ulcerum cauſas ac radices ad ſuperficiem eduxerunt. Ea enim eſt corrodentium medicamentorum (ob ſpirituum quos continent penetrationem, ac tenuitatem) vis, ut per ulceris occultos meatus intrò ferantur, illicque mali radices diſcutiant ac reſolvant, extràque ad ulceris oras pellant. Sed quod ſæpe hactenus monuimus, non mediocre periculum ſubeſt: nec niſi à rerum peritiſſimo artifice (qui ſuperventuris ſymptomatis reſiſtere poſſit) ac in robuſtiſſimo corpore, iis uti licet. Ego ſanè, qui periculorum illam multitudinem expertus ſum, omnes, ut iis abſtineant, hortor. Eſt inſuper alia quoq; Naturę actio, quæ Magnetica quaſi facultate per aſſumpta medicamenta ulcera curat: nam aſſumpta medicamenta cauſas ulcerum intrò ad ſe trahunt, ut poſtea levi admodum remedio cedant, ſed pſeudomedicorum ambitio, ac avaritia huic arti exitioſæ fuerunt. Quamobrem hortor, ut denuo omnes in recolendis hujuſmodi remediis operam locent ſuam. Nam prodigii certe inſtar eſt, tales morbos exteriores per intrinſeca pharmaca non aliter quàm alium aliquem morbum, Icterum ſcilicet, hydropem, aut ſimilem alium, percurari poſſe, obſcurata autem hæc medendi ratio eſt, per peſtiferum illud medicorum dogma,

ma, quo extrinſecos morbos, exterius ſaltem abhibitis remediis curandos prçipiunt, quo dogmate recepto, uſtio, ſectio, corroſio, ac aliæ mille ægrorum carnificinæ, ac peſtes introductæ ſunt. Ad hæc in uſu corrodentium remediorum, alius adhuc intolerandus error dominatur, quo omnibus perſuaſum eſt, officinarum medicamenta, non artificioſas Chemiſtarum præparationes uſurpandas eſſe, cum tamen luce Meridiana clarius ſit, pharmacopolia iſta nil niſi peſtifera medicamenta ſuppeditare. Sed ſic res nunc ſunt comparatæ, ut ſi quis medicamentum etiam præſtantiſſimum habeat, niſi ipſum à pharmacopæo præparatum ſit, pro veneno habeatur ac explodatur.

Cap. 7. *Novorum morborum Origo, ut cœptam curandi rationem inverterit.*

NOvorum morborum, ac prius ignotorum ortus, tum ipſorum inter ſe complicationes ſeu ſyndromæ, novorum remediorum inquiſitionem cùm requirerent, variorum iterum errorum ſeminaria præbuerunt: quemadmodum enim humanum genus novitatis ſtudioſum eſt, & varietate delectationem capit: Sic facultates illæ morborum effectrices, nova ſubinde machinantur mala. Itaque ſimiliter ut Mechanici artifices nova ac varia opera, quæ placeant & delectent, architectantur: ita & Medicos perpetuo in inveniendis novorum morborum remediis occupatos eſſe decet: novus enim morbus novum deſiderat remedium. Ut jam veterum ſcriptis nemo contentus eſſe poſſit ad medicum opus faciendum, niſi forſan in vulgato, ac antiquis noto morbi genere, ſed ad initium redeat oratio noſtra. In ortu novorum morborum Chemiſtæ ac Empyrici homines diligentes ac laborioſi, quo pacto nova remedia experirentur ac invenirent, operam dederunt: & certè inſtitutum eorum fructu non caruiſſet, ſi non ſophiſtica illa ac loquacitatis ſtudioſa Medicina unà irrepſiſſet: ſed de ſingulis effectus ſatis ſuperque teſtatur.

Morbum Gallicum, jam verbi gratia, conſideremus, unde is originem duxerit. Ex coitu nimirum Leproſi Galli, cum ſcorto impudenti, Bubonibus veneris laborante, quod deinde ſcortum contagio omnes infecit, qui poſtea in ejus amplexus venerunt, atque ſic ex Lepra & Bubone venereo, Gallica iſta Lues orta, per contagium totum perreptavit orbem, quemadmodum ex Equi & Aſinæ coitu Mulorum genus extitit. Neque vero inter initia alio quàm per venereos amplexus contactu, malum contagioſum fuit. Luis venereæ exemplo, quis dubitet, per coitum alios quoque morbos mixtos, ac complicatos extitiſſe? Cùm omnibus manifeſtum ſit, veneris uſum multorum morborum hæreditariorum matrem ac radicem eſſe. Hos itaque morbos, ſi cum ulceribus complicentur, accuratè diſtinguere oportebit, quo facilius aptis adhibitis remediis curationem recipiant. Nam hoc jam experientia docuit, in omnibus ulceribus, cum morbis veneris complicatis, Mercurium tamquam ſacram anchoram ac Patronum eſſe, & unicum Arcanum, de quo Venus gloriari poſſit.

Cap. 8. *Univerſalia quædam veterum medicorum ſecreta pro ulceribus remedia, quomodo reperta.*

DE ulceribus hactenus ſermo fuit, cum quibus quia per venereos ãplexus Gallica lues complicata quandoque eſt, quidam luem gallicam iiſdem cum ulceribus remediis curandam magno errore putarunt: cum enim alia hujus origo ſit (Venus nimirũ) alia ulcerum reliquorum, non poteſt non diverſa remedia ab iis deſiderare. Semper tamen Mercurius ſublimatus in hoc caſu pro univerſali ſeu catholico remedio habitus eſt, quòd ejus mirifica facultas omnibus nota eſſet. Hoc de eo experientia manifeſtum fecit quoque, illum per os aſſumptum ptyliaſmo concitato malum curaſſe, non quòd cauſa morbi ſaliva eſſet, ſed inerat in ea tamen, quemadmodum crocum aquæ injectum, aquam tingendi virtute donat: nec tamen aqua tingere dicitur, ſed ex ambobus mixta eſſentia. Mercurii virtutibus hac ratione publicatis, invidum Sophiſtarum genus, ut eas obſcuraret, correctiva quædam medicamenta, nil ad rem pertinentia (Nam in ſolo unico Mercurio (mihi crede) totus curationis theſaurus conditus eſt, qui correctione nulla eget) adjecit: ſicque ejus uſum verum ex manibus medentium excuſſit, ut jam ſola Gallicæ luis remedia in omnibus ulceribus uſurparentur, ſed quanto malo norunt omnes: nam cùm venerea non eſſent, hoc remediorum genere juvari nentiquam potuerunt. Hæc propterea admonere placuit, ut oſtenderem, Gallicę Luis curationem, tanto mortalium multorum incommodo, in ulcerum chirurgiam introductam, rurſus ejiciendam, ac intra ſuos limites pellendam eſſe. Etſi enim ulcera quoque variantur, commiſcentur, ac cum aliis morbis complicantur: tamen niſi venerea aliqua concauſa acceſſerit, neutiquam Luis Gallicæ curationem iis adhibendam eſſe manifeſtum eſt. Imò etſi Veneris uſu ulcera quodammodo immutata viderentur, nullum tamen manifeſtum morbi Gallici ſignum appareret, Mercurio abſtinere præcipimus. Gallica enim lues non ſolum ex naturalibus cauſis, ſed Divino permiſſu originem duxit: ſicuti enim Peſtis non ſolum naturaliter ſævit, ſed pœnæ loco à Deo immittitur: ſic luem veneream, diram Scortatoribus pœnam à Deo Opt. Max. conſtitutam eſſe putandum eſt, adeo ut perſuaſum habeam, Sophiſtas ac Pſeudomedicos iſtos quoque ceu carnifices divinæ pœnæ adjunctos eſſe, ut ſcortatores falſis ſuis curationibus magis adhuc excrucient ac torqueant. Verum in ulceribus aliis ſolum naturales cauſas agere certum eſt, nihilque pœnarum adeſſe.

Cap. 9. *Ulcerum cauſas minerales eſſe, nec humoribus adſcribendas.*

BRevem hîc ac ſuccinctam cauſarum ulcerum explicationem, non prolixam diſputationem expectabis, amice lector, uberiorem omnium tractationem ſequenti libro accepturus. Corrodentem itaque quandam vim ipſi quoque ſenſui non abſconditam, in humano corpore conſiſtere, mirum quoſdam non animadvertiſſe: ego planioris doctrinæ gratia, eam quàm poſſum, dilucide exponam. Sudorem hominis ſalſum ſapore eſſe, nemo eſt qui ignoret: at ſudorem Sal non dixeris rectè, Salis tamen excrementum ſi appelles, nil à vero aberraveris. Sal ille ubi lateat, inquirendũ ulterius eſt: nam ex eodem fonte & ulcera fieri, & ſudorem emanare conſentaneum eſt: quia autem ex venis ſudor prodit, venas ſalis illius receptacula eſſe, una & ulcerum primas origines continere manifeſtum eſt. Jam vero Salem iſtum in venis contentum, juſtam multitudinis portionem, ad opus ſuum perficiendum obtinuiſſe, & quidquid ſuperfluum eſt, per ſudorem deponere, à natura edoctum eſſe, credibile eſt. Quoniam autem fatalis quędam ataxia ſeu inordinatio omnibus rebus ineſt, quæ ad corruptionem deducit, eam quoque Sali huic natura impoſuit, quam præcavere, vel factam immutare, medici officii fuerit. Iſta itaque inordinatio, ſi humanum corpus apprehenderit, ejus quandã efficientem cauſam adeſſe conſtat, quæ aptam temperaturam deſtruat, eam autem ſanguinem eſſe, convincere non difficile foret, ſanguinẽ dico ſalſum ac Mineralem, in quo Sal jam prævalet, quamobrem non eſt, humoribus hanc actionem tribuamus, ſed Minerali corpori: quàm vero abſurdum ſit, Mineralia humores appellari, quis ignorat? non minus quoque temerarium eſt, cùm unica ſit ulcerum cauſa materialis,

terialis, quatuor tamen eorum differentias juxta humorum diverſitatem, conſtitui. Nam neque Melancholia, nec bilis, nec pituita, ulcerum cauſam continere comprobari poteſt, verum in ſale, qui per ſudorem ad locum affectum defluxit, eam reſidere ex jam dictis, puto manifeſtum eſſe. Cur vero certum aliquem locum occupet Sal iſte, cauſa eſt, cùm per inordinationem illam quam dixi, Harmonia totius corporis diſſoluta eſt, Sal ille turgens in eum locum decumbit, qui propter excellentiorem inordinationem ad ſuſcipiendum aptiſſimus eſt. Quò ubi pervenerit, contra naturam pugnans, ſi ſuperior evadat, jam in illius loci venas ſe inſinuans, illic radices agit, unde poſtea paulatim illius loci temperie corrupta ſe prodit, vixque tandem à natura, niſi præſenti auxilio, evincitur iterum.

Cap. 10. *De Semine Senii cauſa efficiente, quodque ad futuros morbos faciendos prædeſtinatum eſt.*

STatim in primo noſtro ortu, ipſaque etiam conceptione ad mortem nos prędeſtinari, notum omnibus eſt. Ex quo ſequitur, nos in morbos incidere, qui non ex noſtra natura, ſeu eſſentia proveniant, ſed extrinſecus nobis ingenerantur. Verbi gratia, Peſtilentiam contra ac præter naturam eſſe ſcimus omnes, itaque ſemen ejus ab extrinſeco nobis contigiſſe patet, ſicque de reliquis morbis judicandum quoque, ſingulos ſcilicet à ſuis colonis, quorum infinitus numerus exiſtit, nobis implantari. Homo enim ad Dei imaginem ſanus ac perfectus creatus primo eſt, in qua perfectione cum non perſtitiſſet, tantum miſeriarum ſibi contraxit, ut Deum etiam, quòd eum creaſſet, pœnituerit: poſt illum ergo lapſum, Deus hominibus omne morborum genus inſeminavit, ut jam quivis homo in ſuum morbum prædeſtinatus oriatur ſeu naſcatur.

Cùm ergo ortus ille, morbum ſeminarium fato quodam ſecum adducat, illum primam omnium morborum cauſam, hunc finem ac terminum vitę rectè dicemus. Hęc autem nil ad eum morbum, circa quem medicina verſatur, pertinent: nam morbus is quem medici objectum facimus, ortus ſui cauſa, extra iſtam prædeſtinationem habet, ſeminaturque à noſtra corruptibilitate. Sed ut & in materia ulcerum, negotium teneatis, ſciendum eſt, nullam ἀταξίαν in humano corpore eſſe, quàm quę à ſemine primo excitatur, quod tamquam ſeditioſus in republica, ſic ipſum in humano corpore agit: nam quemadmodum ſeditionum origo inſenſibilis eſt, ſic ulcerum primam cauſam videre impoſſibile eſt: nam uti conceptus mentis ſenſibus, ſic & naturæ iſtæ operationes nobis incognitę ſunt. Eſt ergo quiddam, quod nemo verbis exprimere poteſt, quod habilitatem illam ad actiones ſuſcipiendas efficit, verbi gratia, Sal, quod in ſanguine continetur, habilitatem habet, ad cutem & carnes erodendas. Itaque quantum Lumen naturæ de iſtis colligere concedit, in eam ſententiam devenio, interiorem quendam hominem in nobis eſſe, à Deo Opt. Max. ea induſtria donatum, ut nocendi varias artes calleat: vult enim Deus variis nos calamitatibus affligi. Utut ſit, hoc indubitatum eſto, aliter quàm demonſtratum eſt, primas morborum cauſas indagari non poſſe, hocque certum eſſe, ex Sale ulcera naſci. Unde vero illam habilitatem Sal nactus ſit, ut hoc vel illo modo agit, aliter explicare neſcio, quàm quòd occultos quoſdam harum actionum architectos imaginari oporteat: nam & in ſemine ex quo arbor naſcitur, quis illum certæ formæ ſculptorem, aliter quàm imaginatione concepit unquam? Itaque intrinſecum quid omnium rerum habilitatum præſtans in homine, mente concipiendum eſt.

Cap. 11. *De Elementis, eorumque in humano corpore actionibus.*

IN humano corpore quatuor humorum harmoniam antiqui ſomniarunt: iſtam autem commentationem vanam eſſe, multis argumentis convincere promptum eſt. Etenim cùm humanum corpus ad exemplum majoris illius mundi creatum ſit, quatuor elementa non humores in ſe continere manifeſtum eſt. Elementum dico non calidum, humidum, frig. ſicc. &c. qualitatem ſcilicet; ſed veram ſubſtantiam, quę non unicam tantum qualitatum ſyzigiam obtinet, ſed omnes unà comprehendit. Ut verbi gratia, Elementum terrę voco, non quod frigidum & ſiccum ſaltem in ea eſt, ſed & quod, frig. & hum. cal. ſiccum: calid. & humidum eſt, omnia ſcilicet quæ terra continet, Elementi terrę nomine veniunt. Sic aqua, quæ ex aqua fiunt, quæque in aquam reſolvuntur, aquæ Elementum dicuntur. Aër, ventus, &c. aëris elementi nomen fuerunt, non complexionis ſolius, ſed totius ſubſtantiæ ratione habita. Item ignis elementum voco Firmamentum, & quæ in eo inſunt omnia: calidum ſcilicet, & frigidum, ut Sol ac Luna: humidum item ac ſiccum, ut nix, aqua, &c. Idem de homine judicandum eſt, ex quatuor ſcilicet Elementis ipſum compoſitum eſſe. Ut verbi gratia. Ignis in homine eſt anima: Terra, quidquid è ſicco corpore naſcitur. Quod vero ex Liquore naſcitur, Aquę eſt Elementum: ſic quod ex vacuo, ubi nulla ſubſtantia eſt, oritur, Aëris Elementum voco, ex quo ſequitur colicam ab aëre fieri, & Melancholicos rectius Lunaticos, Cholericos Martiales, Phlegmaticos Aquarios appellari, ſicque de reliquis; quę in præſentiarum memorare nil refert: ſufficiat quæ ulcerum negotium attinent tetigiſſe. Sciendum quoque, Epatis morbos Epati, Capitales capiti, Spleneticos Lieni, non Bili, Pituitæ, Melancholiæ, Sanguini, &c. adſcribendos eſſe: ſiquidem multi iſtis in partibus morbi accidunt, nullo iſtorum humorum præſente. Quamobrem phantaſtica illa humoralis Morborum origo explodenda eſt. Longè alia etenim cauſarum morbificarum ratio eſt, quàm hæc in iſtorum cerebro enata phantaſia. Siquidem in confeſſo quaſi jam eſt, Stellas Morbos inducere poſſe, & quidem omnes: valeant ergo humores illi: nam Morbi ex hominis corpore, tamquam plantæ ex terra exiſtunt, quomodo ergo ex Melancholia, &c. morbum eſſe dicis? Intolerandus eſt error dogmatis illius apud medicos, quo ex temperaturæ ſimilitudine morborum cauſas arguunt, verbi cauſa, Morbus iſte Melancholicus eſt, inquiunt, cauſa: quia frigidus & ſiccus, ejuſdem ſcilicet cum Melancholia temperamenti. O inſignem philoſophiam, quaſi vero Elementi, & Elementaris diverſa non ſint temperamenta. Flammulam ex terra natam, quis quæſo dixerit frigidam? filium diverſi à parente temperamenti eſſe, quis non ſexcenties obſervavit? Itaque ſic ego judico ex terræ, quod in homine eſt, elemento, calidum, ex Aquæ Elemento ſiccum (exemplo lini paluſtris in majori mundo) morbum naſci poſſe. Similiter quæ rationis oblæſionem in homine efficiunt, ex ſuo Firmamento veniunt: nec eſt ut quiſpiam dicat ab aliqua quatuor qualitatum malum extitiſſe, ſed diverſitas ex ſtella effectrice auguranda erit, Luna ſcilicet vel alia aliqua, quare in curando non humores purgare, ſed contra ſtellas pugnare intentio eſto. Nam quemadmodum ferrum vulnerat, non quòd ipſum frigidum calidumve eſt, ſed quia acutum, ac ad vulnerandum prædeſtinatum: vel ſicuti lapis, inter volucres aut canes conjectus, eos ad fugam vel iram concitat, non qualitatis ratione, ſed quia lapis eſt: ſic de morborum cauſis tam internis, quàm ulcerum externis judicandum erit, neque quidquam Humoribus acceptum ferendum.

Cap. 12. *Empyricorum Secretiora, per fidem ac imaginationem, tum naturalium facultatum conſiderationem, inventa.*

QUia experientię in conſtituenda medicina primas me tribuere non ſemel profeſſus ſum, tempeſtivum fortaſſe jam fuerit, eorum qui idem ſenſere, ſententias adducere: itaque artes illas per quas illi ſibi rerum experientiam compararunt, breviter enarrare inſtituo. Superiori capite antiquorum dogmaticorum experientię adulteratos fontes, ſatis ſuperque aperuimus, ut jam in illis confutandis, nil operæ amplius ponendum eſſe videatur. Quare experientiam liberam à rationis imperio eſſe debere, cùm jam oſtenſum ſit, modos comparandæ ejuſdem hos tenete. Primum omnium magna in iſtis Fidei autoritas eſt, hinc quidam viſiones per lapides, Berillum ſcilicet & ſimiles affectarunt. Verum ſciendum hic quid illud ſit, quod in hujuſmodi viſionibus apparet. Nil hic contra naturam eſt ſanè, neque quidquam contra creaturarum eſſentialem proprietatem: at num ſic ſe res habeat, vel minus, ipſorum Fidei relinquitur. Tantum hic admonuiſſe ſufficiat, quòd conſtellatus aſcendens, ejus qui ſecreta naturæ (quæ Dei opera ſunt) ſtudioſe inquirit: quia cum ipſo artifice (ſi modo bonus artifex ſit) cognationem habet, jam omnia illi ſecreta aperit, pro cognationis magnitudine nimirum, hinc ſummi ac integerrimi artifices, qui experimenta per Berillos, Specula, ungues, volucres, &c. inquiſiverunt, quia excellenti fide prædidi fuerunt, ſuos viciſſim Aſcendentes habuerunt, qui fidem ipſorum præclariſſimis inventionibus remunerarunt. Hic modus varia, ſalubria ac inſalubria, certa ac incerta remedia ſuppeditavit, juxta cujuſvis artificis, ad ſuum aſcendentem, genituram. Hæc qui intelligit, non jam ignorat pſeudomedicorum experientiam, utpote matri experientiæ oppoſitam repudiandam eſſe. Quinetiam & ipſamet natura per Anatomiam, Chiromantiam, Phyſiognomiam, ſeipſam ſatis ſuperque contemplandam propoſuit, dum hoſtem ejuſque victorem ſemper conjungit: nam nullus morbus eſt, quin ſuam formam habeat, quę forma ſuum quoque remedium oſtendit ſtatim. Exempli gratia: Oculorum Anatomia, & Euphragiæ herbę anatomia ſimilem plane rationem obtinent: nam ex eodem plane ſemine oriuntur: ſoloque viſu diſcernuntur, quę cognatio jam oſtendit Euphragiam omnia oculorum vitia præcavere ac curare. Quamobrem ſedula opera navanda erit medico, in Anatomiæ ſtudio cognoſcendo: ipſa enim cujuſvis morbi remedium oſtendit cognationem hominis, cum exteriore natura innuens. Nam quivis morbus cum ſuo remedio ſimilem Anatomiam, Phyſiognomiam, ac Chyromantiam obſervat. Quod niſi quis conſideret, oleum & operam in inquirendo ludet. Etenim ſi invenire propoſitum eſt, certe per medium id fieri neceſſe eſt, medium autem illud Lumini naturæ cognatum ſit oportet, ſive Aſtronomicum illud ſit tandem, ut Fides, ſive naturale per formarum ſimilitudinem: nam propter iſtos duos inveniendi modos, nullus artificialis ſupereſt, niſi caſum (de quo ſequentibus capitibus docebimus] etiam annumerare placeat.

Cap. 13. *Remedia ut Mirabiliter inveniantur, & quomodo is qui ea prodit, ignotus lateat.*

PSeudomedicorum, in gradibus medicamentorum inveniendis, de quibus multa Dioſcorides, Avicenna, Serapio &c. conſcripſerunt commenta: etſi ad oſtendendam ulcerum curationem non plane nullam conjecturam continere videantur: tamen ſi quis penitius rem introſpiciat, artis fundamenta ridicule ab ipſis tractata cognoſcet: nam per illorum gradationes quibus diu noctuque defatigantur, nemo unquam artis opem ſentiet, cùm & arti & naturę adverſiſſimæ ſint. Qua de cauſa ego aliam inveniendorum remediorum rationem oſtendere permotus ſum, & quidem de iis quæ caſu inveniuntur, ſic ſentiendum exiſtimo, à ſummo bono ea proficiſci, quod tamen pro datore (liceat ſic loqui) haberi non vult. Quemadmodum enim ejus, qui eleemoſynam dat, ſiniſtra neſcire debet, quid faciat dextra [hoc eſt, prædicari beneficium ſuum, à nemine debet) ſic hujus præcepti autor Deus, idem quod juſſit obſervat, hoc eſt, clam beneficia impertit, ex quo patet hypocriſin vitandam eſſe. Nam & Deus ſecreta ſua, ac natura mirabiliter, ſed clanculum hominibus patefacit: hinc quoſdam Chemiſtas vidimus, qui nec uſu, nec eruditione præditi, ſed unica ſpe, ac ſimplicitate nixi, admirandorum operum inventores fuère: quorum dein uſum alii excoluerunt. Hæc eo nomine prolixius proponere placuit, ut oſtenderemus pſeudomedicorum, in remediorum experientia comparanda, errorem, tum ut noſtræ methodi certitudinem teſtatam faceremus. Quamobrem, cùm Deus Opt. Max. clam remediorum inventionem largiatur, omni ſtudio in id incumbendum erit, ut ea quocunque tandem modo id fiat, experiamur; ut jam & Aſtrologiam ac Geomantiam non omnino repudiandas horum cauſa putem, etſi enim artes ipſæ per ſe ridiculæ ſunt, ſi tamen iis mediantibus utile aliquid præſtari poſſit, quis eas planè contemnendas dicat?

Cap. 14. *Medico ante omnia morbos creaturarum majoris mundi, poſt humani corporis inquirendos eſſe.*

CUm omnes medicorum ſcholæ, in ulcerum cauſis explicandis, ad unam Humorum τετάρτιν ſuam recurrant, quæ tamen nuſquam ad radices mali oſtendendas ſufficere poteſt, aliam illis viam monſtrare (Per Philoſophiam ſcilicet exteriorum terræ naſcentium] haud inconcinnum fuerit. Nam & illa terreſtria ſuos morbos habent, humani corporis affectionibus reſpondentes, ut jam in eo ſolo, Philoſophi ac Medici differentia conſiſtat, quòd ille in cognoſcenda exteriorum natura & affectione, hic in homine morbos & naturas indagando occupatus ſit. Quamobrem qui bonus Medicus eſſe volet, philoſophię cognitione inſtructus ſit oportet: idem enim quod ligna, herbas, frutices, &c. lædit, in homine idem cauſare putandum eſt. Verum quemadmodum in herbis, &c. nemo humores ineſſe recte dixerit, ſed unica illic humiditas adeſt, quam nos liquoris nomine afficimus. (namque omne corpus ex liquore, Sale & Sulphure conſtructum eſt, neque ipſorum unum abeſſe, neque quartum aliquod ſuperaddi poſſe manifeſtum eſt.) Sic in homine Liquor, non humor aliquis ineſſe dicetur, qui cum reliquis duobus, quæ totum corpus conſtituant, omnium morborum interna cauſa conſtituendus erit. Atque hæc de morborum materia in præſentiarum dicta ſufficiant. Quæ vero ipſorum efficiens cauſa ponenda ſit, primum Philoſophicis, poſt Phyſicis rationibus indagandum venier: etenim niſi per Phyſicas rationes, ad veræ Medicinæ faſtigium evadere datum eſt, quòd ſi alia via in Medicam artem quis ingrediatur, irruiſſe, non veniſſe: furtivè ac clanculum, non precario eam occupaſſe dicemus. Quare philoſophiæ ante omnia ſtudendum erit: nam quemadmodum is cauſas putredinis, cariei, &c. in ligno explicat, ſic Medicus in Microcoſmo, hoc eſt, in homine morborum efficientes cauſas oſtendit.

Itaque Philoſophicis rationibus manifeſtum eſt; ulcera

ulcera alia à Sale fieri, alia ab aſtris imprimi. Illa Philoſophus, hæc Aſtronomus conſiderat, ſed quoniam Medicus non unice ſpeciali, ſed omnibus univerſalibus cauſis inhiat, præter philoſophiæ peritiam, aſtronomiæ quoque cognitionem eum habere decet. Hæc paucis proponere ſtratem, tum ut fontes veræ Medicinæ, tum ut Humorariam illam Medicinam, nullis principiis veris innixam, explodendam meritò eſſe oſtenderem, quæ hîc præterea dicenda fuerant, ex Philoſophicis noſtris libris, ad quos te remittimus, petes.

Cap. 15. *Medici Generationem, ut Rationalis ex irrationali eſſe.*

HOminem ſine ullo ſapientiæ, intellectus, artiumque habitu in hanc lucem prodire mirabilium tamen operum autorem ac effectorem fieri, atque in artibus, tùm utilibus, cùm noxiis (omnes enim ęquè ex ratione proficiſcuntur) mirum in modum proficere manifeſtum eſt. Contrà tamen pſeudomedici hoc nobis perſuaſum volunt, nullas deinceps inventas iri poſſe, ſed eas, quæ jam extant, ſaltem excolendas eſſe jubent. Verum rectius ſentientes Medici, ſubinde in requirendis novis verſantur, non ignari, poſteriora ſecula prioribus ſemper aliquid ſuperaddere poſſe: nam pictores modernos primo pictore, &c. prȩſtantiores eſſe pronunciare quis dubitet. Sed nihil horum admittit Medicorum vulgus, imò hoc urgent, Avicennam, ejuſque ſequaces ſic in Medicina ſuſcipiendos eſſe, ut vel latum unguem ab iis diſcedere nefas habeatur. Verum quia nobis conſtat, illorum doctrinam imperfectam eſſe, jam tandem fundamenta humanæ ſapientiæ, ejuſque doctores declarare tempeſtivum videtur. Cœlum ac terra, homine mediante, hominem generant: nam terra corpus, cœlum mentem ſuppeditat: corpus, ut ex terra eſt, ſic in eam rurſus abit: at Mens, quia cœleſtis eſt, & in firmamento conſiſtit, ac in idem mutatur. Veruntamen propter iſta tertium adhuc ſupereſt, Divinum ſcilicet donum, quo homo non juxta firmamentum, ſed per illud vivit. Verum de naturalibus nobis hic ſermo eſt. Etſi enim Dei Opt.Max. dona iſta ſunt, tamen interim ex naturæ præſcripto quodammodo fieri intelliguntur. Nam homo artes diſcit, ac fallitur viciſſim ab aſtris: namque & ab aſtris homo ſic procreatus eſt, ut ad artes, vel non artes, ad ſapientiam vel ſtultitiam inclinatus videatur. Ex quo manifeſtum fit, quamobrem homines alii plurimarum artium invenrionibus inclaruerint, atque adhuc clareant, alii Sophiſticis nugis ſe intricaverint. Nam Firmamenti natura, bona vel mala, hoc ipſis ſuppeditavit. Sic Chriſtus ad bene faciendum natus eſt, Iudas ad proditionem, ſed his non naſci melius erat: nam ex malis aſtris nati ſunt, quorum inſtinctu ſcribunt quoque, docent, omniaque juſtorum exemplo faciunt. Sed Chriſti regula nos ipſos diſcernere docet, qua jubemur ex operibus illorum ipſos judicare. Quamobrem (ut jam de Medicis loquamur) eum Medicum imitandum (ceu juſtum) nobis proponemus, qui opera ſua ad verum finem deducit, prædeſtinationemque conſequitur: namque ex his judicabimus, ex bonis aſtris eum natum eſſe: uti contrà ex malis aſtris ortum eſſe dicemus, cui contrarium acciderit. Sed ſciendum, virum ſapientem, omnia aſtra ſive bona ſint, ſive mala, cùm ex Deo ſit, ſuperare, ſolique Theodidacti, non etiam naturæ periti, hoc præſtare poſſunt. Nam qui à Deo docti ſunt, doctiſſimi ſunt, multoque ſpatio poſt ſe relinquunt eos, qui ab aſtris inſtructi fuerint: medio inter hos ſpatio ſunt, qui ex *lumine naturæ* Docti evaſerunt. Tres itaque modi diſcendi ſunt, ſeu ut rectius dicam, Doctores, à quibus diſcimus. Iis tamen ſemper à latere adhærent falſarii, à quibus Pſeudomedicos ſuam artem edoctos eſſe, pronuntiare non dubito: nam nec de aſtris, nec de Lumine naturȩ quidquam, pauciſſima verò de Deo in ipſorum ſcriptis invenire poſſis.

Cap. 16. *Antiquis Medicis inſignioribus, quomodo multorum remediorum uſus innotuerit, abſque principiorum etiam cognitione.*

AStra ſic medicos in Lumine naturæ conſtitutos genuerunt, ut ſuopte marte, cogitando ac ratiocinando varias artes indagare non deſiſterent, in ulceribus curandis præcipue. Primus autem fons inventionum iſtarum in conſtellationibus ac influentiis erat, qui in Alchymiam derivatus, non mediocri acceſſione artem Medicam locupletavit. Eſt autem Alchymia Pyrotechnia quædam Medica, qua mirandæ præparationes, tranſmutationes, tranſſubſtantiationes, &c. rerum medicarum artificioſe producuntur. Hac itaque ratione inventis remediis, acceſſit quoque diſpoſitio quædam remedii inventi, cum ipſo ulcere. Talis enim eſt Firmamenti conſtellationis, cum terreſtrium corporum natura, cognatio, ut is, qui cœleſti doctrina inſtructus ſit, terreſtrium rerum cognoſcendarum ſtudio non deſtitutus ſit: quibus conjunctis, tandem cœlitus influentia illa copulatur, ſiquè ex tribus iſtis ſimul junctis, verus medicus exiſtit: quo modo ſi Medicus generatus ſit, numquam illum remedia etiam ſubitò, ac in rem præſentem neceſſaria, deſtituent. Sed aliud genus Medicorum jam ad artis gubernacula ſedet, quod ſophiſmatis inani loquacitate, magnis conſcriptis centonibus, ſuas nugas tuetur, verum ij Aſtronomię nullam niſi voluptatis cauſa operam impendunt, cùm tamen præ omnibus aliis artibus illi ſtudendum eſſet. Ea enim ars, ſi quæ alia, certiſſima eſt, maximumque ad communem vitæ uſum commodum prȩſtat: ipſa namque cujuſvis hominis, ſive ſenis, ſive recens nati, naturam ac inclinationem monſtrat, cujus reſpectu poſtmodum ad quaſvis actiones aptitudinem ſuam cognoſcunt homines. Et ſanè ſi noſtro ſeculo (nam priſcis temporibus hoc præſtitiſſe Aſtronomos, teſtantur tot admirandæ magnorum ingeniorum inventiones) accuratius Aſtronomiæ cognoſcendæ invigilaremus, multo ſapientiores, doctiores, ingenioſiores homines evaderent, quàm fiant aliàs: nam ſi quis ad ſuæ inclinationis, ac naturȩ contrariam artem detrudatur (quod non poteſt non ſæpiſſime accidere ex Aſtronomiæ ignorantia) perverſus, hebes, ſtupidus potius, quàm artificioſus, ſeu ingenioſus evadet. Atque hæc omnis mali in omnibus Religionibus, Facultatibus, Artibuſque radix, atque origo ſemper extitit, cujus mali devirandi gratia, majore certe ſtudio in Aſtronomiam incumbendum eſt: hæc enim unicus theſaurus totius orbis exiſtit, ſed hominum oſcitantia, magno malo iſta in deſuetudinem venerunt.

Cap. 17. *De novorum remediorum inter Medicos vero uſu, ac abuſu.*

MEdici vulgares, non ita pridem repudiatis antiquorum ac ſuorum præceptorum remediis, alia in eorum locum receperunt reſcripta, Ligni nimirum, unctionum, fugimationum, ac lotionum uſum. Sed non quemadmodum verè geniti (ut priori capite monuimus) medici, ſed ut ſpurii, re male conſiderata, hoc perpetrarunt. Nam quaternitate humorum propoſita, juxta eam ſua remedia partiti ſunt; veruntamen cum cauſa mali non ad humores, ſed ad Sales referenda ſit, ipſos

toto

toto cœlo erraſſe, non poſſumus non pronunciare. Hinc & ſuis remediis, vel novos induxêre morbos, vel illos ipſos longe graviores effecêre. Remedia ipſorum primaria ſunt Guajacum & Mercurius, qui non juxta humorum differentias, ſed pro Salium varietate diviſionem ſortiuntur. Itaque Salium diverſitate conſiderata, jam dicta remedia ſuis ſingula ſpeciebus applicata proderunt, atque Medicina à calumniis libera reddetur, quibus illa jam pridem notata fuit, ob inconcinnam curationem, quæ non aliunde, quàm ex Humorum quaternione orta eſſe videtur. Quamobrem tandem Humoribus repudiatis ulcerum differentias pro Salium diverſitate conſtituamus: hinc enim cognoſcemus, quæ ulcera uſum ligni vel in aquæ vel in liquoris forma, cumque cum vel ſine abſtinentia poſtulent, quæ Mercurio per ſuffumigia, unctiones, loturas, &c. hoc vel illo modo juventur. Hæc in medium adduximus, ut Pſeudomedicis perverſam ſuam mentem aliquo modo emendaremus, quo abjecta ſua Humoraria quaternitate, aliquando reſipiſcerent, ac noſtram dividendorum morborum, tum præparandorum remediorum rationem, æquiore judicio cenſerent: nam ea unica eſt, quæ certam ſalutem polliceri ægris nos patitur.

Cap. 18. *Non qualitatum contrarietatem, ſed actiones, in curando ſpectandas eſſe.*

CUm morbus omnis non ex Elementi qualitate, ſed ab actionibus ejus, curationem recipiat, quid opus eſt frigidusne vel calidus ſit morbus, multum inquirere? Exempli cauſa Febris calida eſt, quam tamen frigus non pellit, ſed Medicamenti actio potius, in hanc igitur inquirendum accuratius erit: nam frigus in calido morbo, calor in frigido, potius ad diætam, quam ad ipſum medicamentum referri debet. Itaque in omni morbo Medicus virtutes, ac actiones primum omnium conſiderabit: eæ namque ad curandum ſufficient. Atque idem ſpecialiter in ulceribus præſtabit quoque: etenim quod antiquitus ipſorum alia frigida, humida, calida, ſicca, &c. judicata, ac per contrarias qualitates curata ſunt, quàm ſit inconcinnum, curationis ipſius finis teſtatum facit. Quamobrem ſi ulcus calore exuperet, non ipſum ulcus, ſed Salem, qui urticæ inſtar urit, calidum dicemus, cujus actio ſi evicta ſit, jam ulcus curatum erit. Sic humiditas non per ſiccitatem tollitur, ſed coagulatione curatur. Sciendum ergo, Exiccationem à coagulatione non parum diverſam eſſe: nam illa ſaltem ad rivos, non ut hæc, ad fontes (liceat enim hoc exemplo uti) penetrat. Iterum, ſiccitatis curatio non in humectando, ſed in diſſolvendo nobis conſtituitur. In ſumma, omnis curatio virtuti ſeu facultati, non qualitati accepta ferenda eſt. Quo falſo dogmate, dum medicina imbuta eſt, plurimorum errorum occaſiones non deerunt. Quis autem tam ſtupidus fiet, qui non humiditati potius quàm frigori, vim extinguendi ignis tribuat? Simili ratione nec Incarnandi, Purgandi, &c. vim quiſque ad frig. cal. hum. ſicc. retulerit. Itaque omnibus modis Medicos admonitos velim, ne multum in qualitatum contrarietatibus inquirendis operæ ponant, vel maxime tamen in ulcerum curatione eam averſentur: etſi enim iſtis quandoque aliquid moveant, nil promovent tamen, verbi cauſa, Camphora in ulceribus, quibus phlegmone juncta eſt, calori averſatur quidem, verum non extinguit, quemadmodum Atramentum ſutorium, Myrrham, Thus, &c. id efficere videmus, quare omni ſtudio in id incumbendum erit, ut non qualitatum ſaltem reſpectu habito, medicamenta conficiamus: imò potius ut ubique univerſalia remedia adhibeantur, efficiamus, quæ & Salium acrimoniæ primum reſiſtere, tum incarnationem promovere nata ſunt, quibus procuratis, omne genus ſymptomatum ſine negotio, poſtea tollemus. Quæ dicta hactenus ſunt, de morbis, non ſymptomatis intelligi volumus: nil enim prohibet ad mitigandum calidum dolorem frigidis, ad frigidum calidis uti: ſic phlegmonas quæ vulneribus, fracturis, &c. ſuperveniunt, tantum abeſt, quòd curare prohibeamus, ut etiam refrigerantibus mitigari, non ſemel præcepimus hactenus. Diſtinguendum quamobrem inter morbum, & ſymptoma erit. Nam Morbi per ſe elementa ſunt, pugnant autem invicem ignis & aqua, aqua & aër, aër ac terra, &c. Itaque in morbis ipſa elementa, non qualitates invicem opponi debent, at in ſymptomatis quæ morborum (ut fumus ipſius ignis) excrementa ſunt, qualitates non omnino aſpernamur. Quemadmodum autem fumus ignem, ſic ſymptoma morbum oſtendit: atque ut nemo ignem reſtincturus de fumo ſollicitus eſt, ſic nemo de ſymptomate curando laborare debet.

Cap. 19. *Singularia quædam in ulcerum cognitione obſervanda.*

SImultates quæ mihi cum pſeudomedicis exercentur, cùm hinc ortæ ſint, quòd faſtu ac ſuperbia, quibus ſuam velabant inſcitiam, manifeſtatis, ipſorum reditus non parum imminuerim (cùm tamen ipſis præmia laborum non invideam, ſed id agam potius, ut virtutis, quàm inſcitiæ præmia malint.) Hoc præſenti libro veterum, de tribus ſententiam commemorare: ſequenti verò, ex Aſtronomiæ ac Philoſophiæ fontibus demonſtratam poſtliminio in ſcholas medicorum reducere propoſitum eſt. Itaque quod ſæpius antea, & jam quoque monendum putamus, ſine cognitione Philoſophiæ, (quæ Elementorum ac Elementatorum Majoris mundi contemplatio eſt) neminem in perfectum medicum evadere poſſe. Eam itaque primùm quis ſibi comparabit, poſt per Phyſicam (phyſiologia aliàs) humani corporis abſolutam cognitionem, quæ illi exteriori mundo, omni ex parte reſpondet, venabitur, verum quia & utriuſque cognationis ſcientia ad curandos morbos mirificè conducit, hanc quoque (quam Aſtronomiæ nomine nos afficimus) ad Medici perfectionem pertinere, affirmare non dubitamus: nam altera hominis pars terrea, ex terra per Phyſicam, altera cœleſtis ex cœlo per Aſtronomiam cognoſcenda eſt. Verum ut de Phyſica (quæ una ad Medicinæ cognitionem plurimum facit) dicamus, ea quadruplex eſt, juxta Elementorum numerum: una ejus ſpecies Hydromantia, id eſt, aquatilium corporum, Philoſophia eſt. Altera Pyromantia de igneis corporibus, Aſtronomia eſt. Tertia ſpecies, quæ de terræ naſcentium naturis ſolicita eſt, Geomantia dicitur. De quarta parte quæ Aërearum rerum contemplationem continet, nil admodum ab antiquis annotatum invenias, nihilo minus tamen cum reliquis addiſcenda. Hic autem non poſſum non animadvertere, in quorundam ſophiſtarum ridiculam phyſiologiam, qui Geomantiam in punctis, Hydromantiam in aquatilium ſortilegiis, Pyromantiam in igneis quibuſdam Auguriis conſtituerunt, hiſque nugis magnam Philoſophiæ molem conciliarunt, contempto plane *naturæ lumine*. Sed iſtis nugis Medicus nil moveatur moneo: hoc illi curæ potius ſit, quomodo Deo ſuam artem, omneſque actiones (quæ certe de hujuſmodi rebus frivolis eſſe non debent) comprobet. Cùm enim Deus nos ratione, atque intelligentia præditos voluerit, rerum optimarum (qualis humanæ naturæ eſt) cognitione nos exerceri vult, &c.

Cap. 20. *Adhortatio ad novam hanc Medicinam ulcerum capeſcendam.*

MEdicinam deſcripturo, quot, quantæque difficultates obſtent, vel unica iſta quam jam attulimus Philoſophiæ quadripartita diviſio manifeſtum facit: etenim nulla ejus pars hactenus (ne vel minima quidem) ſine erroribus tradita eſſe invenitur, cujus rei cauſam nos omnem ad *luminis naturæ* contemptum fecimus, quòd

niſi

niſi nobis ſcopum proponamus facillime in ſummos errores impingemus: illius ergo tenebras diſcutere, ſi Deus faveat, animus eſt. Scio tamen, quantam impatientiam quorundam ſubire cogar, in iſtarum quatuor partium declaratione, ſed nil iſtis permoveor. In hunc quaternionem medicæ perfectionis, Chemiam refero quoque multis de cauſis: ipſa namque eſt, quæ vera, ſimplicia, Magnalia, Arcana, Myſteria, Virtutes, Vires, imò omnia, quæ ad Remediorum ſcientiam pertinent, ſuppeditat, multò quàm vulgata Pharmacopœia perfectius. Sed apud omnes Alchimia male audit, objicis: bona verba quæſo: aliæ quoque artes, Aſtronomia ſc. Philoſophia &c. contemptæ ſunt, nihilo tamen ob id imperfectiores. Ad hæc de illa ſaltem Chemia, quæ in præparationibus Magnalium, extractionibus Myſteriorum & Arcanorum, tum in ſeparationibus puri ab impuro conſiſtit, ſermo hîc eſt, per quam Medicinam habere datur, omnibus modis abſolutam, puram puta perfectamque. Nam etſi Deus Opt. Max. omne genus medicamentorum de terra creavit: non tamen ſtatim ea perfecta voluit, ſed illi placuit, ut in illis perficiendis, & nos aliquam operam poneremus. Nam ut panem quotidianum, quem oramus ſubindę, largitur: non tamen ſine noſtris ſudoribus colenda terra eſt, ſerendum, metendum, molendum, pinſendum, &c. ſic medicamenta nobis præſtat, quæ nos ad perfectionem dein, ad quam prædeſtinata ſunt, deducere tamen vult. Perficiet itaque medicus remedia ſua, ope Alchimiæ non Pharmacopœiæ, quæ vile tantum ac inutile Medicinæ ſervitium eſt. Nec eſt ut mihi quis vitio vertat, quòd tam varias artes, facultates, ſcientias ad Medicinam refero. Si enim in medico univerſarum rerum ſcientia requiritur, certe Philoſophiam, Phyſicam, Chemiam, ut potiſſimas artes Medicum callere neceſſe erit: nam omnium hominum in rerum natura, naturæque Lumine, medicus perfectiſſimus exiſtit, tum conſilio, tum auxilio.

Peroratio.

QUæ hucuſque præſenti de ulceribus opere à nobis commemorata ſunt, prima hujus Medicinæ incunabula, tum theorica, tum practica, continent. In eo vero qui mox ſubſequitur tractatu, Cauſas atque originem omnium ulcerum copioſius deſcribemus, in quo ſi ab aliis diſſentire viſus fuero, ne mirere: nam ut maxime virulentis in me conviciis detonare ſoleant antagoniſtæ mei, manifeſtum tamen faciam, illorum iſtis de rebus ſcripta nil ſolidi continere, ſed mera figmenta, erronea dogmata, hominumque peſtes eſſe. Etenim cum Exitus acta probet (quod ajunt) haud difficile mihi erit, noſtra tum dogmata, tum remedia ipſorum nugis potiora eſſe demonſtrare. Quamobrem, humane lector, ne præcipiti judicio in cenſendis noſtris ſcriptis, ut ſis, oro, ſed opera quę de ſcriptis abunde teſtari poſſint, expecta ac inſpice. Cæteros qui vel rerum ignari, vel ex deſidia, vel avaritia artem conviciantur, nil moror: cum enim non in ea palæſtra, in quam nati ſunt, ſe exerceant, indignos judico qui reſponſum mereantur. Itaque Lector optime ſine bile ac ſtomacho iſta legas velim, amore potius erga ægros permotus iſta intelligere ac diſcere, in votis ſit tibi, quò ſi præditus ſis omni ſuperbiæ, odio, invidiæ, avaritiæ valedices.

Tractatus Secundus.

De Origine & Cauſis ulcerum.

Præfatio.

QUamvis multi multa hactenus de origine, materia, eſſentia, ac curatione ulcerum ſcriptis tradiderint: tamen cum duabus pręcipuis in rebus mihi non ſatisfaciant, noſtrum laborem inutilem fore non mihi perſuadeo. Alterum eſt, quòd iis fundamentis, quibus Medicina nititur, ut ſunt Philoſophia, Chemia, Aſtronomia, &c. deſtituti penitus penituſque fuerint, fidem dictis faciunt nugæ illorum, quas in chartas retulerunt. Alterum vero, cur in ulcerum medicina ſeveriorem cenſuram non ſuſtineant, eſt illud, quòd nulla plane rerum experientia præditi, magnos centones ex tonſorum, ac veterinariorum tantum placitis deblaterarunt, in quibus ſi forte quid inſit laude dignum, non ex ſeipſis, ſed ex aliis ſuffurati illud habent: fuit enim hoc ab aliquot ſeculis ſcriptoribus ſolenne, ut alienis plumis corniculas ſuas ornarent. Verum non tam hoc deteſtandum, quàm illud admirandum eſt, tanto tempore neminem extitiſſe, qui fucum ſubolfaceret: nam unanimi conſenſu ab omnibus in horum verba tanquam ad ſacra Evangelia juratum erat: interim non inficias eo, quædam ab ipſis (quorum tamen parum ſemper extitit) recte intellecta, bona fide propoſita fuiſſe. Omnium vero maximè medicinæ nocuit illud, quòd Imperatorum etiam edictis, ad horum Magiſtrorum placita, diſcipuli aſtringebantur, atque iſtis canonibus ea authoritas tribuebatur, ut quæ juxta eos adminiſtrata eſſent, etiam in ægrorum perniciem, rata rectaque haberentur. Verum ſic ego judico, quòd magis ex re Medicæ artis foret [ſiquidem Evangelia non ſunt, quæ de ea ſcripta inveniuntur) ſi in inquirenda veritate, cuilibet laborare licitum eſſet, atque novis ad vetera ſubinde adjectis artem locupletare. Etſi enim quod Chriſtus inquit: Diſcipulus non eſt ſupra magiſtrum, tamen cum unicus ſit Magiſter, pater ſcilicet qui in cœlis eſt, nec iſti Magiſtri nobis (quos ſuperare conari non liceat) habendi erunt: imò in Medicina ſic agendum, ut ipſemet Chriſtus præcepit, cum inquit: Exemplum dedi vobis, ut ſicut ego facio, ſic & vos faciatis. Si ergo Chriſtus nobis imitandus eſt, dicta cum factis jungenda erunt: nam & ipſe, & verba, & opera adhibuit ſimul. Itaque qui inani loquacitate ſophiſticis diſputationibus, nullo adhibito opere, tempus terunt, Chriſti imitatores non ſunt: hinc nec veri Medici habendi, ac plane relinquendi. Alia quinetiam Medici ac Theologi ratio eſt: nam qui divina loquitur, etſi divina non faciat, Theologus tamen habetur. At Medica qui dicit, niſi medica faciat, Medicus dicendus neutiquam erit. Ars ipſa perfecta eſt, nos ut perfecti ſimus, ut & pater noſter cœleſtis, ſtudeamus quòd ſi ob noſtram naturæ corruptionem, neque ab hominibus, neque ex Lumine Naturę conſequi eam poſſumus, ab eo diſcamus, qui dixit, Diſcite à me omnes, quia mitis ſum, & humilis corde. Hæc hactenus.

Cap. I. *Duplex Addiſcendæ Medicinæ Methodus: hinc duorum generum Medici exiſtunt.*

DUplex via ſeu Methodus addiſcendarum omnium artium eſt: altera quæ ad certitudinem, altera quæ in errores deducit. Errorum cauſę mens ac ratio aberrantes exiſtunt: aberrant autem, ſi nimium ſibi tribuant. Certitudinis cauſę ſunt, ea quę experimentorum nomine veniunt, quæque naturæ conſona habentur, taleſque actiones producunt. Hinc alii Medici autodidacti ſunt, alii à natura edocti. Atque his duobus modis omnia quæ in Philoſophia, Medicina, Aſtronomia &c. ſcripta ſunt, tractantur. Utriuſque methodi originem ac cauſas oſtendimus, quò manifeſtum faceremus, Medicinam, quę & ipſa Methodo tradenda eſt, non phantaſmatis ac ſpeculationibus, ſed per experientiam docendam diſcendamque eſſe: non enim decet, ut homo qui ad Dei imaginem factus eſt, Medicinam quæ & ipſa divinum opus exiſtit, pro libito ac rationis ſuæ judicio torqueat. Expellendi itaque ex medicorum ſcholis erunt, qui animi tantum gratia de Medicina diſputare, ac pro & contra arguere ſolent: cætera nil opus eſt, eos refellere, cùm ſuammet inſcitiam celare non poſſint. Sunt præterea quemadmodum Methodi, duo diſcipulorum genera: alii enim phantaſmatis ſe dedunt, alii Empyriam ſectantur, quæ ſanè unica veritati perpetuo juncta eſt, quòd vero ratiocinatio col-

ligit,

ligit, non raro vacillat. Senſibilibus namque objectis ſolis natura cognoſci vult ac poteſt, nil ratione indigens. Exempli cauſa: in montis viſceribus quid contineatur, neutiquam ratiocinatione, ſed ſenſibus cognoſcimus, qui manifeſtè ab objectis moventur, rerumque naturas nobis patefaciunt. Sic in religionis quoque negotio beatitatis, ſeu vitæ ſempiternæ negotium aures à Chriſto hauriunt, nec opus eſt noſtra ut ratio plura confingat. Similiter in cœleſtium motuum doctrina, ſane nil niſi quod experientia manifeſto ſenſu prodidit (rejectis ratiocinationibus) dominatur. Itaque quidquid homo dicere, vel ſcribere vult, ut alios doceat, illud non niſi mediante experientia facere debet, quod ut in aliis omnibus, ſic maxime in iis, quæ vitam ac ſanitatem concernunt, obſervandum erit. Conſtat itaque naturam non rationem nos artes docere. Exemplo rem manifeſtiorem reddamus. Scripſit Ariſtoteles de cœleſtibus impreſſionibus librum, quem de Meteoris inſcripſit, in quo à capite ad calcem uſque nil niſi mera mendacia, anilibus ratiocinatiunculis confirmata, prodita invenias: quorum Mendaciorum cultores habuit, Petru Tartareum, &c. & ſexcentos alios hujus farinæ philoſophaſtros, ne dicam fatuos. At certè ſi ex naturæ penetralibus Meteororum cauſæ, ut ſunt pluviarum, nivis, tonitrui, &c. eruantur, multò aliæ eæ apparebunt, quàm ab Ariſtotele proditæ ſint. Hujus generis phantaſmata Aſtronomicam quoque ſcientiam invaſerunt, ejuſdem cum Ariſtotelicis Meteoris valoris, ut ſunt quæ de Auguriis, Geomanticis, aliiſque id genus ſortilegiis prodita habentur. Sic de Metallorum generatione Albertus: ſic de morborum cauſis Avicenna diſputarunt, ratiocinationibus nimirum, cum experiẽtia ex diametro pugnantibus uſi. Quamobrem cum Medici ſubjectũ ſit corpus humanum, animæ ſc. domicilium, conſideranda illi erit ejus nobilitas: nam cùm ipſum Deus crearit, Medicoque ſubjecerit (ut & ſanitatem ſc. & morbos in eo cõſervet, vel depellat) nihil opus eſt, novis excogitatis phãtaſmatis ac ratiocinationibus id perficere, ſiquidẽ ars Medica non in contẽplatione, ſed in actione potius conſtituta eſt. Ideoque non tam rationibus, quam experientia firmanda. Cùm enim medicina inſtar omnium activarum artium, per experientiam nata ſit, Experientia duce perfecta opera in ea efficere, & quæ de ejus veritate teſtentur, conveniet. Eſt itaque primus jam Medicinæ Magiſter, corpus ac materia naturæ, ex quibus non ex temetipſo diſcendam, ſi diſcere animus ſit. Sic etiam in rebus metallicis, per experientiam admirandæ artes innotuerunt, quas nemo unquam ratione conſecutus eſſet: hinc ex ipſis metallis, plurimæ artes extiterunt. Itaque cùm Medicina in natura conſiſtat, ſic ut natura ipſa ſit Medicina, ſane illa ipſa nullibi, quam in natura diſci ac inquiri debet: nam quemadmodum ex luto & igne figulorum ars: ex ferro & igne fabrilis (per malleum) extitit: ut inquam ex igne, ac cineribus vitriarorum artificium, ex lana & fuſo textrina, ex argento & igne aurifabrorum ars nata eſt: ſic per experientiam natura Medicinam, omneſque artes abſque ratiocinationum adminiculo produxit. Hæc Sophiſtæ, qui repudiata experientia, ſuis rationibus quodvis confingunt, accuratius conſiderent velim, ut tandem Lumini naturæ tenebras offundere deſinant. Meminerintque Medicum à natura per ignem generari: nam ignis & in igne labor, naturam manifeſtã faciunt: itaque ut Fuſores ex ęre aurum & Argentum, ſic & Medici mediante igne ex corporibus Arcana, Myſteria, Magnalia, eſſentias, &c. producere debent, per ſeparationem aliaque vulcania opera. Quin & Microcoſmus ad medici generationem plurimum quoque confert: nam per ignem reſolutio, ex quibus ille (tribus primis videlicet) compoſitus ſit, manifeſtum facit. Ex igne ergo Medicus quid homo, quid medicamentum ſit diſcit, & extra ignis diſciplinam nulla alia ſchola eſt, per quam Medicinam addiſcere liceat. Quare non immerito forſan ad operis noſtri limen, duplicem diſcendæ medicinæ methodum explicemus: contemplandi enim ac cogitandi anſam, de repurganda ab erroribus medicina, Medicis nos dediſſe perſuaſum habemus.

Cap. 2. *De omnium morborum generalibus cauſis.*

IN morborum, ulcerum vero pręcipue cauſis indagandis, multi variis rationibus laborarunt, multorũque erroneorum dogmatum ſemina ſparſerunt, cùm tamẽ unica omnium ſit cauſa Corruptio, quam Deus Opt. Max. omnibus Elementaribus, ac ſublunaribus corporibus ſic implantavit, ut omnia corrumpi, interire, morte diſſolvi, experientia doceat. Huic corruptioni cùm homo aſſidue ſubjectus ſit, ſemper occurrere debemus: quod ſi ea ingruat, Morbus jam à Medicis appellatur. Itaque corruptio iſta, quæ inevitabilis contrarietatem conſequitur, omnium morborum mater dicenda erit. Ea autem quibus modis fiat, Anatomia plurimarum partium, ex quibus homini compages conſtat, edocet: partes illæ, quia temperaturas contrarias invicem obtineant, non poſſunt non corruptionis ſeminaria fovere: nã omnes unica cutis membrana concluſę, certam, tum qualitatem, tum quantitatem obtinent. quidẽ; ſed cõplexione, eſſentia, actionibus, mirum quam invicẽ pugnent. Aliud Epatis, aliud Pulmonũ, aliud ventriculi, aliud veſicę munus eſt, aliaque ſubſtantię, alia humoris, alia partis ratio eſt, alio loco hoc, alio illud continetur ac ſubſiſtit: hæc tanta diverſitas, quomodo non corruptionem aliquando moliatur? Cęterum non iſta ſolum, ſed & hęreditaria à parentibus ſeminaria per generationem communicata, ac ſubinde in natos propagata, Morborum manifeſtas occaſiones præbent: nam ſemper nati parentibus, quod ſanitatem attinet, deteriore fuerunt conditione. Sic Abelus & Cain, minus quam Adamus & Eva, illi filiis magis, hi nepotibus plus valuerunt. Adeo ut niſi Deus avertat, conjiciam fore, ut aliquando futuri ſint morbi (ex iſta hæreditaria veneni communicatione) plane incurabiles, ſuſpicionem Peſtilentia auget: hanc enim jam crebrius fieri, pluresque quàm olim corripere apparet, ſic ut jam quinto ferè anno recurrat, cùm olim vix quinquageſimo repetere viſa ſit: tum mille jam eo corripi videas, quorum vix 110. antiquitus correpti fuiſſent. Accedunt ad hæc tot morbi Epedemii, tantaque ulcerum frequentia.

Quamobrem cùm ea ſit humani corporis conditio, ut tum generationis, tum creationis ratione perpetuo ad corruptionem declinet, adeo ut ſi omnes actiones optime quis perficiat, ſibiq; probè valere videatur, corrumpi tamen pergat, neceſſario tamen in morbũ aliquando incidit, hinc non inconcinne *oportet*, omnium morborum cauſam, dixerit quiſpiam: nam tam ea quę intrinſecus inſunt, quàm ea quę extra ipſum corpus circumſtant, ſic in corruptionẽ conſpirant omnia, ut unica Medicina excepta illis reſiſtẽdi omnis ſpes adempta ſit. Itaq; Medici officium erit, corruptionis modum, & differentias, & ad curandum, & ad pręcavendum neceſſarias memoria tenere: diſcet autem eas quemadmodum faber ignẽ ac ferrum per ignẽ addiſcit, hoc eſt, per ſenſum & experientiã, ſine rationi ficta & fucata Phyſicæ jactatione. Ex quo ſequitur, cùm nimirùm corruptio, tam ſenſu percipi poſſit, quàm ignis calor tactu percipitur, ulterius naturam Microcoſmi inquirendam eſſe, ut quomodo morborum cauſas effectuſve in ſe contineat, ſciamus: nam cum contra illas medicamenta pugnent, neceſſariò cognoſcendæ erunt. Sic ubi morbi ab Aſtris facti ſunt, ex aſtris eorum cognitionem venabimur, ex eo nimirum corpore in quo inſunt: eſt enim hoc in omnium rerum ſcientia cõparanda univerſale, ut illinc ubi res ineſt, petatur: ſic Piſcationem aqua docet, cœlum cœleſtia, terram terreſtria, morbum morboſa, juſtitiam

ſtitiam juſta, ignem ignea oſtendunt, quidquid verò aliter, vel docetur, vel diſcitur, ſtultum eſt, ac repudiandũ: nam nemo qui ex Diabolo eſt, de Deo loquitur, nec infernales de vita beata diſſerunt, ſed ex eo omni in quo eſt, addiſcitur. Patet ergo duo eſſe, ex quibus generetur medicus: Morbum & Medicamenta: Morbum per morbum cognoſcit, Medicamenta verò per Medicamenta: hoc eſt, unumquodque ex eo quod eſt. Cognoſcit autem Anatomiæ ope: hęc enim apertum illi hominem, Corpus phyſicum ſcilicet omnibus ſuis partibus abſolutum proponit, quod corpus Phyſicum ſi cognoſcat, tam verè Medico-philoſophus erit. Atque tũ ubi philoſophus deſinit, ibi incipit Medicus, hoc eſt, ubi morbum cognoſcit, philoſophus adhuc eſt: at ſi morbum curet, jam verè Medicus practicus appellabitur. Hi ergo duo modi ſunt comparandæ Medicinæ, ad quorum priorem Anatomia mundi, ac Aſtronomia: ad alterum, Alchymia & virtutum naturalium cognitio referendi ſunt. Nam quòd alii de rebus medicis ſcripſerunt, cùm in Theoria ſolos humores, in Praxi ſolam Macrum cum Lumine Apothecariorum ſciant ac proponant, nec fidem nec laudem ullam merentur.

Cap. 3. *De Cauſis Naturalibus Corporis Ægri.*

UT autem aliquando naturam corporis ac materiæ, ex qua ulcera oriuntur, quantum ejus in Phyſico corpore natura, ac experientia nos docuerunt, aperiamus. Sciendum hominis corpus ejuſque ſingulas partes, ex tribus corporibus, Liquore, Sulphure & Sale cõponi. Ex quibus Sulphur ſiccarum rerum, Liquor humidarum eſt, & utrorumque coagulatio per Salem facta, Phyſicum corpus continet. Atque hæc cujuſvis corporis, tam animati quàm inanimati compoſitio eſt: humidum ſcilicet Liquor eſt, quod ardet Sulphur, quod verò poſt uſtionem remanet Sal, omnia juſto pondere, quovis in corpore creata à Deo, quæquè Vulcani beneficio, qui quidquid in Phyſico corpore eſt, eruit, ad oculum demonſtrari poſſunt, ſive ex igne, ſive aqua, ſeu aëre, vel terra ſit: nam in univerſum omnium corporum tria iſta prima materia, ultima materia, initium, medium, finiſque ſunt. Hæc etſi philoſophica magis quàm medica ſunt, tamen quia omnium ulcerum cauſam Salem conſtituimus, de eo brevibus diſſerere oportuit. Cùm autem omne corpus, ſive vivum ſit, ſive mortuum, ut à putrefactione tutum ſit, cauſam requirat, Balſamus quidam omnibus rebus perfuſus à Deo creatus eſt, qui ſi non eſſet, ſtatim putrefactio ſubſequeretur. Sic in cadaveribus quæ Balſamo peruncta ſunt, putrediné arceri videmus: ſicque in Phyſico corpore naturalem quendam ac congenitum Balſamum eſſe auguramur, qui ſi homini non ineſſet, vivens integerq; à putrefactione tutus non foret. Balſamum hunc nemo niſi mors aufert: differunt autem inter ſe Balſamus iſte, ab illo verè vocato Balſamo, quòd alter vivorum, alter mortuorum conſervationi inſerviat. Quò autem rectius Balſami hujus naturam ſciamus, intelligendum eſt, Salem de quo diximus, vitę necisque Balſamum eſſe, cujus dein variæ ſpecies juxta corporum diverſitatem exiſtunt. Itaque quemadmodum carnes Sale conditæ à corruptione immunes eſſe videmus, à Balſami virtute, qui in Salis naturam abire ſolet: ſic intrinſecus in nobis Sal guſtu percipitur: cujus beneficio à putredine conſervamur. Hęc de Sale ulcerum cauſa dixiſſe ſufficiat, quæ Corollarii vice in unam ſummam colligemus. Tria corpus noſtrum conſtituunt: Sal, Sulphur, & Liquor, quorum hæc ad ulcerum generationem nil præſtant. Sal vero Balſamus corporis Phyſici, ulcerum cauſa hoc loco conſtituitur. Eſt tamen & hoc notandum, Salem coagulare, duritiemque conciliare omnibus corporibus, metallis ſcilicet, lapidibus, lignis, homini, omnibus nimirum juxta coagulationis menſuram. Verùm cùm nil tam præſtans in rerum natura inveniatur, quod labe ac vitio careat. Huic quoque Balſamo duo inhęrent non vulgaria mala: unum quòd ipſe interitui, ac corruptioni æquè ac alia ſublunaria (quorum nullum ſuæ corruptionis terminum tranſgredi poteſt) ſubjectus ſit. Itaque ſi corruptio illi Balſamo accidat, jam cauſam ulceribus præbet: namq; ut primum ille alterationem ſenſerit, illius membri ſeu corporis putredo ſequitur: mẽbri dico: nam Balſami variæ ſpecies ſunt, quemadmodum & partes variæ, hinc Epar, hinc pulmones ſine aliarum partium detrimento putreſcere quandoque videmus. Alterum Balſami vitium eſt, quod ipſe Sal eſt, Sal inquam diverſus, nunc dulcis Sacchari vel mellis inſtar, nunc acer & acetoſus, in ſumma, tam multiplex quam ſunt ſapores varii, quæ temperamentorum diverſitas in cauſa eſt, ut Balſamus iſte Corrodendi nonnunquam facultatem adipiſcatur, quam dein calor, febris, phlegmone, &c. conſequuntur, pro natura ſcilicet ſalis peccantis. Hęc generalis theoria eſt cauſę ac peccantis materię in ulceribus, ex qua particularia multa, eaque utilia documenta haurire licet, verbi cauſa: ulcerum diverſitas, in forma, figura & imaginibus magnam Salium differentiam innuit, eamque in Phyſico corpore, accuratè à Medicis diſcendam & inquirendam monet, ut ex formę habitu de materia peccante pronuntiare poſſint. Sed de iſtis in ſingulorum generationis modo, ſpecialiter & accuratius diſſeremus poſtea. Hîc notabis, uti aquarum variæ ſpecies ſunt, omnes tamen aquę generaliter dicuntur, ſic hominum varia genera inveniuntur, quæ tamen omnia hominum nomen merentur, ita ulcerum varia genera exiſtere, quæ ex naturæ diverſitate formam, ex Phyſionomiæ differentia alios mores habent: nam alia figura aliam ſignificationem, alia forma aliam eſſentiam, alia imago aliam proprietatem oſtendit.

His quæ de Salibus dicta ſunt, non ſine uſu excrementorum rationem ſubjunxero fortaſſe. Itaque ſciendum, Liquorẽ ſua excrementa per Poros, Sulphur per inteſtina, Salem per urinam deponere. Urina itaque ſi in terra nitreſcat, Salem nitri efficit percocta: hoc quidem in animatis Salis excrementum eſt, in animatis vero Salis excrementum dicitur Alkali: extrahitur autem Alkali hoc ex eo quod poſt Salis, Sulphuris, Mercurii ſeparationem reſiduum manſit corpore. Hæc ad oſtendendam Salis & Balſami naturam in medium adduximus, quæ multis aliis adhuc rationibus confirmare non difficile fuerir. Nam cùm in nutrimento & nutrito ſimilitudo quędam inſit, omnia autem nutrimenta ex Sale, Liquore, pinguedine ſeu ſulphure conſtent, manifeſtum eſt, illud quod nutritur ex ſimilibus compoſitum eſſe. Simile enim ſimili nutritur, itaque Sulphur Sulphure, Sal Sale, Liquor Liquore nutriri dicimus: fit autem nutritio, cùm ingeſto in ventriculum alimento, Archeus vi Vulcani coctam materiam digerit, & ad ſua loca tranſmittit.

Cap. 4. *Remedia Quomodo à Formæ & imaginum ſimilitudine oſtendantur.*

ULcerum generationis modum, etſi aliqua ex parte in Phyſico corpore oſtendat philoſophia, ſciendum tamen alios adhuc duos modos, quibus ulcera fiunt ſupereſſe: Impreſſionis ſc. & Fontis, quos ſic intelliges. Homo variis externis injuriis expoſitus eſt corporalib. Spiritualibus, Elementis, Firmamentis, viſibilibus & inviſibilibus, ex quibus facile corrodens influentia ſequi poteſt, à Firmamento & ſyderibus exagitata. Etenim ſi Solis calorem in tantum augeri quandoque vidimus, ut nemora & ſegetes adureret, & in flammam converteret: ſi conſpicillis cutis cauteriſari, ac puſtulæ

ſtulæ excitari poſſunt: certe & ab aſtris hominum corpora ſic affici per influxum cogitandum eſt, quaſi actuali cauterio cutis uſta eſſet. Et ſane hujuſmodi impreſſiones conſideratione dignæ ſunt: nam quemadmodum fulmen turrim, vel arborem, vel (quod non raro accidit) hominem tangit, ſic & hujuſmodi impreſſiones fieri ſolent, quæ ob id Metaphoricè fulmina, ac fulgura dici poterunt.

Fontis ulcera, quæ vocavimus, ut fiant, exemplo & analogia declarabimus. Fontes ex petris quemadmodum erumpere videmus, ſic in humano corpore fluxionem oriri poſſe, quæ aliquem in locum decumbens, tandem erumpat, cujus fons & origo nemini nota ſit, atque hinc ſeminaria, ac radices mali eruere impoſſibile habeatur, credibile utique eſt. Atque ut verorum fontium alii calidi ſunt, alii frigidi, alii Sulphurei, alii Aluminoſi, &c. ſic & in humano corpore factas fluxiones analogia quadam partiri licebit. Sunt autem & præter jam dictas, ac ſuperius commemoratas, ulcerum cauſæ aliæ, quæ in corruptione Salis ac Balſami radices habent, adeo ut ex ſeipſis malitię ſuam causam habeant, hujus generis tres ſunt: Peſtis, Bubo, & Pleuritis.

Alia inſuper ulcera ſunt, quæ Balſamo vim faciunt, cujuſmodi ea, quæ à beſtiarum morſibus, vulneribus, & Eryſipelate fiunt. Supereſt & ſextum genus, quod ex raucedine ortum habet. Ultimo denique loco ulcerum duo adhuc habentur genera, Gangræna ſcilicet, & Elephantiaſis. Atque hæ in univerſum ſunt ulcerum differentiæ, quæ extrinſecus apparent. Sunt qui & viſcerum ulcera his annumerare velint, Hepatis puta, Pulmonum, Renum, Veſicæ, Oeſophagi, &c. verum iſtis, quia accuratior eaq; medica magis curatio competit, nil admodum immorabimur, cùm hîc exteriora tantum, & quæ Chyrurgi opera curentur, tractemus, verum ne nihil de iis dixiſſe videamur, unico ſaltem capite ea edifferemus.

Notandum inſuper, ad ulcera cognoſcenda maximopere conferre ipſius affectus, operationem, formam, figuram & imaginem accuratè contemplari: nam nihil in rerum natura ſine forma generatum, perfectumque eſt, nihil eſt, quod operatione careat: itaque per formam ac operationem cujuſvis corporis, ſuam eſſentiam expiſcamur, ſic omnia, quæ terra marique generantur, ſuas eſſentias per formam ac operationem produnt. De operatione exemplum tale eſto. Salia corporis Phyſici exterioris unam eandemque cum ſalibus Microcoſmi (ſi ea ad ulcerum generationem pergant) operationem habent, atque ob id ſimilitudo operationum, inviſibilem ex viſibili indicat, hoc eſt, exterior figura, interiorem quãdam præfigurat, ut ſalia exteriora, internorum indicationem habent. Atque ſic quęvis exterior figura imaginationem, id eſt, ęqualem formationem de interiore quadam oſtendit. Per haſce ergo operationes, earumque ſigna cujuſvis ulceris differentiæ manifeſtę, fiunt, ut ſcilicet ex quo genere ſalium, vitriolato ſcilicet Aluminoſo, &c. ulcus ipſum ſit, cognoſcamus, ad quam cognitionem mirificè quoq; conducit formarum contemplatio: nam qualis forma ſalium exteriorum à coagulatione fit, talis quoq; in homine efficitur, ſed tamen in forma reſoluta: eſt enim formę ad formam ſua ſimilitudo, ac coagulata forma ſignificatur à forma reſoluta, itaq; cujus generis fuerit forma exterior coagulata, ejus generis cenſebitur forma interior reſoluta: conjunges ergo formarum ſyzigias cum operationum ſimilitudinibus. Hæ namque concordantiæ expeditam atq; ab erroribus tutam habent dignotionem, nec ulla phantaſtica indigent ratiocinatione: ſunt enim hæc (formam & operationem puta) ex lumine naturæ deſumpta: imò ipsum lumen naturæ ſunt, juxta quod jam tandem morbis nomina impones, nimirum qualem formam ac operationem invenies in phyſico corpore, tale nomen tibi confinges, atque ſic ab omnibus erroribus te liberum conſtitues.

Obſervandum autem & hoc ſedulo eſt, nihil plane naturam produxiſſe, cui non ſuæ effectionis ſignum impreſſerit; pro exemplo hominem ſumamus, huic nulla ineſt facultas animalis, naturalis vel vitalis, quæ non exteriore aliquo vel geſtu vel habitu, vel mẽbro, lingua ſcilicet, oculis, auribus &c. conſignata ſit: ſed iſta jam relinquo, ut de quibus in libro de Proportionibus Phyſiognomiæ diſſeruerim, tum quòd hunc ad locum non õnia pertineant. Quæ diximus, etſi in homine appareant manifeſtiſſime (eſt enim homo pluribus affectibus refertus) non deſunt tamen in aliis quoque corporibus. Sic plantago, quæ nervis referta eſt, ſuam virtutem oſtendit. Sic Savinæ forma uſum ipſius prodit. Atque etiamſi in homine viſus manifeſtiſſime de appetitu, aures de animi voluptate, Lingua de cordis agitatione ac affectu teſtentur: tamen hęc omnia, & in floribus, & iis, quę linguarum loco ſunt, inveniuntur. Quamobrẽ qui in Medicina experientiæ titulum ambiunt, ii ſtudeant hanc artem, qua natura in exterioribus interna deſignat, addiſcere: hęc enim ſunt Medicæ artis Scholaſticalia, quibus ſi quis principio deſtituatur, verum ac optatum artis finem nunquam conſequi poterit.

Cap. 5. *De Morbis, qui ex temporum alterationibus fiunt.*

Antequam particulares ulcerum deſcriptiones aggrediamur, pauca quædam ad rem facientia pręmittere viſum eſt. Itaque notandum, naturam in omnibus metallis producendis, antequam ea perficiat, alteratione temporis florida reddere, ſicuti arbores antequam fructus producant, florere videmus, hoc & omnibus mineralibus commune eſt, & à Salis generatione non alienum: nam & ipſe dum generatur, ante perfectionem floret, quod illius tempus ſtudioſe medicis eſt obſervandum. Quod de exteriore mundo dictum eſt, in homine ſimiliter ſe habet: cùm ergo talis in homine minera contineatur, ea ſi floreat (quod tempeſtatem hîc appellat) certe agitata, ad corruptionem inclinat, quod tamen in exterioribus non accidit: nam ea ſi floreant, fertilitatem potius quàm corruptionem portendunt: nam ea hominis cum majore mundo cognatio non ſẽper materiata eſt, ſed ferè ſpiritualis, qui ſpiritus, etſi corpus contineat, differt ab illo tamen, ut caro à ferro, quorum utrumque corpus quidem eſt, diverſa tamen exiſtunt. Ex quo ſequitur, ſi hominis minera effloreſcat, corpus concuti (concuſſio illa accidit tum propter ſenſum, tum ea ratione, quòd in tam minuto corpore, univerſę majoris mundi proprietates concluſæ ſunt,) itaq; ſi homo tum obſtructionibus laboret, rigores ac horrores fiunt. Ubi itaque talis tempeſtas ingruit, frigus ſentitur (nam omnia tempeſtas cum frigore incipit) quod totum corpus pervadit, ſimiliter ut Boreas aërem refrigerat: hinc itaque horrores oriuntur, qui eouſque durant, donec hujus venti omnis eſſentia abſumpta ſit, qua abſumpta, tandem ex ea, quæ in rigore facta eſt, agitatione, calor corpus apprehendit, iſque etiam totum corpus pervadens, non prius remittit, donec omnis materia abſumpta ſit. Quòd ſi ſupra modum corpus incaleſcat, fumi ad caput feruntur, atque quandoque rationem oblædunt, quandoque ſoporem faciunt, maximè ubi illa tempeſtas ſtupefaciente natura participet. Ut autem tandem quomodo ulcera fiant oſtendam, obſervandum eſt, ubi ventus ille vehementiſſime materiam exagitarit, in eum eam locum decumbere, unde locus ſtatim in tumorem attollitur, phlegmone accedit, rubedo accreſcit: quòd ſi tantum virium modum habeat, ut erumpere poſſit, locum relinquit, ac turgens huc illucque fertur, rubicundo colore ſe prodens, quare ſi tempeſtas illa adhuc debilis ſit, ſolutu facilis eſt: ſin jam radices egerit, aliquo loco fixa hæreat, negotium medico faceſſere ſolet, atque fere ſub hypochondriis

firmari ſolet, & illic partem aliquam rodere ac exulcerare. Tempeſtates hæ ferè in ſanguine conſiſtunt ac fiunt primum, ſed paulatim etiam in ſolidiores partes agere incipit, ibique venas nervosque erodens, tumorem facit, ac ulcus, ſæpe cum vento totum corpus pervadens. Ejus varia nomina apud Germanos ſunt, Latini Eryſipelara appellare ſolent.

Cap. 6. *De Signis ac Generatione Fiſtularum.*

EST ulcerum quoddam genus, quod ex Sale Petræ oritur, is Sal clemens eſt, nec uſque adeo acris ac erodens: naſcitur autem in hunc fere modum. Terra Salis Balſamum in ſe continet, quæ ſi purum ab impuro ſeparet, & excrementa deponat, contingit ea quandoque foras erumpere, atq; tum ab aëre & ſole exiccantur, & in nihilum abeunt: ſin in terræ meatus ac remas detrudantur, quà nec aër, nec calor, nec ſolis radii penetrant, tum formam quandam turbinatam, & oblongam deorſum propendenrem nanciſcuntur, indurantur, ac in Salem Petræ mutantur. Itaque Sal Petræ terræ excrementum eſt, ex Sale & Balſamo natum. Simili ratione in homine Sal (qui Balſamus eſt) exiſtit, qui corpus conſervat, cùm excrementa ſua per poros deponere diximus: quòd ſi pori illi obſtructi ſint, vel natura non excernat, corruptio quædam ſubſequitur: nam illa excrementa intrinſecus in lacertorum cavitates decumbunt, ac cum iis in locis propter calorem coagulari in turbinem non poſſint, reſolvuntur, & intrà exteriora verſus rodunt, ac depaſcuntur circumjectas Partes, donec ad cutem pervenerint, ibi demum ulcuſculum, vel puſtulam faciunt, quod ſenſus judicio levem curationem requirit: ubi curationem aggreſſus fueris, tùm demum morbus ſe prodit, intus baſim extra conum oſtendens, non aliter quàm de Sale Petræ diximus: niſi quòd Sal Petræ corpus eſt, hoc cavitas. Verum loca,in quibus generari poſſunt,multa ſunt, verbi gratia, juncturæ omnes, contiguæ diverſæ partes, (id eſt, ubi ligamenta, nervi, tendones, &c. carnem contingunt) nares, oculi, aures, coſtæ, malleoli, in ſumma, nullibi ferè non generatur. Ubi ergo jam aliquo in loco ulcus factum eſt, ſubinde excremenra eo deponuntur, non ſolùm naturalia, ſed & quæ ex inconcinna diæta auctiora fiunt, perperuoque madet locus, ac ferè ubi jam confirmatum malum eſt, nullo dolore amplius moleſtat. Hoc mali genus à Fiſtulæ ſimilitudine Germani cum Latinis Fiſtulam appellant.

Cap. 7. De *Ulceribus, quæ ex Sale nitri corporis fiunt.*

SUperioribus capitibus monuimus, Salem ſua excrementa per urinas deponere (eum Salem nimirum, qui principium partium conſervationi ſubſeruit) Excrementum hoc, urina ſcilicet, ubi in terra copioſum collectum fuerit, in pultem abit, qui Nitrum Latinis appellatur, quod ſi coquatur, Salem quendam ex ſe fundit, quem Salem nitri dicunt, ejus prima origo ex Balſamo animati corporis eſt: iis enim Balſamus, cū ſubinde ſe expurget per urinam, cauſa eſt illius Salis, qui acrimoniam Balſami obtinet. Quamobrem ſciendum, cùm neceſſario corruptio nobis incumbat, & hujus excrementi non debitam evacuationem deſtructionis cauſam fieri: nam niſi per urinam dejiciatur, in carnoſas partes decumbit, illicque paulatim alienam naturam contrahit (quēadmodum de Nitro oſtendimus) donec tandem ad effectum ſuum perveniat, quem antequam contingat, Scyrrhoſos multos tumores excitat, qui paulatim magis magiſq; indurantur, ac attolluntur, non aliter quàm in nirri præparatione conos fieri, & magdaleones apparet. Itaque ubi jam aliquandiu hic detenta iſta excrementa fuerint, & ſua ipſorum acrimonia, tùm inſiti caloris acceſſione rodere incipiunt, donec tumores illi ſinguli in ſingula cava ulcera abeant, quæ omnia coacervata videntur, quemadmodum & Sal nitri gleba plura tubera oſtendit. Familiare iſtis ulceribus eſt, ut nunc humida, nūc ſicca ſint, pro ſymptomatum nimirum varietate: hoc tamen à prioribus differunt, quòd hæc non ut illa perperuo madeant, ſed ferè ubi humectata fuerint, ad exiccationem ſe iterum accingunt. Hoc mali genus Scrophulas Latini nuncupant, ſed rectius quis forſan Nitri ulcera ea quis vocaverit, à materia ſcilicet, quæ illa facit.

Cap. 8. De *ulceribus, quæ dolore nullo moleſta ſunt.*

QUamvis acris & calida Salium natūra eſt, tamen quandoque calor ipſorum ſuperatur: nam cum ad ſummum ſuæ malignitatis pervenerint, nec ultra progredi poſſint, ipſamet emoriuntur, maximè ubi ea ad Salis Gemmæ naturam acceſſerint: horum namque ea eſt proprietas, ut vires ſuas non exerant, niſi ubi jam interficere volunt: itaque eorum actio non vitalis, ſed lethalis eſt, & quod dolore perficere debebat, hoc inſenſibilitate efficit. Hujus rei ea cauſa eſt, quòd Salis ſpiritus, ut animalia noxia, ſemper negotium differunt, quò tandem ſubito ingruentes, ægrum opprimere poſſint. Sed cùm ex improviſo mors accidat, nec ipſi, quod propoſitum erat, efficere poſſunt. Sciendum quapropter eſt, ulcera hęc ex morte ejuſque operatione (quæ putrefactio eſt) originem ducere: non quòd totus homo moriatur, ſed unum ſolummodo membrum emoritur, quemadmodum manus abſciſſa ſine totius corporis interitu, emori videtur. Quapropter obſervandum medico erit, ut omnium rerum, quæ in homine ſunt, ſcientiam habeat, ut ſi contingat aliquod membrum ad interitum ſuum inclinare, nec per vitales actiones, ſed per lethales, corrūpi, ſciat in hujuſmodi caſibus nil contra vitales actiones attentandū, ſi vitales ſint, nec contra lethales, ſi lethales ſint: in hoc enim ulcerum curationes differunt maximè. Sed hujuſmodi ulcerum cauſas manifeſtius declaremus. Coquitur in nobis ſuopte matre quidam ſal, quem gemmæ ſalem vocant, qui purgandi tum ſui ipſius, tum aliorum humorum facultate pollet: in quam actionem dum non ſatis inrendit, ab aliis evincitur, quæ victoria ipſius interitus ac mortis cauſa evadit, qua occaſione ex Sale gemmæ fit Alumen ſciſſum, quod ſi emoriatur, Entali appellari ſolet. Veruntamen etiamſi operatio ipſa emortua ſit, non tamen ab operationibus ſtatim quieſcit omnino: nam mortua æquè ac viva, quadam actione participant: nam donec aliquid plane nihilum abierit, ipſum nunquam à generando quieſcet. Etenim mors nil niſi primum vitæ ſpiritum aufert, manente interim ſecundario ſpiritu, qui pro ſua natura agere non deſiſtit.

Itaque in humano corpore ad hujuſmodi generatiónes ulceratio ſequitur, quæ ſenſu omni vacat: nam ferè illic colligitur, ubi tangendi vi minimum homo pollet, verbi cauſa: ſub genu, & intra cubitum: quia autem Sal gemę naturam Grandulatíonis obtinet, pluribuſque lapillis, & angulis ſcatet, idem ergo & in hac reſolutione fieri videmus, ut nimirum ad exemplum grandulationibus ſparſim per totum membrum ulcera parva fiant. Quapropter in curatione ſedulo obſervanda erit iſta mortis differentia, quæ neglecta multis impoſuit, multis grande malum conciliavit: nā etſi lethalis aliq; operatio ingruat, nihilominus tamen operatio alia non quieſcit: nam mors primæ operationis vires frangit quidem, ſtatim tamen alias generat: mors enim nullā morbi cauſam aufert, morbi propoſitum ſi frangat, è veſtigio aliam producit cauſam. Hęc ratio etſi Sali gemmæ ſingularis, ac propria non eſt, ſed & omnibus Salibus communis, tamen quia reliqui Sales, hoc modo affecti, non unā aliquam partē, ſed ſimul univerſum corpus occupant hîc uni Sali gēmeo eam

eam facultatem tribuere placuit. Iſtorum ulcerum nomina cùm tam varie in medicina uſurpentur, hic reticemus, ſufficiat tibi ea ulcera ex Sale gemmæ orta nuncupare: hæc vera nominis ratio eſt: nam ipſa ex Sale gemmæ per putrefactionem generata ſunt, cùm ipſe in ſummo gradu, ſua operationis morte præventus eſſet.

Cap. 9. *De Ulceribus ex Phyſico Vitriolo.*

FIunt etiam ulcera, quæ & forma & operatione ſua Vitriolum referunt. Eſt autem vitriolum minerale corpus, ex coctura ad eam quam refert conſiſtentiam percoctum, majoris uſus gratia. Hujus inquam ſimilitudine ulcera in humano corpore oriuntur, in tibiis ferè firmata: nam ſi Sal ille Vitriolatus corrumpatur, iſta in loca decumbens, primum varices facit, quę Vitrioli domicilium factæ ipſum retinent, donec ex ſeipſo Erodétem vim nanciſcatur, quam ubi nactus fuerit, paulatim partes illas in tumorem attollit, dein tumores illos erodens, cava ulcera facit, quæ poſtea inſtar Vitrioli circumjacentes partes depaſcuntur. Et notandũ, hic, vitriolum raro abſque dolore agere, niſi forſan ubi jam ex corpore effluxerit, quod etſi factum ſit, tamen ſtatim iterum coacervatur, nec prius ęger intermittit, quàm univerſam tibiam in ulcus converterit, ac ſi quid ulcerationem effugiat, illud ipſe ſtupidum reddit: nam omne vitriolum Sulphur ſtupefactivum in ſe continet.

Evenit tamen non raro, hujuſmodi Salia & Vitriolum ad Eroſionem non pervenire, propterea quòd ad tantam acrimoniam, quæ corrodere poſſit, non evadant: quòd ſi fiat, facile Spaſmi ac punctiones accidunt. Vitriolum enim intus concluſum Sinoniam inflammat, quæ inflammatio poſtea Spaſmos, ac puncturas cauſare efficax eſt. Quin non raro accidit, Vitriolum ſuperiora verſus per illas venas ferri, donec ad earum radices pervenerit, ubi dein conſiſtens lethale ulcus facit. Ad hæc cum ea Vitrioli forma ſit, ut in lapillos concreſcat, etiam in humano corpore multas ſtrumas, ac ſcyrrhos lapillorum ſimiles & forma & duritie efficit: quorum dein alii, qui corrodendi vi pollent, in ulcera abeunt: alii qui ea deſtituuntur, integri permanent. Operatio Vitrioli ſequitur quæ numquam non (ob prohibitam eventationem) putredinem ac fœtorem facit: ea enim omnium Salium natura eſt, ut quò calidiore ac humidiore loco ſunt, eò citius putreſcant: contrà in loco calido, ſicco, accidit, utut ſit, Vitrioli ea ſemper natura eſt, ut cava ulcera facere ac fluere deſideret.

Similis plane vitriolo, in carabe operatio exiſtit, eo ſaltem differens, quòd pauciorem inflammationem, nullumque ſpaſmum, majorem vero dolorem efficiat: cognoſcuntur ulcera hęc ex defluente aqua citrina, cui quandoque ſanguis concretus copulatur: aqua enim illa ſanguinis grumos unà educit ſecum. Peculiare huic ulcerum ſpeciei eſt, quòd ea laborantes, acerrimo viſu, capiteq; integerrimo ſint, antequàm tamen ea aperiantur ulcera, capitis dolores, ac viſus debilitas ægros habent, cujus rei cauſa non ad decumbentes fluxiones, ſed ad ſurſũ elatos vitrioli vapores referenda eſt: at ubi jam apertum ulcus eſt, vapores non aſcendunt amplius, itaque morbi ſolvuntur. Atque hinc patet, ulcera hæc claudenda non eſſe, niſi prius omnis vitrioli ſubſtantia radicitus evulſa ſit.

Cap. 10. *De ulceribus aluminoſis.*

SUnt porrò ulcera quę primũ cum tumore ac inflatione ſine calore & eroſione ſe produnt. Primum enim tibię in tumorem humidum attolluntur, humor is facile exiccationem admittit, ſucceſſu tamen temporis putreſcere incipiens, ex qua putredine poſtmodum fœtor, ac fluor, ulceraq; oriuntur: ulcera hęc Alumini cõparantur: etſi enim per illud neq; tumor, neq; putredo cauſatur: imò ad eorum curationẽ non mediocre auxilium præſtat: tamen eatenus, qua calore quodam participat, putredinis cauſa fieri per accidens poteſt: õnis namq; putredo à calido eſt, & rectè calor Mater putredinis nuncupatur. Ulcera quæ tractamus hic, raro dolore moleſta ſunt, inſignem tamen tumorem, humiditatemque præ ſe ferunt, non in ſcyrrhos vel œdemata excreſcunt, ſed potius ex diuturna putredine invicem ortus cauſam præbent: ãpla & profunda ſunt, non raro totum crus occupantia, diuturna omnium ulcerum maximè ſunt, ac ſi non debitam victus rationem præſcribas, fere in hydropem univerſalem convertuntur: at ubi diæta legitima obſervata fuerit: proſpera admodum valetudine homines ſunt, his ulceribus laborantes: ad hæc magnam quoque in Peſte, Pleuriſi, ac Lue Venerea, præſervationem præſtant.

Ulcera quinetiam inveniuntur (ut jam antea meminimus) quæ diuturnitate temporis in ſyderationem abeunt, quam intenſiſſimi dolores conſequuntur, frequens hoc eſt in vitriolatis: etenim ubi Alumen, ac Vitriolum ſemet ipſa in calcem redegerint, vi inſiti caloris, aliam plane quàm antea adipiſcuntur eſſentiam: at moram requirit hæc calcinatio, qua humor omnis abſumitur, ſolumque alumen ſiccũ relinquitur, non aliter quàm Alumen & Vitriolum vi ignis in calcem redacta, acriora, rodentiora, magiſque dolorifica fieri videmus: ſic & hîc intrinſecus vitriolum calcinatum, ſubter cutim cavitatem facit, oſſa arrodit, quæ omnia mala primum quidem à fluxione fiunt, at ea poſtea exiccata, exareſcunt ulcera, niſi quãdo ex improba victus ratione, collecta excrementa illac evacuantur: tum enim & humida apparent. Similiter de Alumine in calcem redacto judicandum, quòd ſi juxta calcinationis ſuę naturã agat, hyderum non facit, ſed exiccat potius, ſitimq; inexauſtã efficit. Hujus generis ulcera à Sale cõmuni fiunt quoq;, ſi ipſe corrumpatur, humida ea primum apparent, mox intrinſecus exiccãtur, majore quàm Aluminoſa dolore affligunt, calore vero nullo participãt. Cauſa horum ulcerum eſt corruptio Salis cõmunis, à calore humido, quem natura dum expellere conatur, in artus detrudit, ubi ſi exitum invenerit, à fonte ipſius, uſque ad oſtium illi natura viam præparat, per quam ſubinde effluere ſolet. Salium horum non unum genus eſt, omnes tamen cõmunes appellantur, eodem omnes modo agunt, eodemque curantur. Qui ſi ſuopte marte (uti illis peculiare eſt) exiccentur, facilem curationem faciunt: ſin calcinentur omnium difficillime ſanari ſolent. Conſiderantur itaque ulcera Aluminis, vitrioli, ac Salis communis bifariam: vel cruda enim ſunt, vel calcinata.

Cap. 11. *De ulcerum peſſimo genere, quod difficillimè reſtinguitur.*

SUnt præterea Sales quidam, qui in principibus humani corporis partibus conſiſtunt, quemadmodum in Auro & Luna Arſenicum. Sales iſti, ſi ſua ipſorum virtute à partibus, quibus inſunt, ſegregantur, (uti per ignẽ Realgar ab Auro) tum ſpiritus Microcoſmi vitales, eos, in exteriores partes propellunt, ceu ventus à Deo excitatus, fumum (qui & ipſe mobilis eſt) exagitare ſolet: ſunt enim Realgaria hæc ſimili quoq; natura prędita, ut à corde ad exteriores artus facile ſe propelli patiãtur: imò ultro ferantur, tot tantiſque affectionibus, ac periculis expoſitus homo eſt, ut vel eo nomine juſtiſſimè Microcoſmum illum appellemus, ut qui omnia majoris mundi pathemata in ſe contineat. Atqui Realgaria iſta in homine creata ſubſtantialiter eſſe putandum non eſt: nam poſtmodum in eo generari contingit, ut exempli cauſa: Realgar, Aurum, Chymus, tria hęc ęs unum ſunt, quorum quodvis ſingularem virtutem, obtinet, quam tamen dum unà conſiſtunt omnia, neutrum exerit. Similis planè in homine Orizon eſt, ſubſtantia non viribus. Sed ad exemplum redeo. Homo itaque à divina providentia, ac prædeſtinatione per artem impellitur, ut Aurum

ut Aurum per ſuum Fulmen, Chymum in Scoriam, Realgar ſub forma fumi in ſublimatum corpus ſeparet, ut jam Aurum, Realgar, Chymum, loco, viribus, ſubſtantiaq; ſeparata ante oculos conſtituat. Quę de exterioribus dicta ſunt, de internis etiam accipienda ſunt, ut ſcilicet intelligamus, intrinſecus in nobis eſſe aliquem, qui corruptionis hujus efficiens cauſa fiet: hunc nos deſtructorem Archeū vocamus, novo vocabulo & inaudito hactenus: nam nunquam adhuc uſque Medicina per Philoſophiam adolevit, ut deſtructorem hunc, quisnam eſſet, intelligeret ac agnoſceret. Notandum itaque, hunc Archeum intrinſecus in homine omnia Vulcania artificia diſponere, facere, ac perficere, ac quamvis rem in ultimam ſuam materiam deducere. Ultimam autem alicujus rei materiam voco, ſi ipſa ad ſuam jubilationem, ac exaltationem perveniat, ut in ſuperiore exemplo Aurum in ſuam virtutem à reliquis duobus ſeparatum in ultimam materiam deductum eſſe dicimus. Hac ratione per Archeum in igne Vulcani, ab orizonte Realgar quoddam ſeparatur, quod dein pro ea qua pollet natura ulcus facit: ſunt namque variæ Realgaris ſpecies: nam prętér dictum, aliud eſt Realgar Lunæ, aliud Mercurii, aliud Jovis, aliud Veneris, aliud Saturni, itaque quot Realgaris ſpecies, tot ſunt horum ulcerum differentię, diverſis proprietatibus prędite: ſunt quæ bulimiam quandam congenitam habeant, adeo ut carnes ipſas in quibus conſiſtunt, vel etiam alias exterius admotas, aliaque edulia depaſcantur: alia corrodentē venenoſam materiam nacta, pro ejus veneni natura agunt, quaſi exterius admotum Realgar eſſet. Quinetiam ſunt Realgaria, quæ ex Salibus fiunt, ſimili modo, ac in artificialibus ſeparationibus Sales produci videmus: nam dum illi expurgantur, ſordes ſuas à ſe expellunt: itaque aliud Realgar à ſale communi, aliud à vitreolo, aliud ab Alumine ſe expurgante generatur. Realgar ergo hoc ſingularia quædam ulcera producit, quorum ſymptomata pro materię diverſitate evariant: nam ulcus à Realgare vitriolato factum bulimiam: ab aluminoſo corroſionem comitem habet. Quare quancunque partem Archeus præparaverit ac ſeparaverit, ea excellit, atque in operationem erumpit, realgarinum ulcus peſſimum ac venenatum efficiens, cui nemo unquam per officinarum putidas compoſitiones auxiliabitur: nam antiqui, cùm originem mali non intellexerint, nec remedia iis adhibere docere potuerunt, &c.

Cap. 12. *De ulceribus faciei, aliarumque partium arſenicalibus.*

ADmirabuntur ſcio, & ridebunt non pauci, ſi viderint me in Microcoſmo fuſorem (quem Archeū appello) ac fuſoriam officinam conſtituere, ii admirari quæſo deſinant: nam iſta in ægrorum commodum (cujus omni ętate ſtudioſiſſimus fui) facilius probavero omnia, quàm mei antagoniſtæ vel unicum de humoribus ac ſex rebus naturalibus dogma confirmare queant: qui cùm tot ſectas, hæreſes, Schiſmata, inter ſe alant, mirū ſi quid certum conſtanſque apud illos ſit: ſed miſſos iſtos, qui contra jus faſque in Apollinis cathedra ſedent, faciamus. Ulcera, de quibus hic nobis ſermo inſtituitur, variis modis Medicorum vulgus partitur, variiſque nominibus inſignita profert: ſed nullus iſtarum diſtinctionum uſus eſt: vos iſthæc ſigna obſervate potius, quæ Realgarinorum ulcerum patognomonica ſunt. Dolor intenſiſſimus ſi vexet, ſi comparatione aliorum ulcerum maxima deformitas adeſt, ſi caro, cutis, oſſa, nervi, ligamenta, &c. exeduntur, ſi ſtatim ac aliquem locum materia occupaverit, varii colores apparent, judica Realgarinum ulcus eſſe, quod omnibus veterum remediis reſiſtit. Quamobrem ego, qui à natura ab iſtis Hæreſibus ſeparatus ſum, atque ad deſperata reſtituenda donatus, per vulcanicam pharmacopœiam iſtorum auxilia inquirere ut queā, omnem monebo lapidem, uti infra apparebit.

Poſt ſignorum explicationem tempeſtivum fuerit locum affectum quoq; oſtendere: itaq; ſciendum, ulcera hęc variis in partibus conſiſtere ac enaſci poſſe: nam quæ à Realgare Lunę ac Veneris fiunt, faciē ferè occupāt, labia, naſum, mentum, malas, &c. non raro oculos aureſq; depaſcentia: quę vero à Realgare Jovis fiunt, & Mercurii, omoplatas & ſternō exedunt: Martis realgar in dorſo ac ventre ut plurimum ſęvit: Saturni deniq; ab inguininib. ad plantas uſq; tota crura obtinet. Ulcera hęc etſi omnia periculoſa ſunt, & nō niſi artis auxilio pelluntur, alia tamen aliis remedio magis obediunt: faciliora curatu ſunt ergo, quę à Mercurii, & Solis & Jovis exiſtunt: quæ vero à Veneris, Lunę, Saturni, & Martis realgare facta ſunt, accuratiſſimam artificis induſtriam requirunt: alioquin ſpiritus vitales inficiunt, mortemque inevitabilem inducunt. Generationis modus, quo hæc ulcera fiunt, explicandus adhuc ſupereſt, qui talis ut plurimum eſt. Primum, ſi Realgar per caminum Vulcani evadere conatur, nec exitum invenit, puſtulas parvas, cum perpetua ſcalpendi neceſſitate excitat, quæ nunc tardius, nunc celerius ad maturitatem perveniunt, prout vel ſcalpendo, vel inconcinnis remediis magis minuſque irritantur: quòd ubi factum fuerit, illo loco centrum ſuum nanciſcitur, cui adhęreſcens dein Realgar incipit partes exulcerare, urere, dolore torquere, ac vel in latum, vel profundum depaſcere, pro ſuę nimirum eſſentiæ proprietate, unde quoque horum ulcerum differentiæ conſtituendæ ſunt. Itaque quæ in facie & collo ſunt, Syreia appellantur: quæ inter claviculas & inguina, ante & retro ſunt, Cancrum vocare ſolent: quæ vero ſub hypochondriis ſunt omnia, Malum S. Joannis nuncupant Germani, forſan ex eo, quòd divinam potius quàm humanam opem requirant. Atqui non rarò evenit, verrucas ac dura tubercula eadem ex cauſa oriri, quæ tamen utilia potius quàm noxia putanda ſunt, itaque non ut vulgus Medicorum facit, Corroſius irritanda ſunt, ſed relinquenda: ſiquidem tentata ſtatim efferantur: eſt enim ea Realgaris ex Salibus natura, ut ab hujuſmodi externis objectis inflammetur ac ſæviat, non ſecus ac de Realgare metallorum jam dictum eſt. Ultimo loco ſciendum, præter jam dicta Realgaria ſpeciem adhuc exiſtere, quæ nunc ex Antimonio, nunc Plumbagine, nunc ex Margaſita, vel Thalco, vel Kakimia, aliiſque hujus generis Mineralibus ortum ducat: verùm cùm ab ea effecta ulcera, eandem cum ſuperioribus curationē requirant, nil opus eſt multum de ea laborare.

Cap. 13. *De ulceribus tranſmutatio.*

ITerum quoddam ulcerum genus explicandum eſt, quod exemplo hoc innoteſcere poterit. Cum homo in exteriori mundo, tam variis artibus inſtructus ſit, ut etiam ipſas rerum formas tranſmutare poſſit, cujus rei locupletiſſimum teſtimonium in melle crudo & pręparato, quę & ſubſtantia, & viribus, ex diametro quaſi pugnant, habemus. Si, inquam, in exterioribus talia perficit homo, quantò magis intrinſecus in minori mundo, in quo omnes theſauri reconditi ſunt, & ex quo omnia, quę exterioribus efficit, proficiſcuntur, talia pręſtare ipſum poſſe putabimus? Si itaque homo extra ſe naturas contra naturam tranſmutare poteſt, & illa ars ab intra procedit, quę in attentando conſiſtit, quam dein experientia comitatur.. Sic enim artes inveniuntur: primùm dum homo ex ſe attentationē, ex majore mundo experientiam aſſumit, atq; tam diu laborat, donec utriuſq; ſimilitudinem comprobarit: quare nemo vitio mihi vertat, quòd hominem intra corpus ad tranſmutationē naturarū tantum, quantū extra, laborare dicā: nā de interioribus quàm de exterioribus major mihi ſollicitudo eſt. Ad hæc ſciendum, hominē dupliciter agere: in exterioribus corpore, in interioribus ſpiritu: illic externarum rerum, hîc humani corporis decorem ac uſum reſpiciens. Spiritum interius agentem diſtinctionis cauſa, Adech vocare ſoleo.

Itaque

Itaque ſunt in exterioribus Sales quidam, magno artificio compoſiti, ut Alkalia, & Sales ſublimati, hi ſales ad naturæ defectus ſarciendos, neceſſario ab arte fiunt: nam natura non omnia ſimplicia perfectè creavit, ſed aliqua etiam arti perficienda reliquit, pro libito, & ad eum quem deſiderat finem, conſequendum, ut jam ars rectè altera natura ſit, & dicatur. Hæc ſi in majore mundo fiunt, etiam argumento ſunt, in minore mundo, ab Adech hujuſmodi tranſmutationes tentari: atque hac ratione quandoque ulcera non ſimplicia, ſed compoſita (nam ad tranſmutationes compoſitionem molitur natura) oriuntur, de quibus meritò hoc loco paucis ediſſeremus. Itaque (ut jam dictum eſt] ſi homo in exterioribus bona malaque, utilia & noxia efficit, quid prohibet, idem intrinſecus fieri, dicere? quare ſi ita intrinſecus laboret Adech pro loci natura ſimplex vel compoſitum, mite vel corroſivum ulcus facit, cujus dein forma, formam illius Salis, à quo factum eſt, imitatur. Formas haſce nil opus eſt hic multis depingere, atque ab invicem diſtinguere: infinitus namque labor foret, parumque ad curandum utilis. In hoc genere mali deſcribendo antiquitas (pro more, quem in obſcuris rebus ſemper tenuit) mira verborum inutilium profuſione multis paginis diſſeruit. Ego negotium paucis expediam. Artifices interni, dum ad opus aliquod ſe accingunt, loca ſibi deligunt, in quibus ſimplicia compoſitis ſuis idonea inveniant, quę ubi nacti fuerint, talibus formis exornant, quales & ipſorum naturæ, & inſtrumentorum habilitas ferunt. Spirituales iſti artifices variis arcanis ornati ſunt, bonis ſcilicet ac noxiis, quæ pro loci natura diverſa fabricant. Operum horum jam prognoſtica paucis aperiantur. Si itaque contigerit, homines multo quam ipſorum ferant prudentia, mores, ac naturæ, moroſiores evadere (quod fieri non raro animadvertimus) variiſque morbis incognitis antea conflictari, Cœlum malè diſpoſitum judica, à cujus perverſa operatione non ita multò pòſt Peſtem cauſatam iri, metuendum. Quod de univerſalibus dictum eſt, in particularibus quoque conſiderationem meretur, itaq; ſi ulcera cacoëthe appareant, internos artifices in opere aberrare ſcias: etenim quandocunq; exterioris mundi negotia claudicant, interiorem periclitari non poteſt non verum eſſe. Hæc de morbis tranſmutatis hactenus dixiſſe ſufficiat, in quibus non tam univerſaliter, quam de ulceribus ſpecialiter admonendi mihi fuiſtis.

Cap. 14. *De ulceribus, quæ cœlitus imprimuntur, ac influunt.*

Cœlum ejuſque influxus contemplari, (propter eos morbos, quos à Firmamento imprimi omnibus in confeſſo eſt,) Medicum debere, non minus quàm ſimplicia ea, quæ ad remediorum compoſitionem adhibet, ex eo manifeſtum eſt, quòd cùm quatuor ſint, quę Medicum perfectum reddunt, Philoſophia, Aſtronomia, Alchymia & Medicina: Aſtronomia, quæ circa cœleſtium verſatur contemplationem, eam nobis ad Medicinę perfectionem neceſſariam oſtendat. Sunt qui tribus repudiatis unà, Medicina contenti eſſe velint, eo argumento, quòd nuſquam Galenus de cœleſtibus impreſſionibus (etiam in Peſtis conſideratione, quæ tamen omnibus ad cœlum refertur) verba fecerit. Quaſi vero non vitio potius quàm virtuti tribuendum ſit, eum, qui principatum Medicinę affectarit ac uſurparit, iſta ignoraſſe, ſine quibus in Medicum perfectum evadere non datur. Sed noxium hoc artis Medicæ dogma eſt, quod uni homini tantum tribuitur, atque imitationem rationibus præfert: ex eo enim accidit, ut omnes impunè Medicos ſe eſſe profiteantur, ac ex arte rem faciant, qui alias artes vel deſidia, vel ignorantia relinquere coacti fuere. Verum jam tandem oſtendam, quomodo cœlum vi ſua attractrice multorum ulcerum efficiens cauſa ſit. Magnetem, Succinum, Maſtichem, Reſinas, aliaque hujus generis, ferrum, ſordes ac ſimilia attrahere videmus. Sic in cœlo ſtellæ plurimæ exiſtunt, quæ in homine recondita, ac ſibi familiaria (ſive humores ſint, ſive quid aliud) ad exteriorem corporis regionem educunt atque attrahunt: certum enim eſt, nihil in hoc ſublunari globo eſſe, quod non Stellis aliquid de ſua natura communicare cogatur magno ſuo malo: uti enim ſolem ex humida extrahere eaque areſacere videmus: ſic quælibet ſtella ex ſuo corpore, cui dominatur, attrahit quædam, quibus deperditis, ipſum corpus ad interitum inclinare apparet. Huc reſpicere manifeſtum eſt eos, qui non niſi inſpecto prius cœli ſitu, ligna cædunt, ac lutum fodiunt: quippe non ignari, cariem, aliaque vitia à ſuperioribus accidere. Quin & illud experientia docuit, Saphirum gemmam Anthracem aperire attrahendo, donec ulcus fiat manifeſtum: quod ſi ea lapidis natura eſt, eaque in aſtris quoque tribuere, ut ſcilicet ab ipſis Carbunculum, Anthracem, Apoſtema, &c. fieri dicamus, cùm Gemmæ eam virtutem non niſi ab aſtris habeant. Longè alias harum affectionum cauſas adferunt pſeudomedici, verum quia omnia occultioris naturæ cognitione deſtituuntur, quid mirum cœleſtium influxionum effectus illos non intelligere? Iterum, cùm angelicam urſinam iis, quos Radiis ſuis apprehenderit, omnem virtutem ſubtrahit, non video, quomodo non Firmamento illam quoque vim tribuamus: ſiquidem jam conſtitutum ſit, nil in Elementari orbe eſſe, quod non in Firmamento exiſtat quoque. Quamobrem notandum, ſi ulcera fiant lethalia, vel quæ methodicam curationem non admittant, curandi rationem invertendam eſſe, aliaquè remedia uſurpanda: nam in iis cœli influxum perdominari certiſſimum eſt, in hoc ergo ulcerum genere nil ſane ſpei in vulgaris medicorum libris ac pharmacopœorum officinis ponere licet: putida enim ac inutilia ſunt, quæ ipſi præſcribunt, ac componunt remedia. Itaque ad Aſtronomicæ Medicinę canones recurrendum erit, illicque remedia petenda. Quæ diximus hactenus, uberiore explicatione non indigent: unicum enim argumentum à majore omnem dubitationem tollit: nam ſi cœlum pluviam, nivem, tonitru, fulgur, &c. efficit: ſi cœli tempeſtas alterationem corporibus inducit, ut juxta eam magis minusque valeamus, manifeſtum eſt, cæterorum quoque morborum, maximèque ulcerum efficiendi poteſtatem ei tribuendam eſſe, quidquid Galenus ejuſque ſequaces deblaterent.

Cap. 15. De *Ulceribus fontis* (*appellatis.*)

Ulceris hoc genus, quod fontis appellavimus ſuperius, explicaturus, exempli loco adducam illud. Fontium calor, frigusve, ſive ex cœlo ſunt, ſive à terra, à calido & igneo fonte ſub terra latente, ſuaſque actiones perficiente, conſiſtunt, augenturque. Atqui nihil in his inferioribus, vel calidum, vel frigidum eſt, quod non caloris, frigorisve ſui cauſam cœlum agnoſcat: at terram interim ceu concauſam iſtarum qualitatum augmentum ac decrementum procurare non negaverim, Radix tamen, ut dixi, in cœlo eſt, quæ in prima rerum creatione ſic ut apparet, eſt ſegregata, iterumque terreſtribus mutua cognitione juncta. Simili plane ratione, de fluxionibus humani corporis judicandum eſt, eas ſcilicet à cœleſtibus operationibus dependere, ut dirimi facile non queant. At ut maximè difficulter ab iis alienentur, atque medelam accipiant, tamen hominem coactè illas impreſſiones ferre non fatemur, ſed per Aſtronomicam Medicinam reſiſtendi præſidiis confirmari poſſe, contendimus. Generationis quoque horum modus fontibus aquarum omni ex parte reſpondet: nam quemadmodū illæ ex Petris ſcaturiunt, ortus tamen ſui rationem ac ſemina manifeſta non habent, ſed perenes fluunt ſemper, ſic & iſtę fluxiones humani corporis, ex nullo, vel ſaltem obſcuro

ſemine emanantes, perennes quaſi ſunt. Iſtis ſanè ſingularem curationem adhibendam eſſe, differentiâ horum ab aliis ulceribus (quæ ortus ſui manifeſta ſeminaria habent) innuit. Homo cùm ex terra ortus ſit, terræ quoque naturam refert, atqui terra Flammulam, Linum Aquaticum, &c. cauſtica & puſtulas excitantia producit. Ergo in homine ſimilia quædam germina naſci poſſunt, quæ huic ſenſu moleſta ſunt, illi ob craſſitiem inſenſibilia.

Itaque fontium hac analogia conſtituta, notandum deinceps eſt, quemadmodum fontium varia genera ſunt temperie, actionibus, accidentibus variis invicem differẽtia, ſic & harum fluxionum non unam eſſe diſtinctionem, ſed plurimas, quas curandi ratio ſtudioſè obſervandas innuit: nam frigida, ſtupefacienſque defluxio à calida longè aliam curandi methodum requirit.

(*Curatio.*)

Etiamſi autem iſtis fluxionibus curationem adhibere, & impoſſibile ſit, & inconveniens: (nam nemo fluminis impetum in fonte ſuo remorari poteſt, uti radicitus ex ſemine ortam plantam evellere licet) tamen non deſunt ad ſuſtentationem remedia, neque Medicum eſt, ſtatim de curatione deſperare. Etſi enim pſeudomedicorum decreta incurabiles iſtas fluxiones pronuncient, tamen eæ conſultationes quæ cœli influxum præſuppònunt (quas neque apud Galenum, neque alios ejus farinæ logodædalos invenias) aliquid ſpei adhuc ſupereſſe quandoque oſtendunt.

Cap. 16. *De Ulceribus Quæ cum Vulnere, fractura, ac morſu complicantur.*

ULcerum quæ vulneribus, fracturis, morſibus, aliiſque non bene curatorum vulnerum ſymptomatis ſuperveniunt, hinc fere radices trahunt, quòd dum illis medicamur, niſi probè ab externis injuriis ea muniamus, ex ſua natura, vulneris ſcilicet in alienam abeunt, àc in ulcera tranſmutantur. Veluti ovum cujus putamen confractum eſt, facile quoque putredinem contrahere apparet. Sic & homo ſi ab extra illius corpus apertum fuerit (id eſt, unitas ſoluta) tum externa elementa, ac aër circumſtans in interiora agere incipiunt, eaque corrumpere: eſt enim exteriorum multo quàm interiorum natura durior, adeo, ut inter ea ſimilis ac inter Silicem ac Carbunculum gemmam comparatio ſit, itaque corruptio facilis exiſtit, ac ſtudioſe præcavenda. Etenim cùm ea ſit immundorum natura ut, mundis ſemper quoque labem aliquam inferre conentur, ſummo ſane ſtudio in tuendam mundiciem incumbendum erit, maxime ſi à Firmamento alterata eſſe Elementa intellexerimus. Ex quo ſequitur, humoris corporis continuitate ſoluta, ſive per Arma, morſum, uſtionem, fracturas, &c. ipſum corpus extremorum & circumſtantium Elementorum injuriis expoſitum eſſe, & in ulceroſam diſpoſitionem facile prolabi. Quamobrem Medicamenta parietis inſtar collocanda inter corpus & circumſtantia Elementa erunt: quod niſi & ipſa medicamenta ſint ritè præparata, ſed æquè ac externa elementa immunda, facilior multò erit ad ulcus tranſitus. Atq; hinc nata putredo corruptionis vehementis cauſa evadit, quam auferre niſi tota ea parte, quam ipſa occupavit, ablata, impoſſibile eſt. Actiones iſtæ Elementorum externorum ſumma diligentia propter curandi rationem obſervandæ ſunt: nam ab impreſſionum ac Salium actionibus non parum diverſæ apparent, quas quia Humoriſtæ illi medici ignorarunt, non eſt ut multum utilitatis ex ipſorum lectione reportaturos nos ſperemus. Etſi enim non negaverim, ipſorum curationes confirmari poſſe, ſi eæ eſſent cauſæ quas illi aſſignant: verum illi eas indemonſtratas aſſumpſerunt, atq; hac ſumptione totá artem fœdiſſime conſpurcarunt. Vos hoc axiomatis inſtar habete. Quẽadmodum reſpiratione ac inſpiratione corrupti aëris hominis interiora inficiuntur, ſic & per vulnera non probè munita, venenum ambientis aëris communicari nobis poſſe. Atque hoc ut in quavis unitatis ſolutione catholicum eſt, ſic in venenatis morſibus, ac vulneribus ab intoxicato telo factis, unicè conſiderandum: etenim veneno cum ambientis intemperie conſpirante, celerrima ingruit deſtructio. Quin & in fracturis, (ubi eæ perperam curatæ fuerint) cum ulcere complicatio admodum periculoſa exiſtit, ac fere curationis ſpem adimit. Itaq; ubi tale ulcus oblatum fuerit, ſciendum, curationem per Elementa (id eſt, ipſorum Elementorum remedia) faciendá eſſe: ſemper enim ex eadem claſſe, è qua morbus eſt, remedium petere convenit, quod qui non intelligit, ſed de ſemper contrario remedio cogitat, is ut à curatione abſtineat, admoneo.

Cap. 17. *De Ulceribus qui ex propria conſtellatione generata ſunt.*

VIccidunt quandoque ulcera, quorum infectio ex ſua ipſorummet conſtellatione originem ducit, nulla accedente vel cœleſti vel Elementari cauſa procatarctica, hujus generis ſunt ulcera mammarum, quæ ab utero oriuntur, verbi gratia, Cor ſuam conſtellationem habet, habet & ſuam uterus quarum ſicut Archeus interior ad exteriorem ſe habet utraq;. Uteri itaque Syderea virtus ſi à vero tramite aberret, totam illius regionem, quãta ea eſt, ad deſtructionem diſponit, ac inficit, haud aliter quàm Anthracem à cœlo accendi videmus: nam & ſic quoque uterus, hîc ex intrinſeca illa ſua influentia ulcera creat, putredinem in lacte uberibus &c. efficiens. Simili ratione Bubones fiunt, corrupta ſcilicet Oſeí conſtellatione. Nam Oſei operatione ſuummet Sydus corrumpente, ac quaſi efferata deſtruente, Peſti ſimile hoc malum oritur: etenim quemadmodum cœleſtis illa influẽtia partem ſibi cognatam inflammat, ſic radios Syderis Oſei hîc ſe habere cogitandum eſt. Peſti ſimile malum dixi: nam ſunt quędá ſingularia loca, in quibus frequenter Bubones peſtilentiales fiunt, cujus generis & Oſei regio eſt, Quin & ſydus Oſei interna quædam peſtilentialium ſtellarum conſtellatio eſt: verum ſuperiori tandem conſtellatione accedente, tum demum exterioris Oſaicæ Peſtis cauſa evadit (obſcura omnia ſunt.)

Itaque quod ſupra monuimus, ſcilicet in Phyſico corpore totum contineri Firmamentum, ipſumque juxta cœli Phyſici regiones dividi, hic denuo memoria reddendum eſt, ac obſervandum præterea. Quod ſi ex cœleſti conſtellatione peſtis fiat, ſuo ad quem eam influxus deſtinavit loco, eaque lethalis non ſit, ſed loco cedat ac ſolvatur, nec plane tamen, quòd, inquam, niſi ea concinne ritis adhibitis remediis, percuretur, ulceroſa ac fiſtuloſa ſequatur diſpoſitio: ac dein interiore deſtructo ſydere alia ſuperveniat peſtilentialis conſtitutio, ab illa diverſa quidem, ex ea tamen orta. Quamobrem moneo in peſtis curatione ſedulo in conſolidatione laborandum eſſe, quòd ſine ea nulla curatio abſolvi poſſit. Pauca hæc exempli quaſi loco ad oſtendendam conſtellationis vim, in medium attulimus, monentes interim, & hujus generis alia innumera exiſtere, & iſtis conſideratis facile cognoſci, quid Æther Olympius, ac Phyſicũ ſydus poſſint. Hęc ſcio Medicos Firmamẽti ignaros non intelligere, ſed ipſimet hujus inſcitię cauſa ſunt.

Cap. 18. *Ulcera quædam per incantationem à Lamiis fieri.*

ULcera per incantationem à Sagis fieri poſſe, vel facta deteriora effici, etſi vulgo incredibile ac fabuloſum putetur, ſapientioribus attamen non plane fictum videtur. Et ſane duo omnino modi ſunt quibus iſta fiunt: vel enim à ſpiritibus, vel ex incredulitate accidunt, quæ ambo cùm extra *Lumen naturæ* poſita ſint,

ſint naturaliter, ſeu ex naturæ fontibus, de iis diſſerere nemo poterit. Spiritus autem quomodo hujuſmodi operationes perficiant, ſcitote, quod Sacræ literæ admonent de hoc caſu in Hiſtoria Iobi: is enim antequam à diabolo tentaretur, integra & fortuna & ſanitate fuit, ſed poteſtati diaboli ſubjectus, toto corpore ulcerato eſſe cœpit, à ſanata nimirum percuſſus. Hæc ſi concedamus, ut certè inficiari nefas eſt, quis dicat jam tum hujuſmodi tentationes deſiiſſe, nec ad hæc uſque tempora, imò ad finem ſeculi durare ac duraturas eſſe? Sane non contemnenda Satanæ potentia eſt, ut qui mille fallendi ac tentandi artibus præditus ſit, & qui, Scriptura teſte, ſemper rugiens obambulat, ſicut leo quærens quem devoret. Quamobrem firmiter credendum, non tantum animę, ſed & ejus domicilio, corpori ſc. noſtro ipſum arciter inſidiari, cum & experientia conſtet, & Evangelium doceat, ipſum corpora noſtra obſidere, ac miris modis deformare poſſe. Stat itaque ſententia, Satanam divino permiſſu omnis generis plagis humanum genus afficere poſſe. Atque quemadmodum homines variis artibus præditi ſunt, quas omnes ex rebus à Deo creatis, ac per ſenſum & rationem cognitis faciunt, perficiunt. Sic Spiritus homines longo intervallo ſuperare conſtat: ii namque ſimplicia ac ſpecies ſuas non ex corporeis, ſed ex incorporeis, cœleſtibus, ac Firmamentalibus, quibus æque ignis, ſulphur, ac Sal Petræ ineſt, ac iſtis Elementaribus corporibus deſumunt. Quod ſi ergo ut hominibus, ſic & Satanæ ſcientiam componendi largitus Dominus Deus eſt, certum eſt ipſum ventum excitare, ignem accendere, ex ſale Petræ & ſulphure grandinem ac fulmina efficere, quibus omnibus nos fortunis exuat, poſſe: nam quò ars à Deo repoſita eſt, illic ipſam vigere probabile eſt. Sic ergo Iob, ſic alii, in tentationem induci Deus permiſit, à Satana afflicti, tractati, percuſſi ſunt. Sciendum itaque eſt, eam quorundam hominum perverſitatem eſſe, ut cùm toto corde, & ex tota anima Deum diligere deberent, ad ſatanam converſi, ejus mancipia evadant, ac odio proximi flagrare incipiant. Qua dein malevolentia cum malis ſpiritibus juncti, eorum ſibi ſcientiam uſurpat: atque ſic ſpirituum miniſterio conceptum odium in proximos evomit. Sed præmium hujus nequitiæ ęquale cum Iuda proditore ferent omnes ii, & ſanè quicunque tales ſunt, ſub exitum vitæ hujus rei manifeſtiſſima indicia produnt: eſt enim æqua cum labore ipſorum merces. Veruntamen nec in illis, quibus mala à ſpiritibus infliguntur, ſine divino permiſſu quidquam proficit hoſtis malevolentia: at ille ipſe, qui proprio Filio non pepercit, nobis quoque crucem ac afflictionem à proximo imponit, ac conciliat, &c.

Porrò nunc incredulitas, quę horum malorum cauſa altera nobis conſtituta fuit, expedienda ſupereſt, qua de re dilucidiſſ. Chriſti verba in Evangelio extant, cùm inquit: Si fuerit fides veſtra, ſicut granum ſinapis, & dixeritis huic arbori, &c. Ex iſtis enim conſequitur, ſi fidem habuerimus in Chriſtum, fore, quæ ille pollicitus eſt: ſin fidem in Satanam habeamus, itidem illius promiſſorum participes futuros: utroque enim modo Divina operatur potentia, teſte Chriſto, cùm loquitur de Pſeudoprophetis & Antichriſto. Signa & miracula facient (inquit) per Satanam, & ego Satanæ ſcientiam ac poteſtatem tribuam, ut ipſorum miracula de illis teſtentur: nam propter fidem ipſorum Satan talia perficiet miracula per ipſos. Quapropter, in Satanæ poteſtate aſſerenda, nemo nimium ſit incredulus: nam quemadmodum Deus de piis teſtimonium perhibet per miracula, ſic de impiis Satan. Itaque non immerito de incantatione & ſimilibus, per quæ ulcera quandoque infliguntur, hoc loco diſſeruimus.

Cap. 19. De *Vlceribus, quæ ex Elementis duobus, igne & glacie fiunt.*

VLcera, quæ ex Elementorum manifeſtis qualitatibus, (id eſt, intemperie) oriuntur, cùm ſingularem curationem requirant, ſingularem quoque theoriam non immerito ſortita ſunt. Quapropter quod initio diximus, hominem tribus è rebus compoſitum eſſe, quarum una Sulphur eſt, ſciendum, hoc genus ulcerum in Sulphure radices ſuas habere. Itaque ſi Sulphur inflammetur, jam operationem ſuam auſpicabitur, ac in igneam degenerabit naturam, igneasque actiones producit, hoc eſt, cauſtica ſua vi puſtulas excitat quandoque membrum, non raro totum corpus adurens. Neque eſt, ut quis admiratione ducatur, ſi audiat Sulphur me in humano corpore conſtituere. Etſi enim ad oculum non apparet, ineſt tamen in omnibus ſuis facultatibus in corpore Phyſico, non aliter quàm de Salibus dictum eſt hactenus, quorum eſſentia quoque etſi cenſpicua non eſt, tamen virtus & actio latere nequit. Sic etenim in prima rerum creatione comparata ſunt omnia, ut Sulphur quandoque caro ſit, quandoque lignum, &c. Sed omne id, quod ab igne evincitur, Sulphur putandum eſt: reliqua vero duo (Sal ſcilicet & Mercurius) igni reſiſtunt, ac in ultimam materiam reducuntur. Quia ergo ex carne, oſſibus, & ſimilibus Sulphur generari diximus, quod dein inflammatum ulcera faciat: Scitote, quod corpus ab initio omne Sulphur fuit, à quo dein in mediam materiam perductum eſt, ut jam caro, ſanguis, &c. eſſet, unde illæ partes corruptibiles effectæ, intrinſecas concitarunt incommoderationes, ut jam homini ſuęmet ipſius ſubſtantiæ adverſentur, ac ſubinde appetant rurſum reductionem ad primam materiam: nam media creatio primæ omnino inimica eſt, ambęque mutuam corruptionem ſatagunt, atque prima alterius in ſe reductionem machinatur, qua facta, homo denuo in terram ac pulverem, ex quo (media creatione) factus erat, redit. In quo pulvere etſi manifeſte Sulphur non apparet, nil refert: nam & ex terra lignum fit, cùm tamen terra lignum nec ſit, nec dicatur. Itaque omnibus modis primum corpus, in quo morbus inhæret, cognoſcendum eſt: pòſt, cauſa morbi, & quæ rurſum ad primam materiam corpus reducere cogitat, contemplanda: ſic namque omnes prædeſtinati ſumus, ut variis modis corrumpamur, ac in primam materiam relabamur, corruptionis, inquam, hujus quædam ſpecies Sulphuri quoque ineſt, quæ à media creatione ad primam inclinat, ac Elementariam inflammationem contrahit, ut rectè ignis iſto in caſu corruptionis materia dicatur.

Ignis ergo iſte, per quem Sulphur hoc accenditur, variis modis naſcitur, quemadmodum & externi ignis ortus varios eſſe conſpicimus: hic ex ſilice excutitur, alter per ſpeculum adurens concipitur, tertius ex motu (quod in funiculis apparet) nonnullus alia ignifera arte comparatur. Eodem dico modo ignis interior inviſibilis exoritur: nam ſilicum ignem refert is, qui ſit per cœleſtes impreſſiones, Solis interioris, qui Sulphur accendit. Solem illum, ut qui nec diem nec noctem faciat, Galenici medici non intelligunt, quippe cujus naturam numquam didicerunt. Verum ſi ſol externus lignorum Sulphur accendere poteſt, rectè interiori noſtro ſoli eandem vim tribuimus. Sunt porrò in homine motus quidam, qui pro natura ſua Liquorem exiccare valent, ac Salia in calcis formam adurere, à qua poſtmodum membra in Sulphuream naturam deducta, vi caloris inflammantur. Accenſionum genera etſi plura exiſtunt, jam commemorata duo tamen præcipua quaſi ſunt, & reliqua in ſe continent omnia. Quæ ambo (ut ſummatim omnia quæ diximus colligam) corpus primum inflammant, & ad primam materiam retrudere conantur (unde poſtea ad conſpiciendam flammam aptum redditur, &c.) Quod hominem ab igne conſumendum pono, non uſque adeo inſolens putandum eſt: nam & hujus rei terra quoque documenta manifeſta prodit: quoties enim terreſtres ignes emicant? qui ſane medicum commonefaciunt de hominis igne. Etſi enim non eadem ratio eſt primę ac mediæ creationis, ac materiæ, terræ ſcilicet & hominis,

nis, ignis ſcilicet terreſtris, ac humani, attamen eorum æquales Operationes eſſe, experientia docuit: nam ut maxime ignis terreſtris, qui corporeus eſt, ac viſibilis, interno hominis igni (qui ſoli ei, in quo eſt ſenſibilis, omnibus inviſibilis cognoſcitur) æqualis non videatur, eſt tamen juxta hanc differentiam amborum eſſentias metiri facile. Verbi cauſa, Montes plurimi ſunt perpetuo igne deflagrantes, alii non perpetuo quidem, ſed eouſque durante, donec omnimoda ad primam materiam reductio facta ſit. Sic in Styria vidimus, ex male curato igne nocturno totos campos deflagraſſe, cùm ad ignis reſtinctionem fruſtra concurreret plebs, verum iſtas ignis externi cauſas indagare philoſophos relinquimus, ſufficiat noviſſe, hæc quandam ad Medicam artem præfigurationem habere. Simili ratione igneas operationes quæ in Adoptis fiunt Chemiæ (cujus Medicum peritum eſſe volumus, antequam ad artem accedat,) conſiderandas volumus. Harum conflagrationum exemplo, contingit in humano corpore, poſt diuturnas ulcerationes, Sales quandoque calcinari, atque Sulphurea corpora in primam materiam reduci tandemque accendi. Quin & idem ex inconvenientibus adhibitis remediis accidere videmus, maxime à Mercurio vivo: itaque Medicos hortor, ut Chemico ſtudio ipſius venenoſitatis ſcintillas tollere diſcant. Ad hæc poſt diuturnas ægritudines hujuſmodi inflammationes accidere poſſunt, verum ubi in ſanis factæ fuerint, atque ubi nulla in remedio culpa eſt, ſciendum mali cauſam eam eſſe, Sydus illac influere, ac impreſſionem facere velle: ſumus enim ſuperiorum influxibus recipiendis non aliter ſubjecti, quàm elychnium ad ignem è ſilice excuſſum excipiendum, quæ dico nova ac impoſſibilia non ſunt: etenim ſi arbores, ædificia, &c. cœlo fulmine tanguntur, an non & noſtra corpora hujuſmodi ignes excipere queant? hoc ſaltem intereſt, hìc inviſibiliter fieri, illic omnia ad ſenſum apparere.

Cap. 20. *De cauſis & Generatione Lepræ.*

AD uberiorem Lepræ intellectum, ante omnia Leproſæ putredinis à quavis alia differentiam obſervare convenit. Eſt enim Leproſum corpus putridum, omni Balſamo ac Sale privatum, vita tamen, Sulphure, & liquore non deſtitutum. Reliquæ vero putredines ſine Balſami vel Salis interitu accidunt, quamobrem minus periculoſæ habentur. Sciendum itaque, ubi in Balſamo vita non ineſt amplius, jam & Salem quoque deperdi, quo deperdito, reliqua duo, Liquor ſcilicet & Sulphur, pro ſua natura, ac conditione agere incipiunt, & ſic ſine Sale generant, quod generatum nos *Lepram* appellamus: quæ etſi in putredine conſiſtat, omnis tamen adeo diverſa eſt, ut nunquam in duobus ſimilis appareat. Diverſitas hoc ſe modo habet, artifex manuarius juxta varias dimenſiones opera diverſa producit, ex inſita ſua virtute. Sic putredo hæc pro varietate complexionum ac conditionum, diverſi generis venenoſitates concipit: ſunt enim corruptionis noſtræ cauſa miris modis differentes, veneni diverſitas omnis ad inſitam refertur diſpoſitionem, quarum omnes quidem unam cauſam habent, ſed variis modis ſe produnt. Dicimus itaque Lepram fieri per putredinem ſine Sale & Balſamo cauſatam, ab operationibus Sulphuris & Liquoris: duo enim hæc, ſi tertio (Sale ſcilicet) deſtituantur, non poſſunt niſi Lepram efficere. Neque vero hoc ſaltem modo Lepra generatur, ſed & ſi Sal naturam ſuam deperdat, quod per cœleſtes quandoque influentias accidit, Lepra quoque fit omnium peſſima. Quin & ubi Balſamus per magnas corporis refrictiones congelatus corrumpitur, Lepra fieri poteſt, uti & in vino per magna frigora abeunte, corruptionem quandam inemendabilem fieri videmus. Lepræ denique nonnullæ fiunt in generationi ſubſervientibus partibus, quę ſi in poſteros propagetur, omnino incurabilis eſt. Nam ubicunque Balſamus corrumpitur, vel abſumitur, nulla amplius ſanationis ſpes ſupereſt: nam quemadmodum cinis non amplius in ligneam ſubſtantiam reduci poteſt, ſic nec ullum corpus, cujus Balſamus aſſumptus eſt, priſtinæ ſanitati reſtituere Medicus poterit: etenim ſine eo tanta eſt reliquorum trium corporum malignitas, ut eo abſente, vivum corpus ſic putrefaciant, ut cadavera poſt mortem putreſcere ſolent. Itaque magna hujus morbi varietas & malignitas exiſtit, quandoque univerſim corpus, quandoque unicum membrum, ſępius ſolos pulmones, vel manum ſolam invadens. Ea tamen malignitate eſt, ut etſi unica parte conſiſtat, integram tamen corpus inficere, ſenſu privare, ac ſtupefacere queat, atque hoc in correptis infallibile ſignum futuræ in aliqua parte lepræ eſt, ſi illa pars ſtupore corripiatur, deinde ſenſum paulatim amittat. Sciendum tamen, Balſamum (qui lepræ cauſa dictus eſt) corpus ſuum non amittere, ſed vim ſaltem, id eſt, formam ſolum abire per putrefactionem) cùm autem forma quævis à Salis corpore fiat, Salis corruptionem fieri debere manifeſtum eſt, ex qua ulcera, puſtulæ, duri tumores &c. oriuntur, omnia pro loci & temperaturæ diverſitate evariantia. Eſt autem Lepra talis affectus, qui etiamſi pro ſua natura omnibus animantibus accidere queat, uni tamen homini evenire ſolet, vel quia unus homo ad talem corruptionem conſtitutus eſt, vel quia ciborum quorundam talis effectus eſt: hinc videmus porcos, qui temperie ad humanam naturam beſtiarum omnium proxime accedunt, ab hoc malo non uſque quaque tutos eſſe. Sed plura de lepra hominis, ut quæ nec præcaveri, nec curari poſſit, ſcribere ſuperſedeo. Attamen quæ ex perfrictione fiunt, tum ex cœleſtibus influentiis, lepræ per Medicinas cœleſtes curationem admittere videntur: illę vero, quæ vel hæreditario factæ ſunt, vel divinitus immiſſę (ut immitti non dubitamus) ad mortem ferè comitantur. Denique non ignorandum, intrinſecas quaſdam lepras eſſe, quæ vix poſt duodecimam generationem ſe prodant, ac ſi prodeant, finiuntur, & in perfectam ſanitatem abeunt: veruntamen frequenter raucedinem, ſcabiem, mala ulcera efficit, quæ quia ex lepra (etſi imperfecta ea erat) originem habent, curationem non admittunt. Itaque Medico accurata conſideratio adhibenda eſt, in hujuſmodi incerti judicii occultis morbis, ne forſan ſanabiles pro incurabilibus, & viciſſim pronunciet, cujus generis erroribus multas occaſiones præbent falſa & inconcinna Pſeudomedicorum de Lepræ juxta humores differentiis ſcripta, itaque ab illorum lectione abſtinendum jubeo.

Cap. 21. *De Ulceribus, quæ Chaos intrinſecus in nobis generat.*

FLatuum ac aëris retentionem (eſt autem aër chaos quoddam, corruptionis cauſam continens) ulcera facere, exterioris mundi theoria oſtendit. Aër namque exterior, Firmamento circumſcriptus, intra ejus circumferentiam coactus eſt, ibique omnia quæ ſunt pervadens, etiam in hominem agit: nam cum ipſe corruptionis cauſa ſit, imò ipſemet corruptus venenum concipit, quod dein omnibus corporibus, quæ ipſe contigerit, communicat: hinc in pomis putredines, in arboribus caries, in homine ulcera oriuntur. Sic in homine cutis exterior firmamentum eſt mundi minoris, in quo chaos æquè ac in majori mundo inſunt, & ex ſeipſis, & à majore mundo corrumpi idonea, ex qua corruptione interiorum partium ulcera naſcuntur, multò quàm in exterioribus frequentiora, ac graviora: nam illic ſenſus vegetior eſt, & facilius immundicies colligitur. Generatio putredinis in hunc ferè modum contigit: ubi pars aliqua venenum illud concepit,

jam inflammari incipit, ac ſuppurari, unde ulcus oritur, quod interius ſaltem conſiſtit, nec unquam extrà fertur, hinc morbi iſti periculoſi, ac lethales habentur. Et quò major partis dignitas ac cum corde cognatio eſt, tanto periculoſius malum eſt: nam dignitatis partis ratione morbi Acuti, Chronici lethales ac ſanabiles evadunt. Porrò quæ de generatione ac virtutibus ventorum alibi diximus, ad hominem quoque hic referenda ſunt: nam & in homine venti generantur, qui cum ventis majoris mundi cognationem habent: hinc ſequitur, exterioribus corruptis, interioribus quoque illam corruptionem communicari, neque tamen exterioribus ventis vim generandorum ulcerum tribuimus, ſed interioribus ſolum: verum niſi hi ab illis irritarentur, nec iſti operarentur, perinde ac Silicis ignis, igni pulveris pyrici iunctus, flammam facit, hoc eſt, in ſilice ignis eſt, eſt & in pulvere tormentario, attamen niſi ille in hunc conjiciatur, ignis non fiet, ſimili plane ratione de ventis judicandum eſt. Notandum etiam, ventorum quamvis multæ differentiæ ſint, unicam tamen ſaltem eſſe ulcerationem, cujus tamen differentię ex hoc petendæ, quòd alia aliarum partium ſubſtantia ac eſſentia eſt. Verum quòd ventus ille externus non omnibus ex æquo nocet, cauſa eſt divina providentia quæ membraneam cutem pro propugnaculo oppoſuit, tum quod regiones earumque ſitus magnam diverſitatem habent, ut in unica noſtra Germania centuplex & ultra inveniatur, omnis à cœleſtibus conſtellationibus dependens. Quamobrem Medicus juxta conſtellationum diverſitatem Aſtronomicis rationibus mundum partiri debet, totiuſque mundi, juxta eaſdem deſcriptionem conficere. Nam in populoſis urbibus cœli cum hominibus conſpirationem videre eſt, ut jam ubi venti illi climata illa pervaſerint, eos homines inficiant: ſin nulla conſpiratio illic ſit, ſine noxa illas regiones tranſit. Atque hæc de ulceribus internis, earumque ex Chao ortu dixiſſe ſufficiat.

Pororatio.

QUÆ hactenus de cauſis ac generatione ulcerum prodita à nobis ſunt, quam difficulter locum apud pleroſque inventura ſint non me latet: tam enim mordicus tot ſeculorum conſenſu confirmatam quatuor humorum in ulceribus theoriam, plerique retinere conantur, ut ſatis mirari nequeam, neminem hactenus extitiſſe, qui fucatam illam, ac Sophiſticam humorum quaternitatem accuratius cenſeret. Sed mali cauſa ea eſt, quòd cùm ad capeſſendam Medicinam maximopere neceſſaria ſit Philoſophiæ cognitio, paſſim omnibus perſuaſum ſit, ex Ariſtotelicis eam libris hauriendam eſſe, cùm tamen pro Græcorum more, quibus mentiri non inſolens eſt, nil niſi meras nugas, ac mendacia in libros effuderit Ariſtoteles ille. Ad hæc Aſtronomiæ imperitia, ac Alchymiæ ignoratio, ejuſdem malis cauſam præbuere: nam ſine Alchymia Medicinam facere velle, perinde eſt, ac ſi Architectus ſine norma, & perpendiculo ædificium conſtruere animum inducat. Fundamenta itaque noſtræ Medicinæ experientiâ jam confirmata ſunt, nimirum quòd Salium corruptio, & ex ea corrodens nata virtus omnium ulcerum cauſa exiſtat, adeo ut ſi plane ferreus homo eſſet, hac corruptione facta, ab ulceribus tutus non foret. Etenim tanta, vel non minor hujus Salis reſoluti malignitas eſt, ac illa Aquæ fortis ex alumine & Sale nitri præparati, nec ullus Sal calcinatione, præparatione, vel ſublimatione vehementior parari poteſt, Sale corporis Phyſici: hinc tanta ulcerum diverſitas, tot diſtinctionibus ab invicem diſcreta, quæ tamen ad pauciora capita facile contrahi poſſet, curationis deſcriptionem diu multum ex antiquis me haurire poſſe perſuaſum fuit, ſed in caſſum omnia. Itaque ſtultum eſt, quod tantum ſcientiæ antiquis tribuitur: nam ſi docta juventus fuiſſet, forſan erudita ſenectus judicanda foret, ſed quale ſenium rudem juventetum conſequatur, omnibus manifeſtum eſt: hoc ego verè pronunciare poſſum, omnes antiquos iis rebus ætatem triviſſe, quæ ſcientiæ ac ſapientiæ primaria ſunt impedimenta. Quamobrem vos juvenes ſenes, ue jam tandem labia comprimite, & me audire de morborum cauſis, ac curatione præſenti opere diſſerentem.

D. Paracelſi

De Ulcerum Curatione Tractatus Tertius, In Tres Partes Diviſus: Quarum Prima eſt

De Univerſi Corporis Renovatione.

Proœmium.

SUmmum myſterium ac pretioſiſſimum theſaurum in hac corruptibili vita eſſe Medicinam, quæ in tollendis humani corporis morbis conſiſtit, ex eo manifeſtum eſt, quòd poſt ſummum bonum (quod in dilectione Dei conſiſtit) nil majus ſit Dilectione proximi: an vero quidquàm eſt in hoc mundo, quo proximo tuo magis gratificari, ac commodare queas, quàm ſi auxilio artis Medicæ, dolores ac morbos illi moleſtos, & tantum non jamjam vitam eripientes depellas? Itaque cum hujus dilectionis nos moneat Deus, imò ejus gratia creaverit, ſummo ſtudio manibus pedibuſque enitendum medico erit, ut in officio ſit, hoc eſt, morbos ab ægrorum corporibus pellere diſcat. Ægri vero magnitudinem hujus doni divini, quo mediante à pœnis peccatorum ipſos liberari permittit, metiantur. [eſſe autem morbos ac ulcera peccatorum pœnas, Morbus Gallicus argumento eſt,] nam Deus Opt. Max. diſſimulata peccatorum labe, Medicinam humano generi largitus eſt, quo Lazari redivivi inſtar, è faucibus Erebi eripiantur: hinc rectè proximus illorum Medicus, Medici Deus habetur. Medici ergo cùm ægrorum proximi ſint, exemplo Samaritani in Ierícho, qui non ſolum vinum & oleum vulnerato infudit, ſed jamentum, pecuniamque ſuppeditavit, ac pro ipſo fidejuſſit, ægros ut ſemetipſos diligant, quod niſi fecerint, rationem non præſtiti officii, in noviſſimo judicio reddere cogentur.

Cap. I. *De Tincturis Sanguinem gubernantibus, ac renovantibus.*

ANtiquorum Philoſophorum in indagandis cauſis longæ vitæ, quantum ſtudium, quantuſve labor fuerit, ex ipſorum in rerum natura indaganda collocata operâ colligere licet, quo omnia omnium generum remedia, eorumque uſum indagarunt, atque eô nomine ſapientię ſtudioſi appellati fuêre. Verum perfectâ componendorum, ac præparandorum medicamentorum ſcientia deſtituti, eam ab Alchymiſtis petere non ſunt veriti, atque ſic utrorumque conjunctis laboribus, tandem genuina præparandorum remediorum ſcientia exorta eſt, quæ dein variis Chemicis experimentis in Medicinam transfuſis, mirificè aucta propagataque eſt. Ante omnia vero Tinctura, quam vocant, excelluit, cui tamen deinceps non mediocrem infamiam conflarunt Aurifices ac Chryſopœi, qui eam ad metallorum tranſmutationem imprimis utilem cenſuerunt: ſed quantum & quid de iſtis quivis ſibi polliceri poſſit, ac debeat, ex Naturæ lumine demonſtratum nobis alibi eſt, itaque hic ſicco pede tranſeundum. Tincturam illos confeciſſe, qua metallorum colores tranſmutarent, ſordes purgarent, &c. ſatis conſtat, unde deinde de ea in Medicinam transfundenda cogitare cœperunt: ſic & Metallorum flores majoribus quàm ipſa Metalla virtutibus præditos videntes, eos Medicis utiles facere

facere ſunt conati. Itaque illis temporibus, ſive ex cœli converſionibus benignis, ſive ex ingeniorum fœcunditate hoc accidit, Tincturæ illæ inventę excultęque ſunt: quarum quanta fuerit efficacia, antiqui ea de re codices teſtantur, quos diu à pſeudomedicorum turba ſuppreſſos, nos publicos facere non dubitavimus, nobis ſane experientia cognitum eſt, ad ſanguinem purgandum mirificam illis facultatem ineſſe. Verum cùm ego de ulceribus curandis in præſentiarum agere conſtituerim, non præter rationem erit, ſi remedia noſtra, unde ea ſumpſerimus, oſtendamus. Itaque ex Chemiſtarum ea ſcholis prodiiſſe fateri non dubito, attamen quæ in Chryſopœia, & Argyropœia conſpexi utilia ad renovationem corporis eſſe ſola, (repudiatis inutilibus) prodidi. Et quoniam Chemica ars infinitis erroribus ſcatere viſa eſt, qui vel ex tranſpoſitione, vel omiſſione invidioſa irrepſerunt, unde poſtea artifices, dum ſcripta ſequuntur, ſeducti, alias ſemitas, prioribus relictis, ingredi coacti, varia, noxia ac innoxia, & utilia inveneruut, illud quoque Augiæ ſtabulum repurgandi pro virili nobis laborem ſumpſimus. In quo eò facilius mihi verſari licuit, quòd ab ineunte ætate, magno artis ſtudio captus, ſumma diligentia ſub excellentiſſimis pręceptoribus, adeptæ Philoſophiæ peritiſſimis, arti huic ſtuduerim. Præceptores fuerunt primum Vuilhelmus Hohenhemius, parens meus fideliſſimus aliique infiniti, qui ea qua debebant fide nil me cælabant. Ad hæc plurimorum doctiſſ. hominum ſcriptis non mediocriter adjutus ſum, Settgahii nimirum Epiſcopi Laventalii, Nicolai Hipponenſis Epiſcopi, Matthæi Schachtii, ſuffraganei Phreiſingenſis, Abbatis Spanhemii, aliorumque doctiſſ. Chemiſtarum. Quin & Chemiſtarum variis experimentis locupletior factus ſum, inter quos honoris cauſa nominandus mihi venit, nobiliſſimus vir Sigiſmundus Fueger Schvvatzenſis, qui magnis ſumptibus pluribus miniſtris ſuſtentatis, magna artem Chemicam acceſſione locupletavit, alios, ne longior ſim, enumerare omitto. Quamobrem cùm experientia primum, pòſt philoſophiæ cognitione, tum Vulcanicę artis, ac corporis Phyſici ſcientia non fucata, præditus ſim, corrigendi hoſce errores mihi non immerito partes ſumpſi. Laboris noſtri ſpecimen ac rudimeutum in Tincturis hîc proponimus.

Simplicia ex Quibus Tincturæ præparantur, ſunt hæc.

Aurum.
Mercurius.
Antimonium.
Sal Philoſophorum.
Balſamus.
Coralli Rub.
Mumia.
Meliſſa.
Chelidonia.
Valeriana.
Gamandræa.
Cichorea.
Hyrundinaria.

Omnium horum (ab auro initium facientes,) Tincturę ut ſint extrahendæ, breviter ac methodice docebimus, quo labore, ſi nos levaſſent antiqui, quibus nugas quàm ſeria tractare ſemper magis arriſit, magnas illis gratias deberemus: verum cùm illi deficiant, nos defectum reſtituere conabimur.

Cap. 2. *Tinctura Auri pro Curandis ulceribus ut ſeparetur.*

TIncturam auri voco, ipſius corporis colorem quem ſi à corpore ſeparaverimus, ut corpus album remaneat perfectum opus erit. Sunt enim color ac corpus res ab invicem differentes, atque ob id ſeparari ſe patiuntur, hoc eſt, purum (quod color eſt) ab impuro, [id eſt, corpore] ſcjungi, quod niſi primum fiat, omnis labor inutilis evadit. Separatione ergo facta, ſtatim ad coloris clarificationem, ac ad ſummum gradum exaltationem, properandum erit. Gradus autem ad quem tinctura exaltari poteſt, quinquies duplus eſt, id eſt, quinquies in bis xxiiij. nam ſublimior non evadit. Tinctura hæc ſummum in expurgando, renovando, reſtituendo, tum membro affecto, tum univerſi corporis ſanguine, myſterium continet, cujus adminiſtrationem docebimus infra, jam præparationem dixiſſe ſufficiat.

Praxis.

Corpus auri primum per aquam Salis, à Malleatione, ac natura Metallica removeatur, id eſt, corrumpatur, dein reſidentia per Aquam dulcem abluatur, color per Spiritum vini extrahatur, ſpiritus denique à colore elevetur, & in fiudo remanebit tinctura quam optas. *Aquæ ſalis compoſitio.* ♃. *Salem (abſque artis acceſſione ab ipſa natura) albiſſimum, quem aliquoties fundes, pòſt in pulverem tenuiſſimum redactum, cum ſucco raphani mixtum agitabis, poſt reſolutionem deſtillabis, deſtillatum cum aqua portione ſucci Sanguineæ, deſtillabis adhuc quinquies. In hac aqua laminæ ſolis per Antimonium repurgata in pulverem facile reſolvuntur. Pulvis deinceps hoc modo præparatus, aqua dulci deſtillata abluendus eousq; eſt, donec nullum amplius Salem reſipiat: nam Sal cùm in ipſius ſubſtantiam non penetret, facile lotione abluitur. Spiritus vini compoſitio.* ♃. *vini generoſiſſimi ſextarium unum, infundatur in vas circulatorium juſtæ magnitudinis (hoc eſt, in quo vinum facile agitari poſſit) ponatur in Balneum Maris, ad profunditatem quam vinum occupat, ac fiat decoctio ad dies* 10. *commiſſuris vaſis optime circumlitis, ne quid expiret: dein cucurbitæ indatur, ac lento igne Spiritus abſtrahatur, qui ut primum tranſierit (quod ex ſuis ſignis cognoſces) urgere deſine: nam reliquum nil niſi unum ſublimatum eſt.* Hunc itaque ſpiritum ſuperiori pulveri, qui inſtar Alcool eſſe debet, infunde, ut palmum ſuperet, ac vitro inditum, probeque munitum in Balneo calido per menſem digerito, & ſeparabitur color, ac Spiritui commiſcebitur, atque in fundo remanebit pulvis albus, his omnibus ſeparatis funde pulverem, ac tranſmutabitur in aquam Metallicam, cujus ſpiritus juxta artem evaporentur, & reſidebit in fundo liquor optatus. Cujus deinde gradationem auſpicaberis, quam in Retorta juſtæ magnitudinis quinquies, hoc eſt, ij. iiij. o. facies, fiet autem commodiſſimè per elevationem, quæ valde attenuat.

Cap. 3. *Tincturæ Corallorum pro mundificatione ſanguis extractio.*

COrallorum ſeu tinctura mundandi ſanguinis, tam ſecretam ac arcanam continet facultatem ut cui ejus uſus perſpectus ſit, Lepræ præcavendæ ac curandæ maximum teneat myſterium: tanta namque illi virtus eſt, ut ne vel minimum ulcuſculum generari patiatur, ſed omnem omnium venarum ſanguinem exquiſitiſſimè perpurget. Tincturę autem corallorum extractio, ſic attentanda, ut ſolum id unde coloratæ ſunt, ſeparare conemur: nam illud tincturam dicimus, non ipſum corpus. Itaque ſtudioſe conſiderandum medico, ut tincturas iis ex rebus quærat, quæ excellentibus coloribus præditę ſunt: eæ namque ſummam mundificandi ſanguinis vim obtinent, quod in corallis facturus ſic procedes. Primum omnium ex Corallis in ſubtiliſſ. Alcool redactis, per ſpiritum vini color abſtrahitur, dein præparetur ad ſummum ſuę bonitatis gradum.

Praxis.

Corallorum color ſimili ut Auri ratione extrahitur, qui deinceps ſedecim vicibus igne aperto, aſcendat, ac denique in Balneo M. ſexies à fęcibus oleum ababſtrahatur, ſervetnrq; uſui, Exhibetur ſcrupuli inſtar cum ℥j. Aquæ Theriacalis.

Auva

Aqua Theriacalis.

℞. Spiritus vini ℥v. Theriacæ bonæ ℥ij. ß. Myrrhæ Romanæ rubeæ ℥ j. ʒ ij. Croci Orientalis ʒij. mixtis omnibus fiat deſtillatio, per alembicum, &c. Hac ratione exhibita Corallorum tinctura, ſeu myſterium, omnis generis Fiſtulas, Cancros, Syreia, Phagadenas, &c. radicitus curat.

Cap. 4. *De Tinctura Balſami extrahenda & præparanda.*

ACcidit non raro ulceratos, ubi longo tempore ulcera perſtiterint, vel male curata fuerint, in affectis partibus Lepræ ſimilẽ quandam diſpoſitionẽ contrahere, unde nullum dein reſtaurans vel renovans remedium, propter ſummam putredinem, proficere videmus, in quo caſu omnis deinceps ſpes in Arcano Balſami conſtituenda erit: ipſum enim ſolum, & hoc genus mali, & alia corrodentia ulcera, percurare potens eſt. Itaque Balſamo mirificam facultatem ineſſe, ſi ut docebimus adminiſtretur, dubitandum non eſt.

Praxis.

℞. Balſami ℥ß. Spiritus vini lib. j. ß. ℥ij. circulentur in vaſe circulatorio ad menſẽ unum, dein per alembicum (qui in hoc remedio Retortæ præſtat) deſtilletur, ac denuo cum ℥ß. Balſa . i commixta digerantur, commiſſuris vaſis probe curatis. Et orietur mixtum quoddam à priore corpore alienum (hoc enim in omnibus reb. Gradandis catholicum eſt, ut ſui corporis naturam ac eſſentiam amittant.) Idque quater reiterandum erit, ſi ipſum volatile factum ſit.

Medicamentum hoc Balſami tanta penetrandi facultate pollet, ut nulla ſit humani corporis particula, quam non penetret, nullus morbus, nullave corruptio quam non curet: corruptio enim neceſſario accidit, ac medici ſubjectum eſt: nam Deus eſt qui corrumpit, Medicus qui reſtituat: vult enim Deus hoc medio nos ad ſecreta naturæ perquirenda inſtigare, &c.

Cap. 5. *De Tinctura Antimonij Reſtaurante ac renovante.*

INveniendorum remediorum, eorumque naturæ indagandæ rationem, vel unius Antimonii exemplo, quis facile addiſcere poſſit. Quemadmodum enim primum arte Chemica, ipſi ſoli virtutem repurgandi Auri ineſſe, ac perfectam, quæ nullas relinquat ſordes ineſſe cognitum eſt. Sic Medici ejuſdem vires in humano corpore experturi, illius Arcanâ inquirere non ſunt veriti. Atque hinc didicerunt tincturam, quę illi ineſt, extrahendam eſſe, quę idem in humano corpore expurgando præſtet, quod in Auro mundificando efficere ipſum apparet. Exempli gratia, Urticæ, Flammulæ, Cantharides, vi cauſtica pollere videntur, qua puſtulas excitant, at Chemica arte ſi præparentur, non ſolum aquam in puſtulas: ſed certum quemvis humorem attrahent. Sic Magnes arte Chemica præparatus, ferramenta telorum è vulnerib. attrahit, hinc ſtictica emplaſtra ex eo præparanda pręcepimus. Atq; ſane hujuſmodi ſubtilib. ſecretis primã noſtrę chirurgiæ partem ornare animus erat, ſed Alchymiæ contemptus, ac Pſeudomedicorum Sophiſmata à propoſito nos abſterruerunt: at ne quid indictum nobis abiret, in minorem Chirurgiam ea reſervavimus.

Sciendum præterea eſt, quemadmodum Antimonium ſolum aurum purificat, reliqua metalla omnia conſumit, (adeo ut argento adhibitum, ejus pondus mirum in modum minuat) ſic ſolum humano corpori expurgando dicatum eſſe, non ita reliquis. Homo enim quoad vires ac perfectionem maximam cum auro ſimilitudinem habet, atque hinc Stibium Aurum tantum & hominem ad ſummum uſque puritatis gradum evehit, reliqua omnia abſumit: inſtar ignis enim eſt, qui quædam purgat, quędã penitus abſumit. Antimonii hujus itaq; natura cathartica eſt, ſine fæcũ ac excrementorũ rejectione: etenim illud ſolũ pellit (ſupra omnia reliqua Arcana) quod immundum hominem reddit, eumque expurgatis omnium morborum ac ulcerum cauſis, ad ſummam ſanitatem reducit. In elaborando illo ſummi Philoſophi deſudarunt, ſed in caſſum omnia: noſtra tandem ętate, noſtra inquam opera elaboratus perfectuſque eſt. Itaque iſtud ſecretum eſt, quo omnis curatio auſpicanda erat: multorum namque perditio per illud præcaveri poſſet, quam Pſeudomedici ac Opinioniſtæ noſtri ægris conciliant. Ejus præparandi rationem Chemiæ peritis: (nam juxta vulgatas pharmacariorum regulas tradi nequit) nos impertiemur.

Praxis.

℞. Antimonii in ſubtiliſſimum Alcool redacti quantum ſufficit: in clauſo reverberatorio, ad ſpacium unius menſis reverberetur, & evadet volatile leve, primò album, mox luteum, dein rubrum, poſtremò purpureum, ſeu violaceum: quo facto ab ipſius Lilio eſſentia ſua per ſpiritum vini, quì viginti digitis ſupereminea, extrahatur, dein ſeparetur: ſeparatus iſte vini ſpiritus namque nobiliſſimam, pretioſiſſimam, & tantum non divinam Lilii eſſentiam ad omnes morbos percurandum præſentiſſimam continebit. In quo perquirendo remedio omnium qui ante me vixerunt Philoſophorum ac Artiſtarum labores vani fuêre.

Cap. 6. *De Tinctura Salis Philoſophorum.*

PHiloſophi veteres quàm indefeſſo ſtudio in perquirendis Arcanis naturæ, ad ſanitatem facientibus, laborarint, omnibus manifeſtum eſſe puto; ſed an ii ad optatum finem uſque pervenerint, apud pleroſque dubium eſt, præparationis ſane ignorantiam intra metas ipſos continuiſſe certum eſt: itaque ad nos uſque perfectionis finis pertinuit, quamobrem nobis acriter in perficiendis ipſorum principiis incumbendum eſt: neque eſt ut quiſque de Humoriſtis me loqui exiſtimet: ipſorum namque ars (ſi modo artis nomen meretur) jam dudum inventa perfectaque fuit. Ad priores noſtra jam redeat oratio: illi, inquam, quàm in excolenda Medic. ſudarint, (quia oſcitantia illius ſeculi annotatum non eſt,) nobis ſatis non conſtat. Ingentium tamen laborum certiſſimæ argumenta in Salibus habemus. Hos etenim cùm viderent, quicquid uſpiam eſt, à putredine tutum aſſervare, non temere ratiocinati ſunt, ad humani corporis putredines præcavendas quoque utiles futuros. Itaq; Sales præparaverunt, ex primariis Arcanis invicem, ac cum Sale mixtis, ut Florib. Auri, Antimonii, & Corallorum, &c. (quos à ſe Philoſophorum ſales appellare placuit) eoſque ægris cum cibo exhibuerunt. Quin non ita multo pòſt ex omnibus rebus, Sales iſtos conficere didicerunt, quorum ſingulorum vires, cùm illis perſpectæ non eſſent, plures invicem miſcuerunt, ac ægris exhibentes eorum effectus obſervarunt: hujus generis ſunt Sales Valerianæ, Meliſſæ, Chelidoniæ, Angelicæ, Eryngii, &c. de quibus mox plura.

Quoniam autem inventiones variæ fuerunt, varię quoque deſcriptiones ac formulæ Salium iſtorum ſparſę ſunt, in quibus deligendis accurato judicio opus eſt; nec ſufficit ad commendandum remedium, Salis philoſophici titulum habere. Salomon loquaci homini peccatum non deeſſe pronunciavit, per peccatum Mendacia intelligens, itaque ſi aliqua hujuſmodi formula occurrit, verborum lenociniis fucata, Mendoſam illam eſſe judicabis: ſiquidem ſimplex eſt veritatis oratio. Verum quod ſuperius monuimus, optima quæque Salium compoſitio adhibita eſſe, præcipuè vero Flores Antimonii: admonitos tamen vos velim interim, Fl. Antimonii vulgatam præparationem, ut & quintæ eſſentiæ Auri, à Rupeciſſa loquaciſſimo Monacho proditam

ditam, & à Raimundo Lullo hauſtam, genuinam non eſſe: nam ut verum fatear, nulla eorum deſcriptio ad me pertinuit, quam uſurpandam conſulam, niſi ea quam nos invenimus, forſan alicui arrideat: ſed ad Sales redeo, quorum ex noſtra correctione ac præparatione duas formulas proponemus. Ut,

Recipe Salis Auri, Salis Antimonii, Salis Meliſſæ, ana ℥ j. *Salis communis* ℥ *viij. miſceantur, ac ſingulis matutinis cum mica panis torrefactæ modicum utere.* Ne mireris quòd Salem Solis, & Salem Antimonii dicam, cùm tamen Sales non ſint, ſi ſcires quæ ſcire debebas, admirari deſiſteres. Alius.

Recipe Salis Gamandreæ, Salis Cichoreæ, Salis Valerianæ, ana ℥ j. *Salis abſynthii*, ʒ ij. *Salis Vitrioli*, ʒ j. *Salis communis lib. j. miſce ac utere, ut ſuprà.* Reliqua quæ ſuperſunt in adminiſtratione docebimus.

Cap. 7. *Cur iſta arcana prodiderit Paracelſus.*

Tincturas rejuveneſcere facere, dictum jam aliquoties eſt, quod quidam ſic intelligentes putabant, uti Gallinis ac volatilibus pennæ deciduæ fiunt, ſic cutem, pilos, ungues, &c. hominis abſcedere ab earum uſu debere: verum non ſic accipiendum erat, ſed potius id eas pellere, quod pennis volatilium in homine reſpondet, humores puta, ulcerum cauſas effectrices. Itaque humores iſtos, tamque noxios ac ſuperfluos à tincturis pelli credendum eſt: nam ridiculum foret, de partibus corporis noſtri, quæ aliqua functione ac uſu non carent, quales ſunt cutis, pili, ungues, &c. intelligere velle. Etenim natura interim non paucis in locis quid in hoc caſu in homine poſſit, teſtatū facit, ut in Serpentibus ſenectas exuentibus apparet, (ſed hæc præſentis loci non ſunt.) Sic Iſpida avis, cujus cutis quotannis poſt mortem etiam, novas plumas producit, argumentum hujus renovationis eſſe poteſt. Sic etiam Merulę, Turdelæ, aliæque aves, araneis veſcuntur ad corporis ſui renovationem ac reſtaurationem.

Quia ergo in homine, qui & ipſe ejuſdem cum beſtiis (quoad materiam ſubſtantiæ eſt) aliquid hiſce reſpondens ineſſe, extra dubium ſit, (nam ſatis ſuperque hoc teſtatū fecimus hactenus) quod ſcilicet à tincturis iſtis edometur, dico illud reſiduam humiditatem eſſe à Sale reſoluto (nam de ulcerib. nobis ſermo eſt) pronatam: humor námque iſte humori pennarum ſimilis plane exiſtit, quod ex eo innotuit, quòd eodem Medicamento, & iſta humiditas in homine, & gallinarum pennæ deciderent ac ejicerentur. Hæc etſi ridicula plurib. videbuntur, quia tamen ſenſu & experientia confirmata ſunt, fidem merebuntur. Nam ſi in effectu Medicinę perfectio conſiſtit, neceſſe eſt Medicū per exteriora objecta rerum cauſas venari: hujuſmodi ergo experimentis mirifice locupletatus, ergo aliā Medicinę conſtituendę rationem ingreſſus ſum, quàm in Medicorum ſcholis hactenus factitatum ſit, quam etiam tueri mihi facile erit, cùm vel Cæſare judice, ſaltem per effectus, facta, ſigna &c. non verbis inanibus cauſam tueri, & actor & reus cogatur.

Quamobrem præſentis hujus tertii Tractatus primam partem, quæ curationibus conſecrata eſt, eò direxerimus: ut quo pacto univerſali ratione quorumvis ulcerum cauſę ex ſuo loco radicitus evellantur ac nova ſubſtantia generetur, oſtenderemus, confidentes, omnibus cordatis medicis rem gratam nos feciſſe: inſcios enim ac ignaros non moramur.

Cap. 8. *De Virtutibus ac Operationibus Tincturarum.*

Cum inter omnia animalia, homo ſolus aurum ſit, hoc eſt, Auri ſimilitudinem gerat, rationi conſentaneum eſt, ipſum ut aurum tractari debere, ex quo ſequitur, quemadmodum Aurum à ſuis ſordibus perpurgatur, ſic & hominem à ſuis excrementis emundandum eſſe. Quod ſi analogiam iſtam deſerat Medicus, ac per ſolos Clyſteres, ſyrupos, potiones, &c. humanum corpus expurgare inſtituat, jam in craſſiſſimo verſatur errore: nam non cauſam morbi, ſed ſtercora ſola pellere tentat. Cùm enim duo ſint in homine, quæ morbos efficiunt, corruptio nimirum trium primorum corporum, quam nos deſtructionem vocamus, & Stercorum collectio, inter utraque accuratè diſtinguendum erit: nam ut ſtercora evacuentur, omnes omnium Humoriſtarum Medicorum libri ſcatent: at Deſtructionem quomodo tollere oporteat, nemo diſcere nedum ſcribere, vel per ſomnum cogitavit, cùm tamen hoc unicè in omni morborum genere conſiderandum ſit. Verbi cauſa, Laboret quis ulcere, quid prodeſt ſingulis diebus ſtercora evacuari? quid confert tenuem diætam præſcribi? an ne ſtercora morbum fovent? an crapula morbum fecit? minime gentium, itaque aliò ſe convertit medicus, ut nimirum per tincturam expurgare animum inducat: ea enim genuina curatio eſt, & utilis. Itaque cùm deſtructio quàm ſtercorum collectio cauſa vehementior ſit, magis quoq; in renovatione quàm purgatione Medico laborandum erit. Atque hęc pręcipua cauſa fuit, qua permoti deſtructiones omnes accuratius pertractavimus: hinc quoque manifeſtum evadit, purgationem, clyſterem, abſtinentiam &c. genuinas curationes ulcerum non eſſe: niſi enim Tincturæ renovatio fiat, curatio nulla dicenda eſt: nam quæ aliàs fiunt curationes, fortuitæ ſunt; verbi cauſa, ſi ea in illud tempus incidat, quo ipſamet natura renovationem moliebatur (ut in Serpentibus & Merula, &c. apparet fieri) tum enim expeditiorem curationem fieri non inficior, ſi ſtercora ſubtrahantur: at huic evacuationi curationem acceptam ferendam eſſe plane pernego. Exempli nobis loco Mercurius eſſe poteſt; qui omne ulcus, etiam à morbo Gallico factum, curat radicitus: ipſe enim purgat, ipſe rejuveneſcere facit, ipſe invertit, ipſe renovat, atque propter has cauſas ipſum curare dicimus, non quia virtus incarnativa illi inſit: illam namque Balſamo naturæ acceptā ferimus, ſed quia illum ipſum purificat, renovat, ab omnibus ſordibus expurgat: quo expurgato, purificato, renovato, vera ſequitur curatio, uti de curatione morbi Gallici manifeſtius patebit.

Neceſſaria itaque Tincturarum conſideratio eſt: eæ enim non hominem, hominem faciunt, id eſt, ægrum ſanum efficiunt: nam qui excrementitiis ac noxiis humoribus ſcatet, jam homini vero non æquipollet. Quemadmodum ergo Aurum ſi ipſum finum non ſit, per Antimonium expurgatur, donec ad ſummum ſuæ bonitatis gradum perveniat: ſic Medico hominum corpora conſideranda veniunt, diſtinguendum ſcilicet illi eſt, quoto gradu ſanitatis quiſque conſtitutus ſit: eo enim cognito, facile per Antimoniales Tincturarum virtutes quemvis hominem ad ſummā ſanitatem exaltare poterit. De gradibus iſtis à nemine hactenus quidquam proditum eſt, nos de iis ſcitu digniſſima in noſtris Archidoxicis paragraphis annotavimus, iſta ſane conſideratio & utilis, & neceſſaria admodum eſt, niſi parum referre dicamus, quantum quis ab optimo ſtatu declinarit noviſſe. Immundities illæ, de quibus jam antea locuti ſumus, in duplici inveniuntur differentia: aliud enim ab aurea natura hominis, aliud à nutritione excrementum provenit: etenim quemadmodum in auro ſordes quædam ſunt, quæ ab optimo gradu ipſum declinare faciunt,

quæque

quæque per Antimonium expurgari debent: ſic in homine excrementa quoque ab Auro, (liceat perpetuam analogiam obſervare) provenientia latent. At cum homo in hoc aurum ſuperet, quòd nutritione opus habeat inſuper, aliud quoque excrementi genus colligere neceſſe habet. Hac itaque excrementorum differentia obſervata, facilis erit ſuperioris dubii ſolutio: ubi enim minerale excrementum fuerit crapula, morbi cauſam augebit: atque hinc curatio per abſtinentiam ac purgationem inutilis erit: nam in Minerali excremento expurgando, Mineralis medicina, quæ in ſolis tincturis, utputa, Sole, Mercurio, & Antimonio, &c. conſiſtit, neceſſaria eſt, quo expurgato, ſponte reliqua ſtercora evacuantur. Tincturarum autem operatio (ut & illud aliquando annotemus) in hunc ferè modum fit. Veluti ignem videtis, ligna ac ſimilia corpora, quæ nullam ut aurum &c. hominis figuram gerunt, in univerſum facit abſumere: ſic & tincturas operari credendum eſt. Sic & quemadmodum Antimonium omnes auri ſordes expurgat, ipſumque perficit, ad ſummum gradum exaltat per cementationem. Similiter cementi ſimilem naturam Tincturas ipſas obtinere manifeſtum fit, ex eo quòd hujus ac ignis plane ſimiles operationes perficiat. In tincturis cum igne conjungendis mire defatigarunt ſe antiqui artiſtæ: videbant enim ex iſtorum conjunctione plane ſacra Medicinam prodituram, ſed fruſtra omnia.

Cap. 9. *De Tincturarum Uſu & Adminiſtratione.*

Uſus Tincturæ Auri.

Adminiſtratio tincturæ Auri, ad tollendam ulcerum radicem hujuſmodi ferè eſt: ℥ ejus cum ℥ Theriacę optimæ commiſcetur, mixturæ hujus ℈ j. jejuno exhibetur, & in lectum compoſito ſudor imperatur. In adminiſtrationibus obſervandum, ubi eæ factæ fuerint, noxios humores ſtatim per ipſum ulcus, vel per hæmorrhagiam, vel alium fluxum effluere, adeo ut in ipſomet ulcere tincturæ operationem videre liceat. Sciendum tamen, tincturam non diutius exhibendam, quàm donec humores per ulcus effluere deſinant, quod ferè x. vel xij. die accidit, atq; tum curationem ulceris leviſſimo quovis remedio perficere promptum eſt.

De adminiſtratione Tincturæ Corallorum.

Arcani Corallorum uſus is eſt, ut in ℥ x. aquæ Cichorii vel Chamædrios ℥ j. ß. tincturæ Corallorum diſſolvantur, ac ubi uſus expoſtularit, ejus mixtura ʒ ij. 5. horis ante prandium, ac 5. à cœna exhibeantur, continuando per 6. vel 7. dies. Interim tamen accuratè cibandus æger eſt, eduliis Euchymis, à potu vel planè arcendus, vel ſola aqua Cichorii, vel fumi terræ ſitis compeſcenda. Cætera quod attinet ſciendum, ſi ex ulcere ſubito copioſus humor effluat, ac ipſum deinceps exiccetur, ac dolere deſinat, jam ab exhibitione tincturæ deſiſtendum eſſe. Sedulo verò mali magnitudinem conſiderabis: nam juxta illam doſim tincturæ attemperare oportet.

Adminiſtratio tincturæ Balſami.

Balſami tinctura exhibetur in ſubſtantia, doſi v. granorum, aliàs vino albo veteri permixta exhibetur, bis quotidie à ſumpto cibo: uſus ejus continuandus eſt, donec plane exaruiſſe ac exiccata ulcera videamus: nam fonte mali ſublato, tanta varietas ulceribus accidit, ut in contrarium plane ſtatum tranſiiſſe videantur, atque illius operationem ab intra extrorſum fieri appareat, cujus obſervandum etiam, Balſami tincturam ſolam ad ulcera curanda exhibitam ſufficere, & levi remedio extrinſecus impoſito, ad tegendum ſaltem ulcus, curationem perfici poſſe.

Adminiſtratio tincturæ Antimonii.

Vindemiarum tempore, ♃. *muſti boni, quantum ſufficit, ac ſingulis xx. ſextariis, impone* ℥ ß. *tincturæ Antimonii, deferbeant omnia, ac reſerventur ad uſum.* Atque ubi neceſſitas poſtulaverit, ęgros ad Menſis ſpatium hoc potu ſuſtentato, nec quidquam bibant prętereà. Miram illius in repurgando, mundificando, incarnando, ac claudendo ulcere virtutem experieris: nam ulcus ceu vulnus ipſum eſſet, inſtar potionis vulnerariæ perfectè conſolidat, nec opus eſt extrinſecus, niſi vulgato emplaſtro uti. Optarim ſane omnium Receptarum ac compoſitionum vulgarium, hanc unicam potionem ſubſtitui, fortàn non tam malè audiret Medicina, minuſque periclitarentur ægri.

Tincturæ Salis philoſophorum adminiſtratio.

Salis nomen meruit hæc tinctura, quod Sal ſit, & Salis inſtar uſurpanda veniat, itaque eo cibi omnes, qui ægro exhibentur, condiendi erunt: nam ejus uſu radix ac origo mali penitus extirpatur, ipſumque ulcus ab omni veneno repurgatur, ut deinceps recens ſanguis, qui affluit paulatim, ipſum conſolidare poſſit. Paulò diuturnior iſta, quàm reliquarum Tincturarum curatio exiſtit: tam vero certa ea eſt, ut nec Cancer, nec Fiſtula, nec Syreon, &c. ipſi diutius reſiſtat, ſed ut primum mali radix extirpata fuerit, ſine negotio conſolidatio ac incarnatio ſubſequuntur.

Cap. 10. *Ut poſt curationem factam ſanitas conſervetur.*

Cum ſanorum ad morbum prolapſus in proclivi ſit, multò magis eorum qui neutra ſunt conſtitutione prædìti: morbis accommodæ naturę habentur, itaque pręcautionem ſeu prophylacticen illis præſcribere officii Medici erit. Itaque ſanitatis conſervatio in iis, qui ulceribus obnoxii ſunt, vel fuerunt, hoc ferè modo fit. Sole in primum punctum Arietis ingrediente, tincturæ (quamcunque tandem eligere placuerit) doſim præſcriptam ea quo in adminiſtratione docuimus ratione adhibe, non ſecus ac ſi jam ex ulcere laboraret æger, idque quotannis itera, & erit ab omni ulcerum genere tutus. Etſi autem præter enumeratas tincturas aliæ plures habeantur, ut Aſclepiadis, Mumiæ, Camedrios, Mercurii &c. eas tamen certis de cauſis deſcribere omiſimus: etenim Mumię eadem cum Balſamo præparatio eſt, Irundinariæ verò, Gamandreæ &c. Meliſſæ, Antimonii vel Salis Philoſophorum tincturam referunt. Ad hæc cùm illorum operatio minus efficax ſit, eas conſulto reticuimus. Veruntamen Mercurii tincturæ ſummum ſecretum, etſi hic commemorandum fuerat, propter ulcera, tamen commodior de ea tractandi occaſio in ulceribus morbi Gallici offeretur.

Epilogus.

Fundamenta artis extrahendarum tincturarum ex Sole, Corallis, Balſamo, Antimonio, & Sale philoſophorum, omnibus cognoſcenda eſſe, vel ex uſu ipſorum excellenti manifeſtum eſt, quæ etiam pro eo ac potuimus dilucidiſſime proponere ſtuduimus. Etſi autem non ſint defuturi, qui noſtram in his obſcuritatem calumnientur: tamen cùm Medicis ſcripſerimus, medicos autem

iſta intelligere deceat. Atqui ſi nil aliud ſciant, quàm in Medicorum ſcholis hinc inde didicerunt, nil mirum, etſi iſta non intelligent, multò minus Chirurgi ac Veterinarii uſum ex iſtis percipient, ſi ſaltem æreas ſuas thecu las variegatis coloribus pueriliter exornare ſciant. Summa hæc eſt, eritq; ſemper Medicinæ peſtis, quòd Doctoris titulus omnium rerum ſcientiam perficere creditur, cùm tamen illi nugas tantum per omnem vitam didicerunt: quemadmodum & Chirurgos artis ſuæ magiſterium conſecutos vulgus perſuaſum habet, ſi æream ſuam pyxidem unguentis vario colore diſtinctis implere didicerint. Proinde ſi quis Medicus perfectus eſſe velit, plura ſcire, diſcere ac cognoſcere eum oportebit, quàm ii omnes, à quibus ipſe didicit, ſciverint, ac cognoverint: quod ſi fieri debeat, ante omnia illis perſuaſum eſſe debet, Pharmacopœiam ancillam ſaltem eſſe veræ illius præparandorum remediorum artis, ipſumque Avicennam in cenſura ſeveriore Medici, nedum Principis nomen ſuſtinere non poſſe. Sed erunt plures, quib. hoc paradoxum videatur, Pharmacopœiam veram componendi medicamenta artem non eſſe, ac Sophiſtas illos pſeudomedicos dici: verum illi meminerint, ſolos ignorantes ſcientiam hoſtes habere. Ignorantes dico, qui de ſcientia ſibi cognita falſo gloriantur: nam niſi illis perſuaſum eſſet negotium ſe tenere, de addiſcendo ulterius ſolliciti eſſent., nec tantopere in defendendis ſuis fucis laborarent. Sed Magiſtratum aliquando ſeveris in iſtos ſocios animadverſurum confido: quod ſi & hujus quoque negligentia omnia, omnibus in poſterum, ut hactenus licebunt, mirum ſi non deteriora ægris accidant. Ego ſummum bonum in iſtis pono, integritatem ac puritatem conſcientiæ.

De Curandis Vlceribus, Tractatus Tertii, Pars II.

Prooemium.

ETſi ab illa prima curandorum ulcerum per Tincturas ratione, utpote longe omnium tutiſſima ac certiſſima, ne latum unguem quidem diſcedere decebat: tamen quia difficilis ea eſt, & à paucis hactenus cognita, tum quòd non raro contingit, radicem ulceris non intra corpus latere, ſed eo ipſo loco quo ulcus eſt, conſiſtere, (unde illa tincturæ exhibitio fruſtranea eſſe poterat) particularem jam tandem omnium ſpecierum, eo quo præcedenti tractatu enumeratæ ſunt ordine, proponemus: ac quia ſine morbi cognitione curatio inutilis eſt, paucis quoque ſigna ſingularum ulceris ſpecierum proſequemur. In qua tractatione, ſi non ea Methodo utar, qua antiqui, parum refert: nam & de iis reb. tractare me videbitis, quarum ne verbo quidem mentionem fecerunt illi, nedum ut perfectè deſcripſerint: ad hæc cùm nulla in ipſorum ſcriptis certitudo inſit, Medicina autem certis innitatur fundamentis, non immerito iſtas partes mihi ſumpſi. Etſi autem tantum oneris me perferre poſſe non mihi tribuo, ſpero tamen non defuturos homines cordatos, qui auxiliares operas mihi ſint locaturi, difficile eſſe conceptam de pſeudomedicis opinionem ex hominum animis evellere ſcio, maximè cùm tantam noſtræ Medicinæ amplitudinem perſpexerint: nam ejus cognitionem intra 24. ætatis annum nemo facile ſibi comparaverit, quod in ipſorum Medicina ſolenne eſt: nam illic oportet intra 24. annum Doctoralia inſignia conſequi, quia autem oportet Doctorem fieri, ſine & nihil ſcire Doctorem oportet: nam iij. iiij. vel ut annis omnes Medicinæ partes, vel per tranſennam inſpicere, nedum penitus cognoſcere impoſſibile eſt: nam quomodo tantulo tempore Philoſophiam, Aſtronomiam, Alchymiam, Phyſicam, &c. quis addiſcatur? ut interim illud omittam, quòd Parabolanum eſſe, plurimasque regiones, peragrare ac perquirere illum oporteat. Proinde omiſſis illis, noſtra de ulceribus experimenta depromamus.

Cap. I. *De primo ulcerum genere (juxta diviſionem ſecundi tractatus) curando.*

SI æger tibi occurrat, qui ulcus, vel plura etiam ulcera oſtendat: primum omnium de invaſione inquires: quod ſi reſpondeat, Primum omnium rigorem, mox æſtum (idque aliquoties) invaſiſſe, ac nunc hoc, nunc illo loco ruborem excitaſſe, tandem certo loco conſtitiſſe, phlegmonem, duritiem, ulcuſque effeciſſe, hoc reſponſum ſi feras, judica ulcus effloreſcens ſeu tempeſtuoſum eſſe. Curandi illius rationem tripartitam facimus, alia namque tumori, alia ulceri, tertia conſervationi deputata eſt. I. Si rigor corripiat, etſi peſtilentiali ſimillimus ſit, nullam manum admove, ſed expecta, donec calor ingruat, ac quem in locum videris materiam decumbere velle, & morbi Centrum facere, eum hoc Epithemate fovebis: quod *Recipit Myrrhæ rubeæ ℥ ß. Thuris albiſſ. tantundem, ſingula ſeorſim duob. ſacculis in pulvere redacta includantur, ac in aceti opt. ſextario ſemis, vini albi opt. ſextario uno, percoquatur, linei panni in calido madefacti, ſubinde imponantur Centro, donec calor omnis remittat*, præſtantiſſimum eſt in omni effloreſcentia remedium, ac quod unicum ad perfectam curationem ſufficere poſſit: nam ſic calorem omnem extrahit, ut de cætero nulla amplius ſollicitudo ſuperſit.

II. Quòd ſi jam factum ex tumore ulcus ſit, eodem remedio phlegmonem, ſi quæ adſit, removebis, ac dein an ſordidum illud ſit, conſiderabis, quo ipſum ſi neceſſitas expoſtulet repurges, ad quod ſequens mundificativum convenientiſſimum erit. ℞. *Aluminis uſti aceto reſtincti ℥ j. ß. Aloes hepat. ℥ j. mellis ℥ v. pulveriſatis, pulveriſandis fiat mixtura ad modum Emplaſtri, imponatur mane & veſperi.* Sin jam inveteratum ulcus fuerit, Calcinati modicum adjicies, & repurgabitur optime, fietque ad conſolidationem aptiſſimum, quæ fiet in hunc modum.

℞. *Emplaſtri ſtictici lib. j. cui malaxando commiſce, Calcinati ℥ ß. croci Martis ℥ j. ß.* deligetur ulcus bis quotidie, donec perfectè curatum ſit, &c. III. Curato denique vulneri, ne recrudeſcat proſpiciendum erit, quod fiet, ſi quotannis aliquoties venæ varicoſæ, ſive in ſuris eæ ſint, ſive in malleolis, aperiantur. Quin & curationis tempore, ſi effloreſcentes venæ putridæ ac leproſæ apparuerint, frequenter eas ſecare utile fuerit.

Cap. 2. *De Fiſtularum Curatione.*

SI æger quiſpiam foramen parvum, ſeu ſtrictam cavitatem, perpetuo madentem, in corpore oſtendat, eam initio immiſſo ſyphone explorato, ſi namque cavitatem intrinſecus ampliorem ſentias, quàm extra appareat, porrò interrogandus æger erit, an ex ulcuſculo aperto primum extiterit: ſi enim affirmet, certò ſcias fiſtulam eſſe. Quod mali genus cùm nec priſca nec præſens ætas, ſuopte marte coaluiſſe meminerit, ſolis Medicamentis iiſque præſtantiſſimis curatio perficienda erit. Nos remedia ejus in intrinſeca & exterius admota partiemur, intrinſecus exhibito potu, exterius admota aqua, vel emplaſtro, vel linimento &c. nos fiſtulas curare ſolemus abſque omni victus ac diætæ accurata obſervatione. Sequitur forma potionis.

Recipe Ciclaminis M. ij. Saniculæ alb. M. j. conſolidæ mediæ M. ß. fiat decoctio in vino albo, vaſe duplici occluſo, dein adjice ol. Garyophyllorum, per Alembicum præparati ℥ j. ß. bibat æger ter ſingulis diebus, juſta olei diviſione procurata, hoc ſolo potu recentes Fiſtulæ curantur penitus: inveteratis verò præſens quoque linimentum adhibendum, quod recipit.

Olei laterini ℥ iij. ol. Terebinthinæ, lib. ß. olei Caryophyllorum ℥ j. ß. Thuris, Maſtiches, Myrrhæ, ana ℥ ß. Mummiæ, ℥ iij. urgeantur omnia igne fortiß. ac deſtilletur oleum quod per ſyringam quotidie bis injiciatur, ac cavitas vino, vel aqua Salis ſubinde eluatur. Extrinſecus

ſecus impones Emplaſtrum ex Calcinato pręparatum. Sunt pręterea & alia præſtantiſſima, ac certiſſ. in Fiſtulis curandis remedia, oleum Saturni & Mercurii, cum aqua mercuriali, &c. aliaque plura.

Notandum inſuper eſt, ubi loci incommoditas Emplaſtrum non fert: ut verbi gratia, ſi in oculis vel auribus fiſtulæ fiant, potionem & injectionem illam ſufficere. Nec eſt prætereà ut de aliis remediis ſollicitus ſis, monia ea præſenti capite deſcripta ſunt, qui neſcit, diſcat.

Cap. 3. De *Vlceribus nitroſis curandis.*

SI in ægro ulcera cava coacervata unum in locum plura occurrant, eaque ſicca ſint, cum modico pure, originem eorum inquirito: nam ſi primum puſtulæ minutæ fuêre, deinceps autem in Scyrrhos tranſmutatæ ſunt, paulatimque in ulcera degenerarunt, hoc qui ſequitur modo curabis. Obſervandum tamen ante durationem eſt, ne Scyrrhos curare attentes, ſive per digerentia, ſive per corrodentia: periculo enim recidivæ ambo non vacant, ſed potius expecta, donec ex ipſis ulcera percoquantur à natura.

Conſolidandum unà & mundificandum eſt hoc remedio. ℞. *Unguenti de vitellis ovorum, quartarium j. olei de Mercurio* ʒj. *miſce, utere de horis xij. in xij. donec abſoluta penitus curatio ſit: vel ſi mavis, loco olei recipe duplum, id eſt,* ʒ *ij. Calcinati majoris: imò ſi ſtiℓticum Emplaſtrum magis arriſerit, eo uti poteris: omnia enim æquè conducunt.* Forma horum ulcerum plurimum evariat, tum & ſitus: quandoque enim in ventre cinguli inſtar corpus ambiunt, quandoq; in artubus colliguntur, ſed iſta curativas indicationes non immutant, ſi omnia ex Scyrrhis extiterint: iſtud enim quàm illud conſiderare potius oportet. Quæ de iſtis ulceribus antiqui prodiderunt, ridicula, frivola, ac plane puerilia putanda ſunt, qui noſtra remedia tenuiſſent, non tam in diſtinguendis illis luſiſſent: tot enim ſpecies eorum quilibet numeravit, quòt remedia inutilia conficere potuit, &c.

Cap. 4. *De Vlceribus emortuis curandis.*

SI æger quiſpiam ulcus oſtendat, ejuſque generationem, ac ſymptomata enumeret, ac dicat inter cætera, nunquam antehac, nec in pręſens etiam dolorem ſe ſenſiſſe, curationem ut ſequitur aggredieris. Primum mundandum ulcus, dein incarnandum, ultimo claudendum: mundabis per Calcinata, incarnabis per Emplaſtrum ſtiℓticum ſimplex, claudes croco Martis: iſtis tribus curandi modis ac remediis, nullum ulcus eſt, quod reſiſtere queat, nos uberioris doctrinæ gratia ſpecialius omnia docebimus. Mundificatio.) ℞. Unguenti de melle, quantum ſufficit, Calcinati modicum, deligetur ulcus, donec nullus fœtor, nullaque putredo ſuperſit amplius, quod fere intra vj. diem accidet, quo facto conſolidationem cum Emplaſtro Stictico de Lythargiro vel Colofonia auſpicare, ac continua, donec conſolidatum ſit, renovando Emplaſtrum quinto quoque die: quod ſi interea temporis majore mundificatione opus fuerit, conſolidationem aliquamdiu ſuſpendes, ac ejus loco mundificativo uteris. Tandem ubi claudendum ulcus erit, Recipe Crocum Martis per reverberationem pręparatum, eumque quotidie bis inſperge, quando autem ſecunda vice eum inſperſurus es, locum eluere ſequenti lavamento conveniet. ℞. *Aquſ fontisæ* ℥j. *Aluminis* ℥j. *ſalis communis* ℥ß. *mixtis omnibus lavetur locus, ac denuo inſperge Martis crocum, donec cicatricem feceris.* Denique victum ægris præſcribere accuratiſſime conveniet, ut & ſanguinis miſſionem, ac Thermarum naturalium uſum imperare.

Cap. 5. *De pedum Vlceribus manantibus curandis.*

SI ſub genu in tibia magnus tumor appareat, cum multis ſumis, ad hæc plurima ulcera ſerpentia ac erodentia cum duritie, aliisq; in figura affectibus, quæ mali prima origo fuerit, interrogabis: ſi ex pluribus puſtulis coacervatis, atque paulatim auctis primum extitiſſe audieris, talem curandi rationem ingredi properabis: nam malum hoc à ſeipſo numquam curatur, ſed ſubinde pejus evadit. Curandi ratio quinq; capitibus abſolvitur: fumigatione, tumoris ablatione, mundificatione, conſolidatione, & cicatricis inductione, non ignorandum tamen, ſi forte ex peccato in victu, fluxio quoque complicetur, aliam curandi viam, de qua deinceps tractabimus, ingrediendam eſſe. Fumigatio.) *Recipe rad. Aſclepiadis* ℥ij. *Saniculæ, Potamogeti, Muſci lapidum, & fl. Sambuci, ana M. j. coquantur in aqua fontis, & excipiatur fumus, non tamen lavandum eſſe ægrum memineris:* quod ſi efficacius remedium deſideres, adjicere poteris fl. Camomillę M. ij. ſtercoris columbini, M. iij. Gallinarum M. ß. fumigandum quotidie bis, mane & veſperi, antequam deliges.

Ut autem pes detumeſcat. ℞. *fl. tapſi, hyporiconis ana M. ij. fl. Sambuci M. iij. fl. camœmeli M. ij. fiat decoctio in vini & aceti, ana partib. æquis, exprimatur materia, ac cataplaſmatis inſtar calida imponatur eousque, donec de expurgando conſilium capere tempeſtivum fuerit.* Mundificaturus deinceps ulcus, ℞. *unguenti de vitellis ovorum quantum ſufficit, acuatur cum Calcinato, ac quotidie bis imponatur, ſordesq; ſtudioſe detergantur, dum in fundo recens caro appareat,* quo facto, ad conſolidationem progredieris, in hunc modum. ℞. *Emplaſtri ſtiℓtici de Colofonia quartarium j. de Lithargyro lib.* ß. *Reſinæ mundatæ* ℥j. ß. *coquantur lento igne, ac cum croco Martis malaxetur, fiatq; magdaleon: poteris, ſi ita viſum fuerit, calcinato acuere:* uſus ejus eſt, ut quotidie bis renovetur, omiſſa fumigatione, &c. Denique ubi claudendum ratio juſſerit. *Recipe putaminum ovorum uſtorum* ℥. ß. *Aluminis uſti cum aceto reſtincti,* ʒj. *Croci Martis* ℥j. ß. *Thuris, Mirrhæ, Maſticis, ana* ʒß. *fiat pulvis ſubtilis, inſpergatur, donec vera cicatrix fiat.* Quoniam autem non raro accidit, ut pes tumere non deſinat, ſed perpetuo morbus in magnitudine ſit, nil adeo de eo laborandum conſulo: nam diuturnitate morbi hoc accidiſſe certum eſt. Interim tamen ſubinde ægri monendi ſunt, ut tempore convenienti phlebotomia utantur. Deniq; obſervandum, ſi ex intemperantiore victu cum ulcere fluxio complicata fuerit, curationem evariare. Exhibenda ergo tum erit theriaca de Corallinis, ut ſupra infraque dejiciant, ac confortandi ægri cum Electuario Diacubebe, ſingulorum doſim ex ægri natura, habitu, ac temperatura ipſemet metieris. Ad hæc ut acuratiſſima victus ratione utantur, pręcipies.

Cap. 6. De *Putrido ac Fœtente Vlcere curando.*

SI ægrotus offeratur, cujus pes putreſcat, cum magna fluxione, ſine tamen Erodentis alicujus materiæ ſigno, adſint quoque phlegmone, tumor, fœtor, ac ſordes, eum de principio mali interrogabis, ſi ex violenta aliqua cauſa, ut vulnere, punctura, contuſione, &c. primum contigiſſe cognoſces, hoc modo curationem aggredieris. Mundabis primum, pòſt conſolidabis: in iſtis namq; duobus tota curandi ratio conſiſtit. Mundificatio hunc in modum fit.

Recipe Conorum ſeu Locuſtarum abietis recentium, Maio menſe, adhuc humore turgentium, collectarum, numero xxx. fiat decoctio, donec reſina omnis exierit, tum fiat expreſſio, ac rejectis inutilibus, coquatur reſina reliqua, uſque ad aquæ conſumptionem. Reſina remanens cum ovis aliquot redigatur in formam unguenti, cui prout res poſtularit, aliquid calcinati adjicere poteris, & ſic pro mundificativo. Mundat oulcere, ad conſolidationem procedendum.

Recipe ergo Ceræ lib : j. Colophoniæ lib : ß. picis ſuperioris, quartarium j. liquefactis ad ignem, inſperge Ariſtolochiæ, ſymphiti majoris ana ℥ ß. *Maſticis* ʒij *Myrrhæ* ʒv. *Succini* ℥j. ß. *Fernicis* ℥ij. *fiat unguentum, quo ungatur pars affecta bis quotidie.* Sin inter conſolidandum mundificatione rurſus propter collecta excrementa indigebis, omninò illam non intermittendam ſcias: niſi enim fundus ulceris ſemper mundus ſervetur, fruſtra conſolidationem molieris. Sic ubi alia ulcera complicata fuerint, diſtinctione quoque opus erit, & ſua quoque ſingularis cura proprio capite deſcripta adhibenda. Denique curatione abſoluta, utile fuerit ægro balneum Salinarum imperare, ad putredinis reliquias (quæ ex humida aluminis frigiditate provenerant) abſumendas.

Cap. 7. *De Ulcere Cacoëthe curando.*

VLcerum hoc genus nullo alio ſigno, quàm ipſiusmet ægri relatione optimè cognoſcitur. Proinde ſi æger de perpetuis, ſummisque doloribus, quales in Phagedena, cancro, &c. fiunt, conqueratur, curationem à mitigante remedio auſpiceris: cùm enim ob intenſiſſimos dolores impoſita medicamenta nulla ferat affectus iſte, manifeſtum eſt, dolorem ante omnia mitigandum eſſe, quod non conſiderantes nonnulli, turpiſſimo errore iſta ulcera incurabilia pronunciarunt: nam cùm nec remedia tenerent, nec doloris cauſám ſcirent, ut ſuæ inſcitiæ tegumentum haberent, Medicæ arti hanc notam inurere non ſunt veriti. Sed ad mitigationis formam pergo, quæ *Recipit, Gariophyllorum quartarium j. baccarum juniperi quartarium ß. ſulphuris vitriolati* ℥ j. ß. *deſtillentur, vaſe probe occluſo, oleum, cui adde olei laterini dimidium, trium mitigantium majorum ana duodecimam partem, deſtilletur iterum.* Oleo hoc quemcunque dolentem locum oblinieris, omnem dolorem ſtatim remittere ſenties. Mitigato dolore, ad renovanda ulceris interiora properandum, quod ut efficias, *Recipe olei de Arſenico fixo* ℥v. *olei de Gariophyllis* ℥ iiij. *Realgaris clari, perſpicui cryſtallini* ʒ j. *miſceantur omnia, in mixtura intingantur petiæ, ac loco paſſo imponantur, renovando poſt duodecimam horam, idque ter iteretur,* & videbis Eſcharam abjici à natura, ſub qua carnem vividam invenies, in qua quoniam ſordium aliquid ferè adhuc ineſt, mundificativo cum calcinato ſuperius deſcripto, ter, quaterve ulcus deligabis, & ſic ad conſolidationem deſcendes, quam ſimplici Emplaſtro ſtictico facile abſolvere poteris. Obſervandum tamen frequentiſſime, peſſima ſymptomata hiſce ulceribus ſupervenire: nam ferè venę ac nervi eroduntur, oſſaque cariem contrahunt: ſi itaque hujuſmodi oſſa carioſa occurrant, cave, ne lima vel alio inſtrumento ea atterere vel frangere, juxta carnificum tonſorum vulgatum modum, attentes: ſufficiat tibi ea mundaſſe, & ſi uſta vel inflammata fuerint, extinxiſſe: nam facile deinceps carnem oſſi ſuperinducere tibi erit, nec eſt, ut ſic miſeros ægros excarnifices. Remedium noſtrum, quo oſſa eroſa, inflammata, &c. reſtituere ſolemus, *Recipit olei de Camphora, per albumen ovi præparati, olei Caryophillorum, ana* ℥ ß. *mixtis invicem, juxta reliqua remedia, utor feliciſſime.*

Cap. 8. *De Vulnere depaſcente Curando.*

SI æger quiſpiam ulcus oſtendat in facie, omoplata, pectore, coſtis, vel ſimili aliqua humani corporis parte, quod circumjacentes partes carnoſas omnes depaſcitur, atque ad aures, dentes, maxillas, coſtas, ſcapulas, &c. uſque penetrat, omnium ulcerum peſſimum genus eſſe judica. Quæ duobus pręcipuè remediis evincere poſſibile eſt, oleis ſcilicet Metallorum, ac dulcedine Mercurii: iſtis namque quotidie bis ſi perungatur ulcus, Salem morbi cauſam radicitus extirpari obſervavimus. Præcipua autem virtus eſt olei Saturni, dehinc Lunæ, poſt Martis, deinceps Veneris, ultimo loco Jovis, omnia autem iſta longis intervallis ſuperat dulcedo Mercurii, & ipſa olei formam referens. Sunt tamen & alia remedia, quæ iſtis malis medeantur quoque, ut Arcanum Regis, Aquæ mercuriales, &c. ſed ea ut recentia ulcera curant, ſic in inveteratis ſola non ſufficiunt, ſed ut morbus magnus eſt, ſic vehemens requirit remedium. Proinde Medicos adhortatos volo, iis comparandis animum adjiciant. Sed præparatio ſubtilior eſt, & magnam laborantis induſtriam requirit, quam quia iſti Medicaſtri faſtidiunt, explodendam è Medicorum Scholis vociferantur, at ut primum nomen talis remedii audiunt, Alchimicum eſt, clamitant, rejicite: quaſi vero eorum non interſit iſta noviſſe: ſed an iſti Medicorum nomen mereantur, ſuum cuilibet relinquo judicium. Præparandi rationem brevibus aperiam: Metallorum Arcanum fit, ſi ipſorum eſſentia deſtruatur, quemadmodum de Auri tinctura præparanda ſuperius admonuimus. Mercurii vero dulcedo, quæ oleitatem quandam omnis roſionis expertem refert, ut extrahere conveniat, poſterioribus libris oſtendemus. Realgaris vero ac Aquarum Mercurialium compoſitionem, utpote vulgo decantatam, nil refert commemorare.

Cap. 9. *De ulceribus Tranſmutatis curandis.*

SI æger conqueratur, ulceris ſui formam primo talem fuiſſe, mox aliam factam, iterumque aliam, ſicque perpetuo mutari, nec unquam ad priſtinam formam redire, ſed novam ſemper ſemperque fieri, jam ſufficiunt iſta tibi ad affectus ſpeciem cognoſcendam: quamobrem ſtatim ad id, quod jam ſub ſenſum cadit, non ad id quod olim fuit, curandum animum adjicies. Curationem Mercurio ac Colophonia, Lythargiro, ac Gummis perficies; iſta enim perfectè conſolidant, ille verò ex centro etiam ulcus mundificat, ac ad recipiendam conſolidationem aptum reddit. Itaque Mercurium coagulato per aquam Aluminis, coagulatum in tenuiſſimum pulverem conterito, ac cum unguento fuſco permiſceto, atque ulceris totam interiorem regionem perungito, donec interiora vivida plane appareant, tum ♃ *Emplaſtri de Lythargiro lib. j. olei communis, Ceræ ana lib : j. Colophoniæ tantundem, liquefiant ad ignem, liquefactis inſperge pul. Thuris albi* ℥j. ß. *Fernicis* ℥ij. ß. *malaxentur, & fiat magdaleon, de quo pro vulgato emplaſtra facies, & impones,* nec ſollicitus ulterius ſis de curatione: iſta enim ritè adhibita, facilè eam perficiunt: nam & ipſum ulcus è ſua natura curationem facilè recipit: ut maxime autem tuta ſint ulcera hæc, tamen cùm de una forma in aliam ſubinde degenerent, niſi præcaveamus, impoſſibile eſt illa non tandem in Lepram abire: itaque hic Medicum ſui officii ſtudiosè meminiſſe decet.

Cap. 10. *De Curandis ulceribus à cœleſti influentia impreſſis.*

VLcera hæc non niſi Aſtronomica ratione cognoſcuntur, itaque ab ægro annus, menſis, dies, ac hora invaſionis perquirantur, & ad illud tempus thema cœleſte erigatur, tùm apparebit, num ab aliqua cœleſti impreſſione ulcus factum ſit: quod ſi cœleſtis impreſſionis vi effectum eſſe ulcus apparuerit, de curando illo cogitandùm erit. Itaque vel influxio à cœli iniquitate, vel tranſiit ac deſiit jam, vel durat adhuc, ſi illud ſit, ut ſimplicis ulceris curationem inſtitues: ſin hoc remedium indagandum tibi erit, quod juxta cœleſtes impreſſiones comparatum ſit. Apparet itaque, duplicem curandi methodum eſſe: naturalem ſcilicet, & ſupernaturalem, naturalis conſolidando ac mundificando perficitur: itaq; hoc genus ulcerum ad aliud quoddam caput referes, ac juxta illius canones percurabis. Si verò impreſſio adhuc duret,

duret, per ea operandum eſt, quæ occulta quâdam vi (vulgus incantationem eſſe putat) agunt, ut ſunt Perſicaria, Serpentaria ſylveſtris, Conſolida media, id eſt Sophiæ herba) adhibentur autem in hunc modum: primum eas frigidas abluas, poſt ulceri imponas, dein ſub fimum ſeu terram pinguem ſepelias, ac lapide contegas, ut cito putreſcant: nam ut primùm putreſcere incipiunt, ulcus quoque curationem auſpicatur: ubi autem jam plane computruerint, & ipſum ulcus percuratum erit. Neque per incantationem iſta fieri quiſque credat, ſed virtute potius cœleſti, quam Deus Optimus Maximus ſic diſpoſuit, verùm iſtis curationibus malum nomen conciliarunt Pſeudomedici, qui cum Aſtronomię ac Magiæ ignari penitus ſint, iſta quomodo intelligerent?

Cap. 11. *De Fluxionibus Humani corporis curandis.*

VLcera ex defluxionibus nata ſic diſtingues: ſi quis à parentibus hæreditario malum contraxit, à defluxione factum pronuncia: itidem ſi æger aliàs humida complexione fuerit, judicandum: contra verò, ſi diverſum appareat. De horum curatione longè quâm de reliquorum aliter cogitandum: nam quemadmodum fontem nemo ſupprimere, niſi in ipſa ſcaturigine, poteſt, ſic etiam in hoc caſu aliquid nobis deeſſe credendum eſt. Atqui ſicuti ſæpius à ſole fontes exſiccari videmus, adeò ut plane nullus humor effluat, eodem modo ſoles quidam ſunt, (id eſt Medicinæ) qui harum fluxionum exſiccandarum vim ſimilem cum Sole habent. Adhæc ſunt quorundam hominum conſtitutiones admodum ſiccæ, ut facile iſtas humiditates diſſipent, ſicque ulcerum cauſas tollant. Duo itaq; modi ſunt exſiccandarum fluxionum, à Sole alter, alter à propria natura, de quo nihil inpręſentiarum. Curaturus ergo ulcera à cauſa iſta pronata, ante omnia tenuem victum præſcribendum ſcias: quid enim proderit ſolem exſiccare, ſi ſtatim pluat iterum? deinceps exſiccandum per crocùm Martis erit, is enim naturalem Solis operationem in homine perficit: pręter illum in hujuſmodi fontibus exſiccandis nil cognitum habeo: at ſufficiet iſte, ſcio, ſaltem eo procurato, ut ſubinde ulcus mundum ac apertum ſervetur, pro fluoris evacuatione, ſive fluat, ſive minus.

Supereſt & alia curandi ratio, per derivationem ad alia loca, ſed ferè ſtabilis ac diuturna non eſt: imò ſæpius priore malo pejus aliquod naſcitur. Quin & purgationes ad exſiccandos hoſce fluxus non improbarem, niſi ea alio loco damnum forſan darent, priore pejus.

Cap. 12. *Curatio ulcerum cum fractura, uſtione, Vlcere, &c. complicatorum.*

ULcerum iſtorum cauſæ, quia manifeſtę ſunt, facilè ex ægri relatione cognoſcuntur: generationis tamen modus ferè ab inſcitia Chirurgorum provenit, qui vulnera, fracturas &c. dum inconcinnis adhibitis remediis curare tentent, in ulcera peſſima ea tranſmutant. Membrum proinde affectum, vel os ipſum fractum, an reſtitui ſuæ integritati poſſit, ex iis, quæ in vulnerum curatione dicta ſunt, dijudicabis: quod ſi ob corruptionem nequeant, ſanum ab ægro, mundum ab immundo, juxta præcepta primæ partis ſeparabis, ac tandem ejus impreſſionem per Sophiæ herbam, Perſicariam &c. ut monuimus, curabis.

Cap. 13. *Vlcera ex Conſtellatione nata ut curentur.*

COgnoſcendorum ulcerum hujus generis hæc unica ratio eſt, ut ſi nullis naturalibus remediis, qualia ſunt Mumia, Conſolida, Emplaſtra, Unguenta, &c. eâ obediant, Conſtellata eſſe, ac hujuſmodi quoque remedia deſiderare cognoſcas. Remedia hæc à ſuamet natura conſtellata eſſe debent: verbi gratia, ut Chelidonia, Folia quercus, Plantago, &c. hæc enim certiſs. ac tutiſſime curant: quodſi in ſubſtantia adhibita non proſint ſtatim, tum *Recipe Chelidoniæ M. iij. fol. quercus M. ij. contundantur, & putrefiant in fimo, diſtilleturque oleum, quo ulcus abluatur, atque ut incarnetur, etiam eorundem exſiccatorum pulverem inſperges, donec curatio abſoluta ſit.*

Peroratio.

In curandis ulceribus quibuſvis quatuor ſumma capita obſervanda eſſe monuimus: primò Doloris ſcilicet ſedationem, ſecundò mundificationem, tertiò conſolidationem, ac quartò clauſionem, eaque omnia abſoluta nobis hactenus ſunt, quorum rationem ſi Chirurgi tenerent, nullum planè ulcus eſſet, (niſi forſan divinitus inflictum) quod curationi ipſorum non obediret. Verùm cùm avaritia, ſuperbia, invidia, aliiſque vitiis laboret, non illis, ſed ægris potius iſta ſcripſiſſe volumus, quos etiam monendos duxi, ne temerè ab hujus farinæ hominibus remedia recipiant, etſi ſub meo nomine circumferantur: cùm enim eorum pręparatio ſit artificioſa, non facilè niſi à rerum iſtarum peritiſs. hominibus ea confici poſſe ſciendum eſt. Doctis itaque hęc, non rudibus ac tyronibus ſcripſiſſe nos meminerint omnes.

De Curandis Ulceribus, Tractatus Tertii, Pars ultima.

Prooemium.

QUamvis ſecunda hujus Tractatus parte, omnia ad ulcerum curationem pertinentia abunde ſatis explicata nobis ſunt, tamen cùm ea ſubtiliora ac difficiliora ſint, quàm quæ vulgus medicorum aſſequi poſſit, ad ipſorum me captum accommodare, amore ægrorum permotus, ac periculorum, quę illis ex perperam facta curatione imminent, territus, placuit, non quòd ipſorum hac in re pigritiem ac inertiam fovendam duxerim, ſed quia intelligo, hebetiora ac rudiora quorumdam ingenia illis, quę ſupra dicta ſunt, percipiendis non ſufficere. Proinde ſi qui ſunt Medicinam exercentes, qui ante dicta non intelligunt, ii juxta ſubſequentes canones opus Medicum faciant, quo, ſi non omnino, ex parte tamen ægri levamen ac curationem ſentiant.

Quas autem deſcripturus ſum remediorum formulas, ab antiquis quandoque mutuatas, magno judicio delectas, multa ac diuturna experientia à me comprobatas, artificioſa mixtione locupletatas ſcias velim: nam cùm ab antiquis quondam prima ætate mihi communicatas, & ego & non pauci alii in uſum adhibuiſſemus, tàm periculoſas, inutiles ac putidas eas experti ſumus, ut de alia componendorum pharmacorum ratione cogitandum mihi putarim: itaque ad illam animum adjiciens, immutatis pleriſque, ſic excolui, & experientia comprobavi, ut eorum uſu, quantum natura fert, ad omnia ulcera percuranda, non mediocre auxilium Medicis, ægriſque acceſſurum ſit. Quia autem magni quidam morbi, ut Cancer, Fiſtulę, Syreon, Mordax, Phagedena, &c. univerſalia Arcana ac Myſteria requirunt, (nam iſta particularia ferè contemnunt) moneo, ut vel ab eorum curatione deſiſtant Chirurgi, vel Remedia ſecundi Tractatus pręparare ac adhibere diſcant.

Itaque ſciendum, quę deinceps deſcripturi ſumus, particularia omnia eſſe, atqui ut particularia deſcriberem, veſtra me coëgit ignorantia. Duplici autem ratione uti placuit: quarum prior omnibus ulceribus curandis communis eſt: altera particularium quorundam malorum, ut Cancri, Fiſtulæ,&c. curationem oſtendit,quibus eo modo utaris hortor ac moneo, ut ſi non lubet, vel licet difficiliora illa cognoſcere, juxta hos tamen canones procedendum tibi putes, ne ſi illa vulgata medicorum via incedas, contra naturam in ægri perniciem laboraſſe videaris.

Cap. 1. *De Vlceribus per mundificativa curandis.*

ANtequam autem cujuſquam morbi, ſeu ulceris curationem aggrediaris, diſtinguendum tibi ſedulo, inter morbos & remedia erit, ne quod vulgus medicorum factitare ſolet, dum varia, tibique incognita adhibes, vel damnum inferas, vel, ſi forte ſuccedat, caſu curaſſe dicaris. Quamobrem ſi ulcus Corrodentem Salem, cauſam non habuerit, hoc remedii genus adhibere tempeſtivum erit: quod *Recipit, Terebinthinæ lib. j. vitellorum ovorum, numero xx. agitentur, ac cum æqua portione mellis coquantur ad ignem, fiat unguentum, quo mane ac veſperi deligetur ulcus, & mundabitur ab omnibus ſordibus:* quia vero non ſolum mundare, ſed & perfectè conſolidare, ac claudere ulcus oportet, ſequenti quoque remedio ad operis perfectionem uteris: quod *Recipit, Unguenti prioris lib. j. Terebinthinæ lotæ, ac agitatæ lib. ß. calidè (ne ferveant tamen) coquantur ad ignem, ac injiciantur Galbani, Oppoponacis, Bdellij. in aceto diſſolutorum, ana ℥j. pul. Ariſtolochiæ ℥j. ß. fiat mixtura. qua omnia ulcera ſine Corroſione facta, curare promptum eſt.*

Cap. 2. *De curatione per calcinata.*

CAlcinata (ea intelligo, quæ corrodente vi carent) ſingulari curandorum ulcerum, ex ipſis fontibus, facultate prędita ſunt. Atqui in eorum uſu diſtinguendum prius inter ulcera eſt: nam iis ſolum conducunt, quæ à Sale Corroſivo, jam olim emortuo facta ac relicta fuêre. Apparet enim non raro nimborum inſtar, in aliquem locum materiam quandam irruere, ac ſubitò ulcus amplum, ac latum efficere, quod ſi indebitis remediis quis curare attentet periculo non vacabit, ne Sal Balſami inflammetur & aduratur, fiatque ulcus diuturnum. Tu, ſi ſimile occurrat, per Calcinata in hunc modum curabis. *Recipe vitellos ovorum, numero x. Terebinthinæ* ℥ vij. ß. *fiat unguentum, cui adjice Calcinati ℥ ß. deligetur hoc unguento bis quotidie, & mirandum ſucceſſum experieris.* Atque ubi jam claudendum ulcus eſt, Emplaſtro ſequenti uteris: quod *Recipit, Reſinæ lib: j. ceræ lib. ß. picis Græcæ quartarium j. liquefactis ac commixtis adjice Calcinati ℥j. utere.* Hoc Emplaſtro omne genus ulcerum recentium, nec ita profundorum, facillimè curatur: atqui ubi in latum ac profundum ſerpere viſa fuerint, ſuperius unguentum in pulvillis quoque adhibere utiliſſimum fuerit. Sciendum quinetiam eſt curationem non aggrediendam, niſi materia furere ac turgere deſierit: etenim videas vulgares Medicos, dum initio ſtatim curare volunt, doloriſſ. ac maximè diuturna ulcera efficere. Proinde Canonem hunc ſtudioſè obſervabunt Medici.

Cap. 3. *De Curandis Vlceribus per Corrodentes Sales Calcinatos.*

EſSt & tertia curandi ratio, per Corrodentes Sales Calcinatos, cujus generis ſunt, Alumen, Vitriolum, &c. quorum uſus ferè eſt, in perperam facta ante ulcerum curatione reſtituenda: cum enim abſque fundamento vivido, nullum ulcus curari poſſit: (nam ſi eo deſtituatur, cui rei caro increſcat?) de depravato illo reſtituendo per iſthęc remedia cogitandum erit. Obſervandum quinetiam eſt, hoc genus ulcera frequenter curatû facilia apparere, nullis tamen interim remediis obedire, in quo caſu inſpiciendus quoque ulceris fundus erit: nam ferè putridus eſt, atque ſui ablationem oſtendit: quamobrem niſi illum antea removeris, ab iſtis remediis abſtineto: nam tantum abeſt (eo perſiſtente) aliquid ut proficias, ut etiam officias plurimum. Remedii formula cum correctione hæc eſt.

Recipe Aluminis uſti aceto extincti, Olei de Arſenico à propria reſolutione facti, ana quantum ſufficit, miſceantur. Iterum fiat unguentum ovorum cum alumine miſtum: vel, ℞ *Calcinati, Vitrioli ana quantum ſufficit, miſceantur cum unguento de Ceruſſa, utere.*

Quia vero plerumque de ulceris profunditate putrida non conſtat, curationem ab unguento de alumine calcinato auſpicari utile fuerit: quod niſi intra quatriduum ad curationem inclinare ulcus videbitur, ad unguenti de oleo Arſenici & Aluminis uſum deſcendes: ſin ne iſtis concedat malum, tandem unguento, de Vitriolo uteris: neque verò putes ordinem hunc, ob id quod poſteriorum quàm priorum curatio velocior eſt, invertendum eſſe: ut maximè enim cito cures, tuto tamen ut cures potiore loco reponendum erit, &c. Sciendum porro eſt, ſi neceſſitas poſterioris uſum imponat, Eſcharam fieri, quam ut projicias oleo Laterino, poſt hoc Butyro (ad diſſolutionem) uteris: veruntamen etſi ſtatim non abſcedat, non tamen ab uſu Calcinati deſiſtendum erit, ſed pergendum, donec Eſchara ultrò decidat, quo facto, nil niſi cicatricem ducere ſupererit amplius. Sunt hujus generis Corroſiva alia, ut Mercurius ſublimatus, Arſenicum, &c. verum ab eorum uſu, ac carnificina omnes, ut abſtineant, moneo.

Neque vero clam te habere poſſum,tutiorem,utiliorem, ac magis artificioſam curationem horum ulcerum ſupereſſe, quam etiam publici commodi cauſa ſupprimere diutius nolo: modus eſt, ut abſque eſchara fundus putridus abſcedat, quod bifariam accidit: vel enim putrefacere, vel ſi venenoſa materia illi inſit, eam extrahere ſine carnis oblæſione licet: Putrefactionem hoc remedio percurabis.

Recipe aluminis uſti, aceto extincti ℥ß ſalis armoniaci ℥j. vitellorum ovorum numero iiij. mellis cochleare unum, farinæ hordei ℥ß. miſceantur omnia ad formam unguenti, quo ſingulis viginti quatuor horis deligetur ulcus, ac impleatur, & ne denuò effluat unguentum panno craſſiore caveatur, idq; iteretur quarto, & abſcedet omne, quod putridum eſt, relinqueturve in fundo caro vivida,quam incarnantibus cuti adęquare deinceps licebit. Alter modus ſic habet. *Recipe ſuccini in pollinem redacti quantum ſufficit, vaſe occluſo, ad lentum ignem liqueſcenti tertia pars terebinthinæ infundatur, miſceaturq; ac toties iteretur, donec pro ſingulis ℥ß. ſuccini, Terebinthinæ ℥ij. habeas: huic materiæ ſi craſſior videatur, aliquantulum olei lini adjicies, ut linimenti formam acquirat*, uſus ejus eſt, ut cum pulvillis adhibeatur, & extrinſecus ulcus emplaſtro ſtictico de colophonia contegatur, & abſolves curationem in diebus quatuordecim: poteris, ſi ita videbitur, poſt quintum curationis diem aliquid calcinati adjicere, ſed illud tuæ induſtriæ relinquimus.

Cap. 4. De *Curatione ulcerum per Tartari Balſamum.*

PRæſtantiſſimi hujus remedii uſum, non mediocri infamia ac ſuſpicione onerarunt duo præcipuè errores: alter, quòd tempore, & loco indebitis, rerum ignari eum uſurparunt: nam cùm ſaltem curat ulcera, quorum radix in ipſo loco (non intrinſecus in corpore) exiſtit, fruſtra quis eo utatur, ſi alibi mali origo conſiſtat. Alter error in præparatione ejus commiſſus eſt: pauci enim ut illum natura deſiderabat, conficiebant, id eſt, ſolum calcinabant, calcinatum in olei formam reſolvebant, & hoc ſufficere putabant.

Præparati

Præparati certè legitimè Balſami hujus mirifica facultas eſt, (ſi cujus alius remedii) in abſumendis ſuperfluis humiditatibus, phlegmonis, carne ſupercreſcente, &c. ante omnia verò in pedum putridis ac manantibus ulceribus excellens remedium eſt: ut maxime enim tumeant, putrida, antiqua, cava, atque eroſa ea ſint, unico tamen hoc remedio perfuſa, uncta, illita, &c. ex ipſa uſque radice longè latèque percurantur: nam tumorem laxum primo abſumit, ac miranda ſua exſiccandi facultate morbum in univerſum enecat, adeo ut nullus Sal tam vehemens ſit, qui illi reſiſtere queat, ſed omnia ab eo exſiccantur, non ſecus ac ſolem paludes maximas quandoq; combibere videmus.

Etſi autem multa paſſim ab antiquis remedia deſcripta inveniuntur, ad iſta ulcera ſananda, opinione hominum, ac prædicatione illorum, qui ea deſcribunt, utilia: tamen quia nec illi ipſi, multo minus ipſorum diſcipuli in iis curandis, utilem aliquam operam ponunt, ſatis conſtare puto, ipſos rerum fontes non intellexiſſe, ſed ſaltem, ut de omnibus ſcripſiſſe viderentur, mendaciſſimo ore effutiiſſe, vel quia de rebus incertis conſultandum ſibi putabant hunc laborem ſuſcepiſſe. At quia conſultationes ſaltem ſunt, non demonſtrationes, licebit nobis, relictis illorum nugis, meliora inquirere. Itàque de Balſamo noſtro hoc verè affirmo, ipſum, ſi ulcus pedum manans ſit (nam de cæteris non tam certa eſt mihi experientia) non tantum ſuperficie tenus, ſed ex ipſo fonte percurare. Præparatur autem in hunc ferè modum *Recipe ſalis petræ lib. j. Arſenici ℥j. calcis vivæ ℥iij. tartari, quartaria iij. pulveriſentur omnia minutiſſimè, & vaſe non vitreato calcinentur, calcinata ſolvantur, ac per filtrum deſtillentur, ſolutum illud deinceps uratur tribus vicibus, quod fiet ipſo coagulato, & cum æqua portione Salis petræ calcinato, idque tertia vice: ultimæ calcinationi affunde aceti deſtillati quantum ſufficit, abſtrahatur igne fortiſſimo ad dulcedinem uſque.* dein.

Recipe olei hujus quantum ſufficit, aluminis calcinati aceto extincti tantundem, miſceantur, & fiat pulticula, quæ (fomentato prius pede) imponatur ac deligetur, poſt circa duodecimam horam locum conſidera, qui ſi rubeat admodum, cave ne properes: imò ſufficiat tibi viginti quatuor horis ſemel deligare: continuabis autem hujus uſum, donec rubedo ac phlegmone ultro remittant: quo facto.

Recipe olei ſuperioris quantum ſufficit, tragaganti in aqua roſarum diſſoluti pro libris ij. camphoræ ℥ ß. mixtis omnibus ungantur, ac perfundantur ulcera, eorumque cavitates, ac ſine dolore ac periculo videbis pedem ſuæ priſtinæ formæ reſtitui ac exſiccari. Quod ſi cava quoque adſint ulcera, quæ incarnationem deſiderare videbuntur: tum *Recipe olei præcedentis ℥ı. Mumiæ ℥j. croci Martis ℥j. ß. olei ovorum ℥x. miſce, ac utere, donec clauſum fuerit.* Penitus abſoluta curatione, jubeo, ut adhuc ad ſpacium decem dierum quotidie ſemel præſenti Balſamo (ſine adjectione) pes ungatur: quin ſingulis annis poplitis vel malleoli venam (ex conſilio periti medici) incidere, atque ſemel unctione uti, magnum ad præcautionem auxilium præſtat.

Cap. 5. *De Curandis ulceribus per præſectionem nervorum & venarum.*

Frequenter hoc in ægris evenit, ut ſuperiores partes excrementa ſua inferioribus tranſmittant, hinc quandoque in tibiis ulcera eveniunt, mali origine in ſuperioribus exiſtente. Si ergo Sales non venenoſa qualitate, ſed ſola quantitate peccare contingat; nimirum quia copioſi in alieno loco continentur, manifeſtum eſt, alio in loco, quàm in quo conſiſtunt, curationem faciendam eſſe: quia autem curationis intentio eſt, ne in partem affectam defluant amplius humores, primi rerum inventores conſiderato eo, quòd in affecto loco non ita in ſuperioribus partibus materia peccaret, ſecundum eos ductus retrogredientes ſupra affectum locum, venas & nervos per ac juxta quos defluxiones fieri animadverterunt, non inutili invento præciderunt.

Sciendum tamen, hoc curationis genere utendum non eſſe, niſi in defluxionibus quæ ſupra affectam partem, nulla venenoſa qualitate participant: etenim aliàs uſurpata, duplex periculum exoritur: namque vel alio ſuprà loco denuo erumpit, atque tum cordi propinquius malum eſt, quòd natura fortior antehac in diſtantiores partes detruſerat, vel ſi forſan efflorеſcentiæ Paroxiſmus ingruat, ſi non ad necem uſque, certe ad ſummum periclitabitur æger. Quamobrem diſtinctio illa ſedulo obſervanda erit, ne tuum Medicari ſit potius dicendum Latrocinari.

Modi hujus curationis varii ſunt, ferè ſupra genu venæ commodiſſimè ſe produnt, ubi eas ſcalpello, cauterio, vel corroſivo medicamento dividere, ac vulnus amplum facere, atque inter utraſque vulneris oras callum generare ſolent, qui fluxioni viam præcludat. Atque frequenter hoc contigit, fluxiones in alias venas decubuiſſe, vel alterum latus, non raro utrumque occupaſſe, vel intro pulſas, cachexiam feciſſe, ventriculum, Epar, &c. oblæſiſſe: imo ipſam quandoque mortem attuliſſe. Proinde monitos Chirurgos volo, meminerint ab inveteratis, atq; conſuetis fluxionibus omnino abſtinendum eſſe, recentibus verò magna ſollicitudine proſpiciendum atque utilem phlebothomiam præſcribendam.

Inciſionis modum nil opus eſt præſcribere, cùm nullo artificio perficiatur, quemadmodum & uſtionis rationem ut quæ ruſticis quoque nota ſit: hoc potius notandum, cavendum ne reliquo malo paralyſin quoque membri ſuperaddas, quod in inciſione frequenter accidiſſe memini. Corroſivorum tandem uſum (inter quæ Mercurius ſublimatus primas tenet) quibus Eſcharam generant, quid opus eſt annotare? cùm carnificinæ iſtæ plus ſatis Chirurgis notæ ſint, nec niſi ſumma neceſſitate urgente, uſurpandæ. Quæ ſi iis uti cogat, ad curationem perficiendam meo conſilio exhibebis potionem traumaticam vulgaris uſus, quæ rurſus per ulcus emanare apparebit: ſi ergo incorruptam eam iterum effluere obſervaveris, ſcito fontem ab ulcere non ita multum diſtare, itaque in propinquo venas præcidendas eſſe: nam quò proprius, eò res habet melius: & ferè præſtat ſub genu quàm ſupra eas præcidi; quo facto, unguentum parti vulneratæ impones, dum callum faciat, qui quarta ſive quinta perficietur hebdomade.

Iſtis abſolutis, ad ipſius ulceris curationem deſcendendum erit, quæ Emplaſtro ſtictico, aliove vulgari quovis remedio facile perficitur. Quin non raro vidi abſque ullius medicamenti uſu quandoque ulcera ſanata eſſe, at aliis in locis denuo erupiſſe, quæ facile quoque Martialibus remediis poſtea curarentur. Sed de iſtis omnibus docti Medici judicabunt accuratius, an ex morbi benignitate, vel naturæ efficacia acciderint.

Cap. 6. *Vt Per Balnea Aerea, Aquæ Dulcis, & pedilotia ulcera curentur.*

Particularis hujus remedii ea eſt natura, ut ſi illud ulceribus adhibeatur, quibus hoc curationis genus non competit, ea multò deteriora efficiat, atque multò periculoſiſſimam hæmorrhagiam concitet. Proinde accurato judicio opus eſt, ne in remedii hujus delectu aberremus. Sunt enim ſub hanc curationem, ea ſaltem ulcera referenda, quæ ſub poplite ſunt, ampla, putrida, carne luxuriante abundantia, ac crebra hæmorrhagia (quæ leviſſimo quoque contractu exaſperatur) moleſta, neque in tibia ſaltem, ſed & alio quocunque loco ſi fuerint, hanc curationem admittunt. Cognita ergo affectus ſpecie ſciendum quid remedium hoc præſtet, nimirum putredinem

putredinem omnem, ac ſanguinem ſuperfluum extrahit, neque quidquam prætere efficit, itaque ſtatim ac ab ejus uſu deſiſtemus (quod fiet, ubi jam bonus ac utilis ſanguis fluere inceperit) conſolidandum erit. Remedii formula hæc eſt: *Recipe conorum abietis recentium, ac ſucci plenorum M. ij. locuſtarum juniperi, corticum fagi arboris, ana M. j. Chelidoniæ, potamegeti, fol. quercus ana M. ſs. rad. Aſclepiadis, Ariſtolochiæ, ana lib. ſs. fiat decoctio ſufficiens, in eo laventur pedes mane & veſperi quotidie.* Aliud:

Recipe Saniculæ, Limonii, Opiogloſſi, fol. quercus ana M. iij. rad. Vincæ toxici M. j. ſymphiti, Ariſtolochiæ ana M. ſs. conorum abietis M. j. ſs. fiat decoctio, in qua per triduum lavent pedes. Abſoluta lotione, Emplaſtris conſolidantibus ad operis perfectionem laborandum: non enim ſimplex lotio ſufficere poteſt. Interim dum lotionibus utemur, curabimus, ut ad manus ſint ſanguinem ſiſtentia remedia, aliaque ad hanc rem facientia, quo in omnem eventum præparati ſimus.

Cap. 7. De *Vlcerum Curatione per deſtillata Olea, gummi, & aquas.*

EST ulcerum quoddam genus punctorio dolore ſupra modum moleſtum, in quo curando, nulla nec corrodentia, nec calcinata remedia, ut Vitriolum, ut Alumen &c. ſufficiant: quin nec unguentis, oleis, emplaſtris, cæteriſque hoc genus remediis cedit, ſed medium, quod ajunt, digitum porrigit, ac ſubinde deterius evadit. Huic ergo ſolis deſtillatis remediis auxiliari poſſumus, nec iis ſolum, ſed ſemper conſolidantia præſtantiſſima conjungere oportet: nam ſola deſtillata cùm ſaltem ulcus ad curationem ſuſcipiendam habile efficient, hoc meminiſſe te volo, ea ſaltem ulcera ſub hæc remedia pertinere, quæ aliis non obediunt remediis, ſed calore, punctione, ſummiſque doloribus, die noctuque affligant.

Remedia deſtillanda pauca ſunt, inter quæ excellunt oleum commune, Petroleum, Terebinthina, Caryophilli, Zingiber, Nux Muſcata, &c. Ad hæc faciunt quoque omnia ea, quæ fluxum Sinoniæ ſiſtunt, quęque ad Solem deſtillata habentur olea: omnia namque hęc mirifice dolorem ſedant, atque ad curationem ſuſcipiendam aptitudine inducunt.

Remediorum Formulæ aliquot.

Recipe Cariophyllorum ℥ v. Zinziberis ℥ j. Nucis Moſchatæ ʒ ß. deſtillentur per Alembicum, fiat ſeparatio per gradus, & pro magnitudine doloris alterentur.

Aliud.

Recipe Olei communis lib. j. Thuris albiſs. ℥ ß. Caryophillorum ℥ ij. ß. fiat deſtillatio per alembicum, & ſeparentur per gradus.

Aliud.

Recipe Terebinthinæ lib. j. Petrolei quartarium ſs. deſtillentur in Alembico, juxta gradus.

Aliud præterea incarnans, conſolidans, & claudens.

Recipe Thuris, Maſtiches ana ℥ j. ß. Caryophillorum ʒ j. Mummiæ ℥ ij. ſs. Bdellii, ʒ ij. Galbani ℥ j. deſtillentur; & inter deſtillandum fiat ſeparatio per gradus, dein deſtilletur oleum olivarum quoque per gradus, ac mutui ſinguli oleorum gradus commiſceantur, ac floib. Hyperici vaſa impleantur, ſerventurque ad uſum. Utendi ratio eſt, ut cum penna oleo intincta totum ulcus ac circumjacentes partes tingantur quotidie bis, mane ac veſperi, quod ſi interea temporis dolor, ac calor recudeſcant, nil prohibet remedium iterare. Extrinſecus autem imponendum erit Emplaſtrum de Calcinato, primo cap. deſcriptum: ſufficiunt namque iſta ad curationem perficiendam. Sciendum ergo, cùm hæc ulcera nulla Attractiva (ne Terebinthinam quidem) Emplaſtra, unguenta, &c. ſive anodyna ac paregorica ea ſint, ſive minus, perferre, exceptis per deſtillationem paratis: itaq; non immerito in Medico Chemiæ peritiam requiro, ut ſiquidem pharmacariorum cocturæ non ſufficiunt, ipſe defectum ſarcire queat.

Sunt præterea Collitia, quæ cùm ad oculos parata ſint, tamen excellentem uſum in iſtis ulceribus perſanandis præſtant: nam cum pinguia ac deſtillata ſint (ea enim præcipue commendo) Corroſivi Salis compeſcendi vim obtinent. Quin etiam Balſama nonnulla ex Corroſivorum deſtillatione compoſita, mirifica in hoc caſu virtute pollent: etſi enim corroſivam vim non plane exuunt, tamen diuturnitate temporis eam mirum in modum temperatam acquirunt.

Cap. 8. *Vt per Thermas Vlcera Sanentur.*

THermis ſeu aquis natura calidis, magnam ad humanæ vitæ ſuſtentationem vim ineſſe nemo eſt qui dubitet: etſi enim aquæ nulla pene autoritas eſt, tamen ejus uſu certe quàm vini, meliora omnia conſervari animadvertimus: ſic potus cereviſiæ quàm vini ſalubrior habetur quoque, ut qui non tam frequentium morborum cauſa exiſtat. Quòd ſi vulgaris aquæ tanta virtus exiſtit, quantò majorem efficaciam iis tribuemus, quibus aliquam manifeſtam qualitatem impreſſit natura? quales ſunt Calidę, Sulphureæ, Vitriolatæ, acidulę &c. Experientia ſanè docuit, quemadmodum terræ naſcentium varię ad humanæ naturæ morbos curandos virtutes exiſtunt: ſic Aquarum, & quæ illis inſunt, ſalium varias facultates haberi, illis quaſi reſpondentes, verum negligentia Medicorum (qui ea, quæ maximè cognoſcere debebant, flocci pendunt) aquarum virtutes hactenus ferè incognitæ latuerunt. Nos de thermis, quantum ad præſens negotium facere videbitur, breviſſime diſſeremus. Itaque ſciendum, eos ſolum ulceratos ad thermas mittendos eſſe, qui ulcerum radicem non intrinſecus in viſceribus, ſed in ipſa affecta parte habent, hac diſtinctione, ut Aluminoſum ulcus, Aluminoſo balneo &c. curare velimus: niſi enim iſta concordantia obſervetur, fruſtra omnis curatio attentabitur. Veruntamen iſtud quoque remedii genus tum recentibus (nam ea ſtatim curat) tum inveteratis planè, non incommode adhibebitur, maximè ubi illic nullà fluxio, nullumque vehementius ſymptoma adfuerit. Cùm autem ipſęmet thermæ, Incarnandi, Conſolidandi, &c. vires ſatis manifeſtas faciant, non difficile erit Medico dijudicare, quæ cuivis commodiſſimæ ſint futuræ. Sciendum quoque, ut maximè quis evelcis ſit, tamen niſi in ipſo ulcere origo conſiſtat, à balnei uſu eum plane arcendum eſſe, niſi mortem quàm vitam malit. Sed ne ille auxilio planè deſtituatur, inſpice an typicum malum ſit, quod ſi cognoveris, frequentes ac tempeſtivas illi venæ ſectiones ad pręcavendam recidivam imperabis.

Cap. 9. *Quomodo tempus, Quod Ipſum Medicus eſt, ulcera curet.*

QUemadmodum (quod aiunt) poſt nubila Phœbus redit, ſic quandoque ulcera apparent, quæ cùm diu multumque ſævierint, tandem deſæviunt quoque, atqui non planè remittunt: etſi enim tempus diuturnum cauſam ulceris tollat, ulcus tamen ipſum planè curandum Medico relinquit. Proinde in hoc caſu unica hæc

hæc conſideratio relinquitur, quomodo ulcus ipſum conſolidetur, ſiquidem de cauſa ſollicitum eſſe, nil refert amplius. Hujus rei ignorantia ducti Medici quidam ſexcenta in ulcerum curatione experti ſunt, ſine fructu tamen omnia: ſiquidem tempus legitimum nondum præterierat, quibus deinde ſuccedentes alii æquè imperiti leviſſimis remediis, fumigio ſcilicet, unguento, lotione, uſu ligni, aliiſque hujus fărinæ medicamentis adhibitis, ulcera illa percurarunt: hinc videmus quoque leviſſima ulcuſcula ab accuratiſſ. ligni uſu non evinci: viciſſim maximos morbos anili remedio ſanari; temporis ſcilicet ratione curationem concedente vel prohibente. Ubi ergo tempus elapſum de curatione monuerit, levibus ſaltem remediis uteris; unctione ſcilicet, fumigiis, ligno; pręomnibus autem unguenta traumatica, ac ſtictica emplaſtra commendantur: ea namque ubi ulcus ſævire deſierit, quale illud ſit, curare ſufficiunt. Dignotio ſic ferè in hoc caſu habet. Si videris ulcus antea doloroſiſſimum ac pervicaciſſimum à doloribus & malitia ſua ſubito deſiſtere, tum curationem aggredi tempeſtivum erit: habebis enim auxiliantem naturam, quod ſi ſuccedat, ne ſtatim de quovis ulcere curando glorieris: in omnibus ſiquidem ſingulare quiddam ineſt.

Cap. 10. *De Ulcerum curatione per Sparadrapum.*

Ulcera quæ in tibiis conſiſtentia, cauſam foventem intrinſecus in corpore latentem, illac tamen effluentem, habent, ſingularem quandam curationē obtinuerunt, quæ præſectioni venarum ſuperius explicatæ, quodammodo reſpondet: impediuntur namque deligaturis arte factis fluxiones, ne ad ulcus decumbant, atque ſic uni ulceris curationi invigilatur: verum fucata quædam Medicina hæc eſt, & in paucis uſurpanda: etenim ferè periculum eſt, ne alibi erumpat iterum, priore longè deterius malum. Itaque ſciendum Sparadrapi uſum ſolummodo conferre, ſi à manifeſta, ac procatarctica aliqua cauſa fluxio concitata fuerit, ut à ſcalpendo, contuſione, &c. atque ſi hinc fluere illuc humores incipiant. Sparadrapi uſus modernus, qui per tenias ſeu faſcias ſimplices fit, antiquitus incognitus fuit, & penitus omni artificio caret: antiqui namque præparabant ex ſanguinem & Sinoniam ſiſtentibus remediis: nos ut ea in uſum revocentur, unicam deſcriptionem dabimus. *Recipe putaminum ovorum uſtorum, teſtarum cochleæ uſtarum ana* ℥v. *lap. hæmatitis* ℥j. ß. *Boli Armeni* ℥iij. *terræ ſigillatæ.* ℥j. ß. *pulveriſentur, ac cum tragaganto in roſacea diſſoluto commiſceantur in formam pulticulæ, quæ faſciæ inducta ubi fuerit, fiat deligatura ab infernis ſurſum verſus, juvat mirum in modum.* Facta deligatura quia neceſſario ſupra eam humores colliguntur, de iis educendis cogitandum erit, ſive per purgationes, ſive abſtinentiam, ſive uſum ligni, &c. id fiat, exſiccari certè oportet, nec antea faſcias diſſolvere, quàm omnis humor abſumptus ſit, omniaque priſtinæ ſanitati reſtituta: verùm hoc numquam ſperare licet, ſi fluxio à toto corpore fuerit, quamobrem moneo, ut antequam curationem aggrediaris, de prima ac fovente cauſa cogites.

Epilogus.

Deſcripſimus hoc tertio tractatu ulcerum remedia, quibus ferè vulgus medicorum abutitur, eo fine, ut ſublato abuſu, cujuſque remedii genuinum uſum oſtenderemus, monentes, ne uno remedio ōnia ulcera curari poſſe ſibi perſuaderent: ſed ut ſingula ſingulis convenientia adhibere diſcerent, ne ſibi ignominiam, ęgro damnum (ſi ſine delectu operentur) concilient. Sunt particulariū horum remediorū x. quibus etſi plura quis adjungere poſſet, tamen commodiore loco (quarto nimirum de curatione morbi Gallici libro deſcribi poſſunt) eò rejecimus. Optatim ſane, omnes qui Medicinam facere cogitant, in iſtis Particularibus ſtudioſè exerceri, forſan melius & ęgris & medicis conſultum foret. Rogatos quoque medicos omnes volo, (ſi modo exorari ſe patiutur) ne ipſos pigeat, ea quę ſcribimus, perlegere ac diſcere: ſiquidē hoc ſolo fine ſcripſimus, ut ex ipſorum animis falſo conceptos errores evelleremus.

Sequitur Tertiæ Partis Chirurgiæ magnæ Paracelſi de Ulceribus.

Liber I.

Causas corruptionis ſanitatis, in continui ſolutionibus, quæ ad Chirurgiam pertinent, externorum corporū exemplo diſcere licet: illic enim Erucę, vermes, blattę, aliiq; ſexcentæ peſtes, quomodo continuum ſolvatur, oſtendunt. Etenim niſi in ligno (verbi cauſa) corroſiva quædam vis ineſſet, ipſumq; ex tribus primis compoſitum conſtaret, nunquam morbus fieret. Nam putredini ulcerationem acceptā ferre quàm ſit incōveniens, hinc patet, quod putredo nullum plane dolorem humano corpori inferre poſſit, cùm omnia putreſcentia ſenſum deſtruant. Itaq; ubi dolor, ac Eroſio perſiſtunt, virtute Salis operantis, qui in parte dolente plurimus collectus eſt; omnis putredo arcetur. Atqui ſi livida, nigra, fœtentia, &c. putrida quis dicere forſitan velit, is Medicè non loquetur: ſiquidē etiāſi admodum à Corrodente Sale pars decoloretur, niſi tamen ſenſu omni plane privetur, putrida dicenda neutiquam erit, cùm nec illud putredinis veræ nomen mereatur, ubi omnis omnino vita non evanuit: verum late patens putredinis ſignificatio eſt, ac ferè pro cujuſque arbitrio uſurpatur. Ego verò ulcera nullo modo à putredine originem duxiſſe, dicenda puto, ut maximè quidam contendant dolorem illum, qui ea comitatur, putredinis principiū eſſe: at illi Salis permixtionē eſſe non intelligunt: poſſet quidem putredinis rudimentū dici: propterea quod omnis hujuſmodi contrarietas mortem efficere queat, cui poſtea putredo ſubſequeretur: ſed arte caret iſta loquendi ratio. Exulare ergo ab ulcerum theoria putrefactiones, à Praxi purificationes ac mundificationes jubeamus. Conſideremus potius concordantiā ac contrarietatem Salium ac remediorum, ex quibus nova temperies dolore ac calore longe expulſis inducitur. Veluti enim igne lignum depaſcente, aqua affuſa reſtinctio fit, ac ulterioris corruptionis cauſa præcavetur: ſic in Microcoſmo hic accidere putandum eſt: imò quanto homo ligno præſtat, tantum perfectius omnia effici. Proinde cū veteres cauſam & effectum in ulcerum theoria omnino ad putredinem referant, eoque in Praxi omnia dirigant, juxta ſuas ſcilicet Cholerę, Melancholiæ, &c. acidę, ſalſę, aduſtæ, &c. diſtinctionum rationes. Ego nil horum credendum penitus affirmo: ſiquidem & ratio & experiētia docent, omnia cùm ſenſibilia, tum vegetabilia corpora ex Sale, Sulphure, & Mercurio, tanquam principiis initio extitiſſe. Ex iiſdem his trib⁹ ſanitas ac morbus diverſimode cauſantur: itaq; omnia theoremata Medica ac Philoſophica, juxta ternariū hunc metienda ſunt, repudiatis quatuor humoribus, quos etiamſi ſpecioſa quadam ad numerum ac temperaturam Elementorum analogia palliant, tamen à Philoſophia ac arte Medica plane abhorrent, ac aliena ſunt, cùm juxta eam morbos partiri impoſſibile ſit: quod enim de calido frigido, &c. dicunt illi, inconveniens omnino eſt: eam quomodo Salem cal. ſicc. Sulphur. calidum ſiccum, Mercurium cal. ſiccum, viciſſim verò Mercurium, Sulphur, Salem, frigidum & humidum, juxta eos dicemus? quamobrem Elementa quæ in ſuo gradu fixa conſiſtunt, nec augentur, neque decrementum ſuſcipiunt, in aſſignandis morborum cauſis omittamus. Siquidem non ſecus, ac Sol omnia corpora eodem calore afficit, ſic & Elementa in omnibus hominibus ęqualiter ſe habere conſtat. Verum quod complexiones attinet, duæ ſunt: Calida, ſcilicet, & frigida: hæc conſtans

ac immutabilis, ceu nix: illa ut ignis permanet à quibus omnium rerum vita exiſtit, nullaque ægritudo cauſari poteſt. Frivolum ergo eſt, morborum cauſas ex iis deſumere, ut videlicet dicamus, hunc hominem illo frigidiorem vel calidiorem eſſe, cùm omnes æqua caliditate ac frigiditate participemus: quin multò magis temerarium illud eſt, juxta hunc calorem, vel frigus hoc morborum gradus metiri velle, ſicque morbos ipſis Elementis ſubjicere, cum tamen in eo vitam ac ſanitatem poſuerim antea: quomodo ergo ægritudinem tu illis conſtituis? Sanè, ſanis omnibus æquus complexionum gradus eſt, ægris vero (ut qui jam à natura & calore declinant) admodum inæqualis: ſunt enim in alia jam diſpoſitione, orta à prima materia. Itaque ſanum corpus Elementis non ſine ratione contulerit quiſpiam, (ſi complexionem ſpectet) non ita ægrum, quod ab horum eſſentia diverſum factum eſt. Quis enim ignem Perſicum, ex igne ortum dicat, cùm eo loco ignis nullus ſit? ſed morbus ſaltem, qui abſque igne venit, & quo veniente, ignis Elementum aufugit. Cedunt enim morbis Elementa ipſa, & ubi morbus eſt, ibi nullum Elementum ſupereſſe ſcimus.

Ignis Perſici ignis, eſt Sal nitrum Sulphuris, ex eo ceu ex ſilice erumpens, & inſtar ignis artificialis noſtri omnia depaſcens, imò ipſum omni ex parte referens. Quemadmodum namque ignis ex ſilice excutitur, in ſilice tamen non eſſe conſtat, ſic ex corpore morbi exiſtunt: item veluti ignis, è ſilice erumpens, Elementum non eſt, ſed arte factus ignis, illiuſque tantum imaginem ac ideam referens: at corruptibilis interim contra elementorum naturam, cum nullum Elementum intereat, ante cœli terræque diſſolutionem quod Maris exemplo addiſcere potes: ipſum ſiquidem non conſumitur ac etſi in cacabo ejus portionem concoquas, donec nil ſuperſit amplius, non tamen abſumptam rectè dices: nam per coctuam in Chaos, ex hoc iterum in aquam tranſmutatur. Sic terra, lapides &c. uſta, frixa, &c. quocunque tandem modo tractata, ſemper in ſe redit. Similiter & aëris elementum conſumi nequit, quamque eſt impoſſibile elementum conſumi, tam quoque difficile eſt de novo fieri. Verum lignorum ignis corrumpitur, quia Elementum non eſt, ſed Sulphureum corpus, vento quàm ſimillimum: qui & ipſe aër verè non dicitur, ſed generatum quoddam corpus corruptibile. Elementum namque ignis illud verè, quod Firmamento excepto nemo nec corrumpere poteſt. Sic Sol cum ſuis aſtris Elementum eſt: nam illius calorem nemo augere, vel minuere poteſt. Itaque toto cœlo aberrant medici, cùm Elementa quæ nil niſi vitam tribuunt, corporaliter nobis ineſſe imaginantur. Quia enim ſine calore, ac frigore vita non conſiſtere poteſt, ſive in ſenſibilibus, ſive in vegetabilibus, mirum eos, ſic delirare ut in iis ipſis morbos conſtituere velle, variiſque nominibus humorum, qualitatum, complexionum &c. afficere conſiderandum erat, morbos omnes corruptibiles eſſe, ac inſtar flammæ vel ſcintillæ conſumi, manentibus interim Elementis ac complexionibus illæſis. Elementa enim ut in hominem ingreſſa ſunt: ſic ex eo rurſus abeunt, terra ſcilicet in terram, aqua in aquam, chaos in aëra, ignis in Solis calorem, ibique perſtant, donec cœlum ac terra diſſolventur. Iſta inquã vera Elementa ſunt, quibus frivole admodum morbos adſcribitis, juxta ea morbos calidos, frigidos, humidos, ſiccos &c. dicentes, Atqui non hæc, ſed id quod evaneſcit, morbum efficit: imo morbus ipſe eſt Elementorum inſenſibilitatem efficiens.

Quod ſi omnino quis urgeat, omnem morbum calidum, vel frigid. vel humid. vel ſicc. &c. eſſe, hoc eſt, cum complectione ſeu natura Elementari conſiſtere:, ei ſic reſponſum volo: ea quæ frig. & cal. &c. ſunt, vera elementa non eſſe, alioqui nil ſub cœlo eſſet, quod Elementum non foret: ſiquidem conſtat omnia Sublunaria corpora, ſeu vitâ prædita ſint, ſeu eadem deſtituta, neceſſariò vel frig: vel calida eſſe. Interim non inficias eo, in corporibus noſtris quatuor Elementa conſiſtere, verum in ſanis hoc eſt, non perinde in ægris: nam præſente morbo calor ac frigus, &c. aufugiunt, ſicq; corpus Elemento deſtitutum Mortis imperio ſubjectum eſt. Calor nativus qui in nobis eſt, ignis Elementarius eſt, non ſic calor præter naturam. Caro ergo quæ jam corroditur, vivit adhuc, ac tum demum ubi abſcedit à corpore, id eſt, quod vos illam facitis. Sin illa eroſa caro alia carne reſtituatur, ei calorem naturalem, ſeu Elementarium ineſſe non rectè quis dixerit, cùm calor ille non conſiſtat, non niſi in iis quæ ex ſpermate generata ſunt, ſed calorem, ſi quem habet, aliunde ex vicinia mutuatur. Atqui ut de calore ac frigore præter naturam, ſeu morbido loquamur, ſciendum variis modis accidere: primo ab exercitio vehementi, quandoque ab oppilationibus ſeu obſtructionibus vehementibus, aliiſque multis modis: verum iſtos calores, &c. nec complexiones, nec Elementa eſſe cogitabis: ſi enim complexiones forent, complexionem levi momento immutari poſſe contingeret, quod impoſſibile eſſe oſtenſum eſt. Perinde ſe ac in putrefactionibus res habet: illic enim ſtercus, etſi duplo calidius evadat (ut incaleſcere apparet) quàm ab equo rejectum ſit, nemo tamen calorem illum Elementum appellat, &c. ſed digeſtum ſolummodo. Hæc pauca protheoremata ad veſtibulum operis de ulceribus præmittere placuit. Sũt & alii errores, qui incautis facilè imponunt, verbi cauſa, Sales Elementum in ſe habent, cum tamen juxta illud non operentur, non rectè quis Elementum illis curandis adminiſtraverit: nam virtutibus Sales vacui ſunt, ſolamque vitam, non operationem ab Elementis habent: quæ enim illis differentia ineſt, exempli gratia: quòd Alumen Rochę à Plumoſo, Sal Armoniacus à Sale Maris differt, non ſuperabundantis Elementi ratione hoc fit, cùm omnibus æqualis inſit, imò potiùs propter acerbas, dulces, acres, ſalſas, &c. qualitates. Itaque ſalſedo, amaritudo, dulcedo, ponticum, acerbum, acetoſum, &c. inter qualitates, non inter complexiones numerari debent: qualitates enim æquè ſunt, ac in homine pulchritudo qualitas eſt, quam, quis eſt, qui ad Elementa referat? Sic Sal gemmæ acrior eſt, quàm Sal Anathron, eoque pulcrior quoque, ceu homo homine, lingua linguâ acrior conſpicitur, etſi in utriſque eadem forma eademque inſit materia. Hinc apparet cur diaphanes ſit: cùm enim in ſua ſit exaltatione, neceſſariò quoque purum ac pulcrum eſt. Diſcere quoque hinc licet, cur Sal Sale, homo homine fortior ac acrior exiſtat, Camphoræ quis frigiditatem inſpiciat, ea ab elemento certe non eſt, ſed à qualitate: item Cantharidum cauſtica vis an elemento adſcribenda? minime vero, cùm negrii quidem ignis plus habeant, quàm camomilla. Sic urtica urit, non elementi ratione, ſed propter formæ ſubtilitatem. Hæc, hęc, illa divina myſteria ac Magnalia ſunt, quę ſi ex verę Philoſophiæ fontibus hauſeritis, facile vobis morborum originem, ac cauſas aſſignare fuerit. Atqui, illa Philoſophia non eſt, quam Ariſtoteles, Averrhoës, Albertus, &c. docuerunt, qui Medicinæ nil, vel minimum tenuerunt: imò quæ in chartas effuderunt, omnia abſque experientia eblaterarunt. Itaque verum illud dictum noſtrum eſſe apparet, cum Philoſophum ex Medico (non autem viciſſim) generari debere pronunciamus. Sed fidem dictis faciunt ars veſtra, opera veſtra; facultates veſtræ.

Theophraſti de Ulceribus

Liber II.

EX iis proinde quæ præcedenti libro dicta ſunt, manifeſtum evadit, ulcerum cauſas non complexionibus, non Elementis, non qualitatibus, ſed Salibus, quorum differentiæ ſunt, Corroſivum, acutum, acerbum, acetoſum, &c. adſcribendas eſſe, ea obſervata ratione, quòd cum nullum plane ulcus abſque corrodente virtute conſiſtere poſſe dicamus, Corroſio autem extra Sales nulla ſit, omne ulcus Salibus acceptum ferendum eſſe: neque tamen putandum eſt, Sales ſeipſis meliores, vel deteriores evadere (quemadmodum de ſuis complexionibus fabulantur pſeudomedici) ſed certò ſciendum, pro cujuſque Salis natura, atque mixtionis varietate, novum ſubinde ulcus, ante incognitum oriri. Itaque obſervandum, corporis ſani conſtitutionem ſeipſa meliorem numquam evadere, ſine naturæ propriæ corruptione, verum deteriorem facile fieri, propter congenitum corruptionis ſeminarium; quod dum Microcoſmus ſeparatus nondum eſt, in optima concordantia conſiſtit: verum ubi ſeparatus fuerit, à ſua temperatura alienum evadit, hæc ergo cauſa eſt, cur morbo ingruente totum corpus horreat: propter diſſolutam nimirum illam corporis concordiam: nam ut primum aliqua ſpecies ſeparata eſt, jam viribus ſuis integra exiſtit, quas in illa harmonia oſtendere non poterat. Illud itaque quod ſeparatur, Salis ſpecies neceſſario eſt, (ſi de Chyrurgicis iſtis morbis, ac ulceribus loquamur) cùm ergo conſtet, Sales ulcerum cauſas exiſtere, eorum plus centum ſpecies in corpore noſtro ineſſe, ignorandum non erit, ex quorum malignitate ac mixtione ulcera diverſa evadunt, alia curatu faciliora, alia difficiliora, iſta hac, illa, alia forma ac natura prædita: quemadmodum enim alia eſt Salis Urinæ, alia ferruginis, alia Aluminoſi, &c. natura: alius Vitrioli, alius Salis communis, Nitri, Aluminis, &c. ſapor: ſic alius aliorum dolor eſt, ſi à concordantia univerſi Sales ſeparati fuerint, inſtar Salis mineræ. Obſervandum tamen, antequam Sales ſeparentur, talem illorum temperiem eſſe, ut ſalem guſtu dijudicare nequeas, non ſecus aç variis ſuccis invicem permixtis, de certa aliqua ſaporis ſpecie pronunciare impoſſibile eſt: at ubi ad ſeparationem inclinare cœperit, quò fini proprior, eò facilior dijudicatio apparebit: tandem verò ſeparatione abſoluta, manifeſtiſſime Salis ſapor apparet: etenim in omnibus tam terreis, quam aqueis corporibus, integra manente compoſitione, ut certa ſpecies animadverti non poteſt: ita facta ſeparatione, illa latere nequit: ſeparatio enim ſpecies Metallorum, Gemmarum, Salium, &c. prodit. Quæ hactenus de Salibus dicta ſunt, ad omnes Catholica ſunt: jam ad ſpecialia deſcendendum. Sales ex Realgare progredientes, quales ſunt Arſenicalis, Auripigment. Uſneæ, Petreus, Aluminoſus, Vitriolatus, Maris & hujus generis alii, pro ſui veneni malignitate tumores & punctiones vehementiſſ. in ulceribus excitant, quos omnes ſales in humano corpore exiſtere ignorandum non eſt: tot namque Microcoſmus Salium ſpecies obtinuit, quot major mundus oſtendere poteſt. Sic quemadmodum per proprium Salem Venus in viride æris converti cernitur, eodem modo Sales ſeparati corpus deſtruentes, extrinſecus ulcera faciunt: verum ceu in ære argentum, plumbum, bona, mala, utilia, inutilia, &c. nemo ante ſeparationem diſcernit: facta autem ſeparatione, Arſenicus, Realgar, Auripigmentum, Antimonium, Sulphur, &c. ad oculum apparent, quæ in compoſito venenum non erant, reſoluta autem, vel piſi magnitudine lethale venenum exiſtunt, (ſic Sales ante & poſt ſeparationem ſe habere intelligendum.)

Quamobrem jam tandem ſeparationis (quæ ulcerum antecedens cauſa eſt) modum oſtendamus. Sunt Sales quidam ſubtiles ac liquoroſi, qui in corpore conſiſtentes cum reliquis, ex ſua ipſorum ſubtilitate corruptionem efficiunt: quod exemplo vini clarum evadit. Vinum integrum, ſalſo omni ſapore deſtitutum, ſed inſigni dulcedine guſtui adblandiens apparet, quod tamen diuturnitate temporis Tartarum acerrimum, ſcilicet Salem generat: ſimili modo in humano corpore cutis dolium eſt, liquores verò vinum, qui ſi Salem (qui Tartaro reſpondet) deponant, is ad uſque cutis membranam decurrit, cujus cùm non tanta (quæ lignorum in dolio eſt) durities ſit, ab illis eroſio oritur, ſicque ulcus. Iterum vinum aceſcens conſideremus, quod amiſſo ſpiritu acorem contrahehere ſcimus, at acetoſum ſaporem quis animadvertit prius? nemo: unde ortus autem? ex ſeparatione nimirum: conſimile ergo plane de liquoribus corporis noſtri judicium eſt, quorum cum ſit infinitus numerus, aliquo tamen eorum aceſcente, corroſiva facultas exoritur. Sed tantum ſalium numerum admirabitur forſan aliquis: verum mirari deſinet, ſi ulcerum varietatem intueatur, quam ab una aliqua Salis ſpecie extitiſſe impoſſibile eſt. Phagedenam quis inſpiciat, ea ſi in viginti hominibus ſit, viginti Salium inſtar ab invicem different, quam diverſitatem ſtultum ac puerile eſt, ad Choleram, Melancholiam; complexionem, &c. referri: tam enim cholera ac melancholia non ſunt, quàm inconveniens eſt ad lupum transferri, varietas illa aliò referenda eſt. Auri variæ ſpecies ſunt, Arabicum, fluviatile &c. ſic ferrum, ſic ſtannum aliud alio durius ac malleo magis obediens: hujus diverſitatis cauſam ſi cognoveris, unde tam varia ulcera ſint, ſcies etiam. Corroſivorum itaque ſalium ſeparatio quomodo ulcera efficiat, exemplo Tartari & aceti dignoſcere facile fuerit: velut enim vinum vino acrius ac durabilius eſt, ſic Sal Sale tardius vel citius, acrius, vel remiſſius ad ſuam exaltationem pervenit: atque ut Minerale unum alio velocius perficitur (quemadmodum in opere de generationibus demonſtravimus) ſic morbus morbo citius matureſcit. Cùm itaque nil ulcus faciat, niſi corroſivum ſit: nil corroſivum ſit, niſi ipſum & ſal exiſtat: quomodo non iſtis potius fundamentis, quàm inanibus Avicennæ & ſequacium deliramentis Medicus fidem adhibeat?

Ne pigeat quæſo, naturæ operationes in ipſis elementis conſiderare. Aquam primo tibi propone, ac conſidera obſecro, quot Sales illa producat: Alumina ſcilicet, Vitriola &c. Terram dein inſpice, quàm varios Sales illa oſtendat in Pipere, Zinzibere, Arona &c. ut interim de Tereniabin & Noſtoch nil dicam. Atque iſti Sales, horumque Salium ſpecies tam ab invicem diverſæ ſunt, ut unam ab alia differre, & in quo differant, dijudicare promptiſſ. ſit: non ſecus enim ſe habent, ac omne hominum genus: ceu enim illic unum ab alio facile dignoſcere eſt, ſed duos invicem omni ex parte ſimiles invenire impoſſibile: ſic & Sales ab iiſque procreati morbi dignotionem facillimam obtinent, ſimilitudinem verò plus quàm difficile. Conſideretur etiam corpus omnes elementorum formas in ſe continere: quod ſi eſt, ut verè eſt, quomodo licet ergo in calidis, frigidis, humidis, ſiccis morbos fingere? hoc eò dictum eſt, ut meminerit quivis in corpore vim producendi fructus, ac Mineralia bona, mala, utilia, noxia, non ſecus ac reliqua Elementa obtinere, uti luculentiſſ. in lib. de ſanat. & ægritud. Microcoſmi & Elementorum demonſtravimus. Aurum fructus ſui Elementi eſt, Smaragdus item ſui, atque hi fructus ſunt ſanitatis, perinde in homine res habet: alius enim alio longio-

ris vitæ eſt, ob id quòd fructus ſanitatis huic creſcant, ille vero nulli. Sic aurum dicimus Lepram curare, aurum illud fructus ſanitatis eſt eorum, qui Lepram non patiuntur. Eodem modo ſi dicam: hic Elixir habet, pro vita longa, in eo Smaragdus creſcit, non lapis, ſed Smaragdus tamen. Medici ergo officium fuerit, horum fructuum (ſi alicubi ſit) defectum reſarcire: contra verò generationem prohibere, ubi morboſi fructus generentur: nam & illos corpus producit. Verbi cauſa, Arſenicum major mundus habet, quod & in homine eſt; illud ergo ſi ſeparetur, mors ſupervenit, ut in Prunella: eodem modo qui Ictericia laborat, ejus crocum Auripigmenti generatum dicimus. Quia ergo corpora quædam exterioris mundi incorruptibilia quaſi ſunt (velut aurum) qui non eum cui fructus talis naſcatur, longioris vitæ futurum pronunciet? Viciſſim ſi veluti in Elementatis, ut in ferro rubigo, & lephanteo caries, ſic in corpore ſimilis fructus naſcatur, ſanitatem quis hic polliceatur? Atque ſic in univerſum de omnibus Elementis judicandum eſt, quòd ſcilicet & noxia & utilia producunt: ipſa tamen per ſe noxam non ſentiunt, propter ſingularem ſuam Anatomiam, quâ inſenſibilia corpora exiſtunt: verum quia corpora noſtra ſenſu prædita ſunt, non ita horum fructuum venenum latere poteſt, ſed ubi ſeparationis tempus advenerit (quod exemplo Tartari & Aceti cognoſcere potes) morbi ſubito prorumpunt, haut aliter quàm quandoque ex Elemento quopiam unico die Mineram prodire videmus, quæ uti ſe produnt, ſic & morbi proveniunt; itaque hos juxta illorum ortum artificioſe diſtingues: ſi enim cognoſcas tempus effloreſcentiæ Mineræ alicujus, facile morbos ex ea oriri ſolitos prognoſticabis, quæ effloreſcentia quia ex ſeparatione oritur, manifeſtum eſt, morbos quoque ipſos ex ſeparatione exiſtere. Niſi enim ſeparatio in majore mundo eſſet, nullum Metallum: in minori vero ſi non eſſet, nulla nec ſanitas, nec morbus oriretur, ſed omnium æquabilis, ac perpetua temperatura foret. Ex quo patet, quantam operam Medicus in ſeparationis recta cognitione ponere debeat.

Porrò nunc oſtendendum ſupereſt, quomodo homo Elementum eſſe, ac quatuor Elementorum formas in ſe continere dicatur: ea enim de cauſa ipſe quintum cœlum, ac quintum eſſe appellatur, non quòd hac vel illa complexione præditus ſit: nam complexiones Elementum non conſtituunt, & proinde nec quintum cœlum. Mineralia vero quæ inde naſcuntur, ea inquam ſunt, quæ Elementum conſtituunt. Atque ſic homo Elementum dicitur, cujus Mineralia ſunt, ſanitas & ægritudo, quæ ex corpore ceu ex matrice producuntur: ſemen autem matricis illud eſt, ex quo omnia Mineralia exiſtunt: ſed de ſemine hîc tractare omitto, quòd ad Philoſophiam quàm Medicinam pertineat rectius. Etſi autem non Ariſtotelis ac Artiſtarum lyra hîc cano, parum refert, natura mihi potior teſtis eſt, quæ uti hæc fiant, manifeſtè oſtendit: verum exemplo ſequenti diviſio manifeſtior evadet. Elementum aquæ corpus ſuum in aqua habet, ac ſua Mineralia ex ſe in aliud Elementum, terram videlicet producit. Similiter & terræ Elementum ſua Mineralia in alia educit Elementa, ut jam quæ ex Elemento aquę prodeunt, conſiſtant in Phyſico Elemento corporeo: quæ vero in iſto, ea jam in lucem prodeant. Stante ergo eo quòd ulcera Mineralia ſint, ſciendum, quòd veluti in terra, quæ Mineralium corpus eſt, (materia rectius) hîc Aluminoſa, illic Vitriolata, alio loco Salia, non nullo loco nihil produci apparet. Sic in humano corpore facta Elementorum ſeparatione, ſanitatem vel morbum fieri: corpus enim inſtar Elementi terræ eſt, ſuſcipiendis reliquorum trium Elementorum actionibus ſubjectum. Sumus itaque univerſum nos humanum genus, unum corpus morborum, in quod pro regionum varietate Mineralia variè diviſa ſunt. Atqui ut in uno homine ſolo non conſiſtunt, ſed in variis diviſa, ſic ſciendum, tot diviſiones eorum eſſe, quot venæ ſunt in hominibus: itaque prout in venam aliquam inciderit, eatenus ſanus vel æger homo videbitur. De quibus uberius in Philoſophia de Generationibus naturalium diſſeruimus, quam conſules.

Theophaſti de Ulceribus.
Liber III.

Antequam ad Morborum diviſionem deſcendamus, docendi ratio poſtulare videtur, ut antiquorum de iſtis rebus ſcripta & placita producantur. Sciendum itaque, ulcera veteres Apoſtemata appellare ſolitos fuiſſe, magno ſane errore: nam ex illo deinde innumeri alii pullularunt, ut vere dicere jam poſſim, hanc primam omnium qui in Receptis illorum ſunt, errorum radicem eſſe. (Admonendus mihi lector es, ulcus hîç Paracelſo eſſe, quod alibi aperturam cutis, novo apud Latinos Chyrurgos vocabulo appellat: etſi autem hîc ulcus ab apertura Germanis *offner ſchaden* diſtinguat: tamen cùm ulcus non raro hucuſque appellaverit, hanc continui ſolutionem nos quoque per totam hanc tertiam partem, ulceris, quàm aperturæ nomine uti maluimus, quod ſemel admonuiſſe ſufficiat.) Quapropter ſi iſtis nominibus confuſe forſan uſus fuero, ſcias cauſam in libro de ſuppuratione à nobis redditam eſſe. Nam alioquin apoſtemata ſub ulceribus pertractare animus non eſt, ne forſan in eam difficultatem me quoque conjiciam, in qua omnes tum antiqui, tum recentiores inextricabiles hærent. Quinetiam ſunt quæ ſub ulcera retulerunt antiqui, quæ nos ſub Syronibus maluimus comprehendere: viciſſim de nodis quædam habemus, quæ ad Apoſtemata ipſi referunt. Quamobrem etſi contingat, quandoque nomina veterum excidere, ſeu ſtudio à me poni, meminetis hac ſola cauſa id fieri, quòd plerique veſtrum illorum nominibus uti aſſueverint: itaque ne in nominibus remora eſſet, cavere ſtudui. Alioquin illa nomina non uſurpo, quòd ea tueri velim, vel defendi poſſe exiſtimem, cùm non me fugiat, nomina ipſorum quandoque cum rebus convenire, ut album cum nigro: namque ea perpetua ſunt, cùm interim infinitis vicibus morbus mutetur. Ad hæc ex variis linguis Arabica, Syriaca, Caldaica, Hebræa, &c. conſarcinata, quarum hæc iſto, illa alio nomine eundem morbum exprimit: cujus rei ſimile quiddam inter Germanos accidit, ubi ejuſdem morbi nomina in locis etiam proximis invicem varia exiſtunt: ut interim taceam, Ruſticos quandoque morbis nomina imponere, nulla ſimilitudinis, cauſæ, vel curationis habita ratione. Quamobrem omnia peregrina nomina repudianda nobis duximus, & ea ſolum uſurpanda, quæ latina ſunt, & vel ex curatione, vel cauſa, vel ſimilitudine ad alium aliquem morbum extiterunt: nam reliqua quæ antiqua fuerunt, quia alia nunc morborum ratio eſt quàm olim, cur reſervari oportuerit non video? qui eorum Patronos agunt, ipſi viderint quomodo defendant. Sane, ſi Aſtronomi eam ſibi merito licentiam ſumunt, ut pro libito ſignis cœleſtibus nomina, ab hominibus & beſtiis deſumpta imponant, cùm tamen ſola figuræ ſimilitudine, non ratione formæ ſubſtantialis invicem conveniant; quid prohibet in re medica morbis nomina affingere, juxta ſuas cum Mineralibus, quæ ex quatuor matricibus fiunt, ſimilitudines? cum non hîc formas ſeu corpora intelligam, ſed ſaltem cognationem quam in operando videntur obſervare. Etenim in Microcoſmo hujuſmodi formas ac corpora non rectè quis conſtituat, cum ipſorum

tan-

tantum naturæ & affectiones inſint. Itaque Corroſiva Microcoſmi Salibus, Vitriolatis, aluminibus, Arſenicis, &c. ſimilia nomina rectiſſimè obtinebunt.

Sciendum itaque, primam morborum diviſionem ratione materiæ inſtituendam eſſe, dein ratione loci, poſt juxta motus diverſitatem ſubdividendum. Hinc enim ſimilitudinem morborum cum motu, ac natura exteriore cernere licebit. Alia enim ulcera ut ventus fiunt, & abeunt: item quemadmodum ſigna Firmamentum percurrunt, ſic quædam mineralia totum corpus pervadunt: item veluti quidam fructus ſtatis anni temporibus florent ac creſcunt, ſic non pauca ulcera certo tempore florent, ſed hæc loci ferè ratione accidunt, itaque Anatomia ſedulo Medicis perdiſcenda eſt, ut motu illo durante, ubi ulcus futurum ſit, præjudicare queant: ex anatomia enim Medicus diſcit morborum metas, ſemitam, motum, &c. ut in ſua arte Nauta, tabellio, venator. Ad hæc augmenta & declinationes morborum, tam frigidè ab antiquis diſtincta ſunt, ut ex eorum ſcriptis te extricare nequeas, nam cæcum principium faciunt, ſtatum & decrementum oculatum, hoc eſt, illud ſola conjectura, hoc ipſo ſenſu manifeſtari aſſerentes. Sed ad mineralium materiam progrediamur tandem, & oſtendamus quomodo ea cum Mineralibus exterioribus conſentiant. Si ergo dicam: hoc ulcus ex Realgare eſt, progrediendum ulterius erit, & quot ejus ſpecies ſint, indagandum. Et apparebit Realgaris exterioris quatuor ſpecies reperiri: nam terreſtre Realgar ſpongia eſt, aqueum Arſenicus, aëreum ſeu ex Chaos Tereniabin quarta, Igneum conjunctio Saturnina: his itaque quatuor Realgaria Microcoſmi reſpondere neceſſarium erit, itaque ſpecies diſtinguere facile. Quæ de Realgare dicta ſunt, ad alias quoque Mineralium ſpecies transferre licet. Diſtinctio originis morborum in duobus capitibus conſtituta fuit: in materia nimirum, & in materiæ motu: prior jam explicata, poſterior adhuc explicanda ſupereſt. Quamobrem obſervandum, morbos quandoque fieri inſtar Venti, adeo ut ulcera quandoque centrum faciant in loco, in quo cauſa multò, quàm in radice debilior exiſtit: cauſa hujus rei eſt, quia morbus Elementi ejus, in quo eſt, verbi gratia, ignis, motum ac materiam repræſentat: motum invaſione, materiam conſiſtentia. Ex quo manifeſtum evadit, cur quædam luſtra in Microcoſmo Nymphalem curſum (ſeu motum) aliquot tempora terreſtrem, quidam Menſes igneum, nonnulla minuta, ipſius Chaos obſervent: itaque in prædictionibus ac inquiſitionibus morborum, non juxta unum aliquod Elementum, ſed juxta omnia quatuor pronunciandum eſſe conſtat, ſive de præſentibus, ſive de futuris ſententiam feras: etenim motus ac impreſſiones in multiplici ſunt differentia, quemadmodum & conjunctiones: ſed quò & ante dicta, & pòſt dicenda de ſeparatione rectius intelligas, Exemplum adducemus. Ferrum inſpiciamus, quo pacto diuturnitate temporis, Elementa rubiginem ex illo extrahant, quæ poſt ſeparationem manifeſtè ſe prodat: cauſa hujus eſt Motus, quo ex non ente ens factum eſt: ſimiliter, inquam, in humano corpore, ſi talis motus ingruat, accidens quoddam ſupervenit, à quo corpus exeditur (ut à rubigine ferrum) veluti in Noli me tangere, accidere videmus. Iterum aquam intueamur, quæ perpetuò ipſa decurrit, corpore aquæ perſiſtente, ac veluti fluxus ille creſcit, ac decreſcit: eadem ratione illud Elementum in Microcoſmo moveri, augeri, minui, &c. putandum eſt. Sic & Chaos variè alterari videmus, varieque agere: jam labia findit, jam cutim, ut in leoninis, &c. huic itaque exteriori actioni, interioris ac ſibi correſpondentis actio ſimilis apparet. Atque quemadmodum terra aëris injuriis, pluviæ, nivi, pruinæ, &c. ſubjecta eſt: ſic humanum corpus ſui quoque Liquoris actiones ſuſcipere cogitur. Iſta exempla abunde oſtendere cauſas, ac originem, loca & principia ulcerum mihi perſuaſum habeo: proinde Medicum decet, ex quatuor Philoſophiis, & natura Microcoſmi expertum loqui, ut ubi ad curationē ventum fuerit, proprietates matricum perſpectas habeat. Sequitur ergo jam tandem ulcerum diviſio, non ab Elementis, ſed à materiarum proprietate deſumpta. Sunt itaque Materiæ tres in univerſum, Materia ſcilicet Salis, Materia Realgaris, & Materia Kakimiæ: hæ, inquam, omnes omnium ulcerum ſubjectæ materies ſunt, quæ & alias jam ſubdiviſiones ſortiuntur, nam Sales ſunt tres, Alumen, Vitriolum, Sal.Realg. duo, Arſenicum & Auripigmentum. Kakimię itidem tres ſpecies habentur, Marchaſita, Thalcum, & Kakimia: harum ſpecierum deinceps aliæ habentur magis ſpeciales, verbi cauſa, ſub Vitriolo ſunt Cuperoſum viride: album, ſub Alumine, Rochum, crudum, plumoſum, entali &c. Sales itidem varij ſunt, ut Sal gemmæ, Petræ, Nitri, Alkali, quemadmodum & Arſenicum aliud Rubrum eſt, aliud album, flavum, &c. Thalci ſpecies ſunt Aureum, Argenteum: Marchaſitæ, Aurea, Argentea, Mineralis, Granatoſa, &c. Ad hæc ſpecies iſtas, tam multipliciter invicem complicari contingit, atque pro loci ac regionis varietate alterari. Itaque pro iſtius diviſionis trimembris ratione, jam deinceps tres libri ſequuntur, cauſas ſigna, & curationem ſingulorum ulcerum continentes, in quibus oſtendemus quoque rationem, quamobrem alia Mineralia Metallica, alia Diaphona appareant: iſta enim explicatio ad cognitionem cauſarum ulcerum, non mediocre adjumentum præſtabit. Etſi autem ulcerum diviſionem, juxta doloris rationem inſtituere potuiſſemus, ut alia doloroſa, alia dolore carentia conſtitueremus: tamen quia Corroſivorum natura, operatio, motus, &c. ferè diatheſin ad mortem obtinent, imperfecta fore videbatur hujuſmodi diviſio. Notandum præterea de Corroſivis, hoc eſt, ea ex quibuſdam ſimplicibus fieri, quæ ſua natura aliàs non rodunt, ut alkali: cauſa eſt, quod cùm omnia in tribus primis conſtituta ſint, nequeant tamen abſque ipſius ſimplicis deſtructione ſeparari: nam in ſeparatione virtus Mercurii, Sulphuris, Salis evaneſcit, ac retrò in primam Materiam abit, uti extra Microcoſmum videtis, Mercurium in fuliginem, Sulphur in oleitatem, Salem in Alkali tranſmutari: nam Oleum, Fuligo & Alkali, à tribus primis differunt: materiam enim primam, in ultimam materiam, ſine medio non tranſire manifeſtum eſt. Quamobrem non tam primam quàm ultimam materiam contemplari medico incumbit, quod ex exemplo patere perſuaſum habeo.

Ubi itaque prima Materia trium primorum in ultimam eorundem materiam in Microcoſmo abiturire cœperit, fiet hoc juxta naturam Elementorum, hoc eſt, Alkali corporis ceu terra, Alkali liquoris inſtar aquæ, Alkali liquoris inſtar Tereniabin, & Alkali ignis velut grando: nam omne corpus, quod ex materia prima fit, in ultimam abire tandem cogitur. Itaque ultima Magna materia principium ſuum habet in fine augmenti primæ materiæ: proinde ſi corpus Microcoſmi in ſuam materiam tranſeat, tùm ulcera fiunt ex tribus primis Salibus, qui tribus primis inſunt, quæ quidem virtus diatheſis dicitur: ſic ſi liquor Microcoſmi alteretur, ſuum Alcali facit, Chaos & ignis itidem ſuum: nam veluti Æthna terram in Alcali reducit, Elementum ſuum Diaphanon incinerat: Chaos ſuam Mannam: ignis ſuum Cryſtallum in calcem redigit: ſic de inviſibilibus iſtis finalibus operationibus judicandum quoque eſt. Hucuſque propoſita diviſio ulcerum, quæ in Mineralibus Corroſivis magnam quoque differentiam ineſſe innuit: nam Saccharum dul-

ce eſt, Acetoſa acerba, Gentiana amara, Piper acre, Vitriolum rodens, &c. iſta tamen omnia Sales ſunt, ob id corrodendi facultate prædita. Veruntamen hæc poſterior diviſio, ut in Theoria, propter diſtinctiones neceſſaria eſt: ſic in praxi non uſque adeo ſingularem uſum habet. Cæterum obſervare quoque convenit, non pauca ulcera in deſuetudinem venire aliis inſuper novis ac ſuperiori ætati incognitis ſupervenientibus: cujus rei ratio, etſi ab elementis nulla adferri poteſt, ſufficit tamen Microcoſmi ſenſus & experientia, qui in generationibus omnes reliquas conjunctionibus ſuis longo intervallo ſuperat: nam vegetabilia ac ſenſu carentia corpora impoſſibile eſt, tantas vires continere, quantas Microcoſmus obtinet. Etenim ut de morbis recens ortis ac exoletis dicamus, ſciendum Microcoſmi virtutes aliorum corporum efficaciam longè anteire: nam Elementa duo (ut exemplo res clarior fiat) extra Microcoſmum conjungi, nedum, generare ſimul impoſſibile eſt: nam ſingula per ſe ſeorſim manent, ac ſeminum ſuorum diatheſes ſervant, at non perinde in Microcoſmo res habet: nam is non ſolus, ſed alio accedente generat. Ex hac autem conjunctione, duo elementa in ſuo procreato unum elementum producunt: hæ ergo, ac hujuſmodi aliæ mixtiones novorum morborum cauſæ evadunt. Nam contradictione hoc omnino vacat, ex duorum conjuncta operatione, procreari tertium ac novum aliquod. Etſi non inficior quoſdam morbos Elementis implantatos eſſe: ſed illud nil attinet, iſtam de cauſis morborum ex conjunctionibus tractationem. Iſta quæ diximus magnam ad intelligendum diligentiam requirunt: ſunt enim abſtruſiora.

Atqui jam tandem quid Sal ſit, Realgar, vel Kakimia explicare tempeſtivum fuerit. Sunt itaque Realgar & Kakimia, ſales quoque & Salium nomine veniunt: etenim quòd paulo aliter ſuperius ea diſtinximus, propter curationem fieri oportuit. In ſumma, quæcunque in ulceribus, ac carnis eroſionibus, cauſæ vim obtinent, omnia Sales vocantur. Sic ſalium quoque nomine appellantur jam dictorum ſpecies, ut Sal petræ, gemmæ, &c. Arſenicum, Marchaſita. Verum omnes ab invicem ferè differunt, ratione accidentium: nam quod formam Arſenici refert, Sal Saturni vel metallorum eſt: quod acido guſtu prævalet, Aluminoſum dicitur. Sic Marchaſita, Sal Sulphuris nuncupatur &c. Atque ſic de reliquorum dignotione Iliadus docet. Denique notandum ex tribus primis quoque ſingulos ſales produci: eſt enim Sal Mercurii alius à Sale Sulphuris, hic rurſus alius à Sale Salis corporalis, ex quibus ſingulis ſingulæ quoque ulcerum ſpecies exiſtunt. Iſtam prolixam theoriam, non ſemper opus eſt in Praxi obſervare: ſufficit quandoque ad ſolam vim corrodentem, qualis qualis ea ſit, reſpexiſſe. Cæterum ſi cui forſan nomina Realgaris, Thalci, Kakimiæ, &c. negotium faceſſant, vel odioſa fuerint, is hoc ſuæ inertiæ, non noſtræ obſcuritati tribuet. Quæ præterea ad Medicinam ulcerum pertinent, ſequentibus libris accurate deſcribentur.

Theophraſti de Ulceribus
Liber IV.

JAm porrò de operationibus Salium diſſerere neceſſitas poſtulat: ſeptem modi operationis ac dolorum in illis obſervati in univerſum ſunt, juxta nimirum ſaporum diverſitatem: etenim doloris ac ſaporis ſpecierum numerus unus idemque eſt: itaque ab amaro & acerbo diverſi dolores, ab acido & acri itidem diſſimiles fiunt: atqui quemadmodum ſapores linguæ adverſantur, ſic & reliquæ carni: etſi enim reliqua caro guſtu non ut lingua prædita eſt, attamen dolorum perinde ac illa differentias dijudicat. Intelligendum proinde eſt, Morbos ſub Sale acido (ceu Alumen eſt) comprehenſos, quales ſunt Syreon, Fiſtula, Eſtiomenos, Polypus, &c. aſtrictorum quendam dolorem repræſentare. Quæ vero mala à Salibus acribus fiunt, ut ſunt Ignis Perſicus, Prunus, Cancer, Antrax, &c. aquis fortibus ac Mercurialibus æquiparantur. Viciſſim quæ ex urentibus Salibus exiſtunt ulcera, velut Formicæ, Eſſerę, malum S. Ioannis, S. Quirini, &c. dolorem faciunt, qualis à Cantharidibus, & Urtica excitantur: contra ulcera Rodentia, perinde ac Arona, & Zingib. doloris ſpeciem efficiunt. Ulcera dein putrida, & perpetuo manantia, quia à Sale amariſs. fiunt, ſub guſtum Colocynthides & amariſſæ referuntur. Quæ vero ſub Salibus corrodentibus continentur ulcera, Eriſipelas ſcilicet, Cancrena, Cambucca (ex parte) Lupus, ulcera cum magno tumore & aduſtione, &c. Realgaris & Colchotaris inſtar dolorem inferunt. Denique ſi quæ ſunt ulcera quæ ex dulci Sale fiunt, ut ſunt Scrophulæ, Fiſtulæ, ulcera ex Scyrrhis, &c. facta, tum dolore carentia, Liquiritiæ ac Polypodii ſaporibus comparantur. Dolorum haſce ſpecies ſic dijudicabis, qualem ſcilicet dolorem res illa, ſi in ulcus conjiciatur, fecerit: ejuſmodi dolor à re illa nomen accipit: verbi cauſa, Liquiritia quia ſapore nullo moleſta eſt, ſic ulcera quoque dolore carentia ſub eam referuntur, ac ab eadem nomen accipiunt: è contra Corroſiva vehementiora uti crura integra depaſcantur, ſic à Salibus corrodentibus nomina ſua meruerunt, in omnibus ſcilicet ſimilitudine obſervata.

Notandum præterea eſt varias ipſorum in ulcerum effectione operationes exiſtere, quemadmodum & coloris, formæ, ac proprietatum ratione magnam quoque differentiam animadvertimus: nam colorem & formam omnino à Salibus effici putandum eſt: nam ubi Sal non eſt, color nullus eſſe poteſt, quod in colorum ac tincturarum extractione manifeſtiſſimè patet. Etenim perinde ac à Sale, color, herbarum, lapidum, aliorumque corporum differentias ſortitur, ſic in homine ſive ſano, ſive ægro, à Sale prædominante colorem cauſari neceſſarium eſt. Quamvis autem nonnunquam ex putredine coloris alteratio accidere videatur, tamen illic non de ulceribus ac morbis, ſed de ſola putredine contentio eſt, quod ex fœtore teſtatum evadit: nam ubicumque fœtor eſt, ibi & putredo, ut in ſtercore: ipſum enim ubi à colore inteſtinorum putrificatum eſt, fœtorem ac colorem contrahit, quo antea dum in ventriculo adhuc eſſet, omnino caruerat: atque veluti homines, inter ſe variis modis differunt, ſic fœtor & color diverſiſſ. evadunt. Formæ autem quod ex natura Salis prædominantis variæ ſint, Cryſtallus, Citrinolus: Saphirus, Granatus, &c. variis & abinvicem differentibus formis præditi oſtendunt: ſicuti & Alumen, Vitreolum Sal: &c. humida, ſicca, granuloſa, &c. formis, à Sale donantur. Exemplo horum in corpore, ulcera alia longa, lata, rotunda, anguloſa, &c. evadunt, formam diſponente Sale prædominante. Sed formarum non adeo neceſſaria deſcriptio eſt, cùm doloris ſpecies peccantem materiam ſatis ſuperque demonſtret. Ad hæc Salis natura incorruptibilis eſt, ſimili ratione, ac in Elementis apparet, ex quibus quæ prodeunt omnia ab invicem differunt, adeo ut in Elemento terræ non liceat oſtendere duas plantas, omni ex parte invicem æquales, in Elemento aquæ nunquam duos lapides omnino ſimiles invenias, &c. Omnia namque ſuam proprietatem à Sale ſuo ſibi implantatam retinent, ut in externis, ſic etiam in homine.

Opta-

Optarem ſane, ut ex Pſeudomedicorum aliquo liceret mihi colorum ac formarum cauſas audire. Si Melancholia eſt, ſi Phlegma eſt id, unde color eſt, oſtende quæſo colorum cauſas in generatione Metallorum, arborum, herbarum ac ſimilium; color enim in homine, & aliis quibuſvis corporibus ab una communi cauſa efficitur. Unde humores prodierunt, ut formam, colorem, proprietatem, &c. tribuant? ex prima certe materia iſta prodeunt, & ex ultima materia mores: quomodo ergo proprietates ex poſteriori deſcribentur, cùm poſteriora ex prioribus dependeant? namque omnis ultima materia ex prima operatur. Exempli cauſa: vinum ſui generati ultima materia eſt, cujus prima materia, Sulphur, Sal & Mercurius ſunt. Ex quo ſequitur, Ebrietatem faciendi vim, non vino ſed Sali Mercuriali adſcribendam eſſe, qui & Lupulo eandem facultatem communicat. Item Aqua quod humectat, certe Sali Reſoluto hoc acceptum fert. Itaque tam inconvenienter Vino & Aquæ. ſine tribus primis quis iſta tribuat, quàm inconcinnè vos ulcerum radices humoribus adſcribitis. Atque ſi omnino humores conſtituendos urgeatis, ſequeretur certe tot humores conſtituendos eſſe, quot ſunt morborum ſpecies: ſiquidem pro confeſſo habetur, quemvis morbum ex ſuo ſingulari ſemine prodire, uno eodemque hoc argumento concidit quoque dogma illud veſtrum, quo Chyrurgicales morbos inſtar aliorum morborum, ex iiſdem internis cauſis deducitis: verum errorem iſtum aliis ſcriptis libellis nos refutavimus, ad quo lectorem ablegamus.

Cæterum accidit non raro Sales invicem diverſimode miſceri ex quo dein formæ, colores, dolorum ſpecies, omnia ſcilicet mirabiliter permiſcentur: itaque in cauſarum diſtinctionem ſedulo tunc Medico intendendum erit, maximopere autem conducit doloris ſpeciem animadvertere. Etenim ubi dolores punctorii accidunt, quibus ægri ſe ceu cultro ſecarentur, vel pungerentur, affici dicunt, certiſſimum argumentum habebis permixtorum Salium: dum enim invicem permiſcentur, in ſe mutuo agunt etiam, ac furere incipiunt, ex quo furore ebullitio, ex hac dolor ille punctorius exiſtit. Hinc ergo illa ulcerum inæqualitas, qua jam in profundum, jam in latum ſerpunt, nec ullam certam ulceris ſpeciem referunt, oritur: pugnantia enim illa nullam certam admittit generationem. Etenim perinde ac Mineralium, ſic & ulcerum magna varietas exiſtit: quod ſi omnia Mineralia in idem centrum concurrere contingat, neceſſe eſt cujuſlibet ſpeciei proprietates in forma, dolore, colore, &c. cum congenitis ſibi tumore, calore, ariditate, humiditate, &c. unà apparere. Itaque deteſtandus error eſt, quo tam gravis morbus ex Sale ortus, ſub putidos humores refertur: quos tamen ad eum finem pervenire impoſſibile eſt, ad quem illi eos cogere conantur. Siquidem corporis regiones ante omnia partiri oportet. ex qua partitione deinceps manifeſtum evadit, quinam Sales Corroſivi in qua vis regione generari ac conſiſtere queant, namque veluti orbis regiones aliæ, alios fructus producunt, ſic & corporis partes alię aliis abundant. Atque quot in mundo Salium differentiæ notantur, tot quoque in Microcoſmo oſtendere licet: itaque formam ulcerum humorum differentiis plane non reſpondere credendum eſt. Præterea ſciendum, ulcera non eſſe Emunctoria ſtatuenda, ſeu loca quædam appellanda, per quæ corpus exoneretur. Nam non aliter hic ſe res habet, ac ſi corrodente medicamento os ſanum excaves ac erodas, in quo, donec corrodens virtus operatur, omnis curatio inutilis eſt. Jam porro de foraminibus ſeu ulceribus aluminoſis, quorum in profundum ſerpere proprium eſt, dicere convenit. Horum ergo radices in generibus Aluminum figuntur: atque velut Aluminum variæ ſpecies ſunt, ſic & horum ulcerum magna varietas exiſtit. Namque ſi Alumen à ſuo corpore ſeparetur, jam ſtatim corrodentem facultatem aſciſcit, qua (juxta Salium corrodentium naturam) carnem ſub acentem depaſcitur, Separatio hæc quomodo fiat, ſic intelligendum eſt, cum nil tam noxium ſit, quod non ſuum quoque ſingularem uſum obtineat: veluti Araneam videmus, præter ſuam venenoſitatem, mirificam quandam vim ad omnes Febres chronicas percutandas obtinere: ſimiliter Creticum vinum, (ſaluberrimus aliàs potus) ſumme corrodens acetum, quod nil niſi Alumen eſt, in ſe continet, &c. Cum inquam ſic à natura comparatum ſit, ſciendum eſt, ſemper ad Arcani conſtitutionem bonum æquè ac malum requiri. tam enim venenum quàm antidotus, tam dulce quàm auſterum corpori ineſt: nam corpori colores omnes, omneſque ſapores ineſſe demonſtratum eſt. Etenim quemadmodum Saturno tres colores inſunt, ſlavus, albus, ruber: in Marte itidem tres, purpureus, ruber & niger, neque tamen Saturnus vel Mars color eſt: Sic de Salium coloribus per ſeparationem judicandum eſt: atque veluti rubedo Saturni, rubro, ſlavedo, ſlavo colore tingit, virtute ſcilicet ſeparationis: eodem modo Alumen, ut Alumen, Sal, ut Sal hîc in ulceribus agit. Quod ſi admirari ſubeat, quomodo ſic inviſibiles Sal, Alumen, &c. in corpore ſubſiſtere queant, ſtatim ad acetum recurres: illud enim dubium tibi ſolvet. Quis enim in vino incorrupto acetum ineſſe ſenſu judicavit unquam? attamen quis ineſſe dubitavit? Similiter in Venere Calchantum ineſt, imò ipſa Calchantum eſt, atque ſeparatione in Calchantum reducitur, nemo tamen Venerem Vitriolum eſſe recte dixerit. Quamobrem ſic de ſeparatione judicandum eſt, eam formæ eſſe non ſpeciei, quia & illa alia ſeparatio Veneris, qua Venus in Sal, (quod Vitriolo multò vehementius rodit) convertitur, non ſpeciei, ſed formæ quæ que eſt, & dicitur. Sed ſeparationem jam tandem miſſam faciamus. In eum itaque (quem diximus) modum ſeparatione facta, conſtat pro natura ſeparationis corroſionem diverſam eſſe, aliudque dolorem, aliud ulcus (ſeu foramen) dici. Itaque aluminis à viridi æris, ipſius crudi, ac uſti differentias conſideres velim: perinde enim ac in his ulcerum differentiæ ſe habent, Veruntamen hoc omnibus commune exiſtit, ut in profundum ſerpant. Quod ſi malignitate ſua Saturnina ulcera ſuperare videantur, jam certo ſtatuendum eſt, ſymplocin quandam variarum cauſarum, ſubeſſe, à qua non raro Lupum, Eſthiomenum, Fiſtula, Scrofulas, aliaque hujus farinæ ulcera exorta eſſe animadvertimus.

Sales porro quæ tranſmutationem à corporibus aliorum mineralium ſuſcipiunt, ſimilem ferè ac prædicti dignotionis rationem habent, verbi cauſa: Sales qui è corporibus Metallicis extrahuntur, magnam cum Alcali cognationem habent. Sic in ægritudinibus quibuſdam in quibus Sola Planetarum loca obſidentur, ut in Noli me tangere, in Ærugine &c. prima cauſa Sal eſt: at talis Sal, qui Martis naturam ſequatur. Atqui quemadmodum ex Marte tres vel quatuor Salis ſpecies extrahi arte poſſunt: ſic plures unà tentiginis (puto ferruginis legendum eſſe) ſpecies occurrere conſtat. In hoc itaque ulcerum genere curando (ſi quidem vulgata curandi ratio non ſufficiat) ſedulo loca Planetarum in homine, tum ægritudines quæ illis in locis fieri poſſunt diſtinguere medicus debebit. Nos propter ſequentes curationum canones breviter loca & ægritudines planetarum diſtinguemus. Mars faciem occupat, Sol umbilicum ejuſque circumjacentes regiones, Luna ſpinam dorſi, Venus geni-

genitalia ac in mulieribus uterum, Iupiter occiput, ac poſteriora cranii, Mercurius interiora viſcera, Saturnus vero artus. Præter umbilicum autem, obſervandum Solem quoque ſuo imperio complecti collum, hypochondria, & quidquid inter inguina & claviculas continetur. Lunam verò præter ſpinam coſtas quoque, ſcapulas & lumbos obtinere. Martem autem cum facie omnes reliquas partes carnoſas faciei reſpondentes: ut ſunt manus interiora, plantæ pedum &c. una cum vulva muliebri ſibi uſurpare. Saturno inſuper tribuuntur etiam canales omnes, ligamenta, nervi, medulla, juncturæ, occiput, nucha, cranium, frons ac oculorum cavitates cum ſuperiore naſi parte. Venus tamen præter pudenda Oſeum & quæ generationi ſubſerviunt membra nil ad modum ſingulare habet. Mercurio denique ſine exceptione interiora omnia ſubſerviunt, Lingua, gingivis ac paucis aliis, quæ Marti tribuuntur, exceptis: quamobrem autem Mars interiora quædam ſibi uſurpet, ſuis locis in curationibus non indictum nobis abibit. Jam enumerata partitio majorem in praxi, quàm in theoria uſum habet. Itaque ſi cui ex arte opus medicum facienti (juxta ſcilicet ſuperiorem Salium ſimplicium partitionem) res ſucceſſu careat, certò ſtatuendum eſſe, à Sale tranſmutato, qui à corpore Metallico ſeparatus, certum locum occupaverit, malum originem duxiſſe. Sic hæmorrhoides, ſic Saphenam, ſic Salvatellam, &c. aliis quàm ſuis locis ulcera cauſare obſervatum eſt: imò ſanguis quandoque, ac Liquor carnis (corpus Metalli non ſolvens) alius apparet quàm eſſe debebat: itaque iſta diſtinctio non floccipendenda à quoquam eſt: nam ſanguis, medulla, Sinovia, cæterique Liquores reſpectu Metallorum diverſa ratione, cauſæ ſunt. Etenim Merphea quandoque naturam Metallicam referre videtur, cùm tamen revera ejuſmodi non ſit. Verum prava tentigo plane Martialis ſanguinis eſt. Non raro Hydrops in ulcus mutatur, atque ſic curationem ſuſcipit, non ſine opinione concurrentis virtutis Metallicæ. Ad hæc Ictericiam ſæpius vidimus virtute Mercurii ſæpiſſimè per poros cutis expulſam in ſcabiem & pruritum abiiſſe, cujus rei cauſam quoque rectiſſimè ad Metallicam vim Mercurii retulimus. Atque ſic in pluribus ulceribus Phyſica curatio cum Chirurgica conjungenda erit, maximè ubi morbus Phyſicus in Chirurgicum tranſmutatus fuerit: itaque Medicus primum Phyſicum morbum, pòſt Chirurgicum expellere tentabit, ſemper Sales tranſmutatos in Remediorum delectu, ac compoſitione præ oculis habens; etenim in hoc maximè curandi ratio differt, quòd aliam methodum curandi Alkalia, ac Sales Metallorum requirant, veluti ſequentibus libellis manifeſtum evadet.

D. Theophraſti de Ulceribus

Liber V.

UT cauſas ſanationis ulcerum cognoſcamus, ſciendum ante omnia eſt, corpori noſtro Balſamum ineſſe, cujus virtute ipſum à putredine tutum exiſtat. Balſamum illud ſingulare omnibus corporis partibus ineſt: aliud namque in medulla, aliud in arteriis, oſſibus, &c. oſtendere licet. Balſamo hoc integro & incorrupto permanente, impoſſibile eſt cutis apertionem fieri: at ubi per Salium ſeparationem (veluti jam ante monuimus,) ipſum corrumpi contigerit, jam corroſionis principia jacta ſunt. Itaque in curatione hoc unice, ut id quod de Balſamo corruptione abſumptum eſt, reſtituamus, ſtudendum erit: hæc namque totius curationis ſumma exiſtit. Balſamum per jacturam illam reſarcimus, quia noſtro corpore inſufficiens ineſt, ex aliis Elementatis corporibus extrahere neceſſe habemus, illuc inquam Balſamum in exterioribus Elementis repetitur, eſtque id, à quo & reliqua generata ſe à putredine tuentur. Quamobrem rectè quis Mummiam exterioris Elementorum corporis, (id eſt, ſuorum fructuum) ipſum appellaverit: itaque ubi Balſamum Microcoſmi ad curanda ſua ulcera non ſuffecerit, ad Balſama corporum Elementarium recurrendum erit, quæ in radicalibus quorumcunque naſcentium Matricibus congenita inveniuntur: omne namque vita prædicum corpus, ex Balſamo hoc vitale eſt. Quocirca in Balſami extractione primum hoc ſpectandum erit, quantum ſcilicet ejus in ſubjecto corpore inſit: etenim non corpus, non forma, ſed unicum Balſamum in corpore deliteſcens, ex quo ipſum vivit, inquirere animus eſt.

Extractio horum Balſamorum ferè ſeparatione abſolvitur, nimirum dum Arcanum à corpore, quod ipſo Balſamo ſuſtentabatur, aufertur. Sciendum autem, Balſamum Elementare nil aliud eſſe, quàm quod in tribus primis Liquorem Mercurialem appellare ſolemus, ex quo conſequitur, omnem curationis vim in Mercurio ineſſe, Mercurius hujuſmodi manifeſtiſſimè in Tereniabin, & Noſtoch apparere ſolet, tum in Mineralibus aquæ, fructibus terræ, atque in aſtris. Hinc ratio eluceſcit quoque, quamobrem tantam vim ad ulcera percuranda Antimonium contineat, nimirum quia Liquore Mercuriali magis, quàm reliquæ Marcaſitarum ſpecies abundat. Hinc itidem Auri vis curatoria ſpectatur, etenim nullum corpus ex aquæ Elemento productum copioſiorem, ac ſubtiliorem Liquorem Mercurialem obtinuit. Sic ex terræ naſcentibus non eſt ſecretius remedium, Liquore Mercuriali Realgaris Cheirini, atque Similiter de Chao ac Firmamento, pro ratione ſuarum operationum judicandum erit. Ad cognitionem autem cujuſuis Liquoris Mercurialis, ſcire oportet, metalla in hujuſmodi quandam materiam tranſmutari, ut Ferrum in Crocum Martis, Venus in florem æris, Stannum in ſpiritum Jovis, &c. atqui iſthæc veri Liquores non ſunt, ſed accuratiore juxta ſuos canones ſeparatione opus eſt, quæ ad ulcera quævis perſananda ea apta reddas. Balſamorum variæ formæ, ac deſcriptiones juxta claſſes Mineralium quatuor Elementorum, apud antiquos extant: alii ſub Emplaſtri, alii ſub pulveris, alii ſub olei aquæ & impreſſionis, &c. forma deſcribere ſolent. Verum illas ego deſcriptiones ut ineptas, artificio omni carentes, & naturæ plane repugnantes, atque unica diæta (ſeu ut vocant regimine) obſignatas (quæ tamen naturæ hoſtis verè eſt, & dicitur) omnino rejiciendas putavi, quid enim opus eſt tanta confuſione, & ægrum & lectorem ſpe ſua fallere? cùm unius Balſami uſus, id quod ſeparatum eſt, perfectè expurget ac removeat, ac corpus acceſſione novi Balſami, in priſtinam diſpoſitionem reducat. Quæ commemorata ſunt hactenus omnia, quomodo præparare, ordinare, applicare, &c. conveniat, tum addiſcemus, ubi Generata omnia, quæ Balſami ſpecie ornata ac dotata ſint, cognoverimus, ac ſeparandi modum genuinum tenuerimus, veluti conſequentibus exemplis abunde manifeſtum evadet. Itaque Balſamum Solis extracturus, ipſum abſque ſpiritu Salis, Realgare, & ſimilibus in pulverem, oleum vel aquam tranſmutabis, id eſt, ut ex natura Metallica in corpus Reſinæ, ſeu Mirobalano ſimile convertatur curabis. Eadem plane ratione aliorum Metallorum corpora tractanda erunt. Etenim ſine hac tranſmutatione, id eſt, ex ſua natura in naturam mediam, inter primam & ultimam Materiam reductione, impoſſibile eſt aliquod Minerale perfectam operationem, ſuæ naturæ convenientem, perficere: etſi enim quandoque ad ſpeciem actionem ſuam perfeciſſe videantur, tamen non ex veris cauſis ac fundamentis ea progreditur. Quia enim omne generatum ad ſuam prædeſtinationem pergit, neceſſe erit Medicum

cum illud ipſum ex ſua prædeſtinatione in *Arcanum* deducere. Quamobrem Aurum per Crudum Thereniabin in ſuccum quendam reducitur abſque omni deſtillatione: etenim per deſtillationem Sal exaltatur, qui in Auro neutiquam prædominari debet, vel in pulverem, &c. ſic ut Metallicam eſſentiam amittat nec in primam vel ultimam Materiam convertatur, ſed in utrarumque medio conſiſtat, in hunc modum. *Recipe Solis foliati ℈ iiij. Alcool vini de Pino, de Meliſſa ana ℥ ij. digerantur ad ſpacium unius menſis, poſt Butyrum abſtrahatur, ac per menſem digeſtum, tepore balnei deſtilletur, & prodibit Balſamum Solis, etiam cum ulceribus graviores morbos perſanans.*

Quòd ſi forſan pretium remedii nimium accuſent aliqui, eos nil moror: etenim fucum, ſi ita velint, minoris facere poſſunt: verum ubi ægritudo ac neceſſitas poſtulaverint, neminem laborum, ac ſumptuum pigeat, pœniteatve, quo ægro (qui abſque Balſamo ſanitatem conſequi non poteſt) certum ac indubitatum auxilium præſtare poſſit: maximè cùm æque magni ſumptus quandoque pro albo coƈto, Oxycroceo, & ſimilibus inutiliter expendantur.

Simili ratione ex ferro balſamum extrahemus, ipſum cum aceto deſtillato reverberantes in crocum, & ab illo croco octies vel novies Salem Armoniacum abſtrahentes, donec in oleum abeat, quod dulce efficiemus arte. Uſus balſami Solis & Martis ejuſmodi eſt, ut illud ſingulis ſeptimanis ter, hoc poſt duodecimam ſubinde horam ulceri imponatur. In cupro deinceps ejuſmodi quoque balſamum reperitur: ſi ipſum in vitriolum, hoc in aquam, hujus colcothar in oleum rubicundum reducatur, ambo hæc miram in quibuſvis difficilioribus morbis Cancro, Lupo, Fiſtula, (in quibus pro ſpeciei proprietate nil reliqua proficiunt remedia &c.) percurandis efficaciam præſtant.

Plumbi quoque Spiritus ex cinere ejus per acetum deſtillatum extractus, ac in oleoſam dulcedinem reductus, non in ulceribus ſolum, ſed in vulneribus & apoſtematibus mirifice conducit. Similiter ex Argento vivo oleum extractum, Balſamo auri viribus plane reſpondet. Ad hæc coagulatum à colchotar, & cum aqua Parthenionis adhibitum, reliquorum mineralium Balſama longo ſpacio ſuperat: Quin etiam ipſo in florem vel Crocum converſo, in horum ulcerum curatione non infeliciter uteris. Sanè ſi pſeudomedici qui ſcientiam Metallicæ artis ſibi ſolis aſcribunt, iſta penitus introſpicerent, intelligerent forſan majus in fabrorum officina quam Francofordianis Myropoliis, commodum (ad curandum) ineſſe: verum compatriotæ, affines, veteres Pharmacopœorum conſodales, ac amici ſunt, nec facilè amicitiam hanc ſibi relinquendam putant, cùm tamen fuſoria fornax tinnitu mortarii longè præſtaret.

Superioribus remediis viliora non ſunt, quæ ex Realgaridibus præparantur: nam Arſenici ea virtus eſt, ut omne ulcus qualecumque illud tandem ſit, percurare ſolum poſſit, verum acrimoniam veneni ſui prius auferre oporret in hunc modum: nimirum ut per Salem urinæ fixetur, tum enim ultro in Oleum reſolvetur, ea qua diximus virtute præditum. Antimonium quoque aqua Vitrioli in pultem coctum, ac per Salem armoniacum purificatum craſſum, ac purpureum, ſeu fuſcum liquorem fundit, ſuperioris viribus parem. Ne mireris hujuſmodi ſimplicibus ulcera perſanari, ut quæ virtutes ſuas ab ipſamet natura compoſitas acceperint, nam Auro ſupra lx. virtutes, Cupro xx. Realgari xxx. &c. natura conceſſit, ut jam meritiſſimo jure Pharmacariorum inutilia Remedia, à Medicis ſtupidiſſimis compoſita, repudianda duxerint: nam & naturam ipſammet Compoſitorem eſſe ignorantes, naturæ defectus reſarcire conati ſunt; & ex ſuis thecis, arculis, & pyxidibus, ea depromere voluerunt, quæ natura in ſuis Arcanis recondiderat.

Simili modo Sales in ulceribus uſurpati, curatoriam facultatem ſibi ineſſe oſtendunt. Itaq; ſi Aluminis corroſivum dematur, & abſque ſtipticatis corruptione (non tamen per calcinationem) in liquorem reducatur: Vitriolum non in liquorem, ſed in oleum tranſmutetur, Salis viriditas rejectis reliquis extrahatur, eam quam diximus virtutem illis uſus teſtabitur, qui regimini Thermarum omni ex parte reſpondet, nam & Thermæ ex hujuſmodi Salibus ſeparatis primum extiterunt: hinc per virtutes haſce aquæ frigidæ incaleſcunt, ac ad curanda ulcera efficaciſſimæ evadunt: latet enim hîc cauſa ob quam Thermæ calidæ ſentiuntur.

Modus extractionis Balſamorum, ex generatis Elementi aquæ, Metallis ſcilicet, reliquiſve mineralibus Antimonio, Granatis, &c. ad generata Elementi terræ, commode quoque adoptari poterit; nam Liquor Mercurialis hic æque, ac in Auro, ſerpentinam ac Conſolidam facit, producitque. Atque quemadmodum Cedrus Balſamo ſuo, reliqua in genere (ceu & Aurum in ſuo) ſuperat, ſic juxta Cedri naturam omnia tranſmutare opus erit, conſolidam ſcilicet ſerpentinam, &c. Etſi autem Cedrus extra ſeparationem quoque ulcera perſanare ſolet, nihili tamen ea eſt ratione ſuæ latentis naturæ, cùm in deſperatis ulceribus ejus uſus certiſſimus, ac indubitatus plene ſit, at non perinde in mediocribus. Quamobrem neceſſe quoque habebimus hîc ex prædeſtinatione in Arcana naturas cogere: in Arcanis enim herbæ exaltantur. Modus tranſmutationis ſic ferè habet, ut ſæpius per calidam reiterentur aquam ac perfundantur, donec liquor à fæcibus ſeparari ſe patiatur, tum enim exiccari ac ſub pulveris forma reſervare utiliſſ. fuerit. Atque hic generalis modus eſt, quo omnes ſerpentinæ ac conſolidæ, quæ ſub forma Herbæ ſunt, in ſuam potentiam reducuntur. Modus in radicibus ac ſeminibus conſimilis plane eſt, niſi quod prius ad tempus ea digerere oportet.

Ex lignis autem ſic extrahes, ligna in ſuum Alcali reducito, cujus Sulphur aſſervato, latet enim in eo Mercurialis Liquor, quem ſeparare impoſſibile eſt. Itaque obſervandum quantum Balſami in hujuſmodi conſolidis inſit, ne pro Mercuriali alium forſan Liquorem aſſerveris: verbi cauſa, ſi quis Buxum pro botin accipiat, hoc ei eveniet. Reſinæ verò, Gumina, & ſimilia per digeſtionem ut correctionem ſuſcipiant, ſimiliter tranſmutari debent: ſed iſtis nemo nimium tribuat, ſiquidem perfectum Balſamum non contineant. Elementi aëris generata perinde ac terræ, præparari volunt: verum cùm iis Thereniabin ejuſque ſpecies deſint, difficulter myrobalanus extrahitur. Generatorum inſuper ex igne (ea puto quæ materialiter ex ipſo generantur) operationes difficillimè tranſmutationem accipiunt: itaque ut in Arcana convertas, fruſtra tentaveris. At quæ materiatæ ſunt, non ita inobedientes ſe artificis induſtriæ præbere ſolent, & facile ipſorum Arcana ad potentiam quivis deducat, veluti in impreſſionibus manifeſtum evadit: verbi cauſa, ſi ulcus Lentiginoſa conſpergatur, ipſa dein ſub lapide putrefacta curationi occaſionem præbeat, hanc curationem, Impreſſionem ſuper cæleſtem uſurpant; & ignis Elemento plerique tribuunt, admirationem iſta forſan alicui movebunt, ſed majora his, ignis præſtare obſervatus eſt. Eſt & ſuper cæleſtis alia impreſſio, qua ægro non animadvertente, abſque omni remediorum uſu, per (conjunctionem ſcilicet ſupercæleſtem) morbi curantur, perinde ut de Lentiginoſa dictum eſt. Conjunctionum harum peritiam ſingularem nos in medico riquirimus, ne forſan ſuperſtitionibus tribuere velit, quæ illas non attinent: hinc

enim fontes ſunt Figuratorum & Signaculorum, quibus ulcera curantur: ad hæc preculæ hinc confirmantur, quæ immeritò à quibuſdam ſuperſtitionis calumniam ſuſtinent, cùm Cabala preculatum & Signaculorum, tum Lentiginoſæ, de qua diximus, operationes neutiquam Magicas eſſe, ſed naturaliter ab Elemento ignis proficiſci comprobet. Operationes hæ à Medico cognoſci debebant, ſed plerique quia incorporea iſta ſunt, in his hallucinantur, vel planè cæci ſunt. Hactenùs tradita de præparationibus Balſamorum quatuor Elementorum, accuratè à Medicis perpendenda & excolenda ſunt, & ad ſpecialiora accommodanda, uti in ſequentibus magis elucescet.

Natura autem Balſami, quod extrahitur dulcis, & temperata nullaque excellenti qualitate prædita eſſe debet: nam in curationibus ulcerum ridiculum eſt, per ſiccam qualitatem, humiditatem: per frigidam, caliditatem curare velle: cum iſta potius impedire quàm curationem promovere animadvertatur. In ulcerum curationibus enim, Balſami temperies & dulcedo, frigus, calorem, humiditatem, ſiccitatem, dolorem, omniaque mulcet & curat. Itaque ſummum in hiſce curationibus eſt, ut Medicus verum Balſamum extrahat, ac ſuperantes qualitates corrumpendo attemperet: niſi enim hoc fit, omnis curatio inutilis futura eſt. Ad hæc attractiva vis Balſamo ineſſe nulla debet, cum attractio ſummum ſit venenum in iſtiuſmodi curationibus: atque materia peccans in centro abſcondita, per purgantia non attrahentia pelli debeat. Itaque ſi aliqua talis attrahens virtus, vel etiam corrodens vis, tuo Balſamo ineſſet, eam deſtrues: verbi cauſa, Arſenicum ac Mercurius ſublimatus primaria conſolidantia ſunt, atqui eorum Corroſivam vim prius corruptam iri oportet, ne ſcilicet urant, tumorem vel puncturas excitent, ſed æquabili temperie lactis vel mellis inſtar miteſcant ac dulceſcant. Quocirca moneo in præparatione Balſami, ſolam illius virtutem conſolidativam ſpectandam eſſe, cui nulla inſit virtus Diaphoretica, nulla cauſtica vel rodens facultas, vel ab Elementis orta complexio. Atque hæc temperies in cauſa eſt, quamobrem tantum Auro ac Lentiginoſæ tribuamus: ſic Conſolida craſſa, quàm rotunda ad incarnationem aptior eſt, etſi utrique unus, idemque Balſamus inſit: itidem Mumia ſicca Maſtiche in curatione præſtat (quod non ut hæc calore excellat) etſi ambo parem Balſamum obtineant. Itaque hoc univerſale in omnibus noſtris formulis remediorum eſto, etſi non ſemper moneamus, nullam hic complexionem, nullam virtutem (ſive ea attractiva ſit, ſive alia aliqua) conſiderari debere, ſed in omnibus corruptionem machinandam, quo abſque omni qualitate ſola dulcedo ac temperies applicari poſſit.

D. Theophraſti de ulceribus

Liber VI.

De Syronum Ozenarum & Fiſtularum ortu, & curatione.

SI in faciei ea parte, que Marti ſubjacet, naſo puta, labiis, genis &c. ulcus fiat: Ferrugo nuncupari malum ſolet, nimirum quod inſtar ferruginis in metallo, ab extra introrſum, non autem contra ſubjectas partes depaſcatur, ubi ſcilicet per poros cutis materia peccans expulſa, diutius illi adhæſerit. Malum hoc faciei ſolum, non item reliquis Marti ſubjectis partibus, volæ ſcil. ac plantis pedum, &c. propter ſingulare quoddam venarum genus accidit. Cauſa mali eſt conjunctio duarum diverſarum eſſentiarum, liquoris ſcilicet Metallici, qui Sal ſanguinis eſt, & liquoris Martialis, qui Sal Martis dicitur: ex iſtis inquā duobus Salibus conjunctis, hujuſmodi malū exiſtit, in hunc ferè modum incipiens. Si nares ſanguine abundent, vel ipſum copioſum gingivæ profundant, vel denique ſanguine caput repletum ſit, ejuſque fluxus ſupprimatur, tum ſanguis ille in Martis partem decumbens, illic eroſa vena, morbi centrum facit. Alia quoque occaſione fieri quandoque conſpeximus, cùm nimirum inſcitia medicorum, verrucæ labiorum, naſi, faciei, &c. eroſæ eſſent, radice verrucarum in venis exiſtente, venas illas in morbi centrum degeneraſſe.

Diſtinguendum inter iſta hoc ferè modo eſt: ſi enim ex regione naſi progrediatur, Cancer naſi, ſin è genarum medio, Fiſtula, ſin prope aures fiat, Syreon appellatur: ferè tamen in omnibus iſtis ad labia, & naſum uſque extenditur malum: ſunt enim illic locuſtæ illarum venarum, quæ hoc morbi genus efficere aptæ ſunt. Si itaque ex immodico fluxu vena erodatur, (uti monuimus) ſcitote illud à Sale Colcotharino fieri: namque ubi iſte cum Sale Martis junctus fuerit, unà operantur ac ferruginis initia faciunt. Operatio ejus ubicunque tandem fiat, ſemper ſui ſimilis eſt: perpetuo namque Sal Colcotharius per poros extruditur: ac ab exteriore ambiente nos aëre, cui cum interno nunquam vel raro convenit, irritatus furere incipit, ac pro quantitate & acrimonia utriuſq; Salis, tum natura affectæ partis, ac ſanguinis copia, cutem, carnem, omneſq; ſubjectas partes erodit, quemadmodum in affectis ſenſus optime dijudicat. Furor iſte ac roſio durat, donec omnia quæ Martis imperio ſuberant abolita ſint, quod ſi hujus quoque limites ſerpendo tranſgrediatur, jam lethale malum eſt. Lethale quoque, ubi aures occupaverit: nam ea ejus natura eſt, quod ſi nil in ſuperficie quod depaſcatur ſuperſit amplius, interiores quoque Mercurii partes ſubingrediatur, ac dentes cum gingivis erodat, ubi ſcilicet jam naſum, labia, genas, &c. devoraverit antea. Subjecto dein omni abſumpto, Salis quoque acrimonia & venenoſitas perit tandem, ex quo ſequitur, quòd ubi Sal Colcotharinus & Martis ſuam venenoſitatem non exerunt amplius, retro juxta venarum rectitudinem ipſa feratur & mortem efficiat. Sæpiſſime quinetiam accidere ſolet, ut hujuſmodi conjunctio tardè & occultè admodum fiat, nec ullis certis ſignis, ſed ſola eſchara, puſtula, &c. ſe prodat, atque tum hunc Syronem periculoſiſſimum & curatu difficillimum pronunciabis, nam horrenda ſymptomata ob Sales ſe mutuo pellentes expectare opportet.

Curatio.

Curandi ſcopi duo potiſſimum ſunt: alter ut furorem illum temperemus, ut facto jam affectui medeamur. Ille duobus modis perficitur: vel enim Salium malignitas (perinde ac Arſenici virulentia per butyrum tollitur, vel ignis ab aqua reſtinguitur) compeſcenda eſt, vel venæ illæ præſecandæ. Prior modus hiſce quinque pinguedinibus Oleo de Camphora, liquore corallorum alborum, Liquore Lithargirii, Reſina de Marte & axungia cupreſſi, perficitur, ſi nimirum illarum una affecto loco imponatur ac deligetur, donec dolor omnis remittat. Poſteriori modo perficiendo neceſſario Anatomiæ peritiam præficimus: hæc namque venarum ductus oſtendit, quibus cognitis quæ vena, quo loco præſecanda veniat, quod ipſum variis quoque modis fieri poteſt, cauterio, ſectione, Eſcharæ procuratione & ſimilibus modis, quos jam velut & Anatomiæ rationem in præſentiarum non doceo, cùm lectorem requiram jam in artis principiis abunde edoctum.

In facto jam affectu curando iſta potiſſimum obſervanda veniunt: primum abſumptam jam partem reſtitui & adimpleri amplius non poſſe: dein reliquum

quum quod adhuc ſupereſt per Oppodeltoch, vel aquam, unguentum, pulverem &c. eidem adſcriptum, curandum eſſe. Notandum tamen remedia aliqua exiſtere, quæ utrumque ſcopum adimpleant: hujus generis ſunt Realgar fixum, Operimenta fixa, Aquila fixa, quibus obtinendis maximopere ſtudere medicus debet, propter ingentia pericula quæ priori modo frequenter juncta ſunt: nam venas præſecare, earum impetum divertere, juxta Anatomicos canones, majoris certe & difficilioris artificii eſt ipſamet curatione. Obſervandum denique eſt, curationem iſtorum ulcerum diuturnam eſſe, ſi quorum aliorum: nam ratione ætatis ulceris ferè curatio longa exiſtit: itaque feſtinare nullo modo conſultum videtur: niſi forſan Balſamo Solis, Mumia Mercurii, &c. remediis quæ radicitus Syrones curare poſſunt, inſtructus ſis. Remedia reliqua quibus Syrones percurantur ſunt Emplaſttum quod *recipit, Reſinæ abietis, Colofoniæ, Terebinthinæ ana lib. ß. Ceræ virgineæ lib. jß. Armoniaci, Mirrhæ ana ℥ij. Realgaris fixi ʒiij. fiat emplaſtrum pro more*, quod quotidie bis renovatum ad finem uſque curationis impones. Quod ſi debile nimis ſit, & tardius agere videatur, ſequenti unguento uteris, quod habet *Olei Realgarini, de aquila fixa, ana ʒiiß. olei de vitellis ovorum ℥j. Terebinthinæ lotæ ℥ij. Litargirii acetoſi ℥ß. fiat unguentum ſubtile*. Sequens quoque pulvis quamvis Syronem intra ſuam regionem conſiſtit procurare ſufficiens eſt. *Recipit autem Croci Martis, florum æris ana ℥ß. Operimenæ fixæ tantundem fiat pulvis.* Similiter aqua Lentiginoſa ab Aquila vel Realgare deſtillata mirifica expurgandorum ulcerum facultate pollet, ſi quotidie locus affectus ſemel ea lavetur. Verum præſtat in omnibus ſpeciebus juxta Anatomicas rationes venas præcidere, ad præcavendam recidivam &c.

De Carcinomatum ortu & curatione.

Si in mulierum mammis, vel virorum ſcapulis, ampla rubedo, cum apertione, pure fætida, magno calore, multiſque cavitatibus ac fiſtulis intrò pertinentibus, tumoribus, Scyrrhis, &c. appareat, ægerque de punctionibus conqueratur, Cancrum appellabis ulcus hoc, à ſimilitudine Cancri fluvialis cocti. Atque etſi non omnino iſta ſtatim loca occupentur, ſed lumbi, brachia, venter, coſtarum regio, ſpina, &c. ſimiliter ut dictum eſt, afficiantur, nil prohibet affectum Carcinoma quoque appellare. Hoc tamen ab invicem differunt, quod quæ in mammis & ſcapulis fiunt Carcinomata, Lethalia ſemper ſunt: at non perinde de reliquis pronunciandum ſtatim eſt, cùm illic ſalutis ſpes non omnis præcluſa ſit. Carcinomata quævis pro ſexuum varietate cauſas diverſas obtinent, nam quæ viris accidunt, hæmorrhoidalem ſanguinem cauſam agnoſcunt, & poſteriora corporis occupant, ut ſunt ſpina omoplatæ &c. quin non raro in artubus conſpiciuntur. Quæ verò Mulieres affligunt, ferè in anteriore corporis parte reſident, à ſanguine menſtruo originem ducentia. Obſervare quoque convenit, occultos quandoque Cancros fieri, quales ſunt, qui uterum, anum, mammarum interiora affligent, atque eos fore Lethales, eſſe meminimus. Sed ut de Cancri materia aliquid admoneamus; ſciendum utrumque ex Realgarino ſanguine fieri, menſtrualem tamen hæmorrhoidali venenoſiorem eſſe: eſt enim Sal Mercurialis, qui in mulieribus frequentius quàm viris coacervatur. Et ſane cuivis mulieri ratione menſtrui Carcinoma fieri poteſt, cùm ob hæmorrhoides quæ rariores apparent, in viris pauciſſimis Cancri generentur.

Principium Cancri ferè ex redundantia, quam natura Mineralium expellere conatur, oritur: quod ſi expulſio per oppilationes impediatur, jam ſanguis ille retro fertur (virtute expulſiva alium exitum quærente) & pro natura Salis Mercurialis, rodere incipit, ac dictis ſignis, quæ omnia Mercurialis ſalis naturam ſapiunt, ſe prodit: accidit tamen quandoque oppilationes iſtas Cancrum non producere, maximè ubi illud Realgar Mercuriale non excelluerit, verum vel Colcotharinum, Aluminoſum, Sal Zuccharinum, &c. primas tenuerit, ex quorum deinceps naturæ varietate, clementia vel periculoſa ulcera exiſtunt. Quamobrem ſciendum ab oppilatione Cancrum Lethalem evadere, vel non evadere. Etenim ſi hæmorrhoidalis vel menſtrui ſanguinis retentio fiat, Lethalis eſt, Lethale quoque ubi in partem aliquam incubuerit, illiuſque viæ, ſeu meatus obſtruantur: retrò enim tum fertur, & aliis locis ulcera facit: quod ſi in mammis & ſcapulis ea fiant, præſentiſſima mors eſt. Itaque ſummo ſtudio enitendum erit, ut congenita vis expulſiva, ab oppilationibus liberetur: nam virtus iſta ſeu naturaliter, ſeu præter naturam agat, certis periodis recurrit: quod ſi ergo tempore motus illius ea per oppilationes impediatur, illa certè impeditio mater mortis evadit: nam virtus expulſiva non quieſcit donec mors finem ei faciat. Quocirca ſedulo iſta in curatione conſideranda ſunt, maxime ubi morbi magnitudo dilationem non concedit. Sciendum autem Carcinomata in mulierum mammis à lacte provenire, ſive album illud ſit, ſive rubeum: quæ verò in ventre fiunt, non ab hoc, ſed à Menſtruo illarum venarum ſanguine naſci: omnium autem periculoſiſſima ſunt, uteri ac pudendorum Carcinomata, nimirum omnibus menſtrui ſpeciebus ad illius generationem concurrentibus. Poſſibile tamen etiam eſt, antequam cancer fiat, multo retrò tempore ſcyrrhos, chærades alioſque tumores duros extitiſſe, qui ſero admodum aperientur, atque hoc genus Carcinomatum omnium tutiſſimum eſſe ſolet: nec eſt quod aliis nominibus mala hæc (ubicunque in corpore ea ſint) nominanda putes quàm Carcinomatis: nam omnium una eademque cauſa, ſanguis ſcilicet, ſeu Sal hæmorrhoid. & menſtru. eſt, omnibuſque una curatio convenit.

Curatio.

Summum quod in curatione ſpectare convenit, illud eſt, ut hæmorrhoidum ac menſtrui fluxus in ſuam potentiam deducatur. Etenim menſtruum quod in ſua potentia non conſiſtit, oppilationes efficit, ſic & hæmorrhoides agunt: itaque horum Salium legitima temperies procuranda erit, certis quibuſdam remediis: nam ſanguis menſtruus, ſicut & hæmorrhoides, dum ſuam eſſentiam obſervant, nullius mali effectrices eſſe poſſunt. Curatio etſi duplex eſt, Phyſica altera, altera Chyrurgica: tamen utramque Chyrurgum tenere convenit, tam eam quæ in ſuam temperiem humores reducit, quàm illam quæ ei quod jam à corrodentibus abſumptum eſt reſtituere intendit. Itaque remediorum duo quoque genera conſtituenda erant, ut ſint quæ intrinſecus incommoderationem emendent, & quæ foris adhibita, curent: hæc tamen non agunt, abſque interioris Medicinæ acceſſione: ad hæc non adeo difficile foret, hanc quoque Medicinam ſic comparare, ut perinde ac illa inſenſibiliter ageret. Curaturus itaque Cancrum, ante omnia hæmorrhoides ac menſtrua in ſuas potentias deduces, atque nihil conſtrictionem, fluxum album vel nigrum, ſpiſſum vel tenue curabis, neque multum de aperiendis oppilationibus ſollicitus eris: etenim illis ad ſuam potentiam deductis, iſta ultrò evaneſcunt. Poſt hæc ad reſtitutionem eorum, quæ Corroſio abſumpſit deſcendendum erit, ſed ferè ut in Syronibus, ſic & hoc loco procedere con-

convenict, itaque parum de illa ſollicitum eſſe neceſſe eſt. Atqui hoc non inficior, in Carcinomate quædam Arcana eſſe, quæ in Syronibus venenorum inſtar ſint. Ad hæc ſciendum, exteriora Arcana interioribus nihil conferre, itaque de ſolis internis ſollicitum eſſe oportet, quod iis procuratis à quavis deinde Serpentina, Cancer curetur. Quamobrem interna Medicina, non ſolum potentias duarum interiorum cauſarum roborare potis eſſe debebit, ſed una quoque ut conſolidativa ſit neceſſe erit. Sic namque in re medica comparatum eſt, ut ubicumque morbus ab eroſione eſt, illi ſpecificum conſolidativum opponatur, hinc nos non immerito rejicimus ea medicamina, quæ ſolum deopilant, probamus vero quæ una & conſolidare poſſunt. Ex hoc ſequitur in externis remediis, nos vulgatis contentos eſſe debere. Verum interna, menſtrua & hæmorrhoides attemperare debebunt, Veluti eſt Reſina auri, quæ non ſolùm eos, qui in artubus, ſed etiam qui in ſcapulis & mammis fiunt Cancros, ſimpliciter abſque ullius alterius medicamenti admixtione curare ſufficiens eſt. Verum ſi dicto remedio deſtituamur, ejus loco uſurpabimus gluten aquaticum, vulgo Sperma de piſcibus nuncupatur, nimirum cum Spermate de aquatico ipſum in aquam redigentes, & epithematis loco parti adhibentes: omnes namque Cancri malicias tollit, niſi ubi puncturæ moleſtant, hæ enim ſi adſint, Lethale malum pronunciandum erit.

De Reliquis Ulceribus & Aperturis in univerſum.

Sunt inſuper plus viginti aperturæ ſpecies, variis nominibus appellatæ, variiſque cauſis attributæ, ab antiquis, quas tamen omnes cùm ab unica cauſa proficiſcantur, uno nomine afficere, unoque remedio curare nihil prohibet. Principio ergo nil ſollicitum eſſe oportet; æqualis ne vel inæqualis ulcerationis forma ſit, profunda ne vel ſuperficialis tantum: nam iſta pro loci natura evariant: ad hæc etſi Salium omnium variæ ſpecies exiſtunt, omnium tamen una eademque origo eſt. Cùm itaque formæ ac ſigna ulcerum tam diverſa ſint, neque conſiderandum admodum, Aluminis ne, Nitri, Vitrioli, Plumoſi, Entali, &c. ſint nec ne, vel an ſub Euforbio Pipere, Flammula, Urtica, &c. comprehendantur, vel denique an juxta Metallorum, vel Marchaſitarum ſpecies dividi oporteat: nam hæc Theorica magis ſunt, eaque de cauſa ſuis Paragraphis deſcripta: ſed ſufficiat cujuſque generis ſpecies unis iiſdemque ſignis dignoſci, verbi cauſa quemadmodum Mineralia cum quatuor Elementis effloreſcunt, ſic & quatuor Alumina, &c. conſtituuntur: quibus tamen omnibus dignoſcendis, communia quædam ſigna ſufficiunt, ſicque in reliquis Plumoſi, Entali, &c. ulcerum ſpeciebus agendum quoque erit. Neque admodum anxium eſſe convenit, in præcedentibus & coincidentibus ſignis cognoſcendis fallacia namque ſunt, & ex accidente originem ducunt: accidente dico, quod antea locum paſſum occupaverat, ut ſi Apoſtemate, duritie, Sephyro, vel Sclyroſi ea parte moleſtatus antea fuiſſet, eaque mala jam tandem in aperturam, ſeu ulcus abirent, conſtat enim neceſſario ulcerationem fieri, itaque anxiè de iſtis inquirere nil opus erit, cum in Theoria nihil admodum conducant, minimum vero in Praxi.

Ulcerationes iſtæ ubicunque in corpore conſiſtant: conſiſtunt autem frequentiſſimè in capite, Scapulis, humero, brachio, lateribus, &c. initio magno calore ac rubore apprehenduntur, mox minutiſſ. cavitates exoriuntur, quæ ſucceſſu temporis in unum amplum ulcus degenerant: ulcus hoc ſive in brachio, tibia, lumbis, ſpina, capite ſit, perinde eſt: veluti & cauſa, Sal nimirum etſi multiplex exiſtit, nulla admodum diſtinctione indiget: nam ſufficit in theoria noviſſe, Salem cauſam eſſe, nec refert an gemmæ, Nitri, Petræ &c. ſit, nec ne: verum Sales juxta ſuam acrimoniam partiri non uſque adeo inutile in opere practico foret, ut ſcil. primum Sal ſalis, dein Sal gemmæ, pòſt Sal nitri, ultimo loco Sal urinæ conſtitueretur: nam juxta hos gradus de calore dein judicare facile fuerit, ut ſcilicet poſtremo ſummum calorem tribuamus.

Exoriuntur quoque ulcera Plumoſa: his ferè ſignis dignoſcenda, ſcalpendi deſiderium adeſt, calor, rigor, puſtulæ, ſimiles iis quæ ab Urticis fiunt, ingruunt: quæ ubi ad tempus perſtiterint in ulcera cava tranſmutantur, multò quàm antea calore magis moleſta: ſicque ex Alumine Roche, Iameno &c. ulcera, non tamen perinde ut ex Plumoſo doloroſa,que, deniq; ex alumine glaciali fiunt, omnium ſunt mitiſſima & clementiſſima. Hujuſmodi proprietates & ſigna in inquirendis ac dignoſcendis ulceribus ex ipſorum ſimplicibus & ſimplicium gradibus deſumes, cave tamen, putes, morbi quantitatem ex gradu te metiri poſſe: pugnant enim cum theorematicis Medicinæ principiis, ut ex humoribus eorundemque gradibus morbi magnitudinem deducamus, ſed cæcorum quorundam medicorum commentum hoc eſt, itaque explodendum.

Simili modo ex Vitriolatis diverſa oriuntur ulcera, quæ ubi aperta fuerint, copioſam aquam cum multa ſpuma ſubinde profundunt. Signa, quibus dignoſcantur, iſta fere ſunt, cavitas parva apparet, primùm profunda quidem, & undiquaque ceu factis cuniculis ſubtus excavata, quam circa dein & alia oriuntur, ſimilia huic, à quibus deinceps & oſſa carioſa ac putrida redduntur, tandemque ulcerum labia decidunt, novamque figuram adipiſcuntur. Omnia hujus formæ ulcera nos Vitriolata appellamus, omnibuſque æqualem curationem adhibemus: differunt ab invicem non gradu, ſed colore, qui alius in Colcotharino quàm Glaciali ineſt Vitriolo, ruber ſcilicet ille, hic albus: cæteri colores qui ferè à pure & carne putreſcente cauſantur, cum diverſis temporibus diverſi incidant, in Theoria difficilem cauſarum aſſignationem habent. Omnium mitiſſima hujus generis ulcera à ſale Zuccharino fiunt: nam ea rariſſimè dolorem comitem habent. Reliqua ulcera, quæ univerſalia dicuntur, non facile ad certam aliquam normam partiri quiſpiam queat, perinde enim res habet ac ſi 1000. ſemina ejuſdem ſpeciei, quis in terram projiciat, quæ certè inde enaſcentur plantæ, vix duæ invicem ſimiles inveniantur: eodem plane modo ulcera quæ univerſalia vocantur, omnia ejuſdem generis ſunt, diverſarum tamen interim ſpecierum, veluti malum & pyrus diverſa ſunt quidem ab invicem: at unicam primam materiam obtinent: hac ergo ratione Medicum ſuam theoriam inſtituere oportebit, ſi ulcerum curatione ex arte differere velit: quælibet namque curatio ex ultima materia oriri debet, nec ex illis falſis ac inutilibus diſtinctionibus, quibus tota Medica ars turpiſſimè conſpurcata eſt producenda.

Sed ad curationem pergamus, tandem in hac ſpectandum erit, ut remedium aquæ inſtar præparetur, quæ omnia ſuffocat inſenſibilia, qualiacunque ea tandem ſint, atqui veluti quædam aquæ ſubeſſe poſſunt, veluti lignum, lapides, &c. quæ ab aqua non ſuffocantur, (id eſt, evincuntur:) ſic quædam aperturæ ſunt ut cancer, Syrones, &c. quæ hiſce remediis itidem non cedunt: viciſſim quemadmodum lignum aqua putrefacit, ſic quædam ulcera ſunt, exempli gratia, ut Lupus, heriſipyla, &c. quæ tantum abeſt, ut iſtis obediant, ut etiam longè deteriora ab uſu horum remediorum evadant. Quamobrem obſervandum erit quomodo aquæ potentia operetur, ut & ſic ſenſu

ſenſu carentia ulcera ad germina, inſenſibilia comparantes, ſciamus quæ ulcera ſub hanc curationis legem collocanda ſint. Nam ſi quid aliud hoc à Medico accuratè obſervandum erit, ut virtutes exteriorum naturalium, ad internas comparet, (nam iſtæ juxta naturam illorum diſponi volunt) atque miſerandam illam Humoriſticam Theoriam rejiciat. Etenim ulcerum Anatomia ſic comparata eſt, ut illas humorum diſtinctiones, approbationes plane reſpuat. Sed curationis leges, & remedia jam tandem ſcribere tempeſtivum eſt. Ulcus ſub aliqua harum Salis ſpecierum conſtitutum, ſequenti Mundificativo primum omnium eluito. *Recipe ſucci Lentigiroſæ, lib. ij. Realgaris fixi* ℥ß. *Croci Mercurialis* ℥j. ß. *digerantur unà per triduum.* Mundificativum Mercuriale appellamus, cujus uſus eſt, ut quotidiè bis mane, ſcilicet & veſperi eo ulcera laventur, ac deinceps Oppodeltoch imponatur, donec ſati, mundum ulcus appareat, quo facto per Oppodeltoch, tandem curationem abſolves.

Mundificativum aliud.

Recipe Operimenæ fixæ, ℥j. *Aquæ Culiculæ lib. j. utere ut prius.* Quod ſi ſuſpicio adeſſet, alicujus ſuperventuri mali, vel novi ulceris, ad priorem modum recurres: ea enim ulterum ſingularis, quædam proprietas eſt, ut ſi ipſa non jam exiſterent, tamen tandem orirentur: ſi ergo talis caſus occurrat, tanquam verum ulcus non ut ſymptoma curabis. Accidit denique ulcus à natura ultro mundificari, proinde ſolo Emplaſtro utendum eſſe manifeſtum evadit. Cave autem feſtines vel naturam cogere præſumas, nam vim ac coactionem natura non patitur, ſi verè curari ulcus debebat.

D. Theophraſti de Ulceribus

Liber VII.

De Igne Perſico.

IGnis Perſici ejuſque ſpecierum explicationem inſtituturi conſiderationis principia paulò altius repetenda erunt. Fundamenta in duobus primis Sale & Sulphure inſunt: quod enim urit & ardet Sulphur eſt; quod vero accendit, potentia Salis appellatur: ex hac namque potentia quodvis lignum accenditur: lignum enim ſua natura Sulphur eſt (illud intellige quod conflagrat) ſic ignis ex Silice, marmore, &c. excutitur, nimirum ex ipſorum Sale. Notandum ergo Salium diſcrimen, alius namque Alabaſtrinus eſt, & igne caret, alius Marmorinus ignem continens. Atque veluti Salis durities ignem dat, non tamen urit, ſed in ligno, id eſt, in Sulphure ſuam operationem perficit: itaque quemadmodum ſi lignum flammam conceperit, illud jam ad corruptionem ſuam properat: ſic ſi in Microcoſmo microcoſmica hujuſmodi inflammatio accidat, de corruptione corpus periclitatur: verum ſicut lignum ligno, conflagrat velocius & urit vehementius, ut faginum abietino, &c. ſic pars una corporis, quàm alia ad concipiendam inflammationem aptior exiſtit: cauſa hujus rei coagulatio eſt, quæ in corporis partibus conſiſtit: quivis namque gradus igni, ex coagulatione Salis omnes progrediuntur: etenim quanto Sal vehementior eſt, tanto Gangræna major, quo tenuior ac purior, eò calidior exiſtit. Hinc ratiocinari licet, quamobrem ea quæ paucam coagulationem habent, paucam quoque flammam contineant, nam quæ ex puris conſiſtunt Salibus, ut ſunt Reſina, Colofonia, &c. citiſſime flammam concipiunt, dant enim ſuum gradum ex natura Salis Diaphani. Quòd autem Sal Petræ, Sal Nitri, Argentum vivum, &c. tantam habent tempeſtatem: cauſa eſt excellens perſpicuitas Salis, & humiditas, quæ illi ægrè diſſolubilis ineſt: ea enim cujuſvis ſalis natura eſt, quod ex ſua humiditate furorem illum habeat: atque hinc varii oriuntur uſtionis modi, pro Salium nimirum diverſitate, ſic Sal Petræ reſpectu Sulphuris furit, Sulphure quieſcente, ſic inquam in abiete Sal Petræ, & Sal Sulphureus in Fago ineſt. Quæ de Sale accenſionis Sulphure, flammæ cauſa in univerſum dicta ſunt, ſpecialiter omnia ad humanum corpus in Igne Perſico adaptari poterunt.

Quemadmodum ergo Elementata exteriora ab igne exuruntur, ſic de igne Perſico in humano corpore accenſo judicandum eſt: nam quatuor Aſtra æquè in humano corpore, ſeu Microcoſmo inſunt, ac in majori mundo conſpiciuntur. Sunt autem accenſionum duo modi, alter cum ex Silice ignem excutimus: huic modo reſpondet Ignis Perſicus; qui cauſam extrinſecam habuit contuſionem, fracturam, aut illegitimi remedii uſum. Altera accenſio ex Aſtris eſt, id eſt, ex natura & fit in hunc modum, ut ſi à ſole quid exſiccatum ab ipſo accenderetur & exureretur, rarum hoc eſt, itaque raro quæ ab aſtris ignis Perſicus excitatur, nam perinde ut de Sole dictum eſt: ſic & Sulphur Microcoſmi ab interiore Aſtro accenditur, accenſio hæc pro diverſitate partium, intenſior ac remiſſior eſſe ſolet.

Eſt & tertia inflammatio illi reſpondens, qua montes & ſaxa conflagrant, ignem à noſtro igne inextinguibilem concipientes, in quo caſu tamen aliqua Saltem pars (quæ ſubjectum eſt) ardet, reliqua illæſa: talis eſt cùm Eſthiomenos & Carcinoma ex facili aliqua cauſa calorem præternaturalem concipiunt. Item quemadmodum, in fodinis Zinnabrii, Mercurii, Salis Nitri, &c. à vento quandoque illa Mineralia accenduntur, ſic & per Chaos noſtrum materia peccans aliquo in loco conſiſtens inflammatur. De affecto loco inquirendo nil admodum ſollicitum eſſe oportet, ferè in digitis pedum, juncturis, medulla, carne, intrinſecus in iis regionibus, quæ ſuprà & infra Diaphragmati adjacent, non raro in capitis regionibus malum conſiſtit. Hinc variæ ignis Perſici ſpecies ſunt: alius enim montano igni reſpondet, ut Lupus, qui verus Ethna eſt: alius cum puſtulis & Eryſipelate incipiens, ſero admodum flammam concipit, reſpondens diuturno, at debiliori igni: tertius ſubito ingruit, & unius horæ ſpatio totum membrum exurit, veluti Prunus: alius per contactum ſeu contiguitatem urit, & ignis Perſicus verè dicitur. Plures horum ſpecies antiqui Apoſtematum nomine affecerunt, atque ad portentoſas cauſas retulerunt, ſed res ut diximus ſe habet. Mirabuntur ſcio imperiti Medici, quo pacto Sol & Ethna in hominis corpore conſiſtant, verum illi ſuos humores, quos fingunt, admirentur potius. Noſtra ſane Theoria. hæc principiorum firmamenta ex tribus primis certiſſima habet, ex illis namque omnia Mineralia perfectè continemus. Ad hæc cum quatuor quoque Elementa in nobis inſint, ipſorum etiam potentias in nobis dominari manifeſtum evadit.

Sed ut de Gangræna aliquid dicamus, ſciendum ipſam Anodynam quandam uſtionem eſſe, inde ortam, quod initio partes Microcoſmi à natura Narcotica ſtuporem contraxerunt, abolito ſenſu: his ergo membris ſi præternaturalis aliquis calor ſuperveniat, jam ea Gangrænam habere dicuntur: hujus nos ignis ſingularia remedia in curatione ſeu praxi deſcribemus. Sed ad Theoriam revertamur, in qua ſciendum à calidis & urentibus herbis ac ſimplicibus, ignem hunc

perſicum excitari poſſe: remedia talia ſunt, imò deleteria medicamenta, urtica, flammula, Cantharides, Realgar, Arſenicum &c. Fit etiam ignis Perſicus Iliado aliquod Minerale ex ſua cathena protrudente, omnia namque mineralia in noſtro corpore continemus. Itaque quicunque pedem ſeu tibiam prurientem habent, cum multis puſtulis, eorum morbus virtutibus urticæ reſpondet: quæ verò mala, puſtulas aqua plenas habent, virtutibus flammulæ conferuntur. Si itaque flammula talia in corporibus noſtris efficit, an non mineralibus quis eaſdem imò majores virtutes tribuat? cùm omnia velut in theoria & praxi extrinſecus in majore mundo, ſic & in iiſdem intrinſecus eadem eveniat: itaque rejicienda omnino erit illa fucata inutilis ac anilis humorum, coleræ, phlegmatis, & Melancoliæ theoria, ut quæ contra philoſophiæ principia, contra naturam Microcoſmi, contra ipſammet experientiam ceu ex Diametro pugnet.

Curatio.

In curando igne Perſico illa in primis ratio tenenda erit, quæ in reſtinguendis exterioribus ignibus obſervari ſolet, ut nimirum quemadmodum in theoria illos reſtingui diximus, ſic & in praxi hos extinguendos tibi proponas. Itaque ignem ex lignis ſuſcitatum quam facile affuſione ſimplicis aquæ extinguant homines, at eadem ipſa aqua non ita in igne Perſico operari obſervata eſt, itaque penitus medico introſpiciendum in aquæ eſſentiam erit, & cognoſcet eam nil aliud eſſe, quàm Alumen reſolutum dulce, ex quo eruitur Alumen ad reſtinctionem ignis Perſici adhibendum eſſe: alia tamen ratione quam in lignario igne, ut maximè eadem ſit materia.

Cognitum præterea eſt Ethnæ ignem à nulla penitus aqua extingui poſſe: quòd ſi ergo ſimilis paſſio in humano corpore foret, fruſtra ſane Alumen Zucchatinum adhiberetur, itaque quia Sulfuris lacte Ethnæ ignis reſtinguitur, illud ipſum quoque ad ignem Perſicum accommodari debebit. Itaque ſedulo ſpecierum ignis perſici meminiſſe oportet: nam alius comparatur lignario igni, alius montano ſeu Ethnæo, tertius Salis Nitri, alius Reſinæ, &c. Hac ergo ratione in extinguendo Sulfure Microcoſmi progredieris, nec ulla alia compendia ex Medicinę fontibus excogitare licebit, illis ipſis exceptis quæ de Mineralibus annotata ſunt. Itaque non mirum eſt, pſeudomedicos ac chirurgos ignes iſtos non modo non extinguere poſſe, imò malum deterius ſæpius efficere, adeo ut ex partis alicujus inflammatione, non raro totum corpus in maximum diſcrimen deducant, cum veros medicinæ fontes legitimaque remedia tantum abeſt ut affectent, ut averſentur etiam maximè. Denique obſervandum morem illum reſcindendarum Gangrænoſarum partium plane inartificialem eſſe, atque omnino cum Medicina pugnare, medicina dico non veſtra ficticia, ſed vera, certa, ac legitima: verum ut maximè cum arte pugnet, tamen quandoque ubi imperitia Chirurgi malum conflatum eſt, enſe reſcindendum eſt, ne pars ſincera trahatur. Nos non ſerra vel inſtrumento, ſed ſubſcripti emplaſtri uſu emortuas partes ab integris ſeparare ſolemus. *Recipe Colofoniæ lib. iij. Liquorum Myrrhæ ℥ vj. Ex quatuor Gummis lib. ß. fiat emplaſtrum, quod ea parte applicetur qua ſanum emortuo contiguum eſt:* verum ubi os ex uſtione nimium induruiſſe conſtaret, non præter rationem putarem, ipſum ſerra diſcindi, ſed à ſanis partibus ſedulo cavendum & abſtinendum. Hac ratione emortuæ partes auferuntur, integris etiam quandoque manentibus oſſibus. Conſolidatio denique per aquam Salis & Oppodeltoch auſpicanda erit, ſed inter omnia præſtant quæ ſequuntur. Aqua, ſanans ſanam partem, ægra jam remota. *Recipe aquæ Salis ex raphano ℥ j. ex Cuticula ℥ iij. ſucci plantaginis digeſti ℥ viij. mixta mane & veſperi adhibeantur.*

Alia.

Recipe Succi chelidoniæ, aquæ Aluminis Rochi, Jasmeni ana ℥ j. ß. Nitri reſoluti ℈ ij. miſce & utere ut prius.

Emplaſtrum.

Recipe Olei de frumento, de ovis ana ʒ ij. ß. de Glandulis ℥ v. Ceræ, picis communis, ana ad pondus omnium, fiat cerotum ſecundum artem, adhibeatur pro more vulgato. Gangrænæ autem Salnitroſæ per ſolum Vitriolum reſolutum, quod curentur, ignorandum non eſt: Ethneæ deinceps per bituminis navalis, & Camphoræ reſolutæ, æqua pondera curari conſueverunt. Gangrænæ autem igni lignario reſpondentes Thure & Myrrha: Sulphureæ vero, ac Reſinoſæ, per Lac virginis ex Sulphure paratum curantur plerumque; in uſu autem omnium horum curandum eſt, ut ſubinde nova imponantur, nec unquam pars ſicca relinquatur, ſed perpetuo humectetur. Verum ubi tarde nimis vocatus fueris, & jam malum inveteratum ſit, procedes ut ſupra edoctus es.

De Ulceribus Depaſcentibus.

Depaſcentia ulcera formam ac materiam ex Salibus habere, ut pleriſque dubium non eſt, ſic modus generationis pauciſſimis cognitus, explicandus nobis relictus eſt. Intelligendum ergo, generatum nullum abſque Reſina exiſtere, dempta ea quæ Sulphuri adeſt pinguedine. Reſina hæc liquor quidam eſt, generatis omnibus præter tria illa prima, congenitus. Atqui quemadmodum in non paucis arboribus, imò in quibuſdam herbis etiam, Reſinas erumpere videmus, cum interim in reliquis plantis latitent: Sic etiam in Microcoſmo Emunctoria ſua, quandoque nanciſci, Reſinas haſce contingit. Atque veluti iſthic à forma eruptio fit, eodem modo in Microcoſmis formam quandam ſpecificam dominari credendum eſt. Hinc ergo manifeſtum evadit, quamobrem Reſina iſta Salis, ubi ad ſuam exaltationem pervenerit, in aliis plantis ſub forma picis, in aliis forma Reſinæ, Gummi, Terebinthinæ, &c. erumpat. Nimirum ſimiliter in Microcoſmo res habet, ubi variâ quoque formâ ulcera hujuſmodi prodeunt nonnullis ſcabiei, quibuſdam pruriginis, aliis puſtularum formæ, (quæ ſingula tandem in ulcera abeunt) proveniunt. Præterea quibuſdam (quemadmodum de Reſinis latentibus dictum eſt) Reſinæ non erumpunt ſtatim, niſi ubi ad exaltationem ſuam pervenerint, atque tum nulla (ex commemoratis) ſigna in illis invenias: hæc ergo catholica horum ulcerum ſunto. Porro autem ignorandum non eſt, quod in Reſinis, Gummis, Terebinthinæ ſpeciebus, &c. natura quædam ſeu proprietas Salis plumoſi inſit, qua de re conſiderandam vobis urticam proponite, quæ acuitatem ac malitiam ſuam, non in profundo ſuæ ſubſtantiæ, ſed extra eam obtinet: ſimilis affectio in hoc ulcerum genere mente & imaginatione concipienda erit, cum differentiis quoque iis, quæ in Iva Rubea Pipere, Zinzibere, Cubebis, &c. (quorum omnium ſingularis quædam proprietas urticoſa in ſubſtantia mortua quaſi, extra vero eam efficaciſſima exiſtit) inſunt. Sal itaque iſte extraneus in Gummis & Reſinis, peccans Materia cum ſit, atque Microcoſmus ſimiles quoque extraneas paſſiones, pruritum ſcilicet, ſcabiem, tineam, aliaſque ſimiles, ad oculum oſtendat: quis non Theorematis noſtris, jam antea propoſitis fidem habeat?

beat? Etſi autem non inficior, Apoſtematibus aliiſque hactenus commemoratis ulceribus accommodari poſſe: verum cum finalis materia, in qua Medicus concludere debet, ſeparationem faciat atque curationem, ſigna, materiam atque dictarum cauſarum concordantias diſtinguat, tandemque per ultimam materiam ea confirmet, quis non ſingulari huic affectui, ſingularem quoq; cauſam tribuat? maximè cum hinc eximia illa ratio fidem mereatur qua in depaſcentibus ulceribus Salem extraneum, quem rectè in hoc caſu Plumoſum quiſpiam dixerit, Urticoſum etiam eſſe, neque ullius alterius ſpeciei aſſeritur.

Signa autem dignoſcendorum ulcerum, iſtorum uſu atque experientia potius quàm ex ſcripto quis addiſcat: veluti & teſſinam abietis à Botin & Pini &c. ſenſu quàm ratione rectius dignoſcimus. Sed diverſa paulo in Microcoſmo ratio eſt, ob ipſius formam corpoream, & naturalem, ac inſitum calorem, quo externa generata deſtituuntur. Signis iſtis ferè dignoſcuntur tamen, quod Eſthiomena gummata, ulcera reſinata &c naturam Colophoniæ, ac Picis repræſentare ſcimus: quæ vero puſtulas, urticam, ſcabiem quę, plumoſum, &c. ſequi, veluti & Ivæ Rubeæ ſua quoque peculiaria ſigna nemo ignorat. Atque ſic velut omnes Sales æruginés, &c ac quidquid in univerſum virtutem Corroſivam participat, in exterioribus agere conſpicimus, intrinſecus quoque ubi in Microcoſmo & in actum eruperint, ex forma, colore, calore, dolore aliiſque ſymptomatis, facile dignoſcuntur.

Neque vero eſt, ut ad unum certum locum morbum alligemus, vel generali aliquo nomine à loco ſumpto appellandum putemus: nam nullum Chirurgicum nomen à loco ducitur, niſi ubi loca Planetarum morbus aliquis occupaverit, uti in Syronibus: atqui longa alia in Eſthiomeni, ratio eſt: Veluti enim arbores variis locis Reſinas protrudunt, ſic & Liquores in Microcoſmo pelluntur, atque ut maximè & in arboribus, & in Microcoſmo certus quandoque erumpentis fluxionis locus exiſtit, nil tamen opus eſt nova nomina, nova remedia excogitate, unum omnibus generale nomen, unum omnibus Eſthiomenis, Catholicum remedium eſto. Etſi autem hic naturæ refragari difficile eſt, quæ (particulariter) non rarò uno aliquo ſimplici, Eſthiomenum cruris curat, eo ipſo vero brachii non curat: tamen cum Medici officium requirat, ut uno nomine appellatum morbum, uno remedio procuret, ſive in ſupernis partibus ille ſit, ſive in infernis, nil noſtris rationibus hanc objectionem obſtare puto. Itaque nominum multitudinem cauſarumque diverſitatem ab Humoriſtis Medicis aſſignatam in hoc affectu, ab arte noſtra exulare jubeamus.

Porrò quemadmodum exteriora generata videmus corpus noſtrum afficere, tum ubi illa in materiam peccantem abeunt verbi cauſa, ſi Arſenicus in corpus noſtrum agit, tum illud exulcerat, ſic alumen plumoſum, ſic urtica longo uſu cutem exulcerant, velut omnia cætera corpora quæ talis naturam participant: ſimiliter de intrinſecis Mineralibus judicandum eſt. Proinde ipſorum naturas accuratè diſtinguemus, quo ſi ea in actionem erumpant, illis perinde ac extrinſecis mederi poſſimus. Veruntamen externa generata ab internis differre, in eo quod illa ad tempus ſolùm, hæc verò perpetuo agant, paucis incognitum eſſe puto: quin interna fixa eſſe, externa autem mobilia perinde manifeſtum eſt. De ulceribus denique depaſcentibus, uberiore ſermone diſſerere, eorumque ſigna, ac differentias aſſignare conveniebat: verum quia hæc materia nimis ampla, copioſa, & intricata eſt, nec niſi ſumma experientia præditis pervia, negotium hoc ad ſecretiorem quandam Philoſophiam remittimus.

Curandi autem ratio hoc ferè modo ſe habet: Prima ut Sal exterior extrinſecus, non intrinſecus auferatur. Dein ut more Chirurgorum vulgato ulcus claudatur. Remedium anodynum, & reſtinguens pro doloribus ac ulceribus depaſcentibus, id eſt, Esthiomenis tale eſto.

Recipe Salis Metallorum ℈ij. *Aquæ de Bitumine veris* ℥ vj.

Mixta digerantur per quatriduum. Dein hoc remedio per quatuor vel quinque dies, ſeu donec dolor omnis remiſerit, ulcus lavetur, quo facto, ſequenti mixtura ad conſolidandum uteris (quæ ſic habet

Recipe Cinerum de Saturno lib. ſs. *Olei olivæ lb lib.* vj *Lithargiri præparati in viſcum quarta a iij fiat mixtura, coquatur in calidis cineribus ad horas xij. imponatur mane & veſperi.*

Aliud prioris Formæ.

Recipe Salis urinæ ℥iij. *Salis Metallorum è Saturno* ʒv. *coquantur & digerantur in aceto deſtillato, donec fiat fermentum ſimile Elixiri, cui deinceps adjicie. decimam ſextam partem Camphoræ liquefactæ, & uteris velut dictum eſt*: poſt hujus uſum ad claudendum ulcus recipies Oppodeltoch, vel Emplaſtrum pro Fiſtulis ſequenti capite deſcriptum.

De Fiſtulis.

De cauſis & origine Fiſtularum varia, & fabuloſa ab antiquis memoriæ prodita invenias, quæ recentiores quidam obſtinatè defendere non dubitant, & ea maximè quæ ad Fiſtularum differentias pertinent: quaſi vero Fiſtularum plures eſſent differentiæ, nec omnium eadem penitus natura, quamvis enim loco quodammodo à cæteris lachrymalis differat, tamen una omnium eſſentia, ac originis ratio eſt. Itaque quod omnibus ulceribus commune eſt, hoc ipſum quoque ad Fiſtulas referemus, nimirum quod Salem Corroſivum cauſam agnoſcant. Neque eſt quod doloris ratione aliquam differentiam ſtatuendam hic eſſe, quis ſibi perſuadeat: ſiquidem Sales etſi omnium formarum cauſæ ſunt, non tamen ſtatim dolores efficere quoque neceſſe habent, cum experientia edoceamur, Sales quoſdam ſine omni dolore corrodere poſſe: itaque nil opus eſt de nova Theoria cogitare, ulcerationis ratio ſufficit, nec plura requiruntur.

Sal itaque is qui Fiſtulas efficit, idem ille eſt, qui in Caſſia eſt, in arundine, &c. ac ex quo Conchilia, & Æchites lapides fiunt: eſt enim excavationis omnium corporum, una quædam ac communis cauſa, quam tamen in curatione non admodum reſpicimus, cum dolor & natura Corroſionis, ferè curationem ad ſe pertrahant. Etenim quamvis ulceratio nulla fiat ſine forma, tamen ipſa ſola ad inveſtigandam curationem, inſufficiens eſt. Formarum quidem abſolutam cognitionem in Medico, quatenus Philoſophus eſt, ac Theoricus, omnino requiro, ut ſc. differentiam omnium formarum tam in ulceribus, quàm externis generatis, Granato ſc. & Marchaſita, unde ea ſit oſtendere queat, non tamen ſic in curatione procedendum. Sed ad exemplum redeamus. De Caſſia & arundine ſimilitudo nobis propoſita fuerat. ex quo Fiſtularum Theoriam nos deducturos polliciti ſumus, ſc. ut materiam ac ipſorum cavitatis cauſam oſtenderemus. Proinde ſcitote, quod veluti arundinum variæ differentiæ exiſtunt, ſic non unum genus Fiſtularum eſſe, atque ut illæ variis de cauſis, varias formas nanciſcuntur, ſic Fiſtularum formas diverſas, diverſis à cauſis produci. Neque tamen præter

ter Salem, alia aliqua cauſa afferri poteſt: qui cum omnibus communem formam largiatur, ex ea ipſa formarum æqualitate, non poteſt quod ipſe materia primitiva ſit ſemetipſum prodere. Quapropter Medicos hortor ut formarum differentias ſedulo diſcernant, quo accuratius de morbi materia peccante pronunciare queant, namque (ut craſſo exemplo rem confirmem) veluti nemo marem à fœmina diſtinguet, niſi formarum ratione, ſic cauſas morborum nemo ſine formarum diverſitatis cognitione internoſcet, cauſam autem morbi neceſſario cognoſci ad rectam curationem, quis eſt qui dubitet? Notandum porro eſt, quemadmodum formæ ratione arbor ab arbore, lignum à ligno differt, quævis vero arbor, ac quodvis lignum ab igne abſumitur, ſic in curandis Fiſtulis, quæ varias quidem formas quandoque ſortiuntur, tamen unam communem curandi methodum ſufficere. Curatio enim ignis conſumentis inſtar ſe habere debet, qui velut in comburenda pyro aliud non requiritur, quàm in fago, pino, tilia, &c. ſic curatio una omnibus Fiſtulis accommodari poteſt: itaque illa ſubtilis & accurata diſquiſitio, Medicum non uſque adeo ſollicitum tenere debet: namque qui hujuſmodi ſubtilitatibus ſe exercent, nunquàm veræ Medicinæ abſolutam cognitionem ſibi comparabunt. Illud certe fateri omnino cogimur, ſenſus noſtros non intra cutem hominis penetrare: at contra nimiis ſpeculationibus indulgere, æquè cognitioni officit. Proinde recte ergo ſubinde moneo & inculco, ut in naturis quatuor Elementatorum indagandis (quæ vera experientia eſt) ſedulo laboremus: illic enim experientiæ matrix quaſi eſt, quæ ſenſuum indicio penitus ſeſe ſubtrahere nequit. Itaque cognatio hominis cum quatuor Elementatis obſervetur, ſin & de locis ſollicitus eſſe quis velit, is Caſſia fiſtula, Ariſtolochia rotunda, Zuccharum &c. quatenus locis differant contempletur, & intelliget quomodo Fiſtulæ aliæ pone oculos, aliæ poſt aures, aliæ aliis in locis generentur: neque tamen quiſquam cogitet, novam ob id Theoriam, vel novam curam excogitandam eſſe una omnibus Theoria, una Praxis ſufficit & abunde eſt.

Sal autem quem diximus Fiſtularum cauſam eſſe, Sal petræ eſt: is enim non poteſt ſine cavitate conſiſtere: proinde ſi ipſe ab Iliado ſeparetur, intrinſecus in corpore, vel etiam extrà perinde ut in Arundinibus, ac Ariſtolochia rotunda (quæ & ipſa intrinſecus cava eſt) cavitates efficere ſolet, quæ operationes Salis petræ etſi uniuſmodi non ſint, tamen à Medico diſtingui (quantum ad curationem attinet) neceſſe non habent. Quemadmodum autem in arundinibus contenti ſucci, alii dulces ſunt, alii auſteri: ſic Humores qui per Fiſtulas effluunt, varios quoque ſapores obtinent: humores verè illi nil aliud ſunt, quàm nutrimentum medullarum, ad quas cùm ob affectum corpus pervenire nequeant, per Fiſtulas extrà derivantur, in pus mutati. Quapropter ſciendum, quod ubi Sal in materiam peccantem abierit, quòd Cuniculos agere incipiat, cui ſi deinceps præternaturalis calor copuletur, jam ad efficiendam putredinem nil amplius deeſſe. Sin calor externus nullus accedat, tum nulla fluxio nullumve pus apparet, ſed ſimplex cavitas exiſtit. Itaque ſciendum, calorem præternaturalem finalis formæ corruptorem eſſe, ac intentiones Salium, in operando impedire poſſe. Præterea loci ratione (quod ſæpius jam monuimus) memineris, nullam in curandis Fiſtulis differentiam obſervari: eſt enim Salis natura à calore liquefieri, quod cùm omni corporis parte fieri poſſit, ubique quoque Fiſtulæ generari poterunt, verum quemadmodum in plantis, aliæ aliis plurem humiditatem requirunt, ſic in Fiſtularum genere, pro loci varietate Humor copioſior, vel paucior fluere ſolet, pro Salis ſcilicet multitudine vel paucitate.

Quod ſi verò cui iſta ratio non ſufficiat, ſed planius cauſas ac originem Fiſtularum ſibi explicari velit, cum ſecretiore quadam Philoſophia dotatum huc accedere volo, quo ſequentia penitius introſpicere poſſit. Itaque ceu quis eam teneret rem explicemus. Quemadmodum omnia, quæ in rerum natura creſcunt, ex ſuo ſemine creſcunt: ſic Fiſtulæ quoque ſuum ex quo creſcant ſemen habent, ſemen illud materia peccans eſt: peccantem autem materiam non voco, omne id quod per cavitatem effluit, ſed id quod intus latitans fluxionem cauſatur: idipſum verò (veluti omnium rerum ſemina) minutum admodum eſt. Proinde ſciendum, morbum non eſſe omne illud, quod ex ſemine naſcitur, ſufficit radicem ipſam, quæ ſeminis naturam maximè ſervat, morbum appellaſſe. Ex quo curativa intentio oritur, in curatione radicem evelli debere. Cæterum quod ad cauſæ cauſam (hoc eſt ad ſeminationis rationem) inquirendam attinet, tam eſt Medico factu impoſſibile, quàm rationem reddere, cur ſi quis ex fractura fiſtulam contraxerit, cur ipſum crus fractum ſit, ſc. utrinque occultæ cauſæ ſunt, hic fortuitæ, illic fatales.

Ad curationem autem Fiſtularum progredientes, obſervabimus, primò Fiſtularum quoddam genus eſſe, quod vel membri affecti atrophiam, vel totius corporis conſumptionem efficere natum ſit: cujuſmodi eſt illud quod ex perperam facta curatione primitus natum eſt. In hoc genere curatio fere deſperata eſt, maxime ſi membrum intumeſcere inciperet, verum quid facto opus ſi in ſymptomatis vulnerum, explicatum eſt ſupra.

At ſi Fiſtulæ legitimæ fuerint, tum *Recipe Olei de ferro, de Saturno ana* ℥j. *Olei Mercurialis* ℈j. ß. *miſce*, ungantur labra fiſtulæ per dies novem & curabitur, nec ſollicitus ſis de fundo fiſtulæ: præſtat medicinam eo pervadere quàm oculos tuos. Aliud ſimile ſub forma emplaſtri. *Recipe Ceræ, Colophoniæ ana quartarium unum, ex majoribus quatuor gummis ana* ℥j. *ex quatuor Reſinis ana* ℥ß. *fiat magdaleon, temperetur cum oleo Lauri & Terebinthina ſecundum artem.*

Aliud ſub forma Potionis.

Recipe Aquæ foliorum cervi, foliorum tinearum ana lib. ß. *Aquæ ſophiæ* ℥iij. *miſce*, ſingulis diebus bis, mane & veſperi hauriatur uncia una cum vino ad menſis ſpacium, & ſanabitur. Plura remedia non deſunt: verum iſta mihi uſualia ſunt & præſtantiſſima, quibus contentus eris.

Peroratio.

Cauſis ac curatione ulcerum ac aperturarum omnium abſolutis, jam Medicos fideles monendos duxi, ut noſtram Theoriam, quæ in cauſarum inquiſitione, Praxim quæ in Remedii legitimi inventione ac uſu deſcripta nobis eſt, ſedulo legant ac relegant. Ego quidem non inficias eo, vicies pluribus dictis, & cauſas & remedia deſcribi potuiſſe, ac debuiſſe. Verum prolixitas ſi in aliqua alia arte in Medicina certe locum non habet, verba pauca, ſenſus perfectus, remedia ſuccincta, virtutes immenſæ in arte noſtra probantur, quæ omnia ſane ſedulo Medicos conſiderare decebat, ut ex parvis magna depromere poſſent: tantis enim nos theſauris donavit natura, ut nil ſupra, adeo ut ne Thymi, quidem (majora jam prætereo) virtutes omnes deſcribi poſſint. Quapropter præſtare unius herbæ virtutes abſolutè cognitas habere, quàm omnium dotes per tranſennam ſaltem inſpexiſſe, affirmo. Sed plerique Medicorum noſtros labores corrugata fronte inſpicient, non quòd artem veram proditam videant, ſed quod ſuam nequitiam doleant. Verum illos rubros & nigros

Galeros

Galeros nemo ſic ſuſcipiat moneo, ut ipſorum ſuperbia ſe ſeduci patiatur.

Idem Paracelſus de Vlceribus hæc rurſus habet in Chirurgiæ ſuæ Minor. Lib. II.

Cap. I. *De Quorumvis Vlcerum Originibus in genere.*

VT primo de fundamento loquamur ulcerum, ignorandum non eſt, ulcus aliquod in corpore præter corroſiva nullo modo poſſe fieri : nullum etiam corroſivum extra genera ſalium reperitur. Inde quævis ulcera ſuam ex ſalibus originem ducere ſequi neceſſum eſt: non ea via quidem, ut ſal tranſmutetur, melius aut pejus reddatur, uti de complexionibus fictum. Quapropter primum hoc eſt, quod ſciatis, in corpore nil pejus reddi, ſed quod malum ibidem exiſtit, à nativitate ſimul ortum eſſe, ac in temperatura ſic permanſiſſe, ut nulla ſuæ ſubſtantiæ manifeſtatio facta ſit.

Uti jam ulcerum originem ſalia fore dixi, hoc etiam eſt ſcitu maxime neceſſarium, centuplicatam in corpore ſalium exiſtere varietatem, quorum quodque genus peculiare ſuum ulcus efficit: ex quorum conditionibus juxta ſalium exiſtentiam, ulcus pejus fit, aut melius alio. Inde ſuam formam, conditionem & eſſentiam, ut externa ſalia ſumunt. Sal, quod limaturæ ferri permiſcetur, peculiarem ſuam ferruginem habet: item ſal urinæ ſuam, & alumina propriam, &c. Quamquam ferrum unum & idem exiſtit, nihilominus tranſmutationes, quæ per ſalia fiunt, haudquaquam ſimiles, quod in ſalium conditiones tranſeant. Et prout unum guſtu vehementius eſt alio, quod à differentia percipitur inter vitriolum, ſal commune, ſal nitrum, & alumen, quodque peculiarem dolorem infert, uti guſtum habet proprium. Hæc de ſalibus.

Non ſecus, imo pejus ea, quæ proveniunt ex Realgaribus efficiunt, ut Arſenicalia ſunt, auripigmenta, uſnea petrea, &c. ut iſta pro ſui conditione veneni tumefaciunt, pungunt, &c. hic etiam ubi producunt ulcera ſeſe palam faciunt. Horum omnium primum fundamentum eſt, cognoſcere totum corpus in hujuſmodi ſalibus conſtitutum: & quantum externa mineralia comprehendunt, Microſmum tantundem etiam concludere. Ex prædictis fiunt ulcera, non alias quam ſuper ferrum ferrugo, quod proprium ſal conſumit. Sic & cuprum ſuo ſale proprio convertitur in æris florem, aut viride æris: non ſecus in ſui conſumptionem per ſalia ſua tranſmutatur corpus.

Alia nonnullorum ulcerum origo fit ad hunc modum. Salia quædam ſubtilia ſunt, & liquoroſa, quæ per propriam ſubtilitatem corrumpuntur, eo quod in aliis liquoribus exiſtunt aut ſeparantur poſtmodum in hunc modum. Vinum integrum & ſanum videtur, & in eo ſal ejus non percipitur, quia dulce bonumque, nec non in ſua ſubſtantia potentiſſimum: ſuo tempore poſt ab eo ſal proprium ſeparatur, ac tartarum producit ad latera vaſis, quod ſal acutiſſimum exiſtit. Pariter in corpore liquor, qui neceſſarius eſt illi, temporis etiam ſucceſſu talem in ſeparationem tranſit: pellis ejus eſt vas: cui tartarus adhæret, ut in dolio, cum ſua differentia tamen, & corpus corrodit. Similiter vinum aceſcit, qui ſubſtantia ſua ſeparatur ab eo. Nam alias in corpore liquoribus accidit, qui centuplicate variantur, ubi ſimilem in acetoſitatem incidunt, ſtatim adeſt corroſivum.

Nec eſt, quod miretur quiſpiam ob ſalium in corpore multitudinem, cum idipſum varietas demonſtret ulcerum corporis, in quo generationes omnes elementorum exiſtunt. Latius notandum ſalia corroſiva juxta ſeparationis tartari, nec non aceti proceſſum à vivo ſimiliter ulcerum originem eſſe, quum in ſuam exaltationem ad hunc modum veniunt. Et prout unum diutius altero vinum conſervatur, & acutius exiſtit; in corpore ſalia haud abſimilem differentiam habent. Quinam in corpore poſſet aliquid exiſtere, quod præter corroſivum ulcus formare poſſet? aut corroſivum eſſe poteſt, quod ſal non ſit? Quam ob cauſam igitur medicus ab hoc fundamento recedere vellet, tum ab originibus veris ulcerum? & id quod ipſamet natura dedit, in quo poſita ſunt etiam omnia non erit conſiderandum, ſecundum ejus tenorem ac ordinem? & in his peculiares nugæ, quas effutit Avicenna cum adhærentibus ei, forent obſervandæ.

Inſpicito naturam ſuis in proprietatibus conditionibuſve, in elementis, quid operetur ac producat. Propone tibi elementum Aquæ, videque diligenter, quam varia ſalia naſcuntur ex eo, prout communia, tum alumina, &c. Pariter elementum Terræ, qui mirum in modum ſua ſalia producat in pipere, zingibere, Aromatibus, Urtica, &c. ut interim tereniabin, & noſtoch ſubticeam. Item in quot fines ſalia tendant, & quam varias operationes ſub finem demonſtrent. Ad hæc etiam conſidera, corpus in ſe conditionem elementorum habere, tum etiam ipſummet elementa fore, non ratione frigiditatis, aut humiditatis, caliditatis aut ſiccitatis. Hæc dicta putato, quod aquæ bene corpus fructus & mineralia producat, ac alia elementa.

Aſpice, quinam generetur aurum, quod non niſi fructus eſt elementi ſui: aliud aſpice, nempe ſmaragdos, qui ſui ſunt etiam elementi fructus, ut horum incorruptibiles nonnulli, & alii magis. Ubi tales in corpore fructus generantur, quis non judicabit illud ad vitam longam & ſanam? Contra, cum ex elementis ferrum etiam confluat, quod ſua ferrugo rodit: item Lephanteus, quem edunt vermes: ſi corporis elementum ſimilem fructum etiam producit, quis hominem ejuſmodi ſanum judicabit? Ad hæc notandum, prout quodvis elementum in ſeipſo bonum atque malum producit, abſque damno ſui ipſius (hoc Anatomiæ quidem ordine cauſſante) ſic etiam in corpore, quum in damnum tendit ex tempore, per exemplum vini & aceti poterit intelligi.

Ut videtis accidere ſæpius, ex elemento mineram tempore quodam produci, quod eo loco minime fuerat auditum antea: hac ratione pariter origines morborum intelligo: nam prout illæ ſeſe patefaciunt, & morbi ſequentes prorumpunt. Quapropter originem ad hunc modum expromito, quum inveſtigare poteris, ut quum ſeparatio metallorum ſuos flores emittere cupit, etiam ſcire poteris, quum ſimilia produnt ulcera. Non alias enim atque ſe palam faciunt illa per ſeparationem, & morbi ſeſe pariter manifeſtant. Quæ quidem ſeparatio niſi fieret, nulla neque bona, neque mala metalla prodirent in lucem. Sic etiam in corpore niſi fieret ſeparatio, nulla ſanitas, neque morbus ullus accideret. Cum igitur in ſeparationem ordinata ſunt omnia, primum hoc fundamentum eſt, ut ſeparatio cognoſcatur à medico: Qua ratione homo ſit elementum, & quatuor elementorum in ſe conditionem habeat, intelligendum, non juxta complexiones, quæ quidem elementum nullum efficiunt: at inde quæ naſcuntur mineralia præbent elementum: Sic & homo etiam elementum exiſtit, ac ſua ſanitas & infirmitas mineralia ſunt: item corpus, ex quo productio fit, eſt Matrix, & ſemen iſtius eſt id, ex quo procedunt omnia mineralia. Hoc de ſemine licet hic ta-

ceam, quod philoſophicum potius quam medicum exiſtat. Quanquam Ariſtotelica lyra, tum artiſtarum fiſtulæ viles, talia minime canant, propterea non eſt, quo moveatur medicus: nam ipſa natura demonſtrat, ubi ſemen hoc lateat: quid ſit Matrix, & quid poſtmodum ex iſtis duobus enaſcatur.

In cujus ſiquidem diſtinctionis declarationem, exemplum hoc ponemus. Elementum Aquæ ſuum in aqua corpus habet, ac ſua mineralia producit in aliud elementum, id eſt, in terram. Similiter elementum Terræ producit mineralia ſua in aliud elementum, videlicet in aërem. Non alias elementum corporale ſua mineralia producit in elementum aliud, ſicut quod ex elemento aquæ provenit, exiſtit in Phyſico elemento corporeo: tum quod ex eo latius naſcitur, in lucem erumpit. Cum igitur ulcera ſint mineralia, hoc ad exemplum referuntur. Terra corpus eſt mineralium: accidit ut uno loco reperiantur aluminoſa, vitriolata quidem in alio, ſalia ſimiliter in tertio, quarto vero nihil, &c. ſic etiam in corpore. Sunt homines omnes corpus morborum unum, & inter nos omnes genus omne mineralium diviſum eſt, æqua repartitione. Inde ſequitur in uno ſolum homine minime, ſed repartitum, ut quotquot homines exiſtunt, partitiones totidem ſint, & juxta venas & meatus ejuſmodi hominem concernentes, ſanitas ejus aut infirmitas erit. Ad hæc, è libro de generationibus rerum naturalium inſtrueris latius.

Cap. 2. De *Cujuſvis Ulceris origine peculiari.*

SCribendi fuit penes Antiquos hic uſus, ut ulcera pro majori parte vocaverint *Apoſtemata*: ſed errore factum, & intellectus ſui defectu. Quare non eſt quod quiſpiam curet, ſi quando vocem in poſterum Apoſtema quodpiam ulcus: ejus rei cauſa declarabitur, ubi de apoſtematibus agetur. Apud veteres etiam nonnulla *foramina* dicta ſunt, quæ quidem ego vocavi *Syrones*. Multa *nodos* vocavi *damna*, quæ veteres apoſtemata ſcripſerunt & ulcera fore, non ex eo fundamento, ſed ex abuſu potius. Licet in poſterum etiam antiquorum ego nominibus una cum meis utar, cauſam hanc eſſe putes, quia vetera vobis aut aliis nomina ſunt notiora. Non quod ea defendere velim, aut eorum ſignificata curem, vel declarationes, quas una cum textu prorſum rejicio. Quę Latina ſunt nomina, & à Latinis deprompta, illa manent: in his origo morbi fere ſemper includitur, aut ex cura, vel à ſimilitudine quadam, vel accidentali morbo ſuo deducta. Apud veteres tamen nomina cum ſuis morbis valde parum conveniunt, quo fit etiam, ut hactenus plus errorum inde quam boni ſurrexerit.

Cap. 3. De *Noli me Tangere, vel alias Lentigine prava, vel ferrugine.*

PRimum eſt, quod in hoc morbo notes, alibi quam in facie non produci, quia ferrugo eſt ex ſale Calebino, quæ prorumpit per vel trans cutem, & poſtmodum introrſum rodit ex martiali natura carnem ferream, è ſeptem unam uſque ad radicem alterius carnis. Ad hæc tibi ſumme foret utile, genera carnium juxta metalla, Kakimias, margazitas, vitriolata, &c. cognoſcere, quibus ineſt, locumque proprium habet omne, quod hunc inficit, eique nocet.

Ulceris hujus productionis tale ſignum habetur Locus Martialis ad cutem ſal ſuum expellit, cruſtas & ſciſſuras, una cum bullis & puſtulis producit. Statim atque hoc apparet, adeſt ſalis iſtius copia, quæ violenter, & ita prorumpit in corroſivam naturam, ut hujuſmodi cruſtas abedat, ſub naſo fodiat, poſt ad maxillas, ſuper & ſubtus labia, naſi cartilagines, maxillas, in palatum uſque, diſtenditur in latum, ad aures, oculos, & frontem. Et niſi remedium adhibeatur, ſumit incrementum, ac ad oris interiora tendit ea corrodens, ut fame pereundum ſit. Ad cerebrum vergit intrinſecus, capitis oſſa rodit, ac piam cerebri matrem, ſubitaneamque poſt mortem infert. Item oculos & auriculas foraminibus circum excavat, & evellit.

Quod jam de lentigine prava dictum eſt, alia pariter ſimilium ulcerum genera faciunt aliis locis corporis: at alia via demonſtrationeque, modo formaque tamen ſimilibus. Origo materiaque morbos hujuſmodi producens, in Anatomia ſimilis exiſtit ſali vitrioli colcotharino, juxta Martis conditionem. Quapropter notandum atque ſciendum, ſtatim atque ſal iſtud colcotharinum, alias quam ipſius Martis regiones arripit, ſignum adeſſe mortis.

Cap. 4. *De Cancro.*

PRout colcotharis eſt conditio circum ſe rodere, ac abedere, quum ab eo ſeparatum fuerit, à quo temperatur, ac tum pro ſitu ſuo corporis aliqua parte ſuam tyrannidem exercere: non ſecus colcotharinum ſal acutum eſt materia producens cancrum, ſub hac differentia videlicet viris ex hæmorrhoidalibus fluxionibus: fœminis autem ex menſtrualibus. Ex his colliges cancri ſitus & loca non alibi fore poſſe, quam ubi fluxus ejuſmodi ſibi centrum faciunt. Nec alio ſeſe loco ponere poſſunt, quam ex hæmorrhoidibus inter ſcapulas, & ex menſtrualibus ad pectus.

Quum ejuſmodi cancer exoriri cœperit, ejus notanda ſigna veniunt. Primo ſal colcotharinum ſeparatur, & mirum in modum prorumpit in lucem, ut quandoque in verrucæ duræ ſimilitudinem, aliquando cruſtarum inſtar: quocunque modo fit, ubi fuerit apertum: ſi verruca dura ſit, ſal corroſivum hoc exedit carnem, & fœtore quod reliquum eſt, replet: ſi cruſtæ, has abedit etiam, & foramen apertum efficit, in latum protenditur, & ex corroſivorum conditione, circum ſe rodit omnia cum calore maximo: ex quo rubedo prope vulnus oritur, temporis longo ſucceſſu tamen ſummum dolorem adfert, gelu, caloremque, ſali colcotharino præter ſitum aſſimulatur in lentigine prava ſuas operationes tyrannicas exercenti. Sub terminum ſal colcotharinum hoc in regiones cordis penetrat, non alias quam lentigo prava cerebrum invadit, & ut iſta mortem inducit.

Notandum etiam, fluxus menſtruales acutiſſima ſalia continere. Quare ſi corroſivi ſalis in matrice fieret hujuſmodi ſeparatio, ut à menſtruo ſejungeretur, cancrum, ut ſupra dictum, & pravam lentiginem ibidem oriri poſſe, dubitandum non eſt, ſummo cum periculo, quod vix aut parum cognoſci valeat. Eſt etiam in hujuſmodi ſale, realgaris quidam concurſus qui quidem in ſale Calebino minime fit: quo lentigine prava cancer iſte periculoſior eſt eo loco judicandus.

Cap. 5. *De Gangræna.*

PAri modo quum ſal vitriolatum acutum ſeparatur ad alium corporis locum, quam ſupra dictum eſt, ut ad pedes, brachia vel alias partes. Alia ratione duobus prænarratis ulceribus comparandum venit, excepto ſolo, quod huic alumen plumoſum admixtum ſit. Ejus in carne materia ſita eſt. & liquor exiſtit illius, in quo eſt, ac mercurialis morbus. Et quamvis alios etiam locos arripiat, ejus occaſio ſalia vitriolata ſunt, quæ totum perfundunt corpus.

Quam

Quum in aliquo membro ſeparatio contingit, ut ſal vitriolatum cum alumine plumoſo, incipere carnem & cutem corrodere, primo rubedo quædam oritur, & aliquando calli duri glandium inſtar apparent, in carnoſis partibus, at ſuper oſſa rubedo major: & non alias quam cancer & lentigo prava primum incipiunt circum ſe rodere: ſic iſtud etiam, peculiaribus cum doloribus, uſtionibus & punctionibus, ob ſalis plumoſi concurrentiam. Item prout eſt corroſivi conditio, quæ de ſalibus acutis provenit, circum ſe rodit in altum, ac inter cutem & carnes, cavitates facit ubi cum ſe receperit, humiditate ſua perquam acuta, quodvis excavat, oſſaque prorſum exedit, ut eis colorem adimat, & nervos contractos reddit: infra membrum tumores excitat, ſenſum tactus adimit, mirum in modum exulcerat, poſtremo totius in corporis virulentam infectionem terminatur.

Sunt & alia ſalia, quę ſolum in latum circum ſe rodunt, & locum ſui centri poſitioniſque retinent: quibus quum aliud ſal admiſcetur, ſive ex aluminibus, realgaribus, nitris, &c. juxta mixturam hanc dolores majores concipiunt, & ab ejuſmodi proprietate rubedinem, corroſionem, & tumorum conditionem. Quapropter notandum, ulcera quotquot ſimilia ſunt, & in corpore hunc ad modum apparent, ſive lentigines pravæ, ſive cancri, vel gangrænæ fuerint, una ſub cura tria comprehendi poſſe cum illis, quæ ſibi ſimilia ſunt apparentibus ſignis. Poteris etiam tribus unicum aſſignare nomen, aut unumquodque per ſe relinquere. Non eſt inter hæc alia differentia locorum & liquoris, ex quo profluunt. Hoc etiam concluſum volo: qualecunque fuerit ulcus in corpore, ſuperius aut inferius, originem hac via ducere ſuam, ex vitriolatis, una cum ſalium ſpeciebus admixtis.

Quinam poſſent ex quatuor humoribus iſta procedere? quæ ſi procedere dicantur ex eis, quare Melancholicus humor aut Cholericus, &c. juxta ſitum loci corrodit, & non alibi? Unde conditionem iſtam accipiunt in latum? & excepto ſolum eo loco, in quo pauciores habentur humores, operantur? Si dixeris eo meatu acquirere, purgatique pravum quod exiſtit. Dic igitur, quando fluere ceſſet? aut inſtrue me, num bonum una cum pravo non effluat? Si de morborum locis loqui voletis, & origines eorum vere demonſtrare, quare hoc vel alio loco ſimile, vel aliud ulcus exiſtat, cur iſtud ab alio ſic differat, iſta ſine Anatomia elementa probare minime poteſtis: nam corporis oportet regiones vobis ut proponatis. Et quum eas repartiemini, reperietis, qui mineralia ſuam originem ducunt, & quid ex eis procedere locis valeat: modo cognoveritis, quænam ſalia corroſiva quivis producere loci queant. Nam prout exempla ſuperius data docent, videlicet regionem unam alia continere mineralia, quam altera, juxta Solis differentiam in earum productis: hoc ipſum etiam in corpore non alias reperitur. Item poſtquam ſalium naturam omnium probe cognoveritis, & quæ ſit eorum operatio: tantundem in Microcoſmo ſimiliter invenietis. Quid vos ergo dicere movit, ulcerum formas tam varias ex quatuor humoribus procedere, quos tribuitis naturæ? Eſt etiam quod ſciatis, ulcera non fore emunctoria, nec meatus per quos aliquid repurgari debeat, vel etiam repurgetur: ſed non alias intelligenda veniunt, quam ubi foramen tuis corrodentibus, vel trappanantibus ſanum in os induxis: quam diu rodens in foramine fuerit, nulla ſanatio poteſt adeſſe: talis eſt ſalis corroſio ſuis locis, & in propria ſua natura ſemper, donec adfuerit.

Jam de aluminoſis ulceribus dicendum, quorum conditio ſolum eſt in profundum exedere. Hæc ſuam ducunt originem ex aluminum generibus, & quot alumina, tot etiam eorum ſunt ulcera. Quum à ſuo corpore ſal hoc ſeparatur, quod ſibi datum erat, & illud amittit, mox inde ſuum in corroſivum tranſit, carneſque (prout omnis corroſivi ſalis eſt conditio) rodens exidit. Separationem hanc ad hunc modum intelliges. Nihil tam execrabile vides, quod non etiam aliquid boni contineat, exemplum ab aranea, quæ ſummum venenum eſt, è contra ſummum arcanum in febribus chronicis. Item vinum creticum optimum, & ſupremum vinum, è contra tamen in ſe maxime præ cæteris corroſivum acetum habet, quod merum eſt alumen. Ut ex ordine conſtat naturæ, bonum & malum ſemper unum arcanum efficiunt, & venenum æque ac balſamum, acidum æque ac dulce fore debent in corpore: nam in iſto colores & ſapores omnes exiſtunt, ac ſimilia quæque. Prout in Saturno tres colores videtis latere, ſcilicet rubeum, flavum, & album: tamen in ſeipſo non eſt color aliquis horum, in ipſo nihilominus exiſtunt. In ferro ſimiliter colores; puniceus, rubeus, & niger latent: ferrum in ſeipſo non eſt colorum iſtorum etiam aliquis. Ab hoc exemplo jam intelligite, non alias ac per ſeparationem hujuſmodi colores manifeſtantur, ſalia pariter in ſeparatione cognoſcuntur. Et prout Saturni rubeus color tingit in rubedinem, flavus ejus in flavedinem ſeparationum viribus, ſic etiam alumen, & ſal in ulceribus. Quod ſi mirari te contingat, quinam alumen aut ſal, &c. ſic in corporibus exiſtere poſſet: conſidera, quinam acetum ſit in vino, ut minime percipiatur. Latius in cupro latet vitriolum, & ipſummet cuprum eſt vitriolum, & in ſeparatione tale nec non idem fit. Nota ſuper his in forma ſeparationem exiſtere, fierique, non in ſpecie. Una ſeparatio cupri tranſit in ſal Veneris, quod longe corroſivius eſt vitriolo, fitque ſeparatione formæ, non ſpeciei. Per formæ ſeparationem concludentes iſta relinquemus.

Ulterius quum ſimile quid per ſeparationem oritur, juxta ſeparationem eſt corroſivum: aliud dolor exiſtit, & foramen aliud. Differentiam inter alumen & æris viride conſpice, crudum & aduſtum; inter quam diſſimilium conditionum exiſtant: ſic & foraminum aut ulcerum eſt conditio (tamen in profundum tendunt omnia) tum eorum malitia, hoc eſt, quum pejora ſunt, quam ſalium ſit conditio, conſiderandum eſt, id à concurrentibus mixtionibus fieri, quæ magnitudinis multitudiniſque ſunt ulcerum vel foraminum cauſæ. Sic Lupus, Eryſipela, profunda Eſthiomena, Fiſtulæ, Scrophulæ, nec non id genus ſimilia naſcuntur, quibus veteres admiranda nomina dedere multa, quod quidem valde minori poterat exequi.

Lupi talis eſt origo. Si corporis aliquo loco fieret ſeparatio, præſertim carnoſis in partibus, quod iſtæ ſint ejuſmodi foraminibus obnoxiæ (nam ſuper tibias, vel in ſiccis locis corroſiva non ita poſſunt ac in aliis operari) lupuſque foret: hunc aliud nil exiſtere ſcito, quam ſal Mercuriale, hoc eſt, Alumen: ex Mercurio namque ſal hoc procedit aluminoſum, quod pari modo, quo vitriolum à corpore ſalis, à Mercurio ſeparatur, nec non alumina quæque. Inde ſequitur hunc ſui centri locum eſſe, quo generatur, & manifeſtum ſe facit: quamvis hepati perperam adſcribitur, quod morbus atteſtatur per ſeipſum. Huic ſi quid ex aliis membris afflueret, aliud nihil quam ſeparationis reſolutio ejuſdem ſalis, & eſt in externis partibus corporis. Aluminis igitur conditio eſt, ut quum ſeparatur, ſuam in carne petulantiam exerceat, hanc putrefaciat & exedat, aliis proprietatibus quam de

de præcedentibus dixerim. Qua de cauſa quum in ulcus hoc impoſita fuerit alia caro, peroptimeque ligata, miſcetur alumen iſtud alienæ carni, quam etiam edit, viva tantiſper in ſua quiete relicta. Permanentis etiam & fixæ conditionis eſt, circumferentiam ſuam indurat, ac ſi muniret aggeribus, ne quid alienum ſubintret, præter ſuum reſolutum, quod urit abſque requie: durat annos circiter quinquaginta, ſuo loco manet, circum ſe latius non rodit, quam regia ſuo continet. Si morbus acutus, ut Antrax vel carbunculus, acceſſerit, tum primum ſuam proprietatem amittit, mitiſque redditur, in ſignum tamen mortis.

Fiſtularum origo pariformiter exſurgit, ut quum alumina ſimul una cum nutrimentis aliquo loco reſolvuntur. Hæ ſuum locum incluſum appetunt, hoc eſt, putrefaciunt, & non corrodunt: eſtque dulce quoddam alumen earum. In lacertis primum oriuntur, etiam in juncturis arterias inter, aut ligamenta. Poſtquam occultam ejuſmodi putrefactionem fecerint, aut in latum extenderint, ſpiraculum ſibimet parant non alia de cauſa, quam ad reſpirationem. Ob debilitatem iſtius aluminis corrodi cutis nequit. Poſſunt etiam ex omnibus ulceribus & vulneribus naſci, ratione, quam de vulnerariis fiſtulis prius enarravimus.

Hujus generis alia multa foramina fiunt in corpore, quæ minora ſunt extrinſecus, quam intrinſecus. Iſtorum eſt conditio, dolores non inferre, ſed prout aluminis dulcis eſt natura, ſemper humiditatem emittere, vel in aquam reſolvi ſic & fiſtularum conditio, ſpumam, aquam, & ſaniem ejicere. Ubi tamen glaciei non fuerit alumen, aut ejus acuitas mortificata: nam per iſtud fiſtula cavernoſum ulcus efficeret. Cum fiſtula perſeverat in exaltatione ſua, manet, quouſque morbus ad eam alius accedat: nam ex fiſtulis mors nulla producitur.

Latius in alumine conſiderandum id, quod plumoſum vocatur, ſæpius manifeſtari, de quo mirabiles admodum conditiones oriuntur, ut ſcrophulæ, formicæ, & id genus alia, quæ producuntur ex alumine plumoſo: quum ſeparatur, tria, quatuor, quinque, vel plura centra facit, uſque in centum vel ducenta, hunc in modum. Quoties gutta ſeparatur, toties ea coagulatur, & hac duritie circum ſe corrodit in foraminis productionem: & ubi multæ guttæ reſolvuntur, multa foramina pariter fiunt, nodi, glandeſve donec incidant. Quandoque mitigatur per aluminis dulcis acceſſionem, ut ſua foramina dolores non ita vehementes inferant, ac per ſe: nonnunquam ab arſenico malitiam ſuam adauctam habet, qua pejus efficitur, quam alias exiſteret. Quicquid ſit, ignorandum non eſt ejus fore conditionem, ut multa foramina corrodat, primo bullas vel puſtulas emittendo: poſtmodum ubi ſatis corroſerit, unaquæque foramen ſuum adfert. Hujuſmodi plumoſi conditio quum incipit oriri, duplici via manifeſtatur: Priore, nodis ac duris glandibus præmiſſis, ex quibus fiunt ſcrophulæ, nec non id genus ulcera multa, quæ ſub ſcrophulis omnia comprehendenda ſunt. Poſteriore, pruritibus & uſtionibus primum aggreditur, ex quibus non adeo magna vel profunda fiunt ulcera, ſed pejora ſatis & acutiora, juxta mixtionis incidentiam, ſeſe multo minuſve manifeſtare poſſunt. Notandum inſuper, fœtorem, profunditatem, vermes, & ſimilia, quæ occurrunt in ſimilibus, occaſione carnis fieri, quæ conditionis illius exiſtit, ut iſtorum facile generationem admittat. In carne vermes quandoque naſcuntur, quandoque putrefactio nimiam in reſolutionem tendit, ut in fœtorem tranſeat: quæ tamen omnia curam non concernunt. Pariter ſi cum Gangræna quod ulcus appareat, cauſam eſſe putandum eſt, quia bonum atque malum accidentia ſua recipiunt.

Sal etiam urinæ varia producit ulcera, per urinæ viam omnia, prout in cambuca, ſimilibuſque. Sal iſtud una cum urina ſimul, ut acetum cum vino bibitur, effluere debet. Quum tamen in ſeparationem tranſit, inde mox centrum ſequitur, poſt eruptio manifeſtatioque foraminis, quod pro conditione ſui ſalis formam habet. Simili proceſſu cognoſcuntur ſalia hæc omnia, quæ ex ſalino vero corpore profluunt, quæque plura ſunt, ſub fundamento comprehenſa tamen omnia, prout ipſa cambuca continet.

Cap. 6. *De Conditionibus, eßentiis, & proprietatibus ulcerum.*

Sciendum etiam de coloribus, qui videntur ulceribus accidere, ſolum ex ſalibus, è quibus oriuntur omnes, procedere pariter & formas. Ubicunque ſal non fuerit, ibidem & color nullus, & in extractione proprietatum ſalis, colores fiunt manifeſti: ſic etiam ex forma varia curantur, idque juxta ſpecies. Cryſtallum in angulos cudit aliud nihil, quam ſui ſalis proprietas: quod citrinus lapis aliam formam habeat, alterius eſt ſui ſalis cauſa: ſal aliud in Saphyro, quam in Granato: ſimiliter aluminis eſt alia forma, quam in vitriolo. Salis communis formæ variæ ſunt, una quidem aquea, coris inſtar alia, granulata quædam, &c. Sic & ulcera corporis apparent, longum unum, latum aliud, angulare hoc, rotundum illud, quod ſalium ſuorum, ut cujuſque quæque proprietas, efficit.

Quales in quatuor elementis formæ producuntur, ut arbor nulla ſit alteri ſimilis, herbæ ſemina quoque ſimiliter: hoc in elemento terræ. In elemento aquæ lapis nullus alteri ſimilis etiam exiſtit: quæque proprietas manet in ſeipſa, prout ſuum ſal ordinat: ſic etiam in homine proprietas.

Libenter autem à medicinæ Sophiſticis audirem, ubi colorum origines forent, ac formarum. An in Melancholia vel phlegmate reſpondeant: hoc mihi demonſtrent in metallorum, lapidum, & arborum generationibus. Nam unum & idem eſt, quod formam dat hominibus, & quod elementis: Unde prodeunt hi humores? unde ſuam originem ducunt? poteſtis ipſi vos conſiderare, corpus internum, externo corpori nullum chirurgiæ morbum introducere poſſe: nam hoc loco ſeparantur ambæ medicinæ, videlicet interni corporis, & externi. Si forte putatis, uni foramini quemcunque clavum adaptare, latius in mea Phyſica librorum paragraphorum documentum recipere poteritis, quam hoc loco, qui chirurgiæ tantum exiſtit.

His paucis origines, materias, & cauſas, ex quibus ulcera quævis oriuntur, abunde ſatis à me declarata fore volo. Quanquam ulcera plurima, variæque formæ poſſunt ex ſalium diverſis conditionibus oriri, cum tamen cura eorum minime requiret, manere volumus. Summa cura fuerit in iſtis neceſſitas, id à fundamento probe curam intelligere.

Cap. 7. *De curis & ſanationibus patentium ulcerum.*

Cura ſanatioque patentium ulcerum in Balſamo ſolum conſiſtit, quod eo corporis loco ſimile Balſamum deficiat. Verbi gratia: Corpus in ſe Balſamum continet, quod à putrefactione conſervat quicquid in illo continetur, ubi tamen eorum aliquid à corpore ſeparatum fuerit, huic balſamo non ſubeſt amplius. Inde ſequitur medicamentum in corporis natura latius eſſe quærendum.

Balſa-

Balſamum, quo ſanari debent ulcera, conſiſtit in exterioribus elementis, & eſt id, quod alia genera defendit à putrefactione. Merito dici poteſt igitur, quod ſit Mumia corporis exterioris elementorum, hoc eſt, fructuum eorundem. Quamvis etiam Mumia ſit, cum tamen ab uno in aliud corpus applicatur, Balſamum eſt. Nam quod ex uno corpore transfertur in aliud, vel permutatur, eſt Mumia tranſmutata ſub nomine Balſami comprehenſa. Ut ſciatur tamen, ubi lateat Balſamum, in unoquoque naturaliter compoſito fore minime dubitandum eſt.

Hujus extractio Balſami fit in ſeparatione, ſic, ut hoc ipſum, quod ſuſtentatur à Balſamo, ſumatur. Jam ad hæc animadverte, Balſamum exiſtere, præter liquorem Mercurialem. Unde ſequitur in Mercurio ſanationem omnem contineri ſimilis & potentiſſimus in Thereniabin, & Noſtoch, item in aquæ mineralibus, terræque fructibus Mercurius habetur. Ex eo colligi poteſt, Antimonium excellentiſſimum ulcerum exhibere medicamentum, cum hujuſmodi liquoris Mercurii plus in ſe contineat, quam aliæ quævis Margazitæ, Kakimiæ, & cætera ſimilia. Solum ex eo curam & ſanationem ſuam recipit aurum, quod ſupremum arcanum & remedium habeat. Subtilior enim liquor Mercurialis inter ea, quæ per elementum aquæ producuntur, minime reperiri poteſt. Similiter eorum, quæ terra profert, nullum excellentius arcanum ſanationis habet, quam liquor Mercurialis ex Realgare Cheiri. Sic de cæteris.

Ad uniuſcujuſque liquoris Mercurialis cognitionem, animadverte, quum in hujuſmodi liquorem metalla tranſmutantur, ut pro parte crocus Martis exiſtit, ex alia flos Veneris, & pro ſua parte ſpiritus Jovis: non tamen eo prorſum adductus: quum ſeparatio vera facta fuerit, juxta ſui recepti, vel proceſſus potius tenorem unuſquiſque liquor Mercurialis hujuſmodi potentiſſime curat ulcera.

Plurima deſcribuntur ad ulcera balſama, juxta mineralia quatuor elementorum, in emplaſtrorum formam aliqua nonnulla pulverum, aquarum, oleorum, &c. quocunque modo fiant, ejuſdem curæ ſanationiſque balſama ſunt. Quamvis apud veteres varia ſunt recepta, nec non ordinationes cum regiminibus, quæ hic adducere minime volo, cum naturæ prorſus contraria ſint in ulcerum curis, ad hoc tam inepte poſita ſunt adminiſtrataque, tum præter neceſſitatem regiminibus onuſta, naturæ potius inimicis quam acceptis, minime conſideratu neceſſaria, tamque varia, quæ penes antiquos ſcripta reperiuntur, quibus quidem ſeipſos, nec non alios miſere ſeduxerunt, ac ægros perdiderunt.

Quapropter latius de Balſami curis & natura notandum, hoc ipſum fore, quod ſeparatum adimit, & abſtergit, corpuſque reſtituit in hujuſmodi naturam & conditionem, ut proprium ejus Balſamum rurſus in priſtinum locum antea corruptum redeat.

Primo, quod ad Balſamum attinet ex auro productum, ad hunc modum elicitur, ut aurum hoc abſque ſpiritu ſalis omni, tum realgare vel ſimilibus, in pulverem, oleum, aquam, aut hujus generis tale quid adducatur: quod nedum in auro, verum etiam in quovis ei ſimili corpore per tranſmutationem fieri debet. Nam abſque ſimili tranſmutatione, minera nulla ſuas operationes adimplere poteſt, ut in ſe continet ac habet à natura, licet aliquam ſimilitudinem exhibeat, ex fundamento vero non procedit. Ejus extractionis proceſſus eſt, ut aurum per Thereniabin crudum in ſuccum reducatur abſque deſtillatione quavis. Nam per deſtillationem ſal exaltatur, quod in hoc auro nullo modo prædominari debet: nec alia via quacunque reducendum eſt in pulverem. Receptum ejus hoc eſto, quod ſequitur.

℞. *Auri laminati drachmam, Olei de piro drachmas quatuor.* Pone ſimul digeſtionem ſeptimanis quatuor: poſtmodum oleum ablue; manebit in fundo pulvis. Hunc una cum Thereniabin crudo poteris adminiſtrare. Vel alio modo ſic facito.

℞. *foliorum auri drachmam, Olei Maſticis drachmas ſex.* Digerantur per menſem. Poſtea ſeparabis ab oleo, ſicut prius, & affundes alcohol vini, digeri permittes octo diebus, poſtmodum abſtrahatur è balneo Mariæ. Hoc oleo quidem utere. Si dicant alii medici, hoc medicamentum nimis fore pretioſum, aut ſibi bilius æquo, loquetur eorum inſcitia. Nam levius, minuſque medico decipere volenti, vel ægris imponere, ſatisfacere poterit. Qui ſanare vero cupit, morbos quoque rite pellendi ſuſcipit onus, tantum accipiet pro ſuo medicamento, quod compenſare ſumptus valeat.

Ex ferro ſimiliter habetur balſamum ad hunc modum, ſcilicet, ut cum aceto deſtillato reverberetur in crocum, à quo poſtmodum octies aut novies elevetur ſal armoniacum, & inde poſt in oleum redigatur optime dulcificatum. Horum uſus, auri videlicet ac ferri ſit, ut illud qualibet ſeptimana ter ulceribus patentibus imponatur, ferrum vero ſingulis duodenis horis ſemel.

Pariter in cupro ſimile Balſamum exiſtit, quum in vitriolum rurſus convertitur, & hoc in aquam, ejuſque poſtea colcothar in rubeum oleum: qua quidem ambo valent ad omnia vulneraria ulcera, ſicut cancer, lupus, fiſtula, vel ſimilia corrodentia quæque foramina fuerint.

Evam ex plumbo poterit haberi ſpiritus iſte, ſi per acetum deſtillatum ex cineribus ejus extrahatur. Quæ dulcedo, poſtquam in oleum venerit, nedum ulcerum patentium, verum etiam apoſtematum & vulnerum admirandum eſt remedium.

Similiter ex Argento vivo, quum in oleum convertitur, auri balſamo comparandum venit: & ubi congelatum poſtmodum fuerit à colcothare, poſtea cum aqua Parthenionis adminiſtratum, omnia quotquot ſunt excellit balſama. Et in crocum verſum, aut præparatum in florem, ulceribus ejuſmodi ſummam curam exhibet. Si medici, qui medicam hactenus exercuerunt artem, tales forent, quales fore præ ſe ferunt, metallorumque proprietates cognoſcerent, in fabrorum officinis metallariis meliorem fore medicinam, quam in pharmacopoliis Francofurdianis perciperent. At ipſi quo longinquius habent negotium, eo ſapientiorem ſub rubeo pileo ſtultum exiſtimari.

Præſtantiſſimum etiam ad ulcera patentia remedium adferunt ipſa realgarida, prædictis non immerito comparandum. Arſenicum enim quodcunque patens ulcus, cujuſvis etiam conditionis fuerit, validiſſime ſanandi ſufficientes vires habet, hoc ſuo proceſſu tamen, ut ſibi venenum quod habet, auferatur ad hunc modum. Fixandum eſt per ſal urinæ, demum in oleum per ſeipſum convertitur, quodvis ulcus patens perſanandi potentiſſimum.

Hac via cum Antimonio feceris idem, ubi hoc in pultes aqua vitrioli decoxeris, & poſtmodum ab eo ſal armoniacum elevaveris, colato, & invenies rubeum obſcurum colore, liquorem & ſpiſſum, earundem, ut ante dictum, virium.

Nec eſt quod mireris, ulcera curari ſanarique ſimplicibus hujuſmodi, quod natura per ſeipſam has virtutes compoſuerit, ac dederit mineralibus, ut auro circiter ſexaginta, cupro viginti, realgari triginta, &c. Quapropter ego merito recepta prorſus invalida rejicio, quæ poſuere medici nullius artis aut peritiæ. Hi conati ſunt ſuis compoſitionibus integram reddere naturam: interim non conſiderarunt, iſtam per ſeipſam eſſe compoſitricem, nec ſciverunt locum, in quo pharmacopola naturæ moratur, imo naturam contempſerunt, & illius medicamentis meliora ſe putarunt æneis capſulis includere poſſe, quam arcana ſint naturalia.

Salium etiam vires ad ulcera patentia maximæ virtutis exiſtunt, quum alumina ſuis privantur corroſivis, abſque ſtipticæ ſuæ conditionis corruptione, ſic, ut ab alumine liquor ſumatur, non tamen à calcinatione. Contra capiatur à vitriolo ſuum oleum, & liquor nullus à ſale color puniceus, alio ſemoto. Quis præparationis eorum ſit proceſſus, optime ſatiſque notum. Uſus tamen, ut cum eis procedatur, eſt ut ipſæ thermæ continent. Quandoquidem ex ſalibus omnia balnea procedunt. Horum etiam virtutibus aqua frigida caleſcit in balnea, quæ patentia quævis ulcera curare, ſanareque poſſunt.

Quæ ſupra poſita ſunt, elementum concernunt aquæ: jam latius quinam elementi Balſama terræ veniant in uſum ad ſanationem ulcerum audite. Primo notandum eſt, Mumiam terræ balſamum exhibere: quum ad eundem ſalis urinæ modum in alcali reducitur. Poſtmodum omne, quod ex terra naſcitur, Mumiam latius præbet. Gradus ejus melior omnino redditur, ubi ſimul iſta fuerint in mixtionem adducta, de qua poſtmodum extracta Mumia fit.

At vera balſama, quæ latent in arboribus, & pro parte ſeſe patefaciunt, prout gummi non ſunt, hoc loco pro balſamis habenda. Sed quod Botin & Juniperus exhibet, partim in ulceribus aliquid poteſt, in uno quam in alio magis tamen: aliquando frondes, alias fructus excellunt alia. Cum tamen in particularem uſum adduci debeant, eorum hic ego præparationis meminiſſe nolo: quod ulcerum curationis & ſanationis in eo fundamentum conſiſtat, ut generale balſamum fiat, quod omnia curet. Non eſt utique cætera quævis, inter producta naturaliter, arbores aut herbas, aliquod Parthenioni ſimile, quum liquores ejus in modum extrahantur, ut ſua virtus Mercurialis maneat, cum adminiſtratione ſui vera: hac via potens evadit chirurgis in fiſtulas ulcera corrodentia, cancrum, ferruginem, &c. quocunque modo vel forma fuerint. Et non alias ac moſcus aromatum odores excellit omnes, Parthenion virtutes omnium vegetabilium, arborum, herbarum, &c. quæ terra producit. His ego Balſamis terræ Mumiæ, compoſitionis ejuſdem & Parthenionis, omnium terrenorum balſamorum vires concluſiſſe volo.

Pari modo quod elementum aëris in ſuo Thereniabin exhibet, liquoſa Thereniabin exiſtit ſupremi balſami. Sed pro tenore ſuæ conditionis, & elementi proprietate, ſeparari debet à ſua humiditate, per additionem Parthenionis non alias & Noſtoch. Cum tamen iſta non ſint in uſu, repertu ſatis difficilia. Quapropter in præcedentibus curas admodum potentes poſui.

Tandem ut ad uſus ordinem deveniamus, & unicuique morbo ſuum peculiare medicamentum aſſignemus, ut utriuſque ſpecies Anatomiæ demonſtrant, prout in prava tentigine, excepta practica tamen antea data, curam ejus accipe, notaque diligenter. Principio mortifica materiam, poſtea mundifica, deinceps cura ſanaque. Mortificationem etiam notato fieri debere per dulcia realgaria, quæ nullam acuitatem vel aſperitatem habeant: nam iſtis fieri non poteſt, ut recte cura ſuccedat, quantum ipſe morbus expetit: ſimiliter in aliis ulceribus. Mundificatio fieri debet ſub emplaſtro curativo, ſic ut ligatione, quavis ejus materia ſumatur, quantum hac vice docebitur. Cura talis erit, ut maturum efficiat ulcus, attrahat immunditiam, utque natura ſanare valeat: quod niſi fiat, nulla ſanitas venit exſpectanda. Mortificatio neceſſaria eſt ad morbi tollendam vitam. Mundificatio quidem, ut ſucceſſu temporis, quod mortificatum eſt, auferat: cura vero facit in defenſionem.

In prava tentigine, noli me tangere, vel ferrugine talia recepta ſunt.

℞. *Realgaris ſublimati* ℥. j. coquatur in aceto duabus horis, & quum exiccatum fuerit, adde huic *olei Majoranæ* ℥ iij. ſimul commiſceto. Hoc unguento ligabis ulcus ad extenſionem ſui, quam tenuiſſime poteſt, & repetitis vicibus extrinſecus inunges oleo, ne ſiccetur. Maneat ita diebus duobus cum ſuis noctibus. Tandem incipiet ſaniem & aquam emittere, quo ſigno percepto, hoc emplaſtrum ſuperponito, maneatque tantiſper, donec nulla ſanies effluat amplius, aut alia fluxio.

Mundificatio.

℞. *Picis navalis unam libram. Viſci pini & abietis ana lib.* ß. *Viſci locuſtarum è larice, lib.* ß. *Pici lariginæ* ℥ij. liquefiant omnia ſimul cum ſui omnium ceræ medietate, ac olei quantum ſatis fore videbitur, ut formam acquirat emplaſtri. Quod iſtud non extraxerit, alia quæque nequibunt. His peractis curam aggredere.

℞. *Ceræ, Picis communis, ana lib.* ß. *Ariſtolochiæ rotundæ* ℥ iij. *Mumiæ* ℥ij. *Antimonii triti* ℥iiij. ß. Fiat emplaſtrum, & eo mane veſperique ligabis, juxta conſuetudinem.

Aliud emplaſtrum.

℞. *Reſinæ abietis lib.* ß. *Viſci conſolidæ* ℥iij. *Succi chelidoniæ quantum ſufficit*, inde fiat emplaſtrum. Notato, maximam hujus artem & curam in unguento primo ſitam, & in altero ſcilicet emplaſtro fluxus extractionis.

In Eryſipela cura communis eſto hæc.

Primo cape *glutinis aquatici* ℥iij. *deſtilletur in aquam*, cui fimum injice mineralium, & fiat decoctio per horam, donec in pultes utcunque ſpiſſas evadant, quibus adde *camphuræ* ℥j. ß. fiat unguentum, quo tibias ligato ſingulis ternis diebus ſemel, tribus ſeptimanis continuis. Poſtmodum ulcus hoc ablue foliorum quercus aqua mundum ſervando, vel aqua ſalſa: ſic fiet ut æque ſanetur, ac ſi medicamentum ſuperpoſitum foret. Nam conditio talis eſt hujus medicamenti, ut ſeptimanis tribus poſtmodum operetur.

Ad Cancrum.

Poſtquam gluten aquaticum in aquam reduxeris, huic tantundem adde colcotharis, & ad iſtorum ſingula pondo libramve, floris æris ℥j. ß. adde: ſimul commiſce, primoque ſuper ulcus pone, putrefietque, ſuper illud permitte, quod

plerunque

plerunque fieri die quarto ſolet. Poſtmodum emplaſtrum appone mundificativum, quod in tentigine prava deſcriptum eſt. Et ubi totam immunditiem extraxerit, pulverem hunc ſuperſperge. Recipe pulveris ex ſucco *chelidoniæ*, *Parthenionis*, *Centaureæ ana* ℥ß. *Mumiæ* ℥j. ſub iſtis pulveribus mane veſperique ligatum ulcus hoc optime perſanatur.

Ad Lupum.

℞. *Realgaris cryſtallini* ℥j. *Olei ardentis* ℥ij. *Ceruſſæ drachmas duas:* fiat unguentum, quod circum lupum apponatur, ut ulcus non intret. Ligationes innova ſingulis duodenis horis ſemel in ſextum aut ſeptimum diem. Poſtmodum aufer hanc ligationem poſtremam, abſtine tandem ab ea, tantiſperque relinquatur ulcus, donec locus ille circumſcriptus abeat & per ſe. Quo facto, lavetur mane veſperique hac aqua, ſequentique ligetur ſub emplaſtro, juxta communem uſum. Recipe *aquæ glutinis*, *roſarum ana* ℥vj. *Parthenionis* ℥v.

Aliud Emplaſtrum.

℞. *Olei lini lib.* ß. *Viridis æris* ℥ij. Ceræ tantum, ut iſtius poſterioris, coquantur ſimul in cerotum. Cui gummi Bdelii colati ℥ij. adde, ligaque juxta morem, ordinis quoque tenorem.

Ad Fiſtulas.

℞. *Aquæ de cornibus cervi lib. j. Centaureæ, Conſolidæ aureæ ana* ℥iij. *Parthenionis* ℥iiij. ß. His impone *Reubarbari*, *Mannæ electæ*, *Spermatis ceti ana* ℥j. Hujus optime commoti ſingulis vicibus mane veſperique bibatur cochlear unum, & mox inde vini cochlearia tria. His potiunculis mundificatur interne fiſtula, per ſeque ſanatur, abſque medicamento latius externeque poſito. Si tamen aliquid ſuperponere velis, hoc ſit emplaſtrum.

℞. *De gummi quatuor*, ℥ij. *Ceræ lib. j.* coquantur ſimul, & injice *viſci botini* ℥iij. fiat emplaſtrum.

Ad Gangrænam.

Eodem utere medicamento, quo ad pravam tentiginem, etiam ad ulcera corrodentia, excepto quod additionem hanc facias, ut curativis emplaſtris ad *lib. j. Sammoneæ* ℥ß adjicias, cui peculiaris ad corrodentium vitus ineſt ulcerum curam.

Ad ulceroſa putrida cavernoſa.

Primo *croci*, *Hermodactylorum accipe grana vj. Olei nucis grana iiij.* Permiſce, ac in quinque partes divide: quarum unam ſingulis noctibus adminiſtrabis. Poſtmodum ſequens emplaſtrum ſuper totum crus pro damni latitudine, vel extenſione ligato.

℞. *Ceræ abietis albi lib. j. Viſci de Botin lib. ij. Reſinæ communis lib. j.* ß. Liquefiant omnia ſimul, & eis adde nucum *olei lib. iij. Minii*, *Lithargyrii*, *Lapidis calaminaris ana lib.* ß. *Tutiæ* ℥. j. *Carabis* ℥iij. terenda conterantur, & ex omnibus fiat cerotum. Et poſtquam ſatis coctum fuerit, adde *calcis corticum ovorum* ℥vij. ß. & in magdaliones agitato. Hujus emplaſtrum ſuper damnum duobus relinque diebus atque noctibus, & amoto poſt, recens aliud ſuperponito repetendo ter proceſſum hunc. Eo crus in fluxionem pervenit, qua tota virulentia repurgatur, tumorque reſidet, ac ſedatur dolor, & hoc deinde curatur unguento:

℞. *Butyri non cocti lib. j. Terebinthinæ lotæ lib.* ß. *Succi Parthenionis*, *Chelidoniæ ana* ℥ij. *Cera* [illegible] ℥j. *dra humusque ij. Ceræ*, quantum ad incorporationem ſatis fuerit.

Ad Scrophulas.

℞. *Vini ardentis* ℥v. *à colcothare & fimo mineralium ſua extrahas alcalia*, Deinceps *ejus ardentis vini ſume* ℥. ß. *Aquæ roſarum* ℥j. *aquæ chelidoniæ* ℥iij. Intinge fila, quibus madidis ulcerum foramina mane veſperique repleto, donec ſanentur ultra medietatem: poſtea ſub unguento, quod ſupra datum eſt ad ulcera cavernoſa ligato. Pari modo ſi Gangrænæ his innaſcerentur, amoveri poſſunt, vel ſi fœtorem aut vermes conciperent. Item eadem via formicæ curantur, eſeræ, circumrodentiaque foramina.

Recepta plurima reperiuntur alia: quid ad rem? cum eis melior chirurgus minime reddatur, niſi tritus & expertus in illis fiat. Recepta jam quæ ſatis fore poſſent, ſcripſi, diligentiam latius adhibeat medicus chirurguſque, ut eorum conditiones & proprietates intelligant, & cum eis indies progredi valeant. Optimum hoc loco habendum artificium, ea probe tenere ac intelligere, quæ quicunque noverit, opus non erit iſti multos libros volvere. Unicum ſiquidem ex æquo notum receptum plus prodeſt, & majoris eſt momenti, quam tot ac tam copioſas monaſteriorum bibliothecas perlegiſſe, ac inter millena folia vix medium intellexiſſe. Alia quæ penes alios Doctores ſcripta ſunt, paſſimque multorum manibus volutantur, quo magis nota fuerint, eo majores inde naſcantur errores, & ægrorum infinitæ ruinæ. Quapropter notandum ea, quæ natura dedit remedia, ſolum in longis receptis eſſe, conſideranda.

Sunt & alia medicamenta quædam, quorum hactenus mentionem adhuc nullam feci, chirurgorum excogitata nequitiis, loculis ſuis quam ægris utiliora. Nonnulli chirurgiam agunt rubeo ſub Henrico (prout vocant) alumine quidem aliqui, una pars arſenico, plerique ſale armoniaco, ex quibus lixivium parant, panniculos, ac alia potius hiſtrionum opera, quam proborum chirurgorum. Viventibus corroſivis ulcera ſanare præſumunt, quibus omnino depravant cum eo damna, quæ tandem occurrunt, amovere nequeunt, nec evitare. Nihil prorſus emplaſtrorum habent, quod bonum in finem tendat. Gloriari jactabundeque ſeipſos extollere, potiſſimum eorum eſt magiſterium, imponere, mentirique optimum unguentum. Hujuſmodi pravis medicamentis utuntur medici nequam, & chirurgi plurimi, cum uno loco reſidentes, tum campivagi circulatores. At iſtorum nemo finem perfectum attingit, imo potius eo tempore, quo de fine bono ſperandum eſſet, per idem foramen, quo ſe vaccæ conferunt ad prata, hoc eſt, per portam aufugiunt: nedum privati medici, verum etiam altius intitulati, hujuſmodi nequitiis ac impoſturis alere ſe minime verentur. Quanquam eorum id etiam exigit neceſſitas, cum in libris ſuis nihil exriterit veri, cum in ſuis compoſitionibus aliud non præter impoſturarum in ordinem diſpoſitio quædam: itaque ſtuduerint, ut quæſtum in dies novum dolo fraudeque facere poſſent, quod totum eſt fundamentum artis. Talis medicorum fraudulentorum nequitia, confirmata & approbata eſt ab Eccleſia, ſi poteſtatem & authoritatem eis concedat, ut volunt impoſturis uti, cum iſtas Avicenna, Galenus, &c. ſcripſerint, hac de cauſa bene ſe habere debent omnia.

Hæc non admiror, cum in medicina major impoſtura ſit, à ſanctorum vicariis uſitata, qui quidem ulcera patentia, quæ natura parit ex defectibus, in di-

in divi Joannis pœnitentiam, & in S. Kiriaci vindiċtam alii, vel in ignem S. Antonii tranſmutant, & ſimilia: miſſas legere committendas injungunt, orationes & jejunia, Sancti manum ſupra fontis aquam olefacere, nec non illi perquam humiliter offerre, perpetuum ei ſervitium addicere, pollicerique, ſingulis annis juxta facultates portendere manum, in ſocietatem inſcribi: Sanctum quotannis inviſere, num adhuc vivat, an celebrari ſibi nuptias velit, uxoremque ducere. Similes nequitias tam avide ſpirituales amplectuntur aliqui, ſanctoſque fingunt medicos, & pharmacopœos ex aquis ſibi faciunt. Cur mihi diſpliceat, ratio hæc eſt (ut intelligi facile poteſt) ſi medicos eos fore decet, qui talia committunt, boni, veri, probique fiant medici potius, quam his truſis maculatos fore ac onuſtos. Quod vero ſanctos excuſem, & ejuſmodi vicarium ſanctam appellem: hac de cauſa factum, quod aliquando medicinam tantillum norit, ut ex chelidonia cum aqua facere decoctionem, ex quercinis foliis, & ſimilibus aliis (de his plura, quam par ſit loqui nolo) per quæ naturæ talia curare foramina & ulcera poſſibile eſt ex aliqua parte. Sed ut impoſturis ſuis faciant ſatis, honorem Sanctis attribuunt, ac manus ſuas lavant, æque ac Pilatus innocentes. Interim ego valde majus taceo, quod revelatione dignius foret, utpote multis magicis operationibus eos uti, quibus aliqua ſua complent opera. Niſi Theophraſtus in eo Xenodochio decubuiſſet, mentitum eſſe nebulonibus iſtis ipſum toties quoties oporteret. Hæc & ſimilia producit hominum avaritia, progreſſum dat ac defenſionem. Item fritellam infernalem erga ſuos ſuperiores.

Experimenta quædam ad hæc plurimum utilia tum ad præveniendum accidentibus, doloribus ac depravationibus ulcerum detegere, docereque volo. Non ea conditione vel opinione tamen, ut perditis medicis, qui fraudibus & impoſturis aſſueti ſunt, inſtructionem ad ſuis nequitiis faciendum ſatis, dare cupiam, ſed quod ipſos minime celare queam: nam ſi velim ægris impartiri, cogor & illis exponere. Hoc me contra ſolatur, nebulonibus id prodeſſe parum, quo nituntur ad nequitiam uti.

Experimentum è x alœpotico ſumitur ad hunc modum.

Hoc in crudo Thereniabin deſtillabis, quod Balſamum optimo jure vocare potes, quo curantur gangræna, cavernoſa ulcera, patentiaque: hæc illi pecuniarii perditi, perdenteſque medici *S. Joannis pœnitentiam* vocant atque vindictam. Quot homines fraudaſtis vos nominibus ſactis, patres memorandi, ſcilicet. Verum neceſſitate ferrum perfringitur: eo vos adducunt concubinæ veſtræ cum ſpuriis.

Aliud experimentum, penes hos & pretioſos medicos habetur ad hunc modum.

℞. *Salis armoniaci* ℥ *iij. Salis communis* ℥ ß. *ponantur in aquam & bulliant.* Poſtmodum adde gummi atramentarii ℥ *iij.* ut ſimul omnia liqueſcant, & in duritiem excoquantur. Hujus ad fabæ quantitatem in aquæ menſura particulam injice. Lava tandem, ulcera quævis ac aqua mundantur, fiunt recentiſſima, nec non ad ſanationem diſponuntur. O quoties fons veſtra hac via temperatus exiſtit: ſat ſcio vos intelligere me.

Aliud experimentum ad ulcera cavernoſa.

Aperiantur venæ tres ad pedes exiſtentes. Poſtmodum coque Thereniabin crudum cum alœpatico, hac decoctione laventur ulcera. Vidi quondam Diabolorum conjuratorem, qui ſacris multis exorciſmis curabat ulcera, nihilominus utebatur medicamentis etiam. Hominibus perſuadebat ex tibiis Diabolum ſe pepuliſſe, tandem ſuperponebat ſal benedictum, ut in eas non rediret amplius. Hac via Medicina ſua privata fuit honore, quo diabolus ornatus exiſtit.

Aliud experimentum.

℞. *Parthenionem, & Conſolidam auream*, ſimul contuſas ulceri ſuperponito, maneantque tribus horis, abjiciantur poſtea, lavetur ulcus foliorum quercinorum aqua: ſic periculoſa vulnera ſanari poſſunt: Plurimi ſanctorum, quos dixi, hoc aluerunt opere ſe.

Aliud experimentum.

℞. *Chelidoniæ ſucci lib. j. Alœpatici* ℥ *ij. Mumiæ* ℥. *j. Viridis æris drachmam j. Aluminis uſti* ℥ *ij.* Terantur omnia ſubtiliſſime, quæ terenda ſunt, & ſimul cum ſucco digerantur in calore per dies octo. Poſtmodum ulcera pannis eo madidis ligentur. Plurimi Doctores aluerunt ſe medicamento hoc, alias per Avicennam è medicis mendici facti fuiſſent.

Aliud experimentum.

℞. *Quercinorum foliorum aquæ lib. ij. Olibani* ℥. *j. Viſci ex ſerpentina* ℥ *iij. Liquoris Mumiæ* ʒ *vj.* ſimul omnia miſceto. Medicamentum iſtud doctoribus emit veſtem novam, & laceram quam eis dederat Hippocrates, ad ſepes dumetaque ſuſpenderunt.

Aliud experimentum.

℞. *viridis æris* ℥ß. *Aluminis uſti* ℥ *ij. Henrici rubei quem vocant, vel colcotharis* ʒ *vj. Terebinthinæ deſtillatæ lib. j.* Miſce ſimul, & ulcera perline. Melius medicamentum hoc eſt, quam prolixa Galeni ſcripta ſint.

Aliud experimentum.

℞. *Olei Ardentis lib.* j. ß. *Conſolidæ aureæ, Parthenionis ana manipulum j.* Hoc experimentum innumeros Monſpelianos Doctores perditos, atque decoctos relevavit, qui lacrymis conquerebantur de rubeo pileolo, ſuiſque liberis, quod eos in ſummam paupertatem delabi ſiverant, eis de hac cauſa poſtmodum inimici facti.

Aliud experimentum.

℞. *Argenti vivi mortificati* ℥ ß. *Ceruſſæ* ℥ *ij. Euphorbii* ℥ *ij. Saxifragiæ, Lithargyrii, Sandalorum ana* ʒ *j. Axungiæ porci rufi, quantum ſufficit.* Plurimi Judæi cum ſuis nobilibus hoc aluere ſe, per fas & nefas etiam, &c.

Experimentorum hujuſmodi plura ſunt, verum ego majora docui: quæ fuerint alia, non detinebuntur à ſuis authoribus. Etſi quæ plura forent ad hæc utilia,

utilia libro de Liquoribus, id eſt, de Puſtulis, à me ponentur.

Concluſio.

Poſtquam origines & curas ulcerum deſcripſi, pariter admonitos velim eos omnes, qui fideliter medicinam aut chirurgiam exercere cupiunt, ut breve hoc fundamentum originum & curarum hujuſmodi bene conſiderent, ac addiſcant. Potuiſſet quidem unumquodque receptum augeri vigecuplo demonſtrationibus, & origines latioribus verbis: verum in medicina ſcriptio longa minime locum habet, imo potius brevis & ſententioſa, prava recepta magnis prædita viribus à quovis medico deſideranda, conſiderandaque veniunt. Quo longior deſcriptio fuerit, minor intelligentia: quantoque receptum prolixius aut copioſius, tanto minus habet virium & virtutum. Quapropter unuſquiſque medicus ex minimis maxima debet elicere: natura ſiquidem tantis à Deo virtutibus donata eſt, ut Thymus in agris abunde ſatis cognoſci nequeat, quanto minus ea quæ Thymo longe majora ſunt? Quare decentius eſt unicam in horto fundare cognoſcere quantumcunque pravam herbam, quam univerſa perluſtrare prata, & eorum quæ continent nullam prorſus habere notitiam. Si quiſpiam hortus calendulis tantum floribus repletus eſſet, vel aliis, unius cognitio ſolum eſt neceſſaria, quod omnes patefaciat. Quid opus eſt igitur medico ſingula cognoſcere, quæ ſub una ſpecie ſunt individua, ſi probe cognitum unum habeat? Quapropter ego fundamentum iſtud in hunc modum concludo, prout extrahendum eſt, ex omnibus tamen balſamum unum, quamquam ex plurimis oritur locis, ut ſeminibus, radicibus, &c. caniſtro nihilominus cariophyllis pleno floribus comparandum venit, in quo ſimilem & unicum odorem de ſe præbent omnes.

Verum enimvero pauci medicorum quos tetigi, quibus etiam conculcavi caudam, boni conſulent: non ea quidem indignatione, quod ars in lucem veniat, ſed quod eorum nequitia cum impoſturis palam fiat hominibus. Nemo ſe permittat ab his ſeduci, cum ex eis fundari nihil, nec veri quicquam, ex libris eorum proveniat, quo ſubventum ægris iri quoquo modo poſſit: at ſolum fortunæ coguntur, & ambiguo caſui ſuam artem committere miſeri.

Chirurgiæ Minoris, ſeu Bertheoneæ Paracelſi Liber III.

Cap. I. *Quinam tempora morborum adveniant, & qua via generentur apoſtemata.*

DEclaratis prius omnium cauſis morborum, à quibus apoſtemata potiſſimum ſuam deducuntur originem, jam de ſuis temporis aliquot exempla notato primum. Arbor ſuos quotannis fructus profert. Item in ſingulos meſſis annos redit: nonnulla tertio: quarto plus minus alia ſuum autumnum exhibent anno. Sed omne quod ex tempore naſcitur elementi terræ, determinatum annum tempus habet.

Non ſecus aliquot morbi præciſum annorum ſuorum tempus obſervant, qui quidem ex elementi ſui proprietate ſunt inclinati. Sunt & alii ſimiliter ex mineralibus, qui ex elemento procedunt aquæ. Quæcunque ab iſta producuntur, unum fructum proferunt ſæpe, nullum amplius, quandoque in metallis; alia quædam tertium. In crudis lapidibus unum à prima materia quidem uſque ad ultimam, tunc eorum eſt autumnus. Non aliàs aliqui morbi ſemel influxi, nunquam iterum percipiuntur.

Elementum ignis pro ſuis temporibus ſuum fructum exhibet; quæ varia ſunt: carbo quoties unus, toties peculiaris fluxus tempeſtivus unus, tardus alius, determinatis, & non temporibus. Ut ſæpe contingere ſolet, ex elemento ignis produci ventum, qui domos diruat, arbores eradicet, quique centum annos ante, poſtque nunquam auditus eſt: item quandoque ſex, octo, novem, decem terminis, brevius aut longius grando cecidit, aliave tempeſtas orta eſt, aliquando fulgur cum frigore vel calore.

Ut & alia prædicta, ſic & aër exhibet quædam inæqualibus, æqualibus alia temporibus: jam decidunt Threniabin, jam Manna, lac jam candidum, &c. quandoque ſemel à decem annis, aliquandoque ſemel tantum, quandoque quater, quinquies, ſexies, plus minuſve.

Prout elementis in ſuis fructibus ſimile tempus datum eſt, eiſque præfixum, ſic & apoſtematibus magis, quam aliis morbis quoad ſua tempora: quædam præciſis, indeterminatis alia temporibus erumpunt; cujus incertus curſus in elementis exiſtens, & hominibus ignotus cauſam præbet.

Itidem in corpore morbi quidam juxta elementum terræ curſum accipiunt, ut *pruritus & ſcabies*, & ſecundum tempus determinatum terræ fructus naſcuntur: nonnulli juxta curſum elementaquæ, prout *gutta paralyſis*, &c. quidam juxta certum curſum ignis elementi, prout *Pleureſis*: aliqui ſecundum elementum aëris, ut *febres*: alii per tranſverſum contra certos curſus omnes, ut *apoſtemata*: quæ ſuum tempus juxta venti ſimilitudinem accipiunt, eſtque uniuſcujuſque nota & ignota maturatio.

Quæ ſit apoſtematum cauſa.

Sequitur inde cauſa, quod apoſtemata non nulla quandoque juxta curſum elementi terræ procedunt, uti *communia*: quædam ſecundum elementum aëris; ut *zephirus*, &c. nonnulla juxta elementum ignis, ut *bonarum puſtularum genera quadam*: & alia per tranſverſum penetrant, ut *Peſtis* & eſt ſimilis in corpore curſus, qualis extra procellæ ſunt, æſtates calidæ, frigidæque hyemes.

Quare cum enormes hujuſmodi curſus eveniunt; cauſam alicujus morbi graviſſimi præbent, & corpori mirabiles contrarietates. Nam tunc fit conjunctio curſuum in ſuis proprietatibus, ut nondum inter ſe diviſerint hæreditatem, quæ data fuit illis à natura; tanquam ab unico patre. Non eſt itaque de certo determinatoque tempore loquendum apoſtematum; neque per naturam à Medicis, nec ab Aſtronomis cognoſcendum. Cum talia ſuis in curſibus occulta nimium exiſtant, ut apud nos philoſophia nulla valeat perſcrutari. Quapropter comparanda non ſunt aliquibus morbis, qui juxta naturam certo ſuum curſum habent. Poteſt nihilominus aliqua ex parte medicus inveſtigare juxta conditionem & conſuetudinem regionis prout ventus aliquis eo loco magis, quàm alio flare conſuetus, non eſt tamen hujuſmodi cognitio tam certa, ut per juramentum affirmari debeat.

Materialis cauſa vero provenit ex tempore, quum realgaricus ille curſus oritur ex arbore de radice morborum proveniente, quo tempore pariter morbi ſimiles oriuntur, ut artifex ille præparavit. Non

Non ſecus ac faber, qui modo hoc, illud cras opus facit, juxta ſuos curſus & negotia ſibi convenientia, & occurrentia, & ille realgar fabricat, ad negotium, quod illum concernit eo tempore.

Ad hæc ſcito, medicum ſimili curſui fabroque, non minori periculo, nec alia opponi, quam tormento bellico thorax chalybeus. Et, ut in certa natura contra ſuum artificem, æque medicus contra morbos exiſtit. Verum uti prudentia quid in internis in bonum poteſt, ſic & ea nonnunquam in illis reſiſtere, juxta morbum uniuſcujuſque, ut etiam in ſuis conditionibus occurrit.

Ad hujuſmodi cauſas de mineralibus non immerito ſcripſi, quod etiam ipſa Philoſophia requirit. Quandoquidem ille medicus qui naturam elementorum extrinſecus non cognovit, multo minus ad intrinſecus fuerit aptus. Origines & cauſas utique de mineralibus accipere debet, quæ ſi non docuerint eum in cognitionibus & curis morborum, accidit illi prout iis qui ſuas ad patibulum aures reliquerant: ut eorum omnium communis uſus eſt.

Cap. 2. *De Proceſſibus & Signis cujuſque particulariter morbi.*

Ejus proceſſus ac ordo primum eſt, ut quum in ſuum tranſire morbum cupit, illud quod meſpila tempus ac kakimiam, ſimili modo realgar matureſcere facit: & uti fuerint eo tempore fructus varii, tot etiam apoſtematum varietates oriuntur.

Quare quodvis apoſtema per ſe cognoſci peculiariter debet, ex quo realgare proveniat, & quod ſit hujus initium. Ejus proceſſus & ſigna, quodlibet præ alio cognoſcendi ſequuntur. Nec eſt, quod nomina ſive Græca ſive Latina, Hebraica ſint vel Arabica, vos moveant: ſigna ſiquidem atque proceſſus morborum proprietates & conditiones exhibent. Quapropter anthracem & carbunculum non ex nominibus, at à ſuis conditionibus cognoſci debent, ac inde poſt ex conditionibus nomina ſumi, prout ſequitur.

Cap. 3. *De Anthrace.*

Anthrax eſt apoſtema, quod ex Realgare Mercurii generatur, & in radice venarum earundem oritur. poſtea ſibi facit exitum, ſuo centro nihilominus in radice manente. Inde ſequitur unamquamque venam hujuſmodi minerale realgar continere. Quare quot venæ, tot Anthraces, ut Anthrax ſalvatellæ, Anthrax medianæ, cephalicæ, &c. Ubi primum in apoſtema tranſire cupit, cum calore frigoreque ſumit exordium. Nam quivis morbus venarum ex iſto fluxu, corpus concutit ſemel tantum, poſtea ſe recipit in emunctorium: rubeam ponit vomicam quandoque nigram albedine permixtam, quæ mirum in modum dolet: ſomnum aufert, & ſi dormire contingat, gravia ſomnia plurimum inducit, phreneſin, &c. Quandoque nullibi dolor percipitur, quam in apoſtematis loco. Quum termino proximum fuerit, apoſtemata duo produ it: unum in radice, alterum in locuſtis, & nonnunquam externus diſparet Anthrax, indeque ſequitur mors.

De hydrophorbia.

Hydrophorbia eſt apoſtema ſeparatum à ſale trium primorum, eſtque demonſtratio quædam unius naturæ lepræ, & eſt rubeum ſal narcoticum, utcunque leproſum. Quum id à ſe natura pellit, in puſtulam tranſmutatur ad modum fellis, vel bullarum à cantharidibus excitatarum, tranſparentium inſtar aquæ, nec non, ut ſpeculum ſplendentium, &c. Alia quæ concurrunt in hydrophorbia, ſunt in hoc morbo, ſed lepram attingit, ab hac diviſa, quod Hydrophorbia producat apoſtema, Lepra vero tranſit in morbum univerſalem.

De Panaricio, ſeu Verme.

Origo Panaricii, aut vermis, eſt in carnis locuſtis, ut digitis manuum, pedumve, materiæ quidem illius, ex qua naſcuntur ungues. Tranſmutatur in duos exitus, ut in vermem, ratione putrefactionis & in apoſtema radicale, cauſa loci. Ab exordio ſui centrum inviſibile ponit, & poſtea tumorem ardentem concipit, cum puncturis maximis: locuſtarum enim dolores. Terminatur eo nempe, quod unguem atque digitum exedit, conſumptaque locuſta ceſſat.

De Ranula.

Ranula eſt apoſtema quoddam ex omnibus venis, quæ ſub lingua ſunt accumulatum, ex radice linguæ ſumens originem: quare tam late, ac lingua fuerit, extenditur: eſtque ſal reſolutum ejuſdem ſanguinis ex debilibus venis tantum. Quandoquidem in ætate provecta hujuſmodi reſolutio minime fieri poteſt. Signum ejus eſt, ſub lingua tumor glaucus, quanto junioribus, tanto major exſurgens, aſper, & quandoque niger. Terminatur aliquando cum oris putrefactione, vel in ſaniem erumpit, quandoque per naturam abſumitur, & eſt ea materia, de qua balbuties oritur.

De nacta.

Nacta eſt apoſtema, quod mulieribus ad ubera contingit: oritur quum fluxus menſtrualis immature lacti commiſcetur, & illud in ſuo vaſe, quo continetur, ſeparat: hæc ſeparatio generat acedinem, quæ poſtmodum intumeſcit in carne, corrodit, & edit foramina. Lac omne, quod ſeparatur in uberibus, aſperum fit ſerum lactis, quod corroſivam recipit in ſe conditionem, ex fluxu de matre proveniente. Quare ſimilia foraminibus, quod ad curam, annumerantur uberum apoſtemata.

De Undimia.

Undimia quidem oritur ex conditione carnis, & eſt ſal reſolutum, à ſano ſeparatum hoc loco, in quo centrum ſuum ponit. Et quia ſal eſt dulce, producit apoſtema, quod non aperitur. Sed cum premitur, humectatur, prout aliquis tumor, qui foveas à compreſſione relinquit. Quare ſignum ejus eſt, dum intumeſcit apoſtema, quod nullum dolorem infert, ac in Chronicum tempus tranſiret: item compreſſione foveas relinqueret, Undimiam fore dicito. Poſtremo terminatur eo, quod foramen ponat, ex quo fit cavernoſum ulcus.

De Sephiro.

Sephirus eſt apoſtema quodvis, quod cum duritie terminatur, & eſt fluxus ex ſicco ſale productus, in maturationem tranſire minime poteſt, at in ſua duritie ſemper manet atque tumore: coloribus omnibus tingitur, curam & ſanationem à reſolutione recipit.

De Squinantia.

Squinantia eſt apoſtema, quod ex omnibus venis, quæ ab inferioribus partibus ſurſum, aut à ſuperioribus deorſum ad collum in centrum concurrunt: & eſt apoſtemati carbunculo ſimile. Terminatur in cura ſolum, in eo quod concernit locus ipſe requirit. Ab eo loco producitur, in quo naſcitur, & centrum eſt ibidem, ubi apoſtema. Protenditur in circumferentiam, quantum regiones ambæ continent, colli ſcilicet, capitiſque. In circulo nuchæ collum intumeſcit, ac folium etiam, una rubefit, caput admodū calet. Poſtea matureſcit, ut apoſtema: deinceps foramen poſt uvam incidit: inglutionem & electionem aufert. Cave tum à purgationibus, à phlebotomiis, & ventoſarum applicationibus.

De Carbunculo.

Carbunculus eſt apoſtema, quod peculiarē locum non habet: nam ubicunque ſe Realgar ponit, ibidem fit etiam demonſtratio. Eſt illud realgar hujus morbi tam ſubtile, ut latius & magis aliis inficiat, eoque differt etiam, quod hoc loco magis in aliis rubefiat. Eſtque morbus, qui cum febrili paroxyſmo ſumit initium, eaque ſigna continet. Ubi foramen concipit, ſperandum eſt de vita, alias non: in Carbunculo & Squinantia maxima cura eſt animadverſio, ne quid reprimatur: ſolum exſtinguatur, & refrigeretur mundificationibus, tum demum per ſe ipſa matureſcunt.

Varia ſunt adhuc apoſtematum in corpore genera: unum hac via, ſic aliud oritur, prout ex eorum conditionibus & natura: tū inter ſe differunt ea ratione, qua fructus, in quibus alia forma piſorum, alia quidem hordei, fabarum item alia: &c. Sic etiam alia forma eſt in Anthrace, in Carbunculo ſimiliter alia: ſic de reliquis aliis apoſtematibus. Hac de cauſa quodque peculiariter ob formam & qualitatem deſcribere minime neceſſum eſt, ut Hippocraticorum eſt conſuetudo medicorum. Solum animadvertendum, quinam in ſuis ſignis dolores & paroxyſmi differant, ex iſtis tandem conditionibus fiunt recepta.

Item colores in apoſtematibus occurrentes ex realgaris conditione proveniunt. Nam carbunculus rubedinem ſuam accipit ex realgare rubeo, non ex ſanguine, venis, aut carne: ſaphyrus etiam ex ſuo realgare: chiadus etiam, cum in eo nigredo contineatur, albedo, cœruleitas, & poſtmodum flavedo cum viriditate. Quapropter medicus minime curare debet eos, qui ſanguinem ponunt colorum cauſam, ac dicunt, rubedinem ex ſanguinis conditione procedere, nigredinem ex aduſta cholera, vel melancholia. Similes conditiones, proprietates, & eſſentiæ ſunt omnes ex realgaris natura, hoc eſt, mineræ ſunt, & nullæ complexiones. Quæque namque minera, quod ad complexiones attinet, ab aliis ſeparatur: etiam quæque ſpecies ab alia. Sequitur inde poſtmodum cura contra realgar, per quam apoſtemata curantur.

De curis.

In apoſtematum curis tria potiſſimum conſideranda veniunt. Primum, ut ſpiritus vitæ fortificetur, ne ab apoſtematibus ſuperetur: at non alias, quam in venenato corpore medicamentis hujuſmodi veneno præveniatur. Secundum, ut venenum hoc morbos aut apoſtemata producens diaphoreticis expurgetur, & hoc per ſpecifica, quę non ſolum clarificant, ſed etiam mitigant. Tertium, ut locus, in quo venenum receptum eſt, ſuperetur, & ſi caro, vel pars illa extra ſuam naturam, conditionem & eſſentiam devenerit, omne quod invalidum eſt atque deſtructum, auferatur. Nam per infectionem ejuſmodi bonę carni damnum infertur, non alias ac ſi lignum ab una parte comburatur, & non alia.

Quanquam apoſtemata ſub una ſimul omnia communi cura minime debent apprehendi, vel unico medicamento, quod ad vitam omnia fortificationibus non indigeant, ut illa communiora demonſtrant: ſimilibus *oppodeltoch* de Mumia ſuperponito, hoc ipſum curat, & avertit omnia damna. Sunt & alia pariter, quę, ut illa minime tendunt ad mortem (niſi depravata ſint incuria perdita prorſus) illa ſola mundificatione ſanguinis, carnis, aut venatum indigent.

Quod ad peculiares curas attinet, primo notandum, ut in Anthrace, quivis caveat à corrodentibus: ſive realgare fiat: aut alia quacunque via: vel alias pro majori parte mors iſtis introducitur. Ab initio hujuſmodi radici venarum diaphoretica virtus eſt applicanda, poſtmodum Saphiricis circumcirca fuit utendum, & poſtremo tandem ad conſolidationem accelerandum.

Diaphoreticum medicamentum.

℞. *Vini correcti* ℥x. *Theriacæ* ℥.ß. *Myrrhæ, Croci ana* ʒj. *Liquoris Zingiberis, Piperis, ana* ℥ß. Miſce ſimul, & hujus ℥ß. cum optimo vino bibatur.

De cura Hydrophorbiæ.

Hydrophorbia medicum exigit, à quo perquam optime cognoſcatur, & ab uſu medicamentorum caveat eo non pertinentium, ut unguenta puſtularum ſunt, & morbillorum. Ejus cura duplex eſt, una per liquorem orizontis, quo natura fortificanda venit. Poſtmodum applicanda eſt hæc aqua extrinſecus.

℞. *Aquæ regis* ℥j. *Olei de realgare* ℥ß. *Olei Euphorbii, quantum ſufficit pro incorporatione.*

De cura Panaricii ſeu Vermis.

Panaricii cura tripertita eſt, ut per characteres, qui fiunt in Carinthia, per ſuperſtitionem, & per medicamenta naturalia. Cura naturalis fit per unguentum narcoticū ex ranarum ſperniolo. Sumatur optime pręparatū corium, ex quo theca digito fiat apta, prius hoc ſperniolo ter aut quater madefacta, poſtmodum induatur ita madida.

De cura Ranulæ.

Ad Ranulam aperi venulas, è quibus fluere ſanguinem facito: poſtmodum illinantur aut laventur potius aqua *Braſſatellæ, Achimillæ, Diapenſiæ, Agrimoniæ, vel oleo Hypericonis, aut oleo de floribus Centaureæ.* Si poſt curā hanc Ranula rediret, iterum fiat eadem cura: ſed ſi Ranula magna minime foret, utere ſuperius dicta aqua.

De cura Nactæ.

Nacta curari debet per Oppodeltoch ex aromatibus, ad hunc modum:

℞. *Oppopanaci, Bdellii ana* ℥j. *Serapini* ʒij, aceto cōtempera, liquide ſatis, & cola per pannum: colatum hoc in ſpiſſitudinem excoque mellis: huic adde *Mumiæ* ʒj. *ariſtolochiæ rotundæ* ʒ iij. *Liquoris de Kakimia pondere tantundem,* ut reliquorum: fiat emplaſtrum.

De cura Undimiæ.

Undimia provenit ex ſale reſoluto, ſive ſanguinis aut carnis; ita curabitur.

℞. *Realgaris* ʒj. *Calcis* ʒiij. *Viſci quercini,* quantum ſatis fore videris ad incorporationē: inde fiat ēplaſtrū. Quum apertum apoſtema fuerit, appone de noſtro *Oppodeltoch.* Mundificativū ejus. Accipe *colophoniæ* ℥j. *Ceræ* ℥ iiij. *Reſinæ de Botin,* quantum ad incorporādum ſatis erit

erit in ungentum. Poſt hujuſmodi mundificationem, Accipe *Conſolidæ majoris*, *Ariſtolochiæ rotundæ ana* ℥j. *Vitellorum ovorum*, *Terebinthinæ*, *amborum æqualiter*, & fiat emplaſtrum.

De cura Sephiri.

Sephirus eſt nomen omnibus duris apoſtematibus commune, priuſquam fiant matura & mollia, cui prçſtantiſſimum eſt remedium Viſcus de *Botin*, & Viſcus *juniperorum*, in quibus mitigandi mollefaciendiq; magna virtus ineſt. Cura fit ad hunc modum:

℞. *Viſci Juniperi lib.* ß. *Fœnugræci* ℥iiij. *Aquarum iringii*, *Lappacii acuti ana* ℥ij. *Succi Althea*, ſatis ad incorporandum.

Aliud.

℞. *Olei Lithargyrii*, *Colophoniæ*, *Mumiæ ana* ℥j. *Olei vitellorum ovorum ſatis ad faciendum unguentum.* Hoc Sephirum mollificat, & in maturationem adducit. Oleũ ex lithargyrio fit ad hunc modum.

℞. *Alumen*, *Atetum*, & *Lithargyrum*, & coque, donec albeſcat, poſtmodum coque rurſum eodem proceſſu. Quum excoctum fuerit, erit oleitas: cujus Archelaus etiam fecit mentionem.

De cura Squinantiæ.

Squinantia, tum omnes in gutture morbi, curari ſuo loco debent, & non in confinibus. Quum balſamus naturæ deficit in gutture, fit in eo putrefactio ſurſum tẽdens, quæ uvulam & folium inficit. Ejus cura fieri debet per gargariſmum incarnativum ad hunc modum:

℞. *Mellis roſacei* ℥iiij. *Ariſtolochiæ rotundæ*, *Pirolæ ana* ℥ß. *Aquarum de prunis*, *de Prunella ana* ℥*ſeptem.* Fiat inde gargariſmus, quo patiens gargarizet ſępius, quũ apoſtema fuerit apertũ. Si tumor adeſſet, extrinſecus applicari debet optimum defenſivum ad mitigandos dolores, & ſedandum ipſum tumorem. Defenſivum hoc eſto: ℞. *mucilaginis de fœnugræco* ℥x. *Ceruſſæ* ℥ij. *Camphoræ vitæ* ℥ß. Miſce, fiat inde Cataplaſma, quod apponatur. Bene poteris capiti mitigationes prçſtare, pannis in aqua roſarum rubearum burſæ paſtoris ſolatri, barbę Jovis madefactis, & capiti ſuperpoſitis atque ligatis.

Sequitur jam Aureoli Theophraſti de Apoſtematibus, Vlceribus, Sironibus, & Nodis, in Lxii. Capitula diviſum opuſculum.

Cap. I. *De Communibus Apoſtematibus ex ſanguine provenientibus.*

Dico quidem ego Theophraſtus Paracelſus, apoſtemata communia, cum ex ſale ſanguinis, tum ex utriuſque humorum abundantia ſuam originem ducere, tanquam ex boni ſuperfluo, propter exceſſum in apoſtema tranſlato, poſt hujuſmodi ſuperabundantis ſeparationem à natura factam: quod cum collectum eſt, in corruptionem tranſire cogitur, per locum, in quo ſitum habet, quia repletus eſt ultra ſuum diametrum.

Nota.

Ubi jam in ſanguine ſuperfluitas orta eſt, ex qua generantur apoſtemata communia, ſi cutis eo loci naturale cẽtri foret ejus emunctoriũ, tranſit in apoſtema, quod alias per naſum diſtillaſſet. Abſceſſus hujuſmodi maximos dolores & putrefactiones præter infectionem excitat, eo quod exceſſus in ſua puritate minime permanere poſſit: cum ſuperfluum quodvis putrefactionis ſit exordium.

Signa.

Si tumor ſine calore frigoreque, ſed cum intenſione & rubedine ſurgeret, ac abſque febrium aliqua demonſtratione, judicabis illud apoſtema fore commune, tam in junioribus, quam in ſenioribus.

Terminus ejus.

Si per ſeipſum terminari permittatur, matureſcet, erumpetque: verum ſi forte natura balſami parum eo loco habeat, orietur inde, vel apoſtemoſum ulcus, aut fiſtula cum dolore maximo. Si tamen balſami ſatis habuerit, per ſe, vel parvo ſaltem auxilio curabitur, & naturaliter.

Cautela.

Eſt medice, quod hic abſtineas à magno magiſterio, vel artis chirurgicæ nimia ſubtilitate, quæ potius, quam curabunt, inficient.

Cura.

Animadvertendum eſt in omnium ulcerum cura, naturam ſui ipſius eſſe medicum atque medelam, innato proprioque ſuo balſamo. Sed ſi forte balſamum hoc illi deficeret, vel aliqua parte minutum foret, balſamum erit introducendum per emplaſtrum oppodeltoch: quod quidem apoſtemata recentia maturando & mundificando curat vigeſima quaque hora renovando, ligandoque.

℞. *Lithargirii cocti in cerotum* ℥iij. *de incarnativis quatuor* ℥ß. *de gummi liquefactis* ℥ij. & fiat emplaſtrum ſecundum artẽ. In principio tutũ erit prçvenire phlebotomiis venarũ, à quibus apoſtema generatur, & ſitum habet: his enim aufertur illa rubedo membrorum per ſanguinis diminutionem, & una cum ea tollitur ſuperfluitas ſanguinis abundantis, nedum in his tantum, verum etiã in omnibus aliis apoſtematibus.

Inter curandum admonitio.

Tria potiſſimum in apoſtematum curis obſervanda ſunt. Primum, ut ſpiritus vitę fortificetur, ne præ dolore debilis fiat: ſicuti ſolet in his, qui venenum hauſerunt, præſervantibus medicamentis noxæ præveniri. Secundum, ut infectio, quam introduxit morbus, diaphoreticis mundificetur, & ſpecificis, quæ non ſolum clarificant, ſed etiam dolores mitigant. Tertium, ut locus occupatus à toxico præmuniatur. Si carnis aliqua pars à ſua natura ſit alienata, quod putrefactum eſt ejus, auferatur: nam ex erodendo, maxillas & labia conſumit, ſpargitur tenuiter cum fœtore.

Terminus.

Niſi præveniatur, naſum, aures & faciei formam à radice tollit ac delet, ad collum & fauces anterius deſcẽdit. Si latius quam ſint confinia martialia progrediatur, ad mortem id judicandum eſt fieri.

Cura.

Initio ſi ferrugo non admodum late roſerit, curetur emplaſtro de reſinis. ℞. *Reſinæ abietis lib. j. Farinæ hordei* ℥*vj. Reſinæ pini* ℥*v iij.* reduc ad formã ceroti. At latius progreſſa medium aut finem ſi propemodum attigerit, mortificatio præcedat, ut ærugini diminutum ſit in origine, quod per anladar fit aqua roſarum ſuperpoſita, & ſupe

Nota.

Ejus invectio privativa conſurgit ex Mercurii mineralibus, & eſt mineralis cuilibet innatus venæ flos. Inde ſequitur, tot anthraces, quot venæ fuerint, exiſtere, ut anthracem ſalvatellę, medianæ anthracem, & cephaliæ, &c. quę cauſantur ex venarum hujuſmodi corruptis cavitatibus.

Signa.

Si calor aut frigus invaſerit cum alicujus venę livida nigredine, circumſepta rubore albicanteque centro, cum uredine, ſomni privatione, gravibus ſomniis, & irrequieto motu, anthracem fore dicas alius membri, & pro aſperitate critica lenitateque ſuis ad mortem eſt judicanda.

Terminus.

Meatum ſuum accendit, ac retrocedens apoſtemata bina producit: unum in radice, alterum in locuſta: mox inde ſequuntur inflammationes, laterum compunctiones, ſitis abſque multa bibendi poteſtate, labrorumque fiſſura, quę mortem indubiam indicant.

Cautela.

Realgaris, aliaque fuge cauteria.

Cura.

Primum eſt virtutis diaphoreticæ medicamentum adhibitum illius venę radici. Poſtmodum uſtio ſaphirica circumcirca facta. Deinceps in eſchpharam ducta conſolidativis curetur.

Virtus diaphoretica eſt deſcriptio lithontripon, ſi fuerit ſeparata à ſua ſubſtantia: quia tum accedit radices venarum, humectat ſanguinem excitatum, & tum venit ſudor, & eſt ſignum optimum. Species, quæ ingrediuntur lithontripon, debent à ſua ſubſtantia ſeparari per ſpiritum vini.

Diaphoretica medicina talis eſt.

♃. *Vini correcti* ℥ x. *Theriacæ* ℥ß. *Myrrhæ rubeæ, Croci ſingulorum* ℥j. *Liquoris Zingiberis*, *ana* ʒ. ß. Miſce, de quo bibatur, uncia ſemis in optimo vino.

Cap. 3. De *Cancro.*

Cancer eſt apoſtema, quod ex hęmorrhagialibus effluxionibus provenit, in viris atque mulieribus, ex menſtrualium corroſivo ſale meatuum, in locuſtis manifeſtato: cujus ſalis duplex eſt, plumoſi videlicet, ac arſenicalis differentia.

Nota.

Cancrorum non eſt alia, quam duorum, quæ dicta ſunt, fluxuum origo. Quapropter in corpore nullis aliis locis imprimuntur, quam virorum inter humores, & mulierum ad ubera. Pars eorum maxima rodendo fodit intrinſecus, externeque minime cognoſcitur, donec ſedem ſuam fixerit.

Signa.

Quum humeros, aut in uberibus rubeus tumor exſurgit cum propria maturatione, poſtmodum in ulcerationem tranſit, rubicundis late radiis expanſis, & fœtorem cum intercurrentibus uredine, frigore, calore, doloreque diutius perſiſtenti concipit.

Terminus.

Succeſſu temporis corrodit, foditque rectà cor verſus, mortemque repentinam in ſua molitur periodo.

Cura.

Hæmorrhagiales menſtrualeſque fluxiones amovendæ ſunt per phyſicum: demum per chirurgum anodyno mortificandum erit ter, vel quater, ut in Noli me tangere dicitur: poſtremo deſcriptione conſolidativa eodem loco poſita curandum.

Alia informatio.

Gluten aquaticum in aquam, ubi reduxeris, accipe ſemper ad unam libram colchotaris ejus ℥j. ß. *florum æris* proportionem hanc à quantitate colchotaris obſervando, mixta ſimul, ulcerique vel cancro ſuperpoſita maneant, donec putreſcant: quod plerumque fieri ſolet in quatuor diebus. Deinceps amovendo ſuperpone mundificatum, quod in Noli me tangere deſcribitur, & quum pudridam extraxerit materiam, ſuperpone pulverem hunc.

♃. *Pulverem ex ſucco chelidoniæ, parthenionis, centaureæ ana* ℥ß. *mumiæ* ℥j. mane veſperique ligabis.

Anodyni deſcriptio.

♃. *Sperniolí, ſucci ſolatri ana* ℥j. *liquoris de firnis* (vernicis puto legendum) ℥ß. & reducatur in formam unguenti.

Cap. 4. *De Noli me Tangere, prava lentigine, vel ferrugine.*

Noli me tangere, quod & *Lentigo prava* dicitur aliàs, aut *Ferrugo*, calepini ſalis eſt ærugo: quæ ſe primum ad ſuperficiem recipit: demum intrinſecus rodit, conſumitque Martialis naturę viribus, carnem quoque ferream unam è ſeptem corrodit.

Nota.

Genera carnium ſecundum metalla, cachymica, marchaſitæ, vitriolataque notando veniunt, ut cognoſcatur unumquodque proprium locum inficere.

Signa.

In facie ſumit exordium cum aquoſa quadam ſcabie, bulliſque minimis cum periodo, poſtea tranſit in corroſivam, naſi cartilagines rodendo, maxillas & labia conſumit, ſpargitur tenuiter cum fœtore.

Terminus.

Niſi præveniatur, naſum, aures & faciei formam à radice tollit ac delet, ad collum & fauces anterius deſcendit. Si latius quam ſint confinia martialia progrediatur, ad mortem id judicandum eſt fieri.

Cura.

Initio ſi ferrugo non admodum late roſerit, curetur emplaſtro de reſinis. ♃. *Reſinæ abietis lib. j. Farinæ hordei* ℥ vj. *Reſinæ pini* ℥viij. reduc ad formam ceroti. At latius progreſſa medium aut finem ſi propemodum attigerit, mortificatio pręcedat, ut ęrugini diminutum ſit in origine, quod per anladar fit aqua roſarum ſuperpoſita, & ſu-

& ſuper hanc emplaſtro de reſinis appoſito. Notandum erit in hac cura, ſi ferrugo firmam radicem fixerit, ut jam ſecundo vel tertio cedere noller, imo reſiſtere videretur potius, non eſt ab anladar abſtinendum, nec ab una ad aliam curam tranſcurrendum.

Reſina abietis fit ex ejus fructu viridi in aquam poſito, quoad ſpiſſitudo malignoſa conſpiciatur: deinde recentem aquam affundes, & aqua decoctione ferme conſumpta, materiam ſpiſſam, ut reſinam habebis.

Excellentiſſima cura eſt, cum ſimilibus & pernicioſis morbis materialibus; medicus ab initio realgari dulcificato vitam adimere nititur (non corroſivo quidẽ: hoc minime tutum, eo quod patienti foret impoſſibile tolerare tantam iſtius actionem, quanta ad curam hanc bene foret neceſſaria) poſtmodum emplaſtro mundificare: poſtremo curam eo dirigere maturationibus, ut materia putredinis ablata, naturale balſamumve ipſius naturæ curare valeat, alias fruſtraneè curabit medicus.

Mortificatio.

♃. *Realgaris cryſtallini* ℥j. *coquatur in aceto per duas horas, & uſque ad exſiccationem, huic olei majoranæ* ℥ iij. *affundes, miſce ſimul*: hoc unguento ſuper pañũ pro loci continentia ſubtiliter extenſo ligabis & oleo ſępius madefacies forinſecus, ne ſiccetur emplaſtrum, quod duobus diebus naturalibus immotum ita maneat. Poſt quos ſanies & aqua profluet, quibus etiam perceptis, ea, quæ ſequuntur, ſuperpoſita maneant, quo uſque nullum pus aut humida putredo promanet.

Mundificatio.

♃. *Picis navalis, Viſci pini, Viſci abietis ana lib.* j. *Viſci ex locuſtis de latice* (puto larice legendum eſſe) *lib.j.* ß. *Larignæ quar.* j. Mixta liquefiant cum cerę & olei partibus æqualibus, ut ambo ſufficiant ad emplaſtri compoſitionem: quod iſto, non alio quovis extrahi poterit: eo peracto, cura mox inde ſequetur.

Conſolidatio.

♃. *Ceræ, picis communis ana lib.* ß. *Ariſtolochiæ* ℥iij *Mumiæ* ℥ij. *Antimonii* ℥iiij. Fiat emplaſtrum, quo mane veſperique ligabis, ut moris eſt.

Aliud conſolidativum.

♃. *Reſinæ abietis lib* ß. *Viſci conſolidæ quartam* j. *Succi chelidoniæ, quantum ſufficit ad formandum emplaſtrum.* Maximum in iſta cura magiſterium conſiſtit in unguento primo, & in emplaſtro ſecundo pro fluxionum extractionibus.

Cap. 5. *De Heryſipila.*

HEryſipila eſt conſumptum ſal vitriolatum; hoc primum in rubedinem, & corroſionem, poſtmodum in ulcerationem tranſit. Locus ejus eſt inter genua & calces, circumcirca crus: ibidem etiam morbus Mercurialis.

Nota.

Quamvis vitriolatum ſal morbum efficiat, eſt tamen ipſa minera Mercurialis tantum, à qua proprium receſſit balſamum, & liquor ſalis, ejuſque ſpecies pro quantitate receſſus demonſtrantur.

Signa.

Apparet primo rubedo cum dolore uredineque maximis, poſtea cum tumore, deinceps cùm foraminibus fœtidis ac corruptis, uno penes aliud, & in planum ſubtus excavatis, nonnunquam ſiccis, alias flavo claroque liquore madentibus in cancri formam, aut Noli me tangere: totum crus inter duas (ut eſt Mercurii natura) continet.

Terminus.

Sale reſoluto fluxus eo loco producitur, & ſal ibidem, ac poſtmodum reliqua totius corporis ſalia reſolvit, faciei colorem aufert, operationes impedit ventriculi. Poſtea ſal cordis, hepatis, & cerebri ſurripit, ac tandem chroniſatione facta per hujuſmodi reſolutionem ſubſequitur mors.

Cura.

Curæ principium eſt, ut ligamenta ſtringantur cum allahol, ne concurrant alia ſalia, poſtea ſperniolo mortificandum eſt, deinceps amotis doloribus per oppodeltoch conſolidandum.

Deſcriptio allahol.

♃. *Salis anathron* ℥j. *Anodi* ℥ß. *reduc ad formam cum oleo de ſpica.*

Deſcriptio Sperniolo.

♃. *Spermatis cæti, Ranarum, Cerefolii, Juniperi ana.* Fiat deſtillatio in ſole.

Alia deſcriptio.

♃. *Glutinis aquatici* ℥iij. deſtillentur in aquã cui fimus mineralium imponatur, & bulliant ſimul per horam, aut donec in formam pultium reducantur, adde *caphuræ* ℥j. fiat unguentum, quo cum ligetur crus terno quoquo die ſemel, per tres ſeptimanas continuando. Poſtea ſæpius abluendo mundetur aqua foliorum querci, vel aqua ſalſa. Curabitur optime non alias, ac ſi medicamentum ſuperpoſitũ eſſet: nam ejus eſt naturæ medicina prædicta, quod tribus hebdomadibus etiam operetur poſt ejus omiſſionem, donec omnino curaverit. Anacthron eſt genus ſalis, quod creſcit in petris, veluti muſcus lapidibus ſupernaſcens, nitri ſimilitudine: non eſt nitrum tamen, quod à vitrariis conficitur. Eſt ſicut uſnea quid, ac decoctum aqua fit, ut alumen acidum. Poſtremo vitri formam accipit, ſpumamque producit, quam antiqui falſo putarunt *anacthron.*

Cap. 6. *De Fiſtula.*

FIſtula eſt ſal ex nutrimentis illius membri tantum, in quo ſita eſt, vel eorum excrementorum, latius non extendens ſeipſum, quàm illud ſit excrementum vel nutrimentum. Ad aërem tantum, fit apertio cutis: quia ſal iſtud eſt debilius, quam ut cutem ſub qua latet fiſtula corrodere valeat.

Nota.

Ex omnibus apoſtematibus, item ex vulneribus, fodicationibus, & accidentibus, cum ſal illius loci moritur, oriri poſſunt: etiam ex morte nutritivi ſalis & excrementorum.

Signa.

Signa.

Anguſta profundaque ſunt foramina, pro majori parte in juncturis & angulis penes emunctoria, in locis depravatorum vulnerum fodicationum, aut accidentium, ſpumam & aquam emittentia, ſpatio duodecim horarum ſeſe purgant, dolorem non inferunt, quia de glacie præter acuitatem ſunt emortua.

Terminus.

Mortis non eſt effectiva, nec alicujus accidentis, ac in ſtatu ſuo chronico permanet in mortem uſque.

Cura.

Mundificativis & incarnativis præter omne corroſivum opus eſt hoc loco potionibus vulneratorum, aquis localibus, aut oppodeltoch. Non eſt, quod ventilis anguſtiam cures: nam trium horum quodlibet operatur excellentiſſime.

Potio vulneratorum.

℞. *Aquarum ciclaminis, & de foliis ſerpentinæ ana* ℥ iij. Fiat mixtura ad hauſtum. Doſis ℥ iiij. mane & ſero in finem uſque curæ.

Alia.

℞. *Aquarum de cornibus cervi lib. j. Centaureæ, Conſolidæ aureæ, Parthenionis ana quartarium j.ß.* Quibus impone *Rheubarbari, Mannæ electæ, Spermatis ceti ana* ℥j. Hujus potionis agitatæ prius, ut bene miſceatur, cochlear unum ſingulis diebus bibatur mane: poſt quod vini cochlearia tria ſumantur per os. Hoc poto fiſtula mundatur intrinſecus, & per ſe curatur abſque medicamento ſuperpoſito forinſecus. Poteris tamen hoc emplaſtro uti exterius.

℞. *De quatuor gummi* ℥. ij. *Ceræ vj.* Liquefiant ambo ſimul & adde *Viſci de botin* ℥iij. fiat emplaſtrum.

Aqua localis.

℞. *anodyni* ℥ij. *Cryſtallini præparati in lapillos* ʒj. *Aquarum plantaginis, Ciclaminis ana.* ℥x.

Cap. 7. De *Herpeta Mordace, vel Eſtiomena, vulgo Lupo.*

Lupus oritur ex ſale Mercuriali tantum in eo loco, in quo eſt, ejuſque centrum figitur ubi defectus major fuerit: & quamvis adſcribatur hepati, vel per ejus curam procedatur, morbus tamen eam per ſe recuſat.

Nota.

Eo, quod in muſculis abſconditur, in quibus periodus movetur, ab apoſtematibus eſt ſeparandus lupus.

Signa.

Fixus eſt, & in circumferentia centrum ſuum coagulat intrinſecus ad os fodiens, urit calloſoſque nodos tandem procreat, uſque ad mortem.

Terminus.

Herpetæ mordacis ætas eſt annorum triginta, vel quadraginta, membrum non conſumit, ſuo loco manet: verum ſi morbus acutus inciderit, mortalis eſt: pariter ſi carbunculus vel anthrax acceſſerit, de cura deſperandum eſt.

Cura.

Refrigerio primum opus erit, demum remediis mucilaginoſis, ad callos, nodoſque tollendos, poſtea curetur per oppodeltoch.

Mucilaginoſum remedium.

℞. *Liquoris de Mumia, de Maſtice, de Caphura, ſingulorum* ℥ß. *Mucilaginis de fœnugræco, de Pſillio, de Citoniis, ana quantum ſufficit pro incorporatione.* Uſus ejus eſt, ſicuti emplaſtri oppodeltoch. Refrigerium, vel infrigidatio fit ſperniolo anodyno, per quinque aut ſex dies, poſt quos mumiam addes.

Alia cura.

℞. *Realgaris cryſtallini* ℥j. *olei ardentis* ℥ij. *ceruſſæ* ʒij. fiat unguentum. Circumponatur lupi circumferentię tantum, ut in medio nihil ſit. Renovetur ſingulis duodenis horis ſemel, uſque ad ſextum vel octavum diem: depone poſtmodum, & permitte. Circulus ille totus aufertur per ſe, quo facto, lavetur mane veſperique hac aqua, ſuperponatur etiam infra ſcriptum emplaſtrum, ſecundum artem Chirurgicam.

Aqua, vel ejus lavamentum.

℞. *Aquæ glutinis, roſarum ana* ℥vj. *parthenionis* ℥v.

Emplaſtrum.

℞. *Olei lini lib.ß. æris viridis, Ceræ ana quartarium j.* Fiat cerotum, cui ſuperaddantur *Bdellii colati* ℥ij. Liga ſecundum artem.

Cap. 8. De *Malo Mortuo.*

Malum mortuum eſt colchotar narcoticum, non inter apoſtemata, ſed inter pruritus connumerandum potius: à centro ſurgit in ſuperficiem, loca ſola Saturni Mercuriique ſolum occupat.

Nota.

Cum ſpiritus ſomniferi ſeparantur à ſua circumferentia, membrumque ſuum arripiunt, uti quodvis narcoticum, non aliàs & colchotar iſtud expellit.

Signa.

A pedibus primum incipit, ac ſurſum aſſurgit, cutemque poſt duos aut tres annos, ut corticem inſenſitivam efficit, cum auguſto foramine.

Terminus.

In ulcerationem terminatur, ſibimet emunctorium facit, & viginti permanet annis, poſtmodum in lepram tendit.

Cura.

A cauteriis eſt incipienda cura, quibus tollitur id, quod in ſuperficie fuerat, & poſtea per oleum de piperibus ad menſes tres adminiſtratum.

Cauterium.

℞. Sulphuris liquefacti, liquoris de colophonia, olei de carabe ana ℥iiij. Thuris ℥iij. Reſinæ abietis ℥viij. Fiat mixtura ſuper ignem, calefac optime: poſtea ſuperaffunde ſingulis diebus duodecies, & pes bene perfuſus hac pinguedine, per dies tres aperitur.

Cap. 9. *De Serpigine.*

SErpigo nihil aliud eſt, quam ſal aluminatum, ab aëris elementis extra ſuum chaos expulſum ad cutem ſecundum aëreorum expulſivorum operationem.

Nota.

Cum elementatum aëris per ſuum chaos purgatur, aut ad exteriora pellitur, ſubſtantiam ſalis aluminati relinquit in ſuperficie ſui chaos, & quia ſal aluminatum eſt, minerale ſuum effectum habet in ſuperficie.

Signa.

Ubi maculæ quædam naſcuntur in cute permanentes, vel non: fixæ ſive vel non fixæ ſuo loco fuerint: rubeæ, luteæ, vel albo permixtæ colore, quamvis in parte corporis, judica ſerpiginem exiſtere.

Terminus.

Ultimo per totum corpus diſpergitur, bullas pravas producendo, poſtea cruſtas, inde fiſſuras, poſtremo tandem ulcerationes.

Cura.

Aëris purgatio præcedere debet, poſt uſus cauterii, ſicut in malo mortuo: deinceps per plantaginem curabitur.

Mundativum aëris.

Succi cichoreæ, Gamandriæ ana lib. j. Succi capillorum Veneris lib. ß. Mannæ ℥ij. Liquoris vitrioli ʒj. Fiat mixtura & deſtillatio per alembicum, uſque ad oleitatem. Doſis à ℈. uſque ad tres.

Cap. 10. *De Gutta Roſacea.*

GUtta roſacea provenit ex croco, Martis habente naturam, qui in carne ſubjecto Marti, per totam cutem circa poros expulſus eſt, & crocea tinctura, Martialiſque ſine tinctura ſanguinis, aut carnis eſt.

Nota.

Caro quævis in ſuæ mineræ naturam tranſit, pro augmento mineralium eo loco ſanguiniſque metallici.

Signa.

Faciei color primo flavus, deinde rubicundus, indies magis abſque bullis, vel pruritu, donec coccineum colorem cutis & caro ſimul acquiſierint.

Terminus.

Ultimo tranſit in putrefactionem, quæ ſal in ſe generat, cum pauca mordacitate.

Cura.

Ejus cura ſita eſt ſolum in citrinula, & fabiola, nec non in re bona deſtillatis, aquam in & iſta cura dicitur ex tincturis.

Alia cura.

℞. Albuminis ovorum coctorum numero x. calcis ovorum ℥vj. Deſtilla in aquam, & adde, Foliorum argenti, Stanni, Plumbi, Veneris ana ʒj. Foliorum auri, Marchaſitæ argenteæ, Aureæ Chimoleæ ana ʒij. Fiat digeſtio ad menſem, & deſtillatio.

Cap. 11. *De Morphea.*

EStmorphea trium horum, ſcilicet ſanguinis, carnis, & cutis, per mineralia ſalia cauſata corruptio, tranſiens in corroſivam putrefactionem, internam & externã.

Nota.

Cum ſubſtantia naturæ per ſal mineræ corrumpitur, & figitur per ſe, tunc illa tinctura ſecundæ generationis eſt initium morpheæ.

Signa.

Quando pars Martis in rubedinem tingitur, & ex gutta roſacea tranſmutatur in alium colorem cœruleum, aut nigrum, cum bullis, nodis, aqueiſque veſiculis, atque tumet, morpheam eſſe dixeris.

Terminus.

Incipit in fine ſui putreſcere nigramque ponere aſchpharam in carnis medio, quo cum pervenerit morphea, eſt incurabilis, & in mortem uſque permanens.

Cura.

Ejus cura duplex eſt, prior ex tincturis, poſterior ex mundificativis. Prior iterum fit in modum curæ guttæ roſaceæ, poſterior, ut in malo mortuo.

Cap. 12. *De Glandulis & Napta.*

NApta quidem ex nutrimentorum proprii membri liquoribus originem ducit, eorumque liquorum, à quibus provenit, ſimilitudinem recipit. Inde ſequitur aliquas naptas cartilaginoſas, aliquas carnoſas, & ligamentoſas eſſe nonnullas, aut aliis membris ſimiles, ut oſſibus & articulis.

Nota.

Quodvis nutrimentum eſt triplex: at ſi digeſtionem ejus ſeparatio præceſſerit, in ſuæ formæ ſubſtantiæque ſeparationem etiam tranſit, & inde naptæ proprius locus oritur & generatio.

Signa.

Si globuli glandulæ, vel ſuperfluum os proter inæqualitatem ipſius membri naſcantur ſub cute recondita: mobilia vel fixa: ſive doleant, vel non, dura vel mollia fuerint, naptam eſſe judices. *Termi-*

Terminus.

Succeſſu temporis putrefit, augmentoque ſuas mẽbro vires deprædatur.

Cura.

Aluminis plumoſi filo tollenda eſt, in oleo de gilla prius madefacto, poſtmodum ungendo & excoriticando venulæ per gillam conſolidentur.

Cap. 13. *De Hydrophorbia, vel lepra expulſa.*

EX trium primarum ſubſtantiarum centro, quæ ſeparantur in lepræ generationem, per virtutem expulſivam balſami liquorem expellentem, oritur hydrophorbia, rotundam in formam inſtar gallæ, & eſt de ſale non acuto, ſed leproſo.

Nota.

Quodvis reſolutum narcoticum ſine ulceratione manet, eſtque de natura urticæ, ſaliſque vitriolati.

Signa.

Cum bulla naſcitur ſimilis ei, quæ fit à cantharidibus, aut flammulis, vel in gallæ tumorem turgens, & circumquaque cœruleo colore perfuſa, tanquam erumpere vellet, dura tactu ſicut eſt aquoſa veſica, hydrophorbiam eſſe dixeris.

Terminus.

Si penes oculos ſita ſit, fiſtulam ex ſe generat abſque detrimento, putreſcit introrſum verſus ex originis abundantia ſuæ, calore augetur indies, ac numero, vocem adimit, ac naturalem colorem corporis, inde lepra ſubſequitur.

Cura.

Duplex eſt hydrophorbię cura: prior, ut per liquorem orizontis natura corroboretur; altera quidem, ut bullarum liquor exſiccetur forinſecus.

℞. *Aquæ regis* ℥j. *Olei de realgare* ℥ß. *Olei de euphorbii,* quantum ſatis fuerit ad incerandum.

Cap. 14. *De Alopecia.*

ALopecia ſcabies eſt in partibus Jovis naſcens, & ex ſpiritibus iſtius originem & materiam peccantem, dolorem, & locum ſimul unico contextu ponit.

Nota.

Cum ſpiritus Jovis à naturalibus ſeparatur humoribus, & in mineram propriam tranſit: ſi in metallis operabitur, in cachinam: ſi in arboribus, in ſpongiam, & in humano corpore tranſmutatur in alopeciam.

Signa.

Si cutis in capite poſt fricationes emittat ſanguinem, poſtmodum cruſtas, deinceps flavam aquam, & extenditur pro crinium terminis in cervicem uſque, mox ad hanc ubi pervenerit, alopeciam eſſe dicas.

Terminus.

Niſi præventum ſit, acquirit radices, poſt quas fluxio ſanguinis indies ſubſequitur, & extremus dolor mordaxque: nulla foramina profert, ſed in mortem uſque perſeverat.

Cura.

Ejus cura triplex eſt, una per picem, alia per corroſivas aquas, & tertia per gillam. Quidam tonſores auferunt pilos & cutem, primamque Jovis partem ad nucham uſque.

℞. *Picis calcificum lib. j. Colophoniæ lib.* ß. *Bituminis de cornibus* ℥j. *Caſei præparati lib.* ß. & commiſceatur. Primo pici colophoniæ liquefactis, alia paulatim addenda ſunt, & erit factum emplaſtrum viſcoſum in fundo. Caſeus, qui præparatus eſt, exſiccetur, & poſtea teratur. Hoc eſt eorum commune receptum.

Poteris tamen bitumen & caſeum coagulari permittere ſine detrimento. Quidam putantes id melius reddere poſſe, tantum apponunt ceræ, quantum eorum eſt medietas. Poſtquam cutis una cum ipſo morbo fuerit adempta, mox unguento de ceruſſa, quod pulcram cutem generat, utere. Nonnulli caſeum admodum nigrum accipiunt quem optime lavant, ac eo, quod in fundo reſidet, caput inungunt. Et quamvis hoc remedio repellatur alopecia, nihilominus perfecta cura non eſt: nam hac ratione pulſam inde poſt annos duos rediiſſe vidi.

Alii quidem corroſivis & calcinato ſolent uti tartaro, quod etiam laudare minime poſſum, eo, quod ad nucham uſque rodant, unde mania ſubſequitur, & quandoque mors. Cura per gillam fit, ut per novem dies continuatos caput inungatur ea, ſed quia plurimum urit olivarum oleo deſuper illito, abſque intermiſſione dolores iſti mitigandi ſunt: eo temporis ſpatio plurimum humiditatis attrahitur in ſpiſſam cruſtam concretæ, quæ poſt eos dies novem decidit, cutiſque ſubtus nudatur pulcherrima.

Cap. 15. *De Alcola.*

ALcola carnis eſt quædam ſuperfluitas, in ſurgens ex venis Jovialibus per Martis regiones tranſeuntibus, & naſcitur ſolum in emunctorio Martis, hoc eſt, in oris labiis.

Nota.

Cum ſpiritus Jovis, qui duntaxat in alopeciam trãſire deberet, alio ſe recipit, ad Martis regiones videlicet, in generationem excreſcentium tranſmutatur, & pro natura Jovis, fit alcola.

Signa.

Primo naſcuntur in labiis porri: poſtea cum emittunt ſanguinem per ſe, vel per inciſionem, enaſcitur caro quædam: quæ ſi ſpongioſa fuerit, ac foraminibus undique repleta, judicabis alcolam fore, non ſpongiam.

Terminus.

Finis ejus eſt indies magis creſcere, donec locum ſuum penitus occupans, os obſtruat, ut comedi nequeat: in poſterum phreneſin, atque maniam excitet.

Cura.

Venarum ductus atque meatus deflectendi per tranſverſum ſecundum regionem: & poſtmodum hoc unguento fuerit inungendum, alias fruſtraneè curabitur. Recipe realgaris præparati, ſucci chelidoniæ quantum ſufficit, & formetur unguentum.

Cap. 16. *De Cancrena.*

CAncrenæ locus eſt in cruribus, inferius ad calces originem ducit ex ſalibus dulcibus, & operatur contra humorem naturalem ab utraque parte præter omnem acuitatem.

Nota.

Quodvis ſal duce balſami liquoribus admixtum, morbum fixum producit: nam in eo non eſt acuitas: in Mercurii ſuperficie tantum etiam emergit, eſtque ſal à ſale ſeparatum armoniaco.

Signa.

Dies noctéſque dolor non remittitur in eo loco, in quo cancrena fuerit, ſplendentique rubore crus totum depingitur: annos triginta perſeverat præter exulcerationem.

Terminus.

Cum poſt multos annos ad extremum pervenerit, natura præ ſenio deficiente, ad mortem aperitur.

Cura.

℞. *Succorum nenupharis, Solatri, Papaveris, Lolii, ſingulorum ℥ij. Papaveris tritici ℥iij. Opii ℥xv. Mandragoræ ʒiij. Succi ex radicibus hyoſchiami exterioribus ℥v.* Reduc in unguentum cum oleo de lithargyrio. Dolor eſt mitigandus per anodyna. In hoc morbo nulla digeſtio nec purgatio, vel phyſica, chirurgicaque minus, alicujus momenti ſunt. Poteris etiam ad cancrenam uti medicamento pravarum lentiginum, cum additione ſcammoneæ ℥ß. ad libram unam illius unguenti: peculiarem habet in urentibus potiſſimum ulceribus & apertis ſcammonea virtutem.

Cap. 17. *De Panaritio Pandalitio, vel Paſſa.*

DIco panaritium, quod vos vermem appellatis, eſſe vermẽ & naturalem paſſam, quę poſtquam naſcitur, venrile quoddam aperiendum eſt: hoc idem ipſemet vermis efficit animali natura, ſuoque loco ſeipſum fovet atque nutrit.

Nota.

Duæ fiunt in corpore corruptiones, videlicet in humoribus naturalibus, & in mineralibus. Quæ in naturalibus fiunt, æſchphares generant: quę in mineralibus vero, panaritium: hoc in radicibus ſolum ad ungues locum habet, ibi etiam eſt radix ſalis nitri: vel in eo loco, per quem tranſitum facit.

Signa.

Cum in unguium radicibus dolor, uſtio, tumor, & inflammatio tanquam ignis ſævierint, & corroſio vermiũ inſtar, panaritium eſſe dixeris.

Terminus.

Ejus hic eſt finis, ut poſtquam vermis natus fuerit, radicem unguis & membrum totum, atque digitum cũ dolore maximo, prolixoque mortificat.

Cura.

Triplex eſt ejus cura, per characteres una, quam triſomniſtis ſuperſtitionalibus, ac aliis ejus farinæ magiſtris relictam velim. Secunda per naturalia, ſicut ſunt ſperniolum & anodyna, cum ex corio ſacculus digito conſtructus, aptuſque ſperniolo ter vel quater madefactus induitur. Etiam externis putrefactis curam agere poteris, ut porcorum ſtercore cum aceto decocto, ſuperpoſitoque.

Cap. 18. De *Aſtchachilos.*

AStchacilos ratione loci formæq; potius cancrena vocari deberet: eſt tamen ſal minerale ex oſſibus Mercurii, inde ubi minime exſtiterit, originem ducit, à juncturis pedum ad genu per crus aſcendens: tactu depravatur, & intrinſecus rodendo foramina fodit.

Nota.

Hujuſmodi ſal in oſſibus, eſt & alumine glaciei, quod in carne conſumitur, ad ſuperficiem ſe recipit, roditque pro natura mineralium.

Signa.

Cum rubedo ſuper juncturas ad calcis radicem incęperit, cum ulceratione lata ſuperficialique, plurimis etiã ulceribus ad genu tendenribus, dic aſtchachilos fore, quod ataneum ego voco.

Terminus.

Status ejus annorum eſt viginti, non admittit accidens, manet in carnis tenuiore parte, ſuper crura ſemper in eodem ſtatu, per terminum, qui ſupra dictus eſt.

Cura.

In primis panaritii medicamentis utendum erit, quibus cum curatum fuerit, perſanetur emplaſtro de myrrha, quod ſequitur: ℞. *Olei de vitellis ovorum ℥ij. Ceræ ℥ß. Colophoniæ ℥iij. Myrrhæ rubeæ ad pondus omnium,* Fiat emplaſtrum ſecundum artem.

Cap. 19. *De Struma.*

STruma ex mineralibus, ut alia quæ oriuntur ex eiſdẽ, ſicut in tempeſtiva marchaſita, vel mineralia cruda, naſcitur. Inde fit, ut ſtrumoſi magis ad maniam, quam ad intellectus temperantiam proni ſint, propter mineræ cruditatem in ſtruma ſitam, quæ collum occupat, in quo mineralium eſt principium.

Nota.

Quodvis minerale crudum prope radicem crudam generat excreſcentiam illi ſimilem, quod inde fieri debuiſſet: nam crudum quodque mater & origo nodoſorum eſt.

Signa.

Cum in collo nodoſi tumores excreverint, cute contecti raparum inſtar, ſtrumam fore judices.

erminus.

In eodem ſtatu permanet in mortem uſque, niſi fuerit elatior, quæ reſtringitur ante mortem, cujus etiam eſt præſagium.

Cura.

Strumarum cura duplex eſt, inſtrumentalis, & medicinalis:

nalis: hæc per pulveres aut potiones ejus fit, illa per actualia cauteria, vel.

Cap. 20. *De Polypo.*

POlypum dico fore carnem deviatam, & buccellos, qui per poros extra locum ſuum in excreſcentiam nodoſam tranſierunt.

Nota.

Diviatum quodvis nutrimentum in alio quam ſui ſitus loco, generat eandem carnem ſuæ generationis in magna copia.

Signa.

Cum alicui caro naſcitur in naſo, quæ cum ſanguine prorumpit, polypum eſſe dixeris.

Terminus.

Sub finem ejus incrementi venę confluunt, ſanguinemque ſuum prorſus affundunt, & in ulcus tranſiens polypus tranſmutatur in pravam tentiginem, vel Noli me tangere.

Cura.

Ejus, ut in alcola cura eſt, ambo debent incidi buccelli, nutrimentumque tolli, demum curari per oppodeltoch.

Cap. 21. *De Ficubus vel Verrucis hæmorrhoidarum.*

EX hæmorrhagiali ſanguine, cum nutritivus humor ſeparatus eſt a ſubſtantia ſanguinis & per porum ſuum emunctorialem penetrat extra materiam propriam, tranſit in excreſcentiam, quæ ficus exiſtunt, aut Verrucæ.

Nota.

Quicquid à ſuo nutritivo ſeparatur, in ſuæ ſubſtantiæ ſimilitudinem tranſit, ac in cancrum pro loci vitriolique ſalis ratione dividitur: eſtque generatio talis quæ de verrucis vulvæ.

Signa.

Si in tenaſmone porri, vel polypicæ demonſtrationes apparuerint in ſanguinei ruboris ſimilitudinem, ficus, vel verrucas eſſe judicato. Si tamen & una cum ſtercoribus ſanguis admiſtus foret: cum exitus difficultate, ſudore quoque, vel aliquo labore dolores excitarentur in tenaſmone, ficus intrinſecus naſci judicabis.

Terminus.

Si perſeveraverint uſque ad vigeſimum annum, in cancrum tranſmutantur. Si tamen eo tempore cancer non erumpat, unaque plures exſtiterint verrucæ concretæ, ſimul conſtipant anum, vel orificium vulvæ.

Cura.

Ficuum cura duplex, una quidem ſtercoralibus medicamentis: altera vero dulcibus fit corroſivis.

Corroſivum dulce.

℞. *Olei laterini* ℥j. *olei de juniperis* ℥ß. *Olei ex myrr-* ℥ij. miſceantur.

Corroſivum dulce mixtum cum aceto.

℞. *Olei laterini* ℥j. *Aquæ aluminoſæ* ℥ß. *viriditatis ſalis ad pondus omnium.* Fiat mixtura.

Cura de ſtercoribus.

℞. *Patientis dejectum ſtercus, miſce cum oleo de vitellis ovorum*, premat patiens, ut exeant verrucę ficuſque, quibus tunc medicina ſuperponatur.

Cap. 22. *De Tinea.*

TInea provenit ex ſalibus mineralibus cum humore carnis, & cutis liquore permixtis, poſtmodum ex pulſione tranſeuntibus in cruſtas.

Nota.

Cum humor mineralis à proprio ſale ſeparatus in carnem ſe recipit, ſi hunc elementum igneum arripiat, eo per poros agitur in cruſtas.

Signa.

Si cruſtæ naſcantur in capite, cum capillorum fluxu, vel aliàs, ſudoremque non libenter emittunt, & cruſtę cadentes die tertio rurſus enaſcantur, tineam eſſe dicas.

Terminus.

Poſt decimum ſextum, aut quartum & vigeſimum annum ætatis morbi, ſpargitur per univerſum corpus, & cruſtæ per ſe decidunt: cum incidentia pollicum ſubſequitur, lepram ex tinea natam eſſe judices.

Cura.

℞. *Cichorii*, *Gamandreæ*, *Capillorum Veneris ana* ℥ij. *Caſſiæ extractæ* ℥ß. *Mannæ electæ* ℥j. Reduc in hauſtum cum aqua artemiſiæ: omni anno, menſeque Majo debet adminiſtrari, quia revertitur.

Cap. 23. *De Bubone vel Buſone.*

BUbo eſt infectio ex duorum ſimilium commixtione proveniens, & ex tertio in apoſtematum generationem, ac per ſalia luxurioſa tandem in ulcerationem producta.

Nota.

Cum illa duo mineralia ſimul in matricem veniunt, inde generatur bubo, tum ex acceſſione tertii ſubſequitur bubo vitriolatus: & cauſa hujus eſt, quod ſperma luxurioſum ſcabie ſua infectum eſt.

Signa.

Si tumor in altero ſulco penes pudenda ſurrexerit cũ rubore ſuccedente, vireſque deficiant, calor atque frigus invaſerint, eadẽ die tranſierit appetitus, bubonẽ adeſſe dicas.

Cautela.

Cave à reſolutivis, corroſivis, & attractivis medicamentis.

Cura.

Ejus cura per apertionem fieri debet maturatione propria, poſtmodum per oppodeltoch curandum eſt.

Deſcriptio,

Deſcriptio maturativi.

De quatuor reſinis ℥ß. *De liquoribus althiæ, Biſmalvæ ana.* Fiat mixtura ſuperponenda.

Deſcriptio oppodeltoch.

℞. *De quatuor ſeminibus incarnativis* ℥ß. *Ceræ Colophoniæ ana* ℥ij. *Picis navalis* ℥iij. Reduc in emplaſtrum.

Cap. 24. *De Cambuca.*

CAmbuca provenit ex bubonis materia, quę citius quam oportuit ſedem fixit: ejus ulceratio fit eodem loco, in quem figitur.

Nota.

Quęvis cambuca bubo eſt, nec ab eo, quàm propter locum differt.

Signa.

Si poſt actum Venereum cum calore tumor exſurgeret, ac in urina ſanies aliqua cerneretur, & inde ſequerentur ulcerationes cum putrefactione, cambucam eſſe dicito.

Terminus.

Ultimo tranſit in ulcerationem corroſiva, quæ foramina in unum exedit, & cambucam putrefacit.

Cura.

Caphurato & emplaſtro de mumia curetur.

Formula Caphurati.

℞. *Caphuræ* ʒj. *Vitellorum ovorum* ℥iiij. Fiat mixtura, quæ poſita ſuper marmor in loco humido, vertitur in oleum.

Emplaſtri deſcriptio.

℞. *Mumiæ* ℥ß. *Reſinæ de botin ablutæ per aquam roſarum quantum ſufficit pro incorporatione*, fiat emplaſtrum.

Cap. 25. *De Varicibus.*

VArices oriuntur ex ſale plumoſo, quod cum ſubſtantia reſolutum eſt: illis evenire ſolet, qui cavernoſũ ulcus exſpectant: ac mulieribus gravidis: ideo quod ulcus hoc in matrice debeant exſpectare, per generationẽ in eaſdem venas expulſam.

Nota.

Cum ſal aliquod ex operatione propria ſeipſum aperit, ejus eſt ſanitas: ubi non, tranſit ad radices hujuſmodi venarum, & ulcus cavernoſum intrinſecum generat.

Signa.

Si crurum venæ tumeant, qualeſcunque ſint, nodoſæque fiant globulorum inſtar, cum nativi coloris in cœruleum, nigrum, aut ſubviridem tranſmutatione, velut inflata cutis præter carnis detrimentum varices fore judicabis.

Terminus.

Ultimo cutis in turpiſſimum ; fœtentiſſimumqu fo-ramen aperitur: quod ſi cum laterum punctionibus accidat, morti judicato morbum obnoxium eſſe.

Cautela.

Cave plurimum à corroſivis aquis, balneis, purgationibus ab omnibus unctionibus morbillorum, à Mercurio & ſulphure.

Cura.

Aperiantur venæ cum tempore digeſto, poſtmodum liquoribus gingivarum leporum unguendum erit per tres aut quatuor ſeptimanas: una tantum eſt aperienda vena per vicem, & poſtmodum altera, non ambæ ſimul. Digeſtum tẽpus eſt, cũ per annum abfuerint, ac poſtea redeunt. In anno ſemel ſi venerint, & venæ ſemel aperiantur, ſi bis & bis aperiendæ ſunt ordine, deinceps leporum gingivas, aut pinguedinem humanam ſuperponas.

Cap. 26. De *Ranula.*

RAnula eſt immaturum plumoſum: oritur ex radice linguæ ſub infantiam, antequam linguæ radix ſit firmiter affixa.

Nota.

Si caro ſenuerit, ranula minime naſci poteſt, quod in varices tranſire deberet, in linguæ regionibus fit apoſtema.

Signa.

Si venæ ſub lingua tumuerint cum cœruleo colore, ranulam eſſe dicas.

Terminus.

Ultimo cum ranula tranſit in maturationem, generat apoſtema, quod in infantibus mortale eſt: ſi vero non coagulari poteſt ranula, tunc infanti loquendi materiam, aut facultatem adimit, balbutireque facit.

Cura.

Venulis apertis eliciatur ſanguis, poſtmodum illines aquis braſſatellæ, agrimoniæ alchimillæ, diapenſiæ vel oleo hypericonis, aut oleo de floribus centaureæ. Si poſt curam hanc ranula redierit, curam iterum incipias: at ſi parva ſit, atque prædictæ ſufficiant.

Cap. 27. *De Nacta.*

NActa eſt immaturum apoſtema, proveniens ex menſtrualibus fluxionibus, cum illę per ſal plumoſum in congelationem tractę ſunt, & ex ea poſt in reſolutionẽ.

Nota.

Omnis immaturitas admixta maturo non recipit iſtius emunctorium, ſed proprium ſale ſuo plumoſo hoc operante.

Signa.

Si gravida vel puerpera mulier conquereretur de uberum dolore, præ tumeſcentia, duritia, rubedine, & eorum in foramen apertione, tum nactam eſſe dixeris.

Terminus.

Sal plumoſum ultimo fit corroſivum, & in ulcerationẽ tranſit, poſt in putrefactionem, & poſtremo pro balſami naturalis, aut medici ſaltem excellentiam terminatur.

Cautela.

Cautela.

Abſtinendum eſt ab aquis corroſivis, à cauteriis candentibus metallis factis, ab Arſenico cum aqua roſarum, ab oleis deſtillatis,ut ſunt *laterinum*, &. *terebinthina.* Cave pariter à ceruſſa, à refrigeriis & ab oleis roſarum & violarum.

Cura.

Nactæ cura per oppodeltoch ex aromatibus fieri debet: ℞. *Oppopanaci, bdellii ana* ℥j. *Serapini* ℥ij. Liquefac in aceto colato per pannum, poſtmodum inſpiſſabis in modum mellis.℞. *Mumiæ j. Ariſtolochiæ rotundæ* ℥iij. Liquoris de chachimia ad pondus omniũ, fiat emplaſtrum.

Cap. 28. *De Scrophulis, Scrophis, vel ſuillis.*

Scrophulæ prodeunt ex ſale de milio: quodvis foramen peculiare centrum habet, eſtque hujus operatio ſimilis operationi ſalis lapillati de grandine.

Nota.

Cum alumen reſolvitur in aquam, & in primam redit materiam, ac poſtmodum in grana rurſus coagulatur, gutta quælibet ſuum foramen edit, ac in membro collectum remanet.

Signa.

Si bullæ ſurrexerint in carnoſo quopiam loco, rubei coloris cum flavo centro, cum uredine maxima, tumoreque, poſtea mirum in modum & citiſſime rubuerint, ac poſtremo foramina, quorum unum alterum non tangat, inciderint, ſcrophulas eſſe judicandum eſt.

Terminus.

Ultimum, ſi terminum attingere permittantur, poſt tres aut quatuor annos mutantur in alium colorem, cœruleum nempe nigro commixtum: poſtea nova criſis incidit cum vehementi calore: cutis ſubtus excauſatur, ac in mortem uſque permanet.

Cautela.

Caveas à pice, calidis oleis, ab ariſtolochia, viridi ęris, ab arſenico, ſale armoniaco præcipitato, auripigmento, alumine calcinato, pariter & ab ungula caballina: tum ab omnibus herbis attractivis.

Cura.

Earum cura ſit corroſivis & conſolidativis.

Corroſivum.

℞. *Vitrioli albi* ℥j. *Aquæ roſarum* ℥iij. *Lithargirii abſoluti* ℥ß. Commiſceantur cum oleo roſarum, & pannis in eo madefactis: foraminum orificia quæque leniter impleantur.

Conſolidativum.

℞. *Conſolidæ regalis lib.* ß. *Ariſtolochiæ longæ* ℥iij. *Myrrhæ* ℥ß. *Mumiæ* ℥ij. Poſt triturationem. ℞. *Olei roſarum quantum ſufficit pro incorporatione*, formetur in modum emplaſtri.

Cap. 29. *De Ulceribus Cavernoſis.*

Ulceris cavernoſi, quod ex chordis nerviſque provenit, origo, ranularum & verrucalium ulcerum origini ſimilis eſt.

Nota.

Quod ex uno morbo tranſit in alium, etiam aliud medicamentum requirit, uti hic, ulceris cavernoſi cura, ſimilis eſt illi,quæ de varicibus.

Signa.

Si quis varices haberet, poſt quas & foramina ſuccederent, cum carnis & cutis putrefactione, tandem fœtor atque tumor una cum ſpaſmo ſequerentur, ulcus judicabis adeſſe cavernoſum.

Terminus.

Si terminum ſuum attigerit, in ignem perſicum tranſmutabitur, hoc eſt, in tertiam criſim, per ſe, vel ex medici negligentia, vel ignorantia potius.

Cautela.

Abſtineas ab aquis corroſivis, cauteriis, pariter & attractivis ex gummi compoſitis: nam ſi his uſus fueris, ignis perſicus ſubſequetur.

Cura.

Duplex eſt ejus ulceris cura, ſcilicet, una ex varicibus, & ex vulneribus altera. Sedabis igitur varices, ut in eis dictum eſt.

Ad vulnera.

℞. *Lithargyrii, Minii ana lib. ß. Olei olivarum lib. j. Ceræ lib. ß.* Reduc in emplaſtrum. Poſtmodum accipe *Pulverem aranciarum, Chelidoniæ, Ariſtolochiæ rotundæ ana* ℥. *iij.* & formetur emplaſtrum.

Cap. 30. *De Bocio.*

Bocium naſcitur ex menſtruis & hęmorrhoidibus, eodem loco, in quo ambæ hujuſmodi fluxiones uniuntur, & in alio fluxu proprium ſibimet èmunctorium facit.

Nota.

Cum liquor (fluxus) conſtipatus fuerit, ut ad locum pervenire nequeat, nec idipſum exequi valeat, quod ſui fuerit officii, retrograditur, donec tranſeat in carnis generationem.

Signa.

Si mulieri bullę naſcantur, poſtea porri, poſtmodum carnis excrementum ſub cute, vel ſuper eam, quæ pro menſtrualium agmento progreſſum habuerint, bocium eſſe dicas.

Terminus.

Ultimo violentiſſime tendit in finem, & omnes humores attrahens in fluxionem ad mortem convertitur.

Cura.

Fluxum exiccato per deopilationem, vehementiſſime provocato menſtrua, val hęmorrhoidas. Poſtremo ſiſtenda eſt fluxio, ſicut in Noli me tangere.

Provocatio menſtrui cum deopilationibus venarum eſt:

℞.*Liquoris pulegii, Arthemiſiæ ana* ℥iij.*Vini correcti* ℥vij

De

De liquoribus ſplenis caſtrati bovis ℥ j. Reduc ad mixturam, doſis ℥ß. *mane & ſero.*

Additio.

℞. *Aquæ ex fructibus ſavinæ, vel oleum de granis ejus.*

Hæmorrhoidarum provocatio.

℞. *Serapini colati* ℥ß. *bdellii, maſticis ana* ℥j. Fiat emplaſtrum per ſe, ſecundum artem ſuper locum hæmorrhoidarum.

Cap. 31. *De Teſtudinibus vel Celſa.*

TEſtudinem, celſam (hoc eſt, id, quod huc atque illuc diſcurrit) ex ſalibus accidentalibus coagulatum eſſe dico.

Nota.

Cum celſa ex corpore ſuo tranſit in coagulatum, vagationem ſuam retinet ſecundum coagulationem.

Terminus.

Poſtremò putrefacta in ulcus tranſit cancroſum in vigeſimum quintum, aut ſextum & vigeſimum annum, & in criſin.

Cautela.

Caveas ab unguentis, unctionibus, & corroſivis.

Cura.

Ejus cura talis eſt, ut regio circumdatur ejus alumine plumoſo, & poſtquam ęſchphara deciderit, ſuperponatur oppodeltoch: hac via teſtudo putrefit in ejectionem: communibus emplaſtris concludito.

Cap. 32. *De Igne Perſico, & Pruna.*

PErſicus ignis eſt ſulphureum corpus accenſum, quod ex ſuo transformatum eſt iliado cum omnibus ſpeciebus ſulphuris, & eſt calx viva ſicca, & calx viva liquida, quæ ſuam accenſionem à liquido ſale recipit. Poſtmodum urit, conſumitque membrum penitus, uti calx cadaver aliquod.

Nota.

Trium priorum transformatio mortalem conſumptionem efficit: nam in perſico, vel pruna conſumptio talis impediri non poteſt, cum proprium & innatum in ipſo calidum ſit elementum occultum.

Signa.

Hujus morbi ſigna ſunt duplicia, videlicet ex frigido & calido. Quæ ex calido rurſus duplicia, chronica & acuta ſcilicet. Chronica ſunt, cum primo heryſipela naſcitur, poſtea bullæ flavæ penes foramina ſurgunt, pariter cum occulta rubedo cum uredine ſplendoreque tumuerit, in eoque ſtatu per annos ternos, vel ſenos perſeveraverit, calidæ prunæ chronicæque ſigna ſunt, ignisque calidi.

Acuta vero, cum repente calor membrum invadit cum flavis urentibuſque bullis: ubi poſtmodum ſicut in ceteris color in cœruleum tranſit, ignem vehementiſſimum ibidem eſſe dixeris.

Signa frigida cum præcedentibus colorem nigrum induunt: at ſi membrum hoc antea varices habuiſſet cum nigredine prunam frigidam natam eſſe judices.

Cautela.

Abſtineas à medicamentis ſecundum elementa compoſitis, à repercuſſivis, à morbillorum unguentis, unctionibus, ſuffumigiis, & guajacano ligno.

Cura.

Ignis perſici cura duplex eſt, una, priuſquam natus ſit morbus, altera, cum jam eſt vigenteſimus.

Ad priorem curam.

℞. *Spermatis ranarum lib. ß. Caphuræ* ℥iij. *Myrrhæ Thuris ana* ℥j. Reduc ad deſtillationem ſolis: quod ſic intelligas. Ponatur in nitrum ad ſolem, donec liquefiant. In hunc liquorem pannos intinctos ſuperpone loco dolenti, cum ſiccati fuerint, rurſus intinge, ſuperponeque tam diu, donec ſedetur.

Ad poſteriorem curam.

℞. *Terebinthinæ induratæ lib. ij oppopanaci lib. ß. colcotharis* ℥iij. Reduc in emplaſtrum. Poteris etiam bulliens deſpumare mel, cui præcedentia cum impoſueris, inde fiet emplaſtrum tenue, hoc pannis illitum ſecto jam pedi ſuperponatur.

Induratio Terebinthinæ fit hoc modo.

Terebinthinam in olla coquito lente, poſtmodum bacillo huic immerſo & extracto, vide num dura ſi effecta: quo percepto, removeatur ab igne, fiet in vitri modum utcunque dura, quę terenda eſt in mortario, &c. Poſtmodum in aceti menſuris duabus oppopanaci cum leviter coquendo liquefiat, coleturque per pannum, & coquatur tam diu, donec evaporet acetum, & materia ſpiſſa fiat: quo facto, colcothar imponatur & terebinthina. Dum hæc materia calida eſt, fiant ex ea pinnacidia longa xxiiij aut circiter: nam frigefacta materia dureſcit, ut vitrum: cum his uti volueris, melli ad ſpiſſitudinem cocto deſpumatoque, partem ejus vel totum impone pinnacidium, & in emplaſtrum tenue reſolvetur, quod ſecto membro ſuperpones.

Cap. 33. *De Cinzilla.*

CInzilla eſt, liquor ſalis ex diaphragmate, qui pro diaphragmatis altitudine, circulum ex ſuo producit excremento.

Nota.

Sal omne flammulatum in miliarem generationem tranſit, ac à loco ſuo non removetur.

Signa.

Cum ſub cingulo rubeus circulus enaſcitur, poſtea flavę bullæ, longo poſt intervallo foramina cum uredine, rubore, doloreque maximo ſucceſſerint, cinzillam eſſe dicas.

Terminus.

Ultimo retrorſum ad radicem redit, accenditque diaphragma, poſtea mor ſubſequitur.

Cautela.

A corroſivis abſtine, morbillorum unctionibus, ab omni pinguedine, gummi, picibuſque.

Cura.

Cura.

In cinzillę cura, diaphragmatis radix eſt per conſolidam regalem mundificanda, poſtmodum oppodeltoch ſingulis duodenis horis, ut Chirurgiæ mos eſt, liganda.

Deſcriptio oppodeltoch.

℞. *Colophoniæ lib. j. pulverum chelidoniæ, aranciarum ana* ℥ *iiij.* Viſci de botin, quantum ſatis eſt ad incorporationem.

Cap. 34. *De Gibbo.*

Gibbus eſt ex quarta generatione concretum quid, & poſtmodum ex inæqualitate membrorum alicujus reliquum deformatum.

Nota.

Quicquid extra proportionem ſuam exiſtit, in excreſcentiam tranſit, quæ ſi vergat intrinſecus ad membrorum principalium regiones, indicat eum, qui huic morbo fuerit obnoxius, ad ſanitatem aptum non eſſe.

Cap. 35. *De Elephantia.*

Elephantia producitur ex hæmorrhoidarum liquoribus, menſtrui, vel nutrimenti, deſcendentibus ad locuſtas membrorum.

Nota.

Quælibet elephantia ſerpit in modum naptæ, ſolum eo differt ab hac, illa, quod ejus ſubſtantia liquorque ſimul naſcantur.

Signa.

Membra fiunt naptalia, tumentiaque plurimum, & ſuprà juncturas conſumuntur, poſtremo ſuccedunt foramina. Tandem ſi ex menſtruis, vel hæmorrhoidalibus morbus iſte proceſſerit, flava profluit aqua: ſi tamen ex liquoribus, rubicunda.

Terminus.

Elephantia terminatur in vulcus cavernoſum, quo membri conſumptio tranſit ad principale membrum, & inde ſequitur mors.

Cura.

Triplex eſt elephantiæ cura: quarum una eſt hæmorrhoidarum: ſecunda menſtruorum provocatio: tertia liquorum exiccatio.

Cap. 36. De *Sciſſuris Manuum.*

Manuum ſciſſuræ proveniunt ex ſale alopeciæ, hoc eſt, vitriolato, membrorumque locuſtas propter virtutem expulſivam occupant.

Nota.

Cum alopecię generatio deviat in alias quam proprias locuſtas, in eis fit ejus etiam productio.

Signa.

Si manus bullas contrahant, quę poſtmodum in cruſtas, & inde tandem in fiſſuras carnem ſubintrantes mutentur, in corpore nihil ejus exiſtente, alopeciam judicabis in manibus fore.

Terminus.

Poſtremo totam cutem occupant, cruſtiſque decidentibus ceſſant.

Cautela.

Abſtinendum eſt ab aquis corroſivis, cantharidibus, à purgationibus, unctionibus, fumigiis, & ligno guajacano.

Cura.

℞. *Ex quatuor gummi, Oppapanaci, Serapini, Galbani, Bdellii ana* ℥j. *Colophoniæ* ℥ij. *Terebinthinæ lotæ* ʒiiij. fiat unguentum. Liquefac illud ſuper carbones & ſic manibus calidum ſuperponatur per duodecim horas, deinceps laventur aqua munda, rurſuſque ſuperponatur eis calefactum: hoc toties repetendum eſt, donec liquorem amplius non emittant, quod plerunque fit in quindecim plus minuſve diebus. Quatuor gummi, peculiarem admirandamque virtutem abſterſivam, exiccativamque habent.

Cap. 37. *De Pruritu & Scabie, deque Sapharis & Furfuribus.*

Quatuor horum origo provenit ex cruoribus reſolutis, quibus acceſſit alumen minerale ſciſſum.

Cautela.

Caveas à potionibus, digeſtionibus, purgationibus, à diaphoreticis, ab exiccativis, & morbillorum unguentis.

Cura.

℞. *Aluminis repei lib. j. aluminis armeni lib. ß.* Fiat mixtura pro ſcabie.

Alia.

℞. *Aluminis plumoſi, Entali, ana lib. ij.* Fiat mixtura pro pruritu.

Alia.

℞. *Alcaculi Alcali de albuminibus, Salis fuſi ana.* Fiat mixtura pro furfuribus.

Alia.

℞. *Vitrioli, aluminis ſciſſi, ana lib. ß.* Fiat mixtura in ſapharis.

Cap. 38. *De Formica.*

Formicę generantur ex cruoribus in virtute expulſiva deficientibus.

Nota.

Quando gradus expulſivæ virtutis deficiunt, in eo loco centrum eſt morbi novi.

Terminus.

Generatio quævis deficiens in expulſiva virtute, morbum

bum novum excitat in ſuo centro, qui terminatur poſtmodum in ulcerationem, prout ſua ſigna continent.

Signa.

Si bullæ parvæ una penes alterā, & ex fricationibus exeat aqua flava, cruſtæ decidant, earumque loco renaſcantur aliæ cum uredine maxima, formicam eſſe judices.

Cautela.

Abſtineas ab omni medicamento, præterquam à refrigerio.

Cura.

Deſcriptio unguenti Aſtarzof.

♃. *Lithargyrii abluti* ℥j. *Spernioli* ℥j. ß. *de liquoribus barbæ Iovis, Succi ex nenuphare ana* ℥iij. Fiat cerotum ſine cera, ſuper pannum illine, & adminiſtra per noctem, infrigidat, ut non redeat.

Alia formula.

♃. *Aquæ roſarum* ʒ ij. *reſolutæ caphuræ* ʒj. commiſceantur.

Cap. 39. De *Coſſo.*

Coſſum eſt apoſtema, quod naſcitur ex albo ſulphure, ſaleque ſciſſo, quæ prodeunt ex regionibus Martis.

Nota.

Cum ſal ſciſſum in parte Martis erumpit, ibidem extra cutem ſua ſigna profert in locis, in quibus cartilagines exiſtunt: nam, ubi cum carne caro jungitur, natura producit emunctorium.

Signa.

Cum naſus admodum uritur, poſtea fricationibus cruſtæ ponerentur, quæ per annum perſeverarent, coſſum eſſe natum judicabis.

Terminus.

Niſi coſſum auferatur, incidunt fiſtulæ, quarum etiam terminum habet.

Cautela.

Caveas tamen à fiſtularum cura.

Cura.

♃. *Succi agrimoniæ* ℥j. *de porris* ℥ ß. *Olei anethini ad pondus omnium.* Fiat mixtura, cui pannum intinges: hunc ſuperponito non aſpergendo, liquor exibit, ac per ſe curabitur.

Cap. 40. *De Branco.*

Brancus eſt liquor in faucibus ſuum centrum ponnes, & ſibimet exitum facit

Nota.

Quivis liquor ſciſſus deſcendens, cum à vera deflectit origine, tranſit in emunctorium externum.

Signa.

Si tumor oriatur in faucibus cum dolore capitis, & poſtea fiat ulceratio, brancum exiſtere judicabis.

Terminus.

Cum Brancus progreditur, uvulæ partem arripit, poſtea deſcendens ſquinantiam generat.

Cura.

Ejus cura eſt in arcanis: & aqua brunellæ curat brancum optime.

Gargariſmus ad Brancum.

♃. *Pirethri* ℥. j *Succi hypericonis* ℥ij. *Succi perſicariæ* ℥iij. *Oximelli ſcyllitici,* ad pondus omnium commiſceantur.

Aliud.

♃. *Liquoris mumiæ* ℥j. *Succi perſicariæ* ℥ij. *Aceti communis* ℥iij. Fiat mixtura.

Cap. 41. *De Squinantia.*

Squinantia quidem oritur ex eodem loco, ex quo naſcitur apoſtema, ejuſque centrum eſt in apoſtematis ſitu, qui circumferentiam utriuſque regionis nempe capitis & colli totam occupat.

Nota.

Omnis morbus in gutture proveniens hujus loco curari debet: in confiniis alius non eſt inveſtigandus.

Signa.

Si collum in circulo nuchæ tumuerit cum rubore cacuminis ejus ac folii, caput inflammatum ſit, non ſecus ac apoſtema tumor iſte matureſcat, poſtmodum retro cacumen foramen inciderit, inglutionem & ſputum prorſus hæc abſtulerint, ſigna ſunt ejus.

Terminus.

Si forte balſamum naturæ deficiat in gutture, putreſcit exterius, & uvulam atque folium inficit.

Cautela.

Abſtineas à purgationibus, à phlebotomiis, & ventoſarum poſitionibus.

Cura.

Per gargariſmum incarnativum curari debet ſquinātia: cujus deſcriptio talis eſt: ♃. *mellis roſarum* ℥ iij. *Ariſtolochiæ rotundæ, Pirolæ ana* ʒß. *Aquarum de prunis, de prunella ana* ℥vij. Fiat gargariſmus, accipiat in os, gargarizet, ſi apoſtema eſt apertum, ter vel quater in die, ut intret apoſtema, tunc balſamum naturę curabit: ſed ſi non ſit apertum, non proderit: verum ſi magnus ſit tumor, ſuperpone defenſivum extrinſecus.

Defenſivum in Squinantia.

♃. *Mucilaginis de fœnograeco* ℥x. *Ceruſſæ* ℥ij. *Caphuræ tritæ* ℥ß. Fiat mixtura & cataplaſma extrinſecus, ut mitigentur dolores & tumores in collo.

Ad capitis calorem.

♃. *Aquarum roſarum rubearum, Burſæ paſtoris, Solatri, Barbæ Iovis, ſingulorum æqualia pondera:* cōmiſce, & eis immerge

merge linteum, quod ita madidum liga ſuper caput.

Cap. 42. *De Albora.*

ALboram ex tribus mixtam fore dico: ſcilicet morphea, ſerpigine, & lepra.

Nota.

Cum plures origine una concurrunt in idem centrum, ibidem & novus morbus generatur ſub nova denominatione.

Signa.

Ubi cicatrices natæ fuerint in facie, ſerpiginum inſtar, poſtea tranſmutantur in bullas morpheali natura, tandem vox amittitur, alboram adeſſe dicas.

Terminus.

Præter omnem ulcerationem terminatur, ac cum fœtore maximo, cum naſi, tum oris, ejectionibuſque. Non alias quam ejus morbi demonſtratio eſt extrinſecus, in linguæ radice pariter exiſtit.

Cautela.

Abſtinendum eſt à medicamentis intrinſecis, ab aquis fortibus & corroſivis.

Cura.

℞. *Stanni, Plumbi, Argenti ana* ℥j. *Aquæ albuminum ovorum deſtillatorum lib.* ß. *commiſceantur*, &c. Albumina ovorum cocta deſtillanda ſunt in aquam, & huic limaturæ dictorum metallorum imponendæ, qua madefiat albora.

Cap. 43. *De Panno.*

EX colore pannus emortuo provenit, quapropter colorum vitam atque mortem cognoſcere deberet medicus.

Nota.

Quicquid ex coloribus moritur, in corpore fixum manet, aliaſque non eſt intelligendum, quam de lepra.

Signa.

Cum infans ex utero matris ſuæ maculam aliquam luteam, cœruleam, aut nigram attulerit, pannum eſſe judices.

Cura tincturæ in panno.

℞. *De floribus fabarum* ℥. ß. *Calcis ovorum* ℥. ij. *Salis peregrinorum lib.* j. *Aquæ conſolidæ, Alcool vini ana* ℥ *xv.* Deſtilla per alembicum, & hac medicina pannum inunge: fiet albior quam cutis altera.

Alia tinctura.

℞. *aluminis plumoſi, Sciſſi, ana lib.* j. Deſtilla in aquam cum iſta additione.

℞. *Caphuræ* ℥ ß. *ſigilli Salomonis* ℥ *ij.* Rurſum deſtilla, poſtea linteolo hac aqua madefacto, pannum inunge lavaque.

Cap. 44. *De Sciſſuris Siccis.*

SCiſſuræ ſiccæ ſunt ex ſale carnis vel ſanguinis, quod cum ſudore prorumpit ſine corruptione: producuntur in locis, in quibus venæ ſiunt, & in illa carne.

Signa.

Cum in plantis pedum, voliſque manuum ſciſſuræ ſciſſæ fiunt, quæ contraherentur præter aliud quodpiam accidens ſciſſuras ſiccas fore judicabis. Si ſint in minimo digito, & in ſequenti, ſal eſt ſalvatellæ. Siccæ ſunt omnino cruſtis & ſanie carent. Fiunt etiam in calcaneis ſciſſuræ ſiccæ, quales habere ſolent milites.

Terminus.

In eodem ſtatu manent, uti cœperunt prius, & nullas ponunt cruſtas.

Cura.

Earum cura fieri debet eo loco, in quo ſunt, prout ſequitur.

℞. *Radicum urticæ minoris* ℥ *vj. Reponticæ* ℥ *iij. Conſolidæ regalis* ℥j.ß. Aquæ puræ quantum ſatis eſt pro decoctione. In decoctione ſuperpone manus, & olla ſit optime cooperta, ut vapor eas melius tangat: hoc fac ſingulis diebus quater aut quinquies poſtea purgabis ſanguinem, uti ſequitur.

℞. *Gamandreæ, Cichoreæ ana,* bulliant in optimo vino. Hæc potio rectificat ſanguinem tantum, quantus ejus hauſtus fuerit: eſt enim vera & naturalis minutio ſanguinis.

Alia cura.

℞. *Farinæ hordei, Siliginis ana* ℥ j. *Pirolæ, Agrimoniæ, Centaureæ, Prunellæ ana* ℥ ß. Aquæ puræ quantum ſufficit pro decoctione.

Unguentum ad hoc.

℞. *Petrolei, Axungiæ cati ſylveſtris, Axungiæ cervi, Taxi ana* ℥ ß. Fiat unguentum ſuper carbones, mane & ſero inunge.

Cap. 45. De *Moro.*

EX entalico ſciſſoque ſalibus naſcuntur mori, originemque ſuam ſumunt, ſicuti ſciſſuræ ſiccæ.

Nota.

Cum duæ ſpecies in unam generationem concurrunt, duas inde formas oriri contingit, uti de moris. Entalicum ſal non educitur per ſudorem, ſed ex eo, porri, & ex ſale ſciſſo fiunt ſciſſuræ.

Signa.

Si porri ſupercreverint fiſſi, præter cruſtas circum eos, aut humoris exitum, moros fore dixeris.

Terminus.

Mox atque porri ſimiles emiſerint ſanguinem per inſtrumentalem inciſionem, aut corroſivis: id ſi fiat, morus novus enaſcitur, poſt quem ſequitur fungus, & ſpongia duorum aut trium pondo, quæ plurimos porros carnemque duriſſimam habet.

Cura.

℞. *Oleorum ex juniperis* ℥j. *De ſpica* ʒij. *Laterini* ʒvij. fiat mixtura. Ungantur hoc unguento ſæpius, & evaneſcent: exſcindi non poſſunt, nec evelli. Minutio per gamandreæ, cichoreæque potum optime valet ad mundandum ſanguinem in hoc morbo.

Alia cura.

℞. *Oleorum benedicti* ℥j. *Maſticis* ℥ß. *miſceantur*, & inunge mane & ſero.

Cap. 46. *De Ragadiis in orificio vulvæ, & in ano.*

Ragadia proveniunt ex ſale menſtruoſo, cum actus venereus & menſtruum ſimul concurrunt, ſeſeque mutuo complectuntur: ex hujuſmodi ſeparatione ragadii naſcuntur: Pariter & in ano prodeunt ex hæmorrhoidibus, quando ſal hoc ad locuſtas ſe recipit.

Nota.

Quævis ſeparatio ſalis ſciſſi tranſit in fiſſuras tantum, ubi cum alio mixtum non fuerit.

Signa.

Cum circulus in orificio vulvæ aut in ano finditur, & per ejectionem urinæ vel ſtercoris proſcinduntur, utrumque fiſſuræ tales, viſibiles ſint, aut non, ragadia fore dicas.

Terminus.

Ultimo tranſeunt in ulcerationem intrinſecam, & putreſiunt in ejectionem ſaniei.

Cura: Peſſarium in ragadiis vulvæ.

℞. *Aloe ſuccotrini* ℥j. *Radicis ariſtolochiæ rotundæ* ßiii. Terebinthinæ lotæ quantum ſatis eſt: fiat peſſarium ad ſufficientem longitudinem.

Aliud.

℞. *Terebinthinæ lotæ* ℥vj. *Albi græci* ℥j. *Ceræ* ℥ß *Pulverum agrimoniæ, Conſolidæ, Pyrolæ ana quantum ſufficit pro incorporatione*: fiat peſſarium, quod ragadia tegat, ulteriusquenon procedat, nec ſit ragadiorum loco brevius.

Alia deſcriptio ſparallii per vulvam.

℞. *Mucilaginis pſyllii* ℥j. *Olei amygdalarum amararum* ℥iij. *Succi florum tapſi* ℥.vj. Fiat ſparallium hoc modo: Linteum ejuſdem longitudinis, cujus ragadia fuerint, huic intinge liquori: poſtmodum indes in vulvam, in qua per tres horas maneat: his tranſactis iterum intingatur, induretur que.

Alia.

℞. *Succorum pyrolæ, Conſolidæ ana* ℥. iiij. *Florum hypericonis, Prunellæ, Centaureæ ana* ℥j. *Betonicæ* ʒ. vij. *Olei anethini* ʒiij. Fiat mixtura.

Pulvis ad ragadia vulvæ & ad hæmorrhoidas.

℞. *Mumiæ* ʒ.j. *Laccæ rubeæ* ʒ. ß. *Pulveris, arranciarum, antimonii ana* ʒij. *Chimoleæ* ʒi ß. *Cachimiæ* ʒ v. fiat pulvis.

Cap. 47. De *Eſſeris.*

Eſſeri proveniunt ex vaporibus mineralium extrinſecorum, ubi calx inciderit aut cachimia.

Nota.

Extrinſeca medicum accidentalia cognoſcere decet, ut extrinſeci ſpiritus cum imprimuntur, ab eo cognoſci queant.

Eſſeri plerunque ſævire ſolent in illos, qui ſalia montana, vitriolum, aut cupertoſſam excoquunt, vel cuprum effodiunt, liquefaciuntque. Fodinarum artifices morbo ſimili tum pulmonis cordiſque paſſionibus, doloribuſve torquentur.

Signa.

Si nodus quiſpiam tumorque vermiculos pediculorum inſtar ederet, qui poſtmodum in latum extenderentur, cruſtaſque rubeas, ut ſunt ſquamæ piſcium, producerent, eſſeros fore judicato.

Terminus.

Cum in ſpiritibus mineralium hæreat hic morbus, nullum per ſe terminum facit, imo potius in uno ſtatu permanet.

Cautela.

Cavendum eſt à phyſicis: hoc eſt, illis, qui purgationes extrinſecas dare cupiunt: nam quivis morbus exteriorem etiam curam libenter admittit, non interiorem.

Cura.

℞. *Olei ex juniperis lib.* ß. *Olei amygdalarum dulcium lib.* j. *Olei de coſte* ʒ. viij. Fiat mixtura: poſtremum fit ſicuti oleum de gualaco, aut buxo. Oleum de juniperis non fit per deſcenſum: ſed oleum de coſte, hoc eſt ex fagino ligno.

Aliud unguentum.

℞. *Olei de ſpica* ʒß. *Olei quercini lib. iij. Axungiæ catti lib. j.* commiſceantur: ungantur, & his oleis præſervabuntur à ſpiritibus, qui morbum hunc generant: quia unctuoſitas illa non ſinit hujuſmodi ſpiritum ſubintrare. Natura quidem aluminis eſt officiumque findere. Cum tamen his cutis peruncta fuerit axungiis, tales ſpiritus nullos recipit, qui ſibi detrimentum inferre valeant.

Cap. 48. *De Undimia.*

A Sale reſoluto producitur undimia, ſive carnis ſal hoc ſit, aut alterius, & in eo loco centrum ponit, in quo ſitum eſt.

Nota.

Quodvis ſal reſolutum, acuitate carens, apoſtema generat abſque lepra. Undimia eſt apoſtema, quod expreſſione foſſulam remanentem concipit, ut in hypropiſi fieri ſolet: eſtque morbus abſque dolore prius, tandem ad putrefactionem pervenit, incipitque dolor.

Signa.

Cum apoſtema ſurrexerit abſque dolore, foſſam ex compreſſione retinens, eſtque ſine colore, quo reliqua tincta ſunt, undimiam eſſe dicas.

Terminus.

Terminus.

Putreſit intrinſecus prius, poſtmodum extrinſecus, & in ulcus tranſit cavernoſum.

Cautela.

Abſtinendum eſt à pharmacis phyſicis: nam iſte morbus ad Chirurgos pertinet.

Cura.

℞. *Realgaris* ʒj. *talci* ʒiij. viſci quercini quantum ſatis erit pro incorporatione: fiat emplaſtrum ſuper undimiam.

Poſt apertionem.

℞. *Colophoniæ* ℥j. *Ceræ* ℥iij. Reſinæ de botin, ut ſatis ſit pro formando emplaſtro.

Poſt mundificationem.

℞. *Conſolidæ majoris, Ariſtolochiæ rotundæ ana* ʒij. *Vitellorum ovorum, Terebinthinæ ana* quantum ſufficit: agitando fac unguentum, & undimiam inunge.

Cap. 49. *De Sephiris.*

Sephirus eſt fluxio proveniens ex ſale ſicco, quæ non poteſt in maturationem tranſire, ſed in ſua duritie ſemper manet, atque tumore, quoſvis colores induit.

Nota.

Nomen eſt omnibus duris apoſtematibus commune, ſephirus, priuſquam matureſcant, aut mollia fiant, curam per reſolutionem expetit.

Cura.

Excellentiſſimum eſt ad morbum hunc remedium viſcus de botin & juniperorum, ob eorum mitigationem & maturationem. ℞. *Viſci juniperorum* ℥ß. *Fœnugræci.* ℥iiij. *Aquarum iringi, Lappatii acuti ana* ℥ij. *Succi altheæ*, quantum ſatis fuerit pro incorporatione: fiat cataplaſma.

Alia deſcriptio.

℞. *Olei ex lithargyrio, Colophoniæ, Mumiæ ana* ℥j. *Olei ex vitellis ovorum*, ſufficit ad formandum unguentum: hoc ſephirum mollificat, maturumque reddit.

Oleum *lithargyrii fit hoc modo: alumen, acetum, & litbargyrium*, eoque ſimul omnia, donec albeſcant: poſtea rurſus acetum & alumen addes, & ad conſumptionem uſque liquoris decoques, & ſic in oleaginoſam convertetur materiam, de qua ſcribit etiam Archelaus.

Cap. 50. *De Fugile vel Fugilico Apoſtemate.*

EX Martis ferrugine producitur fugile, vel fugilicum apoſtema: quod eſt indicium principii Noli me tangere. Archelaus vocat *fuliginem*, Hermes vero *ferruginem.* Nos autem *ferruginem Martis* nominamus. Iis potiſſimum accidere ſolet, qui nondum adoleverunt, videlicet infra quartum & vigeſimum annum exſiſtentibus: aliis vero ſi contigerit eam ætatem prætereuntibus, hos, *Noli me tangere*, dixeris expectare.

Nota.

Quivis liquor materialis apparet antea quam locum fixum ponat. Poſtea quicquid oritur in ſui ſanguinis principio, tranſit in pravam lentiginem.

Signa.

Cum ad auriculas bullæ cum inflatione natæ fuerint in earum circumferentia, tertio poſt die rubicundæ fierent, poſtea calor atque dolor capitis, partim una cum ſquinantia concurrerint, ferruginem fore dicas.

Terminus.

Si per ſe terminatur, in putrefactionem tranſibit, quæ vergit ad interiora, vel in alopeciam dilatatur.

Cautela.

Caveas ab aquis fortibus & corroſivis, à purgationibus, à capitellis, aut lixiviis acutis, quia per ſuum emunctorium purgari debet, id eſt, per anum.

Cura.

Tripartita eſt ejus cura: una per mutationem: per mundificationem alia: tertia per conſolidationem.

Maturatio.

Nulla fieri debet apertio: nam inde ſequuntur accidentia prava: per ſe matureſcere potius erit.

Nota.

℞. *Olei laterini* ℥j. *Oppopanaci colati* ℥ß. *fiat emplaſtrum ſuper carbones.* Oppopanacum per acetum colatur: deinde ſit iterum maſſa, & induratur.

Mundificatio.

℞. *Mellis, Brunellæ ana* ℥j. *Ariſtolochiæ rotundæ Aloes patici ana* j. Fiat mixtura in modum emplaſtri, adminiſtra quum jam apoſtema fuerit apertum.

Conſolidatio.

℞. *Vitellorum ovorum numero* iiij. *Reſinæ de botin* ℥iij. *Farinæ tritici, Hordei ana* quantum ſatis fuerit pro incorporatione: fingatur unguentum.

Cap. 15. *De Nata vel Naſda.*

CUm ambæ virtutes ſimul concurrunt in unum latus, naſda producitur, eo, quod natura tribuit uni, quod ab altero ſurripit, eſtque naturalis concretio.

Signa.

Quando membrum aliquod ipſamet hoc operante natura majus ſit altero, nulluſque dolor in eo loco fuerit, nec in ſtomacho, naſdam fore judices. Si ventriculus aut thorax doluerint, ſignum erit phthiſis.

Cautela.

Noli ſumere potiones aliquas, quia natura per ſeipſam effluit.

Cura.

℞. *De fecibus vini* ℥ *x. Vini ardentis* ℥ *iiij. Axungiæ vulpis* ℥*v. Olei anethini ad pondus omnium.* Fiat unguentum.

Cap. 52. De *Phlegmonibus.*

PHlegmo quidem eſt apoſtema, quod non tendit ad mortem, nec ad impotentiam membri, minus ad aliquod aliud accidens.

Nota,

Apoſtemata quævis præter corporis detrimentum orientia, producuntur ex aluminibus liquefactis: & ab aliis apoſtematibus hoc ſolo differunt, quod non ſint obnoxia morti, nec etiam accidentibus.

Cura mundificans.

℞ *Oleorum ovorum* ℥. *vj. Camomelini* ℥ *Serapini, G... ... ana* ʒ *vj. Viſci de abiete aut pino ad pondus omnium; Farinarum hordei, Fabarum ana quantum ſufficit pro incorporatione:* commiſce in formam unguenti. Mel roſatum & ſalis aquam ſimul permiſceas, quo liquore ſero maneque lavabis.

Cap. 53. De *Hernia Aquosa vel Humoroſa.*

HErnia aquoſa provenit ex eo loco, in quo ſita fuerit, eſtque liquor in oſeo reſolutus: producitur ab externis accidentibus & cauſis, cum quiſquam læſus fuerit, vel ex abundantia ſpermatis putrefacti, quod in liquorem eſt reſolutum.

Nota.

Quodvis reſolutum ſal in ſuo loco remanet ſolum, niſi per poros deorſum tranſeat, & tunc deſtillat in exitum, quod in oſeo fieri nequit.

Signa.

Si pudenda fuerint inflata, compreſſioneque foveam remanentem contraherent ante maturationem, herniam eſſe dicito.

Terminus.

Cum hernia per ſe terminari permittitur, in teſticulorum putrefactionem tranſit, & poſtmodum bubonis initium præbet: ſi per tres aut quatuor ſeptimanas non receſſerit, fit morbus incurabilis.

Cautela.

Cave ne aperias, at medice diligenter animadvertas, an hernia ſit aquoſa, vel inflatio teſticulorum, ut unum pro alio non cures, indeque maximum periculum ſubſequatur.

Cura.

℞. *Ficuum lib. j. Olei granorum juniperi* ℥ *iiij. Farinæ fabarum* ℥*vj.* Fiat cataplaſma ſuper ignem, quod ſuperponatur, quanto calidius pati valeat, mane, ſub meridiem, & ſero: nam ipſam materiam ſeparat.

℞. *Farinæ fabarum lib. j. Seminum pſyllii, Citoniorum ana* ℥*j. Conſolidæ majoris* ℥ *iiij. vini & aceti quantum ſatis eſt,* & fiat emplaſtrum. Recepta quævis evacuantia vel exiccantia hoc loco ſunt inutilia.

Cap. 54. *De Hernia Ventoſa.*

HErnia ventoſa provenit etiam ex accidentalibus, & eſt arſenicalis inflatio præter ſalis reſolutionem.

Nota.

Omnis inflatio ſicca producitur ex arſenico puro, quapropter apprime conſiderandum eſt in hac cura, quod ea, quæ mitigant arſenicum, herniam ventoſam etiam curent.

Signa,

Cum oſeus inflabitur cum duritie,& intenſione, illaque duritie, inſenſi tuum oſeum effecit & abſque colore, herniam ventoſam eſſe judicabis.

Terminus.

In ſuo ſtatu manet, donec altero anno ſubſequenti rurſus in criſim incidat.

Cautela.

Abſtinendum erit ab apertione, rebuſque ſiccis.

Cura.

℞. *Ficuum lib. j Olei ex baccis juniperi* ℥*iiij. Farinæ fabarum* ℥ *vj.* Reſolvatur materia, ſicuti ſupra de hernia aquoſa ſcriptum eſt: animadvertendum tamen in primis curando herniam ventoſam, ut per pinguia, viſcoſaque procedatur, non propter duritiem, cum ſit ventus: & quamvis diaciminum ad ventum in ventre clauſum optime valeat, nihilominus in iſta cura non eſt idoneum, quia tumor hic ab arſenico crudo, & realgare cauſatur, quæ quidem oleum amygdalarum dulcium, viſcus abietis, & emplaſtrum ex terebinthina mitigant.

Alia cura.

℞. *Olei amygdalarum dulcium* ℥*ij. Farinæ fabarum* ℥*ß. Fimi columbini, Fimi caprarum ana* ℥*iij. Aceti quantum ſufficit*: fiat cataplaſma, quod ſuperponatur mane, ſub meridiem, & ſero.

Alia Deſcriptio.

℞. *Viſci abietis* ℥ *vj. Mumiæ* ℥ *v. Foliorum ebuli* ℥*j. commiſceantur.*

Alia formula.

℞. *Terebinthinæ lib. ß. Cumini* ℥*iiij. Seminum lactucæ* ʒ *vj. Ceræ* quantum ſatis erit: reduc in emplaſtrum.

Cap. 55. *De Hernia Carnoſa.*

NOn alias quam alcola vel naphtha ſuam originem hernia carnoſa ducit, loco formaque ſolum ab eis differt.

Nota.

Poſtquam liquor nutritivus, quo ſuſtentatur oleus, à vera ſubſtantia ſeparatur, & in excreſcentiam tranſit, herniam carnoſam profert.

Signa.

Signa.

Si tumuerit oſeus, induruerit, ac ſub cute, vel trans cutem excreverit caro, herniam carnoſam dicas.

Terminus.

Ultimo tranſit in putrefactionem, & producit fiſtulam, & ſi non maturuerit infra quinque ſeptimanas, nullam curam admittit amplius.

Cautela.

A potionib. vel curis intrinſecis à reb. pinguib. & à ſuperpoſitione ſiccorum & exiccantium abſtine.

Cura.

Ejus cura duplatur, ſcilicet per inſtrumenta, perque medicamina. De inſtrumentis ſcriptum eſt in ulceribus.

Deſcriptio curæ.

℞. *Olei laterini* ℥vj. *Oppopanaci, Galbani Bdellii ana* ʒij. Reduc ad formã liquidã cum iſta additione. ℞. *Fabarum farinæ* ʒiij. *Ficuum numero* iiij. *Caphuræ, Rutæ ana* ʒj. fiat in modum emplaſtri: maturat, reſolvit, putrefacit, creſcere magis non ſinit, nec etiam dolorem infert.

Reſolventia herniam carnoſam, alcolam, & naphtam, ſunt iſta.

Oleum benedictum, Oleum laurinum deſtillatum, Oleum nucum, Oleum de ſeminibus papaveris onigri, Oleum aneti, Axungia ceræ deſtillata, Alcool vini deſtillatum cum fabis, Alcool deſtillatum cum ſeminibus pſillii, Aqua flammulæ, Aqua hirundinariæ, Aqua de perſicaria rubea, Aqua de iringo, Succus ex lapatio, Liquor deſtillatus ex vino caprino.

Notandum hic, olea deſtillata rebus pinguibus non annumerari.

Cap. 56. *De Tentigine obſcura & prava, hoc eſt, Noli me tangere, in matrice.*

EX ſuperfluitate ſalis acetoſi, quod in profluvio, vel in menſtruis exiſtit, oritur obſcura tentigo.

Nota.

Si menſtruum aut profluvium tranſeat in ſalis acuitatem, ex qua produceretur ferrugo, tandem ad matris ſubſtantiam ſe confert, ac tentiginem excitat obſcuram.

Signa.

Quando ſui temporis ordinem profluvia menſtruaque non obſervant, ac una cum illis fluxionibus aqua permiſcetur, & cum urina ſanies dolore pudendorũ effluit, torminaque fiunt in ventre, quæ tempore coitus augentur, & inde poſt quatuor ſeptimanas ſanguis profluit, genus tentigenis fore judices.

Terminus.

Si per annum continuarit, mulierque ſterilis fiat, in ulcerationem incurabilem tranſit.

Cautela.

A purgationibus, conſolidationibus, & mundificationibus prorſus abſtinendum erit.

Cura.

Ejus cura tripartita eſt, una per ſparallium, alia per potiones, tertia per unguenta; parum differt hęc ab ea, quę de matricis ulcerationibus cura fieri debet.

Cardonium.

℞. *Agrimoniæ, Saniculæ, Pyrolæ, Utriuſque pervincæ ana* ℈j. *Ariſtolochiæ rotundæ* ℥j. *Herbarum paſtinacæ, Perdetis ana* ℥j. Muſti non maturi ex vino rubeo uſq; ad centum kiſt, fiat cardonium, hoc eſt, ponatur in muſtum herbæ ſupra dictæ, macerentur, & ſimul repurgentur, de quo vino per medium annum continue bibat mulier. Kiſt vini duas menſuras implet.

Aliud cardonium.

℞ *Conſolidæ regalis lib.* ß. *Ariſtolochiæ rotundæ* ℥vj. *Diapenſæ, Alchimillæ ana* ℥x. *Serpentinæ minoris, ad pondus omnium:* fiat cardonium ſecundum uſum.

Salis compoſitio, cujus uſus ſit in omnibus periculis laborante tentigine matricis.

℞. *Salis communis lib.* ß. *Thuris, Mumiæ, Hæmathitis ana* ℥ij. Fiat mixtura cum ſale, quo condiatur omne quod, ederit.

Sparallium in tentigine obſcura.

℞. *Aquarum plantaginis, Serpentinæ, Perſicariæ, Hypericonis ana lib.* ß. *Lumbricorum terreſtrium* ℥vj. *Dragacanti* ℥j. *Conſolidæ, Foliorum ariſtolochiæ longæ ana* ℥iij. Fiat ſparallium optimo Saccharo permiſtum, hoc eſt, fiat metrenchita, vel clyſterium, vulvæ imponatur, perq; tres, quatuor vel quinque horas in ea maneat ſingulis diebus.

Aliud ſparallium.

℞. *Succi hypericonis, Perſicariæ ana lib.* ß. *Aquæ de prunis, de ceraſis ana lib.* j. *Terebinthinæ lotæ in aqua roſarum* ℥vij. Fiat ſparallium pro matrice, quod indatur in vulvam, quolibet die bis, aut pluries, pro neceſſitatis exigentia.

Aliud ſparallium.

℞ *Olei hypericonis, Perſicariæ, Ariſtolochiæ rotundæ, ana lib.* j. *Olei ranarum Lumbricorum ana* ℥xij. *Olei ex vitellis ovorum adpondus omnium,* formetur ſparallium, & ob ſuã pinguedinẽ, nõ eſt opus, ut in tanta quantitate hoc adminiſtres, quia quicquid lubricum eſt, matrix ad ſe libenter attrahit.

Unguentum ad dorſum.

℞. *Mercurii abſq; ſubſtantia frigida, & omni mordicatione correcti* ℥ß. *Boli ſciſſi* ℥iij. *Axungiæ cervinæ lib.* ß. *Olei anethi, Olei ex vitellis ovorum ana* ʒvj. fiat unguentũ cum cera. Iſta medicamina, ſcilicet unguentũ, ſparalliũ, & cardonium ſimul adminiſtrari debent quolibet die bis.

Cap. 57. *De Mola Matricis.*

NIhil aliud eſt mola per ſe, quam menſtruum, quia iſtud eſt matricis nutrimentum, & una ſpermatis.

Nota.

Quodvis menſtruum ſpermati permixtum in generationem

rationem tranſit: nam in eo loco nulla ſeparatio fieri poteſt amplius, præterquam naſcentis impleto jam termino ſeparatur à ſuo loco decoctionis. Vita molæ eſt in ſpermate: nam donec ſperma habuerit, inflatur venter, quo deficiente ceſſat etiam tumor augeri, donec, &c. Nonnunquam in renibus generatur excreſcentia, quam Friburgi vidimus in vitulo (puto in interſignio vituli eſſe legendum) albo nigrove coloribus permixtam.

Signa.

Si mulieris uterus ex prægnanti natura tumuerit, menſtruaque fluant, & modo venter minueretur, alias augeretur, aut extra verum terminum in duram inflationem exſurgeret, una cum, vel abſque doloribus, movereturque, molam eſſe matricis dicito.

Terminus.

Creſcente mola matricis, ſpermatibuſque vehementer in coagulationem commixtis, augetur in mortem uſque.

Cura.

Duplex eſt medicina molæ, una quidem in expulſione, altera in præſervatione.

Ad expulſionem.

℞. *Croci orientalis* ℥ iiij. *Boracis* ℥ ß. *Carabæ* ℥ ß. *Scammoneæ* ʒ vj. *Lapidis lazuli* ʒj. Fiat peſſarium cum oppopanaco inſpiſſato. Animadverte, quod hujuſmodi medicamentum adhiberi nullo modo tuto poſſit: niſi mola prava ſit adhuc, & per vulvam exire queat, ante partus veri terminum alias mulier exponitur mortis maximo periculo, ſi magnam expellere molam conatus fueris.

Præſervativum contra molam.

℞. *Agaraci trochiſcati* ℥j. *Euphorbii* ℥ ß. *Oppopanaci colati & inſpiſſati ad pondus omnium*: fac peſſarium, utere antequam habeant molam magnam: ſi non deſierit una tantum nocte, ſiſte gradum in eo medicamento, quia ſignum eſt generationis prolis.

Cap. 58. De *Exitura.*

Exitura habet exordium ex proprio defectu, ſic, ut illa tria prima, quæ continent excrementum, in putrefactionem tranſeant.

Nota.

Quodvis excrementum primam ſuam materiam habet, ab eoque ſeparatur, quod expellit, illud: poſtmodum aliud nihil præter infirmitates generat.

Signa.

Cum ſanies per naſum flava fœditaque decolat, una cum dolore capitis, vel eo ſine, pariter ſi aurium excrementa putrida fuerint, ſputumque fœteat, urina ſaniem proferat, ac ſtercus naturalem colorem amiſerit, ſudor ſit fœtens, ungues corruptionem patiantur, ex auribus flava pinguiſque ſanies proflexerit, oculorum lacrymę ſalſę deſtillarint, & acutum apoſtema turgeat, ac menſtrua fœtentia cum impertinenti colore fluxerint, pręter dolores renum aut fęmorum, ex his omnibus exituram judicabis.

Terminus.

Si exitura ſępius abierit, redieritque per quatuor annos idipſum continuando, permanſuram eſſe judicabis.

Cura.

In exitura non eſt alia cura, niſi quod excrementum extrahatur continuare.

Deſcriptio ad nares.

℞. *Lolii, Seminis nigellæ, Ellebori albi ana* ℈j. *Majoranæ, Salviæ ana* ℥ ß. *Muſci grana ij.* Fiat ſternutatorium, quod ſingulis diebus mane per naſum attrahatur parum: per vicem.

Deſcriptio ad aures.

℞. *Diagridii* ℈j. *Bdellii* ℥j. *Ceræ* ℈j. ß. Fiat in modum emplaſtri: cum aures ſpumam aut quam emiſerint, impone pinnacidium his conſtructum.

Medicamentum ad urinam.

℞. *Croci orientalis* ʒ ß. *Pilorum zenii* ℥ ß *Cantharidum numero v.* Fiat mixtura, ſacculuſque ſub canali, ſubtuſque veſicam, urinam provocabit, per unum aut alterum diem, donec ſenies ceſſet. Zeni ſunt folliculi circum leporum caudas exiſtentes.

Medicina pro ſtercore, vel inteſtinis.

℞. *Mellis quantum ſufficit, Diagridii* ℈j. *Hermodactylorum, Turpeti ana* ʒj. Fiat ſuppoſitoria ſecundum artem: pręter ſal in exitura, verum in conſtipatione poteris uti ſale.

Medicina pro ſudore.

℞. *Theriacæ* ℥ j. *Alcool vini* ℥ ij. *Euphorbii grana vij.* Fiat hauſtus ante ingreſſum balnei, ſudet, poſtmodum calide contectus decumbat in lecto, bis hoc, ter, vel quater, ac toties repetas, donec fœtor abeat.

Cap. 59. *De Callo.*

Callus eſt arſenicalis tumor, ex liquore carnis aut ſanguinis proveniens.

Nota.

Quodvis apoſtema per fricationes excitatum in ſuperficie carnis ponit ſuum emunctorium.

Signa.

Si poſt fricationes aliquod exurgat apoſtema rubeum atque tumens, callum eſſe dixeris.

Terminus.

Si fluxiones arſenicales conjunctę fuerint, cum affluentia terminatur in ulcerationem, & poſtmodum in eſtiomenam tranſit, maxime cum apoſtema, vel foramen in crus ſiccum inciderit ex fricationibus, aut in alio loco.

Cura.

In calli cura poſtquam in apoſtema tranſierit, hac utere

utere deſcriptione. ℞. *Olei roſarum* ℥ vj. *Calcis vivæ extinctæ* ℥iij. *Caphuræ v.* Fiat mixtura, quę ſuperponatur unguenti loco. Si tamen prius in ulcus tranſiiſſet callus, hoc utere.

℞. *Spernioli* ℥j. *Olei de caphura* ℨij. *Succi papaveris, Hyoſciami ana ad pondus omnium.* Fiat cataplaſma, quod ſuperponatur, calorem ſedat: poſtea ſume deſcriptionem hanc. *Emplaſtroru n apoſtoliconis, Diaquilon ana* ℥ ß. *Mumiæ* ℥ iij. *Ceruſſæ* ℨ ij. *Caphuræ* ℨ j. Miſceantur, & fiat emplaſtrum ſuper carbones.

Cap. 60. *De Porris.*

POrri proveniunt ex avio liquore, qui nutrimentum radicum eſſe debet unguium.

Nota.

Ubi porrus, non lõge diſtant ungues: itaque radices earum in excreſcentiam tranſeunt, quæ porros efficit.

Signa.

Cum in digitis pedum aut manuum porri naſcuntur, quibus tactus dolorem infert, ac indies magis excreſcunt in avellanæ nucis medietatem, porros fore dixerit.

Terminus.

Ultimo ſimul carne creſcunt in unguium duritiem, & cum per corroſivas aquas, vel inciſionem aperti fuerint, in elephantiæ principium incidunt, inciſioneque majores efficiuntur.

Cautela.

Ab inciſionibus & corroſivis aquis abſtine.

Cura.

℞. *Oleum ex baccis juniperi, Beſonnæ, Agarici ana* ℨj. *Fellis bovis, quantum ſatis erit pro unguento.* Unge dies & noctes linteolo, quo magis triveris, eo melius efficiuntur nigri, ſiccanturque. Poſtea cura per oppodeltoch ad quatuor vel quinque ſeptimanas.

Alia cura.

℞. *Realgaris* ℈j. *Olei vitellorum ovorum* ℨß. *Calcis extinctæ,* quantum ſufficit in unguenti formationem, hoc etiam nigros efficit porros, & putrefacit.

Cap. 61. *De Scliroſi.*

SClirosis eſt apoſtema, vel nodus, qui naſcitur per excreſcentiam novæ generationis.

Nota.

Quando natura ſuperfluitatem ex centro generationis producit, accumulata poſtmodum in excreſcentiam juxta membrum, in quo fuerit, generatur.

Signa.

Cum in corpore durus & immobilis tumor, & caro ſimul cum ligamentis creverit, quod ſi tactu ſimile quid percipitur, ſcliroſim fore judices.

Terminus.

Sub finem indies magis ad ſuam generationem tendit ſcliroſis, & ultimo contorquet membrum, inteſtina debilitat inflationibus, & in regionibus exiſtens membrorum, ſeipſum ad mortem ſuffocat.

Cautela.

Ab omni medicina, qua ſolitum eſt in apoſtematibus uti, caveas, & ab omnibus inſtrumentis, quibus tonſores utuntur, & ab eorum magiſterio.

Cura.

Cura ſit, quod ſcliroſis non accreſcat, nec alias curari poteſt.

Deſcriptio unguenti.

℞. *Olei mirtillorum* ℥ i j. *Nucis muſcatæ* ℥ ß. *Axungiæ jumentorum* ℨ i j. *Petreoli ad pondus omnium.* Fiat mixtura, qua ſpermatica vaſa, prout renes & fœmora, menſe quolibet inungantur: hac enim ſcliroſi tollitur incrementum.

Annotatio.

Regeneratio major eſt, quam ubi corpus naſcitur: poſſibile eſt, ut fiat ſecunda regeneratio: & eſt pura ſuperfluitas regenerationis. Scliroſis aliquoties in fronte naſcitur, ut nodus, in cervice, & in manibus. Quando ſub coſtis, aut ſub ventrem naſcitur, tunc ejus durities non bene percipitur.

Cap. 62. *De Lentigine.*

INexperti, nec non doctores, aſſerunt, ex cholera naſci lentigines: monachi dicunt ex cœlibatu. Verum ego liquoris Mercurii eſſe dico.

Nota.

Ubi liquor Mercurii fuerit, qui vergat in ſui regenerationem, oriuntur lentigines. Omni anno quivis carnis liquor floreſcens regeneratur, & qui lentigines habent, illis, qui carent ſaniores exiſtunt: ſub axillis & ſub genubus pallent, quas vulgus pulmonis maculas appellat, multaſque ſub lentiginum vocabulo concludit.

Signa.

Cum in facie, vel ſub genubus, aut ſupra maculæ naſcerentur, crocei luteique colorum, ſive maneant, aut recedant, lentigines fore judicabis.

Cura.

Curandum eſt, ut expellantur, quo vehementius, eo melius.

Deſcriptio contra lentigines.

℞. *Heliotropii Gamandreæ ana* ℥iij. *Mannæ electæ* ß ß. *Spermatis ceti, Baccarum lauri ana* ℨx. *Aquarum meliſſæ, Verbenæ, Valerianæ ana* ℥v. Fiat potus, ejuſque doſis à quatuor in uncias quinque ſit, cum incipiunt exire, bibatur: ſi Rheubarbarum apponas, non exeunt amplius, quod minime bonum eſt. Vide quæſo, quam egregia res ſit experientia, per hoc unicum.

Heliotropium herba ſolaris, quæ penes me eſt meliſſa, mirum in modum carnem & ſanguinem regenerat, eaque nil melius.

Sunt & alia penes Petrum Arelatum apoſtemata, quorum

rum ego, quod hactenus eorum experientiam non feci, nec etiam hoc loco meminiſſe volui. Quod eos, qui ad Phyſicam & Chirurgiam pertinent morbos, mihi per experientiam cognitos, deſcripſerim, boni conſule.

Theophrasti Paracelſi Bombaſt, Vtriuſque Medicinæ Doctoris, & Philoſophorum Principis, *tres utiliſſimi Tractatus: Vnus de Cutis apertionibus: de Cura ulcerum alius: tertius autem de Vermibus, Serpentibus, Araneis, Bufonibus, cancris, & naturalibus à nativitate maculis, &c.*

Libri Primi de Cutis Apertionibus.

Cap. I. CUm Deus Medicum atque Medicinam creaverit, non eſt, quod his immoremur, at ſolum de rebus dicamus per ſe, hoc eſt, ex opere naturæ, quod nobis manifeſtant, hoc ipſum, ut ſuſcipiamus, nihil ex propria phantaſia fingentes vel adjicientes. Demonſtrat ipſa natura corpus hominis cute ſua concluſum, ex tribus in unum corpus eſſe poſitum, id eſt, corpora tria fore, ſed unum in iſtis tribus, quod hominis eſt corpus, in quo morbi quivis oriuntur ex eo, quod ſeparentur à ſe invicem, aut unum ab alio: hinc fit, ut in corruptionem tranſeat, quod ſeparatum eſt. Corpora tria hæc ſunt, *Mercurius, Sulphur, & Sal.* Quid unum quodque per ſe, tũ tria ſimul unita, ſatis in chirurgia corporis enucleatum eſt, & in noſtra philoſophia latius. Iam eſt, quod chirurgus inſtruatur quo valeat ex ejuſmodi principiis intelligere, quinam ex tribus illis quæ dicta ulcera, nec non cutis apertiones procedere queant. Per exemplum ſic declaratur. Quodvis metallum etiam in tribus illis poſitum eſt, Mercurio nempe, Sulphure, Saleque. Sunt inter illa corruptibilia quædam, ut *ferrum, cuprum,* &c. ea de cauſa videlicet, quia ſal conſumit omnia: quod niſi foret, nihil abſumeretur in ſimilibus. Verum non conſumit ſal, niſi quod in corruptionem ſeparatum eſt, ejuſque habet initium: data ſibi tamen occaſione, prout ſi palea reperiat ignem, eam ſequitur, & corruptionem ab ea ſui recipit. Cum igitur ſal occaſionem habet, corpus in quo continetur, corrumpit, & corrodit, inde fiunt ærugines varię juxta corporum & ſalium conditiones. Ærugo talis igitur à ſale proveniens, corrumpit ac circum ſe rodit aſſidue, donec totum corpus abſumpſerit, quo continebatur, vel tam late ac poteſt, niſi reprimatur ejus malitia. Nec ſolum in ferro hoc ipſum contingit, aut cupro, ſed etiam in aliis corporibus omnibus ærugo generatur, quæ ſuum corpus abſumit, hoc eſt, idipſum quod fore deberet, corrumpit. Non ſecus etiam in homine ſalis natura quędam habetur, quod poſtquam occaſionem acceperit, hoc loco chirurgice non declarandam, cutem, & carnes abedit, venas ac nervos: item oſſa, cartilagines, &c. juxta cujuſque ſalis conditionem & locum. Ex ejuſmodi ſale, quod unum eſt è tribus illis corporibus & materiis primis humani corporis, producuntur in eo cum interna, tum externa quævis ulcera. Satis igitur unicuique chirurgo dictum ſit, omnia corporis foramina, vel ulcera ſale fieri, quod corpus tertium exiſtit in humano corpore. Prout enim pluvia ſali ferri prębet occaſionem, hoc in æruginem tranſmutandi, non aliter in homine judicandum eſt. Qui volet ęruginem hujuſmodi curare, debebit inſtar alchimiſtæ fore, qui ferrum aliquod præſervare novit, ut nulla ſibi detur ad æruginem occaſio, cuprum etiam ac alia metalla: quibus ubi damnum ejuſmodi contigiſſet, optime ſupplete ſcit. Quandoquidem ejuſmodi naturæ quodlibet metallum eſt, ut cum à Philoſopho juvatur, non ſecus ac in homine, quod in illo defuerit, creſcentia propria repleatur. In exemplum: Homo patiens ulcus auxilio medicinæ curatur, ſic metallum etiam foraminatum remedio, quod adhibetur ei fit rurſus integrum, quod enim in hominis natura fieri poteſt, in corpore metalli poſſibile fuerit: ut unum, ſic etiam alterum fit. Hæc ſunt myſteria naturæ, nec non magnalia artium quibus Deus dotavit & ornavit medicum. Artes iſtiuſmodi mirabiles ei ſunt oblatæ, ut ex luce naturæ depromat, quæ quidem lux homo eſt, & corpus univerſi, quod propter illum tantum creatum eſt. Sciat ergo medicus-chirurgus breviter his inſtructus, quod corpus & cutem aperit, & quod curat, utrumque ex natura quærere ac reperire.

Cap. 2. Sal eſt ejuſmodi naturæ, ut radat edatque. Proinde dicitur *ignis occultus*, quem nemo videt, neque ſentit eſſentialiter, ut in urtica latet. Per exemplum ſal intelligi poteſt. Ut videntur herbæ, nec non radices, quę carnem in bullas exurunt, ut *flammula, flos ejus, & radix, apium aquaticum, ſinapium, urticæ,* &c. reperiuntur etiam animalia, quæ tale quid efficiunt, ut *cancri, vermes*, & alia, quæ quidem occultum ignem in ſe continent, operatione tantum perceptibilem. Similiter ut in iſtis exterioribus, in homine ſalia quædam habentur, non aliter corpus intrinſecus urentia, quam flammula. Unum aliud accendit, unde reſultat, quod ex naturæ potentia fuerit. Hæc omnia ſunt à creatione divinitus ſic ordinata, ut videamus quid natura, quid nos exiſtimamus, quid ars, & quid magnalia Dei ſint. Pariter arbores ſua ſalia habent, & alia vegetabilia, ſic ut in aliquibus hominum talis natura ſalis inveniatur, quæ in vermes tranſiens, ut iſti ligna corrodit, &c. Non ſecus in homine Lupus, cancer, & ſimilia naſcuntur, quę non aliter quam animalia viventia repunt ac circumrodunt, qualia ſunt *arſenicum, auripigmentum,* &c. Quæ foramina per putrefactionem in cutem & carnes hominum exedunt, ea de cauſa, quod ſalia ſint ex ſua natura. Et prout in extrinſecis rebus naturalibus multæ videntur differentiæ, ſic etiam in homine variæ ſalium conditiones habentur, ut unum foramen alteri ſimile non exiſtat. Nonnulla ſalia perurunt inſtar urticæ vel vitrioli: quędam pruritum excitant, ut plumoſum, & eſula: puſtulas elevant alia: prout ſinapium aquaticum, cantarides, & ſimilia, quę in homine juxta rerum naturalium conditiones dividenda ſunt in ſua genera, ſpecieſque. Reliqua duo corpora Mercurii, nec non Sulphuris, à Sale, quod ſeipſum rodit, eiſque permixtum eſt in eodem corpore, pariter exeduntur, cum ſal occaſionem proprię corruptionis habet, ſuum etiam corpus una cum aliis conſumit. Contra ſimiles ęrugines hominibus contingentes, naturę vires opponendę ſunt, quę tollunt eas, modo quis expertum eligere medicum noverit. Medicina Dei donum eſt, cui conceſſum fuerit, is etiam habet eamque prompte poterit exercere. Initium doni ſapientia, hoc eſt, artis experientia juxta naturę demonſtrationem, unde naſcitur medicus: is enim accipit omnem ſcientiam & inſtructionem ex manifeſtatione operum naturalium. Quiſque medicus igitur operam dare debet, ut ex ea medicina diſcat, quam Deus creavit, ac dedit hominibus, & non pręter iſtam ſeipſum extollat, ut putaticii pręſumenteſque medici faciunt indies. Ut ſupra de ſale cœleſtis ignis in rebus naturalibus dictum eſt, ſic etiam in hominibus occultus habetur ignis, & inviſibilis, qui nihilominus ardet, poſtquam ſcintillis ſuis accenſus fuerit ex influentia, quę eſt in homine: tum exiſtit in ſuis flammis, prout calx aqua perfuſa bulliens. Corpus enim eo loco, ut aqueum corpus cognoſcitur, in quo latet ſal, rodit, uritque, prout *piper, alcali,* &c. quod in ſequentibus capitulis narratur ſępius. Non aliter hoc ſal corpus ſuum exedit, quam ferreum ſal ferrũ, & non cuprum: itẽ cupreũ ſal cuprũ & non ferrũ. Ad hunc modum ſalia reperiuntur, *nervorum, carnis, venarum, medullarum, oſſium, cartilaginum* &c. quodque juxta ſuam naturam ab aliis diviſum atque differens: de quibus abunde ſatis ad intelligentiam exemplorum *flammulæ, cantha-*

cantharidum, *arſenici*, *calcis*, *&c.* dictum. Quicunque hæc exacte cognoverit, ulcerum originem ignorare minime poteſt.

Cap. 3. Proverbium hoc inter doctos verſatur: *A finis termino Philoſophiæ, Medicina ſumit exordium.* Hoc innuit juxta Philoſophiam rerum naturalium, in operationibus, viribus, malis atque bonis, medicinam eſſe nobis addiſcendam, ut judicemus ex eis in hominis corpore pariter flammulæ ſal exiſtere, ſal calcis, ſal boracis, arſenici ſal, &c. Non eſt imitanda hoc loco veterum theorica, judicans originem ulcerum non ex demonſtrationibus Philoſophiæ, ſed ex ſuis opinionibus & phantaſiis: ſuper quas nihil ædificandum eſt, quod non inceperint, ubi philoſophia deſinit, at potius à ſeipſis, philoſophicum finem ignorantes. Quinam incipiendum ſit à fine Philoſophiæ, notate per exemplum. Videmus lac eſulæ pruritum excitare: per hoc Philoſophia docet aperte nos, eſulam in corpus aſſumendã non eſſe, ne ſit apertionis illius occaſio. Poſt ejuſmodi philoſophicã rationem & inſtructionem, phyſicam ad hunc modum incipias, videlicet: pruritum in homine per eſulam hominis ortum, ſal eſulæ fore judicato, cum homo ſit Microcoſmus. Cum ergo philoſophia ſit ea, quæ nobis naturam ſuis in operibus proponit atque demonſtrat, in eo naturæ fundamento medicum eſſe fundatiſſimum oportet: inde reperiuntur infinitæ rationes ac documenta rerum originum, de quibus jam ſcribimus. Erroneum curarum fundamentum olim poſitum fuit. Hoc enim curat hominem, quod exulcerat: id res naturales minime faciunt, aut efficere poſſunt, videlicet, ut illud, quod ipſæ produxerunt, curent. Nonnulla reperiuntur impedimenta, ne perurat urtica, flammula exulceret, ac chelidonia cicatricet, &c. Similia perquam utilia ſunt contra ſalium exulcerationes, ut quę tollunt eſcarã ab arſenico, ſalis arſenici pariter eſcaram tollunt in homine, curantque non aliter quam in illis, in humano corpore: hoc ipſo natura docet, ulcera medicum ex fundamento cognoſcere, qui per ipſam, & non ipſe per ſeipſum efficitur. Quapropter, ubi docere ſuis demonſtrationibus natura deſinit, ibidem in homine medicum operari, ſcire debet. Non poteſt igitur fore medicus ille, qui philoſophus non erit, cum in philoſophia fundetur ipſa medicina, nec non ipſe medicus.

Non eſt arti fabrili comparanda medicina, quod antiquos feciſſe doctores videtur. Faber enim, ut in animo domum concipit, eam ædificat: non ita medicus excogitare per ſe morbum aliquem poteſt, cum hunc non efficiat, ſed natura, quæ pariter eum novit. At quia medicum etiam cognoſcere decet, à natura petere debet, ac addiſcere quantum ea docet, æque tantum ſcit, & eſſe vere cõperit. Faber lignarius truncat arborem, eamque pro ſuo parat ac captat arbitrio: medicina vero præparare ſe non ſinit pro voluntate medici cujuſpiam, at in ſuo ſtatu manet, in quo ſimiliter uti cogitur ea. Diſcere medicum igitur oportet in his, in quibus ars conſiſtit, ut ab exemplis, quæ quod loqui non poſſint, indicant ea, quæ natura continet, quæque fieri non velit, ut unicuique ſapienti, cui datum fuerit intelligere, ſingula tanquam per parabolas & ſubtilitates ad oculum proponantur, & offerantur. Docet itaque nos philoſophia parabolico modo per figuras, formas, virtutes, ac ſimilitudines, ut per eas addiſcamus quæ neceſſaria ſunt. Ad hunc modum etiam Chriſtus locutus eſt, non omnibus ſapientibus, at ſolum illis, quibus datum eſt intelligere. Sic medicina quidem eſt ars non omnibus data, ſed illi tantum, qui ut ſupra narravimus, intelligit. Quare non immerito veterum theoricæ, cauſæ, rationes, & ſimilia, cum ſuis ęmulis deridenda ſunt, ut ex proverbio, *Cæcus cæcum ducit, & ambo in foveam cadunt.* Nã quod ex errore maxime, tot in eam ſeſe violenter, & pręter ęquitatem inducant, non conſiderantes, eam peculiare Dei donum eſſe non conceſſum omnibus, conſcientiam ſuam non examinantes, &c. Qui nullius pretii vel intellectus exiſtunt, cor ad medicinam attentum habent, non ea de cauſa, propter quam à Deo creata eſt, quo fit; ut hoc meo tempore, poſt monachos, nulla gens medicis contemptior exiſtat: non propter artem, ſed perſonas, ex omni genere nequitiarum ad medicinam, ut ad refugium conflantes. Penes antiquos itidem accidiſſe non dubito, quod eorum artis fundamentum aperte ſatis docet: cum iſtorum plurimi vociferatores atque ſeductores fuerint.

Cap. 4. Natura ſalis, quod in homine tertii corporis locum habet, hęc eſt, ut alia duo putrefieri minime ſinant, & ea de cauſa naturaliter eis incorporatum fuit: nam ubi ſal nullum extiterit, putrefactio libenter ſubſequitur. Hac ratione quibuſvis in rebus natura ſal ordinavit, atque poſuit, ut corpora conſerventur in ſua ſanitate. Varia reperiuntur ſalium genera, Sulphuris, & Mercurii, quo fit, ut variæ corruptiones etiam exiſtant. Quod guſtum exhibet, ſal eſt, quamvis acutus, ut in *Pipere, Mercurio, Sulphureque guſtus*: item in Gentiana ſal amarum eſt, in ſaccharo dulce, & acetoſum in acetoſa: nihilominus omnia ſalia varia, quotquot fuerint, inter ſe diviſa tamen, uti carnes exiſtunt, iſtius vel alterius cõditionis: hic, ut quadrupes animal, ibi tanquam avis, alibi ſicut piſcis aut vermis. Ubique tamen iſtorum locorum caro ſui ſpiritus ineſt earundem rerum, vel anima: quamvis homines in dubiũ aſſumant, an hoc vel illud carnẽ judicare debeant, aut nõ. Ac ſi quiſpiam dicat, mel non habere ſal in ſe, piper autẽ illud continere, cum tamen ãbo ſal habeant, ſine quo perſiſtere non poſſent. Multa ſalia ſeſe manifeſtant, ut medicus oculariter eorũ cõditiones addiſcere queat: itẽ ut iſta ſuis differentiis in multas ſpecies dividuntur per naturam, non ſecus in homine fore judicanda ſunt juxta ſpecificas naturas ſuas & conditiones Eorum quę comeduntur multę varietates exiſtunt: aliquot ex aquis profluunt, alia quidem ex terra depromuntur, quędam lapidum inſtar, mineralium alia coagulantur: & poſtmodum ex pręparatione variantur, & unum alio pulchrius, clarius, & purius, uti ſal, gemmæ, ſimiliaq;. Sunt nihilominus hęc omnia conditionis hujus atque naturæ ut in corruptionem concordẽt. Alia vero ſalia corroſiva reperiuntur, quę ſeipſa rurſum curant, ut aluminoſa: corrodit enim alumen, & ſanat iterum. Vitriolata ſimiliter efficiunt, ut etiã diverſimode per ſe demonſtrant. Poſtmodum ſalia plumoſa, quę varia ſunt, peculiarem naturam habent: item auripigmenti ſalia, calcis, & ſimilium, quæ ſeparantur ab aliis corporibus. Hoc notandum, ea videlicet in corpore per ſe ſola non exiſtere, ſed ut tertia pars aliis permixta & integra facta. Habet enim corpus anatomiam ſuam, etiam & corpora metallica juxta ſua membra. Hac de cauſa corpora prædicta mortem citius, quam alia membra percipiunt, quod ſal eorum arſenicum ſit, &c. Sic de reliquis generibus corporum intelligendum erit. Prout Globulus univerſus ex ejuſmodi corporibus conſtat, non ſecus & homo, per quem tranſeunt meatus, id eſt, venę ſalium repartiuntur omnes per univerſum corpus, ut in terræ globo videre licet ex ejus regionibus. Una pars exſudat per poros, quę pluvię de cœlo cadenti per ſimilitudinem comparatur, quam iſtud per ſuos poros etiam ejicit. Hac ratione diſcernuntur in corpore duo hæc, nempe cœlum & terra. Quod ad terram attinet, per lotium emittitur, veluti iſta fontes in mare profundit ac fluvios, Danubium, alioſque: ſic in veſica reperiuntur fontes corporis. Quod vero ſecundum corpus, utpote cœlum exhibet, per poros exitum facit, & aëre vel conſumitur, prout pluvia cœli per terram abſorbetur pro parte aut evaneſcit in aëre. Cum igitur aqua ſit, & elementum aquę, lapidem efficiunt, ſic etiam in urina lapides fiunt, & in ſimilibus locis. Iſta phyſicis potius quã chirurgis cognitu neceſſaria ſunt: ignorare tamen Chirurgus mini-

me

me poteſt ſalia, quæ ad per ſe naſcentia vulnera, ſecundum præpoſitum exemplū operatur in anatomię curſu, natura & eſſentia. Quicunque ſimilia novit & phyſica, tanto fundatior exiſtit in medicina. In terra damnum ex eis non oritur, hoc eſt, in corpore, donec in eo manſerint. Non aliter quam in terra globuli, dum in iſta relinquuntur, ex eis nihil fit: nemo ſal aut ſimile quid videt, quouſque per præparationem artis hominis extrahantur illa, quæ in terra continentur, & aqua, tum primum apparent: ut per bullitionem ſalia ciborum, per ſeparationem vitriola, per præparationem alumina, per inveſtigationem calces, &c. Poſtquam extracta ſunt, non prius nocent, hoc eſt, ad operandum potentiā habent. Similis in homine latet artifex, qui præparat arte ſua naturali, per cujus operationem ea reſultant, quæ in corroſivis apparent. Verum ubi tales pręparationes eorum, quę dicta ſunt, non fiunt, non niſi laudabilia, bonaque fore comperiuntur. Et niſi pręparatio fuerit ibidem in exaltationem paroxyſmi, nullus apertionis morbus fit, at in uno corpore manent omnia, prout in terra.

Cap. 5. Prout cœlum cum ſuo firmamento, nec non terra cum ſuis elementis utrumque duo ſunt, & utriuſque partium alterutra per ſeipſam eſt una: ſic & homo duo cōtinet in ſeipſo, videlicet *influentiam*, quam ei cœlum præbet, curſum vero corpus adminiſtrat. Inde ſequitur producta per illa terræ meliora vel pejora fieri, conſervari, aut corrumpi. Pluvia ſiquidem nimia deſtruit fructus, & pauca ſimiliter. In proportione conſiſtit igitur ipſa natura, medium habere cupiens. Prout ergo cœlum terræ ſimile quid infert, corpori pariter accidit, quæ quidem occaſio tranſmutationis eſt ſalis in ultimam ſuam eſſentiam. Hæc eſt ultima rerum eſſentia, cum iſtæ poſtremo ſeſe manifeſtant, in ea fuerunt ab initio, ſub occulta forma, velut minera, quam nemo diſcernit quidnam exiſtat, donec veniat extra terrę firmamentum, in ignem, tum demum apparent partes ejus, una repræſentat argumentum, alia realgar, tertia vero loppam: jam adeſt ultima dictę minerę eſſentia. Ut eſt iſtius cauſa, ejuſmodi ſunt cauſę per ſpiritus accidentes, quorum labores hominum operibus haud abſimiles exiſtunt: item inviſibile ſuis in corporibus manifeſtum efficiunt. Iſti ſunt Xeni, Nephirei, qui delectantur in ipſa natura conditiones iſtius manifeſtando, quod ipſis etiam permiſſum eſt. Nihil enim tam occultum, quod hominibus non reveletur, hoc eſt, quin per materiam ultimam, initium & occultam eſſentiam cognoſcant. Id ipſum efficit occultus ignis in ſuis effectibus. Et prout videmus accendi ſulphur per calcidonium vel ſilicem, pariter & hic intelligendū, utpote ſal recipere Nephidicos ictus, & accendi, ac in ſeipſo ardere quodam igne prorſus inviſibili. Item, ut Ætna mons lapides in calcem & cineres adurit, & omnino conſumit, præter ignem exiſtentem in ipſis, at accidente ſolum, non ſecus in ſale quidam latet ignis, qui ſuſtentatur & nutritur in ſulphure. Hic ipſius eſt, qui corrodit, per occaſionem ex accenſione ſalis acceptam, eoque perducitur, ut manifeſtum fiat: ejuſmodi cauſa non provenit ex eo ipſo: quid enim contra ſeipſum eſſe vellet? Verum, quia nihil tam occultum, quod nobis ob oculos quándoque venire non debeat: inde ſequitur, quaſdā eſſe cauſas, quę ſimilia ſuccedunt. Uti firmamentum eſt cauſa lapidum & fulminis, quod ſylvas atque domos accendit, cujus cauſa quidem ignis eſt: non aliter in hominis corpore tonitru, fulmen, & lapides exiſtunt, quæ ſuo tempore prorumpunt in ignem ſuum. Itidem in calcedonio videtur, qui ſuper terram ignem exhibet, hic pręter ipſum & chalybem cum ſilice, nec non id genus talia non haberetur. Hoc modo manifeſta fiunt omnia. Quiſnā homini diceret in ſilice vel in calybe latere ignem, arte manifeſtum ſi non fuiſſet antea. Sic etiam in homine ſimilis ars habetur, qua talia palmam ei fiunt & inoteſcunt, una cum ſuo detegente. Cœlum peſte laborare poſſe, nec non aliis morbis, haud ſcire poſſumus, niſi nos hoc eo doceat, quod ejuſmodi morbos in mundū inferiorē imprimat. Mirandum incredibileque nobis eſſe videtur, ac apud nos impoſſibile: verum Deo poſſibilia ſunt omnia, qui hoc ipſum etiam facit: aliud in his habere judicium non poſſumus, quam in ejus poteſtate cuncta fore. Hæc à nobis dicta putato, quod firmamentum noſtrum, & exiſtens in nobis, cum peſtilentiam producit, id per ſal efficiat, cui quidem & firmamento noſtro peſtis ineſt, ut ea, quæ ſuperna influit: verum ejus loco præbet *Æſtiomonum*, *Herpetem mordacem*, *Ignem Perſicum*, &c. No aliter quā ſupra dictum, de pręnarratorum originibus morbum judicare poſſumus, penes quæ relinquendę ſunt. Quis enim demonſtrare naturam poteſt apertius, quam eo, quod in tribus corporibus elementa quatuor occulta ſunt, per quæ ſumunt occaſionem in ultimam ſui tranſire materiam? Non ſecus atque lignum igne ſeparatur in Sal, Sulphur, & Mercurium. Ad hunc modum Phionitides occaſiones & cauſas exhibent, ut nihil maneat occultum, ſed in lucem prodeant omnia, ſic, ut oculariter appareant, quæcunque ſunt in terris. Sciendum utique tam in rebus inſenſibilibus, quam ſenſibilibus unum alteri ſemper contrarium exiſtere, ut canes felibus, gallos baſiliſcis, ſic de cæteris, uti muſtelis, leonibus, Tabanis, vel aſilis, equis & aliis, quorum unum ſemper aliud in corruptionem & mortem perſequitur. Phionitides vocantur illa, quæ in corruptionem proſequuntur alia, prout ciconia, ranas, falco perdices, &c. Ut iſta ſibi mutuo contraria ſunt, Phyſica medicum docet in ſuis ſubjectis agere. Hic enim, ut piſcator fore debet, quo rerum conditiones atque naturas cognoſcat, quæ in aquis exiſtunt: item uti venator, ut ſciat naturas eorum animalium, quæ in terris & in aëre ſunt, &c. Si quis noverit, quid Niſus faciat, rapiat, &c. cognoſcere pariter in corpore poterit, qui ſemper unum concernat aliud: nam, ut falco & perdices ſe habent ad invicem, ſic etiam in corpore ſe res gerunt una contra aliam. Hæc eſt naturæ lux, de qua naſcitur medicus, & non ex ſeipſo, quamvis in ſeipſo maneat.

Cap. 6. Salis duo fontes habentur, unus ex venis, id eſt, in ſanguine, alter in liquore, hoc eſt, in carne. Prout in terra videntur aquæ fontium ex venis ejus fluere, & non ex ſeipſis, at in ſe pariter, qui per terram in venis ejus defluunt; Item quinam ipſa terra ſudat, ac in ſe continet humiditatem præter fontes, cum non omnes aquæ fontes exiſtant, quæ ſuper terram ſunt veniuntque? Nam ubicunque ſe terræ liquor aliquis recipit, & congregatur in torrentem vel ſtagnum, liquor eſt ejus, & non fons: iſti namque liberas habent ſuas origines ex ramis venarum. Non aliter eſt intelligendum, hominem in ſe dupliciter continere ſal, id eſt, penes ipſum in duabus columnis exiſtere, videlicet in ſanguine, tum in liquore: quorum uterque peculiare ſal habet in operationibus, quod in ſanguine eſt, non repurgatur, at in venis manet: ſimiliter & liquor ipſe. Verum occaſionibus datis, per ſuos meatus & emunctoria tranſeunt eo, vel ad loca, in quibus conveniunt, veluti per poros cutis, per meatus renum, prout ipſa confluunt, & ſimul in mixtionem veniunt omnia.

Poſitis itaque duabus iſtis columnis, adjectus eſt fluxus quidam aſſiduus, ut Nilus, qui ſemper fluit, hic eſt urina. Ex iſtis tribus proveniunt ſalia, nec non omnes fluentium torrentium apertiones, per ſuos meatus vi ſuorum ſalium tranſcurrentium, hoc loco latius non declarandorum, quòd libro de *Tartaro* ſatis abunde tractentur. Priora duo ſalia libri ſunt hujus argumentum, quod demonſtratur, chirurgiam ſalis in duas diviſam eſſe vias, videlicet in ſcabiem, & in ulcera. Scabies procedit ex ſale liquoris, quod in ſpumam tranſ-

tranſmutatur, aut in locuſtis exſiccatur, & ſuper cutem non aliter, quam ſal ſuper urticam extrinſecus adhæret. Non ſecus illud, ſcabiei nempe, vel prurituum in extremitates erumpit ex liquore varias in cuſpides, prout in urtica videtur. Alterâ viâ progreditur ex ſanguine ſal, & rodit cutem, carnem, ac oſſa prorſum una cum venis, ligamentis, nervis, juncturis, &c. Salia liquoris in varias ſpecies dividuntur, ſimiliter illa quæ ſunt ex ſanguine, in diverſa partiuntur ulcerum genera, juxta cujuſque ſalis exiſtentiam in ipſa natura, quæ nos per exemplum docet ad hunc modum. Quædam in latitudinem creſcunt, ut *fungi*: nonnulla in fiſtularum formam, ut *ſambucus*, *juncus*: alia per aggregatam multitudinem, ut *lavendulæ*, &c. quodque juxta ſuam formam: quod quidem ſal efficit, cum ejus officium ſit exhibere formas. Quapropter ulcera nonnulla fiſtularum inſtar, & juncorum enaſcuntur, ut *fiſtulæ*: quædam in latitudinem, prout *cancer*: in multitudinem alia, ſicut *ſcrophulæ*, cum ſimilibus: quædam aquoſa, prout *fungi*: ſicca nonnulla, ut *uſnea ſuper lapides*, ſic de cæteris: uti natura nobis extrinſecus terræ ſal ob oculos ponit in mineris, in lignis, & aliis creſcentibus: pariter in corpore ſal per ſuas operationes, ejuſmodi formas etiam exhibet. Inde ſequitur ſimile per ſimile curari, id eſt, ulcera ſimilia per ſimiles formas: quod quidem in generibus omnibus ulcerum apparuit evidentiſſimè, videlicet formam ſimilem, ſimili medicinam ſemper extitiſſe. Pertinet igitur ad medicum Anatomia comparationum rerum per ſimilitudinem. Ulcerum itaque, nec non prurituum varia ſunt genera, juxta ſalium conditionum diverſitates: nonnulla dulcia, hoc eſt, abſque dolore, & comparantur ſali *cerebri ſaccari*, *liquiritiæ*, &c. quędam ardentia, quę *piperi*, *Zingiberi*, *granisque paradiſi* comparantur: alia ſunt eſchara, ſali quidem *arſenici* comparata: comedentia quædam *alcali* ſali ſimilia, *vitrioli plumoſi*: ſtiptica nonnulla, quę comparantur *aluminibus*. Sunt etiam ulcera frigida, *ſolatrina*, *nenufarina*, &c. calida, ut *anacardina*: ſicca, ut *acorina*: humida *barba Jovina*, ſic de cæteris, ut ſupra, ſal eorum acceptum, &c. Non aliter de ſcabie & pruritibus dolorem inferentibus, & non, cutis geneneris plures aliæ ſpecies exiſtunt, una diſſimilis aliis. Tam ſubtiliter & artificiosè creatus eſt homo per manus Dei, ut ſi nobis ipſe non manifeſtaret, incredibile foret hominem ex eis ita compoſitum eſſe rebus, quas in ipſo philoſophus atque medicus ita microcoſmicè detegit per ſpecies omnes. Non poteſt iſta cognoſcere propria phantaſia de humano corpore, ſi per naturam ſolam, cujus officium eſt ejuſmodi comparationes, formas, atque ſimiles operationes manifeſtandi.

Cap. 7. De ſignis etiam quod ſcribamus, quamvis ex rerum naturalium proprietatibus depromenda ſint, ut ulcus omne, quod nigram carnem habet, ac eſcarizat, eſt ex arſenico: hinc ſit, ut una cum prædictis, tumorem, calorem, & lipoſychiam inferant, ut ex arſenici natura. Sal ejuſmodi perſæpe contingit effluere, quandoque non: cum verò fluit, eſt in operatione ſua, prout ſalis fuerit conditio, proprietaſque. Sunt & alia ſalia, quæ tumores concitant, emittunt ſanguinis plurimum, ac vehementer effluunt, quocunque modo hoc faciant, hirundinariæ ſalia ſunt, quæ ſanguinem extrahunt inſtar ſanguiſugę. Nonnulla reperiuntur, quæ duntaxat urunt, & non rodunt, nec tumores adferunt, ac ſi commune ſal ulceribus imponeretur: aliqua tumores excitant rubeos, ut *vitriolata*: pleraque alia tumores albos, ut aluminoſa: quædam una cum incidentibus circum foraminibus, ut *ſalia gemmea*: nonnulla cum caveis, ut *alcalia*. Talis eſt natura ſalium, unius, ut ad hunc modum, & alterius manifeſtetur ad alium, juxta ſuas conditiones, quas hoc loco non recitabo, ſed philoſophiæ potius committam, cujus fundatiſſimam peritiam habere medicum oportet in iſtiuſmodi rerum & morborum cognitionibus. De doloribus dictum ſit hactenus. Prout in ſua natura ſalia ſunt, animalia pariter in ſua reperiuntur, & herbæ quædam, quorum, ſalia comparantur illis, ut ſal colchotarinum, cancer, & perſicaria ſalis unius exiſtunt, ut ſal entali, juncus, & fiſtula pariter unum ſunt. Quare ſal colcotharinum operatione ſua cancrum in corpore concitat, itidem efficit perſicaria, nec non cancer aquæ. Similiter entali ſal fiſtulam efficit in corpore, quod juncorum & fiſtuloſorum ſalis exiſtat. Ex forma namque ſimilia cognoſcuntur, ut cum dicitur, hunc aut illum habere lupum, aut eo laborare, fit, quia ſal ejuſmodi eſt unius, & ejuſdem cum vero lupo naturę. In lupo quidem eſt idem ſal, quod adſcribitur choleræ, vel, ut nonnulli volunt, felli: hoc ipſum eſt origo cholerę, ſeu invidiæ, corroſivæque naturæ. Non eſt iſtius verum cholera nomen, ſed ſupinum ſal. In tribus enim corporibus homo poſitus eſt: Mercurio videlicet, Sulphure, Saleque, & non in quatuor: at in ſpiritum cum quatuor elementis, ex quibus nulla hoc loco ſigna ſumenda ſunt, at ex ſale duntaxat. Sal etſi nonnunquam igneæ complexionis exiſtat, ut arſenicum: aëreæ quandoque, prout vitriolum: terreæ, ſicut entali: & aqueæ quandoque, ut alumen: nihilominus id non judicatur ex elementis, cum iſta non fecerint illa, ſed è contra ſint ab eis elementa facta. Non ſunt etiam elementa corpora, ſed ventus, aër, aut ſpiritus tantum. Item non ſunt operativa, ſed hoc eſt operativum, quod ſal exiſtit: iſtud enim operatur, & non elementum, ſive frigidum, calidum, aut qualecunque fuerit, ſal cum extiterit, evenit, ubi non, etiam non contingit. Complexiones ergo dividuntur in illa tria corpora, non in quatuor, & in unoquoque corpore quatuor illa, cum eis ultra centum gradus & eſſentiæ. Non ſunt igitur ex illis quatuor ſumenda ſigna, prout cum dicitur: ſi cholericus exiſtat, ex cholera: ſi melancholicus, ex melancholia: ſi phlegmaticus, ex phlegmate: ſi ſanguineus, ex ſanguine procedere nihil minus. At ſi ſal ſanguinis occaſionem habeat, ſal erit ejus, quod in ſanguine fuerit: ſi autem ex ſale, quod in liquore latet, erit ejuſdem etiam judicandum, & juxta ſalis eſſentiam formabit ulcus aut pruritus. Item cujus generis ſal extiterit, hoc effluet: ſive ſit homo phlegmaticus, melancholicus, cholericus, aut ſanguineus: iſta ſal non curat, ſed juxta ſuam naturam agit. Morborum ejuſmodi ſigna faciunt ad intellectum eorum, ut medicus ex philoſophia valeat eos cognoſcere, judicareque juxta verum fundamentum, quod autem niſi cognoverit, judicium præbet hominibus exiſtimandi ſe fundamentum artis ſuæ ſuper arenam poſuiſſe. Pariter ſignorum ex philoſophia cognitio, receptorum optimum componiſtam efficit, qui cogitur aliàs ab aliis opus emendicare ſuum, unde ſurgunt enormes admodum errores. Inde recepta vera ſumuntur, videlicet ubi quis morborum ſigna cognoverit. Hæc eadem eum docent origines eorum, quas unà cum ſignis reperit ex luce naturę: ſic ut ex eo genere rurſum in ipſam naturam iterum redeat, ex qua recepta ſibi proponuntur ſimilium cum ſimilibus, & non contrariorum ad contraria. Non eſt enim ad hunc modum intelligendus homo, ut in eo contrarium contrario pelli debeat, uti per aquam ignis: quid ergo foret, quod aquam expelleret, quid aërem, quidnam terram, hyemem, quid ęſtatem? &c. Sal igitur ſuum ſal habere vult, Mercurius ſuum Mercurium, & Sulphur ſuum ſulphur: id natura demonſtrat: in ſimilibus expetere ſimilia ſe.

Cap. 8. Ut fundamentum ac initium iſtius abſolvantur philoſophiæ, ſciendum eſt, ſalia rurſum in duas partita vias fore: videlicet unam, quę curam & ſanationem recipit: & alteram, quæ non admittit eas. Nam, ut in terra fluxus aquarum exiſtunt, qui tolli minimè poſſunt, in corpore pariter occaſiones aliquæ non poſſunt amoveri: nonnullæ ſuper terram abeunt, ut fontes aliqui, poſtmodum autem redeunt: non ſecus habentur ſalia, quæ hoc ipſum faciunt. Sunt etiam quæ fluxus non exiſtunt, ſed exiccantur, & revertuntur: plurimi torrentes ad hunc modum fluxerunt antea, qui jam exiccati non redeunt ampliùs eò loci, verum aliò diſcurrunt: itidem accidere ſolet in homine. Similia multa reperiuntur, quæ medicina ſua, nec non ars ejus aúfert & exiccat, ut per Solem, aërem, atque tempus fieri ſuis viribus videmus, quæ quidem omnia pariter in medicina ſunt. Quare ſi medicus recepta componere velit, ejuſmodi res quæ ſoli ſimiles vel aëri comparatione ſunt, & non elementis, non calida, frigida, ſicca, nec humida capere, ſed corpora contra corpora, hęc ipſamet ſua ſecum deferunt elementa. Verum enimvero prout in terris aquę multæ ſiſti nec exiccari poſſunt, non ſecus in homine fluxus quidam, ubi jam occaſionem acceperunt effluendi, non juvant averſiones, minus exiccationes. Quandoquidem atque res aliqua ſumpſerit iter ad ultimam ſuam materiam, ad quam omnino corrupta ſit, non poteſt amplius reduci, quamvis ad hoc regimina quædam abſtinentiæ, exiccationes, exhauſtiones, & ſimilia ſint excogitata, quæ quidem omnia diutius non juvant, quàm nova congregatio fiat humorum: quibus remediis humoriſtarum duntaxat utuntur conſilia, ſed fruſtrà. Niſi medicamentum aut cura fuerit conditionis ejus, cujus morbus ipſe, vana ſunt omnia remedia, quod eis minimè curetur. Hæc eſt morbi conditio, videlicet, ut ſit reducibilis ab ultima ſua materia, cujus in via fuerit, ad primam. Ut cum lignum aliquod ardet, niſi per aquam ejus ignis extingui valeat, nihil juvat amplius, at aqua prę manib. exiſtente, jam adeſt remedium, ſic ut lignum ſolum ſit igne ſine. Si tamen lignum amplius non fuerit, ſed carbo, non juvat extinctio, cum ad lignum à carbone redire poſſibile non ſit, carbones enim tales manent, aut accenſione tranſeunt in cineres. Oportet igitur materiam adhuc adeſſe, quæ reduci debeat ad primam, ſic, ut id, quod abſumptum fuerit, abeat, quod autem adhuc reſtiterit, ſervetur. Salia ſimiliter pondere ſuo diminuuntur, ut lignum pro parte jam aduſtum, & pro parte non: & non pondere ſolùm, at multa ſalia prorſum ab homine fluentia recedunt, quibus jam expurgatis, eorum damna facilè curantur. Quapropter medicus iſta juxta Philoſophiam perpendere debet, út cognoſcat, an fluxus expurgatus ſit, vel in via diminutionis, & eo finito, cura facilis erit, ut etiam per ſe fieri queat, quod ejus materia penitus effluxit. Accidere quandoque ſolet ut pars una fluat, altera non: aliquando parumper, & poſtea ceſſet, ac per ſe, qui terminum hunc attigerit, feliciter, at non artificiosè curabit. Ejuſmodi fluxus etiam fiunt inæqualiter: nam ſæpe corrumpitur ſal quodcunque fuerit, ſibique foramen excavat, quouſque deveniat eò quò tendit: ſudore corpus ipſum penetrat uſque ad cutem, ibidem congregatur, operationemque ſuam aggreditur. Evenire ſolet etiam, ut ceſſet ibidem, & alio loco ſe recipiat, in quo non aliter operatur, quàm in priore, poſt ab eo recedens iterum in alium tendit: ejus rei cauſa eſt, quod ſpecies ejuſmodi ſalis per corpus huc atque illuc diſcurrentes, cataractas ſuas quęrant; prout aurum & argentum in terra per venas expanduntur, in quibus inventa ſunt: hic declinant, ibidem aſſurgunt, ibi terminantur, illic incipiunt. Ad hunc modum genera ſalium fiunt, multiſq; locis inveniuntur, in quos erumpunt: non ſemper tamen, quod emoriantur, ut uno loco, vel duobus tantum reperiantur, quæ ſi diutius viverent, aut vigerent, multis aliis extenderentur. Similiter plurimi fluxus in corpore ceſſant, & in mortem uſque manent, qui ſi diutius vigerent, ampliarentur. Philoſophia namque docet, hominem etiam in ſeipſo globulum & ſphæram eſſe, res prędictas omnes continentem: ei neceſſarium eſt igitur, ut microſmicorum conditiones probè cognoſcat, in quibus ſimilia cum ſibi ſimilibus conveniunt, cum in Theorica, tum in Practica.

Animadvertite vos igitur medici, ne cum hominibus ita leviter agatis, at optimè ponderate prius, quid præ manibus habeatis, quidque vobis faciendum ſit. Nam ſi fluxus ejuſmodi curaveritis, necatis homines: itidem facitis, cum pręter naturam eorum reprimitis eos. Si curaveritis ulcera per ſe curabilia, videte, ut indicare poſſitis ea rurſum eruptura, vel aliter hominibus imponitis. Non enim propter ſalia medicina creata fuit, ſed propter manifeſtationem artis in proximi dilectionem: æger ſiquidem veſter eſt proximus ô medici, quapropter eſt, quod curetis eum ex ordine, quo Deus curas in medicina creavit. Poſtquam ſanus fuerit ope tua, tu proximus ejus es: item eſt quod ipſe tibi gratias referat, ut ille, qui cuperet à te ſibi fieri, ſi tibi hoc ipſum præſtitiſſet, quod ergo ipſum implevisti. Medicinæ veritas igitur conſiſtit in philoſophiæ fundamento, poſtmodum cura feliciter ſuccedit erga Deum & homines. Abſque fundamenti hujus cognitione, quid eſt tua caritas? quam etſi libenter exerceres, iſta mors eſt alterius. Habe cognitionem artis igitur, atq; naturæ, nec non lucis iſtius.

Liber Secundus de Cura Ulcerum.

Cap. I. Cibus atque potus ad ventris impletionem à Deo non ſunt ordinati, ſed ad naturæ contentationem: quę ſi jejunium expetat, id obſervetur: ſi famem, abſtinentiam &c. Item non, ſolum illi ſunt ad ventriculi famem ſedandam & ſitim hepatis aſſumendi: verum etiam ad iſtarum corporis partium in officiis, quæ habent à natura ſuſtentationem, & eorum, quæ corpori deficiunt ſupplementum. Nedum enim caulis eſt nutrimentum, at medicamentum etiam: ſic & rapæ, caro, panis, &c. Vinum etiam & ſitis appetituſque non tantum expletionem continet, ſed medicamentum. Aqua ſimiliter non ſola potum exhibet, ac cerevisia, fructuum ſucci, lac, &c. ſitim extinguunt. In iſtis autem hæc ſervanda potiſſimum differentia eſt, ut non ſolum appetitus hepatis & ventriculi ſedetur, verum etiam ipſa neceſſitas ex ordine ſuppleatur. Hæc eſt neceſſitas, ut corpus ea ratione cibis & potibus contentetur, ut per iſtos in ſanitate conſervari queat, & ejus morbi pelli: nam in eis arcana, myſteriaque magna latent. Hac ratione Deus tam varios dedit hominibus cibos & potus, qui tamen à medicis haud bene cogniti ſunt, & pejus in uſum aſſumpti. Morbi reperiuntur, qui repetitionem habere neceſſariò volunt. Scitis enim ulcus eſſe, quod *lupus* appellatur, hoc aſſiduè repletum fore carnibus vult. Non aliter etiam in corpore lupini morbi nonnulli ſunt. Item varii ſtomachi reperiuntur inter homines, ut canini vix ſatiabiles, iſtis eſt danda repletio, quòd hæc ſanitas eorum ſit. Sunt & urſini ſtomachi, qui melle delectantur, atque rebus dulcibus, iſtæ ſibi ſanę ſunt, ſic de cæteris conditionibus atque naturis. Ut in brutis peculiares conditiones repartitæ ſunt, ſtomachorum hominum etiam diverſę proprietates exiſtunt: aliqui libenter oleribus veſcuntur, acetariis, &c. quare vaccei ventriculi ſunt: alii carnibus, qui canini reputantur: piſcibus alii, qui lutrę ſtomachi dicuntur: ſic de reliquis. Hac de cauſa Deus, quòd hominum ventriculos in tam diverſis appetitibus poſuerit, etiam tam varios cibos atque potus ordinavit. De naturalibus & agnatis natura dicta ſint hęc appetitibus, & non guloſis:

gulæ namq; ſtomachi ſuam peculiarem ſumunt originem in cibis atque potibus.

Varia ſunt vini genera, prout etiam diverſæ conditiones hepatum exiſtunt, & potuum appetitus varii, hic ad julep, ad hydromel alius, ad aquam ille, vel ad cereviſiam, fructuumve ſuccos, alioſque nondum inventos, quibus jecur delectatur, & qui medicis juxta ſimiles conditiones cognoſcendi ſunt ac ordinandi: natura ſiquidem hoc nos docet, ex ordine ſuo ſervare diverſimodè.

Ad ſalium fluxiones accedit maxima depravatio per ſale condirarum carnium, aut ſimilium piſcium eſum: nam ejuſmodi ſal carnibus aut piſcibus admixtum unà cum ſuæ ſubſtantiæ corruptione facilè præbet occaſionem ſui ſimili ſali corruptionis. Idipſum etiam efficiunt acuti cibi, multis aromatibus conditi, prout zingibere, pipere, nec non aliis ſalibus, ut raphano, ſinapio, alleo, ſimilibuſque. Hæc omnia corruptionem accelerant, quod ſal accedat ad ſal, Mercurius ad mercurium, & ſulphur ad aliud ſulphur. Sic in ſtomacho triplices coquuntur ex tribus illis corporibus, pariter in hepate fit ex potibus. Quapropter medici peritia conſiſtit in eo hac in parte, ut hominem in ſpiritu ſalis cognoſcere diſcat: poſtea ſal unumquodque, tum ex natura ſimilem cibum, in eo ſale conſtitutum, ne hunc adminiſtret: nam eo pondus augebitur, quo fieret ex abundantia quæpiam eruptio. Verùm contra ſal amarum eſt medicina ſibi ſimile ſal, ſed dulce, non amarum: contra ſal aſperum ſuum, ac mite: contra ſiccum ſimile, ſed humidum, & ita conſequenter juxta proportionis demonſtrationem. Ejuſmodi ſervata prius concordantia, tum demum adeſt in cibo regimen & potu, ut in his tribus continetur verè ſalibus ad ſanitatis conſervationem adductis, & contra morbos præſervationem. Quare cum irruperunt morbi, jamque ſumunt argumentum, ſubſequitur etiam ea, quæ dicta eſt, neceſſitas.

Animadvertendum etiam, ad ſalis fluxum alios accidentales accedere, prout videtur in torrentes alias aquas incidere ſemper velle. Non aliter ad ſalis fluxum alii duo fluxus concurrunt, videlicet ex cibo & potu. Stomachus & hepar nutrimentorum ſal accidentale, ſalis corpori naturali coaptant, ea ratione, qua nutrimentum in ſalis fluxum convertitur pro parte, ſimulq; fluunt. Latius ex poris venarum & carnis liquor affluit, & ſudor, qui cruor eſt ibidem, & guttatim in ejuſmodi fluxus decidunt, ac ita propter vicinitatem in ſuam eſſentiam tranſmutantur cum aliis, & ſimile ſeducit hac via ſibi ſimile. Sic triplex ſalis fluxus efficitur, qui corpus eſt pro tertia parte: videlicet ex ſale ciborum & potuum ad hujus tertii corporis nutrimentum exiſtente, ex cruore, tum ex liquore & ſudore, qui in carne ſunt: affluxus iſti tres per unicum excitantur. Hæc à me dicta ſunt, ut repletio vitetur prorſum in ſimilib. at potius abſtinentia ſervetur, id eſt, ex ſignis fluxuum & ulcerum tantum ordinetur ipſa diæta vel abſtinentia. Quo facto ſalis corpus virulentiam relinquit, citiuſque perſanatur ulcus: nam exiccatur corpus ejus, ut non valeat amplius ad cutem fluere, ſed ſuo loco manens exiccari cogitur. Similis exiccatio minime fieri poteſt, niſi corpus ſalis mitigatum ſit, aliàs iterum fluendi ſumet occaſionem. Non tamen hac de cauſa volo, ut abſtinentia medicamentum ſit, aut æſtimetur, ſed Empiria ſolum, quæ aliquo tempore locum habet: nam aliquando per nimiam diuturnitatem æger moritur, aut incidit alius accidentalis morbus; tum loquuntur imperiti medici, *niſi hoc aut illud obſtitiſſet, omnia ſe bene habebant*, &c.

Sancti piique viri ſtrictam in eremis vivendi rationem ſervarunt, non (ut nonnulli dicunt) quod hac via ſeſe caſtigare voluerint, ſed potiùs, ut vitam longam conſequerentur, quam etiam adepti ſunt. Non per ſe repererunt, ejuſmodi cibos atque potus ad longam vitam idoneos eſſe, verùm à ſpiritu medicinæ didicerunt per diligentem inveſtigationem. Diætam igitur habuerunt ad vitam longam. Etenim quicquid homo deſiderat, idque ſumma diligentia proſequitur, acquirit. Sic etiam Joannes Baptiſta vixit ab adoleſcentia ſua, uſque ad ſuæ decollationis diem abſque morbis, ea de cauſa, quia cibus ejus mel fuit, non permiſit, ut ſal in ſuam tranſiret malitiam, neque mel cibis aliis admiſcuit, nec vino, ſed locuſtis ramorum arborum tenellis & virentibus: quare ſanus admodum vixit, non ob ſanctimoniam, aut meritum erga Deum, ſed propter ſobrietatem, quæ decuit ejus officium. Hujus vitæ victûſque ratio medicis in exemplum eſſe deberet, qui conſilium ad ſanitatem hominibus dare cupiunt. At cum ipſi turpiter, immundè, nec non adulatoriè medicinam factitent, conſilium in regimine coquinæ ſolùm adhibent, non autem ad ſanitatem, ſed in quantum videtur eis cibum non defluere. Tales medici prorſus ad chirurgiam ſunt inutiles, ut in ea regimen aliquod inſtituant, verùm ad repletionem tantùm. Alii, qui victus rationem juxta neceſſitatem intelligunt, ſanos conſervant homines, & quos curant, vivificant, id eſt, in ſanitate perſeverantes efficiunt. Hoc dico ſolùm, ut medici per exempla ſanctorum ad abſtinentiam naturæ ſuos admoneant, quos curant, ut ſani facti perſeverent in ſanitate.

Cùm igitur adſint exempla certorum hominum atque ſanctorum, per quæ judicare poteſt medicus, qua ratione componi recepta debeant, ab exemplis videlicet piorum, & non Epicureorum, ſequitur inde medicamenta reperiri, quæ dictos morbos externos intrinſecus, & extrinſecus perſanant. Nam prout vulnera potionibus curantur ab internis extra, non ſecus & cibis fieri poteſt, ad hunc modum ſcilicet, ut *butyrum, caro, panis, herba, vinum, aqua*, &c. talia ſint, ut locum potionis vulnerariæ ſupplere queant: nam ejuſmodi cibis nutrimentum aptum ſit ſuo corpori. Si conſolidativa ſint, & mundificativa, conditiones iſtas etiam in corpore ſervant, idque conſervant juxta ſuam naturam. In nutrimentis naturæ conditio talis eſt, uti medicamentum unumquodque nihil aliud exiſtit, quam inſtauratio quædam ægri membri, confirmatio, ſuſtentatioque, nec non augmentatio ſanguinis & carnis eſt competentem. Cum ergo cibus nutrimentum ſit, æquum etiam eſt, ut ad hunc modum adhibeatur, quo membrum ægrum ab eo conſolationem recipere valeat, & ſui lumbi nutrimentum ibidem inveniat, auxiliumque. Hac de cauſa nutrimentum continere debet, non quòd ſtomachus illud inſtar medicamenti cujuſpiam deglutiat, verùm ut nutrimentum digerat: ſic de jecinore judicandum. Poſtquam latiùs & ad loca ſua devenerit, adeſt naturæ balſamum, quod hoc ipſum recipit, & potentius eo factum, abſumit una cum ejus cauſa damnum: hâc viâ pars ſimilis illi parti ſuam poteſtatem adimit, integramque reddit Anatomiam, ac in priſtinas vires ſuas redit, ſic ut fluxus amplius emanare minimè poſſint. Poſtmodum ſanatio per medicamentum in cibis ſitum ſequitur, hoc eſt, progreditur in finem uſque.

Si verò ſumpſeris ea, quæ proveniunt ex herbis, ut ex lacte butyrum, fac ut ejuſdem vaccis plurimum ſalis adhibeas lambendi, nec non vulnerariis herbis alas, ut *ſerpentina, hirundinaria, agrimonia*, &c. tandem ab earum lacte butyrum extrahas, edendum præbeas ægris, & bibendum lac, excepto caſeo: nam vires herbarum vulnerariarum non tranſeunt in alia lacticinia, ſolum in lacte manent, aut in butyrum ſe recipiunt. Animalium, quæ lac non exhibent, carnes adminiſtrentur ejuſmodi nutrimento factæ, ut ſupra de lacte habetur, inde nil niſi bonum oriri poterit. Hac ratione ſuillæ carnes Judæis prohibitæ ſunt, quod inde morbos & lepram conciperet, cum eis in eſcam adhiberentur. Conſuetum eſt enim, ut omni quod immundum fuerit cibentur porci, qui ſi, ut ſupra narratum eſt, alerentur, quæ caro ſuilla vel porcina foret

excellentior? Herbæ vulnerariæ pariter ad hoc optimę ſunt, ut ſerpentina ſimileſque: nam iſti cibi malignos ſalis omnes ſpiritus digerunt. Reperiuntur herbæ quædam, quæ ſumptæ vel comeſtæ, quævis ulcera perſanant, cancrum etiam atque lupum: verum Latinis carent nominibus, Græcis, Arabicis, Chaldaicis, &c. Veteres enim & primi medici nullam faciunt mentionem earum, aut Pandectæ falsò, perperamque nobis traductæ fuerunt. Verum contemptui ſunt habitæ, virtutes earum tamen innumeræ, nec non inexplicabiles ad ulcerum curam exiſtunt. In Germania naſcuntur abſque nominibus: non eſt enim, qui nomina dederit, vel audiverit hactenus: quare ſi nova darem eis & prima, vitio mihi verteretur. Nihilominus cum herbarium in lucem venerit, eas manifeſtabo formis atq; figuris, quæ hoc loco poni minimè poſſunt, ut intelligantur. Ponam tamen inferius vocabularium ſub hujus libelli finem, quo quidem intelligentur admirandæ virtutes earum ſupra quævis extrinſeca medicamenta. Meo tempore cereviſiæ juxta ſuam artem coctæ ſunt, cum additione dictarum herbarum, quæ ſingulis diebus potæ, præter alia mirabiliter curarunt ulcera, fluxus quoque repreſſerunt, qui prorſus incurabiles exiſtimabantur. Item in vino ſuſpenſę hoc ipſum effecerunt, at non tam citò, quod vinum adverſari magis, quàm prodeſſe conetur. Similiter hydromel excoctum fuit, ut ſuprà de cereviſia dictum, quod iſta fuit excellentius. In jure carnium etiam coctæ, mirabiles curas operatæ ſunt, etſi prioribus decoctionibus in cura tardiores, ad anni tertiam partem videlicet: curata ſunt ad hunc modum ulcera, quæ multis annis patientes ſuos torſerant. Æquum eſt igitur, ut earum faciamus hoc loco mentionem, quo cum herbarius venerit in lucem, per ejuſmodi remedia ſubvenire poſſitis hominibus, illa relinquentes, in quibus auxilii nihil hactenus inveniſtis, ob quæ merito vilipendimini. Mirandum eſt ſanè Germanos medicos, in præſentem uſque diem tantum expertos non fuiſſe, quo potuiſſent ejuſmodi herbis indere nomina, deque ſuis virtutibus aliquid ſcribere: ſolùm juxta veterem picturam dicere, ſiquidem eſt, eſto. Percipere non poſſunt etiam aliquem fore, qui fideliter ægris ſubvenire cupiat: ſolùm id, ut pecuniam habeant, omnes curant, hoc modo curatur nemo.

Cap. 2. Poſito vero corpore prout ſupra, ſequitur inde cura per admixtionem, quæ ſimilis exiſtit. Ubi verum corpus adfuerit, cura conſiſtit in herbis vulneraribus, aliâ viâ tantùm præparatis, quàm herbarum communis præparatio fieri ſolet, coctione ſcilicet cum vino veteri, vel commixtione, repurgationeque ſimul cum recenti, poſtea potis, &c. Non ita hoc loco: fieri liquores enim debent præter mixtionem. In exemplum. Qui præparare conſolidę radicem novit, & per ſe, ut bibi queat, medicamentum habet ad ulcera, ſic de cęteris herbis & radicibus: excepto ſolo, quod ſine mixtione vel additione præparentur in potionem, & bibantur, non ut in vulneribus. Optimæ ſunt ad hoc negotium & opus herbæ *Conſolida*, *Serpentina ſolida*, *Perſicaria*, *Ciclamen*, *Chelidonia*, & aliæ plures quæ hactenus in uſum non venerunt. Ad hunc modum in potiones adducuntur. ℞. *conſolidæ radices optimè raſas & repurgatas, contunde: poſtmodum adde panis tantundem, & iterum tundendo ſimul commiſce, pluſque panis adde, tandemque poſtea ponas in veſicam porcinam bene ligatam, & in fimum equinum calidiſſimum in quo maneat aliquo tempore, ſingulis octonis diebus aſpiciendo.* Fiet inde rubea materia quædam, & poſtremo pultium inſtar mollis: non prætereat verum tempus, id eſt, in fimo longiori tempore, quàm decet non relinquatur. Extractum poſtea torculari fortiter exprimatur, ſecus manente paſta duriſſima: cui paſtę plus addito panis, & putrefac, ut ſupra, tam diù proceſſum hunc ſervato, quouſque radix & panis expreſsè penitus exiſtant. Accipe tandem ſuccum ejuſmodi viſcoſum, & per ſe putrefac in vitro ſuo tempore, poſtea deſtilla totum in cineribus, & ab eo quod aſcenderit ſepara phlegma per balneum, ut nullum aſcendat amplius. Manet in vitro conſolida pane quidem in phlegmatis albi forma per balneum ſeparato. Non ſolum in conſolida proceſſus hic ſervari poteſt, ſed in omnibus aliis herbis & radicibus vulnerariis etiam, quarum numerus magnus eſt, & quæ poſtquam in præparationem adductæ ſunt, nedum ulcera manifeſta, verum etiam occulta curant intrinſeca, pariter oſſium & pudendorum rupturas, ut per ſaniculæ radicem albę, ſimileſque. Succus ejuſmodi vulnerarius aut oleum ita præparatum, adminiſtrari debet cum admixtione medicamenti ſalini, prout ſupra, vel vino bibendum, aut in aqua deſtillata, quo curantur ulcera quęvis, ab internis ad exteriora. Et quamvis hic novus proceſſus exiſtat, & non vetus, nihilominus majoribus præditus virtutibus, quàm veteres omnes, cum in illo ſubſtantia rerum in corpus tranſmittitur, & ſpiritus ejus non ſolum, qui minimum auxilii præſtare poteſt in ſimilibus. Admirandę reperiuntur in montibus herbæ, nec non aliis in locis, quæ non ſunt in uſu, ruſticis magis notæ quàm medicis ipſis, & per ſeipſas rudi modo mirandas virtutes patefaciunt: præparatæ quidem operationes perficiunt incredibiles, ut etiam Apothecarios omnes, herbarios eorum, & medicinæ codices pudefaciant. Quapropter medicinæ diſcipulo nihil utilius, qui diſcere per quàm optimè cupit, quàm, ut in varias regiones peregrinetur: hoc fit, ut audiat, ac ut videat ea, in quibus omnes libri ſurdi cœcique prorſum exiſtunt. Quandoquidem ſchola medicinæ tegulis non, ſed integri firmamenti, cœlique magna teſtudine circumtegitur.

Cap. 3. Ulceroſis ordinandi cibi potuſque ex herbis ad id medicamen congruis, aliis prohibitis in finem uſque ſanationis. Quo facto primum capitulum præſupponendum venit, ex quo diæta ſumenda eſt. Verùm quia materia peccans præ manibus exiſtit, eam unà cum cibis repurgare conveniens erit. Ejuſmodi purgatio fit ante cibi ſumptionem duabus horis, poſtmodum eſt quod edatur, idque ſingulis diebus continuandum erit abſque intermiſſione. Hæc purgatio competens ulceribus, talis non eſt, qualis humoriſtarum illa: nam ibidem humor non eſt, quod iſti putant: quare nihil præter ulcus purgatur, non ſtomachus, non cutis, nec ſimile quidpiam. Proceſſus iſtiuſmodi purgationum conſiſtit in iſtis corporibus, nempe vitriolo, tartaro, eſula, centaurea, ſylanda, juniperique locuſtis. At quod iſta purgent alio modo non pręparata, hac de cauſa præparari prius debent, quàm ab iſta prębeantur. Anatomiam ulcerum ſolum purgant, ut poſtmodum eâ purgatione factâ, reliqua corpora, ſcilicet incarnativa, & conſolidativa ſuas operationes exercere valeant.

Præparatio vitrioli.

Suſpendantur ejus unciæ quinque in viginti menſuris vini, & cum iſto repurgentur. Ejus vini ſumatur cochlear unum, ut ſupra narratum eſt.

Præparatio tartari.

Tartari liquoris deſtillati libra, in vini recentis menſuris quadraginta, repurgetur, ut ſupra per ſe naturaliter, & ejus vini cochlear unum detur qualibet vice.

Præparatio

Præparatio centaureæ.

Maceretur hæc in aqua ardente, poſtmodum extrahatur ejus eſſentia quinta, juxta communem uſum. Hujus extracti guttas adminiſtrabis decem in aquæ deſtillatæ ex herbis vulnerariis uno cochleari, prout ſuprà diximus.

Præparatio Eſulæ.

Hujus virentis radicem & herbam, atque ſemen in ſerô lactis coquito, quouſque liquorem habeas; hunc exprimito, coquendoque ſuaviter elixato, donec indureſcat: Ejus adminiſtrabis aliquantulum ſingulis diebus manè potandum. Lac omne ſiquidem hôc locô ſumitur, eô modô, quô tyrus in theriacâ.

Præparatio Sylandæ.

Coquatur in aquâ Ciclaminis deſtillatâ, cooperta quidem in vitrô per horam, expreſſa poſtmodum aqua, recenti ciclaminis aquæ permixta, bibatur, manè ſingulis diebus, ad quantitatem unius cochlearis.

Præparatio Juniperi locuſtarum.

Præparandæ ſunt in liquorem cum oleô de ſpicâ: Hunc vino permixtum partibus æqualibus adminiſtrabis. Et quamvis alia multa reperiantur ejuſmodi ſimplicia contra fluxus ſalium, principalia tamen enumeravi, quibus contentus eſto. Medicus omnis, defectus hominis cognoſcens, eoſque explere cupiens, juxta poteſtatem à Deô conceſſam; per naturæ medium, primò funditùs quidnam ſit corpus hominis, & in quô ſit conſtitutus hic, unà cum ſuô corpore materiâque ſcire debet: Eô cognito, facilè reperiet quid ſibi faciendum ſit. Abſque ſcientiâ fundamentoque nemo debet Medicinam aggredi, maximè Chriſtianorum, quibus veritas inſita eſt. Verùm Gentiles atque Judæi quodvis præſumunt pro ſuo facere arbitrio.

Chirurgicæ Paracelſicæ Liber Secundus Curas Vlcerum continens.

Cap. I. *De cura ulcerum ſævientium.*

CUm tibi fuerit oblatus unum aut plura patiens ulcera, perquire primùm eorum origines ab exordio. Si dixerit à frigore priùs incepiſſe, tandem in calorem fuiſſe mutatum, & aliquoties id accidiſſe: poſt rubedinem ortam in ulceris loco, tumore cum, incendio, duritieque, &c. huc atque illuc vagatum eſſe, in uno loco non quieviſſe donec temporis aliquo ſucceſſu radicem fixerit, eoque loci fecerit exitum. Nunc adeſt ſæviens ulceris infirmitas.

Iſtius cura dividenda eſt in tres partes. *Prima*, priuſquam ulcus enatum eſt: *ſecunda*, poſt ortum iſtius: *tertia*, poſtquam curatum erit: quinam in ſanitate conſervandum.

Primam ita curam aggredere: cum frigus advenerit, nihili faciens illud tranſire finito per ſe, quamvis æque foret intenſum, ut in peſtilentia. Verum ubi calor irruperit, animadverte naviter, in quem locum ponere centrum velit. Hoc percepto, myrrhę rubeæ ſemunciam accipe minutiſſimè tritæ, & albi thuris tantundem etiam contuſum, per ſe ponatur in ſacculum lineum utrumque, & coquantur ambo in aceti menſura ß. & in vini albi menſura una: poſtmodum linteum hoc liquore madidum, & ita calidum ſuper centrum collocabis: & ubi ſiccatum fuerit, humectatum iterum & calidum toties applicetur, donec omne incendium conſumptum ſit. Melius medicamentum ad ulcera ſævientia reperire non potes: bullire permittas optimè. Calefieri ſæpius poterit, ac materię plus & pulverum juxta proportionem addi, coqui latiùs, &c. Non indiges alio medicamento: nam ablato calore tantùm, cura hæc erit abſoluta.

Secunda fit, ubi jam ulcus patulum os habet, origine ſimili cognita, quam ſupra narravimus. Amove primùm calorem atque tumorem, ſi adfuerint, dictis medicamentis: poſtmodum ulcus inſpice, num indigeat mundificatione: hanc adhibe, ſi non conſolida.

Mundificatio talis eſt: Accipe *aluminis uſti* ℥ß. in aceto quidem extincti, *mellis* ʒß. *aloepatici* ʒj. pulveranda pulverizentur, & ſuper ignem coquendo modicè commiſceantur, & in emplaſtri non duri formam reducantur: hoc manè veſperique ligentur ulcera. Si vetera ſint, & prava, calcinati parum adde, & ſic mundificabuntur ad fundum uſque. Mox inde ſequitur conſolidatio talis: Accipe *fodicationum emplaſtri lib.* 1. *ſecundum artem Chirurgiæ compoſiti*, cui croci Martis addatur ℥ß. & calcinati ℥ß. & inter manus commiſceantur: hoc medicamento ligentur ulcera manè veſperique in finem concluſionis. Pro tertia cura videndum erit, ut quod conſolidatum eſt, hac ratione ſtabiliatur, ut ſingulis annis aliquot vicibus venæ magnæ vel varices aperiantur, & venæ ſævientes in ſuris aut nodis extrinſecus, aut intrinſecus, pro damni reſpectu, naturæ proprietatiſque. Animadvertendum etiam inter curandum quales venæ ſęvientes appareant: ſi putridæ ſint, aut leproſę, tum aperiantur, & fluant pro neceſſitate, quoties opus fuerit. Nam laxationibus conſervantur.

Cap. 2. *De cura fiſtularum.*

SI patiens offeratur, qui tibi foramen parvum oſtendat ſpumans, inſtrumentoque reperias tentando, latius intrinſecùs, quàm extrinſecùs, & profundum admodum exſiſtere, petas quod ejus exordium fuerit, & qualis origo. Si fuiſſe primò dixerit apoſtema, quod eò ſe contulerit poſt eruptionem, aut inconveniens medicamentum, fiſtulam fore judicato.

Nunquam hactenus auditum eſt, genus hoc ulcerum ſanatum per ſe fuiſſe, verùm per medicamenta ſolùm, & optimè conditionata, vel alias minimè curabuntur. Duplex eſt iſtorum cura, videlicet interna per potiones, & externa per aquas & emplaſtra, vel alias illitiones. Cùm verò ſemel conſolidata fuerint, nunquam ampliùs erumpunt, nec indigent conſervationibus, & minus diæta.

Potio talis erit.

℞. *Ciclaminis m.* ij. *fæniculæ albæ m.* j. *herbæ ſophiæ m.ſs.* coquantur in vino prout vulnerares potiones. Poſtmodum adde *caryophyllorum olei per alembicum tracti* ℥ j.*ſs.* Ter quovis die patientibus dabis in potum, ut in quovis hauſtu juſta ſit olei portio mixta & æqualis. Hac potione ſolâ quæ recentes fiſtulæ fuerint, curabuntur, at ſi veteres latiùs procedendum erit.

Ablutio talis fore debet.

Deſtilla ſimul ʒiij. *olei laterini*, ʒvj. *olei terebinthinæ*, ʒ j. ß. *olei charyophyllorum, per alembicum*: & poſtmodum cum additione hac rurſum deſtilla. ℞. *Maſticis, myrrhæ, thuris ana* ʒij. *mumiæ* ʒiij. Deſtillato hoc ablue fiſtulam immiſſione per ſyringam uſque ad fundum quovis die bis: & intermiſſis vicibus abluatur eodem inſtrumento ſæpius vino vel aquâ ſalsâ, ut in eis nulla putredo maneat.

Extrinſecùs applicetur fodicationum emplaſtrum cum calcinato mixtum, & eo manè veſperique ligentur, ſecundum uſum. Alia multa reperiuntur, quæ fiſtulas & ſimilia curant efficaciter, ut *oleum Saturni*, *oleum*

oleum Mercurii, *aquâ Mercurialis*. Hęc certiſſima ſunt, & minime fallentia medicamenta.

Sępius evenire ſolet, ut accidentia ſimilia vel alia naſcantur in oculis, auribus ac locis, in quibus emplaſtris uti non bene convenit, potionibus & ablutionibus contentum eſſe te decebit, & utcunque poteris guttulas tres, quatuor, aut plures, juxta commoditatem immittere.

Cap. 3. *De cura ulcerum ſimul accumulantium.*

CUm patiens aliquis multa foramina tibi unum penes alterum oſtenderit profunda, & in latum diſpoſita, ſicca, vel paucam ſaniem proferentia, in quovis loco ſita corporis, pauca ſive multa ſint, originem perquirere. Si prius multę rugæ fuerint, durique nodi plurimi, quæ poſtmodum aperta ſunt, & mediocrem dolorem inferunt, curabis, ut infra.

Ab eorum exordio ſine, ut tibi per ſe faciant exitum, quæ nodoſa ſunt, & nulla durities ibi maneat: nam curare minimè poteris, quamdiu duri nodi fuerint ibidem: & ſi concludantur, non permanebunt. Ad hæc noli corroſivis uti: nam iſtis applicatis in aliam conditionem incidunt, & alio loco. Noli etiam propellere quæ certò reverſura ſunt. Poteris tamen duros nodos circa foramina medicamento in iſta reſolvere.

Unica eſt eorum cura, videlicet in conſolidatione ſita, præcedente mundificatione: liganda ſunt ſingulis duodenis horis incarnativo hoc.

♃. *Unguenti vitellorum ovorum* ℥iij. *olei Mercurii* ℥j. his mixtis ligando curabis ea, uſque ad concluſionem. Vel accipe *loco oleorum calcinati magni* ʒij. *& cum unguento prædicto miſce*. Vel omnium accipe loco fodicationum emplaſtrum, cum calcinato magno mixtum, juxta conditiones ulcerum. Quocunque horum uſus fueris, ſimilia quævis ulcera curabis in quolibet corporis loco ſita. Quamvis talia foramina varias conditiones habeant, ac nonnunquam ſuperiorem partem crurum occupent, inferiorem alias, aliquando latera, vel regionem ventris inſtar cinguli, & quandoque brachia: licet etiam aſpectu ſimilia fore non videantur, nihilominus unius omnia generis exiſtant, ac ſub hac una cura comprehenduntur. Hoc unicum animadvertendum eſt ab initio, num duros nodos habeant, quibus cognoſcenda ſunt.

Cap. 4. *De cura ulcerum emortuorum.*

CUm tibi patiens ſui dixerit ulceris initium atque finem hęc fuiſſe, videlicet nunquam, nec pro præſenti ſenſiſſe dolorem aliquem. Qualecumque ſit ulcus, ubi ſignum hoc audiveris, curabis, ut ſequitur.

Primo quidem erit mundificandum: & poſtea conſolidandum: poſtremò verò concludendum, & his tribus operationibus curari poterit, alias non, niſi fortaſſis puſillum foret hoc damnum. Mundificatio fit calcinatis: cura fodicationum emplaſtris: & concluſio, croco Martis. His curantur hujus generis ulcera, præter ullam reſiſtentiam.

Mundificatio.

Calcinata miſce cum unguento de melle, hoc ligabis tamdiu, donec bonum fundamentum appareat, abſque putrefactione carnis, & fœtore ſine, aut ſimilibus, quod quinto ad ſummum die fieri ſolet. Poſt fundamentum hoc operare latiùs, ut ſequitur.

Cura.

Fodicationum emplaſtra ex lithargyrio, vel colophonia ſuperpone, & liga: quinto quoque die renovabis emplaſtrum ab initio ſemper continuando. Si tamen ſucceſſu temporis majore mundificatione ſit opus, iterum ac toties mundificabis, & rurſum ligabis amplius juxta neceſſitatem. Poſtmodum fodicationum emplaſtro proſequere, uſque ad concluſionem.

Concluſio.

♃. *Crocum Martis* in igne per ſe combuſtum, aut reverberatione paratum, non per acetum hunc ulceribus iſtis inſperge quoquo die bis. Et cum ſecundò voles eundem inſpergere, lavato priùs ulcus hac aquâ. ♃. *communis aquæ menſuræ partem quintam*, *aluminis* ℥j. *ſalis communis* ʒß. Et ubi mundè laveris, exſicca, poſtmodum inſperge crocum Martis & concludе. Patienti poſt poteris diætam aut ordinem in cibo & potu præſcribere, nec non phlebotomias convenientes ſupra damni locum. Etiam in thermis balneare fuerit utile.

Cap. 5. *De cura crurum, quæ per ſe aperiuntur.*

SI tibi quis offeratur, ſub genibus crus inflatiſſimum & humoroſum, cum plurimis foraminibus putridis, concavis, circumrodentibus, & maxima duritie habens: origine diligenter examinata, ſi comperiatur, ab initio bullas quaſdam aggregatas fuiſſe, quæ longè poſt auctæ creverint, incurabile damnum fore per ſeipſum indicabis, & indies pravius futurum.

Ad iſtorum curam operationes quinque requiruntur. *Prima* eſt in vaporibus balneatio: *ſecunda*, tumorum ablatio: *tertia*, mundificatio: *quarta*, conſolidatio: *quinta*, concluſio: quæ omnes cum diligentia maxima perfici debent.

Balneatio in vaporibus.

♃. *Hirundinariæ* ʒij. *fæniculæ vel diapenſiæ*, *anagallidis aquaticæ*, *uſneæ lapideæ*, *florum ſambuci anà m. j.* coquantur in aqua, poſt in vapore calido crus teneatur, aquâ non tactâ. Potes etiam addere *camomillæ m. ij. fimi palumbini m. iij. fimi gallinarum m. ß.* erit eo melius balneum. Hoc manè veſperique fiat ante ligationem.

Ablatio tumoris.

Florum taxi, *florum hypericonis ana m. ij. florum ſambuci m. iij. florum camomillæ m. ij.* coquantur ſimul in vino & aceto. Poſtmodum expreſſo prorſus humore, flores tantum ſuperponantur univerſo damno, tamdiu, donec hic humor ceſſet.

Mundificatio.

Unguentum de vitellis cum calcinato mixtum, hoc implebis quoquo die ſine intermiſſione, donec fundamentum bonum, & fœtorem omnem atque putredinem receſſiſſe videas, tum demum ad conſolidationem tranſi.

Conſolidatio.

♃. *Fodicationum emplaſtri ex colophonia* ℥iij. *& fodicationum emplaſtri ex lithargyrio* ℥vj. *reſinæ mundiſſimæ* ℥j. ß. igne lento miſceto ſimul, & in formam reduc emplaſtri cum croco Martis, & calcinato pro diſcretione ſumptis. Hoc liga ſecundum emplaſtrorum uſum quolibet die bis, & renova juxta neceſſitatem. Poſtmodum abſtineas à tumoris medicamento, & à balneo ſupra dicto, ſolùm utere hoc emplaſtro.

Concluſio.

℞. *Corticum ovorum calcinatorum* ℥ ß. *aluminis uſti & extincti* ʒ j. *croci Martis* ℥ j. ß. *thuris*, *maſticis*, *myrrhæ ana* ʒ ß. his omnibus optime tritis utere, ut moris eſt. Non eſt, quod cures, etſi crus gibbum retineat: nam ſæpius evenire ſolet, ut aliquoties hoc loco tanta fiat induratio, quę per naturam auferri nequit. Animadvertas, ut poſt curam tuos in convenientibus venarum phlebotomiis oportunis temporibus fiendis inſtruas. Si forte contingat, ex cibo & potu fluxus aut aliquos humores accedere, tollantur per theriacam de corallinis purgando ſubtus & ſuperne ſimul, & electuario diacubebæ confortandum erit, juxta perſonarum complexiones. Eſt etiam patientibus diæta in abſtinentiam præſcribenda, prohibendaque repletio quævis.

Cap. 6. *De cura fœtentium Vlcerum.*

UBi quiſpiam habens putridum crus, oblatus fuerit, non ex corroſivorum genere proveniens, at ex ſeipſo putreſcens, maximo cum fluxu, tumore, fœtore, putredineque, perquiras originem. Si perceperis, illum eo loco quandoque percuſſionem, truſionem, ſectum aut fodicatum vulnus recepiſſe, vel alias ex læſione provenisse, quocunque modo curabis, ut ſequitur. In primis hoc loco mundificabis, & poſtea conſolidabis.

Mundificatio.

℞. *Recentia pinnacidia abietis de menſe Maio numero triginta, ſucco plurimo reſinaque plena: coquantur in aqua tamdiu, donec reſina tota exiverit.* Poſtmodum in evaporationem bullitione cogatur aqua, ut reſina pura ſolaque maneat in terebinthinæ formam. Ex ea cum vitellis unguentum confice, quod cum calcinatis mixtum pro neceſſitatis exigentia, mundificat optimè.

Conſolidatio.

℞. *Ceræ libram unam*, *colophoniæ lib.* ß. *reſinæ quam coxiſti*, ℥ iij. & liquefac omnia ſimul. Poſtmodum injice *pulverem hunc*, *maſticis* ʒ ij. *myrrhæ* ʒ vj. *carabis flavi* ℥ j. ß. adde poſtremo *conſolidæ majoris*, *ariſtolochiæ rotundæ ana* ℥ ß. Redige ſimul in Emplaſtri formam, quo manè veſperique ligabis. At ſi neceſſarium ſit in curæ medio mundificare, non prætermittas, ut ſemper fundamentum recens habeas, aut fruſtra curabitur. Animadvertendum erit, an cum damnis hujuſmodi non ſit admixtum aliud: quod ſi contigerit, juxta ſignum operaberis: hoc loco non, at ſuo deſcribetur. Poſt curam patiens mittendus erit in balneum ſalſum per decem dies aut amplius, ut illa corruptio ceſſet: nam ex humida frigiditate procedit aluminis, quæ per ſalsum balneum calefit ac ſuperatur.

Cap. 7. *De cura ulcerum curatu difficilium.*

OMnium peſſima & intolerabilia maxime cognoſces vulnera, cum patiens de continuo dolore, nullaque requie conqueſtus fuerit, ob inflammationis uredinem, propriam corroſionem, ut in lupo & cancro, &c. contingere ſolet, ac in cruribus apertis: nulla poteris iſtorum alia ſigna habere. Cura primò fieri debet per mitigationem: ſecundò per fundamenti boni recentiſque poſitionem: tertiò per conſolidationem, quartò per accidentium, ſi quę ſint, expulſionem. Hoc genus ulcerum, non niſi quod mite ſit medicamentum, patitur. Quapropter ante omnia mitigandum eſt, & poſtmodum, ut ſequitur, operandum.

Cura.

Deſtilla per vas retortum hæc olea. ℞. *caryophyllorum* ℥ *iij. baccarum juniperi*, *ſulphuris vitriolati ana* ℥ j. ß. clauſa peroptimè deſtillentur in oleum. Huic adjice olei laterini, quod mediam partem omnium pręcedentium æquet, trium majorum mitigantium, omnium cum additione quartam partem, at iſtorum inter ſe partes æquales fore debent. Hęc ſimul omnia ſecundò deſtilla. Quicquid ulcerum illicitur hoc oleo, dolorem omnem remittit, qualecunque fuerit. Poſtea mundificationem aggrediaris oportet, quæ talis eſt.

Mundificatio.

℞. *Olei de arſenico fixo* ℥ v. *olei cariophyllorum* ℥ *viij. realgaris clari*, *perſpicui criſtallini* ℥ j. permiſce, & in eo linteum humectatum ſuperponatur ulceri, damnoque toti, ſingulis duodenis horis iterando tertiò, tum demum ejicit ſquamam tenuem, & inferiùs fundum recentem efficit. Poſtea ſume parum ex mundificativo de calcinatis antea poſito ad alia ulcera, hoc ipſo ter quaterve ligato.

Conſolidatio.

Fodicationum emplaſtris demum ligato ſolis in finem uſque. Non eſt quod cures admodum, ſi primo fueris uſus medicamento, nempe mitigationis, & mũdificationis, fundum ita recentem ponunt, ut ulcera, vulnera fiant leviſſimè curabilia.

Accidentium expulſio.

Animadvertendum etiam eſt accidentia, quę ſolent ulceribus commiſceri: nam aliquoties rodunt os, aut nigrum faciunt, quandoque nervos & venas, aliaque ſimilia. Quod ubi percipies, ac ad fundum veneris, non eſt quod ullo modo radas aut frangas oſſa, prout ex uſu Chirurgorum inexpertorum: at potiùs extingue caloris inflammationum refrigeriis tantùm, & poſt curam proſequere: nam ea via caro ſubducit oſſa præter ullum detrimentum. Fatuum eſt ea radere, limare, trapanareve tortorum inſtar, cum Deus aliud medicamentum dederit. Hoc medicamento quæ uſta ſunt oſſa, vel corroſa, reſtituuntur. ℞. *olei de camphora per aërem clarificati*, *olei de caryophyllis ana* ʒ *ij. miſce ſimul*, & bis liga cum aliis ligaturis, donec oſſa carnibus obducta ſint.

Cap. 8. *De Vlceribus in latum corrodentibus.*

SI tibi quis damnum aliquod in facie, ſcapulis, pectore, coſtis, & ſimilibus oſtenderit locis aridioribus corporis: animadverte, cum in latum extenditur, carnem erodit omnem, ac ad venas tendit uſque poſt auriculas, dentes & maxillas nudat, coſtas & ſcapulas ac ſimilia corrodit, ut inter cętera quævis ulcera pravius, nec pejus fore valeat. Duo ſunt, quibus iſtæ curantur ſtulæ, videlicet oleum ex metallis, & Mercurii dulcedo, ſi quolibet die bis abluantur aut illinantur. Oleum hoc à radice mortificat ſal, omne damnum iſtud inferens. Optimum ad hoc oleum eſt Saturni, poſt Lunæ, poſtea Martis, deinde Veneris, & poſtmodum Jovis. Excellit hæc omnia tamen dulcor Mercurii, qui formam etiam habet olei. Plura ſunt, quæ curant hęc ulcera in principio, ut arcanum regis, aquæ Mercuriales, nec non alia quædam experimenta. Verùm graves admodum ſunt infirmitates, quę lenioribus medicamentis minimè curari poſſunt. Quapropter excellentiſſima quęque ſunt eligenda remedia.

Cap. 9. *De cura ulcerum, quorum unum in aliud genus tranſmutatur.*

CUm patiens conqueritur, ulcus ſuum in varias mutatum eſſe formas, nunc in hanc, jam in aliam, & nunquam ad priores rediiſſe, nec in una perſiſtere, ſed novam ſemper induere: indicium hoc tibi ſufficiat, ut contra præſentem formam opereris, non contra præteritas. In duobus horum cura ſita eſt. In Mercurio ſcilicet, qui bonum fundum efficit abſque fallacia: poſtmodum in colophonia, lithargyrio, & gummi quæ conſolidant.

Præparatur Mercurius coagulando ipſum cum aqua aluminis, & iſtud coagulatum in pulverem ſubtiliſſimum reducendo: hic nullum dolorem excitat. Commiſceatur cum unguento fuſco, hoc illinas ulcera, donec fundum bonum acquirant.

Poſtea fiat emplaſtrum ex emplaſtri *lithargyrii, olei, & ceræ ana lib.* j. & in hoc emplaſtro ſive ceroto liquefiat *colophoniæ lib.* j. Poſtmodum injice *thuris* ℥j. ß *& inde mox vernicis* ℥ij. ß. Reduc in formam emplaſtri, quo ligabis ulcera ſæpius, ut audiviſti.

Non eſt quod plura medicamenta cures, hoc loco tibi ſufficiunt, quę ſupra poſuimus. Nam ulcera ſimilia curam leviter admittunt.

Ubi diutiùs ita ex una in aliam ſeſe tranſmutarint formam, ultimo in lepram libenter tranſeunt. Animadverte igitur ad ſigna præſentia, ne majora ſuſcipias, quam per naturam valeas exſequi.

Cap. 10. *De cura fluxuum corporalium.*

SI cuipiam agnatum ſit à parentibus ulcus, eſt fluxus corporalis, præſertim ubi juxta complexiones & proprietates, perſonarum correſpondent. Iſtorum cura non eſt ſimilis aliorum curis: nam fonti naturali fluxum adimere, non eſt facile negotium, aut impedire. Verùm ſæpe viſum eſt, exſiccatos fuiſſe fontes, vel ardore ſolis, aut ipſius terræ ſiccitate, ut nullum fluxum emiſerint ampliùs. Sic etiam naturales inveniuntur ſoles, hoc eſt, medicamenta naturalia, quę ſiccam in ſe naturam habent, & exſiccantem, ut ſol cœleſtis: hæc perquirenda ſunt. Qui tamen ſiccæ ſunt admodum naturæ, fluxus tales naturaliter abſumunt, ut in ulcus erumpere non poſſint.

Primùm ſit abſtinentia remedium: nam quid prodeſſet exſiccatio ſolis, ubi rurſus incideret pluvia, repleretque? Poſt diætam exſiccatio ſequatur per crocum Martis ſubtiliſſimum, qui naturalem operationem promovet in homine. Sufficit hoc medicamentum iſtis ulceribus, abundè mundificat, ubi tamen opertum ſemper teneatur, ſive fluat, ſive non, aërem expetit. Non ſecus etiam, ut fons per aliam viam duci poteſt, & corporalis fluxus, at cum ſumma difficultate: nam etſi quandoque ſit eum ſiſtere poſſibile, rurſum erumpit, fiuntque poſteriora pejora prioribus. Corpus evacuare non eſt ad exſiccationem hanc inutile, quo melius abſumi fluxus valeat: at è contra metuendum eſt, ne purgationes alio loco noceant.

Cap. 11. *De generibus ulcerum & eorum cura, quæ ex crurum fracturis, aduſtionibus, vulneribus, &c. oriuntur.*

GEnus iſtud ulcerum cognoſcitur ex eo, quod ipſemet patiens, de ſuorum ulcerum, vulnerum, aduſtionum, aut morſum animalium cum origine, tum depravationis ſucceſſu loquitur: cujus quidem pravitatis cauſſa, Chirurgorum ignorantia eſt potiſſima, quod nihil addiſcere cupiant, donec occurrat ac periculum adſit, unde proceſſit omne malum. Cognoſcere quidem oportebit, utrum eo loco poteſt remedium hac adhiberi viâ, vel aliâ, tum an iterum ad vegetationem adduci queat, os ruptum, vel membrum, cui damnum illatum eſt: quod in vulnerum Chirurgia poſui. Si tamen induſtriâ tuâ non poſſis id aſſequi, ſic facito. Primò quod impurum eſt mundifica, tum ut in Chirurgia vulnerum doctus es, proſequere.

Cap. 12. *De cura ulcerum ex propria conſtellatione provenientium.*

ACcipe *chelidoniæ m. iij. foliorum quercus m. ij.* trita ſimul, in fimo putrefiant, & poſt in oleum deſtillentur, quo laventur hęc ulcera: tum ad incarnationem inſperge tritum pulverem ex eiſdem, quæ dicta ſunt factum, in finem uſque. Non eſt quod in hoc medicamento metuas, quod ad conſtellata pertinet ulcera.

Chirurgiæ Paracelſicæ Libri II. Tractatus Secundus de Curis Ulcerum.

Cap. 1. *De cura Ulcerum per mundificationem.*

NOnnulla reperiuntur ſimplicia, de quibus compoſita fieri poſſunt abſque dolore mundificantia. Jam conſideratu neceſſarium eſt, quænam ulcera mundificationibus curari queant: nam iſtis minimè cedunt omnia. Quæ tamen eo referuntur, his operationibus curantur perfectiſſimè. Hoc te primò ſcire convenit, quod medicamentum cuique ſit ulceri congruum, ut propria ſuis appropriatis adhibeas, aut ſecus faciens errabis, & depravabis omnia.

Cum ſal adurens in ſe non continuerint ulcera, vel corroſiva, ſub hoc medicamento comprehenduntur abſque reluctantia.

♃. *terebinthinæ lib. j. vitellorum ovorum num.* 20. miſceantur in unguentum, poſtea tantundem adde mellis ut amborum eſt pondus, & coquantur igne lento, ſpatula ſemper agitando (ne comburatur) donec fuſcum inde pulmentum fiat. Hoc ligabis ulcera manè veſperique: mundificat, aufert. Quo peracto, fundum ad curam habes optimum, ut nihil relinquatur, quod curam impediat. Si tamen hoc fundamentum ab initio jactum non ſit, ad curam pervenire minimè licet.

Notandum eſt, hanc mundificationem priorem ad perfectam denique curam non ſufficere: quapropter ſequens hoc receptum poſuimus, quod perfectam docet mundificationem, hoc modo: ♃. *mixturæ ſuperius poſitæ libram j. terebinthinæ lotæ lib. ß. permiſcenda ſimul, non tamen bulliant, & injice galbani triti, opoponaci, obdellii ana* ℥j. Scinde, contundeque minutim ut potes, & ut ſupra coque cum aceto, ut mixturam habeas omnium. Deinceps adde *ariſtolochiæ rotundæ contuſæ* ʒj. ß. *optimè commiſce.* Hoc omnia curabis ulcera, quibus nullum corroſivum ineſt, nec ſal adurens.

Cap. 2. *De cura ulcerum per calcinata.*

IN calcinatis peculiaris eſt operatio: hoc eſt, in his quæ corroſiva non ſunt, ulcera mirabiliter illa curant, & vi quadam. Hoc tamen ignorare minime potes, ea tantum ulceribus convenire, in quibus urentia vel corroſiva ſalia (quæ cauſa ſunt ipſorum) operationem ſuam perfecerunt, ac emortua ſunt. Sæpius enim accidere ſolet, ut fluxus abundantia, tanquam nobis repentina laceratio fiat, indeque mox ulcus erumpat, & poſtmodum nihil efficiat ampliùs. Ex eo concluditur, ubi congruum non adhibetur medicamentum, pejus quid oriri poſſe,

ſe, quod ſal balſami rurſus incendit, unde permanens ulcus enaſcitur. Cum ergo ſimilia tibi fuerint oblata, calcinatis cura, prout ſequitur: ℞. *Vitella ovorum decem, terebinthinæ* ℥ viij. ß. *in unguentum age, prout moris eſt:* huic adde calcinati ℥ ß. His bene permixtis, manè veſperique liga: videbis mirabiles operationes hoc loco.

In concludendis ulceribus his, emplaſtro de reſina poteris uti, quo meliùs pellem obducat. ℞. *Reſinæ communis libram j. ceræ lib.* ß. *picis Græcæ* ℥ iij. *liquefac ſimil. & his permiſce calcinati* ℨj. & utere hoc emplaſtro ſolùm in ulceribus non uſque adeo profundis, aut magnis, & facilè curabuntur. At ſi profunda lataque fuerint, poteris hoc ipſum emplaſtrum indere filis in pinacidium contortis, &c. Curabis omne genus horum ulcerum ex abundantia fluxuum ortum habentium.

Animadvertendum in his, ut in principio ſęvire permittas. Nam hæc eſt multarum infirmitatum depravatio quod Chirurgi curare velint ante maturum tempus, & cum adhuc ſæviunt morbi. Quicquid eo tempore fuerit aſſumptum, ſive ligno, fumigiis, aut unctionibus, hoc omne depravatur, & ita fit enorme, ut nullum amplius medicamentum, non niſi poſt multos annos admittere velit. Quapropter Chirurgus optimè ſævientis naturæ terminum obſervare debet antequam incipiat curam: ut non ſævientem naturam laceſſat magis, dum in opere ſuo fuerit, at expectet finem turbationis ejus, & fatigationem, poſtquam omnia requiem quærunt. Hoc ipſum felices curas efficit, & Chirurgus eo ſibi laudem acquirit non exiguam.

Cap. 3. *De cura ulcerum per corroſiva ſalia calcinata.*

NOnnulla per corroſiva calcinata ſalia curantur ulcera, ſed ea ſolùm, quæ depravata, & non ſunt in proprio corroſivo ſuo genere, nihilominus curam alia via factam abhorrent. Ejus cauſam eſſe ſcias, quod fundamentum nullum habeant, ſuper quod carnem plantare poſſent, aut in quo vegetare quidpiam aut creſcere valeret. In his animadvertendum eſt, nonnunquam ulcera curam ſuſcipere nolle, quæ tamen aſpectu pulcra juxta conditiones ulcerum exiſtunt. Hoc fit, quia fundus eorum non valet. Quapropter amovendus eſt, donec bonus inveniatur. Ubi quæ diximus jam non apparuerint, iſto medicamento non erit utendum: nam eo damnum fiet majus, & ita pravum, ut vero ſuo medicamento reluctabitur. Certiſſimum hoc eſt, ſtatim atque medicamentum incongruum adhibitum fuerit, in deterius damnum vergit, ut longo tempore poſt nulli curæ morem gerat.

Cura.

℞. *Alumen uſtum in aceto exſtinctum, & oleum de arſenico per propriam ſuam reſolutionem paratum, permiſce ſimul in unguentum.* Poſtea fac unguentum ex vitellorum unguento cum alumine mixto. Item fac unguentum cum calcinato vitriolo, & unguento de ceruſa. Sic utere.

Cum itaque ſcire non poſſimus, quàm profunde caro ſit auferenda, primò nobis utendum erit unguento ex unguento cum alumine calcinato, ligandumque tamdiu, donec ſanum ſit ulcus, quod plerunque fit in quatuor diebus, aut citiùs. Si hoc non juverit, utendum erit unguento cum alumine & oleo de arſenico. Et ſi hoc ſecundum nihil proderit, unguentum de vitriolo rem perficiet. Animadvertendum, ut quod unguento primo poteſt fieri, fiat, & non aſſumatur ad hoc tertium, ac ſi crederetur iſto rem abſolvi citiùs, utriuſque, nempe Chirurgi patientiſq; damnum erit: nam raro bene ſuccedit hoc negotium, ubi meliùs operari præſumitur, quàm res ipſamet exigat. Chirurgo dedecus maximum eſt, ordinem Chirurgiæ non obſervare.

Latiùs notandum erit, ubi neceſſum fuerit uti poſtremo, quandoque ejicit eſcharam, hanc oleo laterino ſubleva, butyroque ſtatim ſuperpoſito, ut ſeparari melius valeat. Nihilominus curandum non erit, etiamſi eſchara ſit adhuc in foramine, ſed abſque butyro & oleo ligandum unguento de calcinato ſemper, aut cum eiſdem calcinatorum emplaſtris, & ejicitur. Ubi jam ceciderit, æquatum eſt ulcus, & ſola conſolidatione, poſitioneq; pellis indiget.

Plura corroſiva reperiuntur, ut Mercurius ſublimatus, arſenicum, & ſimilia. Verùm ab eis caveat unuſquiſque. Nam ex ordine Chirurgiæ non ſunt hoc loco idonea, quod martyria carnificum adferant tormentis haud abſimilia. Levius negotium hoc alia via rationeque perfici poteſt.

Dicam & hoc: Ubicunque talia fuerint ulcera, quæ fundum perverſum habent, corruptione meliùs & perfectiùs, præter eſcharam curari poterunt. Aut ubi caro bona foret, at infecta veneno, ſine damno carnis erit extrahendum. Cuperem in utilitatem patientum hanc artem penes Chirurgos omnes fore communem. Puncta duo hæc notatu digniſſima ſunt, ad evitandum intolerabiles calcinatis ſalibus dolores excitatos, & præſertim eorum abuſus maximos. Unum eſt putrefactio, & alterum à carne veneni præter læſionem extractio.

Putrefactio.

℞. *Aluminis aduſti per acetum correcti* ℥ ß. *ſalis armoniaci* ℨj. *vitella ovorum numero quatuor, mellis cochlear unum, farinæ hordei* ℥ß. in unguentum ſimul omnia permiſce, quo ſingulis viginti quatuor horis ligato ſemel, foramen implendo: tum incerato linteo ſuperius obſtrues optime ne quid exeat. Hoc fac ter aut quater, & ſatis erit. Quod nullius eſt momenti, putrefit, ac ſeparatur à bono ſine corroſione, dolore, & præter eſcharam, ac ſimilia: quodque remanet, bonum eſt, ut ſuper hoc incarnate tutum ſit.

Extractio veneni de carne, quæ adhuc bona eſt.

℞. *Carabe tritum optime, & in vaſe cooperto poſitum, igne lento paulatim liquefiat*: mox atque liqueſcere cœperit, injice terebinthinæ tertiam partem, & miſce. Poſtmodum infunde plus terebinthinæ, & miſce: qualibet vice, parum hujus affundes, donec in ℥ ß. *carabis* ℥ *ij. terebinthinæ* miſcueris. In hac materia fila madefiant: ſi durior extiterit, admiſcebis oleum lini, ut illiniri ſe permittat, & ulceribus indi calida. Deinceps fodicationum emplaſtra ſuperpone de colophonia per dies quindecim, & ita venenum extrahitur in ſanie. Poteris poſt quinque dies addere calcinatum juxta negotii conditionem.

Cap. 4. *De cura ulcerum per balſamum tartari.*

VLcera, quæ centrum habent in eodem loco, in quo ſumpſerunt originem, utiliſſimè curantur balſamo tartari. At ſi origo non ſit ibidem, ejus erit cura fruſtranea. Maximi namque per abuſum tartari ſunt ab ignaris errores orti, pręſertim cum locis quibus non convenit, applicarunt, eoque plurimos ſeduxerunt. Errarunt etiam turpiter in præparatione, dum non calcinatum reſolverunt, &c.

Maximę virtutes in pręparato tartaro latent, ut in ejus balſamo, quo ad conſumptionem humorum ſuperfluorum, putredinum, inflammationum, & corroſionum, ut in cruribus putridis, in quibus operatur potentiſſime, qualiacunque, & quantumvis magna, tumefacta, vetera, putrida, foraminata, vel corroſa fuerint. Ubicumque Balſamum hoc uſurpatum eſt, inſtillationibus, unctionibus, illitionibus, aut ſuperpoſitionibus, ad interiora

interiora penetrat, & in os tam profunde ac origo latet ulceris, ibidemq; mortificat, omne quod inutile repererit, à radiceque prorſum evellit: conſumit, & exiccat omnes tumores, & admirandâ ſiccandi virtute ſuâ tollit omnem infirmitatem à fundamento & origine. Salia quævis, hæc ulcera cauſantia mortificat, & mundiſſimè repurgat, ut nullus humor eo loco redire poteſt amplius, & ut ſol aquam in terræ ſuperficie ſiccat. Nihil eſt, quod huic balſamo comparari valeat: nam radicitus & fixè curat, & in priſtinum ſtatum adducit ea, quæ putrida crurum ſunt ulcera. Verum in aliis non eſt ejus experientia tam perfectè probata, ac in illis.

Præparatio balſami tartari.

℞. *Salis petræ lib. j. arſenici* ℥j. *calcis vivæ* ℥ij. *tartari* ℥ix. terantur omnia minutiſſime ſimul, & ponantur in ollam ad ignem, & calcinentur. Quod calcinatum fuerit, ſolvatur, & per filtrum deſtilletur. Solutum hoc iterum calcina ter: primò coagula, & adde ſalis petræ tantumdem, & iterum calcina, poſtmodum bis iterum ut priùs. Ad poſtremam coagulationem affunde acetum deſtillatum, & per deſtillationem ſepara toties, donec in dulcedinem tranſeat, cum calore maximo, tum demum ita compones.

Hoc oleo crus madefac optimè, poſtmodum cum alumine calcinato per acetum extincto, quod reſiduum eſt, in unguentum permiſce, quo ligabis ulcera juxta conſuetudinem. Poſt horas duodecim animadverte, qui ſe res habeat: ſi cum rubore tumoreque, paulatim progredere, & ſingulis viginti quatuor horis liga ſemel tantum, nec ceſſes, donec rubor & tumor abierint: tum demum iſta compoſitione ligabis à priore non uſque adeò diſſimili.

℞. *Purum hoc oleum*, & *lib. ij. addito draganti in aqua roſarum ſoluti* ℥ij. *camphoræ tritæ* ℥ß. optime permiſce, & eo totum damnum unge, tum in foramen injice, donec apertum fuerit. Tum demum incipit operari ſine damno, doloreque & exſiccare, ut non ſecus ac à facie ſolis aqua diſpareat. Sequere proceſſum hunc, donec in priſtinum ſtatum crus adductum ſit.

Animadverte, ſi foramina ſint, quæ incarnari debeant, alia compoſitione fieri debet, utpote ℞. *hujus olei* ℥v. *mumiæ* ℥j. *croci Martis* ℥j. ß. *olei ovorum* ʒx. miſce ſimul, & hoc ligato: nam incarnat, & concludit. Poſt concluſionem bonum erit, ut eodem oleo balſamoque per ſe præter additionem totum perungas membrum dies decem, &c. Deinceps quolibet anno vicibus aliquot venas in futuris aperire juxta commoditatem, & experti medici conſilium erit utile.

Cap. 5. *De cura ulcerum per ablationem venarum & nervorum.*

COntigit aliquoties, ut ex originibus ulcerum, humores deciderint ſubtus genua, &c. ac ibidem ulcera generaverint: & licet eorum ſalia non ſint infecta veneno, tamen quia ſunt in aliis locis quam ſuis, & ob eorum abundantiam in ulcus erumpunt, quod in eo loco non poteſt curari, ſed in alio. Quapropter factum eſt, ut juxta meatum retrogreſſum, ac inventum ibidem fuerit, materiam peccantem non ampliùs fore venenoſam, indeque venarum & nervorum ablatio ſumpſerit originem. Hæc tamen fieri nulla ratione debet, niſi fluxus hujuſmodi peccent inferiùs tantùm, & non ſuperius, alias fruſtra futura ſunt omnia, nec ſolum fruſtra, ſed in dubium adferent utrum accidere poſſit, nempe ut vel incurabilia reddantur, vel ad mortem tendentia. Nam ſi natura fluxum infra direxerit ad crura, & Chirurgus eum retrorſum ad corpus reſciderit, eo cordi fit proximior, & ad infectionem pronior. Et ſi contigerit paroxyſmum intercedere, vitam impedire vel auferre conabitur omnino: aut ſi forte concludatur, operationem in corpore ſuam excercebit mortalem, vel abſque ſpe curationis, damnum hoc relinquet. Quamobrem vide quinam operaberis, ne fias homicida. Siquidem curare vel medicinam agere præter artem & experientiam, latrocinio pejus eſt artificium.

Truncatio venarum aut nervorum in ablationem, fieri debet ſupra genua, ubi proprius & convenientius videbitur abſciſſionibus, aduſtionibus, corroſionibus, aut aliis quibuſvis truncationibus, ut ſatis amplum vulnus fiat. Et inter ambas extremitates venarum & nervorum fluxus eſt attrahendus, cum ſuperior & inferior pars conjungi nequeant, fluxus etiam quo priùs, deſcendere minimè poteſt. Contigit aliquando, ut fluxus ſuper alias venas deciderit, ac per eas ad ſuum locum rurſum venerit, erupetitque: alias ut in aliud latus defluxerit, illudque deſtruxerit: quandoque ob abundantiam ambo latera. Nonnunquam etiam per membrorum hujuſmodi truncationem intrinſecæ fuerunt infirmitates ortæ, ut flavi colores, ſtomachi debiles, infirmia jecora: quandoque ſucceſſu temporis eſt ſubſequuta mors. Admoneo te igitur, in his ut non erres, abundantem fluxum arripiendo, vel aſſuetum, ſed mitem & recentem, in juvenibus tantum. Phlebotomiis etiam indies curato pro neceſſitatis exigentia.

Truncationum iſtarum uſus, nec docendus, neque laudandus eſt, cum nulla ſit ars. Alius eſt venas truncandi modus per aduſtiones etiam non adducendus, quod ruſtici non ignorent. Solum animadvertas, ut locum quæras proprium, ne quem contractum reddas, una cum aliis accidentibus ex truncationibus facillimè provenientibus. Latiùs conſuevit Mercurio ſublimato, & aliis corroſionibus eſcaram ejici: pariter non eſt memoratu dignum, cum una cum cæteris præcedentibus ſit carnificum ars, non niſi propter ſummam neceſſitatem uſurpanda, Latius vulnerum, poſt curæ modus eſt communis, aduſtio & corroſio, quæ deſcribendæ non, at ſolum induſtriȩ cujuſvis relinquendæ.

Si tamen expertum ſit per truncationem venarum & nervorum ulcera talia curari, compertumque latius in damnum incidi poſſe, meum hoc documentum eſt, ut potionem vulnerarem componas juxta communem uſum, & in potum adminiſtres, ita fiet ut ex foramine fluat egregiè: ſi clarus liquor exſtiterit, indicium eſt, ablationem non procul à foramine fiendam, & quantò proximius, tantò melius, & ſub genu potiùs quàm ſupra. Cum locum ſciveris, unguentum iſtud ſuperpone, tam latè ac opus fore videbitur: hoc enim coagulatur fluxus intrinſecus, & in venis atque nervis, dureſcitque, & non amplius defluit. Maneat hoc emplaſtrum quatuor aut quinque ſeptimanas, tum demum certus eris nihil amplius deſcendere. Quod citra dolorem omnem fit, ac apertionem. Quo peracto, curabis ulcus communibus medicamentis à me recitatis antea, & cum fodicationum emplaſtris, per mundificationem aut alias: nam facilè poſt curam admittit.

Cap. 6. *De cura ulcerum per vapores aquarum, & ſudores.*

SUnt & alia multa ulcerum genera, quæ ſub genubus accumulantur, tamen ſub cura balneorum non comprehenduntur. Quapropter optimè cognoſcenda ſunt ea, quæ curam iſtam habere cupiunt, alias plurima depravabis ulcera. Nam in iſto balneo particularis conditio ſita eſt, ut ea, quæ ad hoc non ſunt ordinata naturaliter, in aliam quam propriam naturam tranſeant, utpote in ſanguinis maximam effluxionem, præter eorum uſum. Quæ verò ſub curam hanc pertinent, ea ſub genu ſita magna, putredinis & cruoris ac ſimilium plena ſunt, crurum putridorum inſtar, & mox atque tacta fuerint, ſanguinem emittunt. Illa per hujus balnei proprietates

curari

curari poſſunt, etſi alio quovis loco poſita ſint, modo ſigna, quæ diximus, edant. Si medicamento ſimili voles uti, vide ut ipſum optime cognoſcas: nam ejus operatio talis exiſtit, ut cruorem putridum & carnem inutilem extrahat ab ulceribus in aquam. Ubi jam fluxus omnis exiccatus fuerit, aliis medicamentis poſtea curandum & conſolidandum erit: ſiquidem balneum ad evulſionem ſanguinis ſuperflui tantum ordinatum eſt à carne veniſque, propter quem ulcus enatum fuerat. Hoc enim ablato, cura facilis erit. Animadvertendum, ne diutius æquo balneum continues: nam ubi terminum ejus præterieris, aut non repeteris, in poſterum & ſanguinem bonum attrahit, ut non facilè, nec ſine periculo ſiſti poteſt.

Cura talis eſt.

℞. *viridia pinnacidia abietis, quæ ſucci reſinæque plena ſint, m. ij. ſummitates recentiores juniperi, corticum fagi ana m. j. chelidoniæ, cepeæ, foliorum quercus, ana m. j. radicum hirundinariæ, ariſtolochiæ rotundæ ana lib.* ß. Coque ſimul in aquę tantùm, ut ſat eſt ad pedum balneum. In eo manè veſperique balneo teneatur ulcus.

Alia.

℞. *Saniculæ vel diapenſiæ, pirolæ, dragunculi, foliorum quercus ana m. iij. hirundinariæ radicum m. j. conſolidæ majoris, ariſtolochiæ rotundæ ana m.* ß. *pinnacidium abietis viridium m. j.* ß. Coquantur ut ſupra. Hujuſcemodi balneum ad tres dies ſufficit, ni fortè fœteat, tum demum innovetur.

Poſt balneum habeas unguenta vel emplaſtra, quibus cures, optima: nam ſolo balneo curari nequeunt. Eſt etiam, quod ea, quę ſiſtant ſanguinem, tibi ſint promptiſſima, ut ſupervenientem quandoque fluxum retinere valeas: abſtine prorſus ab iſta curandi via. Non ſis etiam temerarius in ſuſcipiendis hujuſmodi curis, niſi cognoveris optimè, ſub iſtis medicamentis ulcera talia comprehendi.

Cap. 7. *De cura ulcerum per olea deſtillata, gummi, & per ſimiles aquas.*

Alia reperiuntur ulcera, quæ maximum dolorem inferunt inflammationibus & ſtimulationibus, in eis tamen corroſivum aut calcinatum vitriolum nullum: nec alumen aut aliud quidpiam operari poteſt, neque medicamentum quodvis aliud optimum illa recipere vel admittere volunt, ut fodicationum emplaſtra ſunt, unguentaque: nec ad ulcera quævis alia perquam utilia quicquam in eis efficere poſſunt, imo his omnibus indies redduntur praviora. Iſta quidem ulcera pertinent ſolùm ad curam, quæ fit per deſtillata. Verum his cum curare voles, vide ut etiam optima conſolidativa quæque habeas: nam per deſtillata ſolum curari non poterunt, ac præparari, & medicamentis obedientia reddi. Quæ potiora ſunt enarrabo: tamen eſt quod animadvertas ſub iſtam ea tantùm comprehendi curam, quæ nullis medicamentis volunt cedere, quęque dolores noctes & dies inferunt cum ardore, acerrimiſque ſtimulationibus abſque requie.

Pauca ſunt ea, quę ad hoc negotium deſtillanda veniunt, ut oleum petroleum, terebinthina, caryophylli, zingiber, miriſtica nux, & ſimilia. Ubi deſtillata juxta conditionem ulcerum iſtis indita ſunt, omnem dolorem auferunt & ita mitigant, ut libentiſſimè curam admittant. Pariter omnia, quæ glarealem aquam ſiſtunt, in ſole digeſta vel deſtillata conducunt.

Cura.

℞. *Caryophyllorum* ℥v. *zingiberis* ℥j. *nucis muſcatæ* ℥ß. *deſtilla ſimul per alembicum*, & ſepara gradus, quos juxta dolorum gradus applicabis.

Alia.

℞. *Olei communis, vel olivarum lib.* j. *thuris albi* ℥ß. *caryophyllorum* ℥ij. ß. deſtillentur omnia per alembicum, & ſeparentur eorum gradus.

Alia.

℞. *Terebinthinæ lib.* j. *petrolei* ℥j. ß. deſtillentur per ſuos gradus, & ſecundùm eos applicentur.

Alia quæ cum præcedentibus incarnat, conſolidat, & concludit.

℞. *Thuris, maſticis ana* ℥j. ß. *caryophyllorum* ℥j. *mumiæ* ℥ß. *bdellii* ʒij. *galbani* ℥j. deſtilla ſimul, & ſepara gradus inter ſtillandum. Poſtmodum olivarum olei per gradus etiam deſtillati partem æqualem adde miſceque, & in vitro poſitis ambobus oleis impone flores hypericonis, ad ſummum uſque digerantur, & in uſum aſſumantur. Uſus eorum deſtillatorum eſt, ut illinantur plumis integra damna circumquaque manè veſperique. Et ſi forte interea dolores inciderent aut ardores, mox iterum illinendum erit abſque intermiſſione.

Quod ad ſuperpoſitionem, optimum erit emplaſtrum de calcinato, ut in priori particulari ponitur, aut in ſecundo. Horum ulcerum conditiones attractiva nulla patiuntur, nullam terebinthinam crudam, aut emplaſtrum, nullum etiam unguentum, &c. ſive mitia ſint, aut non, at ſolùm deſtillata, vel deſtillatione præparata. Quapropter, Chirurgus omnis rerum omnium deſtillationem callere debet optimè, ut ea, quæ pharmacopolarum coquina reſtaurare non poteſt, id potioribus efficere valeat.

Sunt etiam nonnulla collyria ad oculos ordinata, quæ in iſtis ulceribus admiranda pandunt, quoſvis dolores auferunt, corroſiva mortificant, illiſque vires adimunt, & potiſſimum, quæ deſtillata ſunt, imbutaque pinguedine.

Nonnulla balſama ex prædictis deſtillantur cum corroſivis, & corroſivam naturam amittunt, fiuntque mitiora per deſtillationem, nihilominus etiam retinent qualitatem: iſta mirabiliter operantur in vulneribus.

Cap. 8. *De cura ulcerum per naturalia balnea.*

Nemo de balneis naturalibus vel thermis dicere poteſt, quòd vires in ſe non contineant, ac virtutes hominibus plurimùm utiles, ut ſunt *aluminoſa, vitriolata, ſulphurata*, ſive acida, ſive dulcia balnea. Per medicinam expertum eſt, ea, quę naſcuntur in terra, maximas habere vires, & nonnullas aquas illis eſſe conformes, ac ſalia plurima variaque hoc loco non adducenda. Hac de cauſa tantillam iſtorum hìc facio mentionem, ut cognoſcatur viribus aliis etiam creſcentibus ad curam ulcerum conducentibus, non impares aquas fore, cum ut alia productæ ſint naturaliter.

Ulcera quæ non habent originem ab interioribus regionibus corporis, at ab eo loco tantùm, in quo ſunt, balneis curari debent, naturâ ſimilibus: hoc eſt, ſi ulcus aluminoſum fuerit, aluminoſo curandum eſt balneo: cum illa duo conveniunt, cura feliciter ſubſequitur: & ubi ſimilis concordantia non fuerit, fruſtra curabitur. Eſt igitur hæc obſervanda Chirurgis & cognoſcenda.

Ulcus omne quod fluxum prorſus ejecit, expurgavitque, facilè curari poteſt: quapropter ubi Chirurgus tale cognoverit, ad balnea relegare debet: nam citiùs & meliùs quam aliquo medicamento curabitur, ac illa quæ ſunt adhuc recentia, & fluxu, necnon accidentibus carentia. Demonſtrant etiam balnea propriam virtutem, ut quæ incarnativa, quæ conſolidativa ſunt, & quid ſimplex eorum ſit, aut ſpecies, juxta ſimilitudinem ulcera ſunt, illis committenda.

Summe cavendum eſt, ne remittantur ad balneum illi, qui ſuapte naturâ facilè curantur, & ulcus patiuntur, quod non priùs curari debet, quàm à radice prorſus extirpetur, ac origo non ſit eodem loco, in quo foramen apertum eſt: nam in iſtis ulcerum concluſio pejus accidens, & quandoque mortem adferet. Si tamen à ſævitia deprehendantur ulcera fore, ſimiliaque, tum demum concludi poterunt, & phlebotomiis juxta ſævientem eorum ſuccurre naturam: his enim propulſantur accidentia quæ ſuccedere poſſent. Accuratiſſimè cum balneis igitur agendum eſt, & certiſſimè, ne quiſpiam ad ſui ruinam ſeducatur.

Cap. 9. *De cura ulcerum à tempore.*

NOn alias quàm pluvia diu decidens tempore ſuo poſtmodum ceſſat & per ſeipſam, ulcera quędam ubi diu ſatis malitiam ſuam exercuerunt, & adimpleverunt, quieſcunt. Verùm hac de cauſa nondum curatum eſt minus: id eſt, foramen illud à tempore ſolùm curari non poteſt, quamvis ablata radix & origo ſit, remanet adhuc ulcus. Hoc loco non eſt opus alio quam ad ulcera medicamine, quibus nulla materia peccans ineſt ampliùs. Inde colligi poteſt, plurimos Chirurgos, qui talia conati variis medicamentis ante ſuum à natura tempus determinatum, fruſtra laboraſſe: at ubi tempus advenerit leviſſima quæque res ea curare poteſt, ut emplaſtra, unguenta, fumigationes, lotiones, guaiacum, & ſimilia, quę nil operantur in iſtis ulceribus, donec tempus dictum prætererit, & fuerit conſumpta radix eorum. Alias ubi hæc adhuc aderit, fruſtra ſunt omnia. Hinc fit, ut multi guaici decoctionem bibant, ungantur, & fumigentur: quibus hæc omnia proſunt nihil, niſi tempus adimpletum ſit originis conſumptionis.

Tempus hoc igitur animadvertendum eſt, & cùm venerit, omnibus remediis uti poteris, quę tibi ſunt cognita, prout unctionibus, fumigationibus, & guaiaco: ſi verò non, abſtine penitus: quoniam praviora per te fient omnia. Ea quę diximus rudiſſima ſunt medicina, meliora quidem fodicationum emplaſtra, & unguenta vulneraria, quibus ulcus omne qualecunque ſit, ubi tempus originem illius abſumpſerit, facillimè curatur.

Cognoſcuntur ulcera hæc, ubi dolorem omnem reliquerunt, ac per ſe diſponuntur ad curam: hoc eſt, ubi reluctantur, & nihilominus veterem ſuam reliquerunt malitiam, ad hujuſmodi curam ſatis apta ſunt: nam juvat ipſamet natura. Non exiſtimabis, ideo, quod unum curaveris ulcus, & caſu potiùs quàm arte, reliqua te curare poſſe: tempus in omnibus non eſt impletum: hoc te conſiderare decet, ne patientes unctionibus, fumigiis, & guaiaco ruines.

Cap. 10. *De cura Vlcerum per ſparadrap, id eſt fluxuum retentionem.*

ULcerum ſub genubus, quorum fluxus à corpore provenit, eſt alia cura non multum ab ea quę venarum & nervorum truncationibus fit, abſimilis, ac pariter intelligenda, quod in illa prout in iſta fluxuum retentio fiat, ne decidant ampliùs: & poſtquam ſteterint, ſub genubus curatur ulcus. Verùm conſiderare non ſolùm te oportet, quâ ratione curare valeas, at etiam, ut ea cura pejus non adferat accidens, ut hoc loco per fluxus retentionem intelligi poteſt. Nam per ſeipſam ars dici nullo modo, ſed potius deceptio (cui magis videtur æquiparari) debet. Nequaquam etiam iſtius retentionis uſus in omnibus admitti, nec uſurpari deberet, at ſolùm ubi fluxus eo moliuntur exitum, non ex propria malitia, ſed ex occaſione data. Verbi gratia, ſi damnum aliquod pedibus inferatur fricationibus, aut contuſionibus, &c. ob contemptum vel injuriam, apertum vulnus hoc humiditatem corporis ad ſe quandoque fluere cogit, quæ tamen aliàs eo non deſcendiſſer. Ubi ſimile quid acciderit, ſparadrap uſurpari poterunt, donec foramen concluſum fuerit: in eis tamen, quibus cauſæ tales non intervenìunt, nulla ratione utendum eſt.

Sparadrap ars ligationum linteis & ſimilibus exſecuta, non fuit antiquitus, ut jam in abuſu maximo: ſed facta fuerunt olim ex eis, quæ ſanguinem & glarealem aquam ſiſtunt, hoc modo videlicet: ℞. *Limacum domuncularũ vaſtarum, & corticum ovorum calcinatorum etiam ana* ℥ v. *lapidis hæmathitis* ℥ j. *boli armeni* ℥ iij. *terræ ſigillatæ* ℥ ij. ß. minutiſſimè terantur omnia ſimul, & cum draganto gummi in aqua roſarum diſſoluto miſceantur in pultes, quibus ligandum eſt ab imo ad ſupremum. Hæc eſt omnium optima ligatura. Nonnulli decem aſſumpſerunt materialia, quę ſuperpoſuerunt, eo ſuam inſcientiam patefacientes.

Cum fluxus itaque retenti ſunt, facilè fuerit inferiùs ulcera concludere. Verùm humores, qui ſuperiùs hærent, abſumendi ſunt aut abſtinentiâ, vel purgationibus, phlebotomiis, guaiaco, vel exiccantibus, quocunque modo poteris. Hoc enim tamdiu fieri debet, donec omnino certus fueris, poſt ſolutionem vinculorum humores ampliùs non deſcenſutos, at in propriam rediiſſe naturam: quod omne minime fieri poterit, ubi fluxus corporales extiterint: nam ſemper iterum erumpent, & conſtantiam nullam habituri ſunt. Quapropter cognoſcere te priùs decet, in quibus utendum erit hoc remedio.

Chirurgiæ Paracelſicæ

Liber Tertius de Morbillis.

Cap. 1. *De prima curæ morbillorum practica.*

HUjus curæ communis & primus ingreſſus fore debet, ut anatomia cognoſcatur: id eſt, locus, origo, finiſque morbi. Maximi hîc oriùntur, & enormes errores, dum lavantur aut unguntur juncturę, ſcapulæ, vel aliæ corporis partes, ſive doleant, ſive non, inconſideratis accidentibus, quæ ſubſequi poſſent ea de cauſa. Nam ſi latiùs extendatur unctio, quam ipſe morbus venenum eſt aliis partibus: & ſi non ungatur locus integer ęque latè ac anatomia morbi comprehendit, debilis erit unctio. Primus eſt hujus practicæ punctus iſte, quem audiviſti: nam cum juncturæ fuerint unctæ, latius jam dilatatur medicamentum, quam ſit morbi locus. Eſt igitur arbor cognoſcenda morbi, nec non ramorum ejus extenſio, ut in ea maneat Chirurgus, & limites non prætereat. Si morbus in venis foret, ut in ulceribus, qui procederet ſalvatella, in vena locus ejus eſt quærendus, & ejus medicamentum ſolummodo recipiet, aliud non.

Cap. 2. *De potiſſimis ingredientibus medicamenta morbillorum.*

IN morbillorum medicamentis primàtum obtinet Mercurius, Marchaſita, & metalla, ſine quibus morbilli curari nequeunt. Vis Mercurii ſumma purgatio eſt præter quam evelli morbi nullo modo poſſunt. Eorum purgatio fit per exceſſum, per os, per lotium, per ſudorem, &c. Nihil excellentius, felicius fixiuſque, purgare poteſt eſſentiâ Mercuriali, cum prąparatur in laxativorum ordinem & vires, quorum iſta ſunt nomina.

Sulphur vitriolatum, eſt ſulphur à vitriolo per elixationem tractum, cujus doſis eſt, ut ellebori albi.

Vitriolum liquefactum, eſt id, quod ex minera trahitur: & coagulari ſe non permittit.

Mercurialis ſeva, eſt aqua ex aluminibus tracta, in qua Mercurius natus eſt.

Laxa chimolea, eſt pulvis abraſus à ſalis mineræ floribus.

Mercurius metallorum præcipitatus, eſt reductio metallorum in primam ſuam materiam, poſtmodum in ſeipſam ſubſidere coacta.

Mercurius mineralium, eſt oleaginitas, quę ex mineris argenti vel auri trahitur, vel ex eis, quibus immixta ſunt naturaliter.

Cap. 3. *De abuſibus in medicamento Mercuriali factis, & eorum correctionibus.*

SUa quibuſvis ordinata ſunt tempora, morbi etiam determinatum ſuum terminum habent ad curam, ultra quem accelerari minimè debent. imo potiùs medicamentum hac ratione diligendum eſt, ut ejus tempus cum infirmitatis tempore ſimul concurrat. Aliàs ubi medica-

medicamentorum tempus æquo citiùs exſpiraverit, idem accidit, ac dum æſtas nimis temporè deſinit. Hoc potiſſimè notandum in Mercurio, nempe nihil fore, quod potentius maturitatem promovet. Quapropter Chirurgo maximè neceſſarium, ut iſtius tempus morbi tempori valeat aut ſciat accommodare: nam iſte nec præcipitari, nec tempore Mercurii pelli ſeſe patitur. Quamobrem unumquodque non ut aliud medicamentum ordinari debet, nec ſana membra Mercurialibus viribus arripi, veluti fumigationibus, unguentis, aut lotionibus. Iſtorum omnium maximam habere notitiam oportet eum, qui volet uti Mercurio, vel argento vivo: pariter & corpus ita cognoſcere, ut ſciat, an occultus aliquis morbus, aut ejus initium in eo lateat: quod in poſterum erumpere poſſet.

In cura morbillorum nulla ratione gummi, laxativa, conſtrictiva, repercuſſiva, oppilativa, ſtupefactiva, &c. ſunt uſurpanda, ſed penes Mercurium tanquam ſcopum erit manendum. Hic tribus concluditur, utpote minera ſua cum ſanguine, quæ præparatur ut Mercurius. Poſtmodum corpus à minera ſeparatum repurgatur igne. Tertium verò corpus eſt, cum in formam aduſti metalli reducitur. Ex tribus iſtis corporibus omnis morbillorum cura ponenda eſt, ungendo, fumigando, lavando, &c.

Cap. 4. *De præparatione Mercurii in unguentum.*

POſtquam tempus morbi reperẽris ordine, locum, & expellendi modum, cum ſimili medicamento auxiliari, Mercurium in unguentum ſic præparabis.

℞. *Minera ex qua Mercurius, prout in prima coagulatione reperitur, antequam indureſcat, vel in corpus facta ſit, libras xx.* Tere, & in aqua pluviali coquas per horam, ſic decidit impuritas à puro quod effuſum teſervabis, & cucurbita deſtillabis igne vehementiſſimo: aſcendit liquor albus coloreque cœruleo mixtus, hunc ſerva. Poſtea deſtillato phlegma, ſeparatoque balneo Mariæ, manebit in fundo quædam oleaginitas æquè ponderoſa ferme, ut Mercurius, immaturæ mineræ liquor, hoc utere, nempe *granis ij. cum olei ſpicæ granis vj.* juxta conſuetudinem & argenti vivi conditiones.

Aliud medicamentum corporis Mercurii.

℞. *Mercurium corporalem, & amalgama cum tanto ſui pondere ſtanni*, fluere permittas, & in aquam verti, quam unà cum tanto ſulphure deſtillabis, & aſcendit oleum in forma lactis ponderoſum, abſque aliqua aſperitate. Hoc utere cum uſtione, ut ſupra, juxta pondus, &c. Omnis Mercurii præparatio fieri debet tam diu, donec fatigetur, & nullam habeat aſperitatem ampliùs; poſt utere, ut ſupra.

Cap. 5. *De fumigatione Mercurii.*

SI vapore Mercurii voles uti, primo præparandus eſt in attractivam naturam. Eſt etiam quod ſcias, uſum ipſius varium fore poſſe, videlicet ad conſtipandum, purgandum, laxandum, conſolidandum, mundificandum, corrodendum, &c. Iſtius ad fumigium præparatio talis eſt.

℞. *Mercurium, & cum ſulphure mortifica, prout ad cinnabarim fieri conſuevit.* Poſtmodum à ſulphure cum tanto ſale petræ, quantum utriuſque pondus fuerit, ſublimato. Ponatur in vas aliquod altum palmis duobus à terra, quod latum ſit inferiùs, & ſtrictum ſuperiùs, ab utraque parte vel extremitate patulum. Applica damni locum extractè ſupra vaſis orificium ſtrictius, ut iſtud emunctorium, à quo fieri debet extractio, è directo conveniant. Calefiat igne lento Mercurius, ut non evaporet: fiant hæc omnia juxta morbi reſpectum & perſonarum. Per calidos vapores, quos recipit emunctorium à Mercurio per vas ſurſum aſcendens, operatio melior, ac ſi Mercurii corpus damnum ſubintraret: exercitur, & ſine damno: quoniam ab iſtius corpore cavendum eſt, & à ſubſtantia, ne ad curam uſurpetur, alias uſus ejus novas infirmitates producet.

Cap. 6. *De cura morbillorum per lotionem.*

CUm lotio præter Mercurium nullas vires habeat, nihil juxta communem uſum addendum eſt, ut *piper, cardamomum, flammula*, &c. Nam iſta Mercurium incitant ac inficiunt. Nulla etiam ardens aqua fuerit aſſumenda, quod illum ad cor uſque penetrare faciat, unde ventris purgationes & ardores oriuntur.

Antea dictum eſt, Mercurium, non latiùs, quam ipſe morbus extenditur applicari debere, ne venenum ejus operetur, ubi non eſt opus. Cùm igitur lotionibus uti voles ex Mercurio, noli præterire locum infirmitatis. Hæc etiam ad contracturas plurimùm conducit.

Lotio per Mercurium.

℞. *Mercurium per ſeipſum abſque additione ſublimatum & aliquot vicib. à liquefacto ſale ſublimetur*, ab eoque deſtilletur ardens aqua, donec amplius non ſit corroſivus, at abſq; aſperitate. Coq; poſt in aqua hirundinariæ per mediam horam, & effundatur liquor, ut Mercurii corpus non permiſceatur, neque aſſumatur in uſum, at ſpiritus ejus tantùm.

Cap. 7. *De cura morbillorum per corroſionem correctione.*

USus corroſionis omnis eſt, ad ſuperfluum aut infectum veneno tollendum. Et quicquid in ulceribus naſcitur ſuperflui, non oritur ex eis, at ex radice intrinſecùs exiſtente. Sequitur inde, cum origo non ſit extrinſecùs, omnes corroſiones fore ſuperfluas. Nam quicquid per eas tollitur, iterum ut priùs ex intrinſeca radice corporis naſcitur. Quapropter fruſtranea ſunt corroſiva, ſolùm ad internam confluendum, & poſtmodum externa tollenda ſunt.

Ex altera parte fluxiones in ulceribus carnem, ſanguinem, nervos, & oſſa cum inficiunt, primum imperitorum Chirurgorum eſt remedium, carnem, nervos, &c. corrodere tam latè, ac infectio ſe extenderit: quod etiam factum eſt. Nam etſi caro ſic infecta, mortua fore prorſus appareat, & os nigrum ac ſi mortuum etiam foret: nihilominus ut linteum album jam infectum & maculatum, lotionibus ut prius album & mundum redditur, non ſecùs etiam caro & oſſa lavari poſſunt emplaſtris & unguentis quæ venenum extrahunt, & mundant carnem ſine corroſivis: omne tamen quod aufertur, putrefactione rebuſque ſeparantibus, ut ſupra fieri debet. In Chirurgia igitur, corroſiva nullius valoris exiſtunt, eorum vero loco hoc emplaſtrum eſt uſurpandum. ℞. *Mellis ſylveſtris libram, aloepatici ℥j. ß. aluminis aduſti & in aceto extincti aliquoties ℥j. vitella ovorum numero xx. terebinthinæ lib.* ß. permiſceantur in pultes omnia, & bulliant in ſartagine, donec emplaſtrum croceum & obſcurum fiat. Hoc utere: nam venenum attrahit, & mundificat.

Poteſt etiam emplaſtrum hoc, ut omnia, cum gummi juxta modum Apoſtoliconis coqui, & optime mundificat. Nam abſque melle, gummi, ovis, terebinthina, lytha-

lythargyrio, cera & oleo non poteſt ullum ulcus mundificari. Hæc omnia Chirurgus juxta neceſſitatem & reſpectu uniuſcujuſque patientis & morbi, debet quænam ordinanda ſunt, cognoſcere, non in uno permanere ſemper.

Cap. 8. *De cura morbillorum erronea, quæ fit per aduſtionem.*

NOnnulli ſolent aduſtionibus uti, quod ut corrodere fatuum eſt: nam ferrum vel aurum nihil ad rem adferunt. At medicamento ſolùm, ut ſupra de corrodentibus opus eſt.

Cap. 9. *De inciſionibus.*

EX ignorantia ſimili Chirurgorum imperitorum inciſiones ortæ ſunt, quibus novam ad veterem infirmitatem adduxerunt. Dum putant antiqua recentibus loco ceſſura, nova curant veterum obliti. Verùm hac via tam poſſibile foret morbos in aliam adducere conditionem, ac albam cretam ex carbonibus facere. Quamvis ab inciſionibus hujuſmodi curæ nonnunquam promoveantur, nihilominùs corroſionibus aut illis ne pilo meliores exiſtunt. Verùm eſt quod ex abundanti ſanguinis effuſione curæ poſſint accelerati, quod accumulatus & infectus ille ſanguis effluat. Nullâ ratione tamen fieri deberet, at ſolùm per medicamenta, prout ſupra de corroſivis habetur, curandum eſt. Ratione ſanguinis venæ ſunt aperiendæ, quæ ex damni radice profluunt, & ulceribus affines exiſtunt, ut ex phlebotomiarum ordine cognoſci poteſt.

Cap. 10. *De cauteriſatione puſtularum ex morbillis.*

PUſtularum ex morbillis provenientium cauteriſationis uſus etiam eſt ineptiſſimus: tamen admittendus magis, quam illæ quæ præceſſerunt operationes ob calorem, qui hac viâ frigore gelidis locis introduci poteſt. Contrà quia membra poſſunt exſiccari, & humores eorum abſumi, non facile cura ſimilis eſt aſſumenda: ſolùm in his ubi dolores congregantur abſque fluxu ſub loco, in quo dolores exiſtunt, ea conditione tamen, ut poſt apertionem puſtularum, attractivorum applicatio fiat, ut infectio quævis extrahatur. Cauterium in puſtulis per ſe medicamentum non eſt perfectum, at apertio tantùm, cui medicamentum infirmitati congruum (hoc ſcilicet) applicari ſuperponique debet.

Attractivum potentiſſimum ad cauteria.

℞. *Viridia pinnacidia abietis numero xx. coquantur in reſinam, ut ſuperiùs dictum eſt.* Huic terebinthinæ tantumdem adde, & alterutrius medietatem reſinæ foliorum: coquantur ſimul in mixtionem.

Aliud quod nihil relinquit.

℞. *Gummi oppopanaci* ℥ß. *galbani*, *armoniaci ana* ʒ ij. *bdellii* ʒ. *iij. ſolvantur in aceto*, *cola*, & in emplaſtrum reduc, huic impone *rheubarbari* ʒ *duas*, *eolchiconis* ʒ ß. *galbani*, *carabis ana* ℥ ß. terantur & immiſceantur.

Cap. 11. *De cura morbillorum per ſudorem.*

NOnnullæ morbillorum ſpecies curantur ſudoribus. Non tam efficaciter cum theriaca, vel aqua peſtilentiali, atque fit, cum ipſe Mercurius ſudorem excitat: tum demum in ſanitatem ejus hominis id futurum eſt certiſſimum. In aliis ſudoribus non eſt fidendum, quam à natura vel Mercurio pulſis hoc medio. ℞. *Mercurium cum ſtanno coagulatum, & poſtea minutiſſimè tritum, & in aureum vas profundum ſatis poſitum, ita mergatur in acetum acerrimum & vinaceum, cui quidem ardens aqua rectificata priùs affundatur: accendatur & aduratur aliquot vicibus:* hac operatione Mercurius, vivum, & ſtannum in oleaginitatem reducuntur. Hanc ſerva. Doſis ejus eſt, granum unum in optimo vino veteri potum. Poſtmodum ſudor imperetur in lecto, odorque ſervetur & experientia.

Cap. 12. *De ligaturis per rotulas.*

ROtularium uſus ligaturarum eſt potiſſimùm ad crura, quibus ulcerum fluxiones retinentur. Eorum ad interiora nullus eſt uſus, at ad fluentia ſolùm. In his metuendum eſt, ne retenti fluxus accumulentur in corpore, ac ibidem generent apoſtemata, poſt indubie mors irruat. Huic ſolus prævenit malo Mercurius laxus, qui reſolvit apoſtemata morbillorum fluxuum in corpore congregatorum. Ligaturæ ſimiles retinent fluxiones, at contrà ſunt apoſtematum internorum origo, tum etiam poſt curam eruptionis. Duo hæc per Mercurium laxum modo, qui ſequitur præparatum, evitantur accidentia.

℞. *Mercurii pulverem, per ovorum aquam toties actum, ut coaguletur.* Hujus doſis eſt ʒ viij. cum optima confectione: fluxus ex ligaturis rotularibus, aut alia via ſimili congregatos aufert. Sæpius tamen adminiſtrandus eſt.

Aureoli Theophraſti Paracelſi Tractatus Prior de Contracturarum Origine.

Cap. I. Multigenus inter homines contracturarum numerus me ſummopere movit, duos de contracturis in præſentiarum tractatulos in lucem edere, partim in Chirurgorum utilitatem, ut ex his earum originem & curam addiſcere valeant: partim, & potiſſimùm, ut patientibus meliùs tutiùſque ſubventum ſit. Inprimis de Contracturis ex læſione dicemus. Earum ego differentiam quintuplicem eſſe reperi, quarum quidem omnes, & per ſe quælibet membrorum contractionem modo curabilem, aliquando prorſus incurabilem efficit. Singularem quævis originem habet, ſed non ſunt unius & ejuſdem omnes principii, per eandem viam ad locum diverſum, & diverſo modo perveniunt, una quæque pro ſuæ naturæ proprietate, ſicuti ſuis capitulis infra dicetur latius. Illa quæ fit ex læſione corporis, eſt omnium peſſima, de qua primo tractandum etiam eſſe duximus, externis accidentibus fit, ut pote verberationum, vel fodicationum ictibus, caſu, vel alias diverſimode, jaculis, telis, bombardis, abſtruſionibus, fractionibus, &c. Quandoque propter conſtipationem in carne, quæ nutrimentum impedit, contracturæ fieri ſolent, vel aridaturæ, quarum ſuo loco mentionem facimus, ubi de aridura loquimur. Similiter accidere ſolet propter venarum obſtructionem, quæ nutrimento ſuum tranſitum impediunt, non per naturam, ſed accidentibus extrinſecis, ut ſi cuipiam venæ truncatæ fuerint, niſi per competens medicamentum in vulnerum concluſione rite jungantur, quod vias atque meatus omnes aperiat: ex alteratione pororum & meatuum in arteriis, oriuntur contracturæ. Sæpius etiam evenire conſuevit, ut propter abbreviationem alicujus membri, vel curæ defectum (quod plerunque fit ex medicamentorum impertinentia. ſicuti loco de vulneribus habetur) contractura naſcatur, cujus

cura

cura ſub ante dictis accidentaliter factis continetur, quia cauſa per quam lapſus jam factus fuit, carnes & venas obſtruxit, atque mortificavit, ut nervi prorſus in ſeipſis deficiant, membroque nullas vires adhibere valeant, unde ipſum etiam deficere cogitur: quod patebit clarius, ubi de cura per quam mortificata membra quæque refocillari, vivificarique rurſus poſſunt, agetur in poſterum.

Cap. 2. *De contracturis ex tartaro calculove provenientibus.*

OFfertur & alia contractura, quæ procedit ex calculo vel tartaro, ſub cingulo duntaxat regionem habens doloribus quandoque maximis præcedentibus, totam illam corporis plus mediam partem interimit, inſenſitivam & immobilem reddit. Nonnunquam in ventre ſolum torminibus inteſtina contrahit, quod externe videri nequit. Aliquando nates & fundamentum arripit, dorſum incurvat, & femora, feminaque ſuper genua, tunc in fundamento contracturam facit. Aliquoties uſque ad ipſa genua extenditur, & crura poſtmodum totam corporis partem ſub cingulo contractam, impotentemque reddit omnino. Jam de hujuſmodi contracturarum origine loquemur, calculi relinquentes originem, aut renum & veſicæ tartari, quæ licet iſtarum ſint contracturarum exordia, libro de Lithiaſi tamen, & arenis abunde ſitis explanantur. Arena & lithiaſis in ſpiritu rerum, in ſanguine, & in omnibus, quæ concavitates habent, exiſtunt, præſertim in renibus, & cum ſanguine per totum corpus expanduntur. Ubi jam iſta materia congelata, vel ad congelationem eo loci, quo ſe recepit, ex ſua natura proprietateque diſpoſita fuerit, ſpiritus vitalis & humor vitæ cordiſque (in quo ſumit exordium) qui ad femora, crura, pedeſque totos pertinent, (cum per totum corpus diffuſum ſit) ejuſque portio, quæ partibus inferioribus competit, per loca tranſiens, in quibus tartarum, & calculus ſitum habent, ibidem ſophiſticatur: & propter ſuam humorum attractionem, per quos tranſitum facit, à tartaro vel calculo recipit impreſſiones, tartareaſque proprietates, quas retinet, ſecumque vehit ad regiones, ad quas à natura diſponitur, in ſingula membra ſcilicet inferiora. Quod ſi pauca fuerit hujuſmodi ſubſtantia, manet in fundamento hærens, & incurvationem dorſi facit. Ac ſi paulo plus fuerit ſubſtantiæ, prægreditur ad femora: ſi plurimum, ad extremas corporis partes, infimaſque tranſiens, contrahit omnes, impotenteſque reddit. Non omnes hac ratione, qui tartaro laborant, vel calculo, contracturas patiuntur, quod eorum calculoſa, tartareaque ſubſtantia compacta coagulataque ſit, ut humori ſpirituique vitæ permiſceri non poſſit, illæſique renes, & veſicam tranſeant. Eſt & alia ratio, videlicet, quod arenoſę, calculoſæque ſubſtantiæ paucitas, parum etiam inficiant ſpiritum, iſque non plus damni poteſt, quam receperit, inferre. Hæc eſt indubia ratio, cur vitæ ſpiritus & humor, quòd nempe materiam ad ſe talem receperint, membra contrahant. Arenæ lithiaſiſque materia lapidea eſt, acerrimæ concretionis & coagulationis: cum igitur venis, juncturis, oſſibus, medullis, & carnibus admiſcetur, horum naturam immutat, nutrimenti ductus obſtruit, venas & medullam oſſium frigefacit, ut inſtar aceti congelari fiant, &c. Natura ſua tamen per commixtionem cum ſpiritu vitæ non immutatur, imo ſemper acrior evadens illum in qualitate magis falſificat, qui rurſus id ipſum quod nutrire tantùm deberet, etiam falſum, non ex ſuo, ſed ex alieno facit. Ex iſta qualitate, complexionum, & naturæ contrarietate, naſcitur conſtipatio pororum, arteriarum, carnis, & medullarum in oſſibus congelatio: ſic ut per acetoſam & tartaream hujuſmodi frigiditatem prorſus immobilia membra facta ſint: nec ſolùm propter frigiditatem, ſed etiam ob aciditatis aſperitatem ipſæ venæ corroduntur. Corrupta quædam eſt frigiditas omnis ſpiritus expers, & materia ſpiritu carens, tanquam acetum, quod fixum eſt abſque ſpiritu corpus, & membris inhærens humida frigiditat, ſpiritum nullum habens: quod aliis corporibus frigidis & humidis non contingit, quia viventem iſta ſpiritum continent, qui non permittat ea contra naturam aliquid moliri, ſicuti ſcripſimus de acetoſis, in libro de *Lapide & arena*: quorum etiam generatio, contracturarum ex arena tartaroque provenientium eſt origo, ſpiritumque vitæ, necnon ejus humorem impediens tartarea calculoſaque ſua proprietate membris in inferioribus diſperſa diviſaque materia, prout ſupra dictum eſt.

Cap. 3. *De contracturis, quæ ex colica ducunt originem, in manus atque pedes repartitis.*

COntracturæ quædam in colicis paſſionibus oriuntur, de quibus colicam & originem ejus, quod in alio Libro particulariter tractemus, eam relinquentes hoc loco ſcribere prætendimus: quarum variæ ſunt ſpecies. Nonnullæ cum aridura: aliæ cum tremore: aliæ cum membrorum & venarum attractionibus: aliæ cum venarum prominentia: cum doloribus aliæ: quædam per membrorum indormitionem: aliæ cum vomitu prorumpunt: quarum omnium colica, ut in poſterum audietis, cauſa eſt. Primò cùm tormina colica ventrem exagitant, ut eorum eſt proprietas, ejus loci natura quærens auxilium ab ipſa natura, de membris carne minùs onuſtis, utpote brachiis, cruribus, & ſpina dorſi (quibus vitæ ſpiritus debilior exiſtit, ideo facilior ad recedendum à ſuo loco, membriſque læſis ſuccurrendum) attrahit humorem hunc vitæ, qui quòd in illis membris pauciſſimus exiſtat, totus affluit: non ita quidem à carnoſis. Ubi jam humor vitæ relictis ſuis membris pervenerit in ventrem, à colica etiam materia propter conjunctionem inficitur, illiuſque veneno quoque tingitur (de quo mentio fit in deſcriptionibus colicæ) & inde contracturarum tres ſpecies oriuntur. *Una*, poſtquam per ſe jam ceſſaverit morbus abſque medicamento, rediens unde proceſſerat, victoriam adeptus humor iſte vitalis, ad ſingula ſua membra colicæ perniciem ſecum vehit, quæ non alias, quam arena & lithiaſis eſt contractura naturæ. Talis corruptio, quod contra membrorum naturam illa ſubintrarit, aliarum inſtar in contracturam, tranſit, & inde ſequitur impotentia. Quod ex quaviscolica non accidat, ratio eſt, quia ſubſtantiæ colicæ parum hoc, ab humore vitę penitus abſumitur. *Secunda* colicæ contractura fit ex inſufficienti, vel impertinenti medicamento, quod omnem hujuſmodi materiam conſumere minimè potuit, & quod reſiduum fuit, humori vitæ permixtum eſt, qui poſtmodum ſparſus in omnia ſua membra, contracturas induxit. *Tertia* colicæ contractura naſcitur, cùm ſub iſtis paſſionibus intratur in balneum, quia ſtatim atque membra calefacta ſunt, calor iſte rurſus humorem vitæ revocat in ſuum locum, maximè quod ejus ſit proprietas, ad calorem ſe recipere. Ubi jam in ſua venerit, ſecum affert colicæ materiã ſibi permixtam, & membris refrigeratis relinquit eam, quæ eandem operatur ex proprietate ſua, capitaliaq; membra quatuor impotentia

tentia reddit. Nonnunquàm inter balneandum, ſi talis materiæ plurimum fuerit, quia jam alias quàm aſſueta ſit (in ventre ſcilicet, in brachiis, & pedibus ſe reperiat) continuò membra contrahit: ejus namque ſalſedinis aſperitas (cum nihil aliud ſit colica, præter ſal, ut ignis calore, aciditateque vehementiſſimis utens) venas atque juncturas impotentes reddit, ut in aliis ſuis agnatis proprietatibus efficere ſolet: aliquando carnes & muſculos, ut acidorum eſt natura, corripit. Talis eſt in iſtis locis contracturarum origo, quæ nihil aliud eſſe videntur, quam humoris vitæ in colicam attractiones, & poſtmodum iſtius in quatuor membra capitalia cum concepta malitia receptio, ibidemque manens corruptio ſimilis tamdiu, donec per eam humor ille vitæ penitus abſumatur. Ex hujuſmodi corruptionibus membrorum aridura naſcitur, eo quod natura retrocedere, ſuaſque nutriendi vires cogatur his amittere: tum propter fellis aciditatem abundantiſſimam, tremor in membris excitatur: in uno tamen quàm in alio magis: aliquando cum retractione membrorum, quod fellis natura ſit, in quæ dominatur, ea ſtringere: aliquoties cum extenſione ſuperflua, propter humoris vitę fortitudinem, qua membrum læditur ad impotentiam: & perſæpe cum debilitatione propter ejuſdem humoris deprædationem à colica factam. Inſenſitivæ contracturæ ſunt emortuæ, propter humoris corroſionem ab aciditate, frigiditateque materiæ colicæ temporis ſucceſſu factam, ſic ut ſtupefecta membra non ſentiant. Sunt & aliæ ſenſitivæ, quòd robuſtum humorem vitæ retineant, qui ſe contra morbi conflictum defendere nititur. Quę vomitum excitant, à colica procedunt, membra nondum obſidente prorſus, ſed partim in ventriculum recepta per fel, eum infeſtat, uti libro de *Colica* demonſtratur. Quicquid præterea de prædictis contracturis ſcitu neceſſarium fuerit, capitulo de cura continetur.

Cap. 4. *De contracturis, quæ ex cholera proveniunt.*

OMnium eſt peſſima, quæ à cholera gignitur contractura: nam tranſmutatione contra naturam, ex totius corporis accenſione, cum externorum, tum internorum membrorum in cholericis tantùm, & præſertim in mulieribus, in omnia membra producitur in hunc modum. Ad exceſſivam hominis choleram, fel aciditatis ſtipticitate ſua calorem addit in corpore, quo tandem in venis omnibus accendit ſanguinem, ex cujus fervore ſudant venæ ſub cute: ſudor hic eſt ſal, in quo vivit & conſervatur ſanguis, uti de ſanguine ſuo loco dicitur: hujuſmodi ſal ad venas, nervos, & carnes tranſit, ac ad omnia, quæ corripere poteſt aſperitate ſuâ. Sic etiam ex impreſſiſſima cholera ſolet accidere, cum per univerſum corpus ſævit, hujus motu ſudor excitatur perquam acidus, qui nulla alia motiva cogi poteſt in exitum, quam ſuperfluo calore per choleram ortum habente, quo fel accenditur in amaritudinem, eam adfert, ac una cum ſudore per venas ad ſanguineum tranſit: poſtmodum acrimonia fluxionis iſtius, in materialem aquam ſal hujuſmodi reſolvitur, per quam dictorum quatuor in unicam formam eſſentialem fit in venis & juncturis commixtio, ſicut in aliis. Poſtquam ſudor hujuſmodi cholera motus jam ceſſaverit, fel ad ſuum locum redit, ſedatur calor, ſed remanent illæ commixtiones in locis, ad quæ cholera ſudoreque promotæ ſunt, quia non recedunt à juncturis, in quas receptæ ſemel fuerint. Cholera pariter abeunte, mox adeſt humor vitæ, qui cum dictis commixtionibus junctis, acrimoniæ materialem earum ſubtilitatem recipit: hac etiam brachia, pedes, & exteriora membra quæque reddit contractionibus impotentia. Periculoſa tandem cura ſubſequitur, atque difficilis, & potiſſimùm in mulieribus, quibus tam inordinata cholera naturaliter ineſt, ut ſanguinem vitæ ſpiritu ſuo prorſus evacuet. Quapropter in mulieribus choleræ contracturarum curæ difficiliores exiſtunt, quam in viris, & plerumque mortem inducunt: maximè quod accedat invidia, per impreſſionis aſcenſionem orta: quę non alia ac fel aſcendit, ac movetur ab invidia, ſicuti fel è cholera. Fieri poteſt igitur, ut ex invidia naſcantur incurvationes, & ex iſtis contracturæ, prout ex cholera proveniunt. Eſt itaque choleræ contractura, calor ab exterioribus choleræ motibus aſcenſus, quo ſpiritus, & humor vitæ contra venas & juncturas inficiuntur, & corpus ſuum in contracturam ducere, motumque ſimilem in his magis, quam in aliis contracturis exſerere coguntur. Inde fit etiam, ut minus aliis curabiles exiſtant, raroque penitus curari poſſint: niſi ſpiritus adhuc aliquid reſiduum ſit in membris, totuſque non fuerit exiccatus, ſic ut ex tantillo rurſus multiplicari queat, alias fruſtra curabitur, ut in practica latiùs.

Cap. 5. *De contracturis ab exceſſivo potu provenientibus.*

EX vino ſuperfluè poto generantur etiam contracturæ, quæ prolixiſſimæ durationis, membra præ cæteris exedentes, & ex ſua natura difficillimæ curationis exiſtunt, hac de cauſa. Vinum ſpiritus habet ſubtiliſſimos: quos ubi potum fuerit, unà cum humore vitæ permiſcet, facilèque recipiuntur, cum propter ſimilitudinem, tum etiam ad humoris vitalis nutrimentum. Permixtione facta, vini qualitas calida & ſicca ſuas operationes exercet indomitè: propter ſui ſubtilitatem tartarum in ſe reſolutum etiam continet: inde fit, ut cum tempore magis atque bibitum, humorem vitæ magis exiccet, abſumatque, nec vegetare permittit: quod ubi perfecerit, membrum eo loco privatur ſuo nutrimento, motu poſt, & ultimò vitâ: venæ ſiquidem ut ex ſua natura ſtringuntur, areſcunt ariduraque ſubſequitur, aut craſſus ſpiritu vitæ vacuus humor effluit. Non tamen omne vinum id efficit, potiſſimum illud, quod ſubtiles admodum, tartareoſque ſpiritus non habet. Quapropter ex aliquo podagra vel calculus oritur, ſicuti libro de Podagra & Lythiaſi diximus, hoc fit ex diverſitate naturæ, cum vini, tum hominis, ut libro de varietate creſcentium ſecundum naturam ponimus.

Medicorum Excellentiſſimi Doctoris Aureoli Paracelſi Tractatus alter, de cura & medicamentis, quæ ſunt Contracturis adhibenda.

Cap. 1. *De ordine differentiaque ſervandis in practica.*

CUm ſupra quinque contracturarum origines poſuerimus, æquum etiam fuerit, earum curas ex ordine deſcribere, quod præſertim hoc Capitulo facere conabimur. Eadem, præmiſſæ contracturæ, non diverſa ratione curandæ ſunt omnes, & in ſui cura non ſeparandæ, quod eundem habeant exitum, & principiorum cauſa medicamentis non indigeat. Nam atque morbus à membris expulſus eſt, & ſpiritus humorq; vitæ reſtituti ſunt in priſtinum ſuæ naturæ ſtatum, iſti per ſeſe curant, ac omne, quod vitioſum eſt, explodũt. Primo de cura dicimus, medicamenta quævis ad contracturas aperitiva pororum, humorum calefactiva humectantiaque nervos & arterias eſſe debere. Hoc tamen animadvertendum eſt, ut in eodem gradu ſint, in quo morbus ipſe: nam ſi leviora fuerint, inutilia prorſus futura: qualitates eorum morbi qualitatibus oportet ex æquo correſpondere. Non omne calidum nec humidum quodvis, licet etiam aperitiva ſint, &c. faciunt ad curam hanc: ſed ut inclinationem habeant à forma ſpecifica neceſſarium eſt, particulariterque particularibus etiam

etiam contracturis apta ſint: quâ viâ, non aliâ, cura poſſibilis. Notandum ſuper, contracturas in ſupremo gradu morbi conſtitutas, & poſtremò non ſolùm ſiccitatis, humiditatis, caloris aut frigiditatis, verùm etiam exſtinctionis humoris, & mortificationis, æqualibus etiam extremum ſanationis gradum obtinentibus medicamentis, & quæ ad vitam reſtituendam membris valeant, curari debere, non aliis. Talia proprietatum præparationibus rerum naturalium quæ ſequuntur, at non omnium, acquiri poſſunt medicamenta. Spiritus vitæ revocandus eſt, recuperandus, & renovandus, excellentiſſimis & confortantibus plurimùm remediis, quorum humore novo ſpiritus ille vi quadam introducatur in membra, de quibus pravi cum ſuis venenis & infectionibus humores expellantur, ſingulari medicinæ practicâ naturaliter hoc ipſum operante. Conſiderandum eſt ulterius, hujuſmodi medicamentum, quod iſtis morbis reſiſtere debeat, non commune, non crudum, nec inſeparatum (ni forte levis, & quæ jam ceſſare cœpit, contractura ſit) exiſtere debere, ſed ſpirituale quid, corpus totum penetrans cum proprietatibus antedictis. Duobus modis iſta cura fieri debet: uno quidem, ut illa membra, quæ ſunt à ſuo loco mota, reſtituantur, ut decet. Altero vero, quod maximis confortativis, uti ſunt *Aureum potabile*, *Oleum Solis*, *Materia perlarum*, *Eſſentia antimonii*, *Arcana quintæ eſſentiæ*, *Aqua vitæ*, *Oleum vitrioli*, *Aqua tartari*, *Quintum eſſe gemmarum*, *Coralliorum*, *& ſimilium*, paulatim ſublevenrut, conforrentur, & in priſtinas vires revocentur. At licet hæc vocabula ſint medicis antiquis, vel qui ſaltem antiquorum nomine medicorum ſe venditant, cum tamen antiquas denominationes & medicinas ignorent, incognita, non eſt quod cures aliud, quàm ut benè cures: illa tibi clarius in libro noſtro *Quintarum eſſentiarum*, *& eorum præparationes* pro majori parte ponimus. Nunquam D. O. M. ſufficienter canere laudes, nec agere gratias totum genus humanum poterit, pro tanto medicamento, quod paterna ſua liberalitate ſuis dedit creaturis: nam illud eſt ad calorem & frigiditatem, omniumque ſupplentiſſimum, humoris & vitæ ſpiritus ita reſtaurativum, ut iſti poſtmodum quaſvis infirmitates naturaliter pellant, quæ ad finem à Deo poſitum impediunt corpora pervenire: verùm unde ſimilem efficaciam nactum ſit, hoc loco non: quia libro *Quintarum eſſentiarum* apertiſſimè declaramus. Admirabilis profectò medicina, quę pariter humidum atque ſiccum, calidum æquè ac frigidum curat. Hæc eſt ratio, cur generalem curam ad omnes contracturas ponimus, ut in auro potabili: cujus etiam non miratur quicunque verè philoſophus exiſtit, quod aurum & ejus proprietates, ejuſque ſupremum operationis gradum novit, in confortatione totius naturæ humanæ per quam ſolam omnes morbi ſunt, & potiſſimùm illi, qui ſupremum gradum occupant, ut contracturæ curandi. Non alias in perlis vel unionibus, cum præparatæ fuerint: & magis quam in illis in antimonio, qui virium in corpore eſt renovator omnium uti loco de reſtauratione, vitæque renovatione ponimus: item in arcano quintæ eſſentiæ, in aquis vitæ, quæ per earum ſubtilitatem virtutes omnes in univerſa corporis membra ducunt, augentque: ſingulariter in viribus olei vitrioli, & aquæ tartari, cum ad ſimilitudinem eſſentiæ quintæ præparantur. Non minor eſt in corallio, pretioſiſque lapidibus virtutum efficacia, quæ ſingula præfatis libris enarravimus: quod magis requiritur, addemus ad hanc practicam.

Eſt & alius contracturas curandi modus, per externa medicamenta non inutilis, ut per fumigationes ex balſamis, & arcanis: per balſama terebinthi, lauri: per oleum ranarum, adipum, gummi: per arcana, compoſitum, ſolidum, & elementatum: quorum deſcriptiones ponemus: aut præparationum proceſſus, cum in libro de Eſſentiis exiſtant, hîc ſuperfluè non repetendi. Pariter ad unguenta nullam demonſtrationem, quod in libro de *Ægritudinibus membrorum* habeantur, facimus, at ſolum practicè docemus, curas cuique ſuam doſin & uſum adſcribentes.

Cap. 2. *De auro potabili, & oleo ſolis ad membrorum contractiones.*

Diximus antea, contracturas alio modo curari minimè poſſe, quam per medicinas in ſupremis gradibus exiſtentes, ut eſt earum aurum potabile, ſimileſque, de quibus in gradibus majoribus egimus: quamobrem earum, ut in libro de *Quinta eſſentia* dicitur, eſt habenda maxima cura.

Dicitur aurum potabile, quoties una cum aliis ſpiritibus & liquoribus, in ſubſtantiam, quæ bibi poſſit, redigitur. Oleum ejus eſt, cum ex ſola ſui ſubſtantia præter additionem, oleum jam factum eſt aureum. Quinta eſſentia dicitur auri, quoties ab eo rubea tinctura tracta ſeparataque fuerit à ſuo corpore: nam virtus, activaque vis in tinctura duntaxat exiſtit. Doſis auri potabilis eſt ℈j. *qualibet vice*. Olei doſis aurei pondus granorum hordei decem non excedat. Et quintæ eſſentiæ auri, granorum eſt trium ſimilium per vicem aquæ vitæ bonæ, vel alterius aquæ ſubtiliſſimæ commixtorum, maneque, ſub meridiem, & veſperi ſumptorum, pro medicinæ quidem exigentia: qua ſine corroſivorum, aut corrumpentium additione fit, ejus naturam immutare minimè valentium, vel cum ea permiſceri.

Auri potabilis deſcriptio.

℞. *Auri foliati, pulverati, nec non in ſuccum ſoluti* ℥j. *& aceti deſtillati, quantum ſatis eſt*, addito, ſimulque deſtillando toties à ſe mutuo ſeparato, quoad ſaporis ejus, quod adjunctum eſt, nihil prorſus maneat. Poſtmodum ſume ſubſequentis aquæ vitæ ℥v. quas in pellicanum affuſas una ſimul per menſem digerendo, perfectum habes aurum potabile, cujus practicam ex libro noſtro de *Quinta eſſentia* diſcas oportet: quęque licet multis coloribus non depingatur, ut moris eſt, par tamen hoc ſæculo medicina reperiri non poteſt.

Ejus aquæ vitæ deſcriptio.

℞. *Vini ardentis lib. decem*, *Roſarum*, *Meliſſæ*, *Roriſmarini*, *Anthos*, *Cheiri*, *Foliorum utriuſque ellebori*, *Majoranæ*, *ana m.* j. *Cinnamomi*, *Macis*, *Nuciſmuſcatæ*, *Garyophyllorum*, *Granorum paradyſi*, *Piperum omnium*, *Cubebarum ana* ℥ij. *Succi chelidoniæ*, *Tapſi*, *Meliſſæ*, *ana lib.* ß. *Cineris fabarum* ℥v. Mixta ſimul omnia per duodecim dies in pellicano digerantur, ſepara tandem, & utere, ſicuti dictum eſt.

Olei ſolis deſcriptio.

Poſtquam ſuccus ab auro per acetum, uti ſupra fuerit ſeparatus, bulliat quindecim dies in digeſtione, quæ ſequitur, deinceps balneo ſeparetur, & in fundo manebit oleum ſpiſſum, quod aurum eſt permixtionis expers. Hoc utere, ſicut ſupra.

Corpus digeſtionis ejus fit hoc modo.

℞. *Succi chelidoniæ*, *Aquæ vitæ ana lib. j. Reſoluti*

ſol·s, ut ſupra ℥iij. Miſce ſimul, & operare ſicut audiviſti.

Formula quintæ eſſentiæ.

Accipe quantum voles auri, per cementum regale, vel antimonium repurgati, cui per aquam ſalis metallicam proprietatem, aut malleationem auferas. Poſtmodum ablue reſidentiam aqua dulci. Tincturam ejus extrahas per ſpiritum vini. Poſtremò ſpiritum elevabis ab ea, manebit in fundo quinta eſſentia.

Aquæ ſalis conſtructio.

Sal tritum accipe mundiſſimum, & albiſſimum per ſe, quod ſine decoctione, bullitione, vel alia quavis arte, qua ſal fieri conſuevit, à natura productum ſit, hoc ipſum liquefacias aliquot vicibus, & ſubtiliſſimè tritum, ac unà cum ſucco radicum raphani mixtum, atque ſolutum deſtillabis, & cum ſanguinea dum viridis exiſtit, iterum ponderibus æqualibus admixtum deſtillato quinquies. In iſto liquore laminatum ſolem, ut ſupra diximus, in pulverem ſolves. Abluatur hic pulvis aqua limpidiſſima, deſtillataque toties, donec omnis ab eo ſalſedo recedat: libenter enim ſal ſeparatur ab eo, quod non miſceatur corporibus in profundo, quapropter ablato corroſivo, manet aurum per ſe ſolum, ut oportet.

Spiritus vini extractio.

℞. *Vini menſuram unam optimi, naturalis, & rubei potius quam albi*, quod in circulatorium vas amplum (ut melius rotetur) poſitum, & obſtructum, ac in balneum maris ad profunditatem vini merſum, per quadraginta dies bulliat. Poſtmodum effuſum in cucurbitam diſtilla frigidè tam diu, donec ſpiritus exierit, & poſtquam ſignum ſuum non dederit amplius, ceſſato mox (alias in ſecunda parte Chirurgiæ magnæ ſic habetur.)

Poſtquam dederit ſignum ſuum, ceſſabis: nam quod ſequitur, eſt aqua vitæ, non ſpiritus, utrumque valet: quia ſignum hoc loco duplum apparet, unum ſpiritus, alterum aquæ vitæ.

Hunc vini ſpiritum ad reſidentiam effundes, quæ eſt pulveris inſtar mundiſſimi, ſic ut ſex digitorum latorum altitudine ſupernatet, clauſaque ſimul omnia vitro peroptimè, digerantur in balneo dies triginta: quibus tinctura ſpiritum ſubintrat, in fundo reſidet pulvis albus. Separa per artem, & fluat pulvis, inde fiet aqueum metallum, vel aqua metallica. Spiritum evaporare permittas ut Alchimia docet, manebit ſuccus liquoris ſimilitudinem habens in fundo. Liquorem hunc ad quinam vicem graduabis, per vas retortum pro quantitate materiæ, ſubſtantiæque capax: graduatio talis fit per elevationem duntaxat, quæ ſubtilem reddit hujuſmodi ſubſtantiam, ſed ultra quintam eſſentiam ſe trahi non permittit.

Alias eodem Chirurgiæ magnæ, quo ſupra loco ſubſequitur, hoc eſt, ij. iiij. o. ulteriùs comburitur.

Uſus iſtius eſſentiæ quintæ eſt, ut ſuperius, & libro de Quinto eſſe latiùs declaratur.

Cap. 3. *De medicamine materiæ perlarum, & eſſentia antimonii.*

Materia perlarum ſuccus eſt ex margaritis & unionibus tractus, & potabilis, ita potens, ut inter ſpermata nullum illi ſimile ferme reperiatur, cujus extractionis modus talis eſt.

Formula conficiendi margaritarum ſuccum.

℞. *Lib. j. aceti deſtillati mundiſſimi, aquæ vitæ circulatæ libram ſemis, margaritarum mundatarum uncias quatuor*, quæ poſtquam pulveratæ ſubtiliter, & præparatæ fuerint, unà cum aliis in circulatorio digerantur per menſem: ſubſidebit materia perlarum, ut pinguis liquor: qui cùm apparebit, ſeparentur aquæ per effuſionem ſucco reſervato, de quo dentur grana ſex per vicem. Sunt & aliæ ſuccum hujuſmodi parandi viæ, ſed hæc eſt omnium utiliſſima.

De eſſentia antimonii.

Eſſentia antimonii eſt purgatio præter ſeceſſum, quæ purgat hominem excellentiſſime ſuper alia quævis arcana, radicitus evellit auferendum, ac omne quod immundum reddit humanum corpus: hoc in ſupremum uſque ſanationis gradum purum efficit, ac ab omnibus ægritudinibus mundat, etiam illis, ex quibus oriuntur ulcera. Quidquid penes hominem fuerit impuri, delet, ac magis omne, quod in homine per hominem incidentis inveniri poteſt. Si tu medicinam hanc vel potiùs arcanum reperias, imperito ne dederis. Philoſophi, nec non artiſtæ plurima tentarunt in antimonio, verùm ad fundamentum ejus purum & perfectum pervenire non potuerunt ante mortem quam etiam priuſquam naſceret, perſolverunt. Hæc loco præparationis ejus principium non, quod in libro noſtro de *Quinto eſſe* reperiatur, ſed remedium contra colicam ponimus, ut ſequitur.

Ad colicam.

℞. *Aquarum meliſſæ, Vitæ circulatæ, Succi chelidoniæ ana* ℥ *iij. Florum alborum antimonii* ℥ *j.* ß. Digerantur dies duodecim. Poſtmodum in ſeparando per balneum, invenies eſſentiam antimonii, de qua doſin unam facies ʒß. qualibet vice.

Cap. 4. *De remediorum arcanis eſſentiæ quintæ, ſulphuris, & aquarum vitæ pro contracturis.*

Accipe *florum ſulphuris lib.* ß. *Florum alborum antimonii* ℥j. ß. *Succi auri* ℥*j. Aquæ vitæ circulatæ* ℥*x.* Digerantur ad menſem, & in maſſam duram congelentur. Hujus qualibet vice ʒj. adminiſtrabis.

Aquæ vitæ mirum in modum penetrativæ compoſitio.

℞. *Aquarum meliſſæ, Roſarum, Cheiri, Salviæ, Balſami ana lib. j. Piperum omnium, Cubebarum, Zingiberis, Cinnamomi, Maſticis, Myrrhæ rubeæ, Maceris, Caryophyllorum ana* ℥ *ij. Succi mellis lib.* ß. *Aquæ vitæ rectificatæ lib. v.* Digerentur omnia ſimul per novem dies, & poſtea ſeparentur, & in pellicano deſtillentur ad ſpiritum. Tandem ad liquorem hunc adde pomum toſtum, & fractum, & ſimul unà cum ſubſequentibus digerantur ſuper cineres per iij. dies: de qua ſumantur grana quinque ſingulis diebus.

℞. *Cin-*

℞. *Cinnamomi, caryophyllorum, macis ana* ℥ ij. *anthos, cheiri ana* ℥ ß. *ambræ* ʒ ij. *muſci grana v. zibetæ* ʒß. *zingiberis, cubebarum, nuciſmuſcatæ ana* ℥ j. ß. *amoni* ʒ ij. *zedeariæ* ʒ ij. ß. *granorum paradyſi* ℥ j. ß. Poſt horum omnium digeſtionem ſepara, ſervaque vaſis vitreis obſtructiſſimis.

Cap. 5. *De medicamento vitrioli & tartari pro contracturis.*

Oleum vitrioli per ſeipſum abſque additione, ſed ex proprio ſucco medicina eſt: at quia non omne vitriolum perfectum, non immeritò quod optimum fuerit eligendum, ex quo phlegma totum, & oleum, exhauritur, poſtea rectificatur à ſuis fecibus toties, donec ad ſpiritum exaltetur: de quo tres guttas administrabis cum alia convenienti quapiam aqua mixtas: poteris & aquarum vitæ pauxillum affundere. Non reperitur medicamen aliquod penetrantius membra citius, aut materialius iſto perquires à fundamento, quam tibi jam poſuimus. Eſt & aqua tartari tracta de vero tartaro, perquam excellens ad ea, quæ dicta ſunt, ut etiam libro de Quinta eſſentia ſcripſimus.

Proceſſus in extractione phlegmatis, & olei vitrioli, tendens ad contracturas.

Ad extractionem ſpiritus vitrioli, qui eſt omnium excellentiſſimus & potentiſſimus, licet ab aliquibus phlegma nuncupetur, hoc modo procedendum eſt. Igne violentiſſimo, nec non in erecta cucurbita, uſque ad nonum alembicum, per reverberatorium in athanar locatum ad quartum diem naturalem urgeatur; & ſpiritus hic præparatus erit.

Proceſſus ad aquam tartari pro contracturis.

Tartarum optimum acerrimè deſtillatum, in pellicano ſubtiliſſimè rectificabis, cui quidem aquæ vitæ rectificatæ partem æqualem addes, ejuſque decem guttas adminiſtrabis qualibet vice. Habet enim tartarum peculiarem vim ad membrorum contractionem curandam, & proprietatem ad penetrandum per univerſum corpus. Sunt alii lapides, quorum liquores eandem vim obtinent à natura, prout corallia, colorataque, quorum hoc loco mentionem nullam facimus, quod pauci ſunt, ac Eſſentiarum libro contineantur. De confortantibus & internis dictum ſit hactenus, licet breviter. Libro de Eſſentiis quære latiùs.

Cap. 6. *De fumigationibus membrorum contractorum per extrinſeca medicamenta.*

Poſſunt etiam contracturæ per extrinſeca remedia curari diverſimodè, ſicuti ponemus per ſuffitus & fumigia, prout ſequitur. Contractum ſive pedem ſive brachium includes in vas appropriatum ſatis amplum, ut in eo conſtrictum non ſit, ac vas cooperiri valeat, ne fumus exhalare poſſit. Poſtmodum accendes quod ſequitur, & in vas reconditum cooperi, tantiſper ibi maneat, donec fumus ille ceſſaverit: hoc fac per medium diem. Si ſuffimen unum videatur non ſufficere, plura fiant, vapores in vaſe denſabuntur in liquorem, ut in alembico ſolent.

Hujuſmodi ſubtilis vapor, qui proprie fumus non eſt, penetrat, membrum calefacit, venas & humorem vitæ refocillat, ac ad naturalem vitam revocat. Proceſſus hic tenendus erit, donec durabit infirmitas. Inſtrumenta, vas, & alia, quæ neceſſaria ſunt ad hanc rem, ponimus in libro de Curis ulcerum, ultimo cap. de vaporibus.

Receptum.

℞. *Olei olivarum olei juniperi ana* ℥ v. *maſticis lib.* ß. *Terebinthinæ* ℥ iiij. ß. *Salis petræ* ʒ j. & ß. Mixta ſimul in cacabo ſuccendens, accenſa petoptimè ſuper fundum vaſis inferiùs, & intus pones, ac membrum teneatur ſupra vaporem, coopeiiatur vas fundo ſuperiore, ne vapor exeat. Cùm perceperis extinctam eſſe materiam, exemptam rurſus accendas & impones toties, donec tempus ſupradictum impletum ſit. Vapor iſte mirum in modum calefacit ac recreat membra. Sunt & alia ſuffimenta, quorum hic unum adhuc ponemus.

Accipe *taxi pinguedinis, olei olivarum, adipis ranæ minimæ viridis, & calamites appellatæ ana lib. j. mirrhæ, maſticis, therebinthinæ ana lib.* ß. Aſcende, ſicut ſupra dictum eſt.

Cap. 7. *De balſamis, quibus & contracturæ curantur.*

Fiunt & quædam laudabilia balſama, quibus contracturæ curantur, & quorum magnus eſt numerus: nos tamen ea ſolum huc adducemus, quæ nobis cum uſu, tum experimento probatiſſima ſunt. His enim calidis membra ſunt optimè perungenda, ſingulis diebus ter, & abſque intermiſſione.

Primum balſamum.

℞. *Therebinthinæ deſtillatæ lib. ij. Galbani deſtillati lib. j. Gummi elemni deſtillati lib.* ß. Rurſus deſtilla ſimul, & inde fac balſamum à ſuis fecibus & phlegmate ſeparatum, eo demum utere, ut ſupra.

Aliud balſamum.

℞. *Terebinthinæ, oleorum laurini, olivarum, juniperi, ana li. j. maſticis, myrrhæ, thuris, ſingulorum lib.* ß. Deſtilla per ſe, quæ ſunt ejuſdem qualitatis, videlicet olea per ſe, reliqua tria etiam per ſe, quæ mixta ſimul iterum deſtilla ſemel, & utere, ſicut audiviſti.

Aliud.

℞. *Adipis taxi, ſevi cervini, ranarum adipis, ceræ ana lib. j. maſticis lib. ij. thuris lib.* ß. *euphorbii* ℥ iij. Deſtilla, ſicut narratum eſt.

Aliud.

℞. *Gummi oppopanacis lib. j. Galbani lib.* ß. *Armoniaci quartam j. Bdellii quartam* ß. Simul commixta cola per acetum, & in oleum deſtilla, cui tandem ea, quæ ſequuntur, addes. ℞. *Terebinthinæ deſtillatæ lib. iij. Olei philoſophorum lib.* ß. *Olei laurini deſtillati lib. j Maſticis, Thuris ana lib. j.* Deſtillentur omnia cum oleo prædicto rurſus in oleum, huic ea, quæ ſequuntur impoſita ſimul, in ſole digerantur vaſe vitreo.

℞. *Styracis liquidæ* ℥ j. ß. *ranarum numero xx adipis taxi lib.* ß. *aceti deſtillati, vini ardentis ana* ℥ j ß. Poſtmodum menſem exprimens, uſque reſervabis. Notandum eſt inſuper, ex prædictis naturalibus corporibus, quolibet per ſeipſum ſufficiens eſſe, cum deſtillatum & rectificatum fuerit, uti per Alchymiam hujuſmodi præparationum unicam artificem docetur.

Aliud.

℞. *Lignorum juniperi, Fraxini, Sabinæ, id eſt, Tamaricis, Fagini ana lib. j.* E quibus arte communi deſtilletur oleum, quo quidem rectificato per pellicanum, utere.

Aliud.

℞. *Sevi cervini lib. iij. Adipum felium, Vrſi ana lib. j. Taxi lib. v. Hirci lib. ij.* Ex quibus etiam oleum deſtilletur, huic ranarum viventium ſex libras addito. Poſtmodum rurſus deſtillato, quæque ſequuntur imponito: videlicet.

Sevi cervini lib. j. Adipis taxi lib. iij. Ceræ lib.ß. Aceti quartam ß. Et unà cum præcedentibus fiat unguentum: hoc in contracturarum diebus primis utere potiſſimùm.

Cap. 8. *De arcanis & contracturarum aliis medicamentis.*

Latius te lectorem facere cupio participem arcanorum, quibus non alias quam balſamis contracturæ curari poſſunt, quorum etiam forma non olei, vel pinguedinis, at aquæ ſimilitudinem refert. Quia de re dicuntur arcana, quod reliquas excellant aquas. Horum arcanorum ſpecies quatuor exiſtunt: videlicet Arcana compoſitum, Solidum, Elementatum, & Metallicum.

Formula arcani compoſiti.

℞. *Alcool vini lib. vj. Cantharidum ℥ x. Canapi, foliorum Tapſi, Camomillæ, Hypericonis ana m. vj.* Tere, miſceque ſimul, & in ſole, vel fimo digerantur per menſem, deſtillentur poſtmodum, & huic, ea, quæ ſequuntur, impones.

℞. *Canapi, Florum tapſi, Camomillæ, Hypericonis, Centaureæ, Prunellæ, Betonicæ ana lib. ß. Maſticis, Mumiæ ana ℥ j. ß. Thuris ℥ v. Lumbricorum terreſtrium, Ranarum ana lib. ß.* Deſtillentur in circulatorio per octo dies, hoc utere non alias, quàm de Balſamis ſupra dictum eſt.

Arcanum ſolidum.

℞. *Succi flammulæ, ex tota ſubſtantia: hoc eſt, ex floribus, caula foliis, & radicibus, Succi florum tapſi ana lib. j. Alcool vini lib ij.* Digerantur in ventre equino per decem dies, & his utere, ſicut ſupra.

Arcanum elementatum.

℞. *Chelidoniæ, Meliſſæ, Erucæ, Juvæ artheticæ, Florum tapſi. Papaveris, Centaureæ, Bethonicæ, Parthenionis, Hypericonis ana m. ij.* Terantur omnia ſimul, & aceti parumper addito, putrificentur, & exprimantur optime, ſuccuſque per circulatorium vas decem diebus aſcendat abſque intermiſſione, quo liquore tandem utere: nec erit inutile maſticem addere, ſimiliaque.

Arcanum metallicum.

Reſolutum accipe metallum, quod circuletur octo diebus, dulcificetur poſtmodum, & in uſum aſſumatur. Metallorum tamen diſcrimen erit faciendum: Solis eſt aqua metallina præ cæteris ad contracturas præſtantiſſima. Breviter hoc loco diſcurrimus ea, quæ de Quinta eſſentia libro latiſſimè contenta ſunt.

Cap. 9. *Concluſio de contracturarum curis, per quam earum vires declarantur.*

Jam aliquot recepta pro contracturis poſuimus, pro majori parte non incognita, quorum ſi debito præparatum fuerit ordine pariter & adminiſtratum, quodlibet eſt ad curam ſufficiens. Verùm quod aliquibus non ſubventum eſt aliquando cauſa duplex aſſignatur. Prior atque minor, quod membro ſpiritus humorque vitæ prorſus relicto, nullo reſiduo deperiit, naturæque medentis intrinſecùs, vel naturalis balſami nihil in eo remanſerit. Altera maior, eſt fatum à Deo ſic ordinatum, de quo libro de *Fatis* agimus. Utraque non alias innoteſcere medico poteſt, quàm ex perfectorum adhibitorum ad curam hanc medicamentorum effectuum nullâ demonſtratione, per quod indicium, alteram, utramque dijudicare poterit occaſionem, cur nihil efficere poſſit in contracturarum cura. De cætero nulla reperitur infirmitas, quæ proprium non habeat ex adverſo medicamentum: etiam nulla contractura per infirmitatem orta, cui reſiſti non poſſit. Quapropter quoties una morbi, toties & ejus remedii cauſa reperitur. Quod fatalibus morbis difficilè mederi queat medicus, fidei defectus erga medicinam, & naturæ curſum id efficit. Quamobrem hîc in terris ſpe conſtantiſſima duci, & mortalitatis, ac medicinæ vires, ut morborum etiam occaſiones, & inimicum à corpore noſtro pellendi modum cognoſcere deberemus. Fatum nos etiam docet, per certitudinem exſpectare hoc ipſum, quod impedire nullo modo poſſumus, & in nobis ipſis nullam, at in eo ſolo ſpem, ad quod Pater ille noſter Deus, & ordinavit omnibus in operibus noſtris ponere docet: unde proveniunt ea, quæ libro noſtro de *Fatalibus* profitemur. Verùm enimvero, cum jam medicinæ tantam perfectionem habeamus, & quod magis eſt, miſericordiam ejus, qui creavit eam, ſpe firmiſſima freti progredimur, quantum ex ejus voluntate nobis eſt permiſſum ad reſiſtendum Fatis, medicamentis in ſupremo gradu, contra ſupremum infirmitatis gradum conſtitutis: in quibus etiam infirmitates ſuperandi, poſt ea, quæ dicta ſunt, magnam habemus fidem, uti prologo primo librorum omnium ponimus.

Operis Concluſio.

Ad eorum veram & fundatam concluſionem quæ dicta ſunt, notandum erit his, qui metallorum eſſentiam & originem ex ratione vera cupiunt cognoſcere, metalla noſtra nihil aliud fore, quàm lapidum communium partem potiſſimam, optimamque, lapidum, ſpiritum, gluten, ſevum, butyrum, oleum, & pinguedinem, quæ adhuc in lapide mixta non bona, non pura, nec ſincera minuſque perfecta ſunt: hæc eſt ratio, cur in lapidibus quæri, reperiri, cognoſci, ſeparari, & per contuſionem ac liquefactionem extrahi debeant. Quo facto non ſunt ampliùs lapides ſed præparata completaque metalla ſyderibus cœleſtibus comparanda: quæ quidem lapides à terreſtribus ſecreti ſunt. Poſtremò ſi quiſpiam inveſtigare cognoſcereque mineralia metallàque voluerit, eſt quod firmiter ſibi proponat, in communibus cognitiſque mineris ſemper non eſſe quærendum, nec in profundo montium: quia ſæpe numero faciliùs inveniuntur in ſuperficie terræ, quàm in ejus utero, copioſiùſque. Hac de cauſa quivis lapis in aſpectum oblatus, ſive magnus,

gnus, ſive parvus, rupes integra, vel cos exſtiterit, diligenter examinandus, cujus proprietatis, aut naturæ ſit: nam aliquando coticula reperitur, quæ licet aſpernata, vaccæ valorem excedit. Non eſt etiam opus conſiderare latiùs, unde lapis hic originem habeat, aut à quo majore ſit avulſus, ut ejus copia major haberi queat, quia non aliunde quàm à cœlo, quod habet, ortum eſt. Reperitur & vilis terræ pulvis, aut arena, quæ ☉ & ☾ plurimum contegit ſecumque vehit: hæc notato.

Ex illis magnâ pompâ turgentibus, quæ nobis hactenus Theophraſtus Paracelſus, non minori cum faſtu quàm obſcuritate ac barbarie, (quamvis non paucis auri granulis hinc inde interſperſis,) obſtruſit, tanquam ulcerum ac ulceroſorum morborum medicamentis infallibilibus; jam ad alia regrediamur ſimpliciora, ac probati magis usûs, quæ compendiò, ac maximâ cum evidentiâ nobis exhibet Clariſſ. Joh. Munnicks in ſuâ Chirurgiâ ad Praxin hodiernam accommodata. Quæ hæc ſunt.

De Vlceribus Liber.

Cap. I. *De Vlceribus in genere.*

I. AT quandoquidem cum Vulnus tum Ulcus ſint continui ſolutio in eodem ſubjecto, nimirum in parte corporis molli; & in utriuſquè curatione eundem quoquè finem ac intentionem habere ſoleamus, viz. unire ſeu agglutinare; haud abs re erit, perſpectis Vulneribus, de Ulceribus nunc verba facere.

Hippocrates tam latè Ulceris nomen extendit, ut ſcriptum reliquerit *omnem morbum eſſe ulcus.* Strictius tamen Galenus 3. *Meth. cap. ult.* Ulcus accipit *quarumcunque partium carnoſarum continui ſolutione à quacunquè cauſa facta.* Adhuc ſtrictius Ulcus ipſi, *libr. de artis conſtitutione*, dicitur *continui ſolutio partium carnoſarum ab eroſione orta.*

II. Et ſanè non malè Ulcus definitur *ſolutio continui, in parte carnoſa, cum ſanie aut pure*, Vel potius dicatur *Vlcus ſolutio continui, cum imminuta magnitudine, in parte molli, à materia erodente ortum habens.* Quæ Ulceris definitio cæterarum omnium videtur perfectiſſima; quoniam hæc Vulnus & Ulcus exactè inter ſe diſtinguit. Enimverò in Vulnere tantum eſt ſoluta unitas, nihil verò ex neceſſitate de parte affecta amiſſum eſt: in Ulcere autem ſemper aliquid de parte imminutum & amiſſum obſervatur. Cum namque Ulcus ſit à cauſa erodente, fieri non poteſt, quin aliquid à parte affecta auferatur. Et ſic Vulnus Profundum & Cavum, præſertim ſi ſit cum ſubſtantiæ deperditione, cujus curatio diu nimis protrahitur, in verum Ulcus non raro commutatur.

III. *Differentiæ* porrò *Vlcerum* ſunt, vel Eſſentiales, vel Accidentales.

Eſſentiales Ulcerum Differentiæ ſunt, quæ ab ulceris ipſius forma, ſubjecto, & cauſa efficiente ſumuntur. Ab *Vlceri forma* quæ ſumuntur, petuntur ab ejus figura, magnitudine, æqualitate, & inæqualitate; & ſic ulcera alia ſunt magna, parva, longa, brevia, lata, anguſta; alia recta, obliqua, intorta, fiſtuloſa, &c. *A Parte Affecta* ſunt externa; interna ſuperficiaria, profunda, & quidem in hac vel illa parte. *Ratione Cauſæ Efficientis* differunt ulcera, quod alia ab interna, alia ab externa proveniant cauſa, uti ex iis, quæ de Ulcerum Cauſis ſumus dicturi, palam fiet.

Accidentales verò *Vlcerum Differentiæ* deſumuntur ab iis, quæ ſunt extrà ulceris naturam & conſtitutionem; quales ſunt, quæ petuntur ab ulceris ſitu, tempore, nec non cauſis quibuſvis accidentalibus, & ſymptomatibus: hinc ulcerum quædam recentia ſunt, antiqua, alia pura, ſordida, depaſcentia, maligna verminoſa, &c.

IV. *Proxima Vlcerum Cauſa* eſt quævis materies erodendi vim habens, quæ ſub ſe non ſolum acres in corpore genitos humores, verum & cauſas externas erodendi vim habentes comprehendit. Enimverò acris hic, ac erodens humor in corpore genitus, ubi conſiſtit in parte affecta, continens evadit Ulceris Cauſa: ubi autem in toto redundat, Cauſa Remota tantum dici poteſt. Inſuper ab igne, aqua, oleo, aliiſquè ſuccis ferventibus, nec non à cauſticis admotis Ulcera quandoquè excitari haud infrequenter obſervamus. Sed quæ ulcerum in ſpecie ſpeciales ſint cauſæ, ſuis locis exponemus.

V. Cæterum Ulcera manifeſtis ſatis innoteſcunt *Signis.* At licet externa ulcera ſenſibus expoſita ſint, nec Signis, quibus cognoſcantur, opus habeant: interna tamen, & latentia cognoſcuntur ſpecillo, ſi ad ea aditus pateſcat; item tactu, excrementis, dolore, deniquè & actione læſa. Enimverò partem affectam excrementa indicant: & ſi per quemcunquè corporis meatum, ſive anum, ſive veſicam, ſive nares, ſive aures, pus aut ſanies effluat; vel vomitu, aut tuſſi, & ſputo ejiciatur, ulcus aliquod intus latere indicio eſt. Sed qua in parte lateat, doloris proprietas & ſitus, ac partis læſæ actio indicabunt.

An verò ulcus magnum vel parvum, rectum, vel obliquum, vel alterius figuræ ſit, uti & reliquæ differentiæ, cum ſpecillo tum viſu cognoſcuntur in ulceribus externis: at in internis facilè cognoſci non poſſunt. An tamen ulcus magnum vel parvum ſit, puris copia ſignificabit. Quod ſit cum humorum affluxu, ſigna cacochymiæ in toto docebunt. Specialium verò ulcerum ſigna quoquè ſuis locis trademus.

VI. Quoad *Prognoſin*: periculoſa fiunt ulcera ob loci affecti, *hoc eſt*, partis ulceratæ præſtantiam; qua ratione ulcera externa, de quibus potiſſimum nos agimus, minus periculoſa ſunt. At quantò profundius eſt ulcus, & quò affecta pars cute nobilior eſt, eò difficilius curatur.

Dein magnum ulcus, cæteris paribus, longiore tempore pro ſui curatione eget, quam parvum. Item anguſtum & oblongum ulcus facilius, rotundum difficilius curatur. Etiam ſi ulcus longo tempore non curetur, aut ſi cicatrice obductum recrudeſcat, in oſſe ſubjecto corrupto cauſa eſt.

Deniquè & periculoſum redditur ulcus ob malignam qualitatem, hinc ut omnibus decenter factis, vix tamen, aut omninò non ſanari poſſit; qualia ſunt ulcus putridum, ſordidum, fiſtuloſum, &c. Quapropter Hippocrates *Aphor.* 4. *Sect.* 6. oſtendendo ulcerum malignitatem, ait: *ulcera circumglabra maligna.* Ratio eſt, quod, ubi pili decidunt è parte ulcerata, vitioſi admodum, ac erodentes humores in affecta parte abundent.

Si corpus purum ſit, & viſcera benè ſint conſtituta, parſquè affecta rectè ſe habeat, de facili ulceris curatione ſpes eſt. E contrariò, ſi corpus ſit cacochymicum, viſcera malè affecta, parſquè ulcerata debilis, diuturnum ulcus futurum meritò conjicitur. Dehinc quæ aliis morbis ſuccedunt ulcera, difficulter curantur, cum natura vitioſos in toto redundantes humores eò tranſmittat.

Ulcera porrò diuturna & inveterata non ſine periculo curantur, niſi diligenter corpus purgetur, & bona victus ratio obſervetur, cujus rei exemplum recenſet Hildanus *Cent.* 3. *Obſ.* 39. de viro, qui cum ipſi ulcus inveteratum in crure ſiniſtro ab Emperyco ἀμεθόδως curatum fuiſſet, poſt menſes aliquos Pleuritide in ſiniſtro latere correptus, atquè ex ea mortuus fuit; at morbo durante, talia exſpuit, qualia ante ex ulcere fluere ſolebant.

VII. Ad

VII. Ad *Univerſalem* verò *Ulcerum Curationem* quod attinet: cum eſſentia ulceris in ſoluta unitate, & imminuta partis affectæ magnitudine conſiſtat, ſoluta unitas conjunctionem, id quod amiſſum & imminutum eſt, ſui inſtaurationem indicat. Ulcus nimirum, ut ulcus, replendum carne, & uniendum, deniquè & cicatrice claudendum.

VIII. Sed quibus mediis indicationes haſce exequi in ſimplicibus ulceribus oporteat: omnes concordes ajunt *Exſiccantium Medicamentorum ope Ulcera curari ac uniri.* Et profectò ſanari nequit ulcus, niſi prius fuerit exſiccatum: nàm quamdiu humidum manet, aut ſordidum, non conſolidatur. Propterea ulcera hydropicorum cenſentur inſanabilia, quia exſiccari nequeunt. Hinc Hippocrates ſcribit, *in princip. Libr. de Ulceribus*, quod ſiccum eſt ad ſanum, quod madet ad vitiatum propius accedit; atquè Siccantibus ſemper Ulcera curari jubet.

IX. Practici in Ulcerum Curatione quatuor obſervant ſcopos. 1. imponunt pus moventia ſeu digeſtiva. 2. detergentia ſeu mundificantia. 3. carnem gignentia. 4. cicatricem inducentia. Haud ſecus ac *Libr. 2. Cap. 3. & 7.* de Generali Vulnerum Cura, abundè dictum fuit.

Si verò cum ulcere aliquis alius affectus fuerit complicatus, à quo ulcus fuerit genitum vel foveatur, vel aliquod ſymptoma ſit conjunctum, quod cauſæ rationem habeat, vel propria ulceris cauſa adhuc permaneat, ſine quorum ablatione ulcus curari non poſſit, in primis hæc omnia auferenda. Quoad cauſam adhuc permanentem, ſine cujus ablatione ulcus perfectè ſanari nequit; ſi externa adhuc adſit, ne amplius ulcus foveat, amovenda: ſi interna, ut eſt fluxio acrium, erodentium humorum, qui vel totius corporis vel præcipuæ alicujus partis vitio, vel ex illegitimo rerum nonnaturalium uſu gignuntur, plures intentiones habere debemus; quemadmodum in ſpecialium ulcerum curatione ſuis locis ſumus dicturi.

X. Et in ſpecie ſi Ulcera conſiderare velimus, primo loco occurrunt *Simplicia* dicta; quibus, præter unitatis ſolutionem ab eroſione factam, non copulatur morbus, cauſa, vel ſymptoma. Atquè hæc, ſi tantum amiſſa ſit cutis cum inſtrata ſibi cuticula dicuntur *Plana & Æqualia*: ſi verò ſubjectæ carnis portio quoquè amittatur, appellantur *ulcera cava.*

XI. In hujuſmodi Cavo Ulcere Curando, cum affectus ſit complicatus ex ſoluta unitate & cavitate, indicatur unio, carnis generatio, & cicatricis inductio: quæ operationes quidem à Natura fiunt: Medici tamen auxilio Ea eget, non alia de cauſa, quam propter ulceris excrementa, quæ id reddunt δύσκρατον, cacochymum, doloroſum. Quare ſi ea ſint bona, *id eſt*, ſi pus ſit album, leve, paucum, craſſum, non fœtidum; ſignificant ulcus poſſe carne impleri. E contrario, ſi mala, *hoc eſt*, ſi pus ſit fuſci coloris, inæquale, grumoſum, fœtidum: indicant non poſſe ulcus carne impleri, niſi materia hæc Suppurantibus corrigatur; dehinc expurgetur. Enimverò cum fieri vix queat, quin in partium poroſitatibus ſanguinis è vaſis effuſi aliquid hæreat, ut illud digeratur & in pus mutetur, Digeſtiva ſeu Suppurantia ſunt uſurpanda. Ut verò ulcus mundum reddatur, quando pus apparere incipit, Suppurantibus admiſcenda Detergentia, ut ab omni eo, quod præter naturam ibidem continetur, ulcus expurgari poſſit. Iſtiuſmodi medicamenta, pro diverſa corporum temperatura, diverſimodè parari poſſunt. v. gr.

℞. *Therebint. Venet.* ʒiij. *Olei Roſacei* ʒvj. *Vitellum unius Ovi. Miſceantur.*

℞. *Mellis*, *Therebinthinæ an.* ʒv. *Vitellum unius Ovi. Miſceantur.*

Si majore abſterſione opus ſit;

℞. *Mellis Roſacei* ℥j. *Therebinth. Venet.* ℥ß. *Farinæ Hordei* ʒiß. *Vitellum unius Ovi. Pulv. Croci* ℈j. *Spir. Vini* ʒiij. *Fiat ex his S. A. Digeſtivum.*

Applicentur verò Suppurantia ac Detergentia, quouſque laudabile pus appareat; nam ſi diutius, quam convenit, Suppurantia imponantur, ſordidum evadit ulcus.

XII. Verum deterſo ac purgato ſatis ulcere, uſus obtinet, ut id carne impleatur per impoſita Sarcotica. Sunt autem Sarcotica Medicamenta talia, quæ modicè abſtergendo, nec non Puris acrimoniam acidam corrigendo, & exſiccando impedimenta carnis generationis removent: qualia ſunt *Unguentum Aureum*, *Baſilicon*, & cætera plura; inter quæ haud infimum locum meretur *Balſamum Sulphuris Therebinthinatum* vel *Succinatum*; quod vel ſolum, vel Unguento Baſiliconi permixtum ſi ulceri imponatur, ad ejus mundationem ſeu conſolidationem admiranda non rarò præſtat.

XII. At carne ubi repletum fuerit ulcus, cicatrice claudendum; cutis ſcilicet, ejuſvè loco cicatrix gignenda, cujus beneficio unitas ſoluta erit unienda. Efficiunt hoc Medicamentum plus, quam Sarcotica dicta Exſiccantia; qualia ſunt *Tutia*, *Plumbum Uſtum*, *Minium*, *Bolus Armenus*, *Terra Lemnia*, *Sanguis Draconis*; *Unguentum de Minio*, *de Ceruſa*, *de Tutia*, *Diapompholigos*, *Deſiccativum Rubrum*, *Fac Totum Magiſtri Chriſtiani*; *Emplaſtrum Diapalma*, *Gryſeum*, *&c.* in quibus eligendis, ulceris conſtitutio probè eſt conſideranda.

Tempus autem Epulotica apponendi eſt, quandò ulcus carne non omninò erit repletum, ſed parum deeſt; & hoc faciendum, ne cicatrix cute circumpoſitâ eminentior ſit. Sed hæc omnia prolixius *Lib. 2. Cap. 7.* expoſuimus.

Cap. 2. *De Ulcere cum vitioſi humoris affluxu, ac proindè difficulter cicatricem admittente.*

I. Ulcera verò quibus conjungitur vel morbus, vel morbi cauſa, vel ſymptoma, non ità facilè Curam ſuſcipiunt. Etenim cum in omni ulcere requiratur, ut natura carnem cutemquè gignat per craſin partis ulceratæ, è ſanguine laudabili ſatis in copia affluente; proinde ſi partis affectæ craſis illæſa ſit, ſiquè temperatus cruor in quantitate ſufficiente accedat, haud difficulter ulcera ſanantur: atqui partis ulceratæ dyſcraſia ſi adſit, vel ſi ſanguis qualitate peccet, non niſi cum difficultate caro generari, ac ulcera ſanari queunt.

II. Occurrunt igitur hujuſmodi ægrè curabilium ulcerum duæ potiſſimum ſpecies. Quando enim ulcus oritur ex humorum vitioſorum affluxu, atque in parte ulcerata dyſcraſia non adeſt, dicuntur *Ulcera*, *Dyſepulota.* Sed quum vitium ſit in parte affecta, (ſive vitioſorum humorum affluxus adſit, ſive non) *Ulcera* nuncupantur *Maligna*, *Erodentia*, *Depaſcentia.*

Simili prorſus modo ulcera ægrè curabilia duplicia conſiderat Georgius Faber, qui *in Epiſtola ab Hildano Cent. 4. Obſ. 79. recenſita* ſic ſcribit: „ Quemadmodum ligna quædam propter nodorum abundantiam ex naturali defectu & corruptela adeò degenerant, ut findi nullo modo poſſint, ità etiam in quibuſdam naturis (proprietatibus peculiaribus prædit is, ad ſanationem inidoneis) ſæpius fruſtrà inſtituitur ſanatio, ubi præexiſtente inſigni cacochymiâ, & pravorum humorum abundantiâ, Mumia illa innata Medicina eſſe nequit. Quandoquè etiam intemperies alicujus particulæ in cauſa eſt, quo minus ulcera conſolidationem recipiant.

III. Ulcus igitur difficulter cicatricem admittens

Dyſe-

Dyſepuloton dicitur: alii tamen vocant *Ulcus Fluxione Vexatum*; quod affluens vitioſus humor in cauſa ſit, tale ulcus agrè ſanari.

Cognoſcuntur autem Ulcera cum Humorum Affluxu 1. ex tumore, qui non ſolum in labiis, ſed & vicinis partibus apparet. 2. ex dolore, qui non tarò moleſtus eſt Ægro. 3. ex copia excrementorum, quæ major, quam pro magnitudine ulceris eſſe ſolet. Deniquè, licet omnia ad curationem neceſſaria adhibeantur, ſanatu quoquè difficilia ſunt; cum affluentes perpètuò humores ſanationem impediant.

IV. Atquè ideò in hoc ulcere, cum ſit duplex affectus, nimirum ulcus & fluxio, duplex quoquè oritur intentio curationis; viz. & ſanandi ulceris, & removendæ fluxionis. Primum igitur, cum ulcus curari non poſſit, niſi fluxio tollatur; fluxio ipſa, ejuſquè cauſa tollenda, ac proindè vitioſi humoris generatio prohibenda, humorquè affluens ritè præparandus & evacuandus. Et quidem externæ cauſæ, ſi ulcus & fluxionem adhuc fovent, emendandæ *Rebus Nonnaturalibus ritè uſurpatis.* Cauſa verò interna, quæ conſiſtit in vitioſorum humorum redundantia, ut emendetur; eorum generatio prohibenda, affluenteſquè humores præparandi & evacuandi, tum *Venæſectione*, tum *repetitâ corporis Expurgatione per Sudores, Urinas, ac potiſſimum per Alvum.* Quem in finem, hîc meritò laudamus *Decocta ex Guajaco, Saſſaphras, Salſaparilla, China, &c. additis Liquiritiâ, Saniculâ, Pirolâ, Veronicâ, Virga Aurea, & ſimilibus:* quorum uſu continuô acres vitioſi humores temperantur, nec non inſenſibiliter abſumuntur cum per tranſpirationem, tum per urinas, nonnunquam & per leviter excitatos ſudores. Vel ſi craſſiores & viſcidiores per alvum quoquè educere velimus humores, incoctis ſimul Catharcticis, eadem Decocta id efficient. v. gr.

℞. *Raſuræ Ligni Guajaci* ℥iij. *Saſſaphras.* ʒvij. *Rad. Salſæparillæ* ℥iß. *Chinæ* ℥j. *Macerentur per noctem calidè in Aquæ Puræ* ℔v. *dein S A. vaſe clauſo coquantur, ad* [illegible] *Rad. Polypodii querc.* ℥iß. *Turbith Gummoſi* ʒv. *Herb. Saniculæ, Pirolæ, Veronicæ an.* Mj. *Pulpæ Colocynthidis* ʒj. *Liquiritiæ raſæ* ʒvj. *Fiat Decoctio ad* ℔iij *Bibat Patiens quotidiè ſemel vel bis cyathum, prout magis vel minus operatur.*

Inſuper ad humores, ne in partem affectam fluere continuent revellendos ac per alium locum evacuandos in primis hîc locum habent *Fonticuli*, in parte contraria excitati: qui in ulceribus diuturnis ſæpe ità neceſſarii ſunt, ut non rarò abſquè iis curatio abſolvi nequeat.

V. Ipſi verò Ulceri imponenda Medicamenta admodum Siccantia: nam & propter ichoroſa in hujuſmodi ulcere ſecreta excrementa, & propter affluentem continuò humorem, validius utiquè exſiccare hîc oportet. Quem in finem conducunt *Plumbum Uſtum & Lotum, Tutia Præparata, Bolus Armenus, Os Sepiæ, Oſtreorum Teſtæ Calcinatæ, Unguentum de Ceruſa, de Tutia, Diapompholigos, &c.* Igitur Sarcotica hîc eſſe debent validiora, quam in ulcere ſimplici & fluxione non tentato, ut humorem in partis ulceratæ poris hærentem exſiccent magis; citrà mordicationem tamen, ne dolor excitetur, fluxioneſquè provocentur.

VI. Enimverò tale ulcus in primis Detergentibus, quæ partem minimè mordicant, purum reddendum: dein propter influxos humores, hinc & excrementorum copiam, validius exſiccandum. Cui indicationi ut ſatisfiat, ſi præſertim profundum & ſinuoſum ſit ulcus, conducit *Injectio, ex Abſyntio, Artemiſia, Ruta, Centaurio, Hyperico, in Aqua Pura decoctis, additis colaturæ Melle Roſaceo & Spiritus Vini tantillo.* Petiis verò imponatur Digeſtivum. v. gr.

℞. *Therebinthinæ* ℥j. *Mellis* ℥ß. *Pulv. Oſſis Sepiæ; Tutiæ Præparatæ an.* ℈ij. *Plumbi Uſti & Loti* ʒj. *vel* ℈iij. *Vitellum unius Ovi. Fiat ex his S. A. Digeſtivum.* Cui aliquid *Thuris* nonnunquam utiliter addi poteſt.

De forma verò medicamentorum hîc obſervandum, ne ſint conſiſtentiâ nimis humida, nequè oleoſa & pinguia, cum partem ulceratam laxent magis, & humectent, adeoquè ſordidum ulcus reddant.

Notandum quoquè, non ſemper hîc in eodem medicamentorum genere eſſe perſiſtendum. Sæpius enim accidit, ut quod ſemel atquè iterum profuit, poſtea, humore quodammodo exſiccato, amplius utile non ſit, ſed mordicationem excitet; atque ideò tum medicamentum mutandum, & mitius adhibendum.

VII. Ulcere carne repleto, cicatrix inducenda Epuloticis ſiccioribus è quibus hoc vel ſimile confici poteſt:

℞. *Plumbi Uſti & Loti.*
Pulv. Teſtarum Oſtreorum Calcinat. Rad. Iridis Florent. an. ʒj. *Unguenti Diapompholigos, de Tutia an. q. ſ. Miſceantur exactè pro Unguento, vel Emplaſtro.*

Guido hujuſmodi ulceribus imponit *tenuem Plumbi laminam perforatam.* Cenſet namquè refrigerare Plumbi laminam, atque ulceribus hiſce curandis utilem eſſe, ſi commoda accedat ligatura; qua humor è parte ulcerata exprimatur, ejuſdemquè in eam defluxus prohibeatur.

VIII. At verò in ulcerum curatione non raro luxuriat Caro, eaquè nimis quam par eſt excreſcit, quod malum ὑπερσάρκωσις nominatur. Hoc ſi contingat, impedimento eſt, ne cicatrice ulcus occludi queat. Accedit autem id haud infrequenter ob impoſita Sarcotica & Epulotica nimis debilia, & minus quam oportet exſiccantia; atquè hinc excreſcens hæc caro non ſolida, verum laxa & ſpongioſa eſt. Auferri autem ſolet medicamentis adhibitis exſiccantibus, ac erodentibus, uti *Libr.* 2 *Cap.* 4. dictum fuit.

IX. Inſuper contingit interdum, ut ulceris hujus curâ diutius protractâ, partis ulceratæ labia dura & calloſa evadant; tumquè ulcus curari nequit, nec cicatrice occludi, niſi calloſitas hæc tollatur, & pars affecta ad naturalem ſtatum reducatur. Quapropter minor ſi ſit durities, uſurpanda Emollientia, *ex Mucilagine Seminis Lini & Fœnigræci, Oleo Amygdalarum, Lumbricorum, Pinguedine Gallinæ, Anatis, &c.* Quum verò major fuerit calloſitas, hinc ut Emollientibus non cedat, tutiſſimum eſt *Labia præſcindere & forfice Calloſitatem in totum auferre ad partem uſquè ſanam.* Ità etiam Joh. de Vigo *in Chirurgia Parva* inquit, „ ulcera dura non ſanantur, niſi prius eorum calloſitas, & labia dura auferantur. Atquè eadem eſt „ Hippocratis ſententia, quando ait: *morbos antiquos* „ *prius recentes facere oportet.* Horum quoquè conſiliis ſuffragatur Galenus 4. *Meth cap.* 2. ubi ſic „ ſcribit: „ Cum labra tantum ulceris decolorata durave pluſculum fuerint, excidenda ea ſunt ad ſanam „ uſquè carnem. Cum verò amplius progreſſus ejuſmodi affectus eſt, deliberatio incidit, excidendum „ ne omne id ſit, quod præter naturam viſitur, an „ ſpacio potius curandum Proculquè dubio eſt, Ægri „ animum hoc in caſu conſulendum eſſe. Alii enim „ longiori tempore curari citrà ſectionem malunt: ali- „ qui quidvis ſubire, dummodo citius ſanentur, ſunt „ parati.

X. Cæterum Ulcera hæc, quæ ſunt cum Humorum Affluxu, ſi inter curandum malè tractentur, *Sordida* non rarò evadunt; cum nimirum illud craſſum & mucoſum excrementum, quod *Sordes* in ſpecie appellatur, copiosè affluat: & *Putrida*, ſi gravem ac cadave-

davroſum odorem idem ſpiret; adeò ut *Sordida* & *Putrida Ulcera* gradu tantum videantur differre. Sed quandoquidem hæc vix diſtinguuntur ab iis, de quibus nunc diximus, & eandem cum iis curam habent, plura ſuperaddere operæ pretium non duximus.

Cap. 3. *De Ulcere Maligno, Depaſcente, Phagadæna, Cacoëthe, &c.*

I. Enimvero Ulcera Dyſepulota ſeu ægrè ſanabilia in genere dicuntur omnia ea, quæ ægrè ſanationem recipiunt, & difficulter cicatrice clauduntur. Quoniam tamen horum alia propter ulceratæ partis dyſcraſiam, alia ob affluentem humorem talia fiunt: hinc Galenus inter ulcera δυσεπούλωτα, ſeu quæ vix ad cicatricem perducuntur, & κακοήθη ſeu maligna, haud abſquè ratione diſtinguit, atque *Dyſepulota* ea nuncupat, quæ ex acrium humorum confluxu oriuntur & foventur; quæ verò partis ulceratæ dyſcraſiam tantum agnoſcunt, dicit *Cacoëthe* ſeu *Maligna*.

II. *Chironia* ſeu *Telephia Ulcera* quod ſpectat: χειρώνιον ἕλκος à Chirone Centauro nomen accepit; nominis tamen rationem, alii aliam tradunt. Cenſent nonnulli, Chironem ictum ab Hercule plagam in pede accepiſſe inemendabilem, unde perierit, ut ità immedicabilia ulcera *Chironia* dicantur. Alii ab Hercule vulneratum Chironem non putant, ſed Chironi hoſpitio ab Hercule excepto fortè ſagittam Herculis in pedem incidiſſe, ipſique vulnus periculoſum & venenatum intuliſſe, & *Centaureâ*, quæ inde à poſteris Chironium dicta fuit, Chironem ſemet ipſum ſanaſſe; atque eum fuiſſe Cheirurgiæ inventorem. Ut adeò Chironium Ulcus dicatur *Ulcus contumax & malignum, quod ob contumaciam Chirone aliquo in curando opus habeat, quodquè à Chirone primò curatum ſit.* Celſus *libr.* 6. *cap.* 28. definit *Chironium Ulcus*, „ quod magnum ſit, habeatquè oras duras, calloſas, tumentes. Exeat ſanies non multa, „ ſed tenuis. Odor malus nequè in ulcere, nequè in „ ejus tumore ſit. Nulla inflammatio, dolor modicus „ ſit, nihil ſerpat, ideoquè nullum periculum adferat: ſed non facilè ſaneſcat. Interdum tenuis cicatrix inducatur, deinde iterum rumpatur, ulcuſquè renovetur. Fiat maximè in pedibus & cruribus.

III. Sed præter Chironia hæc Ulcera inſuper recenſentur *Telephia*; vel potius eadem, & Chironia & Telephia, habentur Ulcera. Ità ſcribit Paulus Ægineta *lib.* 4. *cap.* 46. „ Inveterata & quæ vix cicatricem recipiunt Ulcera, nonnulli Chironia nominarunt, tanquam Chirone ipſo ad ſanitatem indigentia: alii Telephia, propterea quod Telephus in tali ulcere diutius perſeverarit. Et ſanè Telephia Ulcera eadem ſunt cum Chironiis, ità dicta à Telepho, qui tali ulcere longo tempore afflictus fuit. In genere equidem *Maligna* vocamus *Ulcera*, quæ malitiâ ſuâ partem, quam jam occupaverunt, erodendo, ac interdum eſcaram gignendo, majora atquè ampliora indies fiunt; hinc & *Virulenta* & *Corroſiva* nominari poſſunt. Quod ſi hujuſmodi Ulcus adeò creſcat, ut non modo ulceratas atquè corruptas carnes, ſed quoquè ſanas abſumat & depaſcatur, *Nome* ſeu *Ulcus Depaſcens* appellatur: cujus ſpecies cenſetur *Phagadæna* ſeu *Ulcus Ambulatorium*; quod huc atquè illuc ſerpendo, cutem eiquè ſubjectam carnem exedat, atquè in penitiora nonnunquam penetret.

IV. Cæterum oriuntur Maligna hæc Ulcera *ab humore acri-ſalino, nec non ſubacido, aliterve depravato, & quodammodo glutinoſo*; qui partis ulceratæ poris pertinaciter inhærens, allabentem pro nutritione ſanguinem omnem in humorem ſui ſimilem convertit; ſicquè talem in parte affecta efficit dyſcraſiam, ut non ſolum iſtiuſmodi ulcus magis indies depaſcatur, erodatquè vicinas partes, ſed & non niſi difficulter admodum ſanari queat.

V. Ulcus verò Malignum eſſe ſuſpicamur, quando labia ejus ſunt malè colorata, nec non rubent ac pruriunt; & licet leviter ſaltem abſtergatur, aliterve tractetur, dolet: tument quoquè vicinæ partes, ulcuſquè indies dilatatur, atquè cutis non tantum, ſed & ſubjecta ei caro continuò exeditur magis, eroditurquè. Hinc & contumax eſt, & curatu difficillimum quodvis verè malignum ulcus.

VI. Ulcerum horum Curatio vix differt à curatione ulceris dyſepuloti. Viz. ratio totius habeatur, ſi forſan dyſcraſia partis ulceratæ quoquè à ſanguine intemperato, viſceribuſquè malè conſtitutis foveatur. Ipſi autem Ulceri applicentur leviter abſtergentia, exſiccantia, adſtringentia, nec non acri-ſalinos, acidoſquè humores temperantia; qualia ſunt *Plantago, Agrimonia, Scordium, Roſa Rubra, Balauſtia, Thus, Maſtix, Tutia, Ceruſſa, Lithargyrum, Minium, plumbum Uſtum, Mercurius, Unguentum Fuſcum Felicis Wurzii, Diapompholigos, Deſiccativum Rubrum, de Minio, Album Camphoratum, &c.*

Primò igitur ulcus abluatur & foveatur hoc vel ſimile Decocto,

℞. *Herb. Plantaginis, Agrimoniæ, Scordii an.* Mj. *Flor. Roſarum Rubrarum, Balauſtia an.* Mß. *Coq. in ſ. q. Aquæ Fabrorum ad* ℥xv. *Dein colentur.*

Utiliter quoquè hìc uſurpatur *Aqua Pura, in qua Sal Commune & Vitriolum Album, modica in quantitate, ſunt diſſoluta.* Qua frequenter, ad iſtiuſmodi ulcera ſananda, in Xenodochio noſtro utuntur Cheirurgi, & *Aquam Noſtram* dicunt. Cætera peragantur, ut ſuperiore capite expoſuimus.

VII. Teſtatur Galenus, *Plumbum* ulceribus malignis & inveteratis eſſe utile remedium. Quin & hujuſmodi *Laminas Plumbeas, Hydrargyro oblitas*, malignis ulceribus, quæ cæterorum remediorum vires eludunt, velut quoddam alexipharmacum eſſe, quo ipſorum malitia dometur & abſumatur. Guido, lavato ulcere cum *Aqua Aluminoſa*, laminam plumbi tenuem deſuper apponit, & ſtrictè ligat; quæ in omni ulcere maligno & cancroſo admiranda ſæpè præſtat. Inſuper laudandum hìc eſt *Mercurii Amalgama*, ſi aliis medicamentis prudenter admiſceatur. Sed quoque circa horum ulcerum curationem notandum, medicamenta externa ſingulo triduo aut quatriduo mutari quodammodò debere; natura enim etiam optima diutius juſtò applicata reſpuit.

Cap. 4. *De Ulcere Verminoſo.*

I. Nonnunquam etiam Ulceribus innaſcuntur *Vermes*, potiſſimum Cavis, Sinuoſis, Sordidis, quæ ritè non mundantur, nequè à ſanie & pure purgantur; in primis æſtate, & aëre exiſtente præcalido ac humido. Atquè Ulcera hæc ſi patentia ſint, Vermes haud difficulter conſpiciuntur: & ſi ob ſinus anguſtiam vel profunditatem videri nequeant, aliis ex ſignis non rarò dignoſcuntur; viz. ex punctione, morſu, & motu undoſo, qui in ulceribus ab Ægrotantibus perſentitur: ſæpè inſuper adeſt magnus fœtor, ob immunditiem atquè putredinem inſignem.

II. Curandi ratio in eo conſiſtit, ut Vermes tollantur, atquè Ulceris Putredo inhibeatur. Quapropter ſi in propatulo ſint Vermes, ſpecilli cuſpide, vel exiguâ volſellâ, aliove idoneo inſtrumento ſunt extrahendi. Sin lateant, aut pertinaciter parti ulceratæ adhæreant, necandi pharmacis, quæ ſimul loci affecti immunditiem ac putredinem tollere poſſunt: quod

quod præſtant medicamenta amara & abſtergentia, qualia ſunt *Abſynthium*, *Marrubium*, *Centaurium*, *Scordium*, *Dictamnus*, *Gentiana*, *Helleborus Albus*, *Aloë*, *Myrrha*, *&c.* Hinc ulceri per ſiphonem injiciatur hujuſmodi Decoctio, qua diligenter quoquè ulcus abluatur; v. gr.

℞. *Herb. Abſynthii*, *Marrubii*, *Centaurii Min. an.* Miß. *Rad. Hellebori Albi* ℥ß. *Coq. S. A. in Aqua Pura ad* ℥xvj.

Deinceps imponantur ex linteo diſcepto penicilli imbuti *Spiritu Vini*, *cui permixtus eſt Pulvis Aloës & Myrrhæ*. Vel uſurpetur Digeſtivum. v. gr.

♃. *Aloës*, *Farinæ Lupinorum an.* ʒij. *Myrrhæ*, *Floris Æris an.* ʒj. *Fellis Taurini* ℥ß. *Mellis. q. ſ. Miſceantur.*

♃. *Myrrhæ*, *Aloës an.* ʒj. *Therebinthinæ.* ʒvj. *Unguenti Apoſtolorum* ʒiij. *Vitellum unius Ovi. Miſceantur.*

Vermibus interfectis & ablatis, ulcus ritè detergendum ac porrò curandum.

Cap. 5. *De Ulcere cum Oſſis Corruptione.*

I. Accidit quoque interdum, *ut Ulceri ſubjectum ſit Os Corruptum ſeu Carioſum*; quæ oſſis corruptio in cauſa eſt, ut ulcus ſanari nequeat, quoniam ad cicatricem ſi nonnunquam perducatur, iterum poſt breve temporis intervallum rumpitur, & ulcus denuò renovatur, idque quod ab oſſe corrupto purulenta materies continuò prorumpat, quæ obiter conſolidatum ulcus denuò exedat, erodat. Etenim *Oſſis Caries* nil aliud eſt, quam *Ejus Corroſio ſeu Exulceratio*: atque idem quod in parte molli ſeu carne dicitur *Ulcus*, in parte dura ſeu oſſe *Caries* nuncupatur.

II. *Corrumpuntur* autem *Oſſa*, & *Cariem* contrahunt, inprimis ab affluentis humoris *acrimonia acida*, quæ fibrillas perioſtei, ac ipſius quoquè oſſis diſcindit; ejuſquè ſalem volatilem (qui magnâ copiâ ibidem reperitur) planè corrumpit; hinc & reliquam oſſis ſubſtantiam penitus excedit, vulceratquè.

Corrumpitur quoquè *Os* & *Cariem* contrahit, inquit Hildanus *Cent.* 4. *Obſ.* 95. ſi *Oleoſa*, *Petrefacientia*, & *Acria Medicamenta* fuerint applicita.

Adhæc *ambiens Aër* denutato oſſi facilè *Cariem* adfert. Sed Aër licet maximè inimicus ſit denutatis oſſibus; tamen ut ab ipſo oſſa alterentur & corrumpantur, non ſemper ſequitur, præſertim ſi diligentem curam Cheirurgus circa vulnus vel ulcus adhibuerit, nec quicquam acre applicuerit, uti nos Praxis non ſemel docuit.

III. *Signa* verò *Oſſis Corrupti* varia ſunt. Enimverò oſſis corruptio facilè patet, ſi in propatulo id ſit, quia, ut ait Celſus *libr.* 8. *cap.* 2. quod vitiatum eſt, ferè ſit pingue, dein flavum, poſt nigrum & inæquale. Atqui ſi lateat os, cariem adeſſe judicant Cheirurgi, 1. ſi fiſtula præceſſerit, aut diuturnum ulcus adfuerit, 2. quod ulcera talia ad cicatricem quidem perducantur, poſt iterum renoventur, rupta cicatrice. Humor namquè & ſanies, quæ ex oſſe corrupto promanat, cicatricem erodit, ulcuſquè renovat. 3. ſi caro ſuperſtrata fiat flaccida, ſpongioſa, pallida, livida. 4. ſi ulceri ſpecillum ad os uſquè immittatur, idquè non glabrum, læve, & durum, ſed inæquale, aſperum ac molle depræhendatur. 5. ſi pus effluat copioſum, tenue, ac fœtidum. Addit Fallopius, *ſi linamentum ſiccum in vulnus infigatur, ut os contingat, & amotum altero die valdè fœteat, os corruptum arguere.*

IV. Igitur oſſis caries curationem ulceris impedit, nullumquè ulcus perfectè ſanari poteſt, cui os corruptum ſubeſt. Inſuper ex oſſe ægrotante caro livida malum. Hipp. *Aphor.* 2. *Sect.* 7. Enimverò, ut Galenus addit *in comment.* non mediocrem oſſium labefactationem, ſed inſignem corruptionem ſignificat. Porrò ſi prope partes nervoſas & tendinoſas, uti in manubus pedibuſquè, vel in juncturis ac magnorum oſſium capitibus, oſſium caries ſit, non facilè curatur, & ferè tendines parteſquè nervoſæ ſimul corrumpuntur. Atquè ſimiliter ſeſe res habet circa majores arterias, venaſque.

V. Cæterum præter Indicationes Curativas, quas Ulcus præbet, Oſſis Caries monet, id, quod corruptum eſt, eſſe auferendum. Neque enim quod in oſſe emortuum eſt, corrigi & emendari poteſt. Sed ut tolli poſſit os corruptum, primò detegendum & denudandum eſt, ſi carne operiatur, ulcere dilatato vel per ſectionem, vel immiſſâ turundâ ex *Radice Gentianæ* aut *Spongia Præparata.*

VI. Os, verò corruptum ubi detectum fuerit, auferendum vel Cheirurgiâ, vel Medicamentis. Cheirurgiâ utendum, quando oſſis corruptio eſt profundior, aut quando celeriorem deſideramus curationem. Idcircò ſi Caries oſſis ſuperficiem duntaxat occupaverit, cumquè os detectum fuerit & carne nudatum; tum ſatis erit *id abradere ad partem uſquè ſanam*: quod cognoſcitur, quando os album apparet, & aliquantulum cruentum. Quo facto *oſſi imponatur Carpia Sicca*, donec caro viva & laudabilis renaſcatur.

Sed quoniam ſeparatio oſſis corrupti à ſano ſolis medicamentis adhibitis non rarò ſuccedit, hac oſſis abraſione ſemper opus non eſt. Verum inſpergatur Pulvis ex validè ſiccantibus, & rodentem acrimoniam acidam mitigantibus; quæ idcircò *ſuperfluas in oſſe carioſo rodentes humiditates abſumere*, *hinc & os corruptum à ſano ſeparare*, *ſanum verò à corruptione præſervare valent.* Talia ſunt *Radix Ariſtolochiæ Rotundæ*, *Iridis Florentinæ*, *Aloë*, *Myrrha*, *Sabina*, *Sarcocolla*, *Pumex Uſtus*, *&c.* Inter hæc equidem ſummoperè laudandum cenſemus *Euphorbium*, quod multum ſalis volatilis, & quidem acerrimi, continet, cujus ratione citius os corruptum tollit, uti prolixius refert Hildanus *Cent.* 2. *Obſ.* 92. *Cent.* 4. *Obſ.* 96. *Cent.* 5. *Obſ.* 22. *Cent.* 6. *Obſ.* 3. item *libr.* 1 *de Ichore & Meliceria Celſi cap.* 29. ubi inter alia hæc habet: „Nonnulli oſſi carioſo *Oleum Vitrioli* vel *Aquam Fortem* „applicant. Maximam enim exſiccandi vim habere „referunt; quod quidem verum. Cariem tamen „oſſis non corrigere, ſed partes adjacentes deſtruere „obſervavi. Quapropter caveant ſibi Chirurgi, ne „hujuſmodi medicamenta oſſi applicent; ſunt enim „ſubtiliſſimarum partium, ità ut ad proximas par„tes longè lateque perfluant, & quæ ſana ſunt, de„ſtruant. Requirit quidem os carioſum medicamen„tum, quod inſigniter exſiccet, ſed neceſſe eſt, ut „ſimul ſit craſſarum partium, quale eſt *Euphorbium*, „quod cariem oſſis corrigit, carnem tamen non „adurit, aut inflammationem excitat; quapropter „*Eô* etiam in pueris uti poſſumus.

Igitur ex ſimplicibus hiſcè medicamentis compoſita fiant, quæ vel formâ pulveris, vel additô *Melle Roſaceo* unguenti ſpecie applicentur. v. g.

♃. *Rad. Ariſtolochiæ Rotundæ*, *Iridis Florentinæ an.* ʒß. *Euphorbii* ℈ij. *vel* ʒj. *M. F. Pulvis ſubtilis.* Ex quo, addito *Melle Roſaceo*, Linimentum confici poteſt, ope diſcerpti lintei oſſi corrupto applicandum.

♃. *Rad. Ariſtolochiæ Rotundæ* ℥ß. *Sum. Abſynthii*, *Centaurii Min. an. Mj. Fol. Sabinæ Mß. Coq. in Aqua Pura ad* ℥x. *Colaturæ add. Spir. Vini* ℥iij. *Pulv. Aloës*, *Myrrhæ an.* ʒiß. *aut.* ʒij. *Miſceantur pro Injectione.*

Atquè iſtiuſmodi medicamentorum uſui inſiſtendum eſt, donec os carioſum à ſano ſeparatum ſit.

VII. Docet tamen Marchette *Obſ.* 57. quandoquè à me-

à medicamentis validè exſiccantibus & oſſa adurentibus eſſe abſtinendum, quia illorum uſu nonnumquam prohibetur corrupti oſſis abſceſſio. Nimiâ enim exſiccatione alimentum oſſi nutriendo accedens ità abſumi putat, ut carnem ſupra os ſanum gignere nequeat, corruptum os extrudentem. At eo in caſu totum os corruptum ſcalpro potius abradi vult, donec ex ipſo ſanguis exſudet.

VIII. M. S. Severinus *Pyrotech. lib.* 2. *p.* 1. *c.* 4. de „ Carie Oſſis Curanda ſic ſcribit: Procurabimus oſ- „ ſis abſceſſionem per exſiccantia remedia valentio- „ ra, quæ teſtulas oſſis perinde, ut fermentando ve- „ hementi quadam facultate ſublevent & elidant, „ quale eſt *Euphorbium* & *ejus Oleum.* Quæ ſi neque „ diu adhibita plurimum præſtiterint, nil melius, ne- „ que Medico generoſo dignius, quam vitiatum os „ *Ferro Candente* perurere. Et ſanè ſi tanta ſit oſſis corruptio, ut tota medicamentis tolli nequeat, *Cheirurgia* opus eſt; & vel *Abraſione*, ſi denudatum ſit os leviorque corruptio; vel ſi profundior ea fuerit, *Actuali Cauteriſatione* os corruptum tollatur. Enimverò Ignitum Ferrum ſi oſſi carioſo admoveatur, acri-acidos ibidem ſuperfluos humores domat non tantum, ſed & exſiccando ità abſumit, ut ſeparatio corrupti oſſis à ſano brevi ſuccedat. Sed ne in uſtione hac caro vicina ſimul aduratur, ignitum ferramentum per cannulam immittatur, qua circumſitæ partes optimè defendantur.

At circa Actualem Cauteriſationem Joh. de Vigo *in Chirurgia Parva* hoc monet: „ ſi contigerit „ corruptio in oſſe ſpongioſo, veluti eſt os calcanei, „ tunc remotio oſſis corrupti in illo loco non debet „ fieri cum igne, quid in oſſe ſpongioſo Cauteriſa- „ tio ignis rarò facit ſeparare os corruptum ab in- „ corrupto; quamvis in aliis corporis partibus egre- „ gia ſit medicina.

IX. Cæterum aduſto per ferramentum ignitum oſſi Cheirurgi vulgò inſpergunt *Pulverem aliquem Exſiccantem*; ſed malè; potius namquè imponantur *Pinguia quæcunquè*, ut corruptum os eò citius ſeparetur & abſcedat. Factâ oſſis carioſi à ſano ſeparatione, ulcus carne replendum, & tandem claudendum.

Interim tamen poſt cauteriſationem, ad inflammationem arcendam, & dolorem leniendum, partibus uſtioni vicinis imponatur *Aqua Roſacea cum Ovi Albumine agitata*, vel *Oleum Roſaceum cum Ovi Vitello*, vel *Butyrum recens cum Melle Roſaceo.* Verum de Oſſis Carie, & qua ratione ſit Curanda, legi meretur Celſus *libr.* 8. *cap.* 2. ubi præclarè hac de re agit. At de oſſium tibiæ & cubiti ad medullam uſquè corruptione, inſpiciatur Scultetus *Armament. Chir. Tab.* 27. De ſcapula carioſa & curata, videatur Idem *Obſ.* 62. Et *Obſ.* 81. de tibia corrupta ejuſdemquè ferè uſq; ad inferius caput ablatione, & curatione caſum refert lectu dignum.

Cap. 6. *De Ulcere Profundo, Sinuoſo, ſeu Cavernoſo.*

I. SI verò pus aut ſanies diu in apoſtemate aut abſceſſu contineatur, atquè acris ſit, vel ob moram talis evadat, cuniculos quaſi agit, & ſinum, Græcis κόλπον dictum, efficit: quale Ulcus *Sinuoſum, Cuniculoſum*, ſeu *Cavernoſum* dicitur, & à quibuſdam malè *Fiſtuloſum* nuncupatur, cum citrà calloſitatem ac duritiem ſit: Ulcus namquè Fiſtuloſum ſemper eſt cum duritie ac calloſitate.

Eſt igitur *Sinuoſum* ſeu *Cavernoſum Ulcus*, *cujus orificium anguſtum, & profunditas magna ſimul & occulta, quodquè multos anfractus ſeu cuniculos hinc inde extenſos, citrà tamen duritiem ac calloſitatem, habet.*

II. Sunt autem plures Sinuum ſeu Cuniculorum Species ac Differentiæ, quæ ſumuntur inprimis à cavernarum magnitudine, ſitu, numero, figurâ: ſic alii ſinus breves, alii profundi & altè penetrantes; alii ſurſum, alii deorſum, vel ad latera tendentes, alii ſimplices, alii duplices, vel triplices; alii directi, alii flexuoſi, &c.

III. At Sinuoſum ſeu Cavernoſum redditur Ulcus à ſanie aut pure, quod acrem ac erodendi facultatem, ob longam in parte affecta moram, contraxit. Quoties enim in abſceſſibus pus diutius moratur, ſive quod tardius aperti, ſive quod negligentius expurgati fuerint, morâ longiore corrumpitur, vicinaſquè carnes exedit; hinc Ulcus fit Sinuoſum Cavernoſum.

IV. Cæterum ſinuoſum ſeu cavernoſum ulcus eſſe dignoſcitur, quod foris parvum appareat, & anguſtum habeat orificium, atq; major puris copia excernatur, quam pro ulceris magnitudine: inſuper ex blanda plumbei ſpecilli vel cereæ candelæ intromiſſione haud difficulter ſinus percipiantur, eorundemquè differentiæ deprehendi poſſint.

V. Curationis ſcopi ſunt, ulcus replere, agglutinare, cicatrice obducere. Sed quoniam cavitas carne impleri nequit, niſi mundum prius & diligenter deterſum ſit ulcus; inprimis id fiat detergentibus Injectionibus. Pus facilè evacuatur ſinu declivi; acclivi verò difficillime. Tum, ſi fortè ſinus non admodum magnus ſit & profundus, forcipe aut cultello ſecundum ulceris longitudinem tota cutis incidatur, atque ità totum ulcus aperiatur. Sic enim fiet, ut liberè pus effluat, & facilè ulcerata pars repleatur. Quod ſi commodè fieri non poſſit ob vicina vaſa, adjacenteſquè partes nervoſas, aut ſinus ſit valdè profundus; aperiatur in fundo, ut ſic ſanioſa materies per utrumquè orificium liberè exire queat.

Quod ſi conſtitutio partis affectæ non permittat, novam inciſionem fieri, exprimente ligaturâ puris excretio erit molienda: ſinus propè fundum arctè ligandus & comprimendus; at orificium verſus ligandus & comprimendus; at orificium verſus ligatura paulùlum relaxanda, ut hoc modo pus veluti elidatur.

Felicem ſinuoſi ac periculoſi ulceris curationem licet videre apud Vallcriolam *Obſ. Med. libr.* 5. *obſ.* 1. & aliam *obſ.* 7. Sed plura, quæ de Ulcere Sinuoſo ſeu Cavernoſo forent addenda, palam fient ex iis, quæ de Fiſtulis nunc ſumus dicturi.

Cap. 7. *De Fiſtulis.*

1. IGitur ab Ulcere Sinuoſo ſaltem differunt *Fiſtulæ*, quod præterea calloſæ & duræ ſint. Namquè celeriter ſi non curetur ſinus, Pus cuniculos porrò agit, pars ulcerata callum contrahit, duriorquè efficitur, ſic ut agglutinari nequeat; quod malum tunc *Fiſtula* nuncupatur. Enimverò eſt *Fiſtula Sinus Anguſtus & Oblongus*, ſeu *Ulcus Sinuoſum Anguſtum, ſimulquè Calloſum, ac proinde Curam non facilè ſuſcipiens.* Id quod fit, quoniam orificio exiſtente anguſto, fundo autem lato & calloſo, copioſa ſimul & virulenta ſanies ibidem colligitur, indequè continuò emanat.

II. Sunt autem plures *Fiſtularum Differentiæ*, quæ deſumuntur à magnitudine, numero, figurâ, ſitu. Aliæ enim breves ſunt, aliæ longæ & altius penetrantes. Aliæ unum duntaxat orificium, unamquè tantum cavitatem; aliæ verò plures ſinus, diverſaſque cavitates habent. Aliæ ſub cute extenſæ, aliæ in altius penetrant, aliæ in carnem deſinunt, aliæ ad oſſa, vel ad nervos, vel ad venas aut arterias pertingunt.

III. *Cauſæ Fiſtularum* haud immeritò cenſentur omnes illæ, quæ Sinum efficere poſſunt. Quandoquidem enim Fiſtula à ſinu tantum differt calloſitate & duritie; facilè datur intelligere, in fiſtulam ſinum dege-

degenerare, quum malâ ſinus curatione callus circa ipſum obducatur, ac tandem durus evadat.

IV. Cognoſcuntur verò Fiſtulæ in primis ſtylo in ſinum immiſſo; quô & quò tendat, & quam altè pertingat obſervamus. Quod ſi obliqua fuerit Fiſtula, ut ſtylus rectâ adigi nequeat, ſpecillum plumbeum, aut potius cerea candela, quæ flecti poteſt, immittatur. Inſuper caro, quæ fiſtulam circumdat, alba apparet, ſicca, dura, ſine aut cum parvo dolore, niſi ſit juxta nervum, partemvè nervoſam. Sed an unus, an plures ſint ſinus, ſpecillo vel candelâ cereâ explorandum eſt, idquè Pus etiam, quod effunditur, non rarò teſtatur. Enimverò ſi plus puris, quam probabile ſit unico in ſinu contineri & generari, effluat; aut ſi, ubi Æger ſitum mutaverit, pus, quod prius ſubſtiterat, denuò fluere incipiat, plures ſinus adeſſe, altiuſquè fiſtulam penetrare indicio eſt. At plura ſi ſint fiſtulæ orificia, per ſtylum non ità facilè explorari poteſt; ſed potius per ſyringam uni orificio liquor injiciatur, ſiquè per omnia orificia is effluat, unâ eſt fiſtula: ſin per omnia non reddatur, plures fiſtulæ adſunt.

V. Cæterum omnes Fiſtulæ difficulter ſanantur. Recentes tamen, ſimplices, quæquè in partibus ſolum carnoſis ſunt, non profundæ, in corpore juvenili & boni habitus, facilius curantur: difficilius verò, in quibus plures partes ſunt eroſæ, quæquè antiquæ ſunt, ſenſu non præditæ, profundæ, flexuoſæ, & varios ſinus habentes, membris nobilibus vicinæ, in corpore ſenili, emaciato, cacochymico. Imò quædam fiſtulæ ne quidem curari debent, quoniam antiquæ ſunt, & à partibus nobilibus remotæ, per quas ſuperflui ac vitioſi humores expurgari jam diu conſueverunt.

Sicut & eæ difficulter curantur, ac ferè inſanabiles ſunt, quæ ad muſculorum principia, venas, arterias, nervos, oſſa, articulos, dorſi vertebras pertingunt, quæ ad thoracis vel abdominis cavitatem, aut ad contenta intus viſcera penetrant. Tales enim fiſtulæ vel medicamenta non ferunt, vel ad eas medicamenta pervenire non poſſunt. Hinc Celſus *libr.* 5. *cap.* 28. inquit: „ expedita curatio eſt in fiſtula ſim„ plici, recenti, intrà carnem; adjuvatquè ipſum cor„ pus, ſi juvenile, ſi firmum eſt. Inimica contraria his „ ſunt. Itemquè ſi fiſtula os, vel cartilaginem, vel „ nervûm, vel muſculos, læſit, ſi articulum occu„ pavit, ſi vel ad veſicam, vel ad vulvam, vel ad „ grandes venas, arteriaſvè, vel ad inania, ut gut„ tur, ſtomachum, thoracem penetravit. Ad inte„ ſtina quoquè eam tendere ſemper periculoſum, ſæ„ pè peſtiferum eſt. Quibus multum mali accedit, „ ſi corpus vel ægrum, vel ſenile, vel mali habi„ tus eſt. Et Paulus Ægineta *lib.* 4. *cap.* 49. ait: ſi „ fiſtula ad os uſquè decumbat, curari hanc abſquè „ manus opera impoſſibile eſt, niſi temporis ſpatio „ ſua ſponte ſquamma, vel os abſcedat.

VI. Quoad *Curandi Methodum*: duplex occurrit fiſtularum Curatio; una vera & perfecta; altera palliativa ſeu imperfecta, qua nimirum fiſtula exſiccatur intus, & foras conſolidatur, manente nihilominus ſinu. Hanc Curam innuit Galenus *libr. de tumoribus præt nat. cap.* 4. ubi hæc habet: „ coërcetur tamen „ ſinus ſiccatus à medicamentis, ut habere ſanitatem „ irreprehenſibilem pars videatur: ſiquidem perpetuò „ quis accurato victu utens, ſalubre ferè, & ſuper„ fluitatibus vacans corpus habet, cohibitus manet „ ſinus. Superfluitate verò aliqua collecta rurſus re„ pletur, iterumquè fit qui ab initio fuit abſeſſus: rur„ ſus verò, ut convenit, medicamentis evacuatur, ſic„ caturquè & coercetur, & ſemper longè faciliora ei „ hæc omnia fiunt, quam iis, quæ primò abſcedunt. „ Nequè enim quæ divelluntur dolent partes: etenim „ jam diſtant, celerrimequè replentur, facilè fluo„ rem ſuſcipiente ſinu. Atquè iſtam Curationem non omninò ſpernendam eſſe exiſtimat Aquapendens, & interdum benè ſibi ſucceſſiſſe ſcribit, etſi non ſemper. Perficitur autem hæc Cura *legitimo Rerum Nonnaturalium uſu*, nec non *Purgato per intervalla Corpore*; dehinc *Fiſtulæ Sinui immiſſis validè Siccantibus*. Hoc enim modo coaleſcit orificium, ut ſana videatur fiſtula: quæ quidem interdum planè coaleſcit; ut plurimum tamen tamdiu clauſa ſolummodò manet, quamdiu ſuperflui in corpore non colliguntur humores. At poſtquam aliquid humoris denuò in ſinu colligitur, fiſtula quoquè iterum aperitur.

VII. Altera autem Fiſtularum Curatio Vera eſt, atquè hoc modo perficitur. Primum, conveniente inſtitutâ Diætâ, vitioſi in corpore redundantes humores emendandi ac expurgandi, uſurpatis tum Vulnerariis dictis, tum humoribus iſtis evacuandis aptis Decoctis, *præced. cap.* 2. nec non *libr.* 2. *cap.* 7. abundè traditis.

Deinceps danda opera, ut callus removeatur. Sed cum Medicamenta callum abſumentia ritè applicari nequeant propter fiſtulæ orificii anguſtiam, *iſtud dilatare* neceſſe erit. Id verò fieri poteſt vel *per Sectionem*, vel commodius & abſquè dolore *per immiſſas turundas ex Radice Gentianæ, aut Spongiâ Præparatâ*. Hæ enim fiſtulæ ſinui immiſſæ humiditates imbibunt, & craſſiores redduntur, atquè ità pedetentim abſquè dolore orificium dilatant: quæ interdum quoquè, cum callus dilatationem impedit, imbuuntur & illinuntur medicamentis quæ callum auferre apta nata ſunt.

VIII. Sed dilatato quantum ſatis eſt fiſtulæ orificio, callus removendus. Fit autem hoc vel medicamentis, vel ferro, vel igne. Medicamentis aufertur callus in iis præcipuè, qui nequè inciſionem, nequè uſtionem ferre volunt, ubi recens eſt fiſtula, & callus non admodum durus: hujuſmodi autem medicamenta acria & erodentia eſſe debent, & eò acriora vel minus acria, quò callus craſſior vel tenuior fuerit.

Ad removendum fiſtulæ callum Scultetus *poſt Armament. Chir. Obſ.* 75. hoc laudat Unguentum:

℞. *Aluminis Uſti, Mercurii Præcipitati, Viridis Æris, Salis Nitri an. p. æq. Album. Ovorum q. ſ. F. S. A. Unguentum.*

Barbette iſtud commendat.

℞. *Pulv. Rad. Brioniæ,* ʒj. *Thuris, Myrrhæ an.* ʒij. *Æruginis* ʒß. *Salis Armoniaci* ℈j. *Olei Olivarum, Axungiæ Porci an. q. ſ. Miſceantur pro Unguento.*

Vel quod magis efficax:

℞. *Vitrioli Albi* ℥iiij. *Aluminis, Æruginis an.* ℥ß. *Aceti fortis* ℥vj. *Calcinentur, & fiat exinde Pulvis, qui miſceatur cum Unguente Ægyptiaco pro Litu, eôquè inungatur turunda fiſtulæ inſerenda.*

Eum in finem quoquè conducit *Unguentum Fuſcum Felicis Wurtzii.*

Vel fiat acris Injectio, quæ fiſtulæ callm erodat v. g.

℞. *Aquæ Aluminoſæ* ſeu *Mercurialis* ℥iß. *Plantaginis* ℥iij. *Roſarum* ℥j. *Unguenti Aegyptiaci* ʒß. *Miſceantur pro Injeƈtlone. Fiſtula verò poſt Injectionem bombace, cerâ, vel emplaſtro occludatur, ut quod injectum ſit intus maneat: atquè talis Injectio quotidie ſemel fiat. aut bis pro re nata.*

IX. Sed cum ſkmper calloſitas fiſtulæ medicamentis non cedat, atquè interdum hac in re plus auxilii & commodi adferat manuum opera nonnumquam etiam ad Ferrum & Ignem accedendum. Aperiendus nimirum totus ſinus eſt, dehinc Actuale Cauterium adhibendum.

X. Ablatâ tandem omni calloſitate, ſinus detergendus eſt, ac purus reddendus, ut caro regenerari, hinc & ſinus conglutinari poſſit. Hoc verò fiat adhibito *Unguento Aureo, Baſilicone, aut Digeſtivo, cui Aloë, Myrrha, ſimiliavè Sarcotica ſint addita.* Vel huic intentioni

tioni ut ſatisfiat, uſurpetur Injectio, *ex Abſynthio, Agrimonia, Centaureo, Radice Ariſtolochiæ Rotundæ, in Aqua Pura decoctis*, *addito Spiritu Vini cum Pulvere Myrrhæ, & Aloës*; qua & ſinus apertus probe abluatur.

Fiſtulæ autem perfectè curatæ cognoſcuntur: ſi humor emanans ſit paucus, craſſus, coctus; item ſi locus affectus ſine tumore, dolore, & omninò ſiccus ſit.

Cap. 8. *De Ambuſtione.*

I. AD particularia verò priuſquam deſcendamus ulcera, de *Ambuſtione* quoquè dicendum videtur, quæ etiam ulcera excitat. Enimverò non raro contingit, ut caſu fortuito vel aquâ, vel oleo fervente, vel liquefacto metallo membra perfundantur, vel in ignem, aquam ebullientem, aut oleum fervens aliquis incidat: quod ſi contigerit, dolor, veſicæ, exulcerationes excitantur.

Sed Ambuſtio tametſi affectus ſit omnibus notiſſimus, clarioris tamen doctrinæ gratiâ eum ſic deſcribemus: *Ambuſtio continui ſolutio eſt cuticulæ, & cutis ut plurimum, nonnunquam & carnis muſculoſæ, venarum, arteriarum, nervorum, cæterarum partium ſubjectarum, vi ignis impreſſa.* Hanc autem Ambuſtionem ſequuntur mox dolor acerbiſſimus, inflammatio, puſtulæ: & ſi combuſtio profundior, corpuſquè cacochymicum fuerit, in ſordidum ac difficulter ſanabile ulcus non raro degenerat. Etenim in leviore combuſtione, particulæ igneæ cuticulam abſque continui ſolutione penetrantes, cutem ipſam, ubi venarum, arteriarum, nervorum, ac lymphæ ductuum extremitates, terminantur ſubeunt; ibidemq; e has à poſitione ſua alterantes, variè contorquent, & totius texturæ cutaneæ conformationem pervertunt: in tantum ut è vaſis omnibus ſummè irritatis humor aqueus igneis particulis imbutus in magna copia exſpuatur: Lympha iſtæc, quia cuticulam pertranſire nequit, eam à cute ſeparat, atquè in puſtulas veſiculares attollit; è quibus demum ſpontè, aut occaſionaliter diſruptis effluit. Sed gravior ſi ſit combuſtio, particulæ igneæ altius penetrantes cutem non tantum, ſed & ejuſdem vaſa, eiquè ſubjectas partes corrugari ac conſtringi faciunt, atquè eſcaram inducunt; ſic ut ſanguis, aliiquè continuò affluentes humores retineantur, & ſub cute illa indurata quaſi incarcerentur: hinc magis incaleſcant, efferveſcant, tandemque ſuâ acrimoniâ locum affectum erodant, & magnum ulcus efficiant.

II. Notandum autem, multiplices & diverſas occurrere materias, quibus vim & qualitatem ſuam ignis imprimit; quæ ut ſubſtantiâ differunt, ſic etiam una multò vehementius urit quam altera. Sed quamvis combuſtio à diverſis fiat materiis, nihil tamen, vel parum ad curationem id facit. Atquè adeo nulla deſumenda eſt indicatio curativa à materia ignita, ſed potius ab effectu, quem communicavit. Ut verò Curatio ritè inſtituatur, omnes Ambuſtiones, à quacunquè fuerint factæ materia ignita, diſtribuemus in tres gradus ſeu ſpecies; viz. in leviſſimam, mediocrem, inſignem.

III. Enimverò materia quæ urit ſi non diu adhæſerit corpori, & levis fuerit, ut ſtramen, linum, ſtupæ, aut leve aliquod lignum, vel aqua quæ citò defluit, ſolummodo puſtulæ ſeu parvæ veſiculæ elevantur: eſtquè hic primus gradus ſeu ſpecies; cujus idcircò indicia ſunt, cutis rubicunda, dolor pungitivus, & niſi ſtatim remedia adhibeantur, cuticulæ à vera cute ſeparatio, cum veſicularum eruptione, in quibus limpida aqua continetur.

IV. Secunda Ambuſtionis ſpecies cenſetur ſi materia urens diutius corpori adhæſerit, aut violentiore calore imbuta fuerit, quemadmodum ferrum ignitum, aut liquefactum aliquod metallum, lignum duriſſimum, pix, oleum, cera, vel ſimile: tunc enim non ſolum elevantur puſtulæ, verum & cutis ipſa aduritur, exſiccatur, contrahitur; nondum tamen facta eſt cruſta vel eſcara.

V. Tertius gradus excitatur, ſi res ignita diutiſſimè adhæſerit, & violentiſſimum in ſe continuerit calorem: tunc enim non ſolum cutis, verum & caro, venæ, arteriæ, nervi, & cæteræ partes ſubjectæ comburuntur, contrahuntur, & in eſcaram ſiccantur. Hujus ſignum eſt, ſi ſubjecta cutis nigra, vel ſaltem livida conſpiciatur, & quum ſcalpello pungatur obtuse ſentiat; durâ nimirum, & exſiccatâ exiſtente cruſtâ, quam demum deciduam ulcus excipit profundum, putridum.

VI. Cæterum levis Combuſtio, ubi ſolummodo cutis læſa eſt, quamvis dolorifica, facilè tamen & brevi ſanatur, vixquè cicatrix apparebit, modo recta & methodica inſtituta fuerit curatio. E contrario inſignis Ambuſtio difficulter ſanatur, imprimis quæ, ob cutis contractionem & deperditionem, rugoſam relinquit cicatricem.

Combuſtiones Capitis & Faciei, ſi magnæ & profundæ fuerint, glabras relinquunt cicatrices, quandoquidem adeò arefacta & contracta ab igne cutis eſt, poriquè ità ſunt occluſi, ut dehinc pili erumpere nequeant.

Oculorum Combuſtio, inprimis Ciliorum, ac Tunicarum Adnatæ & Corneæ, quantumvis leviſſima ſit, periculoſa tamen eſt facillimequè viſus depravatio, aut ſaltem imbecillitas ſequitur, palpebræquè invertuntur.

Periculoſæ item ſunt Combuſtiones Inguinum atquè Abdominis, & difficulter ſanantur. Periculoſa quoque eſt Ambuſtio à Fulmine, & plerumq; lethalis.

Ad Vaſa Majora quæ penetrat Ambuſtio periculoſa eſt, profunda inprimis ſi fuerit; atque Gangrænam non rarò accerſit.

VII. Quoad *Curandi Methodum*: quamvis paſſim infinita ad Ambuſtiones in uſu ſunt remedia, omnia ad hunc finem tendentia, ut empyreuma ſive particulas igneas in parte combuſta relictas aut ſuffocent, aut reſolvant, diſſipentquè: docet tamen Praxis, frigida an bustiones non curare; ſed iiſdem, igneis particulis intrò retruſis, dolorem ſummoperè augeri, nec non inflammationem, gangrænam, imò & ſphacelum quandoque excitari: calida verò, quæ empyreuma evocant, ſolummodò prodeſſe; unde & Plebeis æque ac Practicis haud ignotum eſt, partes combuſtas non frigidæ aquę immergendas, at potius igni admovendas eſſe.

VIII. Ut igitur Methodica inſtituatur Ambuſtionis Curatio, diligenter examinandi & inſpiciendi ſunt omnes ejus effectus & accidentia, ut remedia pro re nata applicentur, & mutentur. Inprimis autem, ſi nondum elevatæ fuerint puſtulæ, evocetur empyreuma, *hoc eſt*, igneæ in parte affecta relictæ particulæ reſolvantur, diſſipentur, parte læſâ igni admotâ, vel calidæ aquæ immerſâ: aut, ſi fieri id nequeat, intingatur ſpongia aut linteum reduplicatum aquæ calidæ, & loco ambuſto applicetur; vel imponatur *Sapo Vulgaris*: ſeu *Flores Cereviſiæ* admoveantur; *Cepæ* quoquè *in mortario cum Sale contuſæ*, & loco combuſto applicatæ, igneas particulas educunt, nec ſinunt ut puſtulæ eleventur. Enimverò ſi præcaveri poſſit, ne puſtulę oriantur, non eſt, quod Patiens deinceps ullam moleſtiam vereatur.

Eundem in finem Hildanus *libr. de Combuſt. cap. 6.* hoc laudat Unguentum:

℞. Ceparum ℥iß. *Salis*, *Saponis Veneti an.* ℥j. *Simul*

mul in mortario contundantur, &, addito Oleo Roſaceo & Amygdalarum Dulcium, fiat Unguentum.

Laudibus ſuis quoquè merentur ſequentia:

℞. *Saponis Veneti* ℥iij. *Ceparum* ℥iſs. *Salis* ʒvj. *Olei Ovorum* ℥ſs. *Roſarum, Amygdal. Dulc. an.* ℥iſs. *Mucilaginis Seminis Cydoniorum* ℥j. *M. F. Unguentum.*

℞. *Ceræ Citrinæ, Reſinæ, Adipis Ovilli, Olei Raparum an.* ℥j. *Miſceantur S. A. pro Unguento.*

Barbette ad omnis generis Ambuſtiones valdè extollit ſequens Unguentum, ſi liquefactum parti combuſtæ ſæpius illinatur; dehinc *recens Folium Braſſicæ, Betæ*, aut *Plantaginis* ſuperimponatur.

℞. *Fol. Salviæ rec.* M j. *Plantaginis* M ij. *Butyri recentis inſulſi* ʒvj. *Stercoris Gallinæ rec. albiſſ.* ℥iij. *Frixentur per horæ quadrantem, & expreſſio ſervetur uſui.*

Paræus in Xenodochio Pariſienſi hoc feliciter uſurpari ſcribit;

℞. *Lardi Conciſi* ℔j. *Liquefiat in Aqua Roſacea, & coletur per linteum rarum; hinc quater Aquâ Plantaginis lavetur, tandem add. Vitellos trium Ovorum. M. F. Linimentum.*

Alii iſtud commendant:

℞. *Tincturæ Saturni, Olei Roſarum an.* ℥iſs. *Agitentur probè pro Linimento.*

De omnibus tamen Unguentis hoc notandum, ità comparata eſſe debere, ut tenaciter parti combuſtæ non adhæreant, ſed facilè abſtergi & removeri poſſint. Neque enim ulcera hæc ferunt, ut fortiter abſtergantur, at ferè linteo ſubtiliſſimo parti admoto à pure mundari debent.

Notandum quoque, pleraque hæc non convenire *Ambuſtioni Oculorum*, neque iis eſſe adhibenda; quin potius imponendum Collyrium, *ex Aqua Roſarum & Plantaginis, cum Mucilagine Seminis Cydoniorum, Fœnigræci, &c.*

Veſiculæ aut Puſtulæ ſi adfuerint, nec malum idcircò ſit gravius, non ſtatim aperiendæ. Si enim mox aperiantur, ob denudatam cutem excitatur dolor, & tardius curatio abſolvitur. Verum tertio circiter die, ubi cuticula regenerari jam incipit, aperiendæ: quin & diutius apertio non protrahenda, ne contentus humor acrior fiat, cutemque porrò erodat, exedat.

Cæterum ad primum hunc Ambuſtionis gradum pertinet ea, quæ à pulvere tormentario fit, de qua *libr. 2. cap.* 14. dictum fuit.

IX. Atqui Ambuſtio ſi tam altè penetraverit, ut non ſolum puſtulæ eleventur, verum & cutis combuſta, ſiccata, & contracta fuerit; tunc neque *Cepæ, Sapo, Sal*, & quę ſunt hujus generis medicamenta ſunt applicanda: ſed imponantur Ea, quæ combuſtam & corrugatam cutem emollire ac lubricam reddere queant, quæquè humida & temperatè calida ſint.

Igitur puſtulæ omnes forficibus inprimis incidantur, quò lympha particulis igneis imbuta effluere poſſit. Cuticula quoquè, ubicunquè ſeparata eſt, à vera cute abſtrahatur, ne ſanioſa materies ſub ipſa colligatur. Dehinc parti combuſtæ imponatur nunc laudatum Unguentum, ex *Oleo Raparum, Reſina, Cera Citrina*, & *Adipe Ovillo*. Vel,

℞. *Olei Roſacei, Liliorum Alborum an.* ℥ſs. *Unguenti Baſiliconis* ℥j. *Vitellos duorum Ovorum. M. F. Unguentum.*

℞. *Butyri rec. inſulſi, Pingued. Galinæ rec. an.* ℥i. *Ceræ Citrinæ, Olei Liliorum Alborum. an.* ℥ſs. *Simul liquefiant, & in mortario admiſceantur Croci pulv.* ℈j. *Mucilag. Sem. Cydoniorum* ℥j. *pro Unguento.*

Hildanus hoc laudat Unguentum emolliens, dolorem leniens, & paulatim cicatricem inducens.

℞. *Butyri rec. & loti Aquâ Roſaceâ* ℥iij. *Olei Violarum, Ovorum, Amygdal. Dulc. an.* ℥ſs. *Farinæ Hordei* ℥iſs. *Pulveris Croci* ℈j. *Mucilag. Sem. Cydoniorum* ℥j. *Ceræ q. ſ. Miſceantur S. A. in Unguento.*

Proderit item pro Unguento.

...impoſito uno ex præſcriptis Unguentis, cum reduplicatis linteaminibus deſuper applicare *Muriam, in qua Mala ... conſervantur, modicè calefactam*, quæ mirum in ... empyreumati adverſatur. In Facie tamen hujuſmodi medicamenta, quæ *Acetum* aut *Sal* recipiunt, propter Oculos, non ſunt applicanda.

Emollitâ & ſatis lubricâ factâ cute combuſtâ, doloreque mitigato, nonnulli Medicamentis Exſiccantibus, veluti *Unguento de Tutia, Diapompholige*, ſimilibuſvè, cicatricem inducendam eſſe volunt. Sed ut fatear, quoniam hujuſmodi Exſiccantia cutem contrahunt, hinc & turpes non rarò efficiunt cicatrices, horum uſus ſemper tutus non eſt. Præſertim quum ſupraſcriptis Emollientibus, ad finem uſquè curationis uſurpatis, voti ſui compos plerumquè fieri ſoleat Cheirurgus.

Interim quia Ambuſtiones, præſertim quæ in cutis ſunt ſuperficie, ut plurimum vehementer dolent, obſervent Cheirurgi, ut blandè ulcera hæc abſtergant. Hildanus, ne abſtergendo ulcera excitet dolores, telâ ſubtiliſſimâ, qualis eſt Cambriacenſis, aut ſyndone cooperire ſolet totam partem ambuſtam, nec illam removet, donec ulcera ſint ſanata; teſtaturquè, per hanc telam pus faciliimè effluere, & virtutem medicamentorum ad ulcera ſatis pervenire poſſe.

X. Sed periculoſior eſt Tertius Ambuſtionis Gradus, propterea, quod in Gangrænam & Sphacelum nonnunquam ſoleat degenerare. Enimverò graviore illâ combuſtione cutis vaſa, parteſquè ei ſubjectæ corrugantur, ac ità conſtringuntur, ut tum ſanguis affluens, ſpiritus influentes liberè permeare, atquè per partem ambuſtam radiare, eamquè vivificare amplius nequeant: hinc ſuffocato extinctoquè nativo calore, pars emoritur, corrumpitur.

XI. In hac ambuſtionis ſpecie puſtulæ omnes veſiculares primum ſunt incidendæ, ut acre, urenſquè ſerum effluere poſſit. Deinceps eſcara leviter eſt ſeparanda, aut ſaltem diverſis in locis ad ſanam uſquè carnem incidenda, quò acris ſub cruſta retenta lympha effluere, medicamentum penetrare, & quicquid à combuſtione induratum eſt emolliri poſſit.

Hæc autem eſcaræ ſeparatio primò aut ſecundò die fieri debet, priuſquam affecta pars inflectur; eſtq; hoc quoq; Unguentum ſtatim ab initio adhibendum:

℞. *Butyri rec. inſulſi* ℥iij. *Unguenti Baſiliconis* ℥iſs. *Olei Liliorum Alborum, Amygdalar. Dulc.* ℥ſs. *Vitellum unius Ovi. M. F. Unguentum.*

Dehinc linteum reduplicatum ſequenti Emulſione imbutum, tepidè ut applicetur ſuadet Hildanus.

℞. *Sem. Cucurbitæ* ℥ij. *Cydoniorum* ʒij. *Fœnigræci Contund. in mortario & emulg. cum Aquæ Puræ* ℔vj. *in colatura ſolvatur Saponis Veneti* ℥ſs.

Sed in Facie ſi fuerit Ambuſtio, *Sapo* minimè eſt addendus, propter oculos; ſed ejus loco admiſceatur *Aqua Roſarum & Plantaginis.*

Vel loco Emulſionis ad mitigandum dolorem, cutem emolliendam, & digeſtionem promovendam imponatur Fomentum. v. gr.

℞. *Rad. Althææ* ℥iſs. *Sem. Cydoniorum, Fœnigræci an.* ℥ſs. *Fol. Malvæ, Althææ, Flor. Camomillæ, Meliloti an.* M j. *Coquantur in Aqua Pura, aut, ſi dolor vehemens fuerit, in Lacte Dulci, & Colatura ſit pro Fotu.*

Ubi eſcara, & quod combuſtum eſt ſeparatum fuerit, Ulcus mundificandum, carne implendum, & cicatrice occludendum. Verum Cicatriſantia non nimis ſicca ſint, ne turpis & rugoſa fiat cicatrix. Atquè ideò hîc ab Hildano hoc laudatur Emplaſtrum.

♃. *Emplaſtri Diapalmæi* ℥ij. *Ping. Gallinæ, Anis an.* ℥ß. *Liquefiant ſimul; hinc admiſceantur, Calami Uſti, Plumbi Calcinati, Lythargiri,* ℔, *& addendo naris an.* ʒj. *Agitentur in mortario.* ...*aci q. ſ. Fiat. S. A. Mucilag. Sem. Cydoniorum & F*... *Unguentum.*

At ſi adeò magn... fuerit Combuſtio, ut in Gangrænam & Sphac...m commutetur, curetur, eo modo, ut *libr.* . *cap.* 17. docuimus.

XII. Si verò ad Supercilia, Labia, aut in Digitis facta fuerit Combuſtio, diligenter ea curetur, neque partes hæ contrahantur, & ad invicem conglutinentur; quin potius linteamina, filamenta, aut laminæ plumbeæ tenuiſſimæ partibus, ubi conglutinationis periculum eſt, interponantur.

XIII. Oculi ſin Ambuſtione læſi ſint, ſtatim inſtilletur *Lac Muliebre vel Vaccinum recens ac tepidum,* idque vel *ſolum,* vel *mixtum cum Aqua Roſacea, in qua parum Croci integri maceratum fuerit.* Linteum item reduplicatum, & hoc lacte imbutum Oculis tepidè imponatur, & quotieſcunquè ſiccum fuerit renovetur. Aut loco lactis uſurpetur Collyrium: v. gr.

℞. *Aquæ Roſarum* ℥iij. *Plantaginis* ℥j. *Sem. Cydoniorum, Fœnigræci an.* ʒß. *Croci integri* ℈j. *Macerentur quatuor horas, & Colatura ſit pro Collyrio;* cui *Lac Muliebre vel Vaccinum recens* admiſceri poſſit. Dehinc inter duo tenuia linteamina calidè applicetur Cataplaſma.

℞. *Pulpæ Pomorum repurg.* ℥iv. *Coctæ in Aqua Roſacea & Fœniculi ad mollitiem, & minutim contritæ ad. Mucilag. Sem. Fœnigræci* ℥iß. *Pulv. Croci gr.* xij. *Albumen unius Ovi. Lactis Dulcis recr. q. ſ. M. F. Cataplaſma.*

Atquè horum medicamentorum uſui eſt inſiſtendum, donec ab inflammatione & dolore immunis ſit Oculus. Tunc enim applicetur Collyrium magis exſiccans, & viſum roborans.

♃. *Aquæ Roſarum, Plantaginis, Fœniculi an.* ℥iß. *Troch. Albor, Rhaſis ſubt. pulv.* ʒj. *Tutiæ præpar.* ℈ij. *Sacchari Saturni gr.* v. *Miſceantur pro Collyrio.*

Curandum quoquè diligenter, ne Palpebræ retrahantur: id enim maximam adfert deformitatem. Hoc tamen ſi contigerit, ſiquè cutis prope oculos indurata fuerit, Emolliente aliquo Unguento affecta pars inungatur; vel illinatur identidem loco combuſto *Pinguedo Anguillæ aſſatæ,* ut indurata ac retracta cutis ità emolliatur, & lubrica reddatur.

XIV. Inguina ſi comburantur, quum ſint loca humida, laxa adeoquè humorum affluxui obnoxia, remedia uſurpentur magis ſiccantia, quam in partium aliarum ambuſtionibus. Atquè ideò ſi puſtulæ nullæ eruperint, medicamenta ex *Sapone, Cepis,* ſimilibuſquè parata utilia ſunt. Quod ſi elevatæ ſint puſtulæ, ſtatim aperiantur, ut acris effluere poſſit humor. Dein applicetur Unguentum. v. gr.

♃. *Unguenti Roſacei* ℥j. *Baſiliconis* ʒvj. *Olei Ovorum, Amygdalarum Dulc. an.* ℥ß. *Liquefactis admiſceantur, Pulv. Aloës, Myrrhæ an.* ʒj. *Pro Unguento, cum tenuibus filamentis applicando.*

Inſuper totam partem affectam Hildanus cooperit hoc Cataplaſmate;

♃. *Farinæ Hordei, Fabarum an.* ℥iij. *Pulv. Roſarum Rubrarum* ℥ß. *Fiat ex his cum ſ. q. Oxymellis. S. A. Cataplaſma, quod calidè applicetur.*

XV. Sed verò Articuli ſeu Juncturæ ſi comburantur, cum partes ſint excarnes, nervoſæ, ac magno ſenſu præditæ, ne humorum affluxus fiat, hinc & gravius malum excitetur: medicamenta ex *Sapone, Cepis,* & hujuſmodi acrioribus (niſi combuſtio levis fuerit) minimè ſunt applicanda; ſed emollientibus, lenientibus, & anodynis affecta pars eſt tractanda. Atqui diligenter præcavendum in magnis Juncturarum Ambuſtionibus, ne tendines, articulorumquè ligamenta retrahantur, & juncturæ incurventur: quamobrem totum membrum ſæpius inungendum *Oleo Lumbricorum, Anethino, Liliorum Alborum, Axungiâ Gallinarum, Caponum, Unguento Althææ,* ſimilibuſquè; ut quæcunquè indurata ſint lubrica reddantur, & ità ſerventur. Interim quoquè Ferulæ, aliaquè ex ligno vel papyro craſſiore facta Inſtrumenta, circum juncturas ſunt ponenda, ut tendinum retractio impediatur. Blandè tamen omnia agenda, ne dolor excitetur. Qui ſi ſupervenerit, protinus ſedandus eſt, impoſito Cataplaſmate. v. gr.

♃. *Micæ Panis Albi* ℔ß. *Coctæ in Lacte Vaccino ad formam pultis, add. Butyri Recentis, Olei Amygd. Dulc. an.* ℥j. *Ovorum.* ℥ß. *Pulv. Croci* ℈j. *Vitellum unius Ovi. M. F. Cataplaſma, calidè applicandum, & identidem renovandum.*

XVI. Verum in principio ſi ſatis diligens non fuerit Cheirurgus, nec ferulas; aliavè convenientia inſtrumenta adhibuerit, ſic ut juncturarum combuſtarum tendines, parteſquè nervoſæ retrahantur, hinc & articulationes incurventur; pars affecta foveatur Decocto Emolliente, ex *Radice Althææ, Bryoniæ, Liliorum Alborum, Foliis Althææ, Malvæ, Chamæpitheos, Floribus Camomillæ, Hyperici, Semine Fœnigræci, Lini, &c.* Atquè deinceps inungatur *Unguento Althææ, Pinguedine Gallinæ, Anſeris, &c.* Tandem applicetur *Emplaſtrum de Mucilaginibus* in corio extenſum. Tendinibus autem & ligamentis articuli ſic ſatis emollitis, ad extenſionem accedendum eſt: quæ ſine dolore & periculo ſatis commodè fieri poteſt, inſtrumentis ad hoc negotium accommodatis.

XVII. Deniquè poſt graves Ambuſtiones, ob nimiam cutis ab igne contractionem & indurationem, *turpes* non rarò relinquuntur *Cicatrices;* præſertim ſi ſicca nimis cicatriſantia uſurpata fuere. Hæ ut tollantur, inprimis durities cicatricum eſt emollienda, & lubrica facienda Litu ex *Pinguedine aſſatæ Anguillæ, Caponum, Gallinarum, Oleo Liliorum Alborum, Ovorum, &c.*

At in Facie ſi fuerit cicatrix, atquè ita elevata, contracta, & indurata, ut maxima inde turpitudo & deformitas ſit, ea tolli nequit niſi per exciſionem. Hildanus *libr. de Combuſt. cap.* 14.

Cap. 9. *De Ulceribus Particularibus.*

De Oculorum Ulceribus.

I. Perpenſis Ulceribus in genere, haud abs re erit, in ſpecie de partium præcipuarum ulceribus quædam ſuperaddere. Inter has *Oculi,* partes ſanè noſtri corporis haud ignobiles, Ulceribus nonnunquam infeſtantur. Atqui quæ *in Adnata* vel *Cornea Tunica* excitantur *Ulcera,* auctore Celſo *libr.* 6. *cap.* 6. ex puſtulis interdum fiunt, aut ab ictu, percuſſione, medicamentis acribus, aut ab acri affluente lympha, quæ membranas ſeu tunicas, nec non tenerrima illarum vaſcula erodens, inflammationem prius excitat, quam & exulceratio non rarò ſequitur.

II. Hæc verò Ulcera variis nominibus à Paulo Ægineta, & aliis appellari conſueverunt. Quod enim cavum, anguſtum, durum eſt, *βόθειον* ſeu *Foſſula* dicitur. Sed latius & minus profundum ſi extiterit, *κοίλωμα* nuncupatur. Quod in Iridis circulo externo exortum ambientia quoquè comprehendit, variiquè coloris eſt, & circa externam Iridis partem rubicundum apparet, circa internam candidum, quibuſdam ab albedine *ἀργεμὸν* dicitur, nonnulli *Ulcus Coronale* vocatur. Quod deniquè profundum, ſolidius, aſperum, & quaſi cruſtoſum eſt, *ἐπίκαυμα καὶ ἔγκαυμα* vocant. Avicenna ſeptem differentias enumerat: quatuor ſuperficiarias, & tres profundas;

quæ

quæ ſaltem ratione magnitudinis, & quod ulcus aliud latius aliud anguſtius, aliud ſuperficiarium, aliud profundum eſt, diſcernuntur.

III. Cæterum magnitudo & figura Ulceris in Oculo viſui ferè patet. Atque in Tunica Cornea ſi ulcus conſiſtat, puſtula præceſſit alba, & ulcuſculum album apparet in nigro oculi. Si verò Adnata Tunica ſit exulcerata, punctum ſubrubicundum in albo oculi conſpicitur, ob ſanguinem eroſis hujus tunicæ vaſculi extravaſatum.

IV. Sunt porrò omnia Oculorum Ulcera pericuIoſa, & non rarò cæcitatem inducunt; inprimis quum cornea tunica ità eroſa ſit, ut aqueus humor, nonnunquam etiam cryſtallinus corruptus effluat. Inſuper periculoſius ſemper eſt ulcus corneæ tunicæ, quàm adnatæ: præſertim ſi è regione pupillæ conſiſtat; quod poſt ſanatum hujuſmodi ulcus opaca plerumquè relinquatur cicatrix, quæ viſionem lædat.

V. Quoad *Indicationes Curativas*: ut aliarum partium ulcera, ità quoquè Ulcus in Oculo indicat, ſolutam unitatem eſſe uniendam; ſi quid imminutum, id regenerandum, & locum cicatrice claudendum eſſe. Igitur univerſalibus (viz. *Venæſectione*, *Purgatione*, *Cucurbitulis*, *Veſicatoriis*) haud neglectis, Topica Oculo ſunt imponenda Detergentia & Exſiccantia. Verum Inflammatio ſi ulceri huic adſit, inter duo tenuia linteamina calidè imponatur hoc vel ſimile Cataplaſma, ac identidem renovetur.

℞. *Pulpæ Pomorum Dulcium repurg.* ℥vj *Coq. in Aq. Roſacea & Fœniculi ad mollitiem, hinc contritæ add. Mucilag. Seminis Fœnigræci* ℥ij. *Albumina duorum Ovorum. Cort. Granator. ſubtilit. pulv.* ʒij. *Lap. Hæmatit. exactè triti* ʒj. *Lactis Vaccini rec. q. ſ. F. S. A. Cataplaſma.*

Interim Deſiccantia & Detergentia blandiora ipſi oculo admovenda; qualia ſunt *Sarcocolla*, *Aloë*, *Tutia Præparata*, *Corallium Præparatum*, *Saccharum Candum*, *Aqua Chelidonii Maj.* & ſimilia. Ex quibus Collyrium fiat abſtergens oculo inſtillandum. v. gr.

♃. *Aq. Chelidonii Maj. Euphraſiæ, Roſarum an* ℥j. *Troch. Alb. Rhaſis ſubtilit. pulv. Tutiæ Præpar. an* ℥ß. *Sacchari Cand.* ℈ij. *Miſceantur.*

Vel,

♃. *Aq. Roſarum* ℥iß. *Euphraſiæ, Chelidonii Maj. an* ℥j. *Mellis Virginei Deſpumati* ℥ß. *Miſceantur pro Collyrio*, cui pro re nata *Fel Lucii Piſcis* addi poteſt.

Collyrii loco majori oculi angulo inungatur, nec non ipſi ulceri bis quotidiè imponatur Unguentum Exſiccans & leniter Abſtergens. ex. gr.

♃. *Tutiæ Præpar. Nihili Albi an.* ʒij. *Corall. Rubr. Præpar. Margaritarum Præpar. an.* ʒj. *Camphoræ* ℈ß. *Unguenti Roſacei* ℥ij. *aut* ℥iiß. *Terantur exactè in mortario, pro Unguento.*

♃. *Butyri Rec. exactè loti* ℥ß. *Tutiæ Præpar.* ℈iv. *Vitrioli Alb. gr.* viij. *F. S. A. Unguentum.*

Atque horum remediorum uſui inſiſtendum, uſque dum ulcus mundum & ſufficienter deterſum ſit. Dein ut cicatrix inducatur, Collyrium hoc laudat Barbette.

♃. *Plumbi Uſti, Sarcocollæ, Sacchari: Saturni Sief Albi Rhaſis an.* ℈ß. *Aq. Roſaceæ* ℥iv. *Miſceantur ſimul pro Collyrio.*

VI. Sed ſanatis ulceribus hiſce, non rarò in Cornea Tunica relinquitur *Alba & Eminens Cicatrix*, quæ nonnunquam Corneam totam, vel ex parte ſolummodo tegens, viſionem vel tollit, vel imminuit, aut depravat.

Curationem hujuſmodi craſſarum, denſarum, calloſarum, ac inveteratarum cicatricum nequaquam tentari vult Aëtius; cum non niſi Collyriis acerrimis, partes oculo vicinas exulcerare potentibus, tolli queant. Superficiariæ verò, & minores aliquam curationem ſuſcipere poſſunt, præſertim in pueris & adoleſcentibus. In quarum curatione Rhaſes vult, ut *Aquæ Dulcis tepidæ aut calidæ vapor oculo excipiatur, donec oculus rubeat.*

Vel,

♃. *Rad. Althææ, Liliorum Albor. an.* ℥ij. *Fol. Malvæ, Violariæ an. Mj. Sem. Fœnigræci* ℥j. *Fiat Decoctio in ſ. q. Aquæ Puræ; ejuſque decoctionis vapor oculo excipiatur.*

Remedia autem Detergentia, quæ leniter attenuare & diſcutere poſſunt, ſunt *Fel Caprinum vel Lucii Piſcis, Mel Deſpumatum, Saccharum Candum, Vitriolum Album, Succus Chelidonii Majoris, Succus Rutæ, Succus Fœniculi, Succus Cerefolii &c.* Ex quibus Collyria Unguenta, vel Pulveres pro re nata præparari poſſunt. Præſtat tamen medicamenta oculorum maculis & cicatricibus ſub formâ Pulveris admovere v. gr.

♃. *Tutiæ Præpar. Sacchar. Cand. Albi an.* ʒj. *Vitrioli Albi. gr.* iv. *Camphoræ gr.* ij. *Corall. Alb. Præpar.* ℈ß.

M. F. Pulvis ſubtiliſſimus, quotidiè bis terve oculo inſpergendus. Sed hujuſmodi albicantes corneæ tunicæ inhærentes maculas, cicatriceſve ſæpius ſanatas, & penitus ablatas vidimus, *Sacchare Cando Albo in impalpabilem pollinem redacto, identidem Oculo inſperſo.*

VII. Verum & aliquandò contigit, purulentam materiem ſub Cornea Tunica ante Pupillam, prope Humorem Cryſtallinum colligi, ſic ut viſio planè impediatur: qui affectus Græcis *Hypopyon*, Noſtratibus (*Een Etter-Oogh*) nuncupatur. Fiat verò *Hypopyon*, ſeu *Oculus Purulentus*, dum tumor ſive Corneæ, ſive Uveæ in abſceſſum degenerat, ut materia purulenta ibidem conſiſtat.

Si igitur Pus inter Corneam & Uveam contineatur, exactius illud conſpicitur, & affectus oculus ſano eminentior apparet. Hoc autem Pus ſi per Cataplaſmata, Fomenta, & Collyria leniter Diſcutientia reſolvi nequeat, alia tentanda ſunt remedia. Galenus & Aëtius narrant, Medicum quendam Romæ capitis concuſſione Pus loco ſuo dimovere ſolitum, ne viſioni obeſſet, id tamen ſæpius fruſtrà à ſe tentatum, ſcribit Jobus Meekeranus.

Aëtius acu obliquè, ſive à latere immiſſâ Pus per puncturam Corneæ educit, tum *Allumen Ovi* inſtillat, ac dein *Ovum Integrum cum Vino Mulſo conquaſſatum, & molli lanâ exceptum Oculo imponit.* Sed quo modo illa Corneæ apertio, ac purulentæ materiæ evacuatio ſit facienda, & quid porrò ad hanc Operationem requiratur, videatur apud Jobum Meekeranum *Obſ. Chir. cap.* 9.

Cap. 10. *De Fiſtula Lachrymali.*

I. CÆterum in interno oculi cantho inter duo puncta lachrymalia *Caruncula* locatur, *Lachrymalis* dicta, quæ continuum lachrymarum per genas defluxum impedit; ſed eas imbibendo ordinatè per vicina puncta lachrymalia in nares dirigit. Hæc caruncula acrium humorum affluxu turget nonnunquam, intumeſcit, & abſcedit, ulceraturque, ulcere non rarò in Fiſtulam abeunte, ut adeò tandem ſubjectum os carie corrumpatur: qui affectus *Lachrymalis Fiſtula* nuncupatur.

II. Eſt itaquè *Fiſtula Lachrymalis Tuberculum inter majorem oculi angulum & naſi radicem ortum, plerumque cum inflammatione, nonnunquam & ſine inflammatione.* Atque hic tumor aliquandò quidem in ſuperficie ſe oſtendit, aliquandò magis profundum obſidet, & non niſi tactu ac compreſſione percipitur. Tumor hic ruptus & malè curatus in ulcus

abit, quod vel ſimplex remanet, à quo pus coctum plerumque exudat: vel ſerpens & malignum evadit, à quo pus crudum effluit; id quod non rarò ſub inferiore palpebra viam ſibi facit, & per tuberculum ibi elevatum, exulceratumque aquoſam & ichoroſam materiam effundit: aut ſi abſceſſus tardius rumpatur, in ſinuoſum ulcus, ſeu *Fiſtulam* oculi, *Lachrymalem* dictam degenerat.

III. *Cauſa* humor eſt tenuis, acris, ſalſus, qui eò ſtillans primò inflammationem, dein eroſionem, exulcerationem, ac tandem fiſtuloſum & ſinuoſum ulcus, nonnunquam cum ſubjecti oſſis carie, producit.

Tuberculum autem ipſum aliàs majus, aliàs minus eſt, in ſuperficie eminens & viſui expoſitum, aut in profundo latens, & cum ſoluta unitate in *Ægilope*, citrà hanc in *Anchilope*. Rumpitur autem tuberculum hoc, aut intus verſus oculum, aut extrà per cutem, aut utrimque. Interdum & os naris proximum perforat; nonnunquam cartilaginem palpebræ, ac ipſam palpebram corrumpit.

IV. Igitur dignoſcitur malum hoc, quod tumeat locus affectus, rubore in ambitu perfundatur, lancinante dolore affligatur, inprimis inflammatio ſi adſit. Ubi verò cute exulceratâ rumpitur tuberculum, fit abſceſſus cum ulcere; quod ſi legitimè non curetur, pus diutius coërcitum cuniculos porrò agit, ſinumquè facit, per quem collecta intus ſanies aut ſponte effluit, aut preſſo angulo extruditur, tumorquè nonnihil ſubſidet, uſquè dum nova colligatur materies. Nonnumquam ad os uſquè ſubjectum ſinus penetrat, illudquè erodit, viamquè in narem proximam aperit, è qua graveolens quid continuò excidit.

V. At verò affectus hic ægrè ſanatur, niſi maturè ei occurratur. Atquè difficilius redditur hoc vitium, ſi ſit conjuncta ſoluta unitas, ſiquè tumor profundas occupet partes.

Si ruptio ſit interiora verſus, periculoſior; quia metuenda eſt ſubjectorum oſſium corruptio.

Fiſtula recens, & quæ orificium habet extrinſecus manifeſtum facilius curam ſuſcipit.

In genere tamen Fiſtula Lachrymalis chronicum malum eſt, cum propter perpetuum materiæ affluxum, & motum oculi continuum, tum quia conveniens ligatura ea in parte fieri nequit, tum denique quia medicamenta debilia parum agunt, fortia vero oculum lædunt.

VI. Quoad *Curandi Methodum*: Quandoquidem eodem modo non ſemper ſe habet Fiſtula Lachrymalis, non ſemper eadem erit hujus affectus Cura. Curatur namque vel ut incipiens; vel ut abſceſſus jam ruptus, cujus tamen latera minimè ſunt calloſa; vel ut Fiſtula perfecta, oſſe tamen ſubjecto ſano, minimequè corrupto; vel denique ut Fiſtula perfecta, oſſe ſubjecto carioſo: atquè tum aut Medicamentis, aut Chirurgia.

VII. In genere ut Ægilops vel incipiens vel perfectus Curetur, primùm inſtituenda eſt optima victus ratio. Dein redundantes in toto acres tenueſquè humores ſunt corrigendi, & tum per alvum, tum per urinas, tum per auctam tranſpirationem evacuandi. Quem in finem conducit Decoctum, *ex Ligno Guajaco, Saſſaphras, Radicibus Salſaparilla, China, additis Betonicâ, Majoranâ, aliiſque Cephalicis, nec non* (ſi Purgans id deſideramus) *Pulpâ Colocynthidis, Glycyrrhyzâ, &c.* Inſuper *Setaceum* nuchæ adhibere quantum conducat in Curanda Fiſtula Lachrimali, praxis docet; affirmat Hildanus *Cent.* 4. *Obſ.* 19.

VIII. Generalibus hiſce præmiſſis, ſi Ægilops incipiens ſit, atque nondum apertus, ſecetur ferro ac aperiatur, idque fiat maturè. Si enim apertio differatur, pus vicinas partes erodit, & Fiſtulam ſæpè inemendabilem gignit.

Aperto autem abſceſſu, ſeu naturâ, ſeu arte, imponantur Deſiccantia, Detergentia, Conſolidantia: quem in finem conducit *Unguentum de Tutia*, vel ſimile ex *Aloë, Myrrha, Plumbo Uſto, Tutiâ, Spodio Præparato*, &c.

Chalmetæus *Enchir. Chir. lib.* 3. *cap.* 20. ſe nihil præſtantius ſequenti eſſe expertum teſtatur;

℞. *Vini optimi*, ſeu potius *Spiritus Vini, Mellis Roſacei an.* ℥j. *Myrrhæ optimæ* ʒij. *M. F. Linimentum, quo manè & veſperi locus illinatur.*

Inſuper ipſi ulceri poſtquam Exſiccans aliquod impoſitum ſit Unguentum, pars affecta comprimatur inſtrumento ab Aquapendente deſcripto, & à Sculteto *Armam. Chir. Tab.* 8. *Fig.* 1. depicto, aliovè ſimili, ut ulcuſculum ità conſolidetur, & cicatrice occludatur.

IX. Si verò perfecta ſit Fiſtula, lateribus adeò calloſis, incidatur ferro, ac dilatetur. Sed ſi Patiens ferrum admittere nolit, dilatetur Turundis ex *Radicibus Gentianæ*, aut *Spongiis Præparatis*. Quod ſi hoc fieri nequeat, *tantillum ex Cauſtico quodam* prudenter applicetur. Diligenter interim oculus claudatur, ne forſan liquefactum Cauſticum in oculum fluat.

Apertâ & ſufficienter dilatatâ Fiſtulâ, *Mercurius Præcipitatus Ruber* ulceri inſpergendus, aut filamentis imponendus eſt, ac ſuperponendum Emplaſtrum ex *Gummi Elemni.*

Atque hoc modo callus conſumendus, quo attrito, pars affecta nunc citato Aquapendentis inſtrumento, vel ſimili comprimatur, ipſique ulceri *Balſamum Peruvianum*, vel *Tolutanum*, aliudve Unguentum Exſiccans, Detergens, Cicatrizans imponatur, ſicque conſolidetur ac cicatrice occludatur.

X. At verò ſubjectum os ſi carioſum obſervetur, (quod deprehenditur, ſi immiſſo ſpecillo aſperitas quædam in oſſe appareat, aut ſonus quidam percipiatur oſſe pulſo, conſumpto ſcilicet perioſteo) quantum fieri poteſt detegendum eſt, dein ferro abradendum: quo ſublato, oſſi ſuperſtiti filamenta arida applicanda, quouſque caro laudabilis ab ipſo excreverit; imponendum quoque vulneris labiis *Unguentum de Tutia*, Sarcotici loco, propter continuum ichoris ad angulum oculi fluxum: tandem cicatrix inducenda *Gummi Elemi*, aut *Emplaſtro Diapalmæo* ſimilivè exſiccante. Si autem os carioſum & probè detectum commodè abradi nequeat, *Euphorbium in ſubtiliſſimum pulverem redactum* inſpergatur. Enimverò nihil præſtantius eſſe *Euphorbio* in Oſſibus Carioſis, & in Fiſtula Lachrymali oſtendit Praxis, ſubſcribit Hildanus *Cent.* 5. *Obſ.* 22. & *Cent.* 1. *Obſ.* 92. Quippe quod adjacentem carnem non adurit, ut perperam nonnulli metuunt.

Sunt qui cariem oſſis *Oleo Vitrioli, Sulphuris*, aut *Aquâ Forti* corrigere tentant, ſed malè; ad circumjacentes enim partes fluunt, & os ulterius corrumpunt.

Alii oſſis fiſtulæ lachrymalis ſubjecti cariem *Cauterio Actuali* corrigunt, idque non malè; quæ enim ferrum aut ignis non ſanat, inſanabilia eſſe *Hippocrates* pronunciavit. Scribit tamen Fabritius Hildanus, ſibi curationem fiſtulæ lachrymalis cum Euphorbio ſemper tã feliciter ſucceſſiſſe, ut Cauterio Actuali nunquam fuerit uſus. Interim vero illud non rejicit, atque ideò fiſtulâ planè occaleſcente: Inuſtionibus utendum, ſi Ægri admittant; utpote quæ callum non modo atterunt, partemque ipſam corroborant, ſed etiam citius ſeparant os corruptum.

Quandoquidem igitur & callus fiſtulæ, & oſſis corruptio conſolidationem impediunt, hinc calloſitate oſſiſquè carie abſumptis, nec non deterſo ſatis ac mundificato ulcere *Balſamum Peruvianum*, vel *Tolutanum*, vel *Unguentum de Tutia*, aut ſimile filamentis applicetur ut plana ac pulchra fiat cicatrix.

XI. Per totum autem curationis tempus, Collyrium Exſiccans ac Anodynum oculo frequenter inſtilletur, & linteum reduplicatum, eodemquè Collyriô madefactum applicetur, ſintque omnia faſciâ diligenter

ter ligata, ut oculi motus quoad fieri poſſit, impediatur. Exempli loco eſto id, quod ſequitur:

℞. *Aq. Roſarum, Plantaginis, Euphraſiæ* ℥iß. *Sem. Cydoniorum* ℈iß. *Maneant in infuſione per horas, dein colaturæ admiſceatur, Troch. Alb. Rhaſis ſubt.pulv. Tutiæ Præparatæ an.* ℈iiß. *Fiat Collyrium, calidè oculo identidem adhibendum.*

In genere tamen de Fiſtula Lachrymali inveterata cum magna ſubjecti oſſis corruptione notandum, quod difficulter ea curetur; & ſi curata fuerit, adhuc tamen ex oculo lachrymæ effluant, ob carunculam laçhrymalem abſumptam.

Sed genuinam Fiſtulas Lachrymales curandi methodum videre licet apud Hildanum *Cent. 6. Obſ.* 3. & Petrum de Marchettis *Obſ. Chirurg.* 22.

Cap. 11. *De Aurium Ulceribus.*

I. Aliquandò quoquè in *Auribus*, haud ſecus ac aliis in partibus, excitantur *Ulcera*, eaquè ſunt vel apparentia & viſui expoſita, vel occulta ac in profundiore Auris parte ſita: iterum vel recentia, vel antiqua, vel cum pauca, vel cum multa ſanie.

Fiunt autem in Auribus Ulcera, vel ab Externis Cauſis, vel ab Internis. Enimverò caſus, percuſſio, vulnus hîc eodem modo, quo in cæteris partibus Inflammationem, dehinc Abſceſſum, tandem Ulcus excitare queunt. Interdum quoquè à diu in meatu auditorio retento Cerumine amaro & viſcoſo, ibidemquè ob ſalinam oleaginoſitatem putreſcente, hujuſmodi Ulcus procedit. Deniquè acres, pungentes, mordicantes, parteſquè Auris interiores exulcerantes humores in cauſa non rarò ſunt. Communiter verò hîc obſervamus, magnam materiæ quantitatem inde profluere, & difficulter admodum hujus partis Ulcera ſanari, ea inprimis, quæ ſunt in meatus auditorii parte oſſea. Quantitas autem materiæ non ſolum à ſanguine venit, qui ſuppuratur; ſed etiam ex tunicæ meatum auditorium ſuccingentis glandulis, quæ à Pure continuò irritatæ, magnam liquoris quantitatem è canaliculis ſuis excretoriis emittunt.

II. Quoad *Diagnoſin*: horum ulcerum Signa ſunt ſatis manifeſta; cum ex dolore, ardore, punctione, pruritu, ſanie vel pure ab illa parte emanante, in cognitionem devenire poſſimus: & ſi ſanies copioſa effluat, ſordicum ulcus, ſi tenuior virulentum: ſi fœtens, putridum indicat; ſiquè nonnunquam poſt ſaniem aliquid ſanguinis emanet, corroſivum ulcus arguit. An vero ab externis, aut ab internis cauſis hujuſmodi ulcus fuerit excitatum, ex Ægrotantis & adſtantium querelis, aliiſque circumſtantiis facilè innoteſcet.

III. Cæterum Recentia Aurium Ulcera facilius, at Inveterata difficilius ſanantur. Difficultas autem ſanandi hæc ulcera inde eſt, quod ſemper à liquore ex meatum auditorium ſuccingente glanduloſa membrana profluente humectentur, adeoquè ſiccari nequeant; quo fit quod materia, è glandulis hiſce profluens, acris quippe & ſalſa reunionem partium & cicatricem impediat. Difficilius quoquè ſanantur ulcera in meatus auditorii parte oſſea, quam in parte cartilaginea, quia oſſeus canalis verſus tympani membranam declivis eſt, & ubi in planum deſcendit, foſſam efficit notabilem; ex qua purulenta materies non niſi difficulter eximi poteſt; cum è contrario meatus cartilagineus concham verſus ſit declivis, hinc & quævis excrementitia materia ſtatim ejiciatur.

IV. Ad *Curandi Methodum* quod attinet: Aurium Ulcera quamvis interdum per ſe ſanentur, poſt cohibitum puris effluxum, plerumque tamen artis auxilio egent. Et quidem, univerſalibus haud neglectis, ſanies erit detergenda, ulcuſque exſiccandum, à levioribus ſemper incipiendo, & quanto recentius fuerit ulcus, tanto tutius abſterſione & exſiccatione curatur. Eum in finem eluatur auris *Vino calente.* Atquè Injectiones fiant Detergentes, ex *Urina Pueri*, aut *Hydromelle*, aut *Aqua Hordei cum Melle Roſaceo*, & ſi fortioribus opus ſit, fiant Decoctiones ex *Ariſtolochia*, *Agrimonia*, *Centaurio*, *& ſimilibus in Vino Albo*, quibus miſceatur *Mel Roſarum.* v. gr.

℞. *Rad. Ariſtolochiæ Rot.* ʒiij. *Herb. Agrimoniæ*, Miß. *Sum. Abſynthii, Cent. Min. an.* Mj. *Coq. in ſ. q. Vini Albi ad* ℥xij. *colaturæ admiſceatur Mellis Roſacei* ℥iß. *M. pro Injectione*: cui ſi ulcus putridum ſit & valdè ſordidum, addi inſuper poteſt *Fel Bubulum*, vel *Aloë cum Spiritu Vini*, aut ſimile. At verò Pinguia omnia & Oleoſa vitanda ſunt, quippe quæ aurium ulcus ſordidius indies reddunt.

Galenus teſtatur, ſe hujus generis ulcera inveterata ſanaſſe cum *Ferri Scoria in pulverem redacta, hinc cocta cum Aceto acerrimo, quoad mellis acquirat conſiſtentiam.* Etiam putredinem, qua hæc ulcera ſæpe diffluunt, emendare & ſiccare valet *Fel Bubulum in forti Aceto diſſolutum, ac tepide inſtillatum.*

Valeſcus de Taranta ſequens ex Haly commendat, & ſcribit, ſe eo Presbyterum, qui aurium ulcere & ſanie octo annos laboraverat, ſanaſſe;

℞. *Mellis* ʒx. *Aceti* ℥j. *Coq. leviter & deſpumentur, dein add. Viridis Æris* ʒj. *Miſceantur, & cum turunda auri impone.*

Cap. 12. *De Narium Ulceribus.*

I. Poſt Oculorum, Auriumque Ulcera, proximum eſt, ut ad *Narium Ulcera* accedamus, & quæ inde oriantur ſymptomata perpendamus. Igitur *Narium Ulcerum plures occurrunt Differentiæ.* Alia enim à Cauſis oriuntur Externis, ab ictu viz. caſu, vulnere. Alia ab Internis, ab humoribus puta acribus, malignisve: ſive ii toto ſanguine ad Nares ferantur, ut fit in Lue Venerea; ſive à cerebro, aut à craſſa pituitaria membrana eò expellantur.

Adhæc Narium Ulcera in ſe conſiderata alia recentia ſunt, alia inveterata; atque hæc etiam vel cruſtoſa ſine ſanie, vel ſordida, vel putrida ac virulenta, vel çorroſiva, vel fiſtuloſa, vel cancroſa. Denique quoad partem affectam; alia externa ſunt & oculis expoſita; alia interna; in intima narium parte, vel in oſſe ethmoide.

II. Signis vero diſcernenda ſunt hæc ulcera, cum inter ſe, tum ab aliis narium affectibus. Recentia enim ulcera non rarò nec acrimoniâ, nec dolore ſeſe produnt; nares tamen plerumquè ichore ſanguineo madent, aut cruſta ſicca, vel nigra emungitur. Dum autem cruſtula diutius hęret, perpetuò ſub ea aliquid exeditur, quod ulcus majus efficit. Vetuſtius tamen & putridum ulcus, quod *Ozæna* vulgò nuncupatur, fœtorum emittit talem, ut Æger tum ſibi, tum aliis tetri ſpiritus vapore admodum moleſtus ſit. Et ſi diutius duret, paulatim ſerpit longius, atque vel alas narium, vel earum interſtitium, vel tenella oſſa exedit, paulatimque perforat, pręſertim ſi vel cancri ſpeciem habeat, vel à lue venerea contractum ſit.

III. Igitur Narium Ulcera fœtorem ferè ſpirantia, *Ozænæ* dici conſueverunt, ἀπὸ τῦ ὄζειν *Ozænæ*, ut inquit Celſus *lib. 6. cap* 8. ſunt ulcera circa nares plures cruſtas & fœtidum odorem habentia. Et Ægineta *lib. 3. cap.* 24. inquit, *Ozænam* eſſe ulcus carioſum ac putridum, ex acrium humorum alluvie prognatum. Poſſumus ergò & nos dicere, *Ozænam* eſſe *Narium Ulcus profundum ac putridum, ut plurimum cruſtoſum, fœdumque odorem ſpirans.*

IV. Quoad *Cauſam Ozænæ*: Galenus *lib.* 3. *de ſimpl. med. comp. cap.* 3. ait: „ Ozænæ ex humorum acrium

„ acrium, & putrilaginoſorum influxu gignuntur: nam „ ſi humor ſaltem acris eſſet, ægrè curabilia ulcera „ produceret, non graveolentia. Galeno ſubſcribunt Alexander Trallianus, & Aëtius. Eſto igitur *Proxima Ozænæ Cauſa* humor acri-ſalinus, ac erodens, qui ipſa quandoque oſſa, & maximè cartilagineum narium interſtitium corrumpit, ſicque faciem miſerè deformat. Hic autem acris malignus humor, cujus influxu hujuſmodi putridum ac cruſtoſum, nec non graveolens Narium Ulcus, *Ozæna* puta, generatur, vel à Venerea Lue procedit, vel ab acribus ferinisque Catarrhis è cerebro, aut ex membrana pituitaria eò ſtillantibus; quibus propter acrimoniam corruptio facilè accedit, unde putridum ac graveolens hoc ulcus evadit. Adhæc oritur quandoque hic affectus à Suffumigiis è Mercurio & Cinnabare incautè adhibitis; cujus rei tres quatuorvè hiſtorias recenſet Fabritius Hildanus *Cent.* 2. *Obſ.* 23.

V. Cæterum Externa Narium Ulcera oculis conſpiciuntur; Interna autem & Occulta ex effluente ſanie & cruſtis decidentibus cognoſcuntur. Munda porrò, ex ſanie laudabili: ſordida, ex craſſiore: putrida, ex fœtore: corrodentia, ex ſanguinis cum ſanie effluxu: cancroſa, ex præſentibus cancri ſignis cognoſcere licet.

In ſpecie verò Ozæna cognoſcitur ex effluente ſanie, & decedentibus cruſtis; Laborans præterea non ipſe ſibi graveolet tantum, ſed & adſtantibus tetri ſpiritus contagio moleſtus eſt.

VI. Sunt quoque Narium Ulcera curatu plerumq; difficilia, ob humiditates viz. tum ex cerebro, tum ex pituitaria membrana, continuò ad partem hanc defluentes; & quo magis vel minus inveterata, eo curatu faciliora erunt vel difficiliora. Celſus de Ozænâ verba faciens inquit: „ ſciri quidem debet, vix ei malo ſuccurri, „ nihilominus tamen quædam tentanda ſunt, quan- „ quam curatu ſit difficile. Porrò tametſi narium ulcera externa, ſuperficialia, recentia, munda, facilius curentur; occulta tamen, profunda, antiqua, immunda, cruſtoſa, fiſtuloſa, narium oſſibus communicata, difficulter: putrida verò, corrodentia, cancroſa, periculoſa plerumque exiſtunt.

Etiam Narium ulcera & Ozænæ, ſi omnibus ritè adminiſtratis non curentur, pro deſperatis non ſine ratione haberi ſolent, quia ſuſpicio eſt, ne in cancrum talia degenerent, quem ſatius eſt, non attingere.

Inſuper pro deſperatis hæc ulcera haud immeritò habentur, quando oſſa narium tenella exedunt, vel narium alas, earumque interſtitium magnâ deformitate putrefaciunt, & exeſum palatum perforant; præſertim ſi à lue venerea fuerint orta, quod ut plurimum evenit.

VII. Sunt denique eædem in Narium Ulceribus Curandis Indicationes, quas aliarum partium ſordida ulcera exigunt. Viz. totius corporis primò habendam eſſe rationem, & humores in toto ſuperfluos evacuandos. Et quoniam vel à Lue Venerea, vel ſaltem ab acribus & ferinis Catarrhis profundum, cruſtoſum, fœtidumque narium ulcus ut plurimum procedit; hinc in primis peccantes humores Medicamento conveniente è toto corpore iteratò expurgandi. Dein Vena in brachio ſecanda. Cucurbitulæ per intervalla ſcapulis nunc Siccæ, nunc cum Scarificatione applicandæ. Nec non Setaceum ad tertiam colli vertebram pro majore acrium humorum diverſione adhibendum. At interim, caput, impoſitâ ei Cucuphâ, & Fiſtulâ Tabaci fumiſuctione ſumptâ, ſimilibuſquè exſiccandum, roborandum.

VIII. Verum ſi omnibus hiſce ritè adminiſtratis, nihilominus tamen non curetur affectus, quin potius recrudeſcat, Curatio inſtituenda, qualis in Venerea Lue inſtitui ſolet. Utatur Patiens Decocto Sudorifero, ex *Ligno Guajaco, Corticibus Ejuſdem, Salſaparilla, China, Turbith, Hermodactylis, Foliis Betonicæ, Majoranæ, Salviæ, Liquiritiâ*, ſimilibus. Et porrò in omnibus ſeſe gallici morbi curæ ſubmittat.

IX. Sed ad partem affectam, Nares puta, quod attinet: ulceris cruſtæ prius ſunt auferendæ; quod fit aliquo pingui, v. gr. *Butyro Recenti ac Loto* illito. Celſus *Mel cum tantillo Therebinthinæ in nares immittit, & ſpiritu ſuccum attrahere jubet, donec in ore guſtus ejus ſentiatur*: ita enim cruſtæ reſolvuntur, quæ dein per ſternutationem haud difficulter ejici ſolent.

Cruſtâ remotâ Ulcus eluatur *Vino, in quo Mel coctum ſit*; vel *Vino Decoctionis Agrimoniæ & Verbenæ, cum Melle.* Vel, ſi nimis ſordidum ſit, ad abſterſionem ejus & exſiccationem adhibetur *Unguentum Apoſtolorum*, aut *Ægyptiacum, cui parum Succi Tabaci admixtum ſit.*

Dein aliquamdiu ſequens Medicamentum naribus injiciatur, ac filamenta eôdem imbuta imponantur.

℞. *Sem. Cydoniorum groſſo modo contuſ.* ℨj. *Aq. Plantaginis, Roſarum, Spermatis Ranar. an.* ℥ij. *Maneant in Infuſione per horas in loco calido. Dehinc expreſſioni mucilaginoſæ add. Mell. Roſarum* ℥j *Pulv. Corall. Rubr. Præpar. C. C. Uſti & Præp. Lapid. Calaminar. Præpar. Nihili an.* ℈j. *Miſceantur.*

vel immittatur hoc, aut ſimile Unguentum.

♃. *Plumbi Uſti & Præpar.* ℈iiß. *Pulv. Aloës, Myrrhæ an.* ℈ij. *Unguenti Nutriti* ℨiij. *Albi Camphorat.* ℥ij. *Ol. Roſacei. q. ſ. Diu terantur in Mortario Plumbeo, & F. S. A. Unguentum.*

Nonnulli commendant *Aquam Plantaginis, in qua diſſolutum eſt aliquid Mercurii Dulcis, cum petiis Ulceri admovendam.*

Etiam *Succus Scarleæ Melli Roſaceo mixtus* valdè hîc prodeſſe dicitur. Platerus ſequens laudat Unguentum:

♃. *Ceruſæ* ℥j. *Tutiæ Præparatæ, Lithargyri an.* ℥ß. *Plumbi Uſti* ℨvj. *Pulv. Myrrhæ, Ariſtol. Rot. an.* ℨij. *Ol. Roſarum, Omphacini, Succi Plantaginis an.* ℥ij. *Agitentur diu in Mortario, & F. S. A. Unguentum.*

Barbette hoc valdè extollit:

♃. *Plumbi Uſti, Ceruſæ Lotæ, Tutiæ Præparatæ, Lithargyri an.* ℨij. *Cort. Thuris* ℨj. *Myrrhæ, Ariſtol. Rot. Mercurii Dulcis an.* ℨß. *Unguenti Fuſci Fel. Wurtzii* ℨiij. *Alb. Camphorat q. ſ. M. F. S. A. Linimentum.*

Uti & hoc Fabrius Hildanus.

♃. *Succi Geranii, Solatri, Sempervivi Maj. an. p. æq. Lithargyri, Plumbi Uſti, Ceruſæ, Lapid. Calamin. an.* ℨij. *Indantur in mortarium, affuſo cochleari Olei Roſacei, & Succi ſuperioris alterna vice, probè agitando, donec in Unguentum coëat quo turundæ illitæ Naribus indantur.*

Conducit & hîc *Aqua Aluminoſa ſeu Mercurialis* vel ſola, vel dilut. cum petiis prudenter uſurpata.

Præſtans quoque eſt *Aqua Viridis Hartmanno uſitata*, quæ non tantum in Ozænis, ſed in omnibus Ulceribus Fœtidis Narium, Palati, Uvulæ, Gingivarum, & Linguæ mirificè valet. Cujus hæc eſt deſcriptio.

℞. *Mellis Roſacei* ℥ij. *Sulph. Vivi, Aluminis Crudi, Æruginis an.* ℥j. *Albi Græci, Sabinæ an.* ℥ß. *Flor. Sambuci p j. Fol. Plantaginis, Hyperici, Pulegii, Roſmarini, Rutæ an.* Mß. *Coq. in Vini & Aquæ lib.* ij. *ad caſum tranſverſi digiti. Adnotandum, quod Ærugo non ſimul coquatur, ſed in fine addatur, & relinquatur donec refrixerit; poſtea coletur & uſui ſervetur. Viz. ejus aliquid in cochleari calefiat, tum intingatur penicillum, eôque locus ulceratus attingatur.*

X. Gulielmus Rondeletius *Pr. lib.* 1. *cap.* 65. In Ulceribus Narium poſt ſufficientem deterſionem nihil efficacius ſe inveniſſe ſcribit. *Suffitu* qui partes illas profundas attingit & ſiccat. Parandus autem ex potentiſſimè ſiccantibus hoc modo;

♃. *Lada-*

℞. Ladani puri, Hypociſtidis, Maſtichis, Mirrhæ an. ℥iij. *Styracis Rubr. & Calam. Cort. Thuris, Sandarachæ, Auripigm. an.* ℥ij. *Excipiantur omnia Therebinthinâ, & F. Trochiſci, quibus ſuffiatur Æger ſerò & mane in cubiculo, atque ſuffitus naribus infundibuli ope excipiatur.*

Optimum etiam eſt parare Candelas ex Cerâ Rubra: etenim ob *Cinnabarim*, cum qua hæc cera conficitur, fuligo iſtiuſmodi candelæ plurimum juvat exſiccationem; ſi præſertim accendatur in cubiculo benè clauſo & anguſto. Quod autem fuligo accenſæ candelæ cum inſpirato aëre excipi ſoleat, experimur, cum diutius in ſtudiis moram trahimus noctu; namque ſputum & narium excrementa fuligine denigrata redduntur. Dein addit: *hac ratione nos ulcus curavimus, quod neque ab Italis, neque à Gallis curari potuerat.*

Suffitus ſequentis Pulveris (inquit Barbette *in Chirurgia*) prunæ impoſiti multa præſtat, modò cautè, & non niſi ſemel, aut ad ſummum bis quotidiè uſurpetur, ne ſalivatio excitetur.

℞. Benzoini, Sandarachæ, Maſtichis, Thuris, Styracis an. ℨj. *Cinnabaris Factitii* ℥ß. *M. F. Pulvis, pro Suffimigio.*

Quæ porrò in inveteratæ ozænæ curatione ſunt obſervanda, videri poſſunt apud Scultetum *Armament. Med. chirur. tab.* 32. Hiſtoriam ozænæ graviſſimæ cum oſſis palati eroſione ſanatæ refert Hildanus *Cent.* 2. *obſ.* 22. Exemplum quoquè naſi ulceris, apicem illius depaſcentis, feliciter curati, habetur apud Platerum *lib.* 2. *Obſervationum.*

Cap. 13. *De Labiorum Ulceribus, & Fiſſuris.*

I. NOnnunquam & *Labia* occupant *Ulcera Cruſtoſa*, ſæpè quoquè *Serpentia*, orta ab *humoribus bilioſis, acri-ſalinis, & quodammodo glutinoſis*, qui miſerè hujuſmodi exulcerationibus Labia inquinare & corrumpere ſolent.

Talia ulcera nonnunquam per modum criſeos in febribus intermittentibus contingunt, atque febris ſolutionem indicant. Sæpè etiam abſque criſi ab humoribus vitioſis è toto corpore eò protruſis ortum habent. Vel à gallica lue proveniunt.

II. Hujuſmodi autem Labiorum Ulcera oculis obvia ſunt: cauſæ verò ſignis inveſtigandæ. Si per Criſin accidant, febris adeſt. Si à Morbo Gallico, is etiam ſuis ſignis ſeſe prodit. Si & febris & luis venereæ ſigna abſint, ex latente in corpore Cacochymia ortum habent.

III. Cæterum labiorum ulcera, ſi in febribus cum coctionis ſignis appareant, plerumque bonum ſunt ſignum, atque febris perfectam ſolutionem, vel imminutionem ſignificant, ac per ſe facilè ſanantur. Sed cum viribus debilibus, aliiſque malis ſignis, ſi os & labra exulcerentur, ſæpè lethale eſt. Etiam curatu difficiliora & pejora ſunt, quæ à morbo gallico proveniunt.

IV. Igitur in febribus Labiorum Ulcera, ſi critica ſint, per ſe facilè ſanantur. At à lue venerea quæ oriuntur, curanda ſunt ut venerea lues; curatione ſc. inſtituta per Salivationem, Decocta Sudorifera, & ſimilia. Talium ulcerum curatorum exemplum habetur apud Foreſtum *Lib.* 14. *Obſ.* 2. ubi ſcribit, ſe Juvenem (qui ex lue venereâ labia ulcerata, inflata, nigra, tumida, dura, carcinomatis inſtar, habuit) curaſſe univerſalibus ad morbum venereum, & panno hac Decoctione imbuto labiis appoſito:

℞. Ligni Sancti p. ij. Bulliat in pinta una Aquæ Solatri, dein coletur, & colaturæ add. Aluminis ℨj *iterum ſimul ebulliant, & colentur, ac colatura detur uſui*

Si vero ulcera hæc abſque febre & morbo gallico oriantur, ab humoribus nempe vitioſis acribus, è toto corpore eò protruſis; Univerſalibus uſurpatis, & Diætâ conveniente haud neglectâ, adhibeatur *Unguentum de Ceruſſa*, vel *Album Camphoratum*, vel *Nutritum*, aut ſimile. v. gr.

℞. Unguenti Roſacei, nutriti, Albi Camphorat. an. p. æq. Terantur diu in mortario Plumbeo, donec Linimentum evadat.

Quod ſi tale ulcus exſiccari non poſſit, tangatur *Aquâ Aluminosâ Fallopii*, deſcriptâ *Cap. de Ulceribus Venereis.* Aut prudenter uſurpetur *Aqua Viridis Hartmanni*; vel vulgaris *Aqua Mercurialis* ſeu *Aluminoſa*, quæ *Vino Gallico* & *Aquâ Plantaginis* diluta frequenter admoveatur.

V. Atqui cutis, cum carni in labiis connexa ſit tantâ tenuitate, tantâ ſubtilitate, ac teneritudine, ut niſi labris laceratis, ab iis ſeparari non poſſit; hinc facilè à cauſis externis, ventis, frigore; ut & internis, humoribus putà & vaporibus ſalſis & acribus, vitiantur, finduntur, & ità ſcinditur, ut interdum etiam ſanguinem fundant. Vitium hoc Græci ῥαγάδας, Latini *Fiſſuras* ſeu *Sciſſuras Labiorum* vocant. Quæ ſanè non planè ſunt negligendæ: namquè turpitudinem pariunt, atquè in cruſtoſa & difficulter curabilia ulcera quandoquè degenerant.

VI. Solent verò haud difficulter ſanari Labiorum Fiſſuræ, inuncto *Candelarum Sevo*: vel inungatur *Unguentum Roſarum*, aut *Pomatum*: vel fiat Litus ex *Recenti Axungia Gallinæ*, & *Cerâ Albâ Roſaceâ*, *Aquâ ſæpius lotis.*

Aëtius *Ovi pelliculam Internam* fiſſuras labiorum agglutinare tradit.

Sed ad Labiorum ut & Mammarum Fiſſuras admodum conducit *Sevum Hircinum liquatum in Aqua Roſacea*, ſi pars affecta eò illinatur. Etiam utile eſt *Oleum è Vitellis Ovorum recenter expreſſum*; uti & *Oleum Ceræ ſine fuco recenter deſtillatum.* Vel quod ſequitur:

℞. Butyri Inſulſi ℥j. *Ceræ Flavæ* ℥ß. *Liquatis admiſceatur Succi Uvarum Cærulearum recentis q. p. F. exinde S. A. Globulus, quò labia fiſſa oblinantur.*

Cap. 14. *De Ulceribus Oris.*

I. PRæter Ulcuſcula, quæ in internis Oris partibus oriuntur, illarumque ſuperficiem depaſcunt, & *Aphthæ* vulgò nuncupantur (de quibus verba facere nunc animus non eſt) *in Ore, Faucibus, aliiſque intra Os contentis partibus Serpentia* non rarò obſervantur *Ulcera*; quæ Aphthas Exulceratas nonnunquam ſequuntur; aliquandò poſt Inflammationes & per ſe, ut in aliis partibus, ex affluxu vitioſorum humorum fiunt; quemadmodum & in Gallico Morbo excitantur.

II. In Ulceribus hiſce Curandis, quoquè totius corporis habenda erit ratio per Purgantia identidem exhibita, quandoquè Venæſectiones, &, ſi malignitas adfuerit, Decocta Sudorifera, Antivenerea, quæ hìc magni uſus ſunt.

Externa Media etiam hìc Abſtergentia ſint, atque Siccantia. Quem in finem Barbette hanc Oris Collutionem valdè extollit.

℞. Fol. Quercus Mj. *Flor. Roſarum, Balauſtiæ an. p. j. Cort. Granator.* ℨij. *Alum. Uſt.* ℈ij. *Vitriol. Alb.* ℈ß. *Coq. in ſ. q. Vini Rubri Adſtringentis ad* ℥viij: *colaturæ add. Diamoronis, Mellis Roſacei an.* ℥j. *Miſceantur pro Oris Collutione.*

Ad Sordida Oris Ulcera utilis quoquè eſt *Aqua Viridis Plateri*:

℞. Æruginis ℨj. *Aluminis* ℥ß. *Vitrioli, Minii an.* ℨj. *Coq. in Vini Albi* ℥iv. *Aq. Vitæ* ℥j. *Huic Aquæ intincto penicillo loca in faucibus ac ore tangantur, cavendo ne quid deglutiatur. Poſtea Lacte Dulci, in quo*

Calx

Calx Ignitus ſit extinctus, os colluatur.

Etiam à multis uſurpatur *Unguentum Ægyptiacum in Aqua Plantaginis cum pauco Aceto diſſolutum, addito Melle Roſaceo.*

Verum acria hæc ſerpentibus Oris ulceribus, inprimis ſi in carcinomatis naturam vergant, adverſiſſima ſunt. Hildanus *Cent.* 3. *Obſ.* 86.

Hinc in oris ulceribus non cancroſis hoc conducit Linimentum:

℞. *Mellis Roſacei* ℥iß. *P. Alum. Uſti* ʒß. *Myrrhæ optimæ* ℈j. *Ol. Sulphuris gutt.* x. *Miſceantur.*

Barbette laudat Linimentum *ex* ʒiij. *Unguenti Fuſci Felicis Wurtzii, &* ʒij. *Mellis Roſacei, inter ſe mixtis.*

Sed ad oris, omniumque ejus partium ulcera (ſive ſint uvulæ, ſive tonſillarum, ſive linguæ) ſerpentia, etiamſi cancroſa, ſequens Linimentum utiliſſimum ſemper obſervavi:

℞. *Mellis Roſacei* ℥iij. *Tincturæ Saturni* ʒiij. *vel* ʒiv. *Miſceantur exactè.*

Eum in modum quoque fieri poteſt Gargariſma vel Oris Collutio:

℞. *Aq. Caprifolii, Plantaginis an.* ℥vj. *Mellis Roſacei* ℥iij. *Tinct. Saturni* ʒiij. *vel* ʒiv. *Miſceantur.*

At verò ſi in latere Linguæ naſcantur ulcera, videndum num dens aliquis acutior ſit, qui ſaneſcere ſæpè ulcus non ſinit, quique proindè limandus, vel evellendus eſt.

III. Cæterum in oris exulceratione *Os Palati* ab humore corrodente non raro perforatur & corrumpitur: quod ubi evenit, ſermo vitiatur; cum aër, qui per os elidi debeat, ſimul per foramen illud ad nares penetret, per eaſque egrediatur. In tali caſu ſi os nigrum ſit, radendum id prius, dein ex arte curandum. Sed antequam foramen illud claudatur, vel ſi planè claudi non poſſit, ut vitium illud ſermonis tollatur, fabricanda eſt minutiſſimis foraminibus perforata lamina aurea vel argentea, inſtar clypei, quæ in medio eminentiam habeat, cui ſpongiola ſicca, foraminis magnitudini reſpondens, alligetur, atque ità foramini adaptetur: ubi enim ſpongia humorem imbiberit, dilatatur, ut lamina firmiter hæreat, foramenque claudat.

IV. Ad ulcera oris, Gingivarum præſertim, ſcorbutica conducit Linimentum *ex Melle Vulgari vel Roſaceo, cum Alumine Uſto & Spiritu Vitrioli.* Vel talis Oris Collutio:

℞. *Aq. Plantaginis* ℥iij. *Antiſcorbuticæ, Vini Albi Gallici an.* ℥iß. *Cinamomi* ℥ij. *Alum. Crud. pulv.* ℈iiß. *Miſceantur.*

Si verò gingivæ, parteſque vicinæ nigreſcant, adeò ut gangræna metuatur;

℞. *Aq. Antiſcorbuticæ* ℥vj. *Theriaces, Salis Abſynthii an.* ʒj. *Mellis Roſacei* ℥j. *Alum. Crudi* ʒiß. *Sp. Vini* ʒvj. *Miſceantur.*

Denique *Fiſtuloſa* ſępè *Ulcera* Gingivas obſident, unde vicini dentis radix cariem contrahit eò uſque, ſaniei acrimoniâ omninò denudetur. Quo in caſu carioſum dentem evellere oportet: ſic enim brevi curabitur fiſtula.

Cap. 15. *De Pectoris Ulceribus, & Fiſtulis.*

I. Quandoquè & *Ulcera* in *Pectore* excitari ſolent, quorum alia ſunt *Penetrantia & Fiſtuloſa*, hinc & *Fiſtulæ Thoracis* meritò dicta; alia verò *non Penetrantia*: & ex his alia majora, alia minora, alia profundiora, alia minus profunda, alia antica, alia lateralia ſunt.

II. Hujuſmodi autem Thoracis Ulcera, Fiſtuloſa, inprimis, oriuntur vel ex cauſis internis, vel ab externis. Atque ſequuntur non raro aut Empyema, aut Pleuritidem, quæ ritè per ſputum evacuata non fuerit, dehinc foràs apoſtema effecerit. Inſuper poſt tumores, aut vulnera thoracis malè curata, Fiſtulæ in Pectore ſæpè excitari ſolent, quæ difficilis ſunt curationis; præſertim ſi oſſa, ſternum puta, ſpinæ dorſi, aut coſtæ ſimul afficiantur.

III. Hæc autem Thoracis Fiſtulæ cognoſcuntur facilè, & oculis patent; ſique penetrent, ſtylo, vel aëris egreſſu obſervantur.

Cæterum Penetrantia Thoracis Ulcera in Fiſtulas perfectas non rarò terminantur; & quandò pus non ritè expurgatur, ac in thoracis cavitate retinetur, Patiens empyricus fit; hinc thabidus, macilentus & maraſmodes evadit. „Omnes thoracis fiſtulæ, ait „Pigræus *Prax. Chir. libr.* 5. *cap.* 5. difficilis ſunt cu„rationis, longèquè eſt ſatius eas palliativè curare, „optimâ vivendi ratione adhibitâ, quam accuratius; „hac ſpe, quaſi perſanari brevi poſſent.

Atque ideò, inprimis ſi vetus ſit fiſtula, curâ tantum utendum palliativâ, cum harum partium fiſtulæ raro ſanentur: unde qui fiſtulâ thoracis penetrante laborant, ſolent plurimum toto vitæ tempore argenteam geſtare fiſtulam. Et ſcribit Aquapendens, nonnullos ſe noviſſe, qui viginti quinque & triginta annos talem geſtarunt, & vitam ſatis commodam duxerunt.

Porro quæ in Dorſo ſunt Fiſtulæ, periculoſiores ſunt ob majorem nervorum copiam & ſpinalem medullam vicinam, ac tarò ſanantur. Quæ in muſculis ſunt circa magna vaſa, non ſatis turò curantur. At non Penetrantia Thoracis Ulcera, quæ ſunt abſque oſſis corruptione, facilè curam ſuſcipiunt.

IV. Enimverò thoracis ulcera non penetrantia, ſicut aliarum partium ulcera; & ſi putrida ſint, ad putridi ulceris curationem reſpiciendum.

Penetrantia autem ſeu fiſtuloſa quæ ſunt, & Medicamentis Internis & Externis curari debent, haud ſecus ac de Ulcere Fiſtuloſo ſuperius indicavimus. Orificium verò, niſi id ſatis hiet, in primis dilatandum, immiſsâ Turundâ *ex Spongiâ Præparatâ*, vel *Radice Gentianæ*, vel *Medullâ Sambuci contortâ*, vel aliquo ſimili; quæ filo appendenda, ne in Thoracis cavitatem ingredi poſſit. Dein Turunda Cava Plumbea vel Argentea ſimiliter filo alligata immittatur, ut ſic materia ſæpè & ſenſim evacuetur. Ulcus interim, parteſquè internæ detergantur Injectionibus *ex Decocto Hordei cum Melle Roſaceo*, cui & *Hydromel* addi poteſt. Vel fiat talis:

℞. *Rad. Ariſtoloch. Rot. Iridis Florent. an.* ʒiij. *Herb. Agrimoniæ, Hyperici, Centaurii Min. Vincæ per Vincæ an.* Mj. *Flor. Roſar. Rubr.* Mß. *Hordei M. pug.* iij. *Coq. in duabus partibus Aq. Comm. & una parte Vini Albi ad* ℥xxij. *Colaturæ add. Mellis Roſacei* ℥iij. *vel* ℥iv. Et quum opus fuerit ulcus carne replere, *Pulv. Myrrhæ Iridis, Sang. Draconis an.* ʒj. *M. F. ex his Injectio.*

Quum verò glutinare & exſiccare expedit, haud inutile erit id, quod ſequitur:

℞. *Therebinthinæ optimæ* ℥j. *Mellis Communis* ℥iß. *Farinæ Lupinorum* ℥ß. *Fabarum* ʒij. *Succi Apii, Plantaginis, Agrimoniæ an.* ℥j. *Pulv. Myrrhæ, Maſtichis, Thuris an.* ʒij. *F. ex his ſuper igne S. A. Unguentum*; quô turundæ & penicilli illinantur, ac deſuper ponatur *Emplaſtrum de Scavona*, vel *Diapalma*, vel *de Minio*, ſicquè ulcus carne oppleatur, & cicatrice occludatur.

V. Verum obliquus, flexuoſuſquè ſi ſit fiſtulæ ſinus, nec fiſtulæ finis declivis; præſtat univerſum fiſtulæ flexuoſum, declivemque ſinum *Turundâ ex Spongiâ Compreſſâ, vel Radice Gentianæ* dilatare non tantum, ſed quoquè ſcalpello, aut potius parvo cultello unam aciem habente, eamque in extremitate paulo intus recurvatam, (cujus cuſpidi inſuper exiguus affixus ſit globulus ex cera alba) diſcindere, ac ad fundum uſque aperire. Enimverò citiſſima & quaſi momentanea fiſtulæ thoracis inciſio eſt, quæ fit Syrin-

Syringotomo, quod in altera extremitate habet aciem, circa cuſpidem globulo cereo obvolutam, quo minus in immiſſione carnes laceret. Hinc in fiſtulam immittatur, ac ubi ad fundum ejus pertingit, per carnem & cutem ſuperincumbentem dextrâ adigatur, ut globulo cereo in ulcere remanente cuſpis cultelli per foramen factum exeat; qua digitis ſiniſtræ apprehenſa, amborum foraminum interſtitium, unico quaſi ictu, incidatur.

VI. Inſuper contingit nonnunquam, quod Fiſtula non ſolum declivis ſit & terminum habeat inferius, ſed etiam à ſpatio intercoſtali ſuperiore ſubtus coſtam ſeſe inſinuet; viz. inter pleuram & coſtam, donec in alterum intercoſtale ſpatium ſubjectum terminetur. In hoc caſu C. Celſus vult, præcidendam eſſe, & eximendam ex utraque parte coſtam. Sic enim loquitur *de Re Med. lib.* 7. *cap.* 4. Solent autem inter coſtas fiſtulas ſubterire, quod ubi accidit, eo loco coſta ab utraque parte præcidenda & eximenda eſt, ne quid intus corruptum relinquatur. Quæ operatio quam difficilis ſit, quam periculoſa, unicuique facilè patet. Hinc potius talis fiſtula pertundatur inſtrumento ab Aquapendente excogitato. Immittatur viz. cannulæ argenteæ & incurvatæ extremitas, ad fiſtulæ fundum uſque, ut exterius ſpectet: dein per cannulam fiſtulę immiſſam impellatur acus longa (quæ non longè à cuſpide foramen habet, & filum ducit) ut fiſtulæ fundus perforetur, & filum per ſuperiorem & inferiorem ſinus portam exeat. Perforato fiſtulæ fundo, eximatur acus per novum ſinus foramen, & fili extremitates colligantur, ut fiſtulę foramina teneantur aperta, ac materia purulenta per inferius effluat, donec ſinus ſubtercoſtalis vel carne repleatur vel agglutinetur. Hunc fiſtulam thoracis curandi apparatum exponit Scultetus *Armament. Med-chir. Tab.* 38. Atquè thoracis fiſtulæ acu pertuſæ, & hoc modo ſanatæ exemplum adfert. *Obſ.* 44.

VII. Sed non rarò quoque accidit, Fiſtulam intus penetrare in Coſtam, vel Claviculam, vel Sternum: quæ oſſa cum ſint cavernoſa, ſolet facilè in iis Pus colligi, & ſerpere perpetuò corruptio vel Coſtæ, vel Claviculæ, vel Sterni. In hoc caſu Candens Ferramentum per Cannulam ad Coſtam aut Claviculam inſeratur, omniſque putredo exſiccetur & abſumatur, parſque corrupta roboretur; ita enim cicatrice obducentur. Vel fiſtulæ ſinu ad coſtam aut claviculam carioſam uſquè, immiſſâ ex *Compreſſa Spongia* vel *Radice Gentianæ* Turundâ, abundè dilatato, oſſi carioſo inſpergatur *Pulvis Euphorbii*, ſicque caries auferatur, ac ſinus conſolidetur. Fiſtulę Thoracis, cum eroſione claviculæ, brevi tempore Curatæ, exemplum videre eſt apud Scultetum *Obſ.* 40.

At verò ſi Sternum corruptum, aut aliqua ſaltem labe affectum ſit, amplianda fiſtula, aut ferramento incidente, aut turundâ ex Compreſſa Spongia vel Radice Gentianæ; dein pars oſſis corrupti abradenda, uſquè dum caro laudabilis paucas poſt horas illi accreſcat. Quod ſi caro iſto temporis ſpatio non ſuccreverit, indicio erit, totum corruptum os non eſſe abraſum, ac proindè raſionem repetendam, donec caro optima adnaſcatur, quò aliis poſtmodum remediis detur locus, & curetur fiſtula. At nunquam deveniendum eſt ad inuſtionem ipſius Sterni, uti rectè monet Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 39. quia non abſcedit, aliorum corruptorum oſſium more: additque ſe obſervaſſe, inuſtum ſterni os in multis non abſceſſiſſe, niſi elapſis duobus tribuſvè annis. Quod idem affirmat Dom. de Marchettis P. F. *Anatomes cap.* 9.

Cæterum Ulcera Fiſtuloſa in Pectoris dextra ſede, juxta papillam, curata: videri poſſunt apud Platerum *lib.* 2. *Obſerv.* ubi habetur quoque Ulcus Fiſtuloſum in Dorſo, à ſcapula ad lumbos uſque pertingens, ſanatum. Fiſtula Mammæ Dextræ curata extat apud Scultetum *poſt Armament. Med-chir. Obſ.* 75. Ex vulnere thoracis Fiſtulam ſubortam, quæ ſpatio aliquot menſium pervadens ad capſulam cordis, hujus ſubſtantiam ad cavitatem uſque abſumpſit, obſervavit Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 47.

VIII. Omnes autem Thoracis Fiſtulæ difficillimam recipiunt curationem, ita ut interdum tum Medici, tum Ægrotantes defeſſi, & ſpe deſtituti, curam ipſi naturæ relinquant: quo in caſu Aquapendens fiſtulę orificio imponit *Pilam ex Cera Alba*, appenſum filum habentem; præcipitque ut quotidiè ea mundetur, ac tractetur, veluti ſi eſſet fonticulus, curando ipſam in poſterum ut fonticulum, non ut fiſtulam; ſicque temporis progreſſu caro gignitur quandoquè per totum fiſtulæ ductum, atque ità fiſtula, alioquin inſanabilis, non rarò ſanatur.

Cap. 16. *De Abdominis Ulceribus, & Fiſtulis.*

I. HAud ſecus ac in *Thorace*, ita quoque in *Ventre Inferiore* quæ excitantur *Ulcera*, alia ſunt *Penetrantia*, alia *non Penetrantia*. Non penetrantia dicuntur illa, quæ peritonæum non perforant: penetrantia vero, quæ uſquè ad partes intrà peritonæum contentas pertingunt.

II. Oriuntur autem Ulcera in Infimo Ventre iiſdem ex Cauſis, ex quibus in aliis partibus excitari ſolent: ex caſu viz. percuſſione, inveterato vulnere, poſt ſuppuratum apoſtema, ex acris erodentis materiæ confluxu, ex acribus medicamentis appoſitis, hiſque ſimilibus. Et ſanè Abdominis Abſceſſus, è quibus poſteà Ulcera relinquuntur, frequentius occurrunt, quam vulgus Medicorum putat. Ità Galenus *lib.* 5. *de Locis Affectis cap.* 7. refert, Steſianum quendam, quaſi abſceſſum in hepate haberet, ab aliis Medicis curatum fuiſſe: id quod Galenus negavit, & monſtravit abſceſſum fuiſſe inter muſculos tranſverſos & obliquos abdominis. Similem ferè hiſtoriam habet Dodonæus *Obſ. Med. cap.* 29. de quodam Scriba, qui cum dextri lateris dolore cum febre eſſet correptus, juxtà ac paulò infra coſtas nothas, Medicumquè accerſiviſſet, qui ipſum ut Pleuriticum curaverat, atque inde pejus haberet, Dodonæum vocavit; qui exhibito primum leni Purgante, Cataplaſma Emolliens applicavit, ac tumore emollito tandem Sectionem inſtituit; cumque ex abſceſſu copioſum pus effluxiſſet, Æger, adhibitis ulceri idoneis remediis, convaluit. Scribit quoquè Sennertus, *Prax. lib.* 3. *part.* 10. *cap.* 8. Vietoris uxorem ſimili tumore ad ipſam ferè ventriculi regionem laboraſſe, qui cum in tantam magnitudinem excreviſſet, ut propemodum duos pugnos æquaret, Sectione eum aperiri curavit: ex quo abſceſſu maxima Puris copia effluxit, magno cum fœtore, fluxitque Pus poſtea aliquot dies, Ægraque, idoneis ulceri curando medicamentis adhibitis, tandem convaluit. Narrat inſuper Fabritius Hildanus *Cent.* 2. *Obſ.* 38. virum quadragenarium, robuſtum, dolore lateris dextri ad finem coſtarum notharum laborantem ad ſe Lauſannam veniſſe. Cum verò nullus tumor appareret, ſed ſaltem dolor cum febricula adeſſet, atque Purgantia, Fomentationes, Cataplaſmata, Inunctiones, Diſcutientia, Reſolventia, & Anodyna per aliquot dies ſine fructu applicarentur, nihilominus dolor punctorius & pulſatorius circà regionem hepatis & peritonæum perſiſteret, etſi in cute nihil appareret, dolore locum affectum monſtrante, Sectio facta eſt: quâ peractâ Pus copiosè effluxit, neque diu poſt febris, dolor lypothymia paulò ceſſarunt; ulcus tamen propter Puris copiam quæ effluxit, per aliquot menſes apertum ſervatum fuit, Ægerque tandem ſanatus. Et certè ſi pus collectum eſſe animadvertatur, maturè abſceſſus aperiendus, ne nimia puris copia colligatur, quę dein vel peritonæum penetret, & in abdominis cavitatem defluat; aut poſtea ſine vitę periculo evacuari non poſſit: cujus rei hiſtoriam habet *Cent.* 2. *Obſ.* 39. de viro quadragenario, qui in dextro hypochondrio abſceſſum

abſceſſum immenſę magnitudinis habebat, ut cutis totius ferè lateris ab ilii eſſe uſque ad coſtas veras, lineamque albam & ſpinam dorſi Puris plena & elevata eſſet, cum dolore continuo, lypothymia, nauſea, appetitus & virium proſtratione. Vocatus Hildanus ob periculi magnitudinem tumorem aperire recuſavit; quod cum poſtea Barbitonſor quidam feciſſet, & vomicam aperuiſſet, maxima puris copia inde effluxit, & dolor quidem aliquo modo imminutus eſt, ſed intra biduum Æger exſpiravit. Unde ille monet, ut juniores Chirurgi in aperiendis magnis abſceſſibus cauti ſint, & materiam non confertim, ſed ſenſim & per vices evacuent. Scribit porrò Petrus Eſtanove *Obſ.* 2. puerum quendam ventris tumore laborantem, hydropicum habitum fuiſſe, cumque umbilicus valdè promineret, apertio tandem facta eſt, ex qua puris laudabilis octo vel decem libræ profluxere, ſicque omnino Æger curatus eſt. Adhæc plurima & admiranda Abſceſſuum Abdominis exempla adferri poſſent, quorum quędam licet videre apud Th. Burnetum *in Theſauro Medicinæ Practicæ libr.* 1. *ſect.* 4. Ex quibus poſteà non exactè curatis, non raro ulcera relinquuntur in abdomine, non penetrantia; imo & nonnunquam penetrantia ſeu fiſtuloſa.

III. Enimverò *in Abdomine* quoque interdum *Fiſtulæ*, in primis ſuper pubis latera fiunt, cum eum in locum humores facilius decumbant, atque ibidem hæreant. Inſuper & corrumpuntur ſæpè, putredine inficiuntur, ac corroduntur ſimul Inteſtina, ut per Fiſtulam etiam fæces alvi egreſſas fuiſſe, compertum ſit. Sic per umbilicum, poſt abſceſſum inter pectinem & umbilicum ruptum, Puero cuidam Mediolanenſi fæces alvi exiiſſe, refert Cardanus *de Subtilitate lib.* 18. Et Alexander Benedictus *Prax. lib.* 10. *cap.* 24. narrat, cuidam Puero Veneto ex abſceſſu inteſtina perforata fuiſſe, ut per umbilicum magnam excrementorum partem ſingulis diebus emitteret; ſano tamen ſimilem per domum ambulaſſe. Scribit quoquè Fabritius Hildanus *Cent.* 1. *Obſ.* 51. ſe vidiſſe adoleſcentem duodecim annos natum qui tumore muſculorum abdominis laborabat, quo rupto excrementa per quatuor aut quinque hebdomades per eum locum, nil verò per alvum egeſſit. Quæ autem in ejus cadavere inventa ſint, ibidem licet videre. Atquè *Cent.* 1. *Obſ.* 54. & 55. ſimiles ferè narrat hiſtorias. Refert quoque Petrus de Marchettis *Obs. Chir.* 53. ſibi viſum Patrem quendam Theatinum, laborantem Fiſtulâ Umbilici, ad inteſtina uſque penetrante, de quorum dolore erant querelæ ex demiſſo ſtatim in eandem ſpecillo; qui tamen brevi temporis ſpatio curatus eſt. Adhæc Platerus *Obſ. lib.* 3. ſcribit, Capitaneum quendam ante multos annos in ventre vulneratum, ſtercus per fiſtulam, quę ſanato vulnere illic remanſerat, multos annos incolumem alioquin, & ſuperſtitem excreviſſe. Etiam de muliere gravida refert, cui tuberculum nucis juglandis magnitudine in ſiniſtra abdominis ſede, tranſverſæ manus ſpatio ab umbilico erupit, quod in abſceſſum, indeque in ulcus ſinuoſum abiit, ex quo aperto ſanies & pus copiosè effluxerunt, tuncque pruritu ſaltem quodam remanente, dolor penitus remiſit, ipſaque nihil mali paſſa, fœtum vivum & ſanum, ſtato partus tempore peperit, niſi quod excrementa alvi, per ulcus illud ſinuoſum apertum progrediebantur; quę ab eo tempore omnia, non amplius per alvum, per hanc aperturam expurgabantur, & ut procederent, mulier ipſa manibus ventrem premendo, bis quotidiè ſic ab illis ſeſe exonerabat. Narrat quoque Chirurgus hujus urbis experttiſſimus Ravenſvvay, ſibi viſum in muliere, ob eroſionem inteſtini, non tantum excrementa, verum etiam duos vivos lumbricos ex inguine prodiiſſe, quę tamen perfectè fuit curata.

IV. Cęterum Penetrantia hæc Infimi Ventris Ulcera dignoſcuntur ex ſtyli vel candelæ cereæ immiſſione: cum nimirum multa horum portio ingrediatur; & ex Vini injectione ſyphone facta. Enimverò in penetrantibus Abdominis ulceribus intrà peritonæum vinum penetrat. In non penetrantibus verò refluit, ſtyliquè ſivè cereæ candelæ pauca portio intrà ulcus ingreditur. Porrò quæ non ſunt penetrantia Abdominis Ulcera, facilioris ſunt curationis. Quę vero ſunt penetrantia, frequenter in Fiſtulas abeunt, & difficulter ſanantur.

V. Ad *Curationem* verò quod attinet: non Penetrantia Abdominis Ulcera, ſicuti aliarum partium ulcera Curari debent, cum nihil peculiare habeant. Atqui Ulcera hæc ſi ſint Magna, Sinuoſa, vel Fiſtuloſa, non aliter quam Inciſione curantur; & quidem ſi Fiſtula unum orificium habeat, utendum eſt Syringotomo altera extremitate acuto, ut finis fiſtulæ perforetur, & totus fiſtulæ meatus diſſecetur, atque aperiatur. Si vero Fiſtula plura orificia habeat, Syringotomo utendum altera parte obtuſo, & exiguum globulum præfixum habente, quo etiam tota fiſtula aperiri poſſit. Vel fiat apertio Cultro ſeu Scalpello Longo, & manubriolum ſimiliter longum habente; qui Culter unâ tantum parte aciem habeat, in extremitate paulò intus recurvatam, exteriorem vero partem retuſam obtineat, ad cujus cuſpidem ex cerâ globulum infixum eſſe oportet, quo intus per totum fiſtulæ ductum ſine obſtaculo demittatur.

VI. At verò ſi Penetrantia & Fiſtuloſa fuerint talia Ulcera, fucatâ curatione, ſicut de Penetrantibus Pectoris Ulceribus diximus, uti debemus, ſervatâ optimâ victus ratione, utque decet deterſo ac mundificato ulcere. Scribit tamen Fabritius ab Aquapendente, ſe iſtiuſmodi Abdominis Ulcera Penetrantia ac Fiſtuloſa, affectis etiam Inteſtinis curaſſe, & curata vidiſſe; non manu, non ferro, non igne, non aliis medicamentis: ſed ſolis *Aquis Thermalibus*, per inſeſſiones mane & veſperi in iis factas, ita ut aqua per fiſtulæ foramen in cavitatem abdominis ingrederetur, inteſtinorumque eroſiones ſuâ ſubſtantiâ pertingeret, & attingendo exſiccaret, purgaret, impleret, tandemque cicatricem induceret. Et in Thermarum defectu *Sulphur, Alumen, & Sal in Aqua liquare & decoquere*, ac Inſeſſiones moliri, utile cenſet.

Cap. 17. *De Veſica Urinariæ, & Pudendorum Ulceribus.*

I. Fiunt quoquè *Ulcera* in *Veſica Urinaria*, vel in *ejus Fundo*, vel in *Collo*; idquè ab affluentibus humoribus acribus; vel Pure è locis ſuperioribus tranſeunte, ibidemquè nimiam ob viſciditatem hærente; aut Medicamentis veſicam exulcerandi vim habentibus, inter quæ pręcipuè numerantur *Cantharides* incautè aſſumptæ. Inſuper poſt inflammationem, & abceſſum veſicę malè curatum, non raro Ulcus relinqui ſolet. Oriuntur quoquè Veſicæ Ulcera à Calculo aſperiore veſicam lædente, quale exemplum refert Platerus *lib.* 3. *Obſerv.* Atquè à vaſorum ruptione & læſione, ex percuſſione, lapſu, vulnere, ac ſimili cauſa violentâ externâ.

II. Cognoſcitur verò hujus partis Ulcus è ſquammulis & pure, quæ cum urina minguntur; nec non gravi urinæ odore, ſi ulcus ſit ſordidum: dolor quoquè adeſt gravis in pectine & pube, quoties Ægri mingunt; nonnunquam etiam cum ulcus ſerpit, ſubcruenta & ſanioſa eminguntur. Urinę quoque difficultas accedit, ſępè & continuus egerendi conatus, ac membri virilis erectio.

An autem in fundo veſicę ulcus conſiſtat, an juxta urinarium meatum, eo diſcernitur: quod ſi in fundo veſicæ

veſicæ fuerit, dolor circa pubem percipitur: ſi verò juxta meatum urinarium, tempore mictionis magis deprehenditur, ac imprimis ubi mingere incipiunt & deſinunt Ægri.

III. Porrò Veſicæ Ulcera ferè incurabilia ſunt; quia in parte ſunt membranoſa, & urina, quæ mordax eſt, continuò illô tranſitu vellicat, & conſolidationem impedit. Periculoſiora autem ſunt iſtiuſmodi ulcera quæ ex eroſione ſunt orta, quam quæ ex aliis cauſis. Etiam difficilius & rarius curantur in ſenibus, quam in juvenibus. Ulcus quod eſt à calculo, non curatur, niſi prius is extrahatur.

IV. In Curatione abſterſionem & conſolidationem quoquè requirunt Veſicæ Urinariæ Ulcera. Interim tamen præcavendum, ne ulcus irritetur, latiuſque ſerpat; ſed ut dolor leniatur danda opera, uti & urinæ ardor ac difficultas. Id quod præſtant Emulſiones ex *Amygdalis, Seminibus quatuor Frigidis Maj. &c.* Atqui ad Ulcus Abſtergendum, ſimulque Leniendum ſumat Patiens bis in die, ſequentis Electuarii particulam magnitudinis avellanæ:

℞. *Therebinth. Venet. crudæ* ℥j. *Caſſiæ Fiſtulæ rec. extr.* ℥iß. *Pulv. Liquiritiæ elect.* ʒiij. *Ocul. Cancr. crud.* ʒij. *Salis Prunellæ* ℈j. *Merc. Dulcis* ʒß. *Balſam. Sulphuris gutt.* xxvj. *Syr. Althææ Fern. q. ſ. M. F. Elect.* Dein ſuperbibat largiorem hauſtum hujus Decocti:

℞. *Rad. Althææ, Conſolid. Maj. Liliorum Alb. an.* ℥iß. *Glycyrrhyzæ raſæ* ℥j. *aut* ℥ij. *Herb. Bugulæ rec.* Mij. *Agrimoniæ, Veronicæ, Pyrolæ, Saniculæ an.* Mj. *Capit. Papaver. cum Seminibus* ℥ß. *Coq. in ſ. q. Aq. Puræ ad* ℔iv. Electuarii loco proderit bis quotidiè ſumere guttas 6. aut 7. *Balſami Sulphuris Therebinthinati,* vel *Succinati,* vel *Balſami Copaive,* vel cochlear *Aquæ Gonorrhœalis Quercetani.* Vel mane & veſperi uſurpentur *Pilulæ ex Therebinthina, Liquiritia, Troch. Alkekengi, &c.*

Barbette ſequentes laudat:

℞. *Troch. Alkekengi, de Carabe, Gypſi Uſti an.* ʒß. *Boli Armeni, Terræ Sigillatæ, Cranii Humani an.* ʒj. *Therebinthinæ Venet. q. ſ. F. S. A. Pilulæ piſi magnitudine.* Multi hoc in caſu miris laudibus extollunt *Trochiſcos Gordonii.* Ulcus enim mundant, dolorem ſedant, & urinæ ardorem mitigant, ſimulque conglutinant.

V. Interea in Veſicam per Catheterem infundatur *Lac recens cum Melle Roſaceo.* Et certè quæ per Catheterem injiciuntur non rarò tantum proſunt, quam ore ſumpta; cum longa à ventriculo ad veſicam via ſit, in qua vires medicamenti non parum alterantur. Barbette hanc proponit Injectionem:

℞. *Aq. Calcis Vivæ* ℥iij. *Plantaginis* ℥j. *Sief Albi Rhaſis* ʒj. *M. pro Injectione, ſingulis diebus ter quaterve uſurpanda. Aqua Calcis* nihil aliud eſt, quam *Aqua Communis, in qua Calcis Vivæ particula ſit extincta.* Sed cavendum, ne acris nimis efficiatur.

VI. Ulcus verò quod eſt à *Calculo* non curatur, niſi Calculus tollatur: quem tamen extrahere nonnunquam periculoſum eſt propter ulcus. Ideoque ſi ulcus ſit profundum, tutius eſt Emplaſticis & Lenientibus ſaltem Medicamentis uti, ut lapidi quædam lævitas inducatur, ulcuſque mitigetur; quod optimè fit *uſu Lactis Dulcis, in quo Althææ Radix ſit decocta.*

VII. Si Ulcus ſit *à Cantharidibus* atquè id recens, *Lac Dulce* copioſè bibendum; vel ſumenda *Emulſio ex Seminibus quatuor Frigidis Maj. Papaveris Albi, &c.* Vel *Emulſio fiat ex Semine Cannabino, addito colaturæ Syrupo Althææ Fern.* Dein conſolidandum cum *Tragacantha, Bolo Armeno, Terra Sigillata,* ſimilibuſque. Si verò antiquum ſit, ut alia ulcera tractandum.

Inſignem ulceris veſicæ curati hiſtoriam licet videre apud Fabric. Hildanum *Cent.* 3. *Obſ.* 69. Adhæc veſicæ ulcus, multis aliis fruſtrà tentatis remediis, tandem *Aquarum Spadanarum* continuò uſu ſanatum fuiſſe, refert Tulpius *Obſ. Med. lib.* 2. *cap.* 53.

VIII. At verò in *Virili Pudendo* non rarò etiam excitantur *Ulcera*; eaque ſunt vel externa, vel interna; atquè alia ſunt in præputio, alia in glande, alia circa glandem, alia per reliquum membrum: inſuper alia ſunt puſtulis ſimilia, alia ſicuti excoriatio, alia corroſiva & virulenta; alia porrò recentia ſunt, alia antiqua, putrida, & cavernoſa.

IX. Horum Ulcerum origo aliquandò eſt à cauſa externa, ut à difficili ac violento coitu cum virgine vel fœmina, cui anguſtius pudendum eſt; vel à coitu non difficili quidem, ſed multiplicato nimis, Penemque inflammante; uti & è dura longaquè equitatione: quandoque à cauſis internis, uti à ſorde ſimplici & non contagioſa inter glandem & præputium hærente, ibique putreſcente, contracta ex coitu cum muliere non infecta. Hinc enim puſtulæ exiguæ inſtar granorum milii è glandis ſuperficie emicare ſolent, quibus maturatis ruptiſque ulcuſcula rotunda, & in medio punctum albicans habentia expullulant, aliàs diſperſa, aliàs ita denſa, ut ex pluribus unum tandem fiat.

Præterea è Contagio excitari poſſunt hujuſmodi ulcera, ut iis accidit, qui rem cum infecta muliere habent; viz. ex ſeminali humore corrupto, ac inter glandem & præputium retento, partemque iſtam erodente, exulcerante.

X. Sunt autem manifeſta ſatis partis hujus Ulcera, cum glans à præputio denudari poſſit, & ideò aliis ſignis non eſt opus. Si verò propter tumorem præputium deorſum trahi non poſſit, & ulcera oculis non appareant, tunc dolore, tumore, & ſaniei ejectione dignoſcuntur.

XI. Cæterum periculoſa ſunt Ulcera in Pene, utpote in organo fungoſo, hinc & corruptioni facilè obnoxio; unde ſerpunt facilè, & difficulter ſanantur, inprimis quum urina per penis meatum effluens curationem impediat. Præterea pars ipſa ſenſu exquiſito prædita eſt; qua de cauſa iſtiuſmodi ulcera Acria Medicamenta ſuſtinere non poſſunt, quæ alioquin hîc prodeſſent. Ulcera quæ à Lue Venerea in his partibus excitantur, non curantur, niſi morbo illo prius curato; cum ab ejus malignitate foveantur.

Inſuper ulcera hæc aliquandò in cancrum abeunt, vel gangrænam inducunt, ut totum membrum virile abſcindere opus ſit, cujus rei habent exempla Valeſcus de Taranta, Fabritius Hildanus, aliique.

XII. Quando igitur Penis Ulcera parva & benigna ſunt, Topicis facilè curantur; atquè in hujus partis excoriatione ſufficit partem *Vino Gallico*; vel *Aquâ Roſaceâ & Plantaginis, cui & Vinum addi poteſt,* identidem abluere; & ſi majori exſiccatione opus ſit, iis parum *Aluminis* addatur: vel illinatur *Unguentum de Tutia,* aut *Album Camphoratum* aut *Diapompholigos,* ſimilevè. Enimverò Medicamenta in ulceribus hiſce conducunt, quæ inſignem ſiccandi vim habent, & hoc non ſolum ulceris, ſed & partis affectæ ratione, qualia ſunt *C. C. Uſtum, Oſtreorum Ebur Uſtum Conchæ Combuſtæ Alumen, Tutia, Lithargyrum, Plumbum Uſtum, Æs Uſtum, Flos Æris, Ceruſſa, Antimonium,* & ſimilia; ex quibus Pulveres, Linimenta & Lotiones parari ſolent v. gr.

℞. *Aq. Ferratæ* vel *Plantaginis* ℔j. *Raſur. Corti Guajaci* ℥j. *Aluminis* ℥ß. *Roſar. Rubr.* ʒj. *Coq. S. A. & colentur. Abluantur ulcera hoc Decocto ſæpius.*

℞. *Aq. Decoctionis Mytilorum q. v. Florum Æris q. ſ. Stent in digeſtione ad radios ſolares aliquot dies, dein liquor. decantetur, eòque frequenter abluantur hujus partis ulcera.* Si verò Ulcera fuerint antiqua, fœtida, putrida, ſanioſa, calloſa, virulenta, ac ſerpentia, inprimis abluenda ſunt *Hydromelite cum Alumine*; cui & *Spiritus Vini* addi poteſt. Vel,

℞. *Vini Albi* ℥j. *Aq. Plantaginis, Roſarum an.* ℥ij *Floris Æris* ʒß. *Aluminis Crudi* ʒiß. *Miſceantur, & parum ebulliant.*

Utile quoquè eſt *Unguentum Ægyptiacum*, & *Apoſtolorum*, ut & *Aqua Viridis* ab Hartmanno & Platero deſcripta, ac identidem laudata *Aqua Aluminoſa* vel *Mercurialis*.

℞. Etiam *Mercurio Præcipitato Rubro cum Linimento conveniente mixto* utendum; non tamen in ejus uſu diu perſiſtendum: ſed quandò quod calloſum & virulentum abſumptum eſt, fovenda pars affecta *Decocto Malvæ Althææ, Seminis Lini, &c.* & Medicamentum Digeſtivum idoneum ulceri imponendum, donec quod corruptum eſt ſeparetur, ut in curatione luis venereæ fieri ſolet.

Si verò Penis & Præputium valdè intumuerint, *Cataplaſma imponatur ex Floribus Camomillæ, Sambuci, Meliloti, Roſarum, Farina Seminis Fœnigræci, & ſimilibus.* Quod ſi nec hoc modo pars exulcerata detumeſcat, & dolor perſeveret, ulcuſque ſerpat, præputium ſecundum longitudinem incidendum, ut ulcus mundari, ac convenienti modo curari poſſit. Hoc tamen in Ulceribus Penis Curandis ſemper eſt obſervandum ne pendens pudendum teneatur; verum ſuſpendatur, & ſuperioribus partibus alligetur, ità tamen, ne dolor excitetur.

At ſi gangræna & ſphacelus Penem corruperit, tutiſſimum eſt, id quod corruptum, vel etiam ſi opus ſit, totum Penem abſcindere, & Medicamenta poſteà, quæ in aliarum partium gangræna & ſphacelo adhibentur, uſurpare. Exemplum hujus rei habet Foreſtus *Lib. 26. Obſ. 6.* de quodam, cui Penis poſt inflammationem ità putrefactus fuit, ut cataplaſmati adhærens exciderit, & putrefactio Scrotum quoquè occuparit, Ægro nihilominus, idoneis medicamentis adhibitis, vivo manente, & ex ventre per foramen ſaltem urinam emittente. Similè prorſus hiſtoriam refert Fabritius Hildanus *Cent. 3. Obſ. 88.*

XIII. Sed accidit aliquandò, quòd *Ulcera* oriantur in *Virga, hoc eſt*, in *Meatu Urinario*: viz. ex tuberculo ſeu apoſtemate intus oborto; vel ex urina acri; vel ex calculis aſperis & anguloſis, qui inter tranſeundum meatum hunc lædunt; vel, quod frequentius fieri ſolet, ex ſemine acri & virulento, uti in gonorrhæa virulenta neglecta & inveterata contingit.

XIV. Cognoſcuntur autem Meatus Urinarii Ulcera præcipuè ex dolore, qui inter mejendum percipitur, & ex pure quod ante urinam excernitur. Inſuper ex tactu & compreſſione ulcerata pars invenitur, cum in parte ulcerata ex compreſſione dolor excitetur. Ad hæc Penis interdum tenſus & aliquantiſper tumidus eſt, doletque, & ad inferiora curvatur, nec niſi inter femora indolenter teneri poteſt.

XV. Ulcera hæc ſi ex virulenta gonorrhæa oriuntur, non ità facilè ſanantur, niſi ſublatâ penitus gonorrhæâ: quæ verò ab aliis humoribus eveniunt, *Emulſione Seminum Melonum & Cucumeris, ac Amygdalarum*, per plures dies uſurpatâ, ſæpè ſanantur. Curantur autem hujus partis ulcera, venerea in primis, facilius in juvenibus; è contrario in ſenibus raro aut nunquam curationem ſuſcipiunt. Sed curatio ſemper maturanda. Niſi enim maturè curentur, vel Carunculę in Meatu Urinario gignuntur, quę urinæ emiſſionem impediunt; vel ad interiora proſerpit malum, & vel veſica, vel perinæum, aliævè altè exulceratæ partes ad ſummam uſque cutem exeduntur, ut per varias partes vicinas ad anum, ſcrotum, ipſumque penem urina, quaſi cuniculis factis, continenter effluat: ſicquè Fiſtuloſa evadunt, & non rarò vix curabilia hujuſmodi ulcera.

De Fiſtulis in Perinæo audi Hildanum *Cent. 3. Obſ. 75.* „ Videant Juniores Chirurgi, ut in prognoſtico fiſtularum perinæi ſint prudentes. Si enim ex „ cauſa interna facta fuerit fiſtula, nunquam perfectè ſanatur. Obducitur quidem nonnunquam cicatrice, ſed „ facillimè à cauſa aliqua interna recrudeſcit, & non„ nunquam, ſi ad tempus clauſa perſiſtit, graviſſima „ ſymptomata ſubſequuntur; uti porrò exemplis demonſtrat: quapropter monet, ne Ægri tantoperè de integra & perfecta conſolidatione harum fiſtularum ſint ſolliciti.

XVI. Igitur ulcus hoc ut detergeatur & conglutinetur, atquè adeò ritè curetur, meatui urinario per ſiphonem injiciatur *Aqua Hordei*, vel *Lac Dulce cum Melle Roſaceo.* Vel talis, aut ſimilis fiat Injectio:

℞. *Lactis Dulcis in quo Silices Igniti extincti ſunt* ℥xij. *in eo diſſolv. Mellis Roſacei* ℥iß. *Mucilag. Gum. Tragacanthæ, & Rad. Conſolidæ an.* ʒß. *Therebinthinæ in Ovi Vitello ſolut.* ʒj. *Ceruſæ* ʒiß. *Pomphol. Alb.* ʒj. *Miſceantur diligenter, triduoque vel quatriduo renovetur, ne Lac aceſcat, aut Mucilagines corrumpantur.*

℞. *Lithargyri, Ceruſſæ, Tutiæ Præparatæ an.* ʒj. *Sacchar. Cand.* ℥ß. *Camphoræ* ℈ß. *Aq. Roſarum, Plantaginis an.* ℥iv. *Miſceantur pro Injectione*; cui addi poteſt *Aluminis* ʒj. Ad cicatricem inducendam utile eſt hoc;

℞. *Aq. Plantaginis, Roſarum an.* ℥iv. *Troch. Alb. Rhaſis* ℥ß. *Boli Armeni* ʒß. *Miſceantur.* Eſt quoquè efficax valdè *Balſamum Peruvianum*, illinendum tenui candelæ cereę, quæ dein virgæ immittatur.

Petrus de Marchettis ulcera hæc curat Candelis tenuibus, *compoſitis ex pulveribus Plumbi Uſti, Ceruſſæ, Tutiæ Præparatæ, mixtis cum Cera*, in urethram immiſſis, & continuò ibidem detentis: mejendi tamen pruritu ſollicitante, educantur. Verum & obſervandum, non eſſe immittendas fluente gonorrhæâ, ne ab iiſdem ſuppreſſa exulceret collum veſicæ, & alias partes proximas: atquè ſi malignitatis aliqua ſuſcipio ſubſit, eædem Candelæ imbuendæ *Unguento Albo Camphorato, miſto cum Præcipitato Rubro*, abſque ullo metu, ne hoc exulceret partes ſanas; tum quia eſt correctum Unguento Albo Camphorato; tum quia non excoriare eas ſolet, ſed tantummodò extinguere malignitatem ulcerum, quæ, eâ ſublatâ, dictis Candelis poſtmodum facillimè ſanantur.

Interim Patiens bibat *Emulſionem ex Seminibus quatuor Frigidis, Amygdalis, &c.* Nec non ſubinde ſumat cochlear *Aquæ Gonorrhœalis Quercetani*; vel aliquod ex medicamentis in Veſicæ Ulceribus propoſitis, quo urinæ meatum perlabente, ejuſdem vi exſiccante & conſolidante Ulcera Urethræ facilius conſolidentur.

XVII. Cæterum iſtiuſmodi Ulcera quia perforare ſolent Uretham cum integumentis, aliquandò in *Perinæo*, quandoque in *Scroto*, ab illis tandem oriuntur *Fiſtulæ*: quæ ſi in Perinæo ſint, abſente gonorrhæâ, pars calloſa circà urethram, parteſque vicinas, impoſito Cauterio Potentiali abſumenda; vel Ferramento Candente inurenda, quò caro illi accreſcat, & ad cicatricem deducatur fiſtula: hac tamen cautelâ, ne urethra ipſa erodatur vel inuratur, atque fiſtula amplior fiat: vel alioquin Fiſtula uſque in urethræ cavitatem incidatur, & dein Sarcoticis ac Epuloticis cicatrice claudatur.

XVIII. Si verò pars urethræ ſcroto oppoſita Fiſtulâ laboraverit, urina ex ipſa effluens ſcrotum corrodit pluribus foraminibus: quæ curatio ardua & difficilis eſt, licet eandem felici ſucceſſu aliquoties tentaverit Petrus de Marchettis, hac methodo: expurgato prius corpore, & exhibito *Decocto Guajaci, Salſaparillæ, Chinæ, &c.* ad ipſam partem affectam accedit, quæ ſi multiplex ſit, omnes fiſtulas ſecat, & per candelam propoſitam omnem operam in ſananda urethra adhibet; cum alia ratione fiſtulę ſcroti non omninò ſint ſanabiles, niſi curâ palliativâ, qua denuò recrudeſcunt: quod ſi non poſſit curari urethra candelâ propoſitâ, ſcrotum ſecandum, uſq; ad illius fiſtulam, ipſaque inurenda, vel Potentiali Cauterio conſumenda materia ejus calloſa, & ſectæ partes Sarcoticis carne replendę, tandemque Epuloticis cicatrix inducenda. Idem refert *Obſ. 59.* hiſtoriam cujuſdam, cui ex inveterata virulenta gonorrhæa, collum veſicæ, prope urethram, variis fiſtulis fuit pertuſum, cum effluxu urinę non ſolum ex ſcroti pluribus locis, verum etiam ex inguinibus, Ægro tamen ſanitati præter ſpem reſtituto.

XIX. Non-

§. XIX. Nonnunquam *Caruncula*, *Callus Carnoſus*, *Verruca*, aut omninò *Carnoſa Excreſcentia* in *Meatu Urinario* naſcitur. Id quod ſæpè iis accidit, qui gonorrhæâ virulentâ, & hinc orto ulcere in meatu urinario laborant. Talia enim ulcera ſi negligenter tractentur, *Caruncula* ſeu *Excreſcentia quædam Carnea in Urethra* relinquitur, urinæ difficultatem inferens. Enimverò ſuccreſcens inibi caro, primùm mollis & exigua eſt; ſed temporis progreſſu ità induratur, & augetur, ut urinam non rarò omninò ſupprimat.

XX. Dignoſcitur autem hoc malum, quod liberè non excernatur urina, ſed difficulter & guttatim exeat; idque aliquandò tanto cum cruciatu, ut Æger nonnunquam alvinas fæces ſimul egerat, haud ſecus ac veſicæ calculo laborans. Adhæc dolor in mictionis fine magis diſcruciat, quam dum urina profluit. Exploratur quoque caruncula cathetere, vel candelâ cereâ in meatum urinarium immiſſa, quę toties in via offendit, quoties carunculæ obſtruentes occurrunt. Inſuper compreſſo digitis pene, durum tuberculum deprehenditur.

Porrò indagandum, num caruncula meatui urinario innata ſit recens, num inveterata. Nam quantò antiquior eò difficilius curatur, quia in callum non rarò induratur. In genere omnis caruncula in hac parte oborta difficulter abſumitur, ob loci anguſtiam, & tractandi difficultatem.

XXI. Abſolvitur verò Curatio carnem abſumentibus, ulcuſque conſolidantibus; auſpicando ſemper à mitioribus, progrediendumque ad acriora, ſi ex uſu fore videantur. Alfonſus Ferrius, *l. de Caruncula ſeu Callo* ſpecillo carunculam diſſolvere tentat: „ Nec eſt, *inquit*, „ cur ſanguinis effuſionem timeamus, ſaluberrima enim „ ea eſt; quinimò tum Chirurgicum opus proſperè ſuc- „ cedit. Vidimus enim plures ſolâ ſpecilli ope curari, „ cum in carunculam penetraverit: urina namque egre- „ diens ſuâ abſtergendi atque exſiccandi vi, ſine ullo „ alio artis præſidio, ſanare poteſt.

Hinc carunculam curandi methodum violentam prodidit modò Galenus *l. de Loc. diff.* viz. ut æneâ fiſtulâ caruncula deteratur. M. A. Severinus de *Effic. Chir. p. 2. de Section. cap.* 114. hanc operationem quoquè commendat, refertque Hieron. Cardanum teſtari, ſe vidiſſe perforatâ cathetere carunculâ rem optimè ceſſiſſe; tametſi ſanguinis & ſaniei multum profluxerit. Quam rem & ſibi compertam eſſe teſtatur. Adhæc Paræus inquit: „ nec debemus terreri, ſi per intervalla ſanguis „ ex lacerantibus carunculis fluere cernatur. Eſt enim ad „ curationem compendium; quia materiæ conjunctæ „ portione ſublatâ, incrementum ejus prohibetur, „ pars ipſa pondere premente levatur. Itaque niſi talis „ hæmorrhagia ſponte ſupervenerit, utile erit eam pro- „ vocare inſtrumento duriore, quam eſt ipſe catheter. „ Sicquè carunculas cathetere atterendas vult, eundo, „ ac redeundo toties per eandem viam, quoties ipſis atterendis & comminuendis neceſſe videbitur; attritaſque ſanguine multò manare ſuadet, ad affectæ partis levamen. Sed contrà hos, & in primis Alfonſum Ferrium, acriter inſurgit Julius Palmarius *lib. 2. de Lue Venerea cap.* 10. ubi hęc habet: „ falſum eſt, quod ſcriptum „ reliquit Alfonſus Ferrius, Chirurgicum opus rectè ac „ proſperè ſuccedere, quum caruncula ſpecillo repug- „ nat, eoque ſuperata ſanguinem multum profundit. Sic „ enim curatos non paucos notavi inflammatione pre- „ henſos, ac jugulatos ante ſeptimum diem: multoque „ magis quod ait, urinam abſtergendi, ſiccandique, „ qua pollet facultate, ſine artis beneficio ſæpè perſanare „ carunculam. Nam ſi recens genitum ulcus, ſive in „ cervice veſicæ conſiſtat, nec abſtergere, nec ſiccare „ urina poteſt, quomodo genitam jam carunculam atte- „ ret, atque adæquabit? Ego quidem urinâ acriore „ nec ſiccari, nec cicatrice obduci ulcera, ſed potius „ augeri, atque exaſperari notavi.

Barbette *in Chirurgia* ſcribit, ſe multoties hujuſmodi carunculas integrè curaſſe uſu Suppoſitoriorum exilium ex ſequenti Unguento, leni coctione incraſſato;

℞. *Unguenti Fuſci Fel. Wurtzii, Mellis Roſacei an.* ℥ij. *M. F. S. A. Unguentum.* Vel,

℞. *Lithargyri, Flor. Sulphuris an.* ℥iij. *Tutiæ Præparat.* ℥ij. *Minii* ℥ß. *Unguenti Ægyptiaci* ℥j. *Mellis Roſacei q. ſ. M. F. S. A. Unguentum. Quod illinatur candelæ cereæ, eaque in urethram immittatur, bis tervè quovis die renovando; uſque dum mundificatio abſoluta ſit.*

Hieronymus Reuſnerus *Obſ.* 91. refert, carunculam meatus urinarii certiſſimo experimento in pluribus ſuſtuliſſe Antonium Fuchſium Medicum Norinbergenſem: *Oleum Succini cum Ovi Vitello mixtum* applicabat candelæ cereæ, quam meatui urinario immittebat. Sanè ſecurum remedium, & reliquis omnibus prҿferendum, ſi reſpondeat eventus. Nam in carunculis meatum urinæ obſtruentibus cavendum, ne malum acribus medicamentis irritetur: lenientibus & validè ſiccantibus, ſi fieri queat, potius curetur. Inter mitiora ſiccantia & leviter admodum corrodentia præ cęteris commendatur *Pulvis Sabinæ.*

Emplaſtrum quô Doctiſſimus Fernelius uti ſolebat:

℞. *Aloës Optim.* ℥ij. *Myrrhæ, Ariſtolochiæ an.* ℥iß. *Tutiæ Præparat.* ℥ß. *F. omnium Pulvis, ex quo cum Styrace Liquida fiat maſſa, quæ Emplaſtri craſſitiem habeat.* Cereolo è quo ceræ tantillum abraſum ſit, qua parte carunculam attingere oportet, agglutinetur: idquè penis calore liqueſcens, tuberculum cui inſidet, abſumit.

Si Alfonſo Ferrio credimus, omnem carunculam tutiſſimè, ac ſine dolore ſenſim radicitus exedit & exſiccat id, quod ſequitur;

℞. *Sabinæ in umbra ſiccatæ, & tenuiſſimè tritæ* ℥iß. *Cerati de Mucilaginibus* ℥ß. *Miſceantur.* Egregium Unguentum ad carunculas in meatu urinario abſumendas, hoc eſt

℞. *Ceruſæ Præp.* ℥ß. *Tutiæ prap. Corall. Rubr. Præp. Lithargyri, Sarcocollæ, Camphoræ cum Oleo Roſaceo tritæ an.* ℥ß. *Aloës, Maſtichis, Olibani an. gr.* vj. *Plumbi Uſti & loti* ℥iß. *Antimon. præp.* ℈ij. *Troch. Alb. Rhaſis ſine Opio* ℥ß. *cum ſ. q. Olei Roſacei, & Amygdalar. Dulc. F. S. A. Unguentum; quod candelæ cereæ ope carunculæ identidem admoveatur.*

Vel ne aliæ partes, prҿter carunculam in meatu urinario tangantur, nevè effluens per intervalla urina medicamenta applicita eluat; immittatur peni Cannula Argentea, tenuis, à latere perforata, & aperta foramine, quod magnitudini carunculę reſpondet, eamque excipit; dein vel ſpecilli, vel tenuis candelæ cereæ ope medicamenta applicentur, cannulaquè ibidem relinquatur.

Haud multum abſimile excogitavit inſtrumentum Hier. Fabric. ab Aquapendente, cujus beneficio nil niſi caruncula abſumitur, prohibeturque ne medicamentum carunculæ admotum ab urina, quæ ſæpius excernitur, elui poſſit. Fit autem Cannula ex linteo, cerâ albâ oblinito, (longitudine digiti tranſverſi, & latitudine eâ, ut ęquet argenteum catheterem) quæ filum longum habet appenſum. Hæc Cannula prius extrinſecus idoneo medicamento ſit oblita, quale eſt propoſitum Unguentum, vel id, quod, teſte Sculteto, carunculas meatus urinarii abſque dolore, & ſanarum partium excoriatione, conſumit:

℞. *Mellis Communis in cineres uſti, Tutiæ Præp. Butyri rec. in Aq. Plant. loti, Therebinthinæ ſimiliter lotæ, Ceræ Flavæ an.* ℥ß. *Aluminis Uſti* ℥ß. *M. F. Linimentum.* Cannula igitur medicamento oblinita, ſtylo extra fiſtulam argenteam prominenti adaptetur, atque una cum argentea fiſtula & ſtylo, in meatum urinarium immittatur, donec occurrat carunculæ. Et cum jam eſt in loco carunculæ, argentea fiſtula cum ſuo ſtylo retrahatur: cannula verò ex linteo cerâ inducto parata, & immiſſa relinquatur in meatu, ut per eam urina excernatur; quæ ſimul prohibet, ne medicamentum carunculę admotum ab urina elui poſſit: filum autem dictæ cannulæ appenſum trahitur, cum volumus ut cannula cerea foràs trahatur, & medicamentum renovetur.

Gabriel Fallopius, *lib. de tumorib. pr. nat. cap.* 58. pro Caruncula in Meatu Urinario inter alia unum familiare habet

habet ſecretum, *Arſenicum* ſc. quo utitur hoc modo. Emollit ipſum ſuper lapide pictorio cum *Succo Limonum*, poſtea ſoli, donec ſiccatur exponit, dein ipſum diluit *Aceto Stillatitio*, iterumque ſub ſole ſiccat, & hoc quater facit. Ultimâ vice abluit *Aqua Roſaceâ*, deinde cum Cerato aliquo miſcet, ut cum *Diapalma*, vel *Diachylo*, vel cum *Oleo Roſaceo & Cera*, facitque Emplaſtrum pro ratione duritiei carunculæ. Adhæc minimam portiunculam hujus Medicamenti ponit in extremo candelæ cereæ, ac quotidiè ſemel vel bis in meatum urinarium feliciſſimè immittit. Interim tamen ſi dolor, aut inſolitus rigor, aut febris, aliudvè ſymptoma ex acrimonia admoti medicamenti acciderit, extrahenda candela vel cannula medicamento oblinita, meatuſque urinarius eluendus *Lacte recenti calido*, aut *Aquâ Roſaceâ cum Camphora*, idque tamdiu, donec ſedata illa impedimenta videbuntur.

Signa autem extirpari carunculam, habentur è mordicatione circa partem, & è copia effluentis puris.

Carne abſumptâ, ulcus abſtergendum, eique cicatrix dein inducenda, quod nullo medicamento meliùs perficitur, quam *Amalgamate Mercurii*, *ſi Unguento Diapompholigos miſceatur*: hoc unguentum modis nunc expoſitis carunculæ admoveatur, & ſæpius renovetur; vel eo inuncta candela cerea urethrę inſeratur.

Atqui abſumpta caruncula & abſoluta curatio creditur, quum urina liberrimè ac citrà ullum dolorem effluat, & candela cerea (etiam parte craſſiore) vel catheter ſine ullo offendiculo tranſeat, & in veſicam facilè intromittatur. Enimverò horum remediorum viciſſitudine nulla eſt tam inveterata, neque tam contumax caruncula, quæ non ſemper, ſenſim, ac ſine dolore exedatur, ac radicitus extirpetur; modo prudenter ea adhibeantur, & bene valeat reliquum corpus.

XXII. Cæterum inter Pudendorum Ulcera meritò numerantur *ea*, quæ *teſtium* ſunt. Enimverò poſt inflammationem interdum Ulcus in Teſtibus relinquitur: & Scroti Ulcera nonnunquam Teſtibus communicantur. Suntque hæc ulcera valde periculoſa, & ſæpè in cancrum abeunt, aut in gangrænam terminantur.

At verò ut ritè curentur, primò corpus convenienti modo purgandum: deinde ulcus mundandum *Unguento Apoſtolorum* vel *Aureo*, vel ſimili; mundatum autem & abundè deterſum, conſolidandum & cicatrice claudendum Epuloticis ſæpius propoſitis.

XXIII. In *Utero* quoque, & præcipuè in *Ejus Cervice* & *Collo* non raro contingunt *Ulcera*. Sunt autem talia Ulcera nunc magna, nunc parva, nunc ſuperficiaria, nunc profunda, nunc ſimplicia & munda, nunc ſordida, erodentia, depaſcentia, maligna. Quæ ſi diutius protrahantur, aut negligentius curentur, non raro in *Fiſtulas Calli Uterini* degenerant.

XXIV. Cauſæ verò Uteri cervicem vel Vaginam Exulcerantes ſunt vel Internæ; affluxus viz. acrium humorum diuturnus, id quod in fluore muliebri albo diu nimis protracto accidit; & ſi ut acres, maligni, pravique humores cum ſanguine menſtruo in hanc quaſi corporis muliebris ſentinam confluunt, & per hunc locum evacuantur; aut ſecundinę corruptæ, lochia item diu poſt partum retenta & corrupta; inflammationes in abſceſſum converſæ, qui ruptus poſtea in ulcus abit: vel Externæ & Evidentes; acria viz. & erodentia medicamenta; partus difficilis, cum grandior fœtus, pręſertim à minus perita Obſtetrice extrahitur; violentus concubitus, imprimis cum lue venereâ vel virulentâ gonorrhæâ infecto; contagium namque venereum iſtiuſmodi ulcera ut plurimum inducit. Tandem vulnus, caſus, percuſſio, quæ in aliis locis, ſi non rectè tractentur, ulcera excitare poſſunt, hîc quoque, rarius, locum obtinent.

XXV. Hoc autem Ulcus cognoſcitur primùm ex dolore & perpetua mordicatione eo in loco, quæ ſenſim augetur & intenditur, ac inprimis ſi tangatur, ut & in concubitu; mariti namque congreſſum ægrè perferre poſſunt. Inſuper punctiones acutas in pube, ardoreſque vehementes circa pudendum & anum experiuntur, cum dejiciendi conatu maximo, & ſtupore circa ſedes inferiores. Deinde viſu cognoſci poſſunt ſi in extremitate vaginæ conſiſtunt. Adhæc ex effluente pure, quod interdum eſt doloris; expers, uti & odoris, interdum flavum, viride, fœtidum, prout ulcus nunc mite eſt, nunc ſordidum.

Si iſtiuſmodi Ulcus in Fiſtulam degeneravit, cognoſcitur ex ipſa figura ulceris, quæ in formam fiſtulæ protenditur. Habetque fiſtula conjunctum callum, funditque tenuem ac pravam ſaniem, & præcipuè ſi locus prematur plus ſaniei effluit. Adhæc Colli Uterini Fiſtula aliquando ad Veſicam uſque penetrat, & tunc per fiſtulam urina exſtillat, aliquandò ad Anum, ut etiam excrementa alvi per fiſtulam exeant. Sed monendi hîc ſunt juniores Practici, non rarò Anatomes minus periti, ne unquam meatum urinarium (cui inſignis præeſt caruncula) pro fiſtula pudendi muliebris tentent curare, uti ille Barbitonſor, cujus meminit Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 60.

XXVI. Hæc Colli Uterini Ulcera periculo non vacant, nullumque ex his contemnendum, ſuntque difficilia curatu; cum ſint in parte tenera, exquiſito ſenſu prædita, & humida, ac ſuſcipiendis humoribus valde idonea, atque hinc inflammationi & putredini obnoxia; ita ut levis etiam excoriatio requirat diligentiam, ut rectè ſanetur, ne in gravius ulcus abeat.

XXVII. Quoad *Curationis Præcepta* hîc eadem erunt, ac in aliarum partium ulceribus curandis. Igitur univerſalibus præmiſſis, ad ulceris deterſionem frequenter in Collum uteri Metrenchytâ injiciatur *Serum Lactis*, *cui vel Saccharum*, *vel Mel Commune*, *vel Mel Roſaceum ſit admixtum*. Vel fiat talis Injectio:

♃. *Therebinth. Venet.* ʒij. *Vitellum unius Ovi. Mucilag. Seminis Cydoniorum* ℥j. *Diſſolvantur cum Seri Lactis*, *Aquæ Plantaginis an.* ℥vj. *Pro injectione.*

Si autem dolor magnus ſit, ad eum leniendum ità immutetur:

♃. *Aq. Roſarum, Plantaginis, Spermat. Ran. an.* ℥ij. *Opii diſſol.* ℈j. *Albumen unius Ovi. Olei Roſacei* ℥ij. *Agitentur probè pro Injectione.*

Etiam doloris ulceriſque causâ, hoc vel ſimile præſcribatur Unguentum; quod cum linteo diſcerpto Uteri Vaginę intrudatur:

♃. *Mucilag. Seminis Pſyllii cum Aq. Roſ. facta* ℥ij. *Troch. Alb. Rhaſis cum Opio*, *Butyri Rec. an.* ℥ß. *Vitellos duorum Ovorum. Miſceantur ſimul pro Unguento.*

Ad ardorem quoque & cruciatum, qui hujus partis ulceribus utplurimum adeſſe ſolet, conducit *Emulſio ex Seminibus Melonum, Cucumeris, Papaveris, Amygdalis, &c.*

Et ad majorem deterſionem ac ulceris ſanationem, hęc fiat Injectio:

♃. *Rad. Conſolidæ, Althææ an.* ʒvj. *Biſtortæ* ℥ß. *Herb. Plantaginis, Equiſeti, Conſolidæ Saracen. an.* Mj. *Sem. Lini* ℥j. *Pſyllii* ʒij. *Hordei Mund. p.* j. *Decoq. in ſ. q. Aq. Communis ad* ℥xvj. *colaturæ add. Mellis Roſacei* ℥ij. *Sacchar. Thomæi* ℥j. *Miſceantur pro Injectione.*

Dein Unguentum admoveatur, ex *Unguento de Tutia*, *Nutrito*, *Albo Camphorato*, *Diapompholigos*, ſimilibuſque. Vel præſcribatur tale;

♃. *Pulv. Iridis Florent. Lithargyri*, *Flor. Sulphuris an.* ʒij. *Maſtichis* ʒj. *Merc. Dulcis* ℥ß. *Unguenti Fuſci Felicis Wurtzii* ʒij. *Mellis Roſacei q. ſ. M. F. S. A. Linimentum.*

♃. *Unguenti Roſacei* ℥j. *Merc. Præcipitati Albi* ʒiß. *Miſceantur exactè pro Unguento.*

Interea Inſeſſiones à quibuſdam valdè hîc commendantur,

dantur, ex *Radicibus Althææ*, *Liliorum*, *Conſolidæ*, *Herbis Plantagine*, *Equiſeto*, *Artaſiemia*, *Lauro*, *Alchymilla*, *Floribus Camomillæ*, *Meliloti*, *Seminibus Lini*, *Anethi*, *ſimilibuſque in Aq. Communi decoctis.*

Suffitum quoque per infundibulum, injecto ſequenti Pulvere ſuper carbones, excipiat Patiens;

℞. *Gummi Juniperini* ℥j. *Thuris*, *Maſtichis*, *Myrrhæ*, *Ladani an.* ʒij. *M. F. Pulvis.* Cui, ſi originem debeant hęc ulcera morbo gallico, addi inſuper poteſt *Cinnabaris* ʒj. Quo in caſu etiam cum linteo diſcerpto admoveatur *Aqua Viridis Hartmanni*, vel *Aqua Aluminoſa ſeu Mercurialis*, vel aliquod è Medicamentis de Penis Ulceribus Venereis propoſitis.

In genere pro hujus partis ulceribus curandis, *Thermæ ſiccantes, Sulphureæ, & Aluminoſæ,* valdè efficaces ſunt, eæque non rarò ulcera, quæ aliis medicamentis ſanari non potuerunt, curarunt.

Cap. 18. *De Ulceribus, & Fiſtulis in Ano.*

I. Etiam ſolent intus in *Ano* oboriri *Ulcera*, ægrè admodum ſanabilia. Ea ortum ducunt à lue venerea; ex gravi dyſenteria, ac ſuccedente teneſmo; item ex hæmorrhoidibus exulceratis, aliiſvè cauſis: ſic abſceſſus graviſſimi circa podicem ex inepta venæſectione ſequuti, notabile exemplum habetur apud Fabrit. Hildanum *Cent. 5. Obſ. 63.* Atque adeò humorum ad partem hanc affluxus varii, item inflammationes, vulnera, equitatio longa, aliæque externæ læſiones, horum ulcerum cauſæ eſſe poſſunt.

II. Hæc autem Ulcera, ſi externa ſint, oculis patent: quæ verò intus latent, ea ex ſanie emanante & dolore percipiuntur. Nonnulli in hoc caſu anum inſpicere conantur inſtrumento, Speculo Ani dicto, parum calefacto, & ut lubricum reddatur, Oleo oblinito; ſed quoniam hoc inſtrumento vix obſervari poſſunt iſtiuſmodi ulcera, quin potius partes cum dolore & inflammatione lacerentur; hinc uſum ſpeculi hujus non probo, cum facilius quod optamus conſequi poſſimus. Viz. indice digito in anum immiſſo non ſolum ulceris magnitudo, ſed inſuper durities, & tubercula melius percipiuntur. Adhæc ulceris quantitatem conjicere poſſumus ex copia ſaniei excrementis immiſtæ; quanta enim eſt ſanies, tantum eſt ulcus: ſicuti ulceris qualitatem, ex qualitate ſaniei. Etiam ulcerum ani ſtatum exactiſſimè cognoſcimus turundâ ano immiſſâ, & per integrum diem relictâ: qua eductâ, obſervatur, cui parti materia purulenta adhęreat; quæ tunc locum & magnitudinem ulceris indicat.

III. Sed externa & benigna hujus partis Ulcera ut facilius deprehenduntur, ità etiam facilius curantur: ſic ex dyſenteria quę fiunt hujuſmodi ulcera, brevi temporis ſpatio non rarò ſanantur deterſione & conſolidatione; viz. *Aquâ Hordei*, *& Melle Roſaceo iterum, & tertio per Siphonem infuſis*; vel injecto identidem Clyſtere ex *Lacte Dulci*, *cum Therebinthina in Ovi Vitello diſſoluta*, *addito Melle Roſaceo.* Quæ verò maligna ſunt & occulta, difficulter curantur; cum pars hæc exquiſito ſenſu prædita ſit & Medicamentis acrioribus facilè exaſperetur, ac à tranſeuntibus excrementis inquinetur: atque ideò hujuſmodi ulcera venerea non adeò facilè ſanantur; ſerpunt namque plurimum ſuprà muſculum ſphincterem aut ſuperius, ſeu inferius, vel ad latera. Sic refert Marchette *poſt Obſervationes Chirurgicas*, in cadavere obſervaſſe pluſquam triginta diſtincta ulcera ſuprà ſphincterem muſculum, per totum rectum inteſtinum & aliquam coli inteſtini partem ſerpentia, quibus diſſectis inſignis Puris quantitas effundebatur.

IV. Quoad *Curam horum Ulcerum*: (Venereorum præſertim) primò totum corpus eſt expurgandum; dein exhibendum Decoctum ex *Ligno Guajaco*, *Corticibus Ejuſdem*, *Salſaparilla*, *China*, & ſimilibus, cum Sudore, & obſervata tenui Diætâ, prout in Lue Venerea fieri ſolet; vel Salivatio movenda, bis, tervè ſumpto *Bolo ex Conſ. Roſar. Rubr. cum Turpeto Minerali.*

Interim dum hæc fiunt, Topica adhibenda Remedia: inprimis Injectiones hîc conducunt Detergentes & Conſolidantes, ſine acrimonia & morſu. v. gr. ex *Aqua Hordei Chalybeata cum Melle Roſaceo.*

Petrus de Marchettis à principio Injectiones laudat ex *Aqua Hordei cum Unguento Ægyptiaco*, ad abſtergenda ſordida ulcera, uſque dum dolorem inferant, atque ex ipſis aliqua portiuncula ſanguinis effluat; tunc verò abſtinendum ab *Ægyptiaco*; cujus loco erit *Decoctum Guajaci*, *Scordii*, *Virgæ Aureæ*, *&c.* Vel fiat talis;

℞. *Hordei Integri p.* ij. *Ligni Guajaci* ℥iſs. *Herb. Plantaginis*, *Scordii*, *Verbaſci an.* Mſs. *Flor. Roſar. Rubr. p.* j. *Coq. in ſ. q. Aq. Fabrorum ad* ℥xvj. *colaturæ add. Mellis Roſacei* ℥ij. vel ℥iij. *Miſceantur.*

Valdè efficaces quoq; ſunt *Aquæ Thermarum ſiccantes*, *Sulphureæ*, *& Aluminoſæ*, ſi calidæ per ſiphonem Ano frequenter injiciantur.

Adhibitis autem ejuſmodi Detergentibus, ne dolor exacerbetur, mox aliquid lenientium & conſolidantium admoveatur; v. gr. *Oleum Hyperici cum æquali portione Olei Ovorum*, vel ſimile. Seu potius ab injectionibus immittenda Turunda longa & craſſa, imbuta *Unguento de Tutia*, vel ſequenti:

℞. *Unguenti Albi Camphorati* ℥j. *Lithargyri*, *Tutiæ Præpar. an.* ʒj. *Sarcocollæ*, *Thuris*, *Balauſtiæ an.* ʒſs. *Terantur diu in Mortario Plumbeo*, *donec Fuſcum fiat Unguentum.*

Cui pro curandis iſtiuſmodi ulceribus venereis, ſemper addatur aliquid *Præcipitati Rubri.*

V. At verò quanquam hac methodo multa Ulcera Ani Venerea quotidiè ſanantur, quandoque tamen adeò maligna occurrunt, quæ dictis remediis non cedunt: in quibus curandis deveniendum ad Ignem, quod inurenda non ſemel tantum, ſed iterum, & tertio, ac quarto; atque ne partes ſanæ lædantur, Inuſtio fiat hoc modo: Cannula longo manubrio donata & ad latus perforata (Scult. *Tab.* 16. *Fig.* 2. 3.) linteo, in Vino Auſtero expreſſo & ſimiliter perforato, obducatur, ac Ano immittatur, dein Candente Ferramento (Scult. *Tab.* 16. *Fig.* 4.) in eandem immiſſo repetitis vicibus ulcus inuratur; hac tamen cautelâ, ne frequentius id fiat, & citius remoto ferramento candente, potius quam eodem diutius intrà cannullam detendo, ne ſc. inteſtinum rectum altius inuratur, & perforetur.

Factâ inuſtione, duos aut tres dies utendum Turundâ imbutâ *Butyro Recenti*: poſtmodum deveniendum ad laudatas nunc Injectiones, impoſitâ ſemper Turundâ dictis Unguentis imbutâ. Atque hac methodo iſtiuſmodi Ulcera ut plurimum ſanantur; & quæ hoc modo curam non ſuſcipiunt, in *Fiſtulas* abire ſolent. Enimverò Ulcera Ani ſi vel Medici negligentiâ, vel Ægri moroſitate non rectè curentur, ex ſanie intus relicta, ibidemquè cuniculos quaſi agente, atque vicinas partes corrumpente, excitantur *Fiſtulæ.*

VI. Eſt autem *Ani Fiſtula Ulcus anguſtum*, *longum*, *calloſum*, *ſedem habens in ſubſtantia Inteſtini Recti, vel Muſculi ejus Sphincteris.* Exulceratur verò Sedes hac Fiſtulâ variis modis. Interdum namque circa Anum oriuntur Fiſtulę rectum inteſtinum haud quaquam perforantes; ſed circà Anum conſiſtentes, & in carne terminum habentes. Aliæ exedunt inteſtinum rectum, ſimulque perforant communia integumenta, ut ſanies exterius per cutem egrediatur. Nonnullę ad inteſtini recti tunicam tantum exteriorem pertingunt, & ſerpunt ſuprà inteſtinum, quod tamen non perforant. Aliquæ inter tunicas inteſtini recti ſurſum tendunt, modo ad medium ſphincterem, modo ulterius. Quędam

ad veſicam deflectunt. Adhæc alię uno tantum ſinu, aliæ pluribus perreptant: quædam rectæ, quædam tortuoſæ ut non poſſit earum ductus inveſtigari: quandoque verò ſunt multę ſimul & contortæ, atque conjunctæ, habentes tamen unum orificium. Sunt etiam aliæ pertingentes ad articulum coxæ. „ Harum Fiſtularum „ principium excurrit nonnunquam ad lumbos, ſive „ thoracis vertebras, imò interdum ad ipſas ſcapulas, „ *inquit* Ampl. Tulpius *Obſ. Med. lib.* 3. *cap.* 28. „ Cujus oras licet forfice diducas, & amplies, (quod „ tamen ad cutaneas fiſtulas ſummè utile) operam ni- „ hilominus ludes: nec pervenies unquam ad remotiſſi- „ mum ſinuoſorum flexuum principium.

VII. *Cauſæ* verò *Fiſtularum Ani* aliæ externæ ſunt, aliæ Internę. Inter *Externas Cauſas* frequentiſſima eſt tuberculum exterius circa Anum enatum & ſuppuratum, cujus ſanies ſi exitum non habet, ſinum efficit profundum. Enaſcitur autem iſtiuſmodi tuberculum ex contuſione partium ani, ut ſępè equitantibus, & aliquando remigantibus contingit: item ex ictu, vel caſu in partibus circa anum facto, cum exinde partes ani proximę atterantur, & perruptis vaſis ſanguis ad nates, & circa anum cogatur, qui extravaſatus putreſcit, & putreſcendo acrimoniam acquirit, & molles illas partes exedit, ſinuat, Fiſtulamque efficit. Inſuper vulnera hujus partis non raro in ulcera degenerant, atque hæc in fiſtulas. Inter *Internas* namque *Fiſtularum Ani Cauſas*, primò numeratur ulcus inteſtini recti non ritè curatum: dein apoſtema in partibus hiſcè obortum, & ſerius apertum; viz. expectatâ ejus maturatione, cum tunc temporis ſanies illa intus contenta corrodat, ac ſinum, tandemque fiſtulam efficiat: atque ideò in hac parte apoſtemata, antequam ad maturationem perveniunt, ſunt incidenda.

Cæterum ab humoribus vitioſis ad inteſtinum confluentibus, & muſculum ſphincterem erodentibus hujuſmodi Fiſtulæ oriuntur; dum à materia ſalſa, mordaci, vel virulenta, ex lue potiſſimum venerea, exulceratur rectum inteſtinum, hinc ſenſim evacuato ulcere ab eadem in eo congeſta, & diutius hærente, paulatim perfoditur; atque materiâ inter partes muſculoſas collectâ, tantem oritur tumor in partibus Ani externis, qui diſruptus in fiſtulam abit, tum rectum inteſtinum, tum muſculum ejus ſphincterem pertundentem. Deniq; hęmorrhoides tumentes & malè curatæ, atque exulcerantes, in ſinus nonnunquam, tandemque in Fiſtulas abeunt.

VIII. Cognoſcuntur autem Ani Fiſtulæ, quod orificium ulceris ſit anguſtum, ſinus vero intus latens, & labia ejus calloſa ſint. Excernitur etiam inde ſanies (modo orificium ejus non claudatur. Tum enim nihil excernitur, & vicinæ partes tumidę fiunt) aliquandò aquoſa, aliquandò virulenta.

An verò unus, vel plures ſinus ſint; item an penetrent, vel non penetrent; vel ſintne rectæ aut intortæ hę fiſtulæ, ſtylo immiſſo exploratur. Si namque fiſtula ſit in partibus externis propè anum, quæ licet muſculum ſphincterem non perforaverit, in inteſtinum rectum tamen penetraverit, id ſpecillo patebit, intruſo ſiquidem digito oleo inuncto in anum, ſpecillum nudum illi occurret. Si vero fiſtula ſit tortuoſa, ut ſtylus in anum facilè penetrare non poſſit, ex excrementis id deprehenditur; cum aliquandò per fiſtulam fœces alvi reddantur, & liquor in fiſtulam injectus per anum exeat, ſeu in anum infuſus per fiſtulam egrediatur. Porrò fiſtulæ inter inteſtini recti tunicas dignoſcuntur immiſſo ſpecillo, ſi digito id non fuerit obvium, ſed membranâ ipſius inteſtini tectum. An verò fiſtula perforat inteſtinum rectum in muſculo ſphinctere, vel ſuprà eundem, hoc prodit ſignum: ſiquidem ſi digiti in anum intruſi apex ab eodem non conſtringi, ſed in loco veluti vacuo hærere ſentiatur; quo ſtylus quinetiam in fiſtulam demiſſus pervadat ad extremum uſque digitum, in illud ſcilicet cavum, fiſtulam perforare inteſtinum ſuprà ſphincterem indicio erit. Utrum verò fiſtula fuerit in muſculi hujus principio, medio, vel fine, quoque digito & ſpecillo patet. Si ad veſicam perveniat, urina per eam redditur. Interdum ad rectum inteſtinum & veſicam ſimul penetrat, ac tum inter mingendum crepitus ex pudendo, perindè atque podice emittitur.

IX. Quoad *Præſagia* de *Ani Fiſtulis* facienda: Ani non penetrantes Fiſtulæ penetrantibus minus periculoſæ ſunt. Nihilominus tamen omnes ferè Ani Fiſtulę ſanabiles ſunt. Et gloriatur Petrus de Marchettis, ſe ultra ſexcentas ani fiſtulas perfectè curaſſe, alias difficilius, alias facilius.

Ægrè admodum ſanantur Ani Fiſtulæ, quæ ſuprà muſculum ſphincterem inteſtinum perforant; ut & quæ à lue gallica proveniunt. Facilius verò, & brevi tempore, quę in orificio ani; minus facilè, quæ in medio muſculo inteſtinum perforant.

X. Atqui *Fiſtulas haſce Curandi Indicationes* vel totum corpus, vel partem reſpiciunt affectam. Totum corpus quæ reſpiciunt, permittunt, (ſi viſcera Patientis benè fuerint conſtituta, ut patet ex inculpata ejus valetudine) fiſtularum curationem mox aggredi, non expurgato corpore, abſque ullo futuri morbi periculo. Alioquin præmittatur corporis Purgatio, pręparantibus, & purgantibus lenioribus; nec non Vena ſecetur. At verò ſi Patiens fuerit mali habitus, & cacochymicus, propinetur inſuper Decoctum *ex Ligno Guajaco, Salſaparilla, China, &c.* Ut tum per ſudores tum per Auctam Tranſpirationem & copioſiorem excretam Urinam, ab humoribus vitioſis liberetur: præſente ſiquidem cacochymiâ, rarò admodum ex toto ſanantur fiſtulę ani. Fonticuli item in cruribus excitati non rarò multum conducunt, cum per hoſce materia derivetur, & evacuetur: ſic in ſenibus ex antiqua fluxione ſi ſint fiſtulæ, eæ tutò nunquam curantur, niſi ante conſolidationem excitetur Fonticulus in crure, pro evacuatione materiæ quotidiè collectæ.

XI. Partis autem Affectę Curatio multiplex eſt, pro varietate & differentiis fiſtularum. Atque hinc in ipſius fiſtulæ curatione explorandum prius, num hæc ſit unica vel multiplex, *hoc eſt*, num unum habeat orificium & ductum; an verò plura orificia, pluresvè ductus: deinde num in inteſtinum penetrent fiſtulę, nec ne; & ſic porro. *Fiſtulæ* quippè *propè Anum, quæ non pertingunt ad ipſius orificium*, facillimè ſanantur, non tamen abſque Sectione: & quidem ſi rectæ ſint, ſectione unicâ; ſi autem ſinuoſæ, pluribus curari ſolent ſectionibus.

Primò igitur foramen fiſtulę dilatandum immiſſis Turundis ex *Radice Gentianæ*, vel *Spongia Compreſſa*; ac quotidiè eędem craſſiores immittendę, donec foramen fiſtulæ dilatatum admittat Scalpellum ad Sectionem: ſatis verò dilatato foramine, immittendus Cultellus rectus atque facienda unica Sectio, ad fundum uſq; ipſius fiſtulæ; poſtmodum ad prohibendam inflammationem imponendum linteum diſcerptum, *Ovi Albumine* imbutum, ſuperinjectis ſtupis in eodem madefactis; quibus poſtero die remotis, diligenter ſtylo inquirendi alii ſinus: qui dilatandi, atque ſecandi modo nunc dicto: ſupra fiſtulam ſectam adhibendum Digeſtivum *ex Melle Communi, Therebinthina & Ovi Vitello.* Quod ſi fiſtulæ callum conſumere nequeat, imponatur illud Sculteti,

℞. *Merc. Præcipit. Rubr.* ʒß. *Mellis Roſacei* ℥ß. *Miſceantur.* Unguentum hoc linteo diſcerpto excipiatur, & fiſtulę apertæ callo imponatur.

Conſumpto callo, deterſoque vulnere, caro generanda, non quidem Sarcoticis Unguentis admotis, utpotè humidio-

humidioribus; ſed ſiccioribus, *Unguento de Tutia* ſcilicet, *de Plumbo*, ſimilibuſvè; atque linteo diſcerpto his imbuto vulnus omninò implendum, ut caro è fundo ſuccreſcat; ac ſuperponendum *Emplaſtrum Diapalma*, vel ſimile.

Productâ autem æqualiter carne, inducenda cicatrix, non Pulveribus, nec Filamentis Aridis, quibus labia vulneribus calloſa evadunt, & cicatrix non ità facilè obducitur; at impoſitis iiſdem Exſiccantibus Unguentis; quibus dura ac ſolida evadit cicatrix, quæ difficilius dehiſcit.

XII. Sed *Fiſtulæ, quæ ad Orificium Ani pertingunt, & ſerpunt exterius ſuprà Inteſtinum Rectum, non tamen ipſum perforant*, non ità facilè ſanantur, ob copioſas humiditates, quæ ab inteſtinis continuò defluunt. Iſtæ ſunt quoque dilatandæ, & ſecandæ; nullo quippè alio præſidio ſanantur.

Igitur ſi occurrat Fiſtula Ani non penetrans rectum inteſtinum, ſumendum Specillum, quod in una ſui extremitate capitulum rotundum & pro fili ſerici trajectione foramine donatum habeat; in altera, pro inciſione fundi fiſtulæ, inſtar acus tricuſpidis acuminatum ſit, cujus apici affigatur pila cerea, qua inſtrumenti acumen liberiorem tranſitum habeat ad ſinus fundum, neque timor ſit, ut in latera ejus impingat, operationem impediat, & dolorem excitet.

Præparato ita ſpecillo incerato, fiſtulæ fundus inquirendus, eoque invento, ſpecillum fortiter trudendo cutis perforanda, totumque illud per fiſtulam ducendum, propendente ex utroque foramine filo ſerico; dein educto ſpecillo, fili extrema colliganda, arctiſſimè ſtringenda, ſicque univerſi ſinus inciſio filo peragenda. Atque hic modus fiſtulam non penetrantem incidendi proponitur à C. Celſo *lib. 7. cap. 4.* hiſce verbis: in fiſtulam „ demiſſo ſpecillo ad ultimum ejus „ caput, incidi cutis debet; dein novo foramine ſpe„ cillum educi lino ſequente, quod in aliam ejus par„ tem ob id ipſum perforatam conjectum ſit. At verò „ quia fiſtulæ totiùs per filum inciſio & curatio nimis tardè procedit, illamque aſſiduus comitatur dolor, meritò rejicit eam Fabr. ab Aquapendente, nec locum habere ait, niſi in iis, qui meticulosè ferrum expaveſcunt. Unde & nos potius ducimus fiſtulâ ſpecillo perforatâ, & foraminibus pro uſu ſyringotomi quod altero extremo capitulum craſſius habet, ſufficienter dilatatis, filum ſericum removere, atque fiſtulam ipſam incidere. Et hæc fiſtularum per filum & aciem ſcalpelli curatio Celſi & recentiorum Practicorum votis ſatisfacit, atq; ſimplici per filum inciſione melior eſt, & tolerabilior, in primis quando orificia propter ſinus longitudinem nimium diſtant. Si tamen & hæc operatio æquo tardior videbitur, omnibus bonæ operationis conditionibus ſatisfaciet Chirurgus, ſi ſtatim fiſtulam inciderit Syringotomo acutam aciem habente, globulo tamen cereo munitam quo ſyringotomi acumen tranſitum habeat liberiorem ad fundum fiſtulæ, neque metus ſit ut in latera impingat, operationem impediat, doloremq; excitet.

Verumenim verò licet hoc modo, per Sectionem partium externarum, Fiſtulæ Ani non Penetrantes ut plurimum curari ſoleant; facilius tamen eædem curam ſuſcipiunt, ſi ipſum inteſtinum intus ſecetur. Neque omnino metuenda eſt muſculi ſphincteris & inteſtini recti ſectio; hac equidem cautelâ, muſculus totus non ſecetur, ne ſic fæces involuntariè effluant. Scribit Hipp. *lib. de Hæmorrh.* ſphincterem tutò poſſe incidi, quovis modo, ſine læſione ſui officii, ſi ſaltem octava ejus pars relinquatur intacta, aliàs ſequeretur involuntaria fæcum excretio, & tandem ipſa mors.

XIII. Tertiò occurrunt *Fiſtulæ, quæ Inteſtinum Rectum perforant, ſive in inferiore Muſculi Sphincteris, ſive media, ſive ſuprema ejuſdem parte*; quæ tamen loci diverſitas non mutat curationem, ſed ſolummodò ejuſdem tempus; extremi quippè muſculi fiſtulæ citius ſanantur, medii verò, vel ſupremi tardius, propter profundas ſectiones, quibus ad perfectam earundem ſanationem opus eſt.

Hujuſmodi fiſtulæ aliquandò ab Hippocrate ſine inciſione curantur. Nam primùm Turundam fiſtulæ immittit *Succo Tithymali* madidam, pro callo conſumendo; deindè *Florem Æris* adſpergit: in anum ad inflammationem prohibendam, Glandem immittit Corneam, exterius *Cretâ Detergente* illitam, uſque in quintum diem: ablato callo, Glandem *Alumine* implet, anoque imponit, ad glutinandum, ad inflammationem arcendam, ad locum affectum exſiccandum. Sed vix unquam hæc curatio ſuccedit. Præferenda autem quæ primùm haſce fiſtulas dilatat Turundis accommodatis, deindè eas ſecat, vel Syringotomo, vel Filo Serico. Utendum Filo, pro Patientibus ferrum reformidantibus; licet hæc ſectio longa ſit, & dolore moleſta: frequentius verò Syringotomo, quia citius & minore dolore operatio perficitur: & quidem hunc in modum. Specillum ſumendum argenteum, in utraque extremitate rotundis capitibus præditum, illudque pro neceſſitate incurvandum. Hujus extremo, & Syringotomi globulo filum ex lino duplicato alligandum. Quibus peractis, fiſtulæ orificio lente intrudendum ſpecillum, illudque ut & filum duplicatum, & globoſum ſcalpelli caput, per ani orificium trahendum. Deinceps manu ſiniſtrâ arripienda ſyringotomi ſuperior pars, atquè ſic inſtrumentum trahendo & impellendo fiſtula uno ictu, ne diu Ægri doloribus torqueantur, integrè incidenda. Qua inciſa, ſanguis ſiſtendus, inflammatio prohibenda, callus (modo nunc dicto) abſumendus, vulnus recenti carne implendum, & cicatrix inducenda.

XIV. Ad *Fiſtulas* autem, *quæ Inteſtinum perforant ultrà Muſculum Sphincterem, parte ſuperiore*, quod attinet: Iſtæ à multis habentur inſanabiles, niſi præfecto toto ſphinctere, ex quo involuntaria fit fæcum alvinarum excretio. Haſce tamen ſe ſæpius feliciter ſanaſſe ſcribit Petrus de Marchettis, citra illud incommodum: facta viz. congruâ dilatatione, ut in omnibus aliis ani fiſtulis curandis fieri ſolet; muſculus ſphincter counſque ſecandus, ut aliqua ipſius pars integra ſuperſit, ac intacta, quæ ſuo fungatur officio. Factâ ſectione, ſuperſtes fiſtula Actuali Cauterio erit inurenda, ut callus tollatur, cujus cruſtâ *Butyro* vel *Digeſtivo* ſublatâ, implenda cavitas linteo diſcerpto imbuto *Unguento de Tutia*; hac ratione, ut imminuatur quotidiè donec proba caro æqualiter generetur, & cavitas oppleatur.

XV. At nonnunquam obſervantur *Fiſtulæ quæ ſerpunt inter Inteſtini Recti tunicas, & ſuperius tendunt, modo ultrà Latitudinem Sphincteris, modo infrà.* Eæ tamen rarò fiunt calloſæ, propter humiditatem in inteſtinum, ejuſque membranas continuo allabentem; quæ proindè ſtatim ſunt dilatandæ Turundis ex panno lineo confectis, (vitatis illis ex Radice Gentianæ, vel Spongia Compreſſa, quæ plus ſatis dilatando, lacerant membranas inteſtini) dehinc ſecandæ ſecundum longitudinem, abſque ullo metu læſionis muſculi ſphincteris: ad interna verò facienda eſt ſectio.

Sed Fiſtulæ hæ dum ſecantur, immittenda intrà Anum cannula rotunda, altero extremo clauſa; at à latere fiſſurâ patefacta, in cujus medio lana mollis vel goſſypium lateat, ne acies ſcalpelli hebetetur: illius cannulæ uſus eſt, ut ſectâ fiſtulâ, excipiat gladiolum, illæſis proindè inteſtini partibus oppoſitis.

Curantur autem facilè hæ fiſtulæ ſectæ, obductâ cicatrice Injectionibus exſiccantibus bis quotidiè infuſis, nec non immiſſis Turundis imbutis *Unguento de Tutia* atque Pulveribus itidem Exſiccantibus. Factâ namque Sectione, mox immittenda Turunda longa, ad fundum

uſque

uſque ſectionis pertingens, illita *Ovi Albumine cum Bolo Armeno conquaſſato* : ad deterſionem verò injicienda *Aqua Hordei cum Melle Roſaceo*; & ſuprà Turundam inſpergendi Pulveres *ex Bolo Armeno*, *Terra Sigillata*, ſimilibuſque, tum ad exſiccandum, tùm ad adſtringendum. Notandum verò, quod hujuſmodi fiſtulis nunquam adhibeatur Digeſtivum, ne tenues inteſtini membranæ nimium flacceſcant & reſolvantur. Poſt quatuor aut quinque dies, parandæ Injectiones ex *Aquis Thermalibus*; vel, hiſce deficientibus, *Artificialibus ex Vitriolo*, *Nitro*, *Sale*, *Alumine*, *cum Aqua Communi*, immiſsâ ſemper Turundâ imbutâ *Unguento de Tutia*, ac Pulveribus dictis Exſiccantibus; quibus remediis obducenda cicatrix, quę durior licet, & calloſa, nequaquam tamen impedit conſtrictionem muſculi ſphincteris; quinimò ſi mollior foret, brevi reſolveretur denuò ab humiditate continuò partem illam alluente.

XVI. Tandem *ad Veſicam ſerpentes Fiſtulæ* ſuccedunt; quarum quędam perveniunt ad ejus collum: & quidem aut juxta ejus exortum, vel medium, vel finem, ipſum tamen non perforant: aliæ ipſum pertundunt in ejuſdem exortu, aut medio, aut circa finem, ubi cervix veſicæ oriri vulgò perhibetur. De hiſcè vix eſt dicendum, cum omnino ſint inſanabiles, & ſolo Prognoſtico relinquendę, infamentur artis præſidia. Quoad illas tamen, *quæ pervadunt ad cervicem veſicæ, ipſam tamen non perforant* : in iis curandis majore dilatatione opus eſt, quam in pręcedentibus; in quam rem, ex uſu ſunt Turundæ ex *Compreſſa Spongia*, vel *Radice Gentianæ*, atque fiſtulâ dilatatâ facienda Sectio gladiolo admodum recurvo, dorſo lęvi, ne lædatur collum veſicæ, acutâ acie, quod partes illud inveſtientes ſint membranoſæ, quæ difficulter ſecantur. Si ſint plures ſinus, ii pluribus ſectionibus ſunt patefaciendi, illęsô ſemper veſicæ collo; turpe quippè, & fœdum foret, utinam per aliam partem effluere, quàm naturalem. Factâ ſectione, callus removendus, tum abſolvenda curatio uti in aliis fiſtulis.

In genere verò de Fiſtularum Ani Curatione Medico obſervandum, ut ſtatim ad eam ſe accingat, niſi renuente Ægro; ſuppreſsâ ſiquidem, ut ſæpè fit, purulentâ materia, varii ſinus excavantur, unde tandem Fiſtula in plures diffunditur; è qua ſuppreſſa materia oriuntur abſceſſus, non ſine magno dolore, gravi febre, & aliquandò morte ipſius Patientis.

Perperam itaque exiſtimant multi Pſeudo-Medici, & Barbitonſores, ſe ſanare poſſe fiſtulas ani & inteſtini recti Balſamis, Unguentis, Injectionibus, aliiſque hujuſmodi præſidiis; ſed fruſtrà laborant, cum hæ non niſi Sectione ſanabiles ſint.

Cap. 19. *De Tibiarum, Articulorum, & Pedum Ulceribus.*

I. Tandem reſtant *Ulcera*, quę in *Tibiis*, *Articulis*, & *Pedibus* fiunt. Sed quæ in genere de Ulceribus nunc diximus, facilè quis ad harum partium ulcera applicare poterit: adeò ut dubitaverim, de Tibiarum, Articulorum, & Pedum Ulceribus quicquam ſuperaddere. Nihilominus tamen, quoniam non infrequenter contingit, ut ſalſi, acreſque humores ad haſce extremas partes expulſi, Ulcera excitent, de iis pauca adjungere haud abs re putavi. Etenim acres, auſteri, acido-ſalini humores cum ſanguine per arterias ad partes illas delati, ibidemque relicti, nonnunquam ulcera excitant, ægrè curabilia; idque præſertim poſt eryſipelas partes illas frequenter infeſſans accidit; quemadmodum & in fœminis menſium obſtructione laborantibus. Inſuper è ſcorbuto hujuſmodi ulcera ſæpè naſcuntur. Etiam quibuſdam familiis talia ulcera admodum familiaria ſunt; ut omnes, fœminæ præſertim, etſi aliàs benè valere videantur; ulcera illa diuturna in cruribus habeant.

II. Hiſcè autem partium extremarum ulceribus maturè omninò occurrendum eſt. Niſi enim ſtatim ſanentur, natura adſueſcit ad haſce partes vitioſos in corpore redundantes humores amandare; qui poſteà, ſi ulcus occludatur, & corpus non diligenter, ſępiuſque purgetur, alios morbos graviores excitant. Solent etiam neglecta incrementum ſumere, partes vicinas corrumpere, calloſa fieri, ut ità, ſi maturè iis non ſuccurratur, incurabilia fiant. Sed iſtiuſmodi pedum ulcera, in primis quæ tibiæ anteriora occupant, multum laboris Chirurgo creant, ex eo quod corporis univerſi humiditates continuò ad partes affectas defluant; quę res efficit, etiam optima medicamenta fruſtrà uſurpari, niſi faſciis per arctè, ab inferiore parte ad genu adſcendendo, conſtringatur, ſemelque aut bis quavis ſeptimanâ Purgatio juſta inſtituatur.

III. Igitur ut Ulcera hæc ritè curentur, primò corpus diligenter ab humoribus vitioſis Purgandum, ac viſcerum dyſcraſia corrigenda. Et ſi plethoricus ſit Æger, Vena brachii ſecanda, & ſanguis mittendus. In Topicis autem, ac localibus præſidiis ſemper partium affectarum natura conſideranda, cum non eadem Medicamenta ſiccioribus partibus & humidioribus competant. Et ſi Ulcera in Articulis fuerint, ratione humiditatis partis affectæ, Sicciora & Aridiora Medicamenta ſunt applicanda, *inquit* Paulus Ægineta *lib.* 4. *cap.* 5. qui in hiſce ulceribus curandis inter alia laudat *frequentem irrigationem, Aquâ Marinâ vel Muriâ factam.* Enimverò articulorum ulcera ſunt quamprimum exſiccanda & ſananda, cum in partibus hiſcè ſæpè ulcera cava & cacoëthe gignantur; tum propter oſſium articulationem, tum quia pauco calore ſunt prædita articuli, tum quia craſſo & viſcido humore perfunduntur. Quapropter pro his ulceribus curandis, Exſiccantibus Medicamentis *Spiritus Vini* miſcendus erit, qui partes illas roborat, exſiccat, & maximè putredini reſiſtit. Sed cũ dictę partes declives ſint, & ideò ad recipiendos humores aptę, plano loco inter curandum ſunt ſituandę.

IV. Tibiarum verò Ulceribus imponatur *Unguentum Diapompholigos*, quod in hoc ulcerum genere efficaciſſimum ſemper deprehenditur, eò uſquè, donec pus bonum & album appareat. Vel applicetur *Unguentum Deſiccativum Rubrum*; vel, quod efficacius, *Unguentum de Minio*, cujus hæc eſt deſcriptio:

℞. *Axung. Porci rec.* ℥xij. *Ceræ Albæ*, *Ceruſæ*, *Minii an.* ℥ij. *Lithargyri*, *Lapid. Calaminar. Præpar. an.* ℥j. *Vitrioli Albi* ℥ß. *M. F. S. A. Unguentum.* Et quia Oleoſa, & Pinguia, propter immediatè cuti ſubjectum perioſteum in ulceribus hiſcè curandis omninò ſunt vitanda; laudatur à multis *lamina Plumbea tenuiſſima*, Tibiæ Ulceratæ firmiter alliganda: nec non *Emplaſtrum Gryſeum.* Vel,

℞. *Empl. Gryſei*, *de Plumbo an.* ℥j. *Ceruſæ*, *Lithargyri an.* ℥iij. *Sacchari Saturni* ʒß. *Gummi Elemni* ʒij. *M. F. S. A. Emplaſtrum.* Efficaciſſimum quoq; hiſce ulceribus curandis eſt *Fac Totum Magiſtri Chriſtiani*;

℞. *Ol. Roſacei* ℥xij. *Ceruſæ*, *Mucilag. Rad. Conſolidæ an.* ℥vj. *Ceræ Albæ* ℥iv. *Lithargyri*, *Minii*, *Lapid. Calamin. Præparati an.* ℥iij. *M. F. S. A. Unguentum.*

Platerus *lib.* 2. *Obſ.* hoc Medicamentum, utpotè validius exſiccans, extollit:

℞. *Ceruſæ*, *Aluminis*, *Vitrioli an.* ℥iß. *Aceti Vini q. ſ. Coq. donec in formam Calcis ſiccæ redigantur. De hac Calce diſſolve portiunculam in Vino Albo, quô illinatur Ulcus, in eoque intinctum linteum diſcerptum ulceri imponatur: dein ſuperponatur hoc Emplaſtrum:*

℞. *Lithargyri*, *Ceruſæ*, *Plumbi Uſti an.* ℥j. *Tutiæ Præparatæ*, *Matris Perlarum an.* ʒij. *Maſtichis*, *Thuris an.* ʒiß. *Camphoræ* ʒj. *Colophoniæ* ℥ß. *Sevi Cervini* ℥j. *Therebinthinæ* ʒij. *Ol. Roſacei. q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum.* Inſuper pro Crurum, Pedumvè Ulceribus inveteratis Curandis, non ſemel egregium & efficaciſſimum expertus ſum quod ſequitur:

℞. *Herb.*

℞. *Herb. Artemiſiæ, Agrimoniæ, Scordii, Sum. Abſynthii, Centaurii Min. an.* M j. *Aquæ Pluviæ* ℔vj. *Coq. ad* ℔ij.

In colaturâ madefiant lintea diſcerpta, quæ ulceribus hiſce imponantur, & bis quotidie renoventur; ac mappæ laneæ, ſimiliter madefactæ, ſuperinjiciantur.

Laudatur & hoc,

℞. *Aquæ meliſſæ* ℥vj.
Tutiæ ppt.æ ʒiß. vel ʒij.

Fiat mixtura, eôdem modô uſurpanda.

V. Sed harum partium ulcera magnas ſæpe Medico & Chirurgo pariunt moleſtias, nec curam recipiunt, niſi è directô ulceris, ſub genû, vel ſupra genu, excitetur fonticulus, quô effluentes continuò humores deriventur, & evacuentur: qui non occludatur, priuſquàm ulcera ſint curata, & affecta pars, ex morbi diuturnitate labefactata, ſatis robuſta obſervetur.

Hactenus Clariſſ. Munnicks; cui continuò ſubjungendum nobis veniret aliquid de Celeberrimi Magati methodô in curatione Ulcerum olim adhibitâ, & ab Experientiſſimô Chirurgô Dominô Belloſte noſtris temporibus feliciſſimè renovatâ. Verùm conſuli ſuper hôc argumentô poterunt Præclariſſimi Dionyſii Andreæ Sancaſſani, Comacchii Medici Primarii, Aphoriſmi è prædicti Magati Operibus magnâ curâ collecti, quos capite de Vulneribus inſerimus, eorumque tractationi à Clariſſ. Munnicks traditæ, ibidem ſubnectimus. Sequentur jam itaque de Ulceribus variæ

Obſervationes.

Ulceris pudendorum, cum eroſione teſticulorum curatio.

JUvenis quidam robuſtus, & viginti annorum circiter ætatis, natione Sabaudus (cujus nomini parco) ulcus ex Lue venerea, in parte decliviore ſcroti contraxerat, cum capitis & articulorum doloribus nocturnis, aliiſque ſignis certiſſimis luis venereæ. Venit ad me Lauſannam Anno 1601. tum dimidiam partem ſcroti, ſimul & teſticulorum exeſam reperi. In palato quoque ulcus cum oſſis carie erat. Inſtituta optima victus ratione, corpus ſequentibus pilulis purgavi.

℞. Maſſ. pilularum aurearum, Aggregativar. & de fumo terræ an. ℈i. Troſchiſc. alhandal. & Diagridii an. gr. iv.

Cum ſyrupo de betonica fiant pilulæ quinque, involvantur pulvere cinamomi, denturque in crepuſculo matutino, cum cuſtodia. Poſtridie baſilicam ſiniſtram incidi, & ſanguinem ad uncias ſeptem extraxi, ſiniſtram autem propterea eligere viſum eſt, quod caput ipſi maximè in illa parte doleret, & ulcus in palato præcipuè ad ſiniſtram mandibulam vergeret.

Deinde ſequens apozema exhibui.

℞. Radicum cichorii tot. radic. polypodii, lapat. acuti, Corticum interior. radic. frang. an. ℥i. ſcabioſæ, veronicæ, betonicæ an. m. i. paſſular. enucleatarum, liquiritiæ raſæ an. ℥i. ſem. aniſi & fœniculi an. ℥ß. trium florum cordialium an. p. I. Coquantur in ſ. q. aquæ puriſſimæ, ut colatura redeat ad ℔. iij. quibus infundantur, macerentur & coquantur ſ. a. Foliorum ſenæ à ſtipitibus repurgat. ℥ij. agaric. recent. troſchiſc. hermodactylorum, rhabarb. optim. an. ℥ß. cinamomi ʒij. zingib. ʒi.

Maneant in maceratione horas octo, inque loco calido, orificio vaſis bene clauſo. Deinde iterum leviter calefacta omnia, fortiter exprimantur, addanturque, ſyrupi de epithymo, roſarum ſolutivi an. ℥ij.

Miſce, fiat apozema pro quinque doſibus, in aurora ſumendum. Porro, quia à primo & altero hauſtu mediocriter purgatus fuit, per diem unam aut alteram quievit: Denique reliquam partem ſui apozematis ſumpſit, poſtrema doſi, ut violentius ipſum evacuaret, drachmas duas Conf. Hamech admiſcui. Interim dum corpus ita præpararem atque expurgarem, nihil eorum quæ circa ulcus neceſſaria videbantur, omiſi. Deinde juncturas, cubitos ſcilicet, carpos, genua, pedeſq; unguento ex Mercurio, uſque dum dolor & inflammatio gingivarum, & expuitio pituitæ ſubſequeretur. Hinc dolor capitis & juncturarum remiſit, ita ut à Lue venerea ſimul & ab ulcere ſcroti & teſtium feliciter curatus fuerit, & ad hunc uſque annum 1608. quo hæc ſcripſi, ſanus & incolumis vivat, proleſque ab eo tempore procreaverit; ex ulcere palati tenuis excidit ſquama oſſis, quòd itidem poſteà curatum fuit. *Gulielm. Fabricius Hildanus obſervation. Chirurg. cent. 3.*

De ulcere maligno & cancroſo, circa radicem linguæ.

Viris Ampliſſimis atque Doctiſſimis D. D. D. Doctoribus Marco Offredo, Andreæ Boneto & Paulo Offredo, Medicis longè celeberrimis Petrus Robinus M. D.

S. P. D.

Singularis veſtra humanitas atque in me benevolentia, Viri Ampliſſimi, qua hactenus me amplexi fuiſtis, facit, ut in caſu quodam graviſſimo, & veluti immedicabili, conſilium veſtrum prudentiſſimum implorare auſus ſim, obnixè rogans, ut auxilio, remediiſq; nobis adeſſe non gravemini. Caſus autem talis.

Vir ſexageſimum ſextum ætatis annum decurrens ſuperiori menſe Novembri ulcus in Latere ſiniſtro linguæ contraxit, quod ex parvula veſica in profundum lcus, illudque ſordidum, eſt excavatum: quod ut curaretur, cœlo terraque præſidia exquiſitiſſima comparata curavimus admoveri, quorum ope aliquando ad cicatricem productum ulcus, & penitus curatum videbatur; interea dolor perpetuus, mira ciborum deglutiendi & trajiciendi difficultas, dolor lancinativus ad aurem lateris affecti identidem hominem ferè peremit, ex ulceris nimirum erodentis vicinia & malignitate. Primô itaque occurſu purgationem integram celebravimus, ex lenientibus, ex apozematis, & reiteratione purgationum, ſanguinis miſſione, hirudines pone aures ſunt admotæ, Pyroticum regioni occipitii ad primam cervicis vertebram inuſtum. Pilulæ Cochiæ, aggregativæ, & aureæ, an. ad ℈i. & aliquanto plus, quolibet decimo die paratæ. Emplaſtrum de thapſia, betonica, &c. ſuturæ coronali deraſæ inductum, ulcus ſordidum quater in die, primò quidem vino diluto tepente, tum aqua ſecunda deterſum, per dies plus quàm quindecim: tum conſequenter oleo de chalcantho per dies plus quam quindecim deterſum. Clyſteres quolibet octavo die injecti: reiterata ſecundo integra & abſoluta purgatio ex leniente apozemate, & ſecunda purgatione. Paratum gargariſma pro ulcere detergendo, ex omni genere detergentium, & aſtringentium, melle roſato & aliqua parte Aloës ſuccotrinæ, & aluminis. Quibus omnibus ſuperioribus præſidiis, tantum abeſt ut ulceris malignitas illa ſit efferata: & ſub lingua verſus linguæ frenum partes excavat & depaſcitur, ſalvo tamen œſophago & larynge. Chirurgus Chapuſius Burgundus, caſu quodam in hiſce partibus præſens, hominem inviſit, totiuſque ulceris originem & malignitatem denti putrido & eroſo tribuens, me abſente eundem dentem eduxit, eidem ulceri curando gargariſma ex detergentibus & aſtringentibus & unguento Ægyptiaco præſcripſit. Clariſſimus Dom. Saracenus Lugdunenſis Medicus, in hujus urbis viciniam accerſitus, & aliud agens, me rogante hominem adivit: cum eodem Viro clariſſimo conſilium inivi. Decoctum ex duabus partibus ſalzæparillæ, & una guajaci per dies quin-

quindecim paratum, quo mane & veſperi, & in potu ordinario uſus eſt, non omiſſa tertiò integra purgatione, & ab initio morbi hactenus congrua victus ratione perpetuo obſervata, & aqua aluminoſa à diebus aliquot ulcere deterſo, nihil utilitatis ſumus conſequuti: morbus artem evincit exhauſta pharetra, ulcere magis ac magis deſæviente & ſerpente, vim præſidiorum artemque eludente. Magna itaque humorum corruptela, peſſimus totius corporis habitus, ulceris telephia, aut chironica natura, perpetua ſalivatio, eaque viſcida & glutinoſa, ex ore defluens indeſinenter, à morbi primordio ulceris curationem arcent. Hæc totius morbi origo, hiſtoria, & præſidiorum ſeries: ut ſi quid veſtra conſilia poſſint, ſi quæ ſint arcana pro tanto morbo profligando, eadem nobis pro veſtro erga nos amore teſtatiſſimo impendatis, & ſi quis Chirurgus apud vos cæteris omnibus hac in parte excellat, eundem nobis mittatis, hoc vos iterum atque iterum rogo. Bellitii 10. Februarii 1614.

Primi ulceris in linguę latere curati labia ſunt callo ſimilia, eaque indurata, quæ linguæ obvolvenda incredibiles pariunt dolores. *Hactenus Dom. D. Robinus.*

Porrò cum à Collegio medicorum clariſſimè conſtitutum eſſet, ut ego advocarer, ac Dn. D. Paulus Offredus nomine reliquorum ad me ſcripſiſſet & ego 7. Febr. 1614. Bellitium ad ægrum Dn. Claudium Monteilletum, ibidem in Curia procuratorem prudentiſſimum, perveniſſem, ulcus tale, ut in præcedentibus Dom. D. Robini literis deſcriptum eſt, inveni. Convocatis itaque mecum Dn. D. Robino, & Magiſtro Claudio Pennino, Chirurgo Bellicenſi, curationem ſic inſtituimus. Primò corpus ſequentibus pilulis iterum expurgavimus.

℞. Pil. aurearum, cochiarum an. ℈iß. Trochiſcorum Alhandal & diagridii an. grana iij.

Cum ſyrupo roſato ſolutivo formentur pilulæ quinque, involvantur pulvere Cinamomi. Purgato corpore, ſetaceum nuchæ applicui.

Capiti cucupham ex ſequentibus ſimplicibus præparatam applicuimus.

℞. Florum betonicæ, Salviæ, roſmarini, lavendulę an. p. ii. radicum & ſeminis pæoniæ, macis, caryophyllorum, olibani, maſticis, cinamomi, ſtiracis calamitæ an. ℥ß. roſarum rubearum, nigellæ Romanæ an. p. ii. Granorum Kermes ʒiii.

Contuſa omnia, & exquiſitè pulveriſata, excipiantur bombace pexo, & cum panno ſerico carmeſino fiat cucupha interpunctim conſuta, pro cranio obducendo. Hiſce adminiſtratis, ægrum iterum ſequenti potiuncula expurgavimus.

℞. Decocti communis pectoralis cum ſeminibus aniſi, melonum, citri, acetoſæ, adde paſſularum mundatarum, prunorum Damaſcenorum an. ℥i. ſub finem decocti polypodii, & viſci quercini, epithymi, ſeminis carthami an. ʒiii. fol. ſenæ mundatorum ʒii. ſem. malvæ ʒi. Fiat decoctio ad ℥iv. In quibus infunde agarici trochiſcati ʒi. rhabarbari ʒiß. turbith. ʒß. gingib. & ſandali citrini an. grana ſex. In expreſſione diſſolve diaphœnici & confectionis hamech an. ʒiß. electuar. diacarthami ʒi. ſyrupi roſati ſolutivi ſimpl. ℥i. Miſce fiat potio.

Quâ expurgato corpore, ad humoris atrabilarii acrimoniam arcendam, ſerum lactis cum ſyrupo violaceo per dies quindecim, & plus exhibuimus, & vinum decocto veronicæ, & agrimoniæ, ſaccharo & cinamomo aromatizato diluimus.

Loco affecto ſequentia applicuimus.

℞. Aquæ ranarum aquatilium, gammarorum, plantaginis, roſatum an. ℥ii. mellis roſacei ℥i. Miſce, fiat gargariſma, quo os ſæpiſſimè abluatur, & ſiphone in ulcus ipſum injiciatur.

Poſtea ſequens pulvis beneficio follis, inſuffletur.

℞. Pulveris ranarum aquatilium & gammarorum ſ. a. præparati, cornu cervi uſti & præparati an. ʒi. Miſce, fiatque pulvis, qui fiſtulæ follis imponendus eſt.

Tandem ſequens medicamentum in forma linimenti præparatum, bombace in eo intincto ulceri impoſui.

℞. Ceruſſæ lotæ, cornu cervi uſti & præparati, pulveris ranarum & gammarorum ſ. a. pręparati an. ʒß.

Cum ſufficiente quantitate mucilaginis ſeminis cydoniorum factæ cum aquis ſupra deſcriptis, fiat inſtar linimenti.

Hac obſervata methodo, & adhibitis medicamentis, malignitas ulceris brevi caſtigata fuit, penituſque remiſit. Cùm verò per menſem apud ęgrum moram traxiſſem, & ulcus ferè ad cicatricem perveniſſet, ita quidem, ut res tam domeſticas, quàm forenſes iterum adminiſtrare poſſet, domum me recepi, & quæ prætere a agenda, Clariſſimo Medico Dn. D. Robino, & Magiſtro Claudio Pennino perficienda commiſi. Sed quid fit? Poſt meum abitum cum agyrta & circumforaneus quidam Bellitium percurreret, multumq; & ad cœlum uſque (ut hujuſmodi impoſtores facere conſuevêre) ſecreta ſua extolleret, ægro adductus fuit. Is acceptâ pecuniâ, cum præter intentionem Medici atque Chirurgi, ægro medicamenta ſua applicuiſſet, tertio poſt die hæmorrhagia ex ipſo ulcere adeò magna conſequuta eſt, ut niſi ſedulam diligentiam adhibuiſſet Mag. Claudius, in ipſa hora extinctus fuiſſet æger. Hinc maxima conſequuta eſt virium proſtratio. Cum denuò advocatus eſſem, non ſolum vires mirum in modum labefactatas, verùm etiam ulcus priſtinam ferè malignitatem adeptũ eſſe, reperi; profundum item & ſordidum erat. Ulceris quidem malignitas blandis & benignis illis ſuperiùs recitatis medicamentis caſtigata fuit, ſed humidum radicale adeo erat abſumptum, innatuſque calor extinctus, ut nulla arte aut induſtria refocillari poſſet; ita quidem, ut non diu poſt animam ſuam Deo reddiderit. Quod ſanè mirum non eſt: erat enim cùm ratione conſtitutionis corporis, tum etiam ſenectutis ſupra modũ extenuatus: tantaque copia ſanguinis (quemadmodum Chirurgus & adſtantes referebant) effluxerat, ut vix credibile ſit, corpuſculum adeò exile atque extenuatum tantâ copiâ ſanguinis poſſe eſſe præditum. Veriſimile autem eſt, Empiricum illum (quicquid pro defenſione ſua adſtantibus perſuadere voluerit) medicamento aliquo acri & erodente uſum fuiſſe, carnemq; ad ramum aliquem inſignẽ venæ jugularis internę non tantum eroſiſſe, verum etiam priſtinam malignitatẽ ulceri iterũ induxiſſe. *Idem Cent.4.*

De ulceris inveterati & cacoëthis, ex intempeſtivo uſu Medicamentorum frigidorum, in combuſtione applicatorum orti, feliciſſima curatione.

Etiamſi in tractatu noſtro de combuſtionibus, uti quoque in Centuria prima Obſervatione 90. luculenter ſatis monſtravimus, quàm à ratione aliena, quamq; periculoſa ſit methodus curandi combuſtiones per medicamenta frigida; non erit tamen abs re ſequenti exemplo id denuò confirmare.

Puella quędam ex nobiliſſima familia oriunda, Urſula von Utenheim nomine, 16. annorum ætatis, cùm pede ſiniſtro in aquam fervidam delapſa eſſet, & ſecundum vulgarem, ac paſſim à Practicis uſurpatam Methodum, Medicamenta frigida, & quæ inſigniter exſiccant applicata eſſent, paulatim malum exacerbatum eſt. Pes totumque crus mirum in modum intumuit, & ulcus circa talum exteriorem remanſit: ubi Medicamenta quàm plurima, tam interna quàm externa, abſque fructu adhibita fuere. Ulcere iſto cùm in quartum uſque annum laboraſſet, & ego Anno Milleſimo ſexcenteſimo Decimo octavo Durlachium vocatus eſſem, me, unà cum Clariſſimo ac Doct. Viro D. Lud. Schmidt, Sereniſſimi Principis ac Dom. Domini Georgii Friderici

Marchionis

Marchionis Badenſis & Hochbergenſis &c. Doctori medico celeberimo, in conſilium adhibuit. Ulcus autem iſtud latitudinem Thaleri Imperialis excedebat: labia in circumferentia inæqualia, nonnihil elevata, prædura & calloſa erant; Articulus quin etiam, propter impactam, atque à frigidis iſtis medicamentis induratam materiam, adeò erat rigidus, ut vix ipſum movere & incedere poſſet.

Sequenti autem modo curationem inſtituimus: Primò potiunculâ hâc corpus expurgavimus.

℞. Extracti Cnicopharmaci ℈. ij. Extract. mechoacæ ℈. i. Syr. roſ. ſolut. compoſiti ʒ. vi. Decocti communis folior. ſenæ ℥. i. miſce fiat potiuncula.

Ulceri pulverem præcipitatum, optimè & ſ. a. rectificatum cum filamentis impoſui. Pedem, & quicquid induriut, ſequente Linimento inunxi:

℞. Pingued. caponis, Ol. liliorum alborum, Ol. lumbricorum an. ℥ ß. Miſce.

Poſtea ſequens Cataplaſma calidè applicui:

℞. Farinæ fabarum, Lolii, an. ℥ i ß. Pulver. radic. altheæ, Bryonæ, Sem. fœnigræci, an. ʒ ß. Flor. roſarum, odoriferarum, Myrtillorum, balauſtiorum an. ʒ j. Maſticis, olibani, an. ʒ ij. ſapæ ℥ ij. Croci ℈ß.

Cum decocto radicum altheæ & fœnigræci f. ſ. a. Cataplaſma.

Poſt dies etiam aliquot fonticulum cauſtico, ſub genu, è directo ulceris fecimus, in eum finem, ut eſſet affluentis humoris ex corpore interceptio: quapropter ne clauderetur, antequam pars affecta, ex diuturnitate morbi labefactata, ſatis eſſet roborata, injunximus. His adhibitis remediis, cùm labra prædura & calloſa emolliri non poſſe videremus, cauſtico ea abſumpſimus, inductâ eſcharâ ſequens Digeſtivum applicuimus.

℞. Ceræ novæ ℥j. Colophoniæ, Gummi elemi, Terebinthinæ an. ℥ ß. Pulver. maſticis, olibani an. ℈ij. Croci ℈j.

Cum oleo roſaceo & amygdalarum dulcium q. ſ. ſiat Unguentum, addendo vitellum ovi, parum olei de vitellis ovorum.

Præſcriptum cataplaſma per menſem ferè integrum applicatum, pulvis verò præcipitatus ad finem curationis inſperſus fuit. Poſt uſum cataplaſmatis, ſequens Ceratum circumcirca juncturam pedis applicuimus.

℞. Emplaſtr. de mucilaginibus ℥ iv. Gummi ammoniaci ℥ß. Ceræ ℥j. Croci ʒß. Argenti vivi extincti ℥iiß.

Miſce, fiat ceratum, quod ſupra alutam extendatur, & applicetur ut dictum eſt. Notandum autem eſt, ab uſu hujus cerati nonnunquam puſtulas erupiſſe: id quotieſcunque accidit, uſum Cerati intermiſimus, & unguentum aliquod exſiccans, veluti de Ceruſſa, applicuimus: conſolidatis puſtulis, ceratum iterum ad eruptionem uſque puſtularum applicuimus. Hoc modo enim materiam induratam ſatis emollitam, paulatim quoque evacuavimus. Tibiam à digitis pedum ad genus uſque faſciâ ſequenti decocto imbutâ, involvimus.

℞. Radic. conſolidæ major. Tormentillæ, Biſtortæ, an. ℥j. Herb. Beton. Ivæ arthriticæ, Abſinthii, Salviæ, Roſmarini, Flor. Primul. Veris an. m. j. Coquantur in ℔. vi. aquæ, addendo Salis m. j. Faſciam uſque ad finem curationis præſcripto decocto madefactam applicuimus: poſt curationem verò ut ſiccam illam, per annum integrum & quidem mane applicaret, & per intervalla corpus expurgaret, venaque in brachio tunderetur, juſſimus. Sic Divino favore ab ulcere iſto inveterato feliciter, & parvo cum negotio convaluit. *Idem Cent.* 5.

De ulceris fiſtuloſi & inveterati feliciſſima & compendioſa curatione.

Anno 1586. Excellens quidam Medico-Chirurgus (cujus nomen hic lubens prætermitto) Genevæ matronam, quæ ex abſceſſu in crure ulcus fiſtuloſum contraxerat, curandam habuit: circa quam cùm ultra menſes ſex occupatus fuiſſet, ſummamque diligentiam fruſtrà adhibuiſſet, tandem Dominus Johannes Griffonius, Chirurgus ſcientiâ ſimul & experientia clarus, Præceptor & Fautor meus perpetuo honorandus, in conſilium adhibitus fuit. Is ut Chirurgus circumſpectus, & in inquirendis cauſis morborum longè diligentiſſimus, cum ſtylum exploratorium adhibuiſſet, & cognoviſſet, præcipuam & unicam cauſam, quæ conſolidationem impediebat, tenuitatem eſſe cutis, quæ ulceri adjacebat, ſpem dedit ægræ, ſe brevi, juvante Deo, illam in integram ſanitatem reſtituere poſſe.

Purgato itaque & ſatis præparato corpore, cauſtico cutem illam tenuem eroſit, & ex fiſtula ulcus oblongum fecit. Poſt caſum eſcharę, unguento de ſucco apii mundificato ulcere, ſpacio trium aut quatuor circiter ſeptimanarum feliciter cicatricem induxit.

Ab eo tempore frequentiſſime in curandis ægris idem mihi obſervare contigit. Quotieſcunque enim in abſceſſibus pinguedo, & panniculus à putredine aut pure abſumuntur, cute remanente integrâ, non coaleſcit, neque cum carne redunitur. Quæris cauſam? In promptu eſt. Venæ enim capillares ad cutem tendentes, à putredine & pure eroduntur & abſumuntur; Quibus eroſis, ſanguis, & nutrimentum conſolidationis materia non amplius, ad cutem defertur. Hinc cutem hoc modo à ſubjecto panniculo carnoſo ſeparatam, colorem naturalem in lividum aut obſcurum mutare videmus, areſcit enim. Quapropter veluti inutile quid abſcindenda aut erodenda eſt.

Hæc in gratiam juniorum Chirurgorum adſcribere viſum fuit, ut in inquirendis cauſis, quę ſanationem ulceris impediunt, diligentes prudenteſque ſint, atque videant, frequenter ex minimo etiam errore ſanationem ulceris retardari poſſe. *Idem ibidem.*

De fiſtulæ, ex parotide orta, curatione.

Studioſus quidam, circa annum duodecimum ætatis, abſceſſu ſub aura dextra (parotis vocatus Medicis) correptus fuit, qui quum paulatim in fiſtulam abiiſſet, per tres integros annos fruſtrà à Barbitonſoribus excruciatus fuit. Tandem 28. Julii Anno 1620. cum Bernam veniſſet, & mihi adductus fuiſſet, fiſtulam cuniculoſam inveni, exterius cute duo ſaltem erant foramina anguſtiſſima, quorum unum ſurſum verſus cranium tendebat, & in duos ſinus dividebatur: alterum deorſum verſus jugulares venas deſcendebat. Sed omnia intus erant calloſa. Optima præſcripta victus ratione, ſemel quinetiam atque iterum expurgato corpore, cauſtico meo cutem, quæ fiſtulis illis adjacebat, eroſi, & digeſtivum, nec non Unguentum Baſilici ad caſum eſcharæ applicui. Deinde eodem cauſtico, nec non pulvere Angelico, diligenter rectificato, calloſitates omnes paulatim abſumpſi, ita ut intra ſeptimanas ſeptem pleniſſime convaluerit.

Prædicto autem pulvere ad finem ferè curationis uſus ſum. Non tantum enim mundificat, & ſuperfluam carnem abſumit, verum etiam conſolidat, & optimæ carnis generationem promovet.

Senſim prætereà viſcoſos humores, qui in ambitu vulnerum, & ulcerum male curatorum deliteſcere ſolent, ad ſe trahit & evacuat.

Porrò diligenter attendendum eſt, ne quicquam de cute à ſubjecta carne muſculoſa ſeparata, & venis capillaribus

pillaribus deſtituta, remaneat. Conſolidationem enim impedit, ut præcedenti Obſervatione tyrones fuſius monui. Et quia illa in prima applicatione in hoc noſtro ægro, propter calloſitatem inſignem eroſa non fuerat applicationem cauſtici aliquoties iteravi; ubi diligenter proſpiciendum eſt, ut quantitas cauſtici cum cute, quæ erodenda eſt, juſtam, & ut dicimus, ad pondus habeat proportionem. Et ita quidem, ut partes integræ & ſanæ conſerventur, male affectæ verò deſtruantur. Id autem rectè ut fiat, neceſſe eſt ut Chirurgus optimam habeat notitiam facultatis ſui cauſtici.

Deinde etiam ut naturam ſubjecti cognoſcat, hoc eſt, an molle, rarum, humidumque, an vero ſolidum, denſum, & ſiccum exſiſtat? Quam periculoſum enim ſit, in applicatione cauſticorum medicamentorum errare, Lector ex obſervatione 49. Centuriæ 1. & obſerv. 72. Cent. 4. videre poterit. *Idem ibidem.*

Inveteratum ulcus, in pollice pedis exiſtens, quo modo ſanatum?

Tigurinus quidam Juvenis contuſionem ad pollicem pedis receperat, exortâ inflammatione in ulcus degeneravit; id cum inveteraſſet, nulliſque, ut videbatur, remediis ampliùs curari poſſet, venit ad me Genevam Anno 1595. Digitus intumefactus, & inflammatione obſeſſus erat. Ad externum latus digiti ulcus erat cum excreſcentia carnis, quæ magnitudinem fabæ excedebat, & dimidiam ferè partem unguis velabat. Hanc Barbitonſores cauſticis aliquoties abſumſerant, ſed fruſtra. Quicquid enim de die abſumebatur, id noctu fungi inſtar repullulavit. Ego diligenter perquirens, quænam ſanationi hujus mali obſtare poſſent, inveni unguem, ſubter carnem illam extuberantem, à ſubjectâ carne ſeparatum eſſe, & proinde continuò carnem ſanam, verſum radicem unguis pungere, dolores excitare, humoreſque copioſè attrahere. Cognitâ causâ ægro ſpem feci, brevi ipſum ſanitatem recuperaturum. Purgato corpore, & ſectâ venâ in cubito ejuſdem lateris, excreſcentiæ carnis pulverem aluminis uſti inſperſi: Digito verò ſimul & toti pedi ſequens Cataplaſma, quod refrigerat, & dolorem lenit, applicui.

℞. Farinę Fabarum ℥ ij. Pulveris roſar. rubear. Balauſtiorum, & Nucum cupreſſi an. ʒ ij. Croci ℈ß.

Coquantur cum aqua plantaginis & roſarum, parumque aceti ad formam Cataplaſmatis, addendo ſub finem vitellum ovi, parumque olei roſacei, applicetur tepidè.

Beneficio hujus Medicamenti dolor ſimul & intumefactio multum remiſerunt, excreſcentia quin etiam carnis aliquantum imminuta eſt, ita ut unguis à ſubjecta carne ſeparatus, quem excreſcentia carnis obtexerat, in conſpectum veniret. Illum cùm ſcalpello & forfice, eâ quâ fieri potuit diligentiâ abſcidiſſem, & pulverem exiccantem aſperſiſſem, necnon Emplaſtrum diapalmeum applicuiſſem, brevi convaluit. Ediſcant Chirurgi, quantum interſit, morbi cauſam præcognoſcere. *Idem ibidem.*

Pro Ulcere in genere.

Proponam hic Medicamentum polychreſtum ad omnia ulcera ſananda etiam compoſita, & eſt unguentum mirabile dictum, quia mirabilia præſtat, confectio talis eſt.

℞. Lithargyr. auri ℥ij. ol. roſ. ℔j. ponantur ad ignem in vaſe vitreo, & bulliant eo uſque quo ſi mittatur intus calamus comburatur, adde ceræ novæ ℥ij. ſtyrac. liquid. ℥j. mell. ℥iß. bulliant & incorporentur optime, poſtea extrahatur ab igne, adde pulv. thuris mirrh. præcipitati, ol. terebinth. ceræ, reſin. pini an. ℥j. M. optimè. Hoc unguentum exſiccans eſt, & abſtergens, & malignitatem extinguit ob præcipitatum. *Rodericus à Fonſeca, tom. 2. conſult.* 17.

Pro ulcere calido in tibia.

Corpore decenter purgato ulcus lavari mandavimus cum aqua plantag. roſ. & ſimilibus. Deindè unguentum commodè deſiccativum & incarnativum etiam refrigerans in tibiis maximè expertum præſcripſimus.

℞. Ceruſſ. ℥j. lithargyr. ℥j. maſtich. corall. rub. roſ. ſang. drac. camphor. an. ℥j. unguenti popul. quart. ß. ol. roſ. viol. aqu. ſolani & plantag. q. ſ. lapid. calamin. & oſſis ſæpiæ an. parum. F. unguentum. *Petrus Foreſtus, obſerv. 5. libr. 7. obſ. Chirurg.*

Quidam in ulceribus parvis excoriantibus cutem & carnem tibiæ cujuſdam, prius appoſuit emplaſtrum ex ceruſſa, lithargyro auri, myrrha & oleo roſ. coctis ad duritiem convenientem; ſed interim ſucco ſenecionis excoriationes, tum ulcera lavabat, deinde pulvere ariſtol. long. & baccarum lauri inſperſo; hinc pannum lineum in ſuccô ſenecionionis madefactum circa tibiam excoriatam volvebat, ſuperinductis faſciis à talo ad genu uſque; & ita tibia excoriata ab omnibus ulceribus ſana evaſit. *Idem. obſ. 4. lib. 7. obſ. Chirurg.*

Pro ulcere verminoſo.

Unguentum hoc in ulceribus ad vermes deſcriptum à *Bertapalia* adhibuimus.

℞. Olei amygdal. amar. ſucc. arant. acidor. vini malvatici, an. ℥ ß. pulv. colocynth. cent. min. an. ʒij. ceræ, q. ſ. F. unguentum. *Petrus Foreſtus, obſerv. 10. lib. 7. obſerv. Chirurg.*

Pro ulcere cum oſſis corruptione.

Chirurgus ut ſquammæ exſiccarentur, & exciderent oſſium cortices, & ut bona caro renaſceretur, commodè hoc ſequenti pulvere uſus eſt.

℞. Ariſtol. rot. ireos, Aloës combuſtæ, rad. peucedan. ſcoriæ æris, cortic. pini, an. part. æq. F. pulvis, adjectum eſt deinde mel ut fieret emplaſtrum. *Petrus Foreſtus, obſ. 11. lib. 7. Chirurg.*

Pro ulcere virulento, corroſivo & ambulativo.

Chirurgus quidam hac lotione commodè utebatur.

℞. Myrobal. citrin. ℥ß. myrtill. roſar. an. M. ß. ſantal. omnium an. ʒiß. aq. roſ. ℥iv. aq. plantag. ℥VIII. bulliant omnia ſimul ad tertiæ partis conſumptionem. Idem hoc pulvere ad cicatricem inducendam utebatur.

℞. Bol. armen. ℥ß. alumin ʒ ij. balauſt. myrtill. myrobal. citrin. an. ʒiß. M. F. pulvis, hoc etiam unguento prohibente ulceris deambulationem utebatur.

℞. Tutiæ præp. plumbi uſti, antimon. an. ʒII. pulveriza ſubtiliſſimè, & cum oleo myrtino F. unguentum. Carpus hoc utebatur pro exſiccando ulcere.

℞. Ariſtol. long. rot. cent. min. an. M ß. caud. equin. Mj. cortic. thur. ʒj. vini nigri ℔x. mell. ℔ß. bulliant ad conſumptionem duarum partium, & coletur.

Quidam cum ulceratam haberet tibiam ulcere virulento & corroſivo, pulverem cranii humani adusti inſpergebat, & ſupra dictum pulverem linamenta ſicca apponebat, & ita curatus eſt: unguent. hoc valdè eſt expertum mundificans & conſolidans omnia ulcera corroſiva, ambulativa, & difficilis conſolidationis.

℞. Suc-

♃. Succor. depurator. pentaphyll. piloſell. conſolid. min. bugulæ, abſinth. an. ℥i. ſucc. caud. equin. virgæ paſtoris, an. ℥ij. ſucc. plantag. ℥v. ol. roſ. ℥iv. ceræ ℥iij. mell. roſac. ℥iiß. terebinth. ℥ij. vel q. ſ. ceruſſ. lotæ in aqua plantag. lithargyr. auri, tutiæ præpar. plumbi uſti & loti, ſpodii, balauſt. an. ℥ß. ſang. drac. ſarcocoll. nutrit. in aq. plantag. myrrh. thuris, aloës, roſ. ſicc. ciner. ſarment. vitis, an. ʒ. ij. F. unguentum.

Hæc aqua mirabilis habetur in exſiccatione ulcerum virulentorum.

♃. Succi portulac. plantag. ſucci uvarum non maturarum an. pintam. j. album. ovorum numer. 8. alumin. crudi ℔j. optime pulveriz. & extrahatur aqua per alembicum. *Petrus Foreſtus*, *obſerv.* 13. *lib.* 7. *obſerv. Chirurg.*

M. Jodocus Chirurgus ad ulcera ſordida & putrida, & ad gangrænas, hoc unguento abſterſivo utebatur.

♃. Micam panis ſiliginei, & tempera eam in aceto vini ad horas ſex, poſtea eam contunde, & adde mell. roſ. & ſalis, q. ſ. extend. ſuper licinia, poſtea ſuperpone plumaceolum infuſum in aceto & aqua, ita ut comprehendat totum ulcus, interim non omittendo defenſivum circa partes vicinas. Sed & nos hoc unguento mundificativo mirabili ad ulcera putrida ſine corroſione commode utimur.

♃. Succ. depurator. apii, abſinth. beton. an. ʒj. ſucc. plantag. ℥iv. ſucc. agrimon. ℥ij. mell. roſat. colat. ℥iv. bulliant omnia ſimul leviter ſemper movendo uſque ad conſumptionem quaſi ſuccorum, deponendo ſpumam, deinde removeatur ab igne, & incorporetur cum eo pulvis ſequens ad mellis ſpiſſitudinem.

♃. Gallar. quercus ℈iß. el. myrrh. ℈ij. thur. maſtich. aloës ſuccot. ſang. drac. ſarcocoll. an. ℈j. pſidiæ, roſ. rubr. balauſt. ciner. ſarmentor. vitis an. ʒj. F. pulvis ſubtiliſſimus. Aliud unguentum mundificativum mirabile in ulceribus ſordidis & fraudulentis.

♃. Succi folior. lilii ℥iv. aceti ℥j. mell. ℥ß. M. & coque in vaſe æneo ad perfectionem: aliqui addunt ſucc. abſinth. apii, & plantag. q. ſ. & mirabiliter operatur. *Idem. obſerv.* 14. *lib.* 7. *obſerv. Chirurg.*

Pro ulcere profundo & cavernoſo in mulieris cujuſdam coxa.

Cum eam ſæpe purgaſſemus, ad decoctum ligni guajaci devenimus; ipſis ulceribus abſterſis cum injectionibus & lotionibus ex lixivio, melle roſato, & alumine factis: aqua maris hîc egregie confert, ut & aqua aluminoſa, quæ in hoc affectu præſtantiſſima eſt.

Pro putrefactione circa labia, & ut etiam ulcera ampliarentur, aliquando præcipitatum imponere mandavimus: deinde ablata eſchara, ad majorem mundificationem, etiam unguento Ægyptiaco cum decocto hordei, & mellis modico abluimus, ulceribus ſatis abſterſis, per tres dies hac lotione ulcera ablui juſſimus.

♃. Aquæ hord. ℔ß. mell. roſac. ℥iij. M. deinde ad incarnationem Chirurgus devenit hoc ſequenti unguento, quod eſt *Joh. De Vigo.*

♃. Terebinth. claræ ℥ij. mell. roſ. ℥j. ſarcocoll. ʒiij. glutin. piſcium, tragacanth. an. ʒj. antimon. plumb. uſti, an. ʒiß. ſucc. centaur. ʒij. vel ejus loco pulv. ʒiij. farin. hord. cribrati ʒiß. croci ℈j. bulliat terebinthina cum melle roſac. parum deinde omnia ſimul miſce, in hoc caſu eſt mirabilis incarnationis, interim ab initio etiam in circuitu aliquod defenſivum appoſitum eſt, poſtea unguentum de minio ſuper linteum admotum eſt, & ita cicatrizatum eſt hoc ulcus, ſequens etiam Medicamentum quod in frequenti uſu eſt apud Chirurgos, miram vim habet in glutinandis ſeu incarnandis ejuſmodi ulceribus.

♃. Decoct. hord. ℔j. mell. roſ. ℥iij. ſarcocoll. ʒij mynrh. thur. an. ʒj. vini odorifer. ʒvi. coq. omnia ſimul uſque ad tertiæ partis conſumptionem, interdum poteſt addi aliquid aloës, poſt glutinantis Medicamenti impoſitionem ſola ſpongia nova mulſo imbuta circumponenda eſt, quam fieri poteſt molliſſima, ejus autem deligatura à ſinus fundo incipiat, & ejus ore finiat; faſciarum vero ſpiræ ſinus profundum ſine dolore arctent, ac paulatim uſque ad os ejus relaxentur: ſpongia ideo circumdatur & alligatur ut exſiccet, manantemque e ſinu ſaniem excipiat, alioqui partem eroderet; ſit mulſo imbuta, ut detergeat, mollis, ne aſperitate lædat, nova vero, ut deſiccet. *Petr. Foreſtus*, *obſerv.* 15. *& ſchol. lib.* 7. *obſerv. Chirurg.*

Pro ulcere fiſtuloſo.

Mirifice prodeſt in antiquis fiſtulis & admodum calloſis hæc injectio.

♃. Unguenti Ægyptiac. ℥ß. ſublimati ʒß. lixivii. ℥iv. aq. roſ. ℥ij. arſenic. ℈j. aq. plantag. ℥iv. bulliant uſque ad conſumptionem tertiæ partis injecto Medicamento, fiſtulæ os linamento concerpto claudendum eſt, ne id refluat; niſi enim aliquandiu maneat nullum affectum effatu dignum præſtare poterit: quæ ex arſenico illinuntur penicilla, neminem unquam fefellerunt, ut præpter experientiam quotidianam, recentiorum fere omnium ſcripta teſtantur. *Petrus Foreſtus*, *obſerv.* 16. *lib.* 7. *obſerv. Chirurg.*

Pro ulceribus tibiarum.

Quidam hoc cerato de plumbo, quo uti ſolebat *Angelus de Parma*, curatus eſt.

♃. Antimon. ceruſſ. lotæ, an. ℥ß. plumb. uſti, lithargyr. terebinth. an. ℥i. ol. roſ. completi ℥ij. ceræ alb. ℥iß. ceræ in oleo liquefactæ, addatur terebinth. Deinde pulveres, & F. unguentum. Hoc etiam egregie probatum eſt ad ulcera tibiarum oſtracola.

♃. Ceræ. reſin. an. ℥j. ſævi caſtrati ℥ij. picis naval. ol. an. ℥iij. maſtich. thur. an. ʒiij. lithargyr. ℥iß. ceruſſ. ℥ß. coq. ſimul oleum, reſina, ſævum & cera, uſque ad bonam glutinoſitatem; poſtea addantur reliqua. De tertio autem die in tertium ulcus debet lavari vino calido. Hæc etiam tela quæ ad Galenum refertur, competit ulceribus tibiarum.

℞. Ol. roſ. ℥xii. ceruſſ. ℥iij. lithargyri ℥ivß. thur. maſtich. an. ʒß. ſang. drac. ℥ß. myrrh. ſarcocoll. an. ʒij. coq. parum, uſque ad rubedinem, & extrahatur ab igne, & imponatur tela antiqua ex lino. *Idem obſerv.* 8. *lib.* 7.

Pro ulceribus Chironiis ex Galeno.

♃. Ceræ ℔j. ceruſ. ℥viii. ol. roſac. ℔j. ſal. ammoniac. ℥iij. ſquamm. æris ℥ij. thur. alumin. ærugin. malicor. calcis vivæ, an. ℥i. quæ liquari debent, liquata & frigefacta aridis vino tritis admiſceto, & placidiore igne decoquito. *Petr. Foreſtus*, *ſchol. obſerv.* 12. *lib.* 7. *obſ. Chirurg.*

Pro ulcere ſordido putri virulento, depaſcente in brachio cujuſdam mulieris cum oſſis carie.

Poſt ritè purgatum corpus, & exhibitum decoctum ligni ſancti, ulcus quotidie per tonſorem abſtergi poſt ſudorem præcipio decocto primo ligni & linteolis exſiccari; tum os corruptum eradi, donec aliquid cruoris vel humiditatis appareret: poſtea illini tribus aut quatuor guttis balſami ſulphuris, tandem applicari empiaſtrum meum diaſulphuris jubeo, quibus omnibus caro in oſſe latè denudato procreata, & ulcus ad conſolidationem perductum fuit in quadraginta diebus. Emplaſtrum diaſulph. ita fit.

℞. Ol. ſulph. ℥iij. ceræ ℥ß. colophon. ʒiij. myrrh. ad pondus omnium, cera, colophonia, oleoque liquefactis ſimul, & benè commixtis inſpergatur myrrha ſubtiliſſimè trita, paulatim igneque lento coquantur, ſpatha ſemper agitando, donec benè permixta fuerint. Poſtea nimirum poſt quartam horæ partem, ab igne deponantur, & paulatim frigeſcant; & habebis emplaſtrum præſtantiſſimum & infallibile in curandis omnis generis ulceribus & vulneribus quibuſcunque. *Martinus Rulandus, curat.* 93. *cent.* 1.

Corpore purgato ulcera diebus alternis ſemel lavabantur mane, & per ſe ſiccabantur, ſequenti aqua noſtra.

℞. Aq. plantag. ℔i. aq. roſ. ℔ß. fl. malorum arantior. ℥iij. argenti vivi ſublimati & pulver. ℥ß. M. coq. omnia lento igne per quartam horæ partem. Deinde removentor ab igne, & cum deferbuerint, in phialam vel vitrum imponuntor pro uſu, & ſic mulierem quandam cujus totum corpus ulcerofum erat, brevi tempore curavimus. *Martinus Rulandus, curat.* 19. *cent.* 5.

Fœdisſima cruris ulcera.

Curavit Illuſtriſſima Comitiſſa quædam in *Moravia*, cum decocto fol. quercus, cui addidit parum alumin. myrrh. & thuris, quo decocto eluit ulcus; folia verò decocta calide emplaſtri loco applicavit ter in die renovando. Sic leviſſima ſubinde, & quæ vulgaria videntur, plurimum juvant. *Wolfgangus Hoeferus, lib.* 4. *Herc. Medic. cap.* 2.

Pro ulcere in dorſo ſinuoſo, profundo & ſordido.

Poſt univerſalia ad detergendum & mundificandum ulcus, his uſus ſum auxiliis.

♃. Decoct. hord. integr. ℔ij. mel. roſat. colat. ℥iv. M. F. injectio intra ulcus per ſiphonem rectum: abſque mordicatione detergit & eluit ulceris ichores. Verum quum & craſſa ſanies ſordida multa ineſſet, hoc altero fortiore mundificativo uſi ſumus, nempe Ægyptiaco unguento præfato decocto admixto, adjectis aq. vitæ ℥ ij. interdum & poſt dies aliquot ubi hoc ſecundo decocto uſi eſſemus, nec ſatis pro voto deterſio procederet, hac injectione nobili & efficaci utendum cenſuimus.

℞. Ligni ſancti ſubtiliſſ. pulverati, cortic. ejuſd. an. ℥ij. ariſtol. long. cent. min. abſinth. agrimon. caud. equin. fol. oleæ myrti, pimpinell. conſolid. maj. an. M j. cortic. thur. myrrh. ſarcocoll. an. ℥ß. Vini rubr. odorif. ℔ iij. mell. deſpumat. ℥iv. omnium decoctio; ex cujus colatura fiat injectio intra ulcus, addendo hora injectionis aq. vitæ el. ℥ i. pro qualibet vice. Ubi animadverſione dignum & obſervatione viſum eſt, aquam vitæ cum præfato decocto potentiſſimam eſſe & efficaciſſimam in detergendis ſordidis ulceribus ſine morſu, iiſdemque exſiccandis & ad glutinationem promovendis: quin ſi cum præfato decocto adjiciantur aq. vitæ, el. ℔ ij. & in alembico vitreo in B. M. deſtillentur, mirabilem inde elici liquorem ad ulcera ſordida & cava tum detergenda, tum glutinanda; quod crebro experimento nobis exploratum eſt: mira namque profectò aquæ vitæ vis eſt in detergendis ulceribus & glutinandis; præſertim nervoſarum partium, ut diuturna obſervatione nobis eſt comprobatum, ut qua nihil eſt præſtantius. Cum carnem in hoc ulcere regenerare vellemus, altera injectione uſi fuimus, cujus eſt vis, & modicè detergere, & carne cavitatem implere, unde ſarcotica dici meritò poteſt.

♃. Fol. plantag. M. ij. Agrimon. herbæ Roberti, petaphyll. an. M. j. ſummitat. abſinth. num. 3. utriuſque conſolid. caud. equin. ceterach. hyperic. an. M. ß. beton. M. j. F. decoctio in aq. in fine adde vini rubr. aſtring. ℔ij. roſ. rub. fol. myrti, an. p ij. hord. integr. p. ij. de colatura cape ℔iv. quibus adde farinæ fabar. ʒj. farinæ orobi ℥ß. thuris, maſtich. ſarcocoll. reſin. pini, an. ℥ i. myrrh. ariſtol. rot. an. ʒ vi. irid. flor. ʒ ß. mell. roſat. colat. ℥ iij. M. & ex hoc liquore F. injectio intra ulcus hoc ſequenti unguento, poſt injectionem, intra ulcus cum turundis, ſpleniis ac liciniis commodè utebamur.

♃. Succ. plantag. ℥ iv. ſucc. agrimon. ℥ij. ſucc. abſinth. ℥ j. vini rubr. ℥ vi. ol. roſ. omphac. ℔j. coq. ſimul ad vini & ſuccorum conſumptionem, in fine addendo farin. fabar. ℥ iiß. farin. orob. ʒ ß. thuris, maſtich. ſarcocoll. reſin. pini, an. ℥j myrrh. el. irid. flor. & ariſtol. rot. an. ℥ß. terebinth. in vino albo lotæ ℥ iij. mell. deſpumat. ℥vi. ceræ quod ſatis eſt, F. unguentum. Pulvere item ſarcotico hoc poſt completam ulceris deterſionem intra ulcus uſi feliciter ſumus.

♃. Aloës el. ʒij. thur. & cortic. ejuſdem, myrrh. ſarcocoll. an. ʒj. rad. irid. flor. ℈iv F omnium pulvis tenuiſſimus admovendus cavo ulceri ad impletionem cavitatis. Sed ſequenti unguento celerrimè omnium eſt perfecta mundificatio; miram namque in detergendis ab ichoribus & ſorde ulceribus vim habet.

♃. Succi apii ℔ ß. (mirabile eſt in detergendis ulceribus) mell. el. ℥ iv. farin hord. ℥ij. farin. orobi ℥ß. myrrh. el. ʒij terebinth. ℥ iß. coq omnia ſimul ut fiat unguentum quo turundæ & licinia imbuantur, & in ulceris cavitatem indantur; optimè ulcera & citra morſum purgat. Ad carne implendum ulcus hoc ſumus emplaſtro uſi.

♃. Lithargyr. auri ℥vi. ol. roſ. omphac. ℔iß. acet. roſac. ℔ß. coq. ſimul lento igne, perpetuò cum baculo agitando, donec acquirat colorem nigrum ad bituminis & cerati conſiſtentiam ut F. magdaleon, ex quo fiat emplaſtrum ſupra ulcus apponendum, in fine verò curationis emplaſtro diachalciteos cum diapompholig. uſi ſumus; & ſic tandem curatum eſt fiſtuloſum hoc ulcus citra ſectionem. *Franciſcus Valeriola, obſerv.* 1. *lib.* 5.

Pro Ulcere in pede.

Ulcus in pede fœminam quandam affligebat, & licet quandoque ſanaretur, certis temporibus remeabat, erat enim illi hæreditarium malum. Hoc remedium præ cæteris laudabat, quod ei profuit.

♃. Lithargyr. ʒij ceruſſ. ʒiij pulverizata laventur aqua roſac. & ſiccentur, adde tutiæ præp. pompholig. alb. an. ℥iß. plumbi uſti & loti ʒij. F. pulvis tenuiſſ. Excipiatur infuſione gummi tragacanth. facta in aqua roſ. add. ſævi capr. ℥ij. vel paulo plus, ut F. inſtar emplaſtri, addendo camphor. ℈j. *Felix Platerus, obſ. lib.* 2. *pag.* 561.

Ex glabritie ſciemus virulentam & malignam qualitatem invaſiſſe partem ulcere detentam, unde ferinum ulcus ſuboleſcit. Propterea Chirurgis illud ſtudium ſemper adſit, ut partem firment, & totius cacochymiam caſtigent. Utantur ſæpe à purgatione decocto ſarſæ, & chinæ & ligni Indici, & ulceribus talia topica adferant, quæ unà partis calidum nativum recreent, ac intemperiem flectant. *Joh. Heurnius, ad aphor 4. ſect. 6.*

In contumacibus ulceribus, mirum in modum ſolatio eſſe ſolent remedia revellentia ſuccos à parte vulnerata. Hinc eſt quod ita juvent vulnerariæ potiones, nam urinas movent, unaque ichoroſam materiam, quæ quotidie in partem ulceratam ferri ſolebat. Inde etiam decoctiones rad. chinæ & ſarſæ juvant: nam talem materiam ſudoribus & vaporibus evacuant ac revellunt. Hoc itaque dicere velle videtur Hippocr. hîc, quia à talibus ulceribus periculum eſt, ut oſſa affligantur, vos cavete ne in longum tempus trahatur eorum ſanatio, & ne inveteraſcant. *Idem ad aphor. 45. ſect. 6.*

Pro Ulceribus in genere.

Ulcera multa & maxima in multis corporis humani partibus, ſequenti emplaſtro ad curam perfectam deducta ſæpiſſime vidi.

℞. Maſtich. ʒj. terebinth. vener. ℥iij. ceræ flavæ ℥iv. liqueſcant in terrea olla, primò cera cum terebinthina, poſtea removeantur, & in aqua tepida diu laventur, & malaxentur, dumque malaxantur pulvis maſtiches cum iis incorporetur, & in magdaleones redigantur. Sequentia etiam emplaſtra miros produxerunt effectus.

℞. Beton. agrimon. verben. pimpinell. an. M. j. ceræ, terebinth. reſin. an. ℔j. maſtich. ℈j. vini alb. opt. ℔iij. coq. ad conſumptionem tertiæ partis, & cola, coques autem herbas ſolas, & poſt conſumptionem tertiæ partis, addes reliqua; rurſuſque parum ea coques, deinque emplaſtrum à vino ſeparabis. Nicotianæ decoctione etiam ſola in oleo cum cerę q. ſ. F. optimum emplaſtrum ad idem. *Petrus Borellus, obſerv. 16. cent. 1.*

Pro ulceribus ſerpentibus oris, labiorum, gingivarum & faucium.

℞. Ærugin. æris ʒj. auripigmenti ʒß. trita ſubtiliſſimè, coque in vini albi ℥iv. ad mediæ partis conſumptionem. Poſt refrigerationem adde aq. roſ. & ſolan. vel plantag. an. ℥iß. ut fiat aqua viridis pro illitione ulcerum. *Felix Platerus, libro obſerv. pag. 907.*

Pro Ulceribus oris & faucium venereis.

℞. Aq. plantag. ℔ij. unguenti ægyptiac. ℥iv. M. pro lavatorio: quo ab ulceribus iſtis quam plurimi per me curati ſunt, eſt mirabile. *Petrus Foreſtus, obſ. 21. lib. 32. De Lue Venerea.*

Pro ulcerum hæmorrhagia.

Admove farinam tenuiſſimam molendinarum cum bolo, ſanguineque drac. maxima hæc copia aſpergantur. *Joh. Heurnius, ad aphor. 21. ſect. 7.*

Ulcus amplum depaſcens totius cruris, malè curatum, frequenti ſcilicet inuſtione, & exſiccatione nimia oſſis, ejuſdem abraſione, & accommodatis remediis ſanatum.

Nobilis Veronenſis ex familia Liſca, laborabat amplo ulcere, in totum crus ſerpente, cum oſſis corruptione, atque effluxu ipſius medullæ, cujus cauſa, ut credo, Lues Venerea, hoc indicio, quod Veronæ diu curatum, nunquam tamen cicatrice obductum fuerat: cum verò à patiente quærerem, qua Methodo Medici ulcus curaſſent, faſſus eſt, illos frequentiſſimis potiſſimum oſſis inuſtionibus uſos, carni, & labiis ulceris ſarcoticis adhibitis; fruſtra tamen, quod me judice, adeo exſiccaretur os, ut alimentum femori accedens illi nutriendo, ita abſumeretur, ut carni ſub ipſo producendæ par non eſſet; ac proinde nec ſtatuto tempore hoc abſcedere poſſet, nec cicatrix induci, quod Medicos illos latuit, hoc verò cum animadverterem, ſcalpro abraſorio totum os tum corruptum, tum combuſtum eraſi, donec ſanguis ex ipſo exſudaret, adhibitis poſtmodum filamentis aridis, & ſupra carnem ambientem, ſarcoticis; quibus paucis diebus os munitum fuit tum carne circumpoſita, tum propria; cicatrice tandem, tempore illi opportuno obductum epuloticis. Obſervandum propterea hæc ulcera curantibus, abſtinendum à medicamentis valdè exſiccantibus, & oſſa adurentibus, ob rationes ſuperius allatas; cum illorum uſu ſemper prohibeatur abſceſſio oſſis, à carne ſupra os ſanum genita, corruptum extrudente, documento Chirurgis, ut hos errores vitent, nec velut inſanabilia hæc ulcera dimittant. *Petrus de Marchettis Obſervationum Medico-Chirurgicar. Sylloge.*

De ulceribus cruris varicoſis.

Virgo quadraginta annorum, jam per longam annorum ſeriem malæ diætæ dedita, ac inter cætera noxia, viſcoſis, aceto, aliiſque acidis nimium delectata, pedeſque æſtivo tempore in aquam frigidam ſæpiùs immergens, nunc per quindecim annos laboravit varice tibiæ ſiniſtræ ab imo pede ad genu uſque pertingente, ac ulceribus duobus circa malleolum internum ejuſdem tibiæ profundis, ſordidis, valdè dolorificis, ac materia quadam acri ac tenui ferè ſemper ad ſummum uſque impletis, & circum circa eryſipelas pro comite ſæpiùs habentibus. Horum ulcerum medelæ plures medici ac chirurgi per longum tempus fruſtra incubuere, imò etiam celeberrimus ille practicus Feii, dominus Cranenburg'.

Scilicet ab acidi & viſcoſi nimia quantitate aſſumpta ſanguis hujus virginis redditus fuit craſſus & aptus ſtagnare, quare portio quædam illius delata ad tibiam ſiniſtram ſubſtitit & moram aliquam traxit circa valvulas alicujus venæ, cujus membranæ à majori ſanguinis copiâ ibidem congeſtâ ita diſtendebantur, ut humores ex arteriolis inter membranas illius venæ diſperſis egreſſi (nam inter membranas venarum arteriolas, venulas nervuloſque per microſcopium detegere potes, & abſque dubio adſunt etiam vaſcula lymphatica) & per membranarum tubulos errantes, liberè tranſire nequiverint, ſed ſtagnaverint illic ſeſeque poſuerint inter interſtitia fibrillarum tantâ copiâ, ut interſtitia illa ampliarentur non tantum, ſed ut præterea etiam aditus intercluderetur ſpiritibus animalibus ex nervulis in tubulos illos prolabentibus, ac venam alias aliquatenus conſtringentibus, inque illa motum quendam periſtalticum producentibus ad ſanguinis circulationem in vena promovendam, atque ita ſanguis in vena illa aliquatenus ſtagnans membranas illius ſupra modum diſtendens varicis citati cauſa extitit.

Sed cur varix ille potius in tibia, quam alibi ſe conſpiciendum præbuit? quia ſcilicet ſanguis venoſus ibi aſcendere debet per viam horizonti perpendicularem, & præterea hæc via aliquatenus occluditur à ligaturis illis, quibus crura conſtringere ſolemus ad retinendas caligas; ſic in virgine hac ſuum etiam huc contulit immerſio pedum in aquam frigidam non rarò inſtituta.

Sanguis igitur majori, quam par eſt, copia congeſtus in hac vena, partes quaſdam ipſius venæ membranarum minus reſiſtentes diſtendit magis quam alias craſſiores, & ſic receſſus quoſdam ſeu ſinus ſibi formavit, ac præcipuè quidem circa valvulas, in quibus ſanguis, naturâ ſuâ jam acidiuſculus, majorem adhuc acorem ſibi contraxit, quia ibi diutius abſque circulatione commorabatur.

Sanguinis autem hujus particulæ multæ acidiores in carnem vicinam tranſſudarunt per partes varicis magis diſtentas ac per conſequens rariores, hoc eſt, per ſinus illos, & ſic fibrillis ibi irritatis, & poſt diſciſſis dolor excitatus eſt, ac poſtea duo ulcera dolorifica, quæ deinde, pluribus fibrillis, diſruptis reddebantur profunda.

Particulæ illæ acidæ pertinaciter hærentes in poris labiorum ac fundo ulcerum humores ſinceros adhuc alluentes convertebant in acidos, qui ob tubulos ab ulceribus interruptos circulationem continuare non valentes, ab humoribus à tergo continuò inſequentibus propellebantur foras in cavitatem ulcerum, quam ad ſummum uſque ferè ſemper adimplebant humore acri, acido ac tenui, ſed ita tamen tenui, ut interim admixtæ eſſent particulæ quædam viſcoſiores ac magis ramoſæ, quæ ramulis ſuis ſibi mutuo implexæ, ac hærentes in ſuperficie ulcerum, illa ſordida reddebant.

Huc uſque explicuimus, quomodo particulæ quædam acidæ per ſinus varicis tranſſudaverint in carnem vicinam; nunc tempus eſt, ut animadvertas, particulas acidas multo plures ex ſinibus illis abreptas eſſe in maſſam ſanguineam, cum qua circulantes magna ſui portione ingreſſæ ſunt ulcera magis quam alias partes, ob acidum fermentum illic delitescens, eo modo, quem explicuimus in obſervatione ſecunda; & ſic adaucta fuit copia humoris acidi ulcera implentis & ex illis promanantis.

Eryſipelas, quod ut plurimum circumvallabat ulcera, ab acido ibidem hærente itidem ſuam trahebat originem.

Hæc omnia dum aliquantiſper mecum volutabam, tandem me converti ad varicem, ut ad primam mali originem, quæ cauſa procatarctica vel primitiva dici poſſet, ſi terminis artis inutilibus uti alicui volupe foret; ac è varice lancettâ aperto eduxi uncias aliquot ſanguinis ſtagnantis, acidi & nigricantis.

Deinde pervenit ad maſſam ſanguineam acido fermento imburam, quæ cauſæ antecedentis nomine gauderet hoc in caſu apud illud ſubtile nimis eruditorum genus, quod magis de vano verborum apparatu, quam de rebus ſollicitum eſt; illamque corrigere cæpi per bonam diætam inſtitutam, viſcoſa, acidaque cuncta prohibentem, atque per pulverem acidum temperantem quotidie aſſumptum conſtantem ex ſcrupulo uno oculorum cancrorum, ac eadem quantitate coralli albi.

Denique ad ulcera ipſa acceſſi, in quorum fundo, labiiſque deliteſcebat acidum fermentum, quod, ſi quibuſdam forte placeret, cauſæ conjunctæ nomine poſſet appellari.

Præcipuum quod mihi jam reſtabat agendum, erat, ut fermentum illud temperarem ac tollerem, atque ut labia ulcerum ad fundum uſque ſenſim ſine ſenſu deprimerem, nam ex hoc ultimo negotio triplicem mihi pollicebar utilitatem.

Primo ſciebam, quod ſublata hoc modo ulcerum cavitate, nihil in illis poſſet colligi humoris illius acidi ac aliqua ſaltem ex parte viſcoſi, qui particularum viſcoſarum ac ramoſarum ratione ulcera antea ſordida reddebat, atque acidarum ac ſcindentium particularum reſpectu illa quotidie magis magiſque excavabat: quandoquidem in ulcerum cavitate continuo magna copia congerebatur prius, ſed quod ille humor, ſi ad ulcera adhuc veniret, ſtatim poſt adventum ſuum deberet foras propelli, hoc eſt, ad latera ulcerum à corpore duro labiis ulcerum deprimendis validius appreſſo.

Secundo certus eram hoc pacto circulationem ſanguinis ac humorum iri reſtitutum, in quo magna pars curationis ulcerum ſita eſt, nam labiis ulcerum non prominentibus, ut ante, ſupra fundi ſuperficiem, effici poſſe videbam ut humores per tubulos in labiis ulcerum contentos circulantes, qui prius ob tubulos ab ulceribus interruptos in ulcerum cavitatem defluebant, jam viam ſibi quærerent per tubulos in fundo ulcerum repertos, atque ita prorſus novam circulationem iterum inirent, quæ non impediretur ab aëre ambiente, uti prius, quia ille ſatis arceretur ab eodem corpore, quod ulcerum labia deprimeret, quoniam illud ſatis craſſum, ſolidum, durumque reddere mihi propoſueram.

Tertio ſæpius in ulcerum vulnerumque curatione obſervaveram, cicatricem generandam nunquam initium capere à centro, aut alia parte vicina ulcerum, vulnerumve, ſed ſemper incipere ab extremitate cutis ambientis ob ſimilitudinem ſuperficierum, quæ inter cutim ac cicatricem reperitur; atque hinc firmiter perſuaſus eram, ulcera ab acido fermento ſordibuſque liberata prius, planaque reddita modo prædicto, ac circulatione reſtitutâ gaudentia, brevi temporis ſpatio contecta fore cicatrice.

Congeſſi igitur nonnulla idonea medicamenta acidum temperantia contra fermentum peccans in ulceribus deliteſcens, atque, ut unâ fideliâ duos dealbarem parietes, formavi ex illis placentulam ſatis duram craſſamque ac ulceribus paulo majorem, ſic ut tegeret etiam portionem parvam labiorum, eamque ulceribus impoſui, ac per ſtrictam ſatis ligaturam validius appreſſi, & reliqui per horas duodecim, poſt quas tranſactas vidi, quod ſpes, quam inde conceperam, me non fefelliſſet, nam ulcera reperi plana prorſus, à ſordibus omnibus liberata, ac jucundo rubore conſpicua, parumque aut nihil fere dolentia, unde propemodum raptus in admirationem, collegi acidum in ulceribus fermentum jam magna ex parte eſſe temperatum, ac brevi totum temperatum iri.

Poſt paucos dies, circulatione reſtituta, particulæ bonæ notæ per tubulos cutis ambientis euntes, illius extremitati adhæſerunt firmiter ob ſimiles cum cute ſuperficies, atque ita nobis in conſpectum venit rudimentum quoddam cicatricis quæ intra quinque ſeptimanas ulcus utrumque plane occluſit, quandoquidem quotidie magis magiſque accreſcebat.

Tandem ſingulis annis ſemel aperui varicem citatum, ex eoque eduxi libram unam ſanguinis, atque ita effeci ut ulcera illa poſtea nunquam iterum diſrupta ſint.

Eryſipelati, quod ferme oblitus eram, interea, dum medebar ulceribus, imponebam linteum quadruplex imbutum mixturâ conflata ex aqua florum ſambuci, ſpiritu vini, camphora & ſaccharo Saturni ad acidum peccans temperandum, quo temperato omnia eryſipelatis ſymptomata ceſſarunt, ac inter cætera etiam ardor inductus prius à particulis acidis, dum laterum ſuorum acie fibrillas citius ſolito commovebant.

Sed unde contingit, ut ulcera hæc longo temporis intervallo ſanari non potuerint à tot Medicis ac Chirurgis, etiam provectæ ſatis ætatis viris, quique ideo, ſolidum aliorum ratiocinium ſpernentes, nil niſi experientiam ſuam ſemper crepabant.

Experientia ſine vera ratione parum poteſt: nam ſicut inter mille facies humanas nulla reperitur alteri

per

per omnia ſimilis, ſic inter totidem morbos nullus eſt, qui cum alio in omnibus prorſus conveniat; & præterea valde credibile eſt, ſanguinem & partes internas unius hominis non minus differre à ſanguine & partibus internis alterius hominis, quam externas, unde iterum exſurgit varium hominum temperamentum, cujus varietas varia remedia poſtulat, ac præterea præter experientiam etiam ſanum medici judicium, quod alia pro hoc, alia pro illo remedio novit eligere.

Ad hæc ut dicamus, quod res eſt, Medici illi ac Chirurgi ſecundum vanam ac inutilem quandam theoriam ac philoſophiam conceptus ſuos dirigentes, nec cauſam varicis nec illius effectus, neque etiam ejuſdem remedium invenire potuerunt.

Deinde illi omnes fere morbos deducebant ex quatuor ſuis humoribus, cum tamen interim neſcirent, quid foret unuſquiſque & quibus particulis conſtaret, ut bilis, pituita, ſanguis, melancholia; atque hinc factum eſt, ut vera remedia eligere illis eſſet impoſſibile. Multo prudentius egiſſent, ſi reſpexiſſent potius ad varias ſanguinis particulas, quæ figura, magnitudine ac motibus ſuis à ſe invicem differunt, & præcipuè, ſi attendiſſent ad acidum & ſal, ut liceret ipſis exſpiſcari, utrum horum in ſanguine teneret dominatum, & ſi foret hoc acidum, purgationes per alvum nunc minime convenire.

Præterea illi conceptus ſuos nimis confundebant, cum putabant ulcera illa prius per quædam medicamenta debere detergi, deinde per alia incarnari, & tandem cicatricem iterum ab aliis induci debere, nam, hanc nimis anxiam diſtinctionem valdè inutilem eſſe, vel hinc manifeſtum evadit, quod ego ſolâ & unicâ meâ placentulâ utrumque ulcus tam brevi ſanaverim.

Denique illi inter medendum attendebant ad axioma ſuum, quod contraria contrariis curentur, ac animadvertentes ardorem in eryſipelate ulcera cingente, illum propellere tentabant per frigida, quæ ſanguinem & humores ſiſtebant, unde illi aceſcebant, ſicque ardorem eryſipelatis non parum adaugebant; ſed abutebantur illi ſuo axiomate, quo ſi benè uti voluiſſent, debuiſſent ſcire, ardorem eſſe tantum effectum & pro cauſa agnoſcere particulas quaſdam acidas propter obſtructionem circa ulcus hærentes, quæ lateribus ſuis ſcindentibus fibrillas nervoſas citatiore ſolito tremore concutiebant, & tunc rectiùs contraria contrariis curaſſent, applicantes ſcilicet talia, quæ acido vellicanti atque viſcoſo obſtruenti reſiſtere pro comperto habebant. *Joh. Muys in Praxi Chirurgica rationali.*

De Ulcere mirando.

Extra Arnhemium ultra Rhenum, & quidem in illo loco, qui dicitur belgice de Praeſt, fœmina ſeptuaginta annorum Patris mei, dum viveret, Medicinæ ac Chirurgiæ Doctoris, conſilium petiit, quandoquidem laborabat in ea femoris parte, quæ ſex digitorum latitudine circiter diſtat ab inguine, ulcere, cujus cavitas quatuor palmorum latitudinem ſuperabat.

Ex hoc ulcere una vice prodierunt triginta ova humore limpido plena, deinde per aliquot ſubſequentes dies plura alia egrediebantur, quæ omnia ſimul ſumpta numerum centenarium ſuperabant, eorumque quædam ovi gallinacei, quædam columbini, quædam etiam ovi paſſeris magnitudinem habebant, ſingulaque eorum propria ac à cæteris ſeparata, candidaque cingebantur membrana, quæ chartæ luſoriæ craſſitiem habebat.

Ovis ſubventaneis hæc ova valde ſimilia apparebant, omniaque ſimul in communi craſſaque membrana incluſa jacebant.

His ovis per vices ex ulcere hoc evacuatis, ſequens injectio in uſum revocabatur, aut ſimilis.

℞. Rad. ariſtol. rot. ℥ii. Herb. card. bened. veronicæ an M i ß. Oculor. cancr. ℥i. Myrrhæ, Aloës an ℥iß. Coque ſec. artem in vino gallico ac colatura uſurpetur.

Atque ita communis ac craſſa illa membrana ſenſim conſumebatur, ac patiens tandem priſtinæ ſanitati reſtituta fuit.

Hanc fœminam aſtantium plerique incantatam eſſe putabant, ac Diabolum hujus morbi authorem aſſerebant, honorem ac potentiam, quam Deo omnipotenti aſcribere debent, Diabolo malè tribuentes; nam Deus eſt cauſa primaria motuum, qui in hoc univerſo fiunt corporeo, & ſecundum leges horum motuum, attendendo tantum ad corporum magnitudinem, figuram eorumque ſitum, non modo hujus morbi phænomena, ſed etiam multa alia longè mirabiliora feliciter ſatis poſſunt explicari.

Si animus tibi ſit cognoſcere, quo pacto ex grano prodeat planta, oportet te attentè perlegere Anatomiam plantarum per microſcopium factam Domini Grevv Anglice & Gallice editam, illic in faba majori conſpicies rudimentum radicis ac plantæ jam jam contentum; illic intelliges, quo pacto ſuccus per fabæ telluri commiſſæ membranas tranſcolatus in fabæ corpore fermentetur, quo pacto per parvum fabæ foramen aëri aditus, ac vaporibus ſupervacuis exitus ibidem concedatur, quo pacto ſuccus ita fermentatus propellatur ad rudimentum radicis, illudque in veram radicem convertat, quæ tunc ex terra nutrimentum accipiens, alium ſuccum ab altera parte venientem repellit ſurſum ad rudimentum plantæ, ut ita vera tandem planta in conſpectum veniat.

Si ſtupendarum in magnete virium, ſi ignis fatui, iridis, aliarumque rerum cauſas ſcire deſideres, conſule Carteſium, qui illas tibi clare explicabit.

Idem Philoſophus in tractatu de meteoris itidem te docebit, quod milites in aëre aliquando præliantes, de quibus ignarum vulgus tam multa fabulatur, non ſint niſi nubes quædam.

Neſcio ſane, unde tam male fundatum ſit populi judicium, à quo tales caſus, qualis hic eſt noſter, habentur pro incantamento, & lumbrici per vomitum ac ſeceſſum ab hominibus tam crebro ejecti pro rebus merè naturalibus, cum tamen longè mirabilior ſit lumbricorum, quam horum ovorum in corpore humano generatio.

Vegelius Matheſeos Profeſſor equum ex metallo confeciſſe perhibetur, qui unico die per aliquot horas incedere poteſt ope rotularum, inſtar beſtiæ viventis.

Reyſelius machinam homini ſimilem fabricaſſe dicitur, in qua liquor quidam per os immiſſus ſanguinis inſtar noſtri circulare cernitur, cujus liquoris pars tenuior per penem ut urina, craſſior per anum, velut fæces alvinæ, excernitur.

Quod ſi homo talia poſſit, quid Deus, ſummus ille Architectus non efficere poterit ſecundum ordinarias leges motuum?

Quo pacto igitur hæc ova producta ſunt in hac muliere? multi ſcilicet pori hujus aut illius arteriæ diverſimode diſtorti ac ampliati ſunt hac aut illa de cauſa in femore hujus fœminæ, unde multi humores profluxerunt & congregati ſunt in uno loco, in quo cùm fermentari incipiebant, particulæ ramoſæ ac ad motum minus aptæ protrudebantur ad latera, ubi ad motum tam celerem non compellebantur, atque ibi cohærentes & ſibi invicem implicitæ efformabantur in membranam ſatis craſſam, quæ omnia ova poſt generata ſimul continebat.

Qui autem poti arteriæ citatæ diverſimodè diſtorti erant, ideò particularum in hac craſſa membrana contentarum quædam ab aliis in figura ac magnitudine aliquatenus differebant, ac particulæ conſimiles forſan in centum fermè locis diverſis confluxere, & ſic una quæque particularum præter propter ſimilium congeries adhuc fermentationem quandam exercens, iterum particulas magis ramoſas protrudebat ad latera, & ſic membranæ efformatæ ſunt, quibus ſingula ova includebantur.

Atque hoc pacto puto me hujus phænomeni, quod propriis oculis conſpexi, cauſam ſatis intelligibilem attuliſſe. *Idem ibidem.*

De Abſceſſu mirando.

Vir quinquaginta annos habens, abſceſſu infra aurem ſitô, rotundo, dolente, undulante, ac molli, quo ante aliquot dies correptus erat conquerebatur.

Certò perſuaſus pus maturum deliteſcere in hoc abſceſſu, aperturam feci ſcalpello ſicque ſtatim haud parum puris albicantis profluxit, ſed ubi premente digito affluxum puris aliquatenus promovere volebam, ecce mox in conſpectum venit fruſtum fiſtulæ, qua tabaci amatores utuntur, adæquans longitudinem dimidii digiti, quod forcipe ex recens facto foramine protraxi.

Pure ſenſim evacuato affectum hunc more aliorum abſceſſuum brevi temporis ſpatio ſanavi, ſicut in cura nihil evenerit, quod obſervatu dignum reperiatur.

Fruſtum autem illius fiſtulæ inopinatò ex hoc abſceſſu prodiens aſtantibus non modo occaſionem præbuit admirandi rarum adeo phænomenum, verum eoſdem etiam extemplo ad Diabolum, ejuſque incantamenta confugere fecit.

Sed ignarum, ideoque ſuperſtitioſum ac miſerum vulgus mox ad Diabolum, conſuetum, ſed impium ignorantiæ ſuæ aſylum, procurrit, quando eidem effectus aliquis occurrit, cujus ſimilem nunquam antea vidit.

Nam licet aliquid conſpiciat, cujus cauſam expiſçari ignorat, non ideò illud Diabolo ſtatim aſcribi, dummodo hoc ſæpius antehac conſpexerit; ſic Ignivori illius, qui nulli ferè harum regionum ignotus eſſe poteſt, ſtupendas actiones pro naturalibus habet, non pro præſtigiis Dæmonum, quia ſcilicet hæc ſunt talia, quæ ſæpius vidit, licet eorum rationem reddere nequeat, ac cauſam penitus ignoret.

Sic ante aliquod tempus Lugduni Batavorum Italus quidam fuit, qui, poſt magnam aquæ limpidæ copiam aſſumptam, evomebat eandem in varia vaſa cryſtallina non limpidam, ſed diverſi coloris ac ſaporis in ſingulis vaſis.

Hic effectus crebro ſpectatus populum cauſæ ignarum tantùm in admirationem rapuit, de Diabolo verò erat illic altum ſilentium. Dominus Overcamp. autem hujus phænomeni cauſam, ſicut in primogenito ingenii ſui partu refert, ſtatim expiſcatus eſt, in ſingulis nempe vaſis cryſtallinis vidit & olfecit diverſum oleum ſubtile, quod aquam immiſſam aliter tingebat in hoc, aliter in illo vaſe.

Non ſine ratione ait Virgilius, quod ſit felix, qui potuit rerum cognoſcere cauſas, nam illis notis phænomena nunquam antea conſpecta non valde mirabimur, multo minus eadem referemus ad potentiam quandam imaginariam Diabolicum deſidioſo populo, qui de veris rerum cauſis parum ſollicitus eſſe deprehenditur.

Verum enimverò quid tandem in cauſa fuit, quod fruſtum fiſtulæ ex affectu noſtro prodierit? ubi ægrum bene examinavi; ex eodem intellexi, quod ante ſex menſes, dum plateas obambulabat ac tabacum ſugebat, in terram prolapſus ſit, & fauces interne per fiſtulam læſerit, ex quibus ſæpius magna ſanguinis copia promanavit; ſcilicet fruſtulum fiſtulę confractæ profundè in fauces adactum primo hanc hæmorrhagiam, ac poſtea externum abſceſſum citatum infra aurem produxit, ex quo aperto fiſtula prodiit. *Idem Ibidem.*

De ulceratione & vulnere Cordis.

Cor, *Ariſtotele* authore, fons vitæ, corporis pars præcipua, etiam impetus, ſpirituales æque ac corporeos ſuſtinere valens, nunquam in homine aut animali alio abſens, nullam patitur continui ſolutionem.

Non minoris Cor habetur *Hippocrati ſect. 6. aphor.* 18. quod confirmat *Galenus 5. de locis affect.* inquiens: Cor nullam fert continuitatis ſeparationem.

Veteres aphoriſmum hunc vulneri Cordis applicarunt, ex eo quod cognoſcerent ſtructuram ejus miraculoſam, motum continuum, vires ſummas, Officia neceſſaria, imprimis ſitum valde remotum, adeo ut medicamentis id attingere, curateque ſit impoſſibile.

Ovidius obſervationem hanc reſpexiſſe videtur, dum 1. *de Ponto* 4. hoc modo canit:

Afferat ipſe licet ſacras Epidaurius herbas,
Sanabit nulla vulnera Cordis ope.

Dicto nihilominus Ariſtotelico contradicere videtur *Tileſius rerum naturalium lib. 5. cap.* 28. adducendo exemplum alicujus viri diuturno morbo emaciati, in cujus poſt mortem aperti thorace Cor nullum, ſed ſolum pericardium repertum.

Non aliter dicta *Hippocratis* intelligit *Hollerius lib. 6. comm. in aphor. Hippocr.* (quod & multorum, tum antiquorum, tum modernorum ſcriptorum, judicium eſt) quam ac ſi cor neque introrſum neque extrorſum penitus pati nil poſſit; Narrat inſuper lapillos duos, ac varios puris tumores in fœminæ cujuſdam corde obſervaſſe.

Columbus lib. 15. de re anat. in Corde ulcera, tumoreſque duriores, imprimis ventriculo ſiniſtro, obſervaſſe ſe refert. Ultimum hoc in Cardinale *Gambara* notatum ſcribit.

Thomas Bartholinus cent. 2. obſerv. 45. ex corde Urbani octavi Pontificis maximi calculum triangularem extractum tradit.

Audiamus quæ ad confirmationem dictorum Medicus regius *Johann. Fernelius lib. 5. de morb. partic. & ſympt.* proponit, cujus verba magni habuerunt plurimi. Cor (*dicit*) morbi omne genus obſidet, maximè vero ſimplex intemperies, phlegmone, eryſipelas, omniſque præter naturam tumor, ulcus quoque ac vulnus: ſed hæc, ſane rarius, imo vulnera Cordi inflicta, quæ non alte in ventriculos penetrant, non protinus interimunt: in quodam qui ſenſim extabeſcens è medio ſublatus tandem tria ulcera in corde reperi, non parum cava & ſordida, multo ante jam tempore contracta.

Lazarus Riverius cent. 1. obſervat. 87. in diſſecto cadavere filiolæ alicujus 14. annorum inveniſſe ſcribit, præter alia, cor albicans, & media fere ſui parte, quæ diaphragma reſpicit, exeſum atque exulceratum, ut fibræ carnoſæ ſemiputridæ ſummis digitis avellerentur; & talia fruſtula carnea hujuſmodi fibris ſimillima cum ſanguine per ſputum rejecta fuiſſe.

Barthol. Cabrolius dogmata excellentia magni *Fernelii* confirmat hac relatione, *obſerv. anat.* 26. ipſe ego, *inquit*, præſente Rondeletio duo mirabilia ſatis in duo-

duobus cadaveribus exhibui: Primo in baſi cordis ad coronariam cicatricem, duos latos digitos longam, ſecundo eodem loco, ulcus latitudine folii myſtici, ſat profundum.

Fabr. Hildanus part. 2. *obſerv.* 27. in Corde adhuc vivente corruptionem notavit non levem.

Plura huc facienria, Cor nempè unitatis ſolutioni etiam ſubjectum eſſe, qui ſcire deſiderat, legere poterit quæ habent *Amatus Luſitanus cent.* 6. 68. *Cornel. Gemma lib.* 1. *cap.* 6. *Felix Platerus in obſerv. lib.* 2. *cap.* 18. *Marcus Aurel. Severinus de abſceſſ. cap.* 38. *Thomas Barthol. cent.* 6. *obſerv.* 46. aliique varii.

Cor morbis variis gravioribus revera affici poſſe, obſervatione duplici, à nobis notatâ, illuſtrabimus.

Anno 1651. 26. menſis Maii cum *Cornelio Kerchem*, Chirurgo civitatis hujus ordinario, ex mandato Ampliſſ. Magiſtratus, aperuimus cadaver *Ottonis Chriſtenii* interfecti. Hujus in Thora (præter alia ad quorum explorationem miſſi eramus) invenimus Cor ulcere exedente profundo circa auriculam dextram affectum.

Morbo hoc jam à longo tempore defunctum laboraſſe, indicare videbatur frequens ipſi dum in vivis erat animi defectio, quam obſervaſſe ſe referebant domeſtici, huic exemplum ſimile in diſcipulo ſuo Romę à ſe diſſecto obſervaſſe ſe ſcribit *Real. Columb. de re anat. lib.* 15. Ante mortem rariora fuerunt animi deliquia, forſan quod corroſio cordis minor, obſervabamus etenim ulceris labia augmentum ſumpſiſſe, quoties multiplicarentur lypothymiæ.

Anno 1655. 26. menſis Aprilis, præſentibus *Medicis Clariſſimis, Dom. Samuele Coſtero*, & *D. Joanne Deimanno*, nec non *Dn. Daniele Floriano*, *Chirurgo*, juſſu Magiſtratûs noſtri, in valetudinario publico aperuimus cadaver *Johannis Roeloffen*, ex vulnere demortui. In cavitatis pectoris parte ſiniſtrâ aquæ acrioris tenuioriſque copiam inſignem reperiebamus, unde capſula cordis, tunica ejus, imò ipſa ſubſtantia, corrugata adeò, ut pyro æſtu ignis exſiccato ſimile Cor appareret. Hujus conditionis Cor in *Caſſemiro Comite Brandenburgenſi* apertum narrat *Philipp. Melanchton lib.* 1. *de animâ.*

Cabrolii, *Ferneliique* ſententiam, poſſe nempè Cordi ſupervenire continuæ ſolutiones, quæ tamen ſubitaneæ mortis cauſa haud ſint, & ſcriptorum variorum teſtimoniis, & obſervatione propriâ admirandâ confirmabimus, hoc tamen antequam efficere aggrediamur, permittas precor, benevole Lector, unicum hoc hic addamus, Morbos ſcil. cordis abſolutè non eſſe lethales, adeoque, quoties propria cordis ſubſtantia conſtitutione aliqua præternaturali afficitur, æquè ſollicitos debere eſſe medicos Chirurgoſvè, ac in morbis hepatis, cerebrivè, neque negligenda eſſe media quæ in aliarum partium morbis ſimilibus ex uſu fuerunt.

Mediis ex debito in Cordis affectibus uſurpatis, ægroque eorum opera ſic reſtituto, quid obſtabit, quo minus in ejuſmodi hominibus poſtea demortuis, atque apertis, cicatrices, morborum quibus, dum in vivis erat homo, Cor obnoxium fuerat, indices, reperiamus, quales *Cabrolius* ſupra citatus obſervavit.

Sed mittamus hæc, uſque dum quæ *Cabrolius* propoſuit, alii magis confirment, quæ enim cadavera terræ mandantur eorum qui Cordis morbis fuerunt obnoxii, neutiquam aperta, nihil ad confirmationem, vel deſtructionem doctrinæ, conferre poterunt.

Vulnera cordis, externo aliquo illata, (quæ nunquam curata vidi) licet ejus conditionis vulgò habeantur, imò etiam revera ſint, (quod vel vicies pluriesvè obſervavi) quæ ſubit o hominem, aut animal è medio tollant,

Occurrunt tamen exempla eorum, qui Corde vulnerato ad dies aliquot ſupervixere, imò *Galenus* 5. *de locis affect. cap.* 2. Vulnere Cordis ad ventriculos haud penetrante, ſed in ſolâ tunicâ deſinente hominem ad horas viginti quatuor vivere poſſe, ſcribit.

Chir. Regius *Ambroſ. Paræus l.* 9. *c.* 30. hæc habet: Vidi dum Taurinos agerem nobilem quendam, qui ſingulari certamine cum alio decertans accepto ſub ſiniſtrâ mammâ vulnere in cordis ſubſtantiam penetrante, vibratis in adverſarium aliquot enſe ictibus ipſum fugitantem ad ducentos paſſus eſt proſequutus, donec in terram mortuus caderet, diſſecto cadavere vulnus comperi in cordis ſubſtantia amplitudine quæ digitum capere poſſet, ingentem prærerea ſanguinis in diaphragma affuſi copiam.

Ampliſſimus Conſul *Nic. Tulpius lib.* 2. *obſerv.* 18. hæc proponit: Extra portam nobiſcum ivere plurimi Medici, ſpectatum cadaver cujuſdam hominis interempti à duobus vulneribus, penetrante altero, per hepar ac ventriculum in ſeptum tranſverſum; altero vero per membranas mediaſtinas, & involucrum cordis in profundiſſimum ventriculi dextri receſſum, cum tam effuſa ſanguinis copia, ut illi undiquaque innataret nobiliſſimum hoc viſcus: quod tamen fuit adeò calidum, ut extenderit huic homini vitam uſque in finem diei ſecundi.

Thomas Bartholinus cent. 1. *obſ.* 77. Hiſtoriam ſeq. exhibet. Juvenis petulans nauclerum alioquin amicum domeſticis œnopolæ negotiis diſtrictum cultro transfixit inter tertiam & quarram coſtam ſiniſtram, vulnus ſub ſterno ad cordis penetravit ventriculum dextrum, ut aperto poſt mortem cadavere patuit foramine anguſto & obliquo. Læſus tamen non ſolum ex ſuburbio domum pedibus ivit, ſed per quinque dies ſupervixit.

Nicolaus Mullerus tabulam ſuſpendit in curia Groningenſi, hiſtoriam continentem militis alicujus, qui, vulnerato corde, ad dies quindecim in vivis manſit.

Adductis etiam noſtram addemus obſervationem; *Ambroſius Coenradi*, bajulus, vir diſſolutæ vitæ, ebrius, præmiſsâ altercatione gravi, vulneratura nautâ quodam ſub muſculo pectorali ſiniſtro, cum cartilaginum coſtæ quartæ & quintę diſſectione, vulnere in Thoracis cavitatem penetrante.

Die ſequenti, qui octavus Novembris anni 1654. juſſu Magiſtratûs noſtri cum *Abrahamo Sluyter*, Chirurgo vulnerati Ordinario, acceſſimus decumbentem, in quo pulſum notabamus tardum, debilem, ſudorem frigidum, difficillimam reſpirationem. Et in hoc, deſperato ſanè ſtatu, permanſit ad diem hujus menſis decimum tertium, qui lethalis ipſi fuit, poſtquam plus quam ſex dies vulneratus decubuiſſet.

Thorace, poſt mortem, aperto, pulmonem firmiſſime undique pleuræ, imprimis verò pericardio, febrillatum, ligamentorumque ope, connexum reperimus.

Pericordio nulla continebatur aqua; arcto tamen ipſi cum corde, beneficio filamentorum latorum planorumque, cohærentia, ſic ut à corde id ſeparare difficillimum nobis.

Corde undique ſoluto vulnus ſe exhibuit, profunditatem digiti tranſverſi, latitudinem pollicis habens circa ſeptum, ad mucronem.

Obſervationi huic antequam finem imponamus, conſiderandum offero, annon cauſæ ſatis adfuerit in noſtro vulnerato, ob quam diutius aliis vixerit, profundiora enim aliorum vulnera fuere.

Imò haud inutile judicamus eidem addere eam, quam

quam *Philibertus Saracenus literis ad Fabr. Hildanum datis part. 4. obſerv.* 32. proponit, quo ex utriuſque collatione huc facientia varia Chirurgiæ cultori innoteſcant: Ne ſolus aſymbolus ſim, nihilque quod centuriis tuis accenſeri poſſit, conferam, en habe obſervationem raram, ac prorſus admirandam. Deceſſit nuper poſt puerperii labores *Illuſtr. D. D. Halincourt* proregis in Gallia Lugdunenſi conjux, cujus rimato cadavere cordis illud involucrum quod pericardium dicitur, cordi ipſi adhæſiſſe, humoreque illo naturæ providentia ad ejus irrigationem & refrigerium iniſtituto, vacuum fuiſſe repertum eſt. Res ſtupenda profectò, & nemini antea, quod ſciam, obſervata, perſenſit ſane illa ex humoris iſtius inopia evidentia incommoda. Nam æſtuans perpetuo aërem captabat frigidum, ſiti moleſta torquebatur, ne tenuiſſimi etiam tegumenti patiens pectus nudabat, quin etiam à fervidiore corde concalefactis pulmonibus, in eorum bronchia attractis atque extorrefactis humoribus, difficili reſpiratione laborabat, quæ ſymptomata nulli alii cauſę potius quam pericardii ariditati imputanda ſunt.

Quæ in Matronâ hac, etiam in bajulo noſtro obſervata, vivens & hic avidè deſiderabat aërem, potumvè frigidiorem, die noctèque nudus ferè incedebat.

Quæ cauſa, quod diutius aliis vulneratus hic in vivis fuerit, ut conſtare queat, operatio cordis legitimè conſideranda; triplex hæc, Syſtole S. contractio, Diaſtole S. dilatatio, & Periſyſtole S. quies.

In ſyſtole Cordis mucro accedit ad baſin, latera verò extenduntur causâ expellente longitudinem in latitudinem mutante, eò quod baſis cordis immobilis, mucro autem libera, nulli corpori nexa.

In Dyaſtole latera flacceſſunt, ventriculi ampliantur, recipitur ſanguis ex vaſis venoſis utroquè latere Cor intrantibus.

In quiete mucro recedit à baſi, & in quibuſdam baſis à mucrone, hinc etiam partes ex internæ internæque ad coſtas accedunt.

Syſtole perficitur quoties auriculæ cordis ſanguine repletæ eum ſua conſtrictione in ventriculum Cordis expulerunt.

In Dyaſtole ſanguinis peragitur receptio ex venâ cavâ, & venâ arteriosâ.

Operationibus hiſce ritè conſideratis, quam facilè (noſtro judicio) cognoſcere, cum cordis & pericardii in vulnerato noſtro arcta fuerit connexio, etiam ſyſtolen atque diaſtolen ritè perfici haud potuiſſe, unde ſpiritus & ſanguis in hâc officina diutius juſto hærere coacti, imò ne quidem per vulnus ejecti. Et hanc cauſam ſuſpicamur, cur diutius noſter vixerit aliis ſimiliter vulneratis.

Plura huc facientia, Cordis nempe motum varium atque actiones diverſas explicantia, qui deſiderat, legat libellum de motu cordis Cl. Guili. Harvei & quæ habet Renatus des Cartes. De Cordis affectibus mirabilibus etiam ſcripſit Albertinus Cæſenatis. *Jobus à Meekren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

Totum tibiæ os corruptione exeſum.

Præſtantiſſimus Chirurgus La Marche Delphis Batavorum habitans retulit mihi opiferas ſe manus applicuiſſe quatuordecim annorum adoleſcenti cui diutius caries tibiæ os exediſſet, ita ut longiore mora totum os corruptum ſuſtulerit Chirurgus; cujus in locum ſenſim accreſcens callus tandem ita ſucceſſerit, ut abſque fulcro adoleſcens ille poſtea inceſſerit. *Cornelius Stalpartius Vander Wil Obſervat. rarior. Cent.*

Non ita feliciter curatus eſt juvenis quidam, cui humor eryſipelatoſus per applicatum à Chirurgo minùs attento oxycratum ad tibiæ interiora repreſſus, totum facilè majus ita corrupit & exedit, ut brevi & levi etiam adhibita opera per ulcus grandius, ſic enatum, exierit, callus quidem poſtea ſucceſſit, ſed minime ita firmus, ut ſine fulcro, magnoque labore, incedere potuerit.

De Ulcere cum carie oſſis maxillæ.

Matrona 28. annorum laborabat ulcere maxillæ inferioris exiguo, profundo, dolorifico, ex quo magna puris copia quotidie profluebat, ac caro ſemper ſpongioſa in ulcere luxuriabat, dentemque ulceri vicinum caries excavaverat, & præterea in partibus ulceri conterminis durities non exigua digito palpanti ſeſe offerebat.

Prout ægrota mihi referebat, ulcus hoc originem ſuam debebat tumori ingenti ac valde duro maxillæ inferioris ac ſimul fere dimidiæ partis faciei, qui ſuppuratus ac in oris cavitate ſponte apertus multum puris emittebat; hæc autem apertura à ſaliva in ore contenta brevi ſanabatur; ſed tumor hic extrinſecus à Chirurgo ſcalpello fuit apertus, hæcque apertura jam per aliquot ſeptimanas affuerat, nulliſque remediis obſecundabat.

Ego igitur accerſitus ad omnes circumſtantias accurate attendebam, eaſque ſatis exacte examinabam atque ita tandem, omni præcipitantiâ in judicando evitatâ, certiſſimè mihi perſuaſi os maxillæ inferioris exiſtere carioſum, illudque præcipue mihi liquebat ex carne ſemper luxuriante, ac majori puris copiâ, quam ulceris anguſtia requirebat, ſi non fuiſſet os carie infectum.

Sed unde caro fungoſa in ulcere cum carie oſſis luxurians originem trahit? ut huic quęſtioni ſatis fiat, in memoriam revocanda ſunt ea, quæ dixi in primæ Decadis obſervatione octava, quæque latius ibidem deduxi, nempe oſſis cariem induci, ab acido corroſivo, quod etiam ex ſequenti experimento patere poteſt.

Cani oſſa quædam devoranda exhibeto, ac brevi ex ejuſdem excrementis alvinis manifeſtum fiet, oſſium deglutiorum compagem egregie eſſe ſolutam à fermento in canis ventriculo contento, cujus aciditatem nemo, ut puto, inficiabitur.

Acidum igitur corroſivum oſſa carioſa reddit, idemque vaſa ſanguifera aperi magis quam par eſt, ex quibus tunc prolongatis effluens humor efformatur in carnem ſpongioſam.

Sed unde tanta puris copia in ulcere, quod caries comitatur? quia illud ulcus profundum eſt, ſic ut non tantum humores ex cute ac carne, ſed etiam ex perioſteo ac ipſo oſſe prodeuntes puri generando ſuppeditent materiam.

Mentis oculis hanc cariem jam dudum perſpexeram, ſed hujus rei etiam certus fieri cupiebam ſenſibiliter, & quia ulceris anguſtia ferrum exploratorium non admittebat, ideo adhibui pilum qualem ſues in dorſo gerunt, eoque os nudum & carioſum tetigi.

Quid igitur hic agendum erat? ſcilicet acidum corroſivum temperari, fragmentorumque carioſorum ſeparatio promoveri debebat, ac durities in ulceris vicinia emolliri.

Sed ante omnia dentem carioſum extrahi juſſi, metuens nimirum, ne ille maxillam adhuc magis inficeret, verum dentis radix apparebat incorrupta.

Tunc ulceri impoſui turundam oblitam ſequenti unguento.

℞. Thereb. ℥ij. Vitell. ovi N. i. Aloës, Myrrhæ an. ʒj. M. S. The-

Therebinthina reſiſtit acido, ſicut docet ipſius oleum effervefcens cum oleo vitrioli acido, ſic aloë & myrrha etiam temperant acidum ſale ſuo, quo abundant.

Interdum etiam, ad ulcus magis patulum reddendum, turundę aſperſi pulverem croci metallorum, qui carnem luxuriantem tollebat, vel imponebam turundam ex radice gentianæ paratam; turundæ ſummitati autem plerumque impoſui pulverem euphorbii, ut illud copioſo ſuo ſale volatili acidum corroſivum temperaret, ac ita non tantum oſſis ſani corruptelam impediret, verum etiam fragmentorum carie affectorum ſeparationem maturaret.

Carni luxurianti extra ulcus protuberanti ſæpius imponebam alumen uſtum.

Ad duritiem in ulceris vicinia ſitam tollendam applicabam emplaſtrum ſtypticum Paracelſi.

Durities hoc pacto brevi ſublata fuit, & poſtquam per trimeſtre ſpatium hujus ulceris medelæ induſtriè ſatis incubuiſſem, tria fragmenta albicantia ex ulcere prodierunt, unum poſt aliud, quorum duo priora valde parva exiſtebant, ſed tertium ſatis magnum & latum.

Tunc temporis, ubi fragmentorum aliquod ſeparari incipiebat, pus apparebat ſanguinolentum, ex eo quod vaſa ſanguifera à fragmento illo læderentur, & unde eodem tempore dolor exacerbaretur, non eſt quod explicem.

Hic etiam facilè intelligi poteſt, quod fragmenta vacillantia puris copiam adauxerint & quod carni occaſionem præbuerint magis luxuriandi.

Sed quo pacto hæc fragmenta disjuncta ſunt? ut illud explicetur, naturam in auxilium advocare non oportet, quam Empedocles jam dudum exploſit his verbis,

Jam quod mortales naturam
Nomine dicunt, hoc nihil eſt.

Rideo ſane illos Medicos, quibus hæc verba ſemper in ore ſunt, ac inſtar oraculi habentur; Natura morborum curatrix, medicus naturæ miniſter &c. cùm neſciant ipſi, quid velint his verbis nihil ſignificantibus, quæ tamen audacter ſatis effutiunt apud ægros ſuos, à quibus non raro Deorum inſtar æſtimantur ob inanem ſuam garrulitatem.

Valedicamus igitur hic naturæ, ac dicamus id, quod res eſt, quodque ab unoquoque clare ac diſtincte percipitur; ſcilicet particulæ per os ſanum circulantes appellunt ad fragmenta carioſa, atqui per illa ob tubulos valde diſtortos curſum ſuum continuare non poſſunt, ſed vi unitâ quotidie ſæpiſſimè in ipſa impingunt, atque ita eadem, quantum poſſunt, divellentes, uſque ad ruptionem fere tendunt fibrillas, quæ os ſanum cum corrupto adhuc connectunt, tandemque particulæ puris acidæ laterum ſuorum acie fibrillas haſce intermedias diſcindunt, quod ideo facilius & citius contingit, quod eædem valde tenſæ ſunt, ſicut filum tenſum multo felicius quam flaccidum cultro dividi videmus.

Poſtquam fragmentorum ultimum ex ulcere prodierat, puris copia mox minuebatur, ac caro fungoſa alumine uſto ſublata non renaſcebatur amplius, ſicque ulcus intra quatriduum prorſus coaluit, remanente tamen cicatrice cava duraque, quam nemo mortalium præcavere potis eſt in oſſis carie, quandoquidem particulæ nutrientes quæ per oſſis tubulos circulantur, atque ita perveniunt ad oſſis illam ſuperficiem, à qua fragmentum carioſum ſeparatum fuit, ſunt multo ſolidiores quàm particulæ carnoſæ, ideoque, cum ibi ob ſimilitudinem ſuperficierum oſſis extremitati adhæreſcunt, multò arctius ſibi invicem incumbunt & connectuntur, ac quaſi parvum quendam callum efficiunt. *Joh. Myus in Praxi Chirurgicâ rationali.*

De Fonticulorum utilitate in Ulceribus chronicis.

Quantum ex Chirurgia per adminiſtrationem Fonticulorum quandoque in ægro redundat commodi, norunt ii, quos per benè longum tempus pharmacia divexavit amplius, abſque tamen ullo levamine, nec minoribus cum impenſis. Exemplo eſſe poteſt adoleſcentula quædam hic loci quæ ſuperato primæ ætatis luſtro tubercula paſſim in corpore, illaque albicantia cum duritie non leviori ſenſit prominere. Perſeverarunt hæc per menſem unum alterumque. Varia in uſum trahuntur ſpecioſiris medelæ pharmaca, quæ vulgus ſuggeſſit & domus. Emolliuntur tandem, ſed in apoſtemata tranſeunt, quibus ſanandis per plura quoque adhibentur è facilè parabilibus. Sed fruſtraneo conatu: Quippe ulcera non ſolum majus quærunt ſpatium; verùm numero etiam augentur. Hinc Medicus quidam vocatur in conſilium. Propinantur præmiſſis purgantibus, decocta lignorum per menſes duos & ultra: applicantur quoq; externa idonea. Quibus effectum quidem ut unum alterumq; apoſtema ſanationem promitteret; alibi tamen novum exſurgeret turberculum, in ulcus deinceps quoque verſum. Cura hæc tamdiu continuatur, uſquę dum & oculi primò dolorem cum tumore & lacrymis continuis experiri, poſtea ipſiſſimam minitari cœperunt cœcitatem. Sanatis itaque oculis ulcera priùs coalita poſtliminio fuere aperta: ſanatis vero ulceribus & oculi reciprocè cœperunt ægrotare. Tandem pharmaca plane deſeruntur; & fonticuli applicatio in humero ſiniſtro celebratur, quæ ſuqſequente tempore in tantum profecit, ut ex ulceribus & oculis caligantibus univerſim convaleſceret optima juvencula, ſeroſis humoribus copioſè per eum repurgatis. *D. Ehrenfridi Hagendornii.*

Crurum ulcera contagioſa.

Non eſt quidem illud contagium adeo virulentum, ut ſpargatur ad plures, ſed ad eos, qui in eodem lecto decumbunt, tandem proſerpit, niſi maturè obviam eatur. Deſignantur autem hic potiſſimum ulcera cacoëthe, non fugacia, aut levia. Id cum pluribus oſtendi poſſet exemplis, unico hic acquieſcemus, ſed clariſſimo. Vir meritis illuſtris, ſed ſcelotyrbe per intervalla divexatus duxerat puellam ſeptendecim annorum, ſaniſſimam, pulcherrimam, quæ ſenſim, licet mater liberorum aliquot, evitare non potuit, quin è contubernio mariti omnia ferè corporis ejus vitia in ſe quoque derivaret, illo tamen nullum ex eo ſolatium inveniente. Laborabat aſthmate maritus, correpta eſt eodem malo uxor, madebat nocturnis ſudoribus maritus ultra modum aliis familiarem, madebat & illa, quamvis initio conjugii ſiccior; diſtendebantur pedes mariti humore ſcorbutico, nullum fere commodum afferentibus ſub utroque genu cauteriis, ſimilia paſſa eſt conjux. Tandem exulcerantur crura mariti ulceribus variè ſerpentibus, & licet ſubinde cura periti chirurgi coirent, recrudeſcunt ferocius, idem pedetentim contigit uxori. Nec tantum potuit vel Medicorum diligentia, vel Chirurgorum aſſidua ſedulitas, quin utrinque idem malum fuerit mortiferum. Non indignum eſt, quod hic memoretur celebris Itali tentamentum adverſus ulcera illa funeſta. Viderat parum proſici pharmacis vulgaribus, eoque ad inſolita converſus magnam in ægro ſpem ſanitatis priſtinæ excitaverat. Jubebat quotidie afferri ex ædibus artificis, qui aurum in bracteas extenuat, tunicas allantoideas plures, namque his inter auri foliola extenſis, convenientius, & planius tundendo

dendo ultimam manum recipiunt lamellulæ; has membranulas ſollicitè tumentibus & exulceratis admovebat cruribus, in hanc ingreſſus opinionem, fore, ut ab auri contactu vires novas mutuarentur, & propria ſubtilitate poros exſudantium ichorum occluderent. Sed nihil his profectum. Tandem ingeſſit ſe Chirurgus Batavus, qui omnia brevi ſalva fore pollicitus, toto trimeſtri ita ptiſana quadam medicata virum optimum exercuit, ut quotidie vel duodecies ad ſellas diſcederet Patroclianas. Miram ægri patientiam! jubebat tum Chirurgus crura faſciis ſtrictè involvi, ut humores de novo illuc decumberent, atque ita ægrum jam viſum ſibi ſaniorem, quaſi re bene geſta, dimiſit, nec diæta ſicciori imperata, nec pharmacis roborantibus commendatis. Quid fit? ne unum quidem menſem durabat imaginaria hæc ſanitas, antequam ex adſtrictis faſcia cruribus humores noxii in artus omnes penetrarent, atque adeo intolerabilem accerſerent arthritin, cui demum, grave malum, calculus ſe aſſociavit, & urnæ interceptio, quibus noviſſime, fruſtra in adverſum nitentibus Medicis, longiore vita, digniſſimus, ſuccubuit. *D. Olai Borrichii.*

Ulcus in brachio circa articulationem, tandem lethale.

Clariſſ. Joh. Laurentii Fehrii. Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 3.

PUer ſeptem annorum, die 26. Septembris, anno 1682. à condiſcipulo in dextro brachio, circa cubiti articulationem, fune nodoſo paulò fortius percutitur; dolores quidem ſentit, ſed vel aſperiorem Parentum animadverſionem fugiens, vel grata inſtantis vindemiæ tempora reſpiciens, muſſitat per aliquot dies, interim cum cæteris pueris in vinea uvas legit, tertio vel quarto die, ubi dolores ingreveſcebant, matri rem aperit, partemque dolentem eidem oſtendit. Mater nihil mali metuens, partem affectam parum tumefactam videt, eamque linteo vino calefacto immerſo munit, aliaque quæ ex uſu videbantur, agit per tres ſeptimanas, interim dolores cum aliquo tumore atque rubore continuant, tandem die 22. Octobris Chirurgus in conſilium vocatur, qui parti affectæ nonnihil dolenti atque rubenti primò diſcutientia & exſiccantia, deinceps dum hæc nihil proficerent, & materia purulenta ſub cute lateret, cauterium potentiale in loco tumefacto, & à cubiti articulatione remotiore, nec non emplaſtrum defenſivum apponit, contentis Parentibus & Medico ordinario, ea de cauſa in conſilium adhibito, deinceps lancetâ purulentæ materiæ, qua dimidia ovi teſta impleri potuiſſet, exitum parat, & modô in Chirurgiâ uſitato quotidie obligat; intra aliquot ſeptimanas oſſicula quædam carie affecta ex ulcere prodeunt, & aliquot ulcera in brachio affecto ſponte oboriuntur, quæ Chirurgus lege Methodi Chirurgicæ tractat, & curat, excepto ulcere primo atque primario, ob continuum pravorum humorum, quibus patiens ex naturæ debilitate ſcatebat, affluxum, atque oſſis cariem ſub cute latentem, optatam curationem non admittente. Chirurgus per annuum ferè ſpatium omnia, quæ juxta artis Chirurgicæ leges facta opus erant, agit, ſed dum curationis difficultatem obſervat, eandem Parentibus aperit, & in ejuſmodi caſibus ſæpius membrum ita affectum ferrâ eſſe ablatum pronunciat. Parentes in re difficili atque periculoſa conſternati ſuadent, ut Chirurgus ſibi Collegam aſciſcat, & nihil, quod ad feliciorem curationem facere poſſit, omittat. Chirurgus autem Collegam non vult admittere & ſe hactenus omnia, quæ in arte Chirurgica fuerint neceſſaria atque poſſibilia, feciſſe, nec quicquam, quod ad meliorem ulceris conditionem facere potuerit, omiſiſſe regerit, ſi verò alium Chirurgum vocare animus ſit conſtans, ſoſtrum priùs ſibi ſolvi petit; Parentes in maximis anguſtiis verſantes, deliberatis rebus omnibus, Phyſicos & alterum Chirurgum juratum convocant, qui exploratâ Patientis conſtitutione, quæ à juventute nonnihil tenuis & ad hecticam prona videbatur, nec non ulceris qualitate ſatis pravâ in loco circa cubiti articulationem admodum periculoſo, præmiſſo difficilis, ſi non impoſſibilis curationis prognoſtico, medicamenta tam interna quàm externa ordinarunt, quæ etiam per trimeſtre temporis ſpatium, aſt ſucceſſu minùs optato fuerunt adhibita, inter quæ & pulvis euphorbii, in oſſis carie removenda, alias maximè proficuus, fuit præſcriptus, ſed dum Chirurgus obſervabat, ab hujus uſu graviſſimos oboriri dolores, cum præſcitu Medici ordinarii ab eo abſtinuit, & conſueto ſuo ſæpiuſque in ſimilibus caſibus probato uſus eſt pulvere, oſſa purificante & cariem auferente. Interea per aliquot annos varia ulcera ſinuoſa, tam in brachio, quàm dorſo fuerunt excitata, quæ omnia Chirurgus per octo annos convenientibus curavit remediis, excepto primo atque primario circa cubiti articulationem notabili, quod omnem etiam per tot annos diligentiſſimè tentatum reſpuit curationem, tandem corpus emaciatum & longâ tabe conſumtum animam exhalavit. Poſt beatum filii obitum Chirurgus mercedem ſæpius antehac poſtulatam, & à parentibus promiſſam, inſtantiùs exigebat, ſed cùm nihil obtineret, res ad Magiſtratum deferebatur, & variæ movebantur quæſtiones, nos ad potiores ſequentem in modum reſpondebamus.

Ad 1. An Chirurgus ordinarius rectè fecerit, quòd, cum per remedia reſolventia & exſiccantia tumorem ſolvere non potuit, & materiam purulentam ſub cute latentem obſervavit, cauterium potentiale in loco à cubiti articulatione nonnihil remotiore applicuerit, & lancetâ mox materiæ exitum paraverit? Reſp. quod ſic: Si enim materia illa purulenta & acris, quæ jam nimis diu ſub cute moram traxerat, diutiùs ſub cute fuiſſet detenta, graviores dolores & majora mala excitâſſet, parteſque vicinas membranoſas, tendinoſas, nervoſas atque oſſeas, circa cubiti articulationem obvias, magis corrupiſſet, audiamus ſaltem Sennertum hac in parte nobiſcum conſentientem, dum *lib* 5. *part.* 1. *cap.* 5. *pag.* 48. inquit: „Si enim animadvertimus, pus eſſe confectum, danda eſt opera ut ex parte affectâ quamprimum evacuetur, nam ſi pus diutius detineatur, membri temperiem evertit, partes vicinas corrumpit, ulcuſque ſinuoſum evadit, vel in fiſtulam degenerat, quod præcipuè contingere ſolet, cùm materia eſt acris & maligna, vel ad articulos, anum, & ſimiles partes eſt inflammatio. Item *pag.* 49. Verùm tutum non eſt ſemper apertionem ſpontaneam expectare. Inprimis autem non differenda eſt apertio, ſi caro & cutis ſit craſſior, & ſi in illa parte ſint nervi, venę ac tendines, tum enim quamprimum aperiendus eſt abſceſſus, ne ſi differatur apertio, pus corrumpat & corrodat nervos ac tendines, præcipuè ſi abſceſſus ſit circa articulos; & *pag.* 52. ait. Verùm quia applicato cauterio potentiali eſchara vix intra aliquot dies decidit, & tamdiu pus, niſi ſtatim ſub cute hæreat, in abſceſſu detineatur, tutius longe eſt ferro abſceſſum aperire. Vid. etiam *cap.* 13. *loc. cit. p.* 234.

Ad 2.

Ad 2. An Chirurgus omnia ſecundùm methodum in arte chirurgica conſuetam fecerit? Etiamſi melius fuiſſet, ſi Chirurgus ſtatim in principio eſſet vocatus, nec pars affecta à puero aut Parentibus neglectim habita; ipſe etiam Chirurgus melius feciſſet, ſi, ubi per trimeſtre temporis ſpatium ulceris pravitatem atque curandi difficultatem obſervabat, juſſu Parentum ſibi Collegam aſciviſſet, & communicatis conſiliis, uti in caſibus difficilioribus articuli Chirurgici requirunt, omnia, quæ ad curationem promovendam erant conducibilia atque neceſſaria, egiſſet, tamen in reliquis præcipue poſt publicam à Phyſicis & Chirurgo jurato factam ulceris inſpectionem ferè nihil, quod in purificandis, deligandis atque ſanandis ulceribus erat utile atque neceſſarium, intermiſit, atque per octo annorum ſpacium cum Parentum conſenſu ulcera plura ſinuoſa, variis in locis excitata, vel ipſe debito modo deligavit, vel per alium artis peritum deligari curavit.

Ad 3. Cur ulcus primùm atque primarium tam diuturnum, curatu difficile imò impoſſibile fuerit? Reſp. Quia 1. pars principaliter affecta mox in principio à facta forti contuſione fuit neglecta: quia 2. interea materia per fortiorem contuſionem extravaſata, in partibus ſubcutaneis ſtagnavit, & per diuturnam moram acrimoniam contraxit: quia 3. Materia illa acris partes ſub cute latentes membranoſas, tendinoſas & nervoſas, quin & ſucceſſu temporis oſſeas eroſit, atque erodendo graviores dolores peperit, hinc major pravorum humorum affluxus eſt concitatus, & ulceris conditio adeò depravata, ut etiam aliquot particulę oſſeæ carie infectæ intra duos aut tres menſes ex ulcere ſpontè prodierint. Natura autem, teſte Sennerto cit. loc. cap. 13. p. 235. tardè & vix ante 25. l. 40. dierum ſpatium oſſa carie corrupta ſeparat. Quia 4. in parte membranoſa, tendinoſa atque nervoſa non æque atque in carnoſa inſtrumento acuto ſecare, ulcus ampliare, parteſque oſſeas carie affectas ſub cute deliteſcentes juxta articulationem radicaliter auferre licuit, hinc mirum non eſt, ſi ulcus ob continuum pravorum humorum affluxum à Chirurgo non potuit ad optatum curationis ſcopum perduci: Omnis enim ulceris caries, ut Sennertus, in loco ſupra allegato, ait, curationem ulceris impedit, nullumque ulcus perfectè ſanari poteſt, cui os corruptũ ſubeſt; itẽ, ſi juxta nervoſas partes, ut in manibus & pedib⁹, vel in juncturis & in magnorũ oſſium capitibus ſit oſſium caries, vel circa muſculorum capita, nervos ac tendines, non facilè curatur ulcus, cùm operationes chirurgicæ tutò non poſſint inſtitui.

Ad 4. An Chirurgus, dum per octo annos omnia, quæ potuit & quæ lege artis chirurgicę opus erant, peregit mercede ſuâ dignus ſit? Reſp. Quod ſic: teſte enim Scripturâ ſacrâ, operarius mercede ſuâ dignus eſt. Ita ſalvo aliorum, ſentiebam, judicio. Magiſtratus poſt multas hinc inde diſceptationes, his aliiſq; rationibus atque circumſtantiis bene conſideratis atque penſitatis, Chirurgo ordinario, qui in principio curationis non omni ex parte ſuo ſatisfecerat officio mercedem, ad æquitatem reductam, ſolvendam eſſe decrevit; atque ita diuturnis litigationibus finem impoſuit. Ut autem hiſce meam paucis ſuperaddam epicriſin, in primo anno Chirurgi, ubi ex peſſima ulceris conditione, & ex carie in oſſibus hærente curationis difficultatem, imò impoſſibilitatem obſervârunt, bene feciſſent, ſi Parentibus mille mala conſecutura in tempore indicâſſent, & ſecundùm commune Medicorum atque Chirurgorum effatum, in malis extremis extrema remedia eſſe tentanda, ac pro corpore ſervando partem externam peſſimè conſtitutam ferro auferendam, aliamque è ligno artificioſè fabrefactam ſubſtituendam dixiſſent, aut à curatione omnino abſtinuiſſent, neque per tot annos tam multos ſumptus feciſſent, & cum artis ignominiâ curam tamdiu fruſtra protraxiſſent; Aſt Parentes nimio & ſatis intempeſtivo unici filii amore flagrantes curam tam cruentam atque crudelem, apud nos rarò uſitatam, admittere noluerunt, cùm tamen abſque vitæ periculo in parte externa hæc fieri commodè potuiſſet; alia eſt ratio, ſi in partibus interioribus ſimilia oboriuntur ulcera, qualia nos in praxi, tam in abdomine, quàm in dorſo obſervavimus, uti ſectio ob majora metuenda mala omnino nullum inveniebat locum, & poſt primum ulcus ſucceſſivè plura excitabantur ulcera ſinuoſa, ac licèt Chirurgus nihil omiſerit, quod ad rem præſentem facere potuit, quandoque etiam, internis ſimul medicamentis cum præſcitu Medici adhibitis, felicem curationis ſcopũ attigerit, non tamen diu in tali ſtatu permanſit, ſed intra dimidium annum malum plerumque recruduit, ac in corpore impuris humoribus repleto, & ad cachexiam diſpoſito, plura tandem ulcera ſinuoſa atque fiſtuloſa ſunt excitata, donec corpus doloribus per aliquot annos perpeſſis emaciatum & longâ tabe conſumtum omni privabatur vitalitate.

Ulcus labii acidum & erodentem ſtillans liquorem.

Clariſſ. Chriſtiani Helvvichii Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Puerulus quinque annorum ſemper hactenus cum variis luctatus morbis, ulcere in labio corripitur, ex quo tam acris & acidus effluebat liquor, ut, in quaſcunq; corporis partes incideret, eaſdem illico eroderet & vulneraret. Perluerat, jam varias partes & in pectore ac manibus plures ſolutiones continui excitarat, cùm 7. Martii meum requireretur conſilium à Patre milite, quod, DEO juvante, felicem habuit exitum, ita ut jam ſatis belle agat puer ille. Notare verò volui hanc Hiſtoriam Medicam ad univerſalitatem paſſim receptæ propoſitionis, quod omnia ulcera à ſalſis humoribus producantur, infringendam etiam hôc ſingulari, non dubitans, quin & ſalſa & acida, imò etiam humores nullâ acrimoniâ linguæ moleſti exulcerare partes corporis valeant.

Ulcus tibiæ manans, ac pro eô repertum euporiſtum.

Clariſſ. Joh. Ludovici Apini, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Quantum difficultatis in curando offerant tibiæ ulcera, notiſſimum eſt Chirurgis. Vocabar d. 22. Mart. A. 1698. ad ſutorem hujus loci, Johannes Seüz dictum, quadragenario majorem, cui jam ante ſemeſtre crus ſiniſtrum Eryſipelaceo tumore fuit comprehenſum, tanto ardore & inflammatione comite, ut ad internam tibiæ partem puſtula ſeu veſicula quædam albicans mox oborietur, quam Chirurgi balneatoris commiſit manibus. Ille Emplaſtra, vel centies mutando nihil profecit, donec æger curæ tam tædiosæ impatiens, omnia Emplaſtica rejecit, remque omnem naturæ reliquit. Quod cùm ita factum, cruſtâ nigricante ulcuſculum obducitur. Ex ſubtus verò pungente dolore atrociora ſibi metuens ſutor, meo tandem utitur conſilio. Remotâ igitur, quam diximus, cruſtâ, detegebatur ulcuſculum admodum profundum, fabam minorem capiens, intus mucida quædam tunica, quæ eximi poterat, cinctum. Indubium mihi erat, ſanationis remoram eſſe ab infeſto acore fermentali, Balſamicam nutrimenti indolem cotrumpente, & ita conſolidationem prohibente, quare ſeqq, præſcripta.

℞. Spir. Matrical. Ecſ. Balſ. Peruv. Myrrh. an. ʒß. D. S. *auſſeinigender Balſam etliche Tropffen in das offene zu gieſſen.*

℞. Empl. de ♄no Mynſ. ℥ß. Malax. c. Ol. hyperic. inducat. linteamini. D. S. *perſuſſendes Pflaſter, ſo viel als nöthig überzulegen.*

Dum hiſce utimur, lætiorem in fundo ulceris faciem conſpicere dabatur. Ex cute autem vicinâ, ulcus ambiente, cęteroquin ſanâ, per minutiſſima foraminula magna incipit fluere ſeri acris copia, ut coactus fuerim d. 28. Mart. ſeqq. inſpergere pulverem.

℞. Sacch. ♄ni, Cinab. nativ. præpar. Cret. albiſſ. Ceruſſ. Ven. an. ʒß. f. Pulvis

Quo tamen fluxus ille penitus reſiccari non potuit, foramen verò ulceroſum bono omine pus oſtendebat laudabile. Interim ægro aliquot doſes Antimonii Martialis cachectici præbentur; largiter inde provocato ſudore, ſubinde etiã aliquot cochlearia ſucci naſturtii expreſſi ebibuntur, & d. 1. April. quod nondum ſubſiſtat aquoſi laticis rivus, ſequens pulvis foraminulentæ cuti adſpergitur.

℞. Cinab. nativ. prępar. ʒß. Vitriol. dulc. ☿ii. diaphoret. Croc. ♂tis an. ℈j. f. Pulvis ſubtiliſſimus petiæ ex linteo raro includendus. D. S. *Trucken Pulver den Schaden neben herum damit einzuſtüppen.*

Ulceri ſuprà dictus liquor balſamicus cum filamentis imponitur, & laudatum ſuper inſternitur Emplaſtrum. Quid fit? Locus, quẽ pulvis inſperſus contigit, reſiccatur & ſaneſcit, alius quoque intra paucos dies firma occluditur carne, ſed quod maximè mirum infrà ulceroſæ modò cutis oram ibi multæ turgidiſſimæque veſicæ oriuntur, è quibus diſciſſis ichor acris & mordax exſtillabat. Inſpergo & hìc laudatum pulverem hoc ſucceſſu, ut intra noctis unius ſpatium locus conſperſus, ſanaretur, & veſicę ad pedem ampliùs deſcenderent, aliis poſt alias ordine renaſcentibus. Proſequor itaque & ego inſperſionem, & veſiculas per extremum urgeo pedem, ſicque curam feliciter abſolvo, ubi ſanè oportuit fermentum acre potiſſimum in poris cutaneis hæſiſſe, per quos etiam ſine dubio ad extimum uſque pedem dimanavit. Bienniô ab hac curâ exactô ejuſdem cruris Eryſipelacea inflammatione prævio rigore denuò corripitur, iterumque ob nimium ſanguinis fervorem & neglectam curam convenientem, puſtula ulceroſa locô tamen profundiore relinquitur. Vocatus adhibeo eadem medicamenta, coaleſcente mox ulcere, ſed ſimul, ut ante biennium pluribus erumpentibus, infra ſanatæ puſtulæ locum, veſiculis. Inſpergitur laudatus pulvis reſiccatorius, non tamen æquè felici ſucceſſu, nec interna negliguntur. Doloribus autem ſubinde atrociter ſævientibus, & ichore acri ſemper è veſiculis fluente & cutem dilaniante, tandem ex methodo Carrichteri, ſpecies Traumaticas ſpecifica, ut ille vult, virtute ad pedum affectus prædictos ſuadere cœpi cum vino & aquâ decoquendas; quale decoctum mane & veſperi hauriebat; ſpecies verò à decoctione reſiduas cataplaſmatis locô pedi ulceroſô applicabat, unde dolor illico mitigabatur. Præſcriptæ autem ſpecies erant tales.

℞. Herb. Equiſeti Miß. Rad. Ariſtoloch. longæ ℥j. Rad. Scabioſę ℥ß. Concis. D. ad chart. Præterea juxta ejuſdem Carichteri ſententiam folia ſempervivi majoris ſiccata in pollinem redegi, quo veſiculis eroſis & manantibus inſperſo, intra diei unius ſpatium ulcuſcula omnia ſunt reſiccata, quod ego mirari ſatis non potui à tam neglecto ſimplici tam ſubitò coaluiſſe omnia. Cumque anno ſequente 1697. hic ipſe ſutor pedem in itinere diſtorqueret, ac pro firmando articulo emplaſtrum corroborans à balneatore imponeretur, ſtatim obortę ſunt veſiculæ admodum urentes & ichorem acrem ſponte ſuâ effundentes, ubi, quæcunque tentaret, fuẽre fruſtanea, donec meo conſilio inſperſus fuit pulvis ſempervivi majoris qui brevi fluxum compeſcuit & ſanavit.

Ulcus antiquum in meatu urinariô feliciter curatum.

Clariſſ. Theodori Zuingeri. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Dum nuper Manuſcripta mea, quorum magnum jã ab *Abavo meo Theodoro Zuingero Philoſopho, Medico atque Polyhiſtore*, ante centum ac triginta annos colligi inceptũ, poſſideo numerum, per conceſſum ab occupationib⁹ otium luſtrarem, incidi quoq; inter alia in Obſervationes Medicas magis minuſve curioſas, è quibus hac vice ſequentem notatu ſatis dignam judicavi, quam Medica Praxis *Celeberrimi Viri, Dn. Johannis Caſpari Bauhini, Collegii Medici in univerſitate noſtra Anteceſſoris & Profeſſoris*, dum viveret, *primarii* ſuggeſſit, ſequenti modo accurate ab ipsâ Auctoris manu conſignatam.

Elias N. Auguſtanus, annorum circiter 40. à decennio & ultra laborans puris ἐξ ὀυρήθρας effluxu, occaſione ulceris illis in locis vetuſti, ſæpius quidẽ variis medicamentis tentati, nunquam tamen planè curati, An. Chr. 1642. d. 22. Maji & ſequentibus, hiſce uſus eſt medicamentis. Die dicta 28. Maji Pilulas ſumpſit. ℞. *Extracti Catholic.* ℈j. *Extract. Rhab. gr. vj. Ol. Still. Succ. q. ſ. M. f. Pilulæ N. XI. Deaurentur.* Leviter inde purgatus fuit. XXIV. Maji Vena brachii dextra ſecta. XXVI. Curam ſudatoriã cœpit: ℞. *Raſur. Lign. Sancti.* ℥vij. *Cortic. ejuſd.* ℥iij. *Rad. Chin.* ℥ij. *Aqu. font.* ℔vj. *M. Stent in infuſione per horas* 24. *in loco tepido, vaſe clauſo: Poſt decoquantur igne lento ad conſumptionem dimidii d. ad uſum.* Sumpſit ℥v. ab initio aſcendendo ad ℥viij. circiter, manè, & copioſè ſudavit. Cibo uſus ex aſſatis, cũ panis non nimiâ quantitate, paſſulis majorib⁹ & amygdalis ſub finẽ paſtûs ad 12. abſtinendo à juſculis & humidis. Carnis quantitas tanta comeſta, quantũ mediocris columbæ aut pulli dimidium habet, hac proportione habita eſt vitulina, agnina, vervecina, gallinacea &c. Potus ſequens fuit: ℞. *Reſiduum decocti præſcript. Paſſular. minor.* ℥iij. *Rad. Liquirit. raſ.* ℥ij. *Sem. Coriandr. ppt.* ℥ß. *Aqu. fontan.* ℔ *XXII. Infuſa ſtent per horas 6. decoquantur poſtea ad remanentiam* ℔*XVI. Aromatiſentur Cinam.* ʒiij. *d. ad V. pro potu ordinario.* Quoniam autem Ægro videbatur paulo acrius, ſequenti diluebat: ℞. *Radic. Chin.* ʒij. *Gramin.* ʒiß. *Paſſul. minor.* ʒvj. *Aqu. fontan. q. ſ. M. f. Decoctio ad* ℔iv. *Aromatiſetur Cinamon.* ʒj. *d. ad Vitrum.* D. XXVIII. manè in diluculo jejunus hauſit: ℞. *Terebinth.* ℈ij. *Vitell. ovor.* ʒj. *Mellis* ʒij. *Ducantur invicem in Mortario marmoreo, donec probè mixta fuerint, adde vini Malvatic.* ℥ß. *Aqu. Parietar.* ℥i. *Miſc. ad V.* Ea die abſtinuit à Potione ſudorificâ, & aliquoties dejecit. Cùm deficeret Potus ordinarius, ſuppetente adhuc ſudorifero, in ſubſidium ejus D. XXIX. pręſcriptum ſeqq. ℞. *Ligni Sancti torno deraſi* ℥ij. *Cortic. ejuſdem, Radic. Chin. aa.* ℥ß. *Aqu. fontanæ* ℔ *XX. Stent in infuſione per horas XII. in loco tepido, vaſe probè clauſo, tunc additis Paſſul. minor.* ℥iij. *Radic. Liquirit. raſ.* ℥ij. *Semin. Coriandr. ppt.* ℥ß. *F. Decoctio ad remanentiam* ℔*XVI. Aromatiſentur Cinamon.* ʒiij. *d. ad V.* Hocq; potu tamdiu uſus eſt, donec ſudoriferus iterũ parandus fuit, & tũ quoq; potus ordinarius ex reſiduo parabatur, ut ſuprà: hocq; iterũ deficiente iſte rurſus, & ſic porrò. D. II. Junii Pilulas ſeqq. ſumpſit: ℞. *Pulveris panchymagogi albi (h. e. Mercurii dulcis)* ʒß. *Gumm. gutt. gr. IX. Terebinth. q. ſ. M. F. Pilulæ N. IX. Deaurentur.* Inde ſemel atq; iterum dejecit hac die, & ſequẽti ter vel ãpliùs. Doſis pulveris panchymagogi eò uſq; aucta, quoniam antehac gradatim eò uſq; aſcenſum & viſum Ægrum hanc doſim facilè ferre poſſe. *D.* 4. Jun. Ut alternis diebus & ter uteretur, liquor hicce præſcriptus. ℞. *Terebinth. limpidiſſ.* ʒiß. *Vitell. ovor.* ℈iv. *Mellis* ʒij. *Vin. malvatic.* ℥ß. *Aqu. Parietar. Equiſet. aa.* ℥j. *Miſc. d. ad*

d. ad V. Sumat ſub veſperam, duabus horis ante cœnã alterâ ſemper die, poſtero manè ſudando. D. *6.* Junii Cœpit uti injectione ſeqq. tepidè per ſyringam manè ac veſperi horâ unâ vel alterâ ante cœnam. ℞. *Aqu. Equiſeti, Agrimon. Parietar. Plantag. aa.* ℥ß. *Mellis roſat.* ℨvj. *Sief albi ſine Opio* ℈j. (*abſterſionis blandioris causâ ab initio*) *Miſc.* Quia autem abſterſio levior videbatur, quàm puris copia & ſordes ulceris poſtulabant, hocce uſus eſt: ℞. *Aqu. Parietar. Equiſet. aa.* ℥iiß. *Aqu. Plantag.* ℥iß. *Mell. roſat.* ℨx. *M.* In hac mixturâ diluat *Unguenti Ægyptiaci*, quantum ferre ad ſenſum, ſine inſigni dolore & morſu poteſt; in eum finẽ prǽſcriptum: ℞. *Unguent. Ægyptiac.* ℥ß. *d. ad Oll.* Et hæc d. x. Die x i. Purgatus iterum; ℞. *Pulveris panchymag. alb.* ℨß. *Gum. Gutt. gr. XI. Cum mucilag. Gumm. Tragac. q. ſ. F. Pilulæ n. IX. Deaurat. d. ad ſcat* Potentiùs quàm præcedentes operabantur per vomitum & per ſeceſſum. Eodẽ & ſeqq. dieb⁹ incepit uti candelis ex *Emplaſtr. de Ranis. Vigon. cum Mercur.* paratis; poſt injectionem in Urethram indendo, & quamdiu fieri poteſt, retinendo, tempore mictionis extrahendo, & hac finita iterum reponendo. Quia verò molliores nimis videbantur, & à Chirurgo minus comodè paratæ, poſtea talibus uſus: ℞. *Ceræ* ℥iv. *Terebinth.* ℨß. *Spermat. Cet.* ℨj. *Liquefiant unà, poſtea ſenſim inſperge pulverem ſubtiliſſimum ſequentium; Plumbi uſti ac loti, Tutiæ ppt. Lapid. calamin. ppt. aa.* ℨj. *F. Intinctio fili, & trahatur per cannulam aut ferrum foraminulentum F. Candelæ ut artis eſt craſſitie catheteris.* Cùm & hæc molliores & fragiliores, quàm ex re foret, juſſus eſt Pharmacopœus in earum concinnatione addere aliquid picis. D. XIII. XIV. & XV. ſumpſit ſub veſperam duab⁹ ante cœnam horis: ℞. *Aqu. Parietar. Equiſet. aa.* ℥j. *vini malvatic.* ℥ß. *Vitellor. Ov.* ℨj. *Terebinth.* ℨiß. *Mellis* ℨiij. *Miſc. pro doſi*, quæ alvum & urinam potenter movit. D. XV. Injectio reddenda efficacior: Talis itaq; prǽſcripta, quæ ſimul præter vim abſtergendi, conſolidandi quoque facultate prædita: ℞. *Radic. Liquirit.* ℨiij. *Herbar. Sanicul. Nicotian. aa. M* jß. *Abſynth. Agrimon. Card. bened Plantag. aa. Mj. Summit. Centaur. min. pij. Roſar. rubr. pi. Lupinor. contus.* ℨij. *Cortic. fabar.* ℨiij. *M. F. Decoctio in Aqu. fontan. partib. iij. & Lixiv. part. j. In Colat.* ℥ix. *ſolve Mell. roſat. Syrup. de Abſynth. aa.* ℨvj. *M. ad V.* Tempore uſûs miſceatur quoque *Unguent.* Ægyptiacum, uti ſuprà. D. *6.* Jun. XIX. ℞. *Pulveris panchymag. albi* ℈j. *Gumm. Gotte gr. XI. Mucilag. Gumm. Tragac. ex Aquâ Roſar. q. ſ. M. F. l. a. Pilulæ n. IX. Deaurentur ac ſumantur una vice.* Idem inde effectus, qui D. II. ſecutus eſt. Eodem die ad robur partibus ulceratis conciliandum exteriùs juſſus eſt calidè inungere Regionem Perinæi, ubi Paraſtatæ ſitæ: ℞. *Unguenti Martiati* ℨiij. *Ol. Abſynth. Cydonior. Maſtich. aa.* ℨß. *Miſc. utatur calidè.* Sub veſperam paſſus Ephemeræ febris Paroxyſmum, cum horrore, ſiti, & calore inſigni, ut & ſequenti die manè. In hanc rem bibit duobus hauſtibus Julepum ſeqq. ℞. *Aqu. Cichor. Fragor. aa.* ℥ij. *Syrup. Citr. Granat. acidor. Berber. Violar. purpur. aa.* ℥ß. *Spirit. Vitrioli ad ſuavem aciditat. q. ſ. Miſc. ad Vitr.* D. XX. ſæpe bolum caſtaneę magnitudine de ſequenti mixturâ ſumpſit: ℞. *Conſerv. Roſ. rubr.* ℨvj. *Citri, Roob Ribium aa.* ℥ß. *Syrup. Granator. q. ſ. Miſc. F. Electuarium ad formam Opiatæ.* D. XXI. denuò ſumpſit pilulas Die XI. præſcriptas, cum ſimilis operationis effectu. Pulvis ſeqq. injectioni interea continuatæ miſtus, ad validiorem ulceris abſterſionem: ℞. *Radic. Ariſtol. rotund. ver.* ℈iijß. *Aloës ſuccotrin.* ℨj. *Myrrh.* ℈iiß. *Miſc. F. pulvis tenuiſſimus.* D. XXVII. purgatus eſt ex pilulis die 18. præſcriptis. Interim puris excretio ſucceſſivè valde minuebatur: hinc D. XXIX. conſolidationis causâ injectio ſequens in uſum vocata: ℞. *Rad. Conſol. major.* ℥iß. *Biſtort. Tormentill. aa.* ℥iß. *Liquirit.* ℨij. *Herbar. Sanicul. Pyrol. Alchymill. aa. m. j. Agrimon. Parietar. aa. M* ß. (*abſterſionis gratia*) *Flor. Roſar. rubr. p* ij. *Balauſt. Malicor. aa.* ℨiß. *Decoquantur in aquæ extinctionis fabrorum ferrariorum q. ſ. In Colaturæ* ℥viij. *ſolve Trochiſc. alb. Rhaſ. ſine opio* ℨij. *Ocul. cancr. ppt. Boli Armen. ppt. aa.* ℈ij. *Camphor.* ℈ß. *Syrupi de Plantagin.* ℥i. Spiſſus fuit Liquor, qui tamen calefactus Syringam facilè permeabat. Vena interim adhuc bis ſecta fuit, ultimò etiam Poplitis ſiniſtri. Tandem D. XXX. Curam finiit, & ſeſe libero aëri iterum commiſit: ſentiens tamen conatum quendam egerendi, ab humoribus acribus, irritantibus vim Inteſtinorum expultricem, ſequens hauſit d. VI. Jul. ℞. *Syrup. roſar. ſol. compoſ. cum Rhab. Agar. & Senn.* ℥iiß. *Aqu. Cichor.* ℨvj. *Aqu. Cinamon.* ℨj. *M.* Copioſiſſimè dejecit. Hinc perrexit adhuc in uſu Candelarum, & Baſileâ diſceſſurus ſeqq. adhuc medicamina accepit: ℞. *Sacch. roſat. tabul.* ℥ij. *Radic. Conſolid. maj. ſiccæ* ℨiij. *Ocul. 69. ppt.* ℨj. *Corall. rubr. ppt. Santal. rubr. pulveris aa.* ℈j. *M. F. Pulvis tenuiſſimus, d. ad Scatul.* Ad internam conſolidationem firmandam ſumat inde jejunus cum panis toſti in vino albo macerati buccellâ cochleare circiter plenum. ℞. *Olei Hypericonis* ℨiij. *Terebinth.* ℈j. *Emplaſtr. ſtyptici* ℨij. *M. F. Linimentum*, quo candelas inungat, loco immiſſurus. ℞. *Aqu. aluminos.* ℥ij. *Plantag. Brunell. Sanicul. Pyrol. aa.* ℥j. *Trochiſc. alb. Rhaſ.* ℈iiß. *Lapid. hæmatit.* ℨß. *Tut. ppt.* ℈j. *Miſc. ad Vitr.* Utatur tepide cum ſyringâ.

Ulcera pedum, per ſpontaneam Gonorrhæam curata.

Clariſſ. Joh. Henrici Hottingeri. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Mira ſæpius in Praxi Medica accidunt, quæ ipſa ratio aſſequi nequit. Metaſtaſes morborum, Criticæ variæ excretiones ac corporis à ſarcinâ ſuâ exonerationes tot & tantæ, imò nonnunquam ferè imperſcrutabiles annotantur: Empyematum, exempli loco, per Urinam vel alvum evacuationes, &c. Ejuſmodi Metaſtaſeos ſatis curioſæ ſpecimen Vir Quadraginta annorum nobis porriget: Is ab annis aliquot in brachio, præcipuè verò pedibus, eorumque Tarſis ulcera cacoëthica & exedentia geſtavit; Plurimorum Chirurgorum, Medicaſtrorum etiam diverſorum operâ, abſque tamen ullo optato ſucceſſu uſus eſt: Omnia tentarunt, quæcunque acredinem iſtam corrigere, ulcera mundificare, mundificata conſolidare valerent; Sed omnium etiam expertiſſimorum manus eluſerunt, vix enim uno conſolidato, mox aliud tuberculum cum ſubſequente exulceratione prodiit; Imò haud omnino vanus erat oſſium Tarſi carioſorum metus, dum ægrè & non niſi baculo ac claudicans incedebat, quem metum pus fœtidum, fluidum & ſeroſum adaugebat. Externis nihil proficientibus, ſuaſu meo ad interna, ſanguinem & lympham acrem corrigentia, depurantia ac edulcorantia confugit, à quibus levamen ſtatim percepit. Supervenit mox materiæ albicantis & ferè purulentæ per virgam fluxus, ſeu Gonorrhæa cum membri erectione & diſſuria, ad quem inopinatum ac ſibi ignotum fluorem maximè perterritus erat, neſciens quid hic portendat. Ad aliquot dies præ nimio pudore eum reticuit, nemini que revelavit, animadvertens puris ex ulceribus egreſſum eſſe imminutum, nihilominus tamen rem hanc ipſi ſecretiſſimam patefecit, conſilium auxiliumque imploravit; Fluxum hunc ob acceptum levamen, materiæ purulentæ ex ulceribus prodeuntis decrementum, non ſtatim ſiſtendum, ſed potiùs promovendum, materiamque per hanc viam expurgandam eſſe, ſuaſor eram: Sed impatiens tædioſi hujus ac obſcœni affectûs pertæſus, ut ulterius profluvium inhiberem & ſiſterem, petitionibus inſtabat; Quare me id proximè factum

factum eſſe, ſpe eum lactavi: Quieto hinc animo promiſſi impletionem ac curam expectavit, quæ intra quatuor hebdomadas ſubſecuta eſt, qua temporis intercapedine omnia ulcera perfectè conſolidata ſunt, abſque ullo relicto incommodo, ac cum omnium, ipſius etiam Ægroti ſtupore ac gaudio quaſi exaruerunt, ut ne gutta quidem puris amplius prodiret, imò & pedes œdematoſi ſubſidebant. Liber hinc ultra annum ab ejuſmodi ulceribus permanſit. Cùm verò diætam minùs ſtrictam obſervaſſet, frenaque nimis in Bacchum relaxaſſet, maſſa ejus ſanguinea, pluribus acribus, ſalſis, acidiſque particulis referta exiſteret, tubercula de novo hinc inde propullularunt, quæ verò internis ſolùm ſanguinem depurantibus, præcipuè Decocto Trifolii Fibrini mox curata & abacta erant, quibus nunc, rariùs quamvis ſeſe manifeſtantibus, iisdem remediis optato cum ſucceſſu obviam imus.

Ulcus mammarum ex Phthiſi.

Clariſſ. Michaëlis Erneſti Ettmülleri Ephemer. German. Centur. 1. & 2.

Fœmina 50. annorum, fabri murarii uxor, bilioſæ conſtitutionis, rixoſa, per aliquot menſes phthiſi laboraverat, excreverat per os copioſa purulenta, fœtidiſſima. Accerſitus ad eam, varia, quæ morbi conditio exigebat, propinabam, malum tamen, quòd altas nimis egerat radices, extirpati penitus non poterat. Levamen tamen ex balſami ſulphuris aniſati & pilularum de cynogloſsâ uſum optimum ſemper percipiebat. Sed accidit, ut ſenſum punctorium cum duritie in mammâ dextrâ perciperet. Apponebat, quæ olim pro ſuppurando mammarum abſceſſu proficua obſervaverat, domeſtica remedia. Paucis interjectis diebus rumpi abſceſſum obſervat lætabunda, mox ſe convalituram ſperans. Profluebat enim ex mammâ ſimilis materia purulenta, eodem fœtore nares feriens, ac illa, quæ antè per os erat rejecta. Quanquam igitur variis injectionibus ulcus mundificare tentaſſem, paucas tamen poſt ſeptimanas ſuperveniente diarrhæa moriebatur. Similem ſe caſum obſervaſſe mihi tum referebat Magnificus noſter Decanus Dominus D. *Johannes Bohnius*, in Ædilis conjuge, quæ tamen itidem fatis ceſſit. Ætiologia phœnomeni hujus latère nullum poterit, qui perpendet contingere frequentius, potiſſimùm in phthiſicis, ut pulmones pleuræ ac coſtis hinc inde adnaſcantur, quæ facta continuitate p. n. facili negotio puris acrimonia ex ulcere pulmonum ad muſculos intercoſtales penetrans, mammarum glandulas arrodere poteſt. Non tamen funeſti ſemper obſervantur ejuſmodi caſus. Annotavit enim *Zacutus Luſitanus Prax. hiſtor. Lib. II. cap. X. obſ.* 5. quòd phthiſicum quendam tanquam conclamatum & mox moriturum deſeruerit, obortus tamen eidem eſt in ſterni vicinia tumor durus, rotundus, faſtigiatus, qui denique apertus in fiſtulam abiit, per quam continuò virulentus emanabat humor. Sicque æger per quatuordecim annos vitam produxit. Et D. *Johannes Wrigthus* refert *in Act. Philoſoph. Angl. Ann.* 1703. *N.* 285. puellam ex variolis in ulcus pulmonum incidiſſe, ubi inter ſeptimam & octavam coſtam nodi aliquot exiles ſe offerebant tactui, quibus per cauſticum apertis pus effluxit, ac tandem illa cum ſanitate in gratiam rediit. Confer *Act. Erudit. Lipſ. Ann.* 1705. *pag.* 211. Spectat aliquo modo ad hunc caſum obſervatio in *Zodiaco-Medico-Gallico. Ann. II. pag.* 154. allegata pueri phthiſici, cui abſceſſus ſupra apophyſin maſtoideam fuit enatus.

Ulcus cancroſum per ſympathiam factum.

Clariſſ. Joh. Georgii Hoyeri. Ephemer. German. Centur. 3. & 4.

Fœmina paupercula in vico, tria propemodum milliaria Mollhuſa diſtante degens, infantem lactans, à veterinario quodam precibus pretio permota, tantum lactis ſuppeditat, quantum pro ulcere antiquo verminoſo equi eluendo ſufficiebat. Quo quidem lacte veterinarius equum ab ulcere perfectè liberat, ſed peſſimo, proh dolor! omine. Ulcere ſcilicet equi perſanato, ſimili fermè ulcere mamilla dextra fœminæ citatæ, ceterum ſanæ, corripiebatur, adeò incurabili prorſus, ut non ſolùm mammilla à cancroſo ulcere penitùs conſumeretur, ſed ipſa etiam fœmina miſerabili fato tandem extingueretur. Ex his colligere licet, (1.) cauto opus eſſe in curis ſympatheticis, ſcilicet ex nobiliori vivente in ignobilius vel vegetabile quoddam, traductione facienda. (2.) Talismodi curam, ſiquidem veterinarius animo nocendi forſan à citatâ fœminâ lac impetraverit, curationibus Sympatheticis tertii generis ſeu magicis accenſendam.

Ulcus cancroſum, in interno uteri collo, variis ſymptomatibus notabile.

Clariſſ. Godofredi Klaunig Ephemer. Cerman. Centur. 3. & 4.

Tragicam cancroſi in interno Matricis collo ulceris hiſtoriam ut conſignem, phœnomena, quæ mihi morbi curam dirigenti obſervare licuit, non ubivis obvia poſtulare videntur. Fœminam ſiſto 29. annorum, temperamenti ſanguinei, gente Polonam, formâ ac animi dotibus, & etiam corporis ærumnis multas poſt ſe relinquentem. Hæc infelici matrimonio Viro nullius frugis juncta, primis ſtatim annis filium enixa eſt, reliquo verò tempore Mariti, utinam & aliorum! conſuetudinem abhorrens à prole permanſit libera. Belli & Peſtis calamitatibus permota domicilium Varſavia Dantiſcum tranſtulit, ibique commorata ſubinde per anni ſpatium circa internum uteri orificium ſenſum vix dolorificum, ac ſi aciculis leniter pungeretur, ſe advertiſſe dicebat, perſolvens interim debitè lunare tributum. Cùm poſtmodum nuptiis intereſſet, inter choreas, quas ducebat, hæmorrhagiam uteri enormem paſſa fuit, ex quo morbum non magni æſtimatum attentiùs indagari decrevit. In auxilium vocati fuerunt & Chirurgus & obſtetrix, huicque concedebatur facultas explorandi manûs beneficio locum affectum, ambo verò, quæ ipſis auditu aut tactu obveniebant, flocci pendentes, haud diſſuadebant, quo minus iter Vratiſlaviam præmeditatum ſuſciperet. Quapropter nil mali metuens, velociſſimo curſu per equos veredarios acceſſit: vix autem menſe Julii anno 1709. urbem ingreſſa, experta fuit hæmorrhagiæ ex utero recidivam: quâ ſedatâ fudit per vaginam ſaniem lividam, ichoroſam variegati coloris & cadaveroſi fœtoris, indies augmenta ſumentem. Itineris comes, Chirurgus Gallus, per aliquot ſeptimanas lignorum decocto & emulſione ex ſeminibus frigidis ſuccurrere tentavit, uſque dum meum conſilium imploraſſet miſerrima. Sepoſitis itaque Chirurgi medicamentis, explorari virtutem Potionum ex herbis ac radicibus

uteri-

uterinis & vulnerariis calidè ſorbendarum, ut & balſami Cobaivæ, non neglecta injectione per Syphonem ex balſamicis, abſtergentibus & mundificantibus præparata. Cùm huic methodo aliquot diebus inhæſiſſem, rediit proh dolor! hæmorrhagia ſanguinis grumis, vel ſi mavis, fruſtis pugnum manûs adæquantibus ſtipata, quorum excretio ægræ ſæpius ex dolore & virium proſtratione animi deliquium ac ſi abortum pateretur, provocavit. Continuarunt dicta Symptomata unà cum hæmorrhagia ad tertium uſque diem,. ſenſimque auctus fuit dolor circa regionem oſſis ſacri & pubis, quem tantum eſſe exclamabat, ut cum Platone credidiſſes, uteri vices ſupplere animal aliquod voraciſſimum, vicinas ſibi partes indeſinenter arrodens. Poſt menſis ſpatium ex recurrenre hæmorrhagiâ uteri cum grumato ſanguine permixtâ, ægra in vitæ diſcrimine hærebat, qua ceſſante, cùm nec internè omnis generis vulneraria & balſamica, nec externè injectiones, fotus, linimenta &c. levamen afferrent, ad morbi ſtatum melius inveſtigandum, matricale ſpeculum adhibebatur, quod nobis exhibebat orificium uteri internum ulcuſculis hinc inde calloſis, fœtidis lividiſque, copioſiſſimam ſaniem plorantibus defœdatum. Spe melioris ſucceſſus orbatus, mihi adjungi rogabam Celeberrimum noſtrum Collegam D. D. de Helwich, initoque conſilio commendabantur D. Beccheri pilulæ balſamicæ, quibus effecimus ut ſanguis rarò ac ſine grumis proflueret. Externè ope ſpeculi uterini bis in die exulcerato orificio applicabatur balſamus vulnerarius, & calloſitatis exſtirpatio lapide infernali intendebatur, ex quo callorum color antea albicans degenerabat in magis naturalem, rubicundum ſcilicet, poſt aliquot autem dies priorem induebat faciem, procul dubio à ſanioſa colluvie continuò ibidem nidulante & ſolidas partes deſtruente. Dolor interim permanebat intenſiſſimus, & præter dorſum, in hypochondrii regione ſpatium magnitudine vulgaris orbis tanta ferocia occupabat; ut quaſi furibunda nocturno inprimis tempore percurreret cubiculum. Aderat febris, vigiliæ, quandoque Iſchuria, ſanieſque effluens de die in diem augebatur. Cùm itaque non ex voto ſuccederet negotium, alius Medicus noſtræ curæ ſe introducebat, jactitans Panacæam Mercurialem, quâ radicitùs malum ſe extirpaturum promiſit. Lubentiſſimè ipſi lampada tradidimus, brevi verò experti fuimus, quòd mutando quotidie Medicamenta Ægram poſt ſex ſeptimanas dereliquerit pejoribus quàm antea ſymptomatibus vexatam. Tandem Auctor fui ſuaſorque, ut aliorum adhuc Medicorum mentem in debellando pertinaci & verè deplorato morbo exploraret, quem in finem octo ex famoſiſſimis convocabantur, qui ferè omnes, informati de Ægræ vitâ olim liberiori & ad Venerem proclivi, de doloribus circa noctem ingraveſcentibus & de morbi atrocia nullis hactenus remediis cedente meum amplectebantur Conſilium, proponens ſalivatoriam curam, tanquam pertinaciſſimè decumbentium ultimum Azylum. Et ecce? mira, ſed vera loquor, eodem momento quo ſalivæ fluxus per Mercurium dulcem provocatus apparuit, diſparuit omnis dolor, febris reliquaque ſymptomata. Interim uteri Carcinoma, cùm ad inungenda balſama, mediante ſpeculo denudabatur, parum ichoris, multùm verò fibroſæ atque putridæ materiæ inſtar filamentorum ſecernens, & mihi & Chirurgo quotidie videbatur magis mundari. Tranſacta per quatuor ſeptimanas ptyaliſmi cura, Aegra adeo bene ſe habebat, ut ſaltando, jocando tempus tereret. Verùm hoc gaudium nimis breve fuit, ſequenti enim ſeptimana Iſchuria, quam nec interna, ut demulcentia, antiſpaſmodica, anodyna &c. nec externa, unguenta intellige, fotus, clyſmata, nec ipſe catheter auferre potuerit, eam adeò affligebat, ut in balnei uſum condeſcendere fuerim coactus. Hoc ingreſſâ reddebat urinam, ſimul verò tria fruſta fibroſa cadaveroſo fœtore infecta, & tandem ſanguinem nullis frœnis compeſcendum, cujus profluvium doloribus liberam, aſt viribus exhauſtam, 12. horis poſt balnei ingreſſum placidâ analyſi circa finem anni 1709. è medio ſuſtulit. Cadaver apertum nullam viſcerum labem ob oculos ponebat, ſi excipias ſæpius nominatum collum uteri internum; ab orificio uteri interno ad ejuſdem cavitatem ſe extendens, in adultis pollicis longitudinem attingens; illud ipſum nil niſi externam tunicam ſive membranam oſtendebat, reliqua ſubſtantia penitùs conſumta. Ipſam uteri cavitatem jam intraverat ſphacelus, cujus veſtigia nigredo cadaveroſa, parietes & latera cavitatis ultra medium tingens, demonſtrare poterat.

Nec rejicere debeo cauſam hujus lernæ malorum, quam ipſa Ægra non ſine ratione ſuſpicabatur. Scilicet falſa fuit, ſe rem habuiſſe cum viro nimis haſtato, qui oeſtro venereo inſtigatus, orificium uteri violento & ſæpius reiterato ictu contudit, quos maſculé excipiendo inflammationi, ſubſequuto ulceri cancroſo, & hinc exeſis vaſis ſanguiferis lethali hæmorrhagiæ anſam dedit.

Ulcera faucium gravia curata.

Clariſſ. Geraldi Arnoldi de Vincquedes. Ephemer. German. Centur. 3. & 4.

Propter tranſpirationem capitis impeditam catharros oriri, conſequenter tonſillas utplurimum & uvulas inflammari cum tumore, rubore & deglutiendi difficultate, à ſanguinis & lymphæ circulatione præpedita, in confeſſo eſt; unde tandem fermentatione ſociâ, acceſſuque aëris peregrini ibidem locorum pus generatur, aptum natum pro ſui acrimonia diſrumpere, non ſolùm vaſa lymphatica, verùm etiam ſanguinea iiſdem vicina, neque adeò facilè conſolidationem admittentia ratione aëris inſpirandi, præterquam quòd lympha ſanguiſque illas partes præterluendo abſorbeat continuò aliquantulum illius materiæ acris ulceroſæ, ſicque integram œconomiam animalem pervertat, ſitque in cauſa quò minùs partes affectæ refici queant, hinc mente volvendo & revolvendo ſæpe ſæpius, deveni in notitiam cujuſdam compoſiti, quo malum hoc corrigatur, præveniatur, nec non in integrum conſolidetur, methodoque ſubſequenti laudabiliter, idque iteratis vicibus pendente praxi effectum conſecutus fui. Præ cæteris circa juvenem ſedecim annorum circiter, cui res erat anguſta domi, & per catharrum neglectum uvula in totum, uti & tonſillæ maximam partem erant abſumptæ, eouſque ut loquelâ fermè privaretur, alimentumque nonniſi liquidum, idque ſatis paucum deglutiendi eſſet libertas, cætera per os & nares ejicere coactus, ita & fatis ceſſiſſet brevi, niſi opitulatum fuiſſet ei, id quod methodo ſequenti aggreſſus fui. ℞. Mechiceanæ groſſo modo contuſæ ℥iß. infundendo 24. horis in vini albi meracioris ℥iiiß. hinc fortiter exprimendo, adde Syrup. roſar. comp. ℥iß. M. ſumatque jejuno ventriculo; unde alvum depoſuit cum euphoria. Die ſequenti, & per integrum octiduum hauſit decocti ſubſequentis ad ℥iv. idque quater de die: ℞. raſuræ ligni guajaci ℥iij. Salſæparill. ℥iiij. putamin. nuc. jugland. &c. & ſubtiliſſimè pulveriſator. ℥vj. anti-

antimon. crud. pulveris. & in nodulo ligati ℥iv. glycyrr. raſæ ℥ij. Coq. ſimul in aqu. cœleſt. ℔XXXV. ad remanentiam tertiæ partis in ollâ novâ vitreatâ igne leni, deinde colando ſervetur pro uſu dicto. Remanentiæ verò affunde denuò parilem aquæ quantitatem, coque ut ſuprà, quo ſecundo decocto uſus fuit pro potu ordinario. Utrumque verò ubi opus erat reiterandum. Singulo autem octiduo eundem purgavi potione prædicta, iiſque medicamentis uſus fuit per ſex ſeptimanas, ſicque integrè convaluit. Eodem etiam tempore exulare feci omne ſympoſium cerevifiarium atque vinoſum, ſalſa & ſalſomuriatica, acida & acria quævis, pariterque uſum panis ſecalini ob acidam qua gaudet qualitatem; econtra juſcula juniorum animantium, maximè verò eorundem extremitates ejus paſtui annumerare non inconſultum duxi, quæ ne quidem ad ſatietatem conceſſi; quibus rite obſervatis, optatus curationis ſcopus impetratus fuit. Pannifex quidam quintum ſupra quadrageſimum annum natus, eodem quo ſuprà affectu tactus, poſt varia incaſſum per Medicos & medicaſtros adminiſtrata remedia, tandem opem noſtram imploravit, cui præter decoctum in ſuperiori caſu memoratum, majorique quantitate ſumendum, porrexi ſingulo octiduo pilulas ſpadanas num. VII. pondere ℈iiij. Poſtquam verò morbum ſuperaſſe videbatur, contigit ipſum incidere in coma ſomnolentum; unde per enemata appropriata injecta, medicamina varia, tum aperitiva tum ſudorifica, eaque volatilia hic hoſtis oppugnatus & expugnatus fuit, remanente nihilominus aliquantulô ulceris tonſillarum, cujus in totum ſubjugandi ergo decoctum reiterare juſſi, cum binis in dies pulveribus, manè & veſperi cum eodem decocto ſumendis, nempe ℞. Cretæ ʒiij. lapid. cancr. ℥ß. corall. rubr. præp. ʒij. antimon. diaphor. corn. cerv. philoſ. præp. aa. ʒiß. M. F. pulvis, in doſ. num. XVI. dividendus. Poſt quarum uſum utrique vitæ inſidiatori valedixit, obſervato tamen legitimo vitæ regimine.

Anatome juvenis ulceribus tibiæ defuncti.

Clariſſ. Joh. Henrici Hottingeri. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Die 29. Decembris 1701. cultro Anatomico ſubjecimus Juvenem octodecim annorum H. T. *von Zallicken*, Præſentibus Reverend. D. I. B. Ottio, ejuſdem loci Paſtore, & D. Hoſpiniano, Chirurgo ibidem commorante. Dictus juvenis à ſeptem ab hinc menſibus graviter ex ulcere genu ac Tibiæ dextræ decumbebat, quæ referente ſuprà nominato Chirurgo à febri lenta per aliquot tempus continuante originem, traxerunt: Quadam nocte ſummis horroribus febrilibus correptus, manè conqueri incipiebat, de maximis doloribus circa genu, quod etiam ob inſignem rigiditatem non niſi magnis cruciatibus flectere potuit, intumeſcentia quædam eodem in loco obſervabatur, abſque tamen ulla inflammatione aut rubore. Medicamenta ſudorifera, diſcutientia, tam internè quam externè propinata & applicata, ſpem omnem fefellerunt. Tumor in dies majus incrementum ſumpſit, tandemque ob materiæ acris ac ſalinæ continuum affluxum, exitum ſibi ipſi paravit, in magna quantitate effluxit, interea temporis, non minùs internis decoctis vulnerariis, quàm externis Emplaſticis, fomentis &c. ad malum funditus extirpandum, ſed fruſtra inſtitit. Corpus enim per ſe æquè ac per malam diætam planè cacochymicum ac depravatum erat. Sed ulcus non ſolùm genu poſſidebat, ſed omnes etiam muſculos Tibiæ pervadebat, cuniculos ac plurima foraminula hinc inde in eodem membro agebat, uno loco ſanato, in altero majori impetu prodibat; Interea miſer ſummis cruciatibus vexabatur, ſe ſe non ampliùs movere, multò minùs incedere novit. Alterum pedem inſuper etiam in conſenſum traxit, adeò ut ad crepaturam intumuerit, appetitu remanente ſalvo, imò nimio. Excrementa alvi quoad colorem puri ulcerum correſpondebant ſemper, noctes inſomnes peregit. Tres dies ante ipſius obitum, Gangræna Tibiam ulceratam concomitantibus intolerabilibus lancinationibus prehendebat, tandem vitæ ac doloribns valedixit. Externè, cùm accuratius ulcera iſta fœtida inſpexiſſemus, omnes muſculi ac circumjacentes partes putridæ, materiâ viſcidâ ſerosâ repletæ, oculis noſtris ſubjiciebantur, ſalvis tamen incorruptis, ac ab omni carie liberis oſſibus, imò & perioſtio. Mirum ſanè, quod hæc acris materia non itidem infecerit.

Abdomine aperto, Omentum omni planè pinguedine orbatum ac corruptum prodibat. Inteſtina obſervabantur flatu diſtenta, crocea, à bile tincta. Meſenterium, præſertim prope Inteſtinum ileum & jejunum, glandulis prægrandibus purulentâ materiâ repletis, ſcatebat. Hepar magnum, pallidum, ac aliquo modo friabile, omni ſanguine, ut totum corpus, hunc enim liquor limpidus, ſeroſus, viſcidus conſtituebat, carebat. Lien, Renes ac cæteræ partes nihil præternaturale oſtendebant. Pulmonum parenchyma non minùs acrimonia hæc ſalſa ſanguinis etiam ſalutavit, viſcidamque materiam in ipſius veſiculis, ac vomicas poſt ſe reliquit.

Anatome Iuvenis, Ulceribus thoracis penetrantibus, defuncti.

Clariſſ. Joh. Henrici Hottingeri Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Juvenis vigeſimum ſeptimum annum agens, à duobus annis, ab ulceribus ſcrophuloſis in capite, circa collum, ac in pectore exercebatur, Medicaſtris, Carnificibus Corpus ſuum ita malè diſpoſitum commiſit, qui de ipſius reſtitutione & curatione, pro more horum nauci ac fœcum hominum, ſpem ipſius ſemper lactarunt, non ſubſequente autem fœtidarum harum prolium ſanatione, ſed aliorum malorum acceleratione, dolorumque provocatione: Miſer homo, quo ſe vertat neſciens, Magiſtratûs imploravit opem, quam Clementiſſimus nulli hoc modo egeno denegat, ſed curam ipſius Chirurgo ſatis experto credidit, qui omnem lapidem, ſaltem pro dolorum graviorum mitigatione, ſi non ulcerum perſanatione, admovit. Nonnunquam reconvaleſcentiæ ſpes quædam affulſit, ſed mox iterum in auras abiit: Variis remediis internis maſſam ſanguineâ purificantibus, conſolidantibus, balſamicis curam promovere ſtudui, ſed ſuperiori effectu, ulcera in uno loco ſanata, in altero majori impetu repullularunt. Materia purulenta copiosè ſub ſiniſtro brachio ſeſe collegit, ac exitum ſibi paravit, ſuccedebat tuſſis ferina, abſque ullius materiæ, vel ſputi excretione, huic ſeſe aſſociabat diarrhæa impetuoſiſſima, contra quæ feliciter armis, remediis convenientib⁹ puto, oppugnavi: Æger ſanitatem nunc aliquam ſibi promittens, diætam neglexit, appetitum ſe ſtimulantem: variis fructibus horæis, Uvis crudis, rapis &c. ſedari, ſed ſuo cum damno credidit; Febris lenta hectica acceſſit, ſitim fallere neſcivit, tuſſis aucta eſt, materia purulenta ex ulceribus præſertim ſub axilla ex Thorace, Venti maximo cum

cum ſibillo ac impetu egreſſi ſunt, ut adſtantes, imò extra cubiculum degentes, eum facillimè perceperint, Appetitus ad ultimum uſque halitum integer permanſit: Dolorum ac vitæ ſatur, tandem Diem ſuum obiit. Cadaveris ita emaciati ſectionem poſtea ſuſcepimus. Abdominis integumentis tam comunibus, quàm propriis remotis & ſepoſitis, Inteſtina omnia flatibus repleta eminebant, aquæ in abdomine contentæ ad Menſuras duas effluebant: In omentum inquirens, parvum putredine ferè conſumtum ac ſcirrhoſum, inter inteſtina reconditum reperi; Meſenterium plurimis ſcirrhoſis ac ſcrophuloſis quaſi vomicis conſpurcatum obſervavi; In Hepate, pręter exteriorem aliquam rigiditatem, & colorem palleſcentem nihil deſideravi; Veſicula bilaria non multùm dilutę flaveſcentis bilis condebat; Pancreas nil mali indicabat; Renes nec ſanis cedebant; Lien, lienem ſanum vice ſimplici ſuperabat, ſiniſtro hypochondrio firmiter adnatus, totus quantus putredine, ulceribus fœtidiſſimis obſeſſus, compreſſus copioſum pus ſtillabat. In thorace pulmonum lobus dexter ſincerus, nonnihil tamen pleurę accretus erat. Sed ecce; alter ſiniſter, ex quo flatus & venti, per ulcus exiverunt, putredine planè abſumtus, ſcirrhoſus, abſq; pleurę dilaceratione à Coſtis avelli nequibat; Coſtę ab humore hoc corroſivo carioſę reddite animadvertebantur, ex Cavitatib⁹ & ſinubus pus albicans copioſè prodibat: Cor involucro ſuo incluſum, magnę quantitatis liquori innatabat, nihil pręter naturale, niſi duos polypos, alterum in dextro ventriculo venę cavę introitu, alterum ſiniſtro venæ pulmonalis ingreſſu fovebat. Diutiùs inſpectioni huic immorari fœtor cadaveroſus, temporiſque circumſcriptum anguſtum ſpatium prohibebat.

UMBILICI MORBI

De illis quædam videri poſſunt in Bibliothecâ Medico-Practica, ubi de Infantium morbis, ut & alibi. Hic tantùm Affectum ejus rarum à Celeberr. Gulielmô Fabriciô Hildanô curatum, trademus. Sic autem Ille.

De raro quodam affectu Vmbilici, ejuſdemque feliciſſima Curatione.

Ad Virum Ampliſſimum,

Dn. D. Caſparum Bauhinum, &c.

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus S. P. D.

IN poſtremis meis ad te literis, Vir ampliſſime, Fautor & amice ęternùm honorande, quas pręterito menſe Junio: de laborioſa mictione, poſt ineptam hernię ſectionē ad te ſcripſi, de raro quodam affectu umbilici mentionem quoq; feci: eumq; ampliſſ. Viro me comunicaturum promiſi. Fuit autem ille talis. Patricius quidam Bernenſis, Urſus Lerber, Vir robuſtus, toroſus, & vigintiquinq;circiter annorum ętatis, ſuperiore hyeme ad me venit, oſtenſtens mihi Excreſcentiam fungoſam umbilici, quam ſex vel plurium menſium ſpacio paulatim ex ipſo centro umbilici proveniſſe dicit: ſine ulla tamen cauſa externa. Decima nona itaque Martii cum primò vidiſſem affectū, magnitudine ſua nucē juglandem ſuperabat. Colore erat livido ac fuſco ad inſtar carcinomatis, ſubſtantia mediocriter durâ & carneâ, atque inſtar caſei putridi fœtente. Ab initio nullum ferè adfuiſſe dolorem affirmat; poſtea tamen creſcente fungo, ipſe quoq; dolor increſcebat, & per intervalla ægrum vehementer torquebat. Interdū quoque ſubito horrore corripiebatur: qui tamen mox iterum per umbilicum quaſi erumpere, ipſi videbatur. Nonnunquam etiam ſanguinem profundebat: cætera tamen ſanus erat, omneſque functiones integrè exercebat. Cum itaque vererer, ne inſolens & rarus hic affectus malignitatem aliquam cancroſam ſibi conjunctam haberet, nonniſi precibus ab ægro victus, manum adhibere volui. Difficultate igitur affectus ægro ſignificata, malui primò curationem palliativam adhibere, quàm extrema ſtatim tentare. Præſcriptâ itaque victus ratione convenienti, corpus aliquoties melanagogis expurgavi: & venam in dextro cubito incidi: fungo verò ſequens applicui Collyrium.

R. Aquæ Roſarum, Plantagin. Cardui benedicti an. ℥j. Ranarum ℥ ij. Seminis Cydoniorum contuſi ʒ ß.

Maneant ſimul in infuſione per horas aliquot: poſtea exprimantur fortiter addanturque

Tutiæ præparatæ, Plumbi Fernelii præpar. Cornu cervi uſti, Lapidis calaminaris, Cinerum Ranarum, & Gammarorum, ana ℈. ij.

Miſceantur, & fiat inſtar Collyrii, quod filamentis & linteis ſuavibus tepidè applicetur bis terve in die.

Cum per menſes ferè duos pręſcriptam victus rationem obſervaſſet, & Collyrio hocce uſus fuiſſet, omniaque ad votum ſuccedere viderem, auctus mihi fuit animus ad reliqua quoq; cum ipſo tentanda. Conſtitui itaq; Excreſcentiam illam filo aquâ Mercurii ſublimati inſuccato, iterumque exſiccato, ligare. Sed quia propter obeſitatē ęgri fungus ille inter muſculos veluti abſconditus jacebat, & non niſi ſuperficies ferè ipſius apparebat, non parum ſolicitus fui, quomodo ipſum cum ſuis radicibus prehendere poſſem. Tandem inſtrumentum, quod meritò *Speculum Umbilici* appello, excogitavi: hujus beneficio depreſſis muſculis, cum totus fungus in conſpectū veniſſet, animadverti, non unum, quemadmodum primo intuitu apparebat, ſed tres diſtinctos eſſe fungos. Hujus itaque inſtrumenti beneficio, fungum cute tenus ligare, adeoque radicitùs extirpare potui, quod alioquin propter obeſitatem ægri ſine inſtrumenti hujus ope fieri non potuiſſet.

Adaptavi autem inſtrumentum hocce ex catillo ſtanneo, cujus fundum excidi, & ex utraque parte faſciam oblongam annexi, eamque in dorſo tam ſtrictè ligavi, ut catillus muſculos reprimere poſſet. Nonnunquam tamen aliquem ex miniſtris conſtitui, qui ſpeculum introrſum ambabus manibus intruderet, ne hypochondria faſciâ comprimerentur, & ut reſpiratio liberior eſſet. Nona itaque Maji adaptato filo circumcirca fungum, & appoſito ſpeculo, eoq; impreſſo filo uſq; ad radicem fungi, illud, quantum fieri potuit, conſtrinxi. Quia autem propter ingentes dolores, imò & lipothymias, quæ protinus ex arctâ ligaturâ ſuperveniebant, primâ vice radicem fungi non ſatis arctè ligare potui, ſubſequentibus dieb⁹, videlicet alternis, aut de tertio in tertium diē, filum nonnihil, & prout æger id ſufferre potuit, conſtrinxi, idque ſemper prædicti inſtrumenti beneficio. Interim quę dolorem leniunt, fungo appoſui: linteum quinetiam reduplicatum in decocto herbarum aſtringentium, veluti plantaginis, Geranii, Equiſeti, Roſarum, radicum Scrophularię, & hujuſmodi cum pauco aceto madefactum applicui. Non autem una vice propter dolorem: imò & palpitationes, quæ poſt arctam ligaturam ſtatim ſuperveniebant, fungos omnes ſimul ligare potui. Prima itaque vice duos tantum filo prehendi: quibus ablatis, tertium quoque eodem modo aggreſſus ſum. Poſt caſum fungorum pulveres pro præſcripto collyrio, quibus nonnihil aluminis uſti admixtum erat, umbilico inſperſi, & collyrium linteo in eo madefacto applicui: non omiſſo tamen decocto aſtringenti prędicto. His adhibitis remediis, feliciter, laus ſit Deo, reſtitutus fuit: nec ullum incommodum ab eo tempore ſenſit. Porrò quemadmodum tria vaſa ad umbilicum concurrere ſcimus: ita etiam tres fuiſſe fungos, eoſque ſeparatos, obſervavi, ita ut fomitem mali tam ex corde, quam ex hepate promanaſſe conſtet: unus enim

in medio, reliqui ad latus verſus hypochondria erant. Ex arteriis præterea proveniſſe, arguunt lipothymiæ quæ ſuperveniebant, quotieſcunque filum arctè nimis conſtringere tentavi.

Eſt profectò affectus iſte apud me perquàm rarus, nec ſimilem vidi unquam: Imò nec quidquam me de ipsô legiſſe, memini, niſi apud Celſum, qui lib. 7. cap. 14. ejus tribus ſaltem verbis meminit. &c.

UNGUIS, PINNA & ALA OCULI.

vid. ſub titulô

OCULORUM MORBI.

UNGUIUM MORBI.

Unguis venit ab ὄνυχος genitivo Græco unguem ſignificante. Multa enim ab obliquis deſcendunt. χ converſum eſt in G. quomodò ab ἄγχω eſt ango; à χαλβάνη galbanum.

Quâ ratione unguis & ungula differant, quidam non ſatis videre Grammatici. Unguis eſt in iis, quæ digitos habent: ungula in illis, quæ ſolidos vel biſulcos habent. *Plinius initio cap.* 45. *lib.* 1. ungues clauſulæ nervorum ſummæ exiſtimantur. Omnibus hi, quibus & digiti. Et mox de Elephanto *inquit*, huic informes numero quidem quinque, ſed indiviſi ac leviter diſcreti, unguliſque, haud unguibus, ſimiles.

Ungues, ſimiliter ac pilos vitâ donatos eſſe, verâque nutritione augeſcere, probabile eſt: eademque argumenta huc faciunt, quæ ſuprà pro pilis adduxi. Conſentit huic opinioni *Hippocrates lib. de alim.* in pilos, *inquit*, alimentum, & in ungues, & in extremã ſuperficiẽ intrinſecùs pervenit. Item *Galenus lib. de anat. adminiſ. cap. ult.* pari modo ſanè & ungues ligamento quodam externo internodii termino conjunxit: ſymphyſi verò carni cutique intrinſecùs univerſim; extrinſecus toti radici adnaſci fecit. Cæterùm in radicem ipſam non modò nervus, ſed etiam arteria venaq; porrigitur, unde ſenſum, vitam, & alimentum, ſicut aliæ partes, accipiunt. Ibidem: ungues arteriæ & venæ nervoque ptopter radicem junguntur, ſenſus, vice & alimenti gratia: oſſi verò & cuti committuntur, ne ſuſpenſi vacillent: partem enim oportebat & hos eſſe toti animanti cohæreſcentẽ ſicut alias quoque. Iſtas venulas in digitorum unguibus inter ſe diſtinctas, ac mirificâ arte diſpoſitas perſpexit microſcopii ſui beneficio *Franciſcus Fontana Neapolitanus.*

Officium & utilitatem unguium diſertè accurateque explicat *Galenus lib.* 1. de uſu cap. 7. & 8. oſtenditque *Platonem & Ariſtotelem* negligenter de eorum uſibus locutos fuiſſe. Qui *Galeni* locus dignus eſt ut adeatur videaturque.

Vitia porrò unguium ſunt inæqualitas, craſſities, rugoſitas, ſcabrities, color mutatus, curvatura, fiſſura, caſus, pterygium.

Ungues inæquales, craſſi & rugoſi evadunt ob ſuccum, quo ungues nutriuntur, copioſiùs adfluentem. Id quod fit ex validis laboribus, quibus ungues circa radices commoventur, ideoque alimentum copioſius ſuſpiciunt.

Scabrities unguium fit ex humoribus vitioſis & excrementitiis, præſertim melancholicis, alimento unguium ſeſe permiſcentibus.

Malè colorati ſunt ungues, vel quia ſubjecta unguibus caro malè colorata eſt: vel quia ipſorum unguium alimentum vitioſum & tali colore præditum eſt; à quâ causâ oriuntur & maculæ illæ albæ exiles; à pituitâ ſcilicet craſsâ alimento ſeſe admiſcente. Aliquandò ex contuſione ſanguis ſub unguem effunditur, & per unguem tralucens colorem rubrum vel nigricantem parit.

Fiſſura unguium plerùmque à causâ externâ venit, ut à vulneribus: aliquandò ab humorum malignitate in Lue venereâ & leprâ.

Caſus unguium fit ab acribus humoribus radices unguium erodentibus. Sic poſt ulcera & vulnera circa radices unguium, decidere ſolent ungues, pure eorum radices exedente. Ita aliquandò poſt febres malignas & peſtilentes deciderunt ungues, & poſt venena quædam ſumta, & in lue venereâ.

Pterygium eſt incrementum carnis partem unguis operiens: ſequitur ſæpe paronychiam, vel aliud ulcus circa unguem.

Craſſities, inæqualitas & rugoſitas unguium ſi à validis laboribus orta eſt, emendatur ceſſante illâ causâ. Nam progreſſu temporis unguibus illis craſſis excreſcentibus & reſectis, meliores alii ſuccedunt.

Scabrities unguium tollitur abraſione: dein impoſitione hujus emplaſtri:

℞. Reſinæ drachmas duas, terebinthin. drachmam. ceræ novæ, ſevi hircin. an. drachmas duas & ſemis, maſtiches ſcrupulos quatuor, thuris drachmam. Miſ. f. emplaſ.

Color unguium ſi mutatus ſit ob contuſionem:

℞. Sagapeni q. v. miſ. in mortario cum oleo nucum, ut fiat emplaſtrum; quod ſuperponatur.

Si unguis nimium incurvatus ſit, & ſubjectam carnem pungat; quod non raro fit in pedibus, caro imprimis ſuperflua tollenda inſperſo alumine uſto, vel præcipitato: poſtea unguis, qui carni inſedit, reſecandus.

Ad pterygium conſumendum valet unguentum ægyptiacum, alumen uſtum, præcipitatum. *Vopiſcus Fortunatus Plempius de Unguium affectib.*

Nihil eſt, de quo negligentius tractarunt ſcriptores Chirurgiæ, quam de affectibus præter naturam in unguibus occurrentibus, cum tamen omni tempore ſe exhibuerint, imò quotidiè adhuc ſe exhibeant qui Chirurgo æque ac ægrotanti moleſtiam non unam creent.

Quod ſi judicio accuratiore conſideraverimus, haud adeò quem in uſum conditi, quàm quibus partibus juncti, nullus erit qui non nobiſcum plura hîc neceſſaria eſſe auxilia, quam hactenus propoſita, confitebitur.

Antequam verò examen morborum quibus affici poſſunt aggrediamur, ſtructuram eorum, originem, & uſum cognoſcere conveniens.

Quoad Originem valde inter ſe diſſentiunt Medici; arridet omnium maximè ſententia Galeni, quæ com. ad prognoſt. proponitur, vaporem nempè aliquem ab extremitatibus digitorum extrorſum motum ab externo aëre condenſari, indeque cornu ſimilem ſquamam produci.

Felix Platerus de ſuperf. corp. dolor. cap. 17. ex nervorum extremitatibus eos produci ſtatuit.

Aliis placet oſſiculorum digitos conſtituentium extrema hic ut materiam aſſumere.

Haud crediderim à vero nos aberrare, ſiquidem non ſolùm ex nervis atque oſſibus eos conſtitui dicamus, ſed etiam ſecundùm Galenum ex digitorum extremis, eò quod, abſque omni dubio, totam partium compoſitionem reſpexerit Galenus quæ ad membri ſtructuram concurrunt, quales Tendines, venæ, arteriæ, nervi, cutis & oſſa, cum hæ omnes circa digitos terminum ſuum nanciſcantur proximè ſibi invicem connexæ.

Digiti anatome curioſa ſatis ſuperque patefaciet tendinem ſuperiorem digitorum in pede, manuque ad internodium ultimum ſenſim indurari.

Venas

Venas extremitates ſuas per cutem diffundere ex eo conſtat, quod cutis ad unguium marginem rubicundioris coloris reperiatur, quam aliis locis, ubi etiam ſeparatione ejus ab ungue dolores graviſſimi exoriri ſolent.

Eadem ratio arteriarum, quæ nunquam deſtituuntur venâ vel nervo, relictâ cute ungues ipſos accedentium. Ungues poroſos eſſe, variis vaſorum ramulis gaudentes microcoſpio evidenter notari poteſt. Imò, non ſemel nobis obſervare licuit, ubi feſtucam ſub ungue hærentem extrahere animus, & ad hoc peragendum per partes unguem tollere neceſſarium, quo inſtrumento apto feſtucam apprehendere concederetur, guttas ſanguinis varias ſe exhibuiſſe, certo judicio vaſa ſanguifera unguem variis modis pererrare.

Nervos ab unguibus tegi ſententia Plateri eſt; imò etiam ſenſum aliquem eorum ope unguibus adferri exemplo ſeq. demonſtrabimus.

Maria Jacobi, Religioſa, acu vulneraverat unguem digiti indicis manus ſiniſtræ, undè intumeſcentia gravis, inflammatio, dolor; periculoſa videbantur omnia, ad quorum ſublationem & tempore & patientiâ opus, præterquam quod oſſiculi ultimi ablationem metueremus. Non unguem ipſum, ſed locum unguem partemque tendinoſam (duo enim hæc accuratè diſtingui vult Plempius tract. de muſculis cap. 25.) interjectum acu læſum credebamus, quale quid obſervatum narrat, Horatius Augenius Tom. 1. conſult. & epiſt. med. lib. 9. cap. 2. in ſartore quodam, qui etiam vulnere tali obiit.

Ægrotans unguium ſuorum ſenſibilitatem ſummam, jam aliis Chirurgis notam prædicans, non applicari voluit medicamenta extremis digitorum, ſed vero ipſis unguibus; nos deſiderio ipſius ſatisfacere ſtudentes eodem modo vulnus hoc unguis tractavimus ac vulnera nervorum tractari debere ſupra docuimus, & breviſſimo tempore integrè curata.

Uſum unguium antequam declaremus, ſcire convenit, Cuticulam etiam aliquomodo unguem inveſtire.

Galenus digitorum extremis inhærere eos judicat ad meliorem apprehenſionem.

Felix Platerus nervis eſſe pro integumento & propugnaculo.

At ulterius priuſquam progrediamur, noſtrum eſſe judicamus, Lectori curioſo periculum indicare, cujus ſubjecti omnes illi, quorum ungues quovis modò læſi.

Plinius cap. de morte repentinâ variorum 36. lib. 2. Q. Æmil. Lepidum ex percuſſione unguis mortem contraxiſſe narrat.

Veterum exemplis haud indigemus, cùm noſtra tempora eorum numerum ſufficientem exhibeant.

Juſto Breſcis, Mercatori celebri pollicis pedis dextri unguis reſectus mortis cauſa fuit, eò quod ſymptomata accederent graviſſima.

Petrus Johannis Koning, poſtquam jam per quadriennium unguis reſecti curam habuiſſet, ſymptomatum ſupervenientium vi exſtinctus eſt.

Johannes Isbrants Faber lignarius feſtucam igneam excepit loco eo qui eſt ſub ungue, quæ ſymptomatibus variis, & tandem morti ipſi anſam dedit.

Gooſe Pieterſon lanio cultro vulneraverat digiti minimi unguem, mox ejus quod ſolutum à parte ſana ſeparavit, & intra triduum mors ſupervenit.

Exempla alia eorum qui per morbos unguis, iiſque ſupervenientia ſymptomata vitâ privati, non eſt quod proponamus; accedamus vitia ea quæ unguibus ſupervenire ſolent parvæ conſiderationis ſæpius habita, cum tamen non raro ſatis moleſta, periculoſaque.

Hier. Fabr. ab Aquapendente de operat. Chirurg. part. 1. cap. 102. Quamvis, *inquit*, ungues pauciſſimi uſus eſſe videantur, quod ferè non nutriantur, & corporis partibus vix annumerentur, tamen quadruplicem Chirurgiam requirunt.

Conſiderabilis hîc unguis pedis, potiſſimum digiti pollicis ad angulos introrſum in carnem intruſio, ex uſu calceorum aliorumque externorum plus juſto comprimentium, undè membri actio vitiatur, imò in totum ſæpius tollitur, præterquam quod dolor & inflammatio ſæpius valdè ſoleant moleſtare. *Ab Aquapendente* præter alios propemodum innumeros à ſe curatos quendam aliquando nobilem gallum curaſſe ſe ſcribit, qui palam fatebatur ſe plus ipſi debere quam proprio genitori propter reſtitutam digiti ſanitatem ex unguis pollicis inſinuatione intruſioneque in carnem ad ejus ſcilicet latera.

Contigit nobis aliquando plus honoris lucrique reportaſſe ex reſtitutione hujuſmodi in *Nob. D. Martino Thiiſen Ankerhelm, Architalaſſo Suecico*, quàm unquam ab ullo ægrotantium.

Unguem altè ſe ſub carnem & cum dolore defigentem quoties obſervamus, forfice valido, acutiſſimo, ſectionem inſtituere neceſſarium, initio facto circa partem ſuperiorem, procedendoque ſic ad inferiora, ubi ejus radix; hoc peracto volſellæ opera particulam unguis abſciſſam levi manu ſeparare convenit, ne alias ſiquidem violentia quadam procedat Chirurgus inferatur periculum.

Operatione hâc peractâ plumaceolum loco læſo apponatur Ung. digeſtivo calido inunctum. Utimur hoc quod balſamo quodam gaudeat tendines & ungues calefaciente.

Quod ſi exulceratio quædam carnis acceſſerit, præſtantius nihil reperi, ſimiliter ac in omni incipiente digitorum ulcere, aquâ Mercuriali, veneni etenim aliquid unguibus ineſſe, cujus vi cutem, carnem, tendineſq; atterant, quo non priuantur niſi applicatione ſublimati ex quo aqua hæc conficitur, quod etiam venenum eorum tollit. Ungues enim, denteſque animalium, docente *de Vigo lib. de vulner. cap.* 4. Mediciſque aliis nunquam veneno deſtituuntur.

Unguibus eorumque ſcobi venenum ineſſe clare ſatis felium ſcalptura declarat *Fabr. Hildanus part.* 1. *obſerv.* 86. & ſcobe *Euſtach. Rhudius.*

Ungues enim referente *Abele Roſcio* apud *Hildanum* excrementis conſtant ſicciſſimis, nullaſq; humiditates reſervant; hinc eſt quod vulneribus venenoſitatem adferant, imò cordi, totique corpori communicant; ex ſcalpturâ unguibus peractâ quoſdam in delirium incidiſſe *Cœl. Aurelianus lib.* 3. *de celer. morb. cap.* 9. teſtatur.

Summa adeoque cura habenda, ut tendo inflammatus aut ab ungue alteratus, ſimiliter ac caro ipſa, defendatur, & primo tempore exſiccetur.

Leviſſimus licet ſæpius viſus nobis fuerit affectus unguium, negotii tamen non ſemel tantum nobis eos attuliſſe confitemur, ut pudorem intulerit diuturna curatio, ſine ſucceſſu inſtituta.

Medicus Clariſſimus, ſcholæ publicæ in nova urbis noſtræ regione moderator magni nominis *Johannes Pantinus*, intruſionem hanc unguis pollicis pedis in carnem contraxit, cujus curatio ultra ſeptimanas ſexdecim miris modis nos vexavit, etiamſi ſingulis diebus eum accederemus; quæcunque ſecando, ſeparando, exſiccando tentaremus fruſtranea omnia; latebat nos tardioris curationis cauſa, carnis læſæ craſſities eadem perdurabat, cum effluxu materiæ purulentę optimę digeſtionis. Tandem inſtrumento noſtro exploratorio particulam ab ungue forfice ſeparatam carni prędictæ inhærere notavimus, quo ablato curatio ex voto abſoluta fuit. *Jobus a Meekren in Obſervationibus Medico-Chirurgicis.*

UNGULA

UNGULA
Vid.
CORNEÆ VITIA;
URETHRÆ MORBI
Vid.
GONORRHOEA; Item
CARUNCULA in Meatû Urinariô, &
ULCUS URETHRÆ, ſub
titulô ULCUS.

URINAM SPECTANTES MORBI.

Curationes.

IN Iſchuria ſupprimitur omninò Urina, aut ob Veſicę languorem, quæ nequeat urinam propellere, aut ob ipſius meatus anguſtiam, & obſtructionem; ideoque vel à paralyſi ſeu reſolutione muſculi ſphincteris, vel à nimia ejuſdem diſtentione ex immodico urinæ confluxu, undè nequeat illa ſeipſam exonerare; vel à calculo veſicæ collo hærente, vel ab ejuſdem inflammatione, aut tumore; vel à viſcoſa tenacique materia, pure, grumo ſanguinis, urethræ ductum opplente; ſicut etiam à callo ibidem genito; vel denique à verme alioque corpore per eas partes delato, atque ob loci anguſtiam in tranſitu hærente: quæ ſanè pro curatione internoſcenda ſunt.

Et quidem ſi à paralyſi, ſtupor atque ſenſûs hebetudo in ea parte aderit, itemque in aliis, per quas ramuli ſextæ conjugationis, & nervi ab oſſe ſacro prodeuntes, deducuntur; undè ſenſu motuque orbatus ſphincter muſculus voluntatis imperio ad meatus urinarii reclusionem non obſequitur.

Si à calculo veſicæ orificio infixus urina remoretur, aderunt indicia calculi alibi memorata.

Si à nimia veſicæ diſtentione, atque Urinæ repletione, diutiùs illa retenta eſt, & tactu percipietur inflatio in perinæo, ubi pondus, & meiendi deſiderium, cum conatu irrito.

Si ab inflammatione aut tumore, alterutrius ſigna tùm per tactum, tùm per viſum innoteſcent, præter febrim, ſitim, dolorem, & alia accidentia inflammationem comitari ſolita. Neque verò omninò neceſſe eſt, ut veſica ipſa inflammetur, aut tumeat, cùm etiam à ſuperincumbentium aliarum partium tumore compreſſa nequeat urinam egerere.

Si à viſcoſo tenacique humore; urina perdiù ſabulo, mucoſiſque ſuccis ſaturata, mox tenuis, & veluti percolata excernitũr, ac tandem ſenſim ſupprimitur.

Si à grumo ſanguinis, aut pure, præceſſit mictus ejuſdem ex vaſis alicujus apertione, eroſione, ictu, vulnere.

A vermibus denique eventu ipſo potiùs, quàm certâ notâ deſignabitur.

Quod ſi, veſicâ vacuâ, urina ſupprimatur, vitium in renibus quærendum.

In ſtranguria guttatim urina mingitur, & veſica ad illam reddendam aſſiduò ſollicitatur; quocirca urinæ ſtillicidium ægritudo hæc dicitur, cum dolore & conatu, præſertim in fine mictionis. Hujus cauſa eſt nimia ipſius urinæ acritudo, ac mordacitas; undè veſica in ſuo orificio, vel ſphinctere ulcerata, ſtatim ac illuc urina appulerit, micturire cogitur. Fit autem aliquandò, ut illa inaniter ad expulſionem ſtimuletur, à ſolo ſcilicet vapore acri, vel à muco, pure, arenulis, calculo, aliave re ſimili tenaciter hærente; nec diſſimili modo, ac in Teneſmo fit. Ex Gonorrhœa gallica pleroſque etiam experiri contigit, ſtranguriâ moleſtiſſimâ laboraſſe, adnatâ nimirum carunculâ ulceri urethram occupanti. Ab uteri quoque, vel recti Inteſtini inflammatione urinæ ſtillicidium fieri docet Hipp. 5. Aph. 58. tractâ ſcilicet in conſenſum veſicâ ipſis adjacente.

Dyſuria demùm ſeu meïendi difficultas, quamvis à nonnullis cum ſtranguria confundatur; propriè tamen ab illa differt: etenim in Dyſuria non cogitur veſica tam frequenter & guttatim urinam reddere, cum poſſit nedum juſto tempore illam continere, ſed etiam diutiùs quam deceat. At verò cùm emittitur, difficilis ſimul, & dolorifica eſt, quamvis cùm prodierit, ubertim profluat. Hujus cauſa refertur quoque, vel ad vitium urinæ, quæ mordax & acris ſit; undè dici conſuevit Ardor urinæ; vel ad veſicæ cervicem, & urethram eroſam & ulceratam fortaſsè à calculo, arenulis grandioribus & aſperis, lue gallica, medicamentis acribus, prҿſertim ex cantharidibus, injectionibus in penis ductum aquarum erodentium, aliiſque. Quod autem urina tam inſenſa veſicæ ſit in ſtranguria, ut illam illicò ad mingendum ſollicitet, & laceſſat: referendum videtur ad acidum ſalſum lixivium urinæ permiſtum, quod vel è ſucco pancreatico non convenienter correcto à fermento felleo procedat, vel à potu ciboque acidiori, nec dum bene fermentato, ut de cereviſia novella, & vino Rhenano Germani ferunt. Cùm itaque ſenibus deficiat vel langueat fermentum hoc felleum, quo ſuccus pancreaticus, atque acores alii ex languore viſcerum orti queant corrigi, & temperari; fit propterea, ut ii ſtranguriam patiantur; eoq; magis quia acidum ſalſum crudis viſcoſiſque ſuccis adjungitur, quibus ſenes plurimùm ſcatere ſolent; undè iſti tenaciùs ſphincteri, atque veſicæ cervici hærentes, etiam citra lotium ad micturiendum crebrò ſtimulant, & compungunt. Hinc Helmontius ait, Senum ſtranguria fit, quoties fermentum bilis juſto debilius eſt; & non poteſt acidum ſtomachi chylum in ſalem ſalſum commutare.

Tàm itaque ſtranguria, quàm dyſuria ad mortem ſҿpè ægros comitantur; cùm præſertim in ſenibus immedicabiles ſint; Si verò ſtranguriæ Ileum ſuperveniat intra ſeptem dies, lethum minatur ex Hipp. 6. Aphor. 44. niſi febris ſuperveniens urinam promoveat affluentiorem. Longè autem periculoſior Iſchuria, nam retenta diutiùs urina ſanguinem, & viſcera quæcumq; coinquinat, & corrumpit: nonnunquàm etiam ſoporem affert, & Apoplexiam. Cæterùm ex cauſis gravior, vel levior erit, prout illæ faciliùs, vel difficiliùs removeri poſſunt.

Suppreſſa urina omni induſtriâ promovenda eſt, amotis primùm cauſis, quæ illam remorantur. Quare ſi ex paralyſi nervorum, & muſculi ſphincteris ſuppreſſio oriatur, adhibenda ſunt quæ paralyſi occurrant; intereà verò per catheretem aditus urinæ præbeatur, non neglectis topicis medicamentis, quæ robur, ſenſum, motumque muſculo recludenti impartiantur. Cumque ſæpenumerò reſolutio iſta ſphincteri accidat ab ictu, contuſione, aut vulnere oſſi ſacro inflictis, undè nervi ejus motui conferentes promanant, peropportunum, ſummeque utile erit, ad citam urinæ egeſtionem, contuſæ, aut vulneratæ parti ſpecialius opitulari, ut vis per nervos veſicæ ſuggeratur, atque unà ſimul vulneri, aut contuſioni, perquam ocyſſimè ſuccurratur.

A nimia veſicæ diſtentione ob retentam diutiùs urinam, (qua de cauſa Tychonem Brahe Daniæ lumen, atque Aſtronomiæ reſtauratorem occubuiſſe ferunt) ſi fieri poſſit, uſu catheteris, vel ut mavult Sylvius ex Helmontio, ope candelæ cereæ, illa educatur; adhibitis intereà extrinſecùs medicamentis emollientibus, & laxantibus ex decocto malvæ, althææ, violarum, parietariæ, florum chamæmeli, ſeminum lini, illitoque oleo amygdal. dulcium, ſcorpionum, & ſimilium; clyſteres quoque emollientes proderunt ob conſenſũ recti inteſtini cũ veſica. At ab internis remediis abſtinendum, quouſque

urina

urina profluxerit; ſicut pariter à potibus præſertim diureticorum, ne magis urina cumuletur, & affluentiùs in veſicam irruat. Poſtquam verò æger minxerit; ſi inflamationis ſuſpicio adſit, locum habebunt, quęcumq; in gratiam veſicæ demulcendi vim habent, ut ſunt lenientes expreſſiones, ex condituris violarum, florum nymphææ, lactucæ, ſeminibus hordei, melonum, halicacabi; quibus & ſanguis hircinus, & ſal prunellæ, & ſaccharum ſaturni, atque alia ad inflammationem ſedandam peculiariùs conducentia adjici poterunt. Si verò à ſuperincumbente alterius generis tumore Veſica comprimatur, huic omninò diverſis & pro re nata, congruis remediis, occurrendum, prout perito expertoque Chirurgo melius viſum fuerit; ſicut pariter cum à calculo urinæ egeſtio impeditur.

Si à calculo, ea conferent quæ ſuprà ad veſicæ & renum calculum ſunt memorata: quamquam, ut urinæ exitus promptè paretur, catheter neceſſarius videatur dextrè tamen adhibitus.

At cùm retentionis iſtius cauſa fuerit tenax, & viſcoſus humor, ad ejus attenuationem remotionemque incumbendum; quamobrem quæ ſuperiùs in impedita ſeri urinarii è renibus ſecretione ſunt recenſita, hîc quoque optima erunt, vitatis inſuper alimentis craſſos ſuccos cumulare valentibus, imminutoque potu, quoad fieri poterit, ne plus juſto veſica gravetur, & oppleatur.

Ad grumum ſanguinis, & pus, proderunt diſſolventia; neque ab his verendum ne ſanguinis mictus magis promoveatur; gravius quippè damnum imminet ex grumo, & pure, quàm ex ſanguinis exitu; & conſultò admonet Fridericus Hofmannus, neque ſubitò ſanguinem ſupprimentibus utendum, cùm urina cruenta ex calculo provenit. Verùm ſi hæc diutiùs perſeveret, ſpeciatim prodeſſe ſcribit Hartmannus arcanum agrimonię, & quinquefolii ad grana aliquot exhibitum; itemque tabulas Plateri, & ſpecies diaplantaginis Mynſichti, atque ex Marte, & ſaturno medicamentum Cardilucii, ad ſiſtendam hæmorrhagiam, trochiſcos Gordonii, aliaque ſuperiùs memorata. Hippocrati commendabatur lac ovillum epotum, ſicut & poſca ad grumos diſſolvendos; ejuſque loco oxymel. Aliis eſt in uſu rhabarbarum torrefactum, & cum ſucco portulacę exhibitum; atque ivæ artheticæ decoctum. Eſſentiæ hyperici, agrimoniæ, burſæ paſtoris, & plantaginis ab aliis magnifiunt; ſicut pariter tinctura, & ſyrupus coralliorum, pulvis hæmatites, & croci Martis. A Cantharidibus verò, lac, expreſſiones ſeminum melonum, & cucurbitarum, jura, cæteraque demulcentia proſunt.

Ulceri fortaſſis relicto abſtergendo conducunt quæ de ulcere renum dicta ſunt, præſertim decocta vulneraria cum balſamo ſulphuris, extractum hyperici, conſolidæ, verbaſci, pulveres ſarcotici dicti, terebinthum, tragacanthum, cera. Sylvio perutiles cenſentur injectiones ex decocturis plantarum aromaticarum in aqua, vino, vel hydromelle, addito balſamo ſulphuris, vel Peruviano. Seligit autem ex plantis Rondeletius radicem conſolidæ majoris, caudam equinam, plantaginem, hypericum. Immitti autem priùs debet catheter, mox aptandus ſyphon, ſeu ſyringa, ut liquor injiciendus veſicæ cavum ſubeat, ex Primeroſio de vulgi error. lib. 4. cap. 54.

Vermium denique Curatio ex alibi traditis petenda quoque erit.

Nulla autem cauſarum Iſchuriæ ratione habitâ, nonnulla recenſentur, quibus illa affecti curati referuntur. Narrat Foreſtus quoſdam, poſt multa fruſtrà tentata, fimo equino cum vino calido Rhenano per filtrum trajecto, & epoto, illicò minxiſſe. Et Formius apud Riverium efficax remedium eſſe ait cerebrum picæ exiccatũ, & cum vino albo propinatum: eo enim intra horã urinæ exitum promoveri ſubdit. Proditum eſt ab Helmontio Mercatorem urinæ ſuppreſſionem octiduo paſſum, jamque morti vicinum, ſumpto ſucco millepedum, & conchyliorum nigrorum; in quo granum unum cantharidum fuerat incoctum, ſanitati fuiſſe reſtitutum. Fatetur Hartmannus urinam hirci calidè epotam, ejus verò omento, & inteſtinis ventri intereà applicatis, retentam urinam ſubitò propellere, unàque etiam calculum, ſi is fortaſſe ſuppreſſionis cauſa fuerit. Magnifaciunt alii infuſum calcitrappæ in vino: expreſſionem è ſeminibus violarum, & nucleis perſicis cum aqua radicis urticæ, vel raphani: teſtas ovorum: eſſentiam lumbricorum terreſtrium, vel eorundem pulverem cum vino mulſo: ſuccum cancrorum fluviatilium itidem in vino; ſicut & ſal radicis lupinorum à ℈ß. ad ℈i. ex eodem Hartmanno, Decoctum plantaginis aquaticæ cum pari quantitate vini græci ad cyathum unum ferè poſt horam urinam promovet.

Extrinſecùs, Parietaria decocta, & cum oleo ſcorpionum inſtar cataplaſmatis pubi appoſita proficere plurimùm dicitur Foreſto: quam eamdem oleo frixam & nedum pubi, ſed etiam perinæo ſuperimpoſitam laudat Amatus Luſitanus; pariterque cæpam excavatam, & oleo anethino imbutam ſupra cineres calidos excoctam, ac pari modo applicatam. In pueris verò commendat radicem Meu, ſeu dauci Cretici oleo decoctam. A lapide Nephritico brachio patientis alligato calculum veſicæ excretum vidit in Nicolao Treviſano Medicinę Theoreticæ Profeſſore Jacobus Zabarella; indeque numquam ampliùs urinæ retentæ incommoda eum paſſum teſtatur. Eandemque opem ab eodem lapide Coxæ interiori admoto perſentiiſſe alium faſſus eſt Jo: Andreas Schogargus Medicus Patavinus, ex teſtimonio Jo. Rhodii. Sed admiratione dignum eſt, quod ſcribit Nicolaus Monardes de lapide Nephritico ex nova Hiſpania nuper ad nos delato, quem Praſio lapidi ſimilem eſſe, atque ad viridem colorem permiſtum tendere notat, præferri verò viridiorem. Is enim tantæ dicitur virtutis, & efficaciæ, ut brachio geſtatus ingentem arenularum quantitatem per urinam promoveat, atque ab renum dolore, & calculo tutetur. Verùm plures ex his mihi contigit experiri, ſed fruſtrà; niſi fortè illi adulterini fuêre, ne aliis Obſervatoribus derogem.

Ad ſtranguriam ea potiſſimùm convenire videntur, quæ urinæ acritudinem temperant. Hinc Helmontius ſaliaè lixivio parata conferre ſcribit, qualia ſunt ſal ſtipitum fabarum, aut glandium in decocto cicerum rubrorum. In ſpiritu ſalis ſummum etiam arcanum latere ait. De ſucco betulæ magna etiam prædicat, ſicut etiam de oculis cancrorum. Vinum etiam pleriſque efficaciſſimum dicitur, in quo igniti ſilices pluries fuerint extincti. A ſpiritu vini ex floribus roriſmarini in julapii formã redacto, & manè ad cochleare unum aſſumpto, aliquot etiam vidi in melius abiiſſe: quamquam pleriq; Medicantium refrigerantibus, & humectantibus inſiſtant ex malva, viola, portulaca, quatuor ſeminibus majoribus, lacte, ſero, aliiſque, quæ potiùs ad acrimoniam urinæ temperandam uſui eſſe poſſent. A ſeminibus Halicacabi, glycyrrhiza, & floribus chamæmeli, cum modico pulveris nucis odoratæ, vel macis, magnum confici remedium pleriſque creditur. Et Foreſto decoctum foliorum ribium nigr. expertum dicitur. Olei ceræ guttæ tres, vel quatuor in decocto cicerum rubrorum exhibitæ, inquit Hartmannus, ſtranguriam ſolvunt. Externè verò axungia Hirci umbilico applicata, & oleum maſtiches ſtillatitium; nec non inſeſſus, & fomentationes ex herbis emollientibus elixis. Cùm denique calculum, arenulas, inflammationem aut veneream luem ſtranguria conſequitur, medicamenta his opportuna in uſum ducenda erunt.

Speciatim autem in Dyſuria danda opera eſt, ut urinæ mordacitas temperetur; illaque quodammodò dulceſcat; quamobrem expreſſiones aliàs memoratæ

ex ſeminibus, & condituris anodynis hic locũ habebunt, & multò magis ſi urinæ ardor ex cantharidum uſu oriatur. At verò ſi ulcus in veſicæ orificio rimeatur, inutilia iſta erunt; ſicut etiam in ſenibus ex languore, & mucoſis acidiſque ſuccis; in quibus expoſtulantur roborantia, attenuantia, & aromatica ſubamara, vinum, viniique ſpiritus. Commendat Heurnius vinum tenue cum nuce myriſtica, & lixivium ex cineribus roriſmarini & vino albo. Thonerus oleum ſuccini puriſſimum ad guttas VI. in aqua petroſelini. Et Horſtius etiam aromata in urinæ ardore præſcribit, quamvis vitioſus humor acer, & calidus videatur. Apud Nicolaum Cheſneau refertur arcanum mirabile ex pulvere vitri ad ʒ i. cum ℥iii. aquæ roſarum manè jejuno ſtomacho exhibito, quo multos fatetur à Dyſuria curatos, excretis per urinam fæculentis ſordibus.

Illud poſtremò ſupereſt in hiſce Urinarum vitiis obſervandum, ut victus ratio ejus ſit conditionis, ut neque urinam crudoſque ſuccos cumulet, nec ad vias urinæ recrementa deducat; undè Helmontius nonniſi poſt pituitæ evacuationem, diuretica exhibenda docet. Modico igitur cibo, & parciori potu utatur æger: acria, & acida devitet; ne urinam acriorem moleſtioremque faciant, quę potius, quoad fieri poterit demulcenda: eâ namque temperatâ ſæpiſſimè hujus generis ægritudines, citra alius medicamenti opem, ſponte ſua deſiêre: nec aliud quidpiam præſtant quæcunque ex expreſſionibus ſeminum plantarum conficiuntur. Cæterum Narcotica, & opiata tuta non ſunt, niſi dolor urgeat nimis. Et in cibum urtica minor, ſyſymbrium aquaticum, raphanus, ſiler, cæpa, aliaque his ſimilia in juribus excocta ſæpè ſæpiùs contulere.

Aliquando Urina contineri non poteſt, ut debito tempore egeratur; non raro etiam dormientibus ſponte ſua profluit; quod plerumque accidit.

Hoc quoque vitium tribuitur muſculo ſphinctеri veſicæ orificium claudere nequeunti, vel quia paralyſi affectus; vel quia à maligno ulcere eroſus, & conſumptus urinæ exitum ex arbitrio non moderatur. Pueris verò potiſſimùm à laxitate ejuſdem urina proſiliit; quamvis aliquandò ob vehementem imaginatricis vim illa in dormientib. per retractionem muſculi propellatur; adjuvante ejuſdem irritamento. Quamobrem novi quendam, qui quoties in ſomno mingeret, ſeipſum reverà mingere ſomniabat, atque ità recluſo ſphinctere, urina effluebat; cum verò inter mingendum expergiſceretur, illico contracto muſculo mictum continebat. Non raro etiam accidit, ut oppleta nimiùm veſica per fibras ſuas carneas & motrices urinam promoveat, obſequente intereà muſculo; ſicut pariter cùm à comprimentibus muſculis abdominis laceſſitur; aut etiam ab inflatis tumefactiſque inteſtinis, pręſertim Recto, cogitur, coarctatur; itemque à dolore vehementi, à Riſu, à repentino Timore, in quibus illa vel concitatur, vel laxatur.

Cùm pueris, & ſenibus accidit minus malum; in illis enim plerumque ſolet ætatis mutatione deſinere; in his verò quamvis inſanabilis ſit, non tamen mortem affert: cùm ità affectos multos viderim diutinam vitam protraxiſſe, in juvenibus autem gravius, & eò magis, ſi alia ægritudine illi teneantur.

Ea igitur danda opera eſt, ut cauſa primùm languoris in ſphinctere removeatur; deindè verò peculiaribus auxiliis is roboretur, ſuoque munere ex arbitrio fungatur. Paralyſi autem inprimis occurrendum, ſi ab illa malum oriri videatur, fotâ ſpeciatim ſpinâ, quâ parte nervi in veſicam proficiſcuntur, adhibitiſque etiam interiùs remediis ſuo loco memoratis. Veruntamen referuntur nonnulla peculiariùs huic affectui profuiſſe; Guttur galli toſtum exiccatumque, atque in pulverem redactum, & in vino rubro ante cænam exhibitum: Veſica capræ, Apri pari modo exiccata & pulverata atque ad ʒ i. in vino rubello epota, ſæpiuſque repetita: Pudendum ſuis cum braſſica capitata; necnon & piſcis in ventre lucii inventus; Cinis erinacæi: gummi arabicum, ſtyrax calamintha, cera, myrrha, mentha, glans, hypericus. Vinum in quo decocta ſint ruta, caſtoreum, calyces glandium quernarum, ſemen myrti, & thus commendatur à P. Bayro. Magnifaciunt alii pulverem à Rhaſi deſcriptum. Mus decorticatus, & in cibum exhibitus perutilis dicitur ex eodem Bayro; faceturque ſe hoc idem edoctum à mulierculis Delphenſibus Foreſtus. Fomenta quoque ex verbaſco, mentha, myrto, abſinthio, balauſtiis, roſis punicis, adjecto alumine, proſunt. Balneum, & unguentum valde efficax conficit Hartmannus: & Bayrus emplaſtrum, quod habet: Ladani, & maſtich. ſingul. ʒ ii. ligni aloës, ſtyracis calaminth. cinnam. & terebinthinæ ſingul. ʒ i. & cum ſucco menthæ pubi, & perinæo applicatur.

Sed elegans ſanè, atque admirandum remedium memorat Henr. ab Heers obſervatum in Puella Malmundarienſi, quę ob ulceratam ab imperita obſtetrice in primo partu veſicam, in urinæ incontinentiam inciderat; ſanata tandem fuit conſilio Cingari, ſuſpenſo è collo ſacculo, in quo erat pulvis bufonis vivi in nova olla uſti: quod & remedium expertum ipſe deinceps vidit in quodam Mercatore Leodienſi eadem Urinæ ęgritudine laborante. *Lucas Tozzi Medicinæ Practicæ Parte 2.*

In Mictu cruentô. Intentiones ſunt ut humorum acrimonia, ſi adſit, obtundatur, aut impetus minuatur; inflammatio, ſi adſit, tollatur, & vaſa conſolidentur, & conſtringantur.

Venæſectio utplurimùm convenit, partim revulſionis gratiâ; partim ad plethoram minuendam.

Si purgatio neceſſaria videbitur, commodiſſimè pręſtatur bolô ſequenti.

℞. Caſſiæ rec. ʒ vi. pulver. ſubt. rhabarb. ʒi. terebinth. Cypriæ ℈ iv. pulver. glycyrrh. gumm. Arab. an. ℈i. M. F. bolus mane ſumendus, & pro re natâ intra triduum vel quatriduum repetendus.

℞. Rad. tuſſilag. ſcabioſ. an. ℥ vi. raſur. lign. ſanct. inter. nigerr. ℥ iv. rad. enulæ ℥iii. glycyrrh. Hiſpan. ℥ii. polypod. rec. ℥ v. fol. veron. mar. ſanic. bugul. hyper. totius an. m. ii. hederę terreſtr. m. iii. flor. paralyſ. ſambuc. an. p. vi. ſem. malv. bombac. an. ℥i. coriand. præparat. ℥iß, nuc. moſc. ʒvi. bulliant in gallon. iv. alę & tribus cereviſ. lupulat. ad duorum conſumpt. adde eorundem liquorum an. gallon. iii. Infunde per noctem vaſe bene ſtragulis tecto. Coletur & doliolo indatur, addendo mell. puriſſ. ℔ iv. fermenti alæ rec. ℔ ii. fermentetur ad perfectam depurationem, pro potu ordinario. Doliolo indatur ſacculus continens ℥ xvi. ramentor. Jovis puriſſ.

℞. Conſerv. roſ. rub. ℥ iv. conſerv. rad. ſymph. maj. flor. archangel. alb. an. ℥i. conſerv. flor. malv. utriuſque, pulp. rad. alth. cum ſacchar. coct. an. ℥ i ß. pulv. ſubtil. glycyrrhiz. ℥ ß. pineor. mundat. ſem. citrull. melon. amygdal. dulc. mundat. aqu. roſ. infuſ. an. ʒ iii. tragacanth. ʒi. M. ſ. f. Electuarium. Doſ. quantit. jugland. quotidie in ingreſſu lecti horis tribus à cœna levi.

Addi poſſunt pulv. rad. ſymph. ocul. cancr. cryſtall. rupis in aq. urtic. & vin. Rhenan. ſæpius extinct. & in porphyrite redact. in alcohol.

℞. Trochiſc. nephrit. ʒi. conſerv. roſ. rub. ʒ iß. M ſ. deglutiat mane immediate ante hauſtum lactis aſinini ſacch. roſ. edulcorat.

Trochiſci nephritici ſunt tales.

℞. Glycyrrhiz. Hiſpan. mund. ℥ ii. ſem. rec. mund. melon. cucurbit. citrull. an. ℥ß. ſem. papav. alb. portulac. oxalid. lactuc. plantag. ſophiæ chirurg. an. ʒ iii ß. ſem. malv. cydon. an. ʒ iii. roſ. rub. anther. roſ. cupul. gland. ſumach. bacc. myrt. coriand. præparat. acac. hypociſt. an. ʒ iiß. ſantal. omnium an. ʒ i. maſtich. thur. ſeu oliban. ſandarach. ſuccin. præparat. an. ℈v. ſpod. corn.

corn. cerv. ad albed. calcinat. cran. human. uſt. an. ℈iv. ſang. dracon. magmat. rhabarb. ab expreſſione reſidui an. ℥ß. carnis & oſſium meſpillor. herniar. equiſet. gland. an. ʒii. gumm. Arab. prun. ceraſ. tragacanth. an. ʒiß. amyl. tritic. ℥i. f. Pulvis & trajiciatur per ſetaceum, & cum aq. ſperm. ranar. plantag. & roſ. f. Paſta ex qua formentur Trochiſci ad uſum.

Julapium exhibeatur ex aqu. ſtillat. ſperm. ranar. & ſyrupo è ſucco plantag. corallor. &c.

Crocus Martis corallinus detur inſtar Lohoch cum gumm. Arab. & tragacanth. addit. ſacchar. Gummi autem diſſolvantur in aq. plantag. & ſperm. ranar.

♃. Unguent. nutrit. magiſtral. rec. ℥iv. camph. ol. nenupharin. ſolut. ℈i. M f. pro litu pro regione lumbari quotidie in ingreſſu lecti uſurpando, ſuperpoſito linteo non admodum calente.

Bufo terreſtris ſiccatus ſyndone involutus ſuſpendatur ex collo retrorſum, ita ut tangat regionem renum & continuo geſtetur.

Multum valet ſuccus urticæ depurat. cum ſyrupo ſequenti exhibitus, ſucci viz. ℥iv. ad ℥i. ſyrupi.

♃. Syr. de ſucco plantag. moror. rub. Idæi an. ℥iv. ſyr. corall. ℥v. ſyr. cydon. rob. de ribes an. ℥vi. M f. ad uſum.

♃. Urtic. rub. urent. virid. man. vi. ſcabioſ. rec. man. ii. heder. terreſt. man. i. Contund. & extrahatur ſuccus, & edulcoretur ſacch. roſ. Doſ. ℥iv. mane & veſperi.

♃. Pulp. rad. alth. ℥ß. pulv. ſubtil. rad. ſymph. maj. & glycyrrhiz. Hiſpan. ocul. cancr. præparat. an. ʒii. lap. hæmatit. præparat. ʒiii. ſacch. roſ. ℥iv. Mſf. pulv. & cum ſ. q. gum tragac. aq. ſcabioſ. extract. f. tabellæ, ſemperque unam in ore teneat.

♃. Flor. ſulphuris, lapid. hæmatit. præparat. part. alb. benzoin. an. ℈i. Excipiantur omnia ſyrup. de hedera terreſt. ſ. q. f. Bolus dandus pluribus matutinis conſequentib⁹, ſuperhauſto poſſeti ex ſcabioſ. & veronic. præparati hauſtulo, dilato ad minus ad 3. hor. cibo.

♃. Balſam. ſulphur. terebinthin. inſpiſſat. ℥ß. rad. enul. ſicc. gumm. guajac. an. ʒii. ceruſſ. antimon. Jovis in alcohol. redact. cum ſacch. cand. an. ʒiii. cum q. ſ. balſam. Peruvian. f. Maſſa pilularis, Doſ. ʒi. mane quotidie, ſuperbibendo hauſtum cereviſiæ mellitæ.

Vidi quendam, annorum circiter 40. qui à retentricis renum imbecillitate, & tum vaſorum tum parenchymatis laxitate tantum cruoris fundebat cum urina, ut corpus macilentum, exangue & pene tabidum ægerrimè traheret, pulſum habens velocem, languidum & febrilem. Eò uſque res devenerat ut refrigeratâ urinâ, incoctus ſanguis in ea concreſceret albicans, & gelatinæ potius quàm ſanguini affinis. Vario labore aſſumptis & adhibitis omnibus remediis, tandem intra tres quatuorve dies convaluit, hauſto quotidie mane lacte vaccin. rec. mulcto ſuprà ramum menthæ rubræ, eoque calente ex animali dulcorato ſatis bonâ quantitate ſyrup. (gelatinæ, ſapæ) cydonior. & ſyrup. cinamom. Vivit adhuc (1644.) nomine Chambers, & ab annis 12. perfecta fuit iſta curatio

Quidam, qui adhuc eſt in vivis, in paroxyſmis nephriticis à calculo, & etiam extra paroxyſmos ſæpius ſolitus fundere urinas ſanguinolentas, conſuluit plures Medicos doctos & melioris notæ, qui diu preſcripſerunt quæcunque ſunt artis, & irrito labore adminiſtrârunt idonea remedia, propinato ſæpius ſucco plantaginis, datis quæcunque ex ſymphyto, &c. præter iteratam phlebotomiam & alia innumera. Tandem acceſſit mulier quæ ſequenti remedio intra decem dies perfecit negotium planè ſedato per plures menſes ſanguinis fluxu, qui quoties recurrit eodem ſiſtitur modo.

♃. Bonam quantitatem herbar. viridium plantag. centinod, burſæ paſtor. hyperici; conciſis affundatur in veſica vel cupr. vel potiùs ſtanneâ magna quantitas lactis vaccini rec. mulcti, & f. diſtillatio, quæ etiam fieri poterit in vaſe refrigeratorio. Excipiatur aqua, quæ reſervetur ad uſum. Exhibeantur ℥v. aut vi. hujus aquæ, cum ℥i. ſyr. de alth. (quidni de ſymphyt.) ter in die, manè horâ octavâ, quintâ pomeridianâ & in ingreſſu lecti per dies 10. 12. 15.

N. B. Semel in eodem ſubjecto facta eſt recidiva hyemali tempeſtate, quâ cùm non ſuppeterent herbæ virentes, eædem præcedente æſtate dum vigerent collectæ, & debitè in umbra ſiccatæ, lacti inditæ & diſtillat. profuerunt optimè. Retulit Turnerus ægri pharmacopœus, *Mart.* 5. 1645.

Undecunque ardor urinæ vel dyſuriæ procedat, an ab humorum acrimonia, an à calculo, aut ab ulcere, vel inflammatione Veſicæ, vel ejuſdem ſphincteris, ſequentia eidem conducere poſſunt.

Pilulæ Nephriticæ Michelii magnæ ſunt efficaciæ in urinæ ardore à tartaro lutoſo.

♃. Myrrh. rhuris maſcul. maſtich. an. ℥ii. ſuccin. præpar. croci an. ℥ß. camphor. ʒii. ℈ii. ceruſ. antimon. fixiſſ. & albiſſ. ʒxv. Trita omnia ut alkool excipiantur ſ. q. terebinthin. Venet. in ſpirit. Vini tartariſato liquatæ & mediante aquâ communi lactificatæ, f. maſſa pilular. Cap. ʒß. mane horis tribus ante prandium, & tantundem horis totidem à cœna levi, ſuperhauſto aquæ lactis ſeq. parvo cyatho, idque diu donec tota maſſa conſumpta fuerit.

♃, Rad. alth. ſymphyt. major. bulbor. lilior. alb. an. ℔iv. fol. equiſet. parietar. melilot. cum toto an. faſcic. iv. (faſciculus autē habet man. iv.) fol. betonic. ſcabioſ. pimpinell. tapſ. barbat. cum flor. an. faſcic. ii. lagopod. portulac. plantagin. vulgar. & aquat. an. faſcic. iiß. malv. violar. atriplic. hort. an. faſciſc. iii. flor. nenuph. utriuſque, malv. roſ. chamæmel. an. m. vi. flor. eric. m. vi i. melon. recent. à cortic. liberat. maj. fragr. matur. numer. iv. Recentia omnia incidantur, iiſque affund. aqu. hord. vel alæ recent. coct. nondum fermentat. alterutrius, viz. liquoris fervent. ℔xx. Sinatur fieri maceratio per noctem, in ampla veſica cuprea vel plumbea, aut ferrea, ſi habeatur, idque ad leviſſ. ciner. tepid. calorem; mane autem affunde ſeri lactis recent. non acidi ℔xl. & ſuperpoſito capitello in refrigerat. f. diſtillatio in vaſe duplici, vel ſaltem ad leviſſimum calorem, & quæ extillârit aqua, ſervetur ad uſum in lagenis lapideis exactiſſimè obturatis ſubere, reponend. loco frigido ſubterraneo.

♃. Aq. lact. præſcript. ℥v. medull. ſem. melon. ʒii. amygdal. dulc. recent. mund. par. v. hord. mundat. ad putrilag. cocti cochl. i. f. emulſio dulcorando pauco ſaccharo, add. gum. Arabic. pellucid. in eadem aqua diſſolut. ʒi. M ſ. pro doſi.

♃. Gumm. Arabic. glycyrrhiz. Hiſpan. recent. an. ℥iv. radic. ſicc. alth. & ſymphyt. maj. an. ℥ii. fol. equiſet. ℥iii. flor. melilot. & malv. roſ. an. ℥iß. Ex omnibus debitè ſiccatis f. pulvis ſubtiliſſ. ad uſum.

Uſus autem hic eſto: ℞. Hujus pulv. ℥ß. aq. ſuprà dict. lactis ℔j. trajic. aqua ſuper pulverem per manicam duodecies ad minus. Calefiat primò, & ut meliùs virtutem attrahat, vas ſuppoſitum recipiens argenteum vel fictile ſit in alio vaſe aquæ calentis pleno. Sumantur hujus liquoris ℥v. vi. vii. vel viii. pro doſi.

Pilulæ hæ lenientes ex gumm. in magnis urinæ ardoribus quacunque de cauſa utiliſſimæ ſunt.

♃. Gumm. Arabic. & tragacanth. an. ℥ß. gummi pruni & ceraſ. an. ʒii. album. ovi inſpiſſat. & penitus ſiccat. ℥i. pulp. extract. ex partibus. 1. rad. alth. & parte una rad. ſymphyt. maj. cum decoct. capit. papav. alb. & citra uſtionem in balneo vaporoſo ſiccat. ℥ii. ſucci glycyrrhiz. non combuſt. ʒvi. Excipiantur omnia ſ. q. ſyrupi de papav. f. maſſa. Doſis à ʒi. ad ʒij.

Non minoris efficaciæ eſt ſyrupus de mucilaginibus ſeq.

℞. Cort. med. ulmi, rad. alth. & ſymph. maj. au. ℥ii. ſem. pſyll. & cydon. an. ℥ i. fl. nenuph. alb. recent. ſect. per medium caliculis, ut ſemen mucilaginoſ. exeat, par. xxv. Coq. cortex, radix. & flor. in ℔ VIII. aq. hord. ad medietat. conſumption. f. colatura, cui calenti indantur ſemina, & ſatis longâ infuſione ad calorem moderatum extrahatur mucago, trajicienda per pannum ſtamineum, ad cujus ℥xvi. add. gumm. Arabic. in aqu. roſar. & plantag. diſſolut. ℥ i. gumm. prun. & ceraſ. itidem diſſolut. an. ℥ ß. gumm. tragacanth. diſſolut. ad conſiſtentiam ſyrupi ʒiii. ſacchar. alb. in aq. lact. diſſolut. (quæ etiam pro aliis diſſolutionibus ſumi poteſt) ad pondus omnium. Coq. lento igne continuò agitando ad conſiſtentiam mivæ, quæ in vitreo lati orificii ſervetur ad uſum.

Hydromel item ſequens multùm juvat.

℞. Lign. nephrit. conciſ. ℥ ii. rad. chin. ℥xvi. rad. ſicc. alth. malv. ſymph. maj. an. ℥VIII. polypod. glycyrrhiz. an. ℥iv. fol. ſicc. parietar. cymar. malv. & alth. an. m. i ß. fol. agrimon. equiſet. veronic. mar. beton. an. man. ii. flor. nenuph. utriuſque cum capitul. malvæ vulgar. & roſeæ, papav. errat. an. p. VIII. ſem. malv. alth. cydon. violar. an. ℥ i ß. melon. cucurbit. bacc. alkekeng. lactuc. portulac. an. ℥ i. ſem. papav. alb. ℥ iii. (vide de ſem. papav. nigr. de capit. papav. de ſem. hyoſcyam.) paſſular. mund. uvar. Corinthiac. jujub. an. ℥ VII. gumm. Arabic. prun. ceraſi an. ℥iiß. gumm. tragacanth. ʒx, Omnia conciſa & contuſa ponantur in ſaccum è panno ſtamineo raro, & recond. doliolo atque iſtis ſpeciebus affund. hydromelitis optimè cocti & deſpumati galon. x. Affundatur autem liquor calens, & in loco calido ſinatur fieri fermentatio ſomnimoda. Peractâ fermentatione liquor reconditur lagenis lap. apprimè clauſis loco ſubterraneo.

N. B. Ut tollatur ſapor mellis & flatus corrigantur, addatur paſtinaca ſylveſtris, tota planta optimè lota bulliat cum mulſa (ejus ſcilicet ℔ i. in mulſæ quantitat. ſuprà præſcript.) Mulſa autem paretur ex parte una mellis, & partibus 5. aqu. pluviæ, quæ ſimul coquantur ſedulo deſpumando ad ſupernatantis ovi terminum.

Ejuſdem virtutis eſt. Ala hæc medicata.

℞. Rad. aſparag. & ononid. an. ℥ii. rad. malv. alth. ſymph. maj. an. ℥iv. uvar. Corinthiac. ℥vi. glycyrrhiz. rec. ℥iii. fol. parietar. manip. IV. Bulliant in galonibus ſex alæ recent. ad duorum conſumption. Colaturæ add. gumm. Arabic. in aq. parietar. & ſiliq. fabar. virid. ſolut. ℥ IV. gumm. prun. & ceraſi itidem ſolut. & mucilag. ſem. nenuphar. ſatis ſpiſſ. in iiſdem aq. fact. an. ʒ ii. & f. fermentatio ad depurationem. Servetur ad uſum. Detur bis in die longè à paſtibus.

Cum hac utatur æger Electuario ſeq.

℞. Conſ. flor malv. roſeæ (*Holphosizs*) & communis an. ℥ iv. conſ. flor. papav. erratic. & nenuphar. an. ℥ ii. medul. ſem. melon. recent. ℥ iii. pulv. glycyrrhiz. & rad. ſymphyt. maj. an. ℥ i. gumm. Arabic. ℥ i ß. gumm ceraſ. & prun. an. ʒ x. M. ſ. f. Electuar. de quo cap. inſtar jugland. ante hauſtum Alæ.

Electuario huic, vel quibuslibet ex ſuprà præſcriptis addi poſſunt (ſæviente ardore & dolore) Opiata vel liquida vel ſolida, ſub ingr. lect. vel aliàs ſi libeat.

In veſicam per ſiphonem injici poteſt liquor ſequens.

℞. Fol. parietar. malv. tapſ. barbat. an. manip. i. flor. malv. roſ. pug. iii. capit. papav. alb. majoran. numero iii, hord. mund. pug. ii. f. omnium decoct. & colat. de qua cap. ℔ß. lact. vaccin. ℔ ii. mucilag. ſem. malv. cydon. & fœnug. extr. in aqu. plantag. & ſperm. ranar. ℥ iii ſucci glycyrrhiz. in iiſdem aqu. diſſolut. ʒ i. m. f. pro injectione, cui addi poſſunt gr. IV. opii.

Oleum amygd. dulc. in veſicam inject. dolorem mitigat, ut & oleum commune non rancidum. *Theod. de Mayerne Prax. Medic. lib.* 3.

Mictus ſanguinis, utut ſæpe in annos trahatur, tandem tamen eſt feralis. Protinus autem ad cruoris illum in Urinis conſpectum de Calculo ſuſpicio, neque id ſine causâ, ſæpe enim ejus ille effectus eſt. At reperias, in quibus nulla unquam Calculi ſigna apparuere, & tamen cum morbo hoc colluctabantur, Calorem vocant Renum; nimirum tenuis eſt in illis ſanguis & fundi facilis, quique ſe facilè cum ſero per glandularum contextum in tubulos hydragogos; & ex hiſce in Papillarum oras pelvimque efferat. Verùm & hîc interponere judicium oportet; ſunt enim quibus levior, ſunt quibus ſaturatior tinctura inhæret; imo vulgi hic error eſt, ubi juſto rubicundiorem vident & lixivialem colorem, ſanguinis accuſare miſturam. Plurimis autem ad leviculum motum, concuſſionis imprimis ſive in equo ſeu vehiculo, ut cujuſque natura eſt, in Urinas incidunt rubras, ſaturas, tandem & cruentas, à quibus iterum cum quiete aut mutatâ corporis figurâ liberantur. Neque ullus hic eſt ſuppurationis metus, quando quod in Pelvim cum ſero tranſmittitur ſanguinis, univerſum deſtillat neque moram trahit. Si enim hoc fit, jam prona ad purulentiam diſpoſitio, quam ipſæ tum produnt Urinæ, de cujus tamen copiam hoc monere habeo, vix intelligi poſſe, unde illa ſuppetat; cum, ſi Renum eſſet illa ulceratio, jam millies exhauſti ac abſumti viderentur; atque inde cogitatio mihi ſubrepit, annon, qui allabitur ſanguis, purulentam materiam jam antè in ſinu foverit mox in tubulos pelvimque cum ſero exponendam. Vidi hominem, qui cum Urinis quotidie ſtiriam ſanguinis emittebat, ſed quæ triſtioris morbi prænuncia intra octo menſes inflammationem Renum, & hinc natam exulcerationem adfuturam teſtata eſt, ſed cum hoc ille morbo biennium vixit, & dolia puris profudiſſe viſus eſt. Credo tamen etiam ſedimenti illam faciem nonnunquam imponere, & pro pure accipi, quæ talia non ſunt. Subſidit aliquando in cruento ſanguine craſſamentum aliquot candidius, quod tantum abeſt, ut pro pure haberi poſſit, ut contra illud fibroſam ſanguinis partem conſtituat, exutâ nunc rubedine inque ſerum traſmiſſa, albam. Joculare eſt experimentum, elatâ per calidam tincturâ rubrâ ſanguinem oſtendere in craſſamento album. Nihil tamen magis me commovit, quàm Muci quoddam copioſiſſimum genus, nunc cum, nunc ſine Calculo Urinam inundantis, jurares narium blennam eſſe pituirosâ membranâ emunctam. At nunc quoque ſanguinis in Renibus Hæmorrhagiæ fiunt à Calculo, quas tamen nullum pus ſequatur, obſeratâ rurſum, quæ pridem ſtillaverat, venâ, ne ſemper pus exſpectandum putemus, ubi ſanguinis conſpicitur deſcenſus. In Pueris autem, quamvis delicato hominum genere, minus adhuc eſt ab iſtis periculi, impunè enim eos tuliſſe vidi & Alvi & Renum Hæmorrhagias, trepidantibus ad cruoris præſentiam matribus. Quod ſi ſæpius rediret ab alvo morbus, Clyſtere Terebinthinato lacteo res tota conficiebatur. Quemadmodum verò à Vermibus omnis generis ſymptomata & oſtenta proficiſci ſolent, ita quàm maximè Urinæ quoque patiuntur in hoc morbo damnum, nam & Dyſuria & Stranguria, & Diabetes cæteris ſeſe ſymptomatis immiſcent vermiumque, abſtruſæ pulliciei, molitiones produnt. Inter alia autem quis minctum cruentum ab hiſce etiam animalculis in aliam ſphæram rejectis excitari poſſe credat; duo tamen ejus rei exempla, ſi conjecturæ fides, mihi innotuere. Puella erat ſex annorum, ſana cæteroquin & bene valens; hæc primum Urinas mittebat de die cruentas, noctu verò naturales nulliſque valitudinis notis affectas; at poſt quatuor ſeptimanas illa quoque de nocte tingi monſtrumque alere cœpit. Et verò tum Parentum major ſollicitudo Medicorũ operâ quære-

re videbatur, & hactenus quidem, quod nullum aliud ſymptoma malè haberet, de cauſa laborabatur; cumq; nunc præmaturum quoddam fermentationis menſtruæ genus, qualem ſeptenarii aliquando producunt, & produxiſſe antè demonſtravi, nunc aliud Naturæ ſecretò agentis beneficium animo agitaremus, fruſtrato remediorum, quæ huc collineabant, eventu, de Calculo incidit ſuſpicio; ſed neque ſigna teſtari hoc videbantur; neque medicamentorum apparatus, qui huc tendebat, ex voto reſpondit. Decoctum Rad. Altheç cum Malvç foliis & Jujubis cum Syrupo Byzantino; Emulſiones nonnihil Terebinthinatæ cum Aquis appropriatis in caſſum propinabantur; imò Balſamus Locatelli cum Syrupo de Symphyto, ne quid Empirici prætermiſiſſe videremur, nihilo plus præſtabat; ergo in illà corporis actionumque ſpecioſà integritate, cum poſt ſex ſeptimanas ſubinde ventris aliqui dolores cùm dejectionibus, repentinis iſtis & mox ceſſaturis, ſuccederent, redire in illâ Symptomatum anomalia ſuſpicio de vermibus, imò penitus confirmari, cœpit; nam cum aliquoties ei Pulverem ex Corallis rubris, Sanguine Draconis, Seminibus Hyperici & Zedoariæ cum momento Liquiritiæ, exhiberemus, tandem ipſa cum valetudine rediit in gratiam. Biennio ferè poſt idem rediit affectus, ſed pluribus iiſque gravioribus ſymptomatis comitatus, nam & ſummi ventris dolores & febris acriter inquietabant; ſed alter, qui in communionem operis adſcitus erat Medicus, continuo Calculum adfore judicabat, ſed cui eventus defuit; namque intra octo dies, tùm à febre, tum Urinæ cruentæ incommodo, jam etiā ventris doloribus, qui ſub finem profligatiſſimi erant, liberata magis ſponte Naturæ, quàm ullâ Medicorum operâ, convaluit. Neque hic velim quiſquam de Vermibus dubitet, quod vivi non fuerint excluſi; manent enim ſæpe in corpore, villis, ex quibus pendent, agglutinati, ſoloque ſive ſuctu ſeu motu tragœdias illas excitant, mox in ordinem cogendi. *Joh. Nicolaus Pechlinus in Obſervationibus Phyſico-Medicis.*

Suppreſſæ urinæ Medicamenta ſæpiſſime mederi pro votô Medici nequeunt, & ad Operationem Manualem confugiendum; de quâ ſic Celeberr. Hieronymus Fabricius ab Aquapendente in ſuis Operationibus Chirurgicis.

DUÆ fiunt in veſica Chirurgicæ operationes, altera urinæ ſuppreſſæ reddendæ; altera calculo extrahendo dicata. Ubi igitur urina ſupprimitur, ex quacunque cauſa id fiat, viam aperire oportet; quod primò medicamentis urinam cientibus tentandum; ſed ſi hæc parum proficiunt, ad manus curationem deveniendum; & ſiquidem urina non redditur, quod calculus orificio veſicæ ſe oppoſuit, juvit aliquando mutatio ſitus, inter ſtantem & jacentem, elevatis cruribus: impoſitâ item candelâ, aut ſimplice, aut cum capulo argenteo, alteri extremo applicato, lapis aliò dimotus, & retrò impulſus, urinaque ſic reddita eſt. Quòd ſi ex ſenectute iter urinæ collapſum eſt, ideoque urina non redditur, fomentis calefacientibus ſuccurritur. Quod ſi ex adnata carne in meatu urinario, ex gonorrhœa, urina ſupprimitur, jam propoſita cura eſt exterendi carunculam. Sed urinæ ſuppreſſio plerumque non dat inducias id moliendi, ideoque dimiſſa caruncula, ſolemus urinam revocare, aut mollientibus circa virile membrum ſupra carunculam impoſitis, ut eſt ex radicibus althææ, cum butyro emplaſtrum; aut infundendo penem in balneum olei communis calidi. Interdum ne ægri ex urinæ ſuppreſſione moriantur, ſolemus aut cathetere, aut ſtylo argenteo, aut ex cornu, vi quadam carunculam abrumpere, & penetrare, & ita urinam ſolicitare. Si verò ex inflammatione colli veſicæ, aut meatus urinarii difficultas proveniat, medicamenta inflammationem arcentia ſanant; ut eſt emplaſtrum confectum ex plantagine, violis, malvis, & parietaria, in aqua coctis, & contuſis, mox oleo roſaceo admiſto. Quod ſi rurſus urina ſuppreſſa eſt propter concretum ſanguinem, aut humorem pituitoſum craſſum, & lentum in veſica contentum, & orificio ejus ſe opponentem, ſimiliter candela aliquando juvit; ſed ut plurimum alio opus eſt inſtrumento, cathetere appellato. Quod ſi tandem urina detineatur, quia urina nimium ſit repleta veſica, & expultrix facultas reſoluta ſit; quod veſicæ tunica, & tranſverſæ ejus fibræ ex diſtenſione invalidæ ad conſtringendum evaſerint, uti ſæpe videmus pueris plus juſto urinam detinentibus accidere; eo caſu, ego ſoleo ad claram flammam pectinem calefacere, interea vero oleo calido de capparibus ſupra veſicam inungere, & ſtupam pexam calidam ſupraponere; ita enim pueri ferè omnes minxerunt. Hoc Venetiis erat cujuſdam ſecretum, quo omnibus pueris, urina hac de cauſa ſuppreſſa ciebatur; quod libentiſſime vobis communico. Quod ſi natu grandior ſit, cui urina ex nimia collectione ſupprimatur, eaque craſſa ſit, neque valeat medicamentum jam propoſitum; aut contingat caſus, qui cuidam viro accidit, qui febre continua, ac periculoſa correptus, dum natura criſim eodem tempore tentaret per alvum, & urinam, alvus ſponte reſerata eſt, & excrevit ſine ulla difficultate; at urina tam copioſa ad veſicam fluxit, ut reſolutis tranſverſis fibris, non amplius potuerit patiens urinam reddere; cui ſi ego non adfuiſſem, certè vir ille mortuus eſſet; cum tamen natura per bonam criſim eum ſanare vellet: tuli autem opem inſtrumento, paſſim uſurpato in hoc, & quocunque alio ſupra memorato caſu, in quo urinam ciere aliter non poſſumus; quod ſanè inſtrumentum à Celſo, fiſtula ænea nuncupatur; à nobis argentea fiſtula, tanquam ex argento facta appellabitur, Græcè καθετὴρ, quaſi demiſſor, aut immiſſor, vulgò verò ſyringa dicitur, à voce Græca σύριγξ quæ itidem fiſtulam ſignificat, ſeu ſyphonem; quam, uti dixi, aut ex ære, aut ex argento tum antiqui, tum quidam Recentiores ex aurilacho parant: at ego imaginatus ſum magis flexibile corpus, & illam ex cornu paravi. Harum Celſus, pro viris, tres, pro mulieribus, duas poſuit, ut cuicunque corpori, & ætati ſufficiant. Ex virilibus maxima, decem & quinque eſt digitorum, media duodecim, minima novem; ex muliebribus major novem, minor ſex. Incurvatas verò eas eſſe altero extremo, ſed magis viriles, oportet, quod veſicæ collum viris obliquatum magis ipſis feminis ſit; item læves admodum, ne pars exquiſitiſſimo ſenſu prædita, in aſpero tranſitu afficiatur, ideoque antiquitùs ex lævigato ære: at Recentiores melius ex argento facere conſueverunt. Poſtremo, neque nimis tenues, neque nimis craſſæ, eſſe oportet; nam nimis tenues, flexibiles, nimis verò craſſæ rigidiores ſunt; Utrumque autem extremum incommodum eſt ad ingreſſum in veſicam, quod potiſſimum illud eſt, quod ab hoc inſtrumento optamus. Inſuper Neoterici aliud commentum in his parandis excogitarunt; nam Antiqui unicum tantum foramen in ſummo parabant; at Recentiores tum in ſummo, tum à lateribus foramina, & plura, & pauciora aperiri volebant, non curantes, interdum in ſummo nullum pertundi foramen, neque ſine ratione; nam interdum catheteris extremum ſuperat urinam, hoc eſt, elatius urina eſt, ideoque non exit urina; at ſi à lateribus perforata ſit ſyringa, ſine difficultate exit.

Supereſt videamus, quomodo in veſicam immittatur. Sub experto Medico non difficilis eſt modus; etenim nudis pudendis oblatis, & homine aut ſtante, ad murum tamen innixo, aut ſupino jacente, aut altius quodammodo ſedente, Medicus, ait Celſus, à dextro latere, ſiniſtra quidem manu, colem maſculi continere; dextra verò fiſtulam inunctam demittere in iter urinæ debet. Sunt qui colem in primo fiſtulæ ingreſſu inclinent, & recurvam fiſtulæ partem deorſum inclinatam inſerant; alii, ſublato ſurſum cole, contrario modo fiſtulam immittunt. Sed parum omnino refert, dummodo ſine difficultate pertranſeat totum iter fiſtula. At fortè potior inſerendi ratio prima eſt, quod non liceat poſtea fiſtulam revolvere, ubi ad multum ſpatium immiſſa eſt. Sed ſecunda ratio jacenti magis competit. Atque ubi ad cervicem veſicæ ventum eſt, ſimul cum cole fiſtulam inclinatam in ipſam veſicam compellimus; in quo opere, hoc ex Anatome animadvertendum eſt, ne in veſicæ ingreſſu, membranula quædam quaſi oſtiolum, quo foramina vaſorum ſeminis in unum junguntur, violetur; quod dignoſcemus tum ex intruſionis fiſtulæ difficultate, tum ex dolore effatu digno excitato, tum demum ex ſanguine emanante, iis enim ſignis apparentibus, reducere paulum, & retrahere ad ſe ſyringam Medicum oportet, rurſuſque denuo intrudere, donec membrana intacta, pertranſeat, & in veſicam ingrediatur fiſtula, & urina ſtatim reddatur; quo facto, revocare eandem oportet. Sed Paulus vult, quò urina exeat, linum ſpongiæ, aut lanæ, aut xyli, ſecundum Albucaſin, exiguo fruſtulo, antea ad fiſtulæ oram alligatum, eſſe per externum ſyringæ orificium trahendum; quod quaſi vi vacui, urinam ſecum ducat; ſed urina abſque alio commento ex ſe exit libere, potiſſimum ſi foramina ad latera habeat ſyringa, uti dictum eſt, cum in veſica continetur; nã cum neque adeſt, neque continetur, non redditur.

Evenit autem non raro, ut urina ſupprimatur, neque in veſica contineatur; qui caſus maximè periculoſus eſt, & minatur vitæ diſcrimen, quoniam propter duplicem contingit cauſam; aut propter continuam, & malignam febrem, in qua urina à calore febrili intenſo, in viſceribus, & ſanguine interius attrahitur, ac in corpus & venas refunditur; aut quia ſupra renes, ob eorum obſtructionem, aut à lapide, aut humorum craſſitie factam, retenta urina ſit. Dignoſcetis autem in veſica urinam eſſe, aut non eſſe, ex tactu, & compreſſione ſupra pubem, cui veſica eſt ſubjecta; nam quando urina in ea continetur, tenſio, & dolor, & tumor in parte perſentitur; ſin minùs, cavitas, & mollities ſine dolore eſt. At ubi urina in corpus, & venas refunditur, jam ſanguis omnis aquoſus redditur, & vires proſternuntur, ac ęger moritur: ſed ubi in febre continua, & maligna id accidit, deſperata res eſt, & citò pereunt. At in altero caſu, medelam aliquando attulimus, & hęc fuit, aut una, aut duæ, aut tres, aut ad ſummum quatuor cantharides integræ, cum alis & pedibus, in pollinem redactæ, & cum miliô ſolis, & poliô montanô ad ſcrupulos duos exhibitæ, & cum ſyrupô de duab⁹ radicib⁹ in bolum conformatę; mox quatuor, aut quinque unciis lactis ſeminum melonum, cum aqua ex thecis fabarum extracti, ut eroſio cantharidum præpediatur, propinatis. De muliere autem nihil dico, quòd facilis ingreſſus fiſtulæ in veſicam mulieri ſit.

De Catheteriſmo, pro Urinâ ſuppreſsâ educendâ, ſic ſcribit Clariſſ. Anton. à Nuck, in Experimentis Chirurgicis.

Urinæ excretio variis de cauſis vel imminui vel totaliter ſupprimi poteſt. Nonnunquam enim Caruncula in Urethra ſive meatu urinario intus enata exitum ejus impedit. Subinde tumor quidam Urethram comprimendo, vel viſcida quædam & tenax materia veſicæ collum obturando, obicem urinæ ponunt. Aliquando deniq; calculus in Urethra aut veſica hęrens omnẽ ipſi viã pręcludit. Unde immanes patienti adferuntur cruciatus, quos nonnunquam ipſa mors preſſo pede ſubſequi ſolet, niſi tempeſtivè amoliatur.

Quam ob cauſam, medicamentis tam internis, quàm externis incaſſum adhibitis, Operatio, *Catheteriſmus* dicta, requiritur, quæ Cathetere ſeu fiſtulâ argenteâ lævi & incurva, pro patientis ætate majore vel minore perficitur.

Cathetere itaque oleo prius oblito, ſiniſtrâ virgam teneat, meatumque urinarium tantillum comprimat Chirurgus: mox Catheterem introducat, ea tamen lege, ut ejus convexitas abdomen reſpiciat; dein inſtrumentum ulterius adigendo, prudenterque premendo, ſub oſſe pubis invertat, ita ut ipſius extremitas veſicæ collum tangens eandem ſubintret, ſicque retracto ſtylo cum ſuo epiſtomio, urinæ extus concedatur.

Quod dum peragitur, cavendum, ne Urethrę ſpongioſæ latera durius tangantur, & moleſta hæmorrhagia ſuperveniat.

Alia Catheterem applicandi methodus hoc modo peragitur: Virgâ verſus ventrem elevatâ, Catheteris utraque extremitas ventrem reſpiciat, rectâque viâ inſtrumentum leniter propellendo veſicæ immittatur, atque ita Catheteris inverſio, uti in præcedenti methodo, non requiritur. Hâc viâ Chirurgus aliquando felicius procedit, ſæpéque patiens manu propria Catheterem applicare poteſt.

Præter Catheteres, quibus frequenter Chirurgi utuntur, occurrunt *Flexiles* dicti, ex *Argento*, *Corio*, vel *Cute Anguillæ* confecti, quorum uſus non modò minus certus, ſed & minus conveniens eſſe ſolet.

Nos autem omnium commodiſſimos putamus illos, qui in ea parte, ubi flexuram faciunt, variis foraminibus ſunt pervii, per hos enim aquam patentiorem viam inventuram nemo dubitabit.

In ſexu fœmineo Cathetere breviori & craſſiori utendum, cujus convexitas, ventrem quamvis reſpicere debeat, non tamen eſt invertenda. Ulterius enim ſolummodo adigendo facili negotio veſicam ſubintrabit. Quibus peractis, ſtylus retrahendus, ut per viam patulam urina exire poſſit.

Hactenus Clariſſ. Nuckius, de Catheteriſmô pro Urinâ educendâ.

Aliquando autem accidit, quòd urinâ ſuppreſsâ, nullâ arte in veſicam intrudi poſſit Catheter; & illud non ſemel vidimus. Tunc unicum remedium eſt in punctione perinæi, per inſtrumentum, tubulatum aptum ad modum illius, quod in Paracentheſi adhibetur, efformatum, ſed longius, ut commodè totum ſpatium, quod latera perinæi, & partem veſicæ ſupra ejus collum intercedit, trajicere poſſit, atque in veſicæ cavum penetrare. De Inſtrumentô pro Urinæ incontinentia, vid. ſub titulô Inſtrum. Chirurg. Tab. XVI. fig. 4.

Conſultationes.

De Urinæ ſuppreßione, Iſchuria dicta, pro Ingenua Muliere Forojulienſi.

Ingenua mulier ſexagenaria, conqueri cœpit ſex abhinc menſibus

menſibus de meiendi difficultate, ſenſim adeò aucta, ut quinque circiter menſes continua urinæ ſuppreſſione conflictetur, quæ cathetere immiſſo ſit ſollicitanda, eoque progreſſus eſt affectus, ut neque ipſius uſu cieri poſſit, niſi manu compreſſo hypogaſtrio. Accedit dolor per vices recurrens in ſiniſtro latere, propè ſiniſtrum renem, refertque Lithotomus, ſe dum catheterem immittit calculum deprehendiſſe. Propterea de agendis conſulitur.

Quare cùm urinæ excretio ſit propria veſicæ actio, ejuſdem ſuppreſſio morboſa erit, & quidem deperdita: ac proinde ſymptoma ab alio dependens, actione nempe læſa expultricis, quæ excernere non poteſt ſeroſitatem in veſica urinaria contentam. Calculus autem in veſica eſt morbus in numero ipſius, & dolor in regione ſiniſtri renis, triſtis ſenſus, ab objecto diſſentaneo confertim & violenter ſolvente continuum partis, & fortè ab alio calculo; Expultricis autem veſicæ actio cùm dupliciter lædi poſſit, vel labefactata, vel impedita, teſte Gal. 6. de L. Aff. & 3. de Cauſis Symptom. Impedita quidem, ob anguſtiam cervicis, & colli veſicæ, labefactata verò ab intemperie frigida & humida. In caſu tamen præſenti impedita non eſt. Hoc enim fieret vel ab obſtructione, vel compreſſione, vel conniventia, vel coaleſcentia ipſius canalis. Verum nullo horum coarctatur meatus: non ab obſtructione, quia neque à pituita, cujus nulla eſt excretio; neque à caruncula in canali ſuborta, quoniam præceſſiſſet aut gonorrhœa, & alterius materiæ effluxus acris, & mordacis, cum ſanguinis excretione, quæ nulla fuerunt; de calculo aliqua ſubeſt ſuſpicio, cùm tactui occurrat, atque non raro urinæ ſuppreſſionis ſit cauſa; quod tamen non admittitur, cùm cathetere immiſſo calculus detrudi debeat ad alias partes, nec tamen profluat urina; minus metuendum de coaleſcentia, catheterem enim non admitteret. Atque licet à tumore inflammatorio in perinæo non rarò ſupprimatur urina; quod obſervavit Gal. in quodam, cui gravis in ea parte inflicta fuit plaga, ut retulit 6. de L. Aff. & à me quoque obſervatum in Illuſtriſſ. Com. Annibale de Comitibus, Patricio noſtro. Verum tùnc præcedit dolor, atque ipſa inflammatione aut ſoluta, ut contigit Gal. aut ſuppurata, & diſrupta, ut in Illuſtriſſ. Comite, abſque ullo obice, & liberè effunditur urina. Quare ſtatuendum eſt, veſicam & muſculos ejus compreſſioni dicatos, qui ſunt in hypogaſtrio, affectos eſſe, & quidem paralyſi, non muſculi ſphincteris ipſius: tunc enim adeſſet urinæ incontinentia, ſed corporis, & fundi, cujus ratione non poteſt commodè complecti per fibras tranſverſas in ipſa contenta, quò illud exprimat, quod fortè ſuperfluæ ipſarum humiditati, & laxitati adſcribendum: accedente quinetiam obtuſo veſicæ ſenſu, vel obſtructione nervorum diffuſorum, cùm ad ejus ſubſtantiam ſenſus cauſa, tùm ad muſculos cremaſteres in hypogaſtrio ſitos, illi comprimendę dicatos. Quod patet ex eo, quia ſenſim ſpatio 20. dierum circiter facta eſt perfecta urinę ſuppreſſio, quę ſolo cathetere immiſſo non effluit abſque pubis & hypogaſtrii compreſſione, non ſecus ac à Dodonęo proditū eſt 67. ſuarum Obſervationum, ſibi contigiſſe. Cujus alia non fuit cauſa, quam pituitoſa materia, hac ætate redundans, & fortè etiam naturale temperamentum; quę ſicut antehac ad renes confluens atq; in ipſis hęrens, in calculos concrevit, quorum alter ibi affixus, alter antehac in veſicam præcipitatus, in ipſa incrementum cœpit; ita nunc confluens eadem ad veſicam, laxitatem & paralyſin induxit. Faceſſit tamen negotium, cur laborante calculo veſica, non ſit ſtranguria, & dolor, frequens mejendi voluntas, ut fieri ſolet? An hujus cauſa eſt idē obtuſus ſenſus veſicę, cujus ratione calculus non protruditur ad muſculum ſphincterem, ac proinde ibi hæret ſine ullo triſti ſenſu, cùm qui in rene eſt, irritet expultricem, & cùm ad ureteris principium truditur, dolorem inferat. Atque hęc de eſſentia & cauſis prædictorum affectuum proponenda duxi.

Ex quibus facile eſt conjectare, quam difficilis futura ſit prædictorum affectuum ſanatio, hac pręſertim ętate, qua in dies magis languente calido innato ſit pituitę proventus, ut vix ejus perfectæ aliqua affulgeat ſpes, cùm inprimis ſit ſuſpicio tumoris alicujus in collo veſicæ, ob continuum tot menſium catheteris uſum; ſiquidem non rarò ſanguis nunc cum dolore excerni obſervatur; ut propterea inflammationis præſens immineat periculum. Verùm cùm patiens ſit optimi habitus, & ad omnia tentanda prompta, ſolo prognoſtico non eſt committenda.

Si ergo aliquis curæ ſit locus, dubium eſt, utrū ſtatim pręſenti affectui occurrendum, an verò præmittenda ſit extractio calculi in veſica hęrentis? Cui ſolvendo ſtatuimus, quod licet parùm præſenti affectui uſui eſſe poſſit calculi extractio, quia tamen tutiorem reddit uſum localiū, præmittendam eſſe; quod non admodum difficili negotio in mulieribus fieri poteſt, abſque ulla ſectione, qua in viris eſt opus, cùm illis brevius ſit veſicæ collum, & laxius; ut propterea commodè admittat inſtrumenta calculo extrahendo accommodata. Duo enim magnitudinis ovi gallinacei extractos vidi, abſque inſigni moleſtia, alterū in Virgine veſtali Cœnobii Sanctę Marię Matris Domini hujus Urbis: alterum verò in uxore Pauli Capivaccei, nobilis Patavini.

Quare prę mittatur diligens humorum præparatio, eorundemque purgatio, eaque repetita, ne humores ad partem affectam confluant: ſanguine quinetiam educto, ſed ex ſaphena, vel ex venis ſedalibus ad unc. vi. circiter: Capite mox peculiariter purgato per errhina, & maſticatoria. A quibus extrahatur calculus veſicæ: non omiſſis frictionibus, lateris affecti manibus inunctis oleo amygd. ad laxandas vias, quo calculus renis ad veſicam deſcendat. In quem uſum exhiberi poterunt ſpecies lithontribon cum aqua ononidu, parietaria, & ex ſiliquis fabarum, triduò. A quorum uſu, & viribus inſtauratis accommodis alimentis, deveniendum erit ad remedia calorifica, & exſiccantia interna, & externa. Inter interna ex uſu erit decoctum paratum ex ſaſſafras, ligno Indico, & radicibus fœniculi, aſparagi, & apii, cum coluba turricola, additis abſinthio, ſilere montano, ſalvia, roremarino, & ſtœchade: præmiſſo bolo ex terebinthina Cypria, & Theriaca antiqua. Externa erunt fomenta, inunctiones, emplaſtra, Viro Excellentiſſ. notiſſima. Ominum tamen maximè ex uſu ſperarem Aquas Monti-Falconis, non longè ab hinc diſtantes, quarum facultas vigere magis obſervatur menſe Auguſto, quàm quocunque alio tempore. Atque hæc in caſu præſenti proponenda habui, potius ut ad quæſita reſpondeam, quàm ut ſanationis ſpem aliquam concipiam, ſi inprimis dolor lateris non cedat à deſcenſu lapidis, cùm tunc omnia propoſita ſupervacua ſint futura. *Benedictus Silvaticus Conſil. & Reſp. Medic. Cent. 3.*

De mira Urinæ & Alvi ſuppreſſione in nobili Veſtali. Ad Virum doctiſſimum Joh. Baptiſtam Soncinum, Practicæ Medicinæ Profeſſorem primarium. Piſas.

Nobilem hanc Veſtalem, 20. annorum circiter, hyſtericis paſſionibus detineri compertiſſimum eſt; cùm ex eo, quòd vacuo à menſibus tempore, poſtquam primo eruperunt, ſtatim invaſit febris ardens; mox lenta ſemeſtre ſpatium durans: juxta D. Hippocr. oraculum, quòd, deficientibus menſibus, morbi fiunt ex utero, tum potiſſimum, quòd ſemper à ſanguinis evacuatione juvamentum cœpit. In his autem affectibus afficitur magis caput, quam alia pars, ut hoc nomine Torpo-

Torpores in iis obſerventur, Reſpirationes ſingultuoſæ, Caroticæ paſſiones ſtatutis temporibus ſemel & iterum recurrentes: quibus aliquando ſuccedunt copioſæ lachrymæ, vel ipſarum loco, gravitas capitis, & aurium tinnitus; ac omninò portentoſæ invadunt acceſſiones, quæ plurimum vel prorſus deliteſcunt, vel ſaltem remittunt ſtatim miſſo ſanguine cùm ex venis inferioribus, tum ex ſuperioribus, adeò luculenter, ut aliquando ab hujus præſidii uſu 20. dies, & quod excurrit à nova acceſſione immunis vixerit. Præter quæ gravia ſymptomata miraculo proximũ ſanè refers Vir præclariſſime, quòd ſcilicet perpetua, ac prodigioſa urinæ, & alvi ſuppreſſione laboret Nobilis Virgo, ita ut decimo tantùm, aut duodecimo quolibet die unciam unam, aut alteram aquæ albiſſimæ urinæ loco effundat, licet copioſius bibat interdum. Atque cùm puerilibus annis illi fuerit alvus ſemper adſtrictior durantibus hiſce ſymptomatib⁹, nihil prorſus ſpontè reddit, injectiſque clyſteribus, aut quibuſcunque aliis evacuantibus aſſumptis, vel ea non excernit, vel plurimùm ſaltem ſola aquoſa, præter ſola aquoſa aliquando non abſimilia loturæ inteſtinorum, ad ſemilibram, aut rariſſimè ad librám unam circiter craſſioribus excrementis, & alvi fæcibus nullis omninò hucuſque ab eo tempore obſervatis. Ab evacuantibus quibuſcunque, potiſſimùm validioribus, maximam capit noxam. Vomitu quandoque moleſtiſſimo, ac fere inani torquetur, quo tempore os ipſi tetro amarore inficitur.

De hac itaque mira urinæ, & alvi ſuppreſſione quandoquidem meam expoſcis ſententiam, hujus non aliam cauſam cenſeo, quàm internorum viſcerum æſtum, qui maximam feroſæ materiæ partem in halitus diſſolvit, alia in lachrymas effuſa, alia verò inſenſibiliter diſcuſſa, quinimo & alia clyſterum, & dejectoriorum medicamentorum ope per alvum aliquando expurgata. Quod autem natura per inſuetas vias materiam quandoque evacuet, inſolens non videatur, cùm obſervaverim fluxus ſanguinis menſtrui ſtatutis menſibus ex angulari vena oculi ſiniſtri multa copia; aliquando quinetiam per ſudores eandem materiam præfinito menſium tempore excretam; ut facili negotio natura hunc humorem in lachrymas effundat, cùm in primis non vacet ſuſpicione ægra humoris melancholici prædominantis, quem ſæpius Hippocr. aquam vocat; qua fortè de cauſa contrectato hypochondrio ſiniſtro recurrit affectus; quòd olim me obſervare memini in ſacerdote ſplenetico motus convulſivos, ex lienis attrectatione, qui ex violenta ejuſdem compreſſione remittebant. Gravior occurrit difficultas in aſſignanda cauſa ſuppreſſionis fæcum alvi, abſque noxa alicujus momenti. Licet enim aliquando ſiſti poſſint non ſolum menſes ſed etiam annos, ut patet ex variis hiſtoriis à Joh. Schenckio ex pluribus authoribus petitis lib. 3. Obſervationũ medicinalium; ubi etiam proſtat hiſtoria nobilis virginis, variis paſſionibus laborantis, ab his non multum diſſimilib⁹, cum ſuppreſſione alvi, urinæ, ſudoris, & menſium. Cæterum in his caſibus vel intumeſcit venter, cum dolore, ob ſuppreſſas fæces, vel clyſteris beneficio hæ ſubducuntur, ut contigit nobili Virgini, cujus meminit ille Obſervatione 277. cùm tamen in hac patiente neque ſuboriantur dolores, neque expurgentur fæces clyſterum, aut medicamentorum uſu: ut hoc nomine magis admiranda ſit hæc fæcum ſuppreſſio; niſi dicamus, aſſumpta ita attenuari ab internorum viſcerũ ęſtu, ut non multũ ſuperſit terreſtris materiæ. Qua ratione dixit Hippocr. quod *Mictio plurima paucam ſignificat dejectionem.* Quod ſi admittatur, pauca excrementa craſſa in amplis inteſtinorum anfractibus hærebunt facilè, abſque inſigni noxa. Atque hæc brevibus, & in tranſcurſu, ob varia negotia, & meum ex Urbe diſceſſum proponenda habui de caſu præſenti; plura committens doctrinæ & eruditioni Viri præclariſſimi.

Remedia quod attinet, inſiſtendum cenſeo eductioni ſanguinis ex alterutra ſaphena, non hirudinibus, ſed ſectâ venâ, quò craſſior effluat. Hoc enim fere auxilio refert Matthęus de Gradi ſe Veſtalem Ticinenſem ſanaſſe. Fonticuli duo infernis partibus inurendi, alvus ſollicitanda purgantibus validis, placentæ forma umbilico appoſitis, faſcia ſuperaddita, facta emollitione ventris omento vervecis imbuto oleo amygdalarum; injectis clyſteribus ex iiſdem oleis, atque exhibito blando dejectorio per os; accedente quinetiam inſeſſu in balneo laxante, quò fæces duriores, ſi quæ ſunt, liqueſcant. Interim refrigerantium, & humectantium uſus frequens erit, ſeri lact. depurati præſertim, modò dejectorii, modo diuretici, vel etiam lactis ipſius aſinini, dejectorii pariter, addito diagrydio; non omiſſis uterinis medicamentis; cùm à ratione non abhorreat, facultatem inteſtinorum torpore ob aliquam nervorum obſtructionem, & ſemiparalyſin in illis partibus, non illi abſimilem, quo partes cutaneæ afficiuntur. Atque hæc in gratiam Viri Perilluſtris, & Excellentiſſ. cui omnia debeo. *Idem ibidem.*

De Iſchuria, Dyſuria, & Stranguria. Pro Nobili Forojulienſi.

Vir Nobil. quinquagenarius, temperamenti calidi & humidi, cum aliqua ventriculi frigiditate, variis in Adoleſcentia exercitiis gladiatoriis, militaribus, & Venereis in Italia, Germania, & Pannonia omnino addictus, phrenitide, febre peſtilenti, fœdaque gonorrhœa, per vices laboravit, deſtillatione ſalſa nunc ipſi moleſta. Octodecim verò ab hinc annis, menſe Decembri ſuppreſſione urinæ correptus fuit: quæ tamen frequenti calidorum linteorum uſu pectini, & perinæo applicatorum libere fluxit, à quo tempore quotannis ſemper, cùm æſtate, tum hyeme, renum, ut inquit, laxitatem & reſolutionem paſſus eſt; atque toto eo ſpatio urina quindecim, aut viginti dies turbida fuit, cum ſedimento materiæ albæ puris inſtar, mox aliquot dies vitreæ, accedente levi urethræ ardore; quæ priſtinam poſtmodum naturalem ſubſtantiam recipiebat, atque nulla moleſtia verno, & autumnali tempore, ſemper effluebat ſanorum ſimilis. Cæterum poſtremis hiſce duobus annis hyeme, urina turbida iterum fluxit, cum conatu vehementi; ita tamen, ut quò acrior meiendi voluntas eſſet, eo minus profusè redderetur, accedente immani dolore, & ardore propè radicem penis, cu ponderis ſenſu veluti pilæ plumbeæ incumbentis: remittente verò conatu illo, turbida manabat, liveſcens, fœtida, atque exhalante fœtore, acrimonię mordacitatiſque plurimùm particeps, ferè rubra, cum manifeſtis ſanguinis notis, ramentorum rubrorum ſpecie in matulę fundo, quæ baculo diſſolvi nequaquam poterant; ſuccedebat quandoque materia alba, craſſa, viſcida, tenax, abſque conatu, paulatim pondere ſuo, & lubricitate ſubſidens: quinimò retulit, quod quando meiendo veſicam comprimit, ejuſdem qualitatis, & naturæ materia per alvum excernitur, non ſecus quam ab uſu clyſterum, & medicamentorum aſſumptorum, ut refert Vir Excellentiſſimus in morbi hiſtoria ad nos tranſmiſſa. Erumpentibus verò flatibus deorſum copiosè interdum, maximè levari ſe obſervat. Quò itaque ab his affectibus liberetur noſtram implorat opem. Quod ut ex methodo fiat, pars affecta, morboſus affectus, & cauſę ſunt inquirendæ.

Pars affecta ex ſitu, actione læſa, excretis, & juvantibus cuilibet patet. Dolor enim, & ardor propè radicem penis, urinæ ſuppreſſio, meiendi voluntas, cum ardore, excretio materiæ craſſæ, albæ, cruentæ, & juvamentum à calorificis perinæo, & pubis regioni

gioni adhibitis illam luce clarius produnt, cervicem ſcil. veſicæ, cum muſculo ſphinctere, & glandulis proſtatis proximis, in omni gonorrhæa Gallica affectis: quod patet luculentius ex dejectione per alvum ſimilis materię, ratione conſenſus inteſtini recti cum muſculo ſphinctere veſicæ illi contiguo. Affectus verò prædictarum partium, me judice, duplex fuerit, auguſtia ſcilicet, atque ideò morbus in mala compoſitione, ſeu in via, & ulcus in ſoluta continuitate. Anguſtia in caſu præſenti duplex eſt, obſtructio nempe, & compreſſio meatus urinarii, quarum ratione ſiſtitur aliquando, vel ægrè fluit lotium; atque obſtructiò ortum duxit à pituita craſſa, viſcida, & lenta, plurimum à ventriculo tranſmiſſa, quę iſchuriam ſeu urinæ ſuppreſſionem invexit, donec ea attenuata, fluxiorique reddita uſu linteorum calidorum pubi, & perinæo applicatorum liberè effluxit. Compreſſio quinetiam meatus urinarii cauſam habuit intumeſcentiam cum glandularum proſtatarum, muſculo ſpincteri proximarum, cum inteſtini recti, non ſolum à flatibus, ſed etiàm ab humoribus vitioſis, quæ & conatum illum, & acrem meiendi voluntatem irritam induxit, atque iſchuriam, vel dyſuriam ſaltem; eadem prorſus ratione, qua prædictæ glandulæ ſpiritibus dum turgent in Venerea libidine, cum penis erectione, mictionem intercipiunt, donec iis diſſolutis flacceſcat, quo tempore libere fluit urina; quanquam prædictus tumor ſuſpicione non vacet inflammationis, cum ſphaceli periculo; cujus ſigna fuerunt urina illa turbida, liveſcens, fœtida, & rubra, cum ſanguinis ramentis, de quibus ſuperius; quę & ulcus in illis partibus patefaciunt ex divino Hippocratis oraculo Quarto Aphor. 81. quod. Si quis ſanguinem, aut pus, aut ſquamulas meiat, & gravis dolor adſit, veſicę exulceratio ſignificatur. Licet enim puris, & ſanguinis excretio ſint accidentia communia omnibus inſtrumentis mictioni dicatis, ex eodem Hippocr. Aph. 75. ejuſdem quartæ Sectionis. Si quis ſanguinem, aut pus meiat, renum, aut veſicæ exculceratio ſignificatur. Graveolentia tamen eſt proprium ſignum affectæ veſicæ, ex Galen. in Comment. quando potiſſimum excernuntur rubra ramenta, ut in caſu præſenti: ut mirum non ſit, ſi ſtranguria his ſucceſſerit: quanquam hujus cauſa potior potuerit eſſe materia ſalſa à capite defluens: à qua ſtatutis temporibus ad prædictas partes affectas à natura tranſmiſſa, cenſeo gonorrhœam illam ſpuriam (renum laxitatis nomine inſignitam) octodecim annis à Gallica quotannis hyeme & æſtate ortum duxiſſe, quo tempore 15. aut 20. dies continuos turbidam reddit urinam, cum hypoſtaſi materiæ primò albæ puri ſimilis, mox & vitreæ aliquot dies, quæ poſtmodum ſanorum prorſus ſimilis toto verno, & autumnali tempore manat. Vix enim mihi perſuadere poſſum, tantam materię copiam ſenſim coacervari in parte affecta, abſque ulla noxa tam longo temporis ſpatio, quin potius in eam concedo ſententiam, quòd critico quodam modo hyeme, & æſtate tranſmittatur à partibus ſuperioribus, & expurgetur per partem affectam. Duo tamen hoc in loco negotium faceſſere videntur: primò quidem cur contingat hæc fluxio hyberno tantum, & æſtivo tempore; imò ne tunc quidem niſi menſe circiter? Secundò, cur ad veſicę compreſſionem hujuſmodi materia excernatur per alvum? An quòd hyberno tempore pituitoſæ materiæ fiat proventus, cùm genitæ, tum coacervatę, ob ambiens frigidum cerebrum refrigerans, & cutis meatus occludens, quæ propterea ratione copiæ expultricem irritat; Æſtivo autem tempore ratione malæ qualitatis, ſalſedinis ſcilicet, & acrimoniæ: cùm præſertim Nob. Patiens catarrho ſalſo laboret, ut hoc nomine expultricem irritando tranſmittatur ad partem affectam, tanquam imbecilliorem: quod non fit verno tempore omnium ſaluberrimo, neque autumnali, ob inſenſibilem, & ſenſibilem materiæ reſolutionem æſtate pręterita. Hujuſmodi verò materiæ copia confluit ad inteſtinum rectum, propter ejus cum veſica conſenſum, cui utpote tenuium villorum & membranarum ope, adhæret, ut ad ejus compreſſionem, atque clyſterum, & medicamentorum aſſumptorum uſu poſſit expurgari per alvum. Atque hæc de parte affecta, torum Affectibus, & Cauſis abundè fuerint.

Prognoſticum quod attinet, patet quàm difficilis futura ſit horum curatio, duratio, magnitudo, & incompoſita victus ratio Nob. Patientis palam faciunt: cùm potiſſimùm ſtranguria virulenta ſit inveterata, cujus adſunt indicia. Quod ſi veſicę ſubſtantia eſſet exulcerata, prorſus incurabilis foret affectio. Verùm cùm exulceratio ſit in ejus cervice, & muſculo, quæ ſunt partes carnoſæ, ſperandum eſt fore ut pręſentes affectus remittant, & Nob. Patiens à gravioribus præſervetur.

Quod fiet, ſi materia fluens divertatur, prohibita quinetiam ipſius regeneratione iis quæ caput refrigerare, & exſiccare, jecoris fervorem contemperare, & ventriculum calefacere poſſint: fluxaque ſenſibiliter, & inſenſibiliter evacuetur; ac ulcus detergeatur, exſiccetur, & cicatrice obducatur; non omiſſis Alexipharmacis virulentiam Gallicam, & excellentem ulceris putredinem oppugnantibus.

Quare præmiſſa univerſali totius, & particulari capitis, eaque accuratiſſima purgatione, medicamentis ſimplicibus, & compoſitis pituitam prædominantem, & bilem præparantibus, & purgantibus, cum ſanguinis eductione primò ex jecoraria dextra, mox ex ſaphena ſiniſtra: alter fonticulus dextro brachio inurendus erit, cùm alterum geſtet in ſiniſtro, majoris revulſionis gratiâ.

Materias remediorum tanquam notiſſimas, brevitati conſulens, Viris præclariſſimis committo; hoc tantum ſuadens, ut ſemper Vere, & Autumno purgetur corpus; quo levetur ſarcina, hyeme, & æſtate tranſmitti ſueta ad partem affectam. A quibus tria præſidiorum genera interna ex uſu erunt. Primò quidem potus aquæ Tetutianæ, quatriduum, cum mell. roſ. ſolut. ad ℔. iij. qualibet die, detergendę pituitoſæ materiæ; mox aquarum diureticarum, ex ſiliquis fabarum, Alchechengi, & ononidis ad lib. unam cum drachm. 1. Terebinthinę Cyprię, x. vel xii. dies. Secundum remedium erit decoctum ex ligno Indico, & ſalſa parilla, 30. dies, cum ſudore; ita tamen ut ſalſę ſit major doſis, cui ſingulis diebus addatur unc. 1. ſucci cichorii optimè depurati, ad extinguendam virulentiam Gallicam, exſiccandum catarrhum, & pituitoſam materiam. Tertium erit lac aſininum, ad unc. IV. quotidie aſſumptum, cùm melle roſato ſimplici; quo nil utilius ad detergendum, & conſolidandum ulcus, ex Galeni ſententia de Simplic. Medicam. cui ſi progreſſu temporis admiſceatur pulvis ſarcocollæ, & thus, exſiccabit magis, & ulcus cicatrice obducet; cujus uſus erit menſem circiter; quo tempore validiora quinetiam exſiccantia præſcribenda erunt.

Quibus accedent externa, quæ proportione illis reſpondeant, puta clyſteres primo deterſorii, deinde exſiccantes. Inſeſſus in aquis Thermalibus ſubaſtringentibus, potiſſimum Montis Ægrotorum; vel in aquis fabarum, in quibus ſæpius extinctum fuerit ferrum candens; injecto quinetiam per ſiphonem lacte in meatum urinarium; atque applicato perinæo cerato barbaro, ſubacto cum ſucco acaciæ & myrtillorum. Ventriculus foveatur ſpongia imbuta vino generoſo, in quo ebullierint mentha, abſinthium, & calamintha, ſuperaddito cerato maſtichino. Caput exſiccetur pulveribus exſiccantibus roſarum, cornu cervi, oſtreorum combuſtorum & agarici.

Victuſque proportione his reſpondeat. *Idem ibidem.*

De Dyſuria. Pro Illuſtr. ac Nob. Anglo, Sereniſſ. Regis Angliæ ad Principes Oratore.

Illuſtriſſimus Patiens poſt varias gonorrhœas Gallicas, atque longum uſum decocti ex ligno Indico, & ſalſa parilla, cum ſudore ſemper, & victu exſiccante, longè quidem melius habuit, non tamen unquam in totum convaluit. Guttulæ ſiquidem quædam ſeminis compreſſa glande ſemper manarunt, licet aliquando eo conatu, quo dejiciuntur fæces, major ejus copia ſponte effluxerit, cujus cauſa tribus adhinc annis ex Chirurgi cujuſdam conſilio injecta fuit ſiphone in penem aqua ex tartaro vitriolato, & ſpiritu ſalis, vel vitrioli diſſolutis, ad exſiccandas, & roborandas prædictas partes, à cujus uſu in moleſtiſſimam & diuturnam dyſuriam incidit, quę ſenſim remiſit, per ſiphonem injecto lacte. Cùm verò ſuadente altero Medico hauſiſſet aquas thermales calidas, atque ſtillicidium ex iiſdem calefactis valdè ſupra regionem veſicæ admiſiſſet, longe deterius habuit, donec variis Medicis præſidiis internis, & externis in præſentem morbi ſtatum perductus eſt, quo frequenter mejere cogitur, pleno tamen alveo, & aliqua copia, cum pruritu quodam, & ſibilo in meatu urinario, fluente urina, ſuperſtite ab ipſa aliqua mejendi voluntate, & ſtillantibus guttulis aliquot urinæ. Invaleſcit verò affectus illicò ab uſu aromatum, acrium, ſalſorum, & diureticorum in cibis, atque vinis acidi, violento exercitio, & venere, ad quam ſicuti antehac proclivis erat, & promptus, ita in præſentia ſegnis & ignavus evaſit. Propterea noſtram efflagitat opem, & operam.

Inquirendæ itaque cauſę ſunt prędictorum affectuum, quò accommodatis remediis ſit locus. Tres autem principes poſſunt eſſe dyſuriæ præſentis. Primò quidem confluxus pituitæ ſalſæ, à capite calido & humido ad affectas partes, prout ejuſdem copia tranſmittitur ad fauces, ad partes circa linguæ baſim, & thoracem; quæ eſt cauſa verrucarum in ejuſdem linguæ baſi, tumoris aliquando glandularum antiadum, raucedinis, & tuſſis. Secunda cauſa poteſt eſſe arenularum ſcabrities, vel earundem in calculum concretio, cùm antehac eaſdem excreverit. Tertia, urinæ acrimonia, ortum ducens à jecoris fervore, cujus adſunt indicia in digitis, & naribus, ubi leves inflammationes, eryſipelas, & furunculi erumpunt. Cæterum neque à pituita ſalſa, neque ab arenulis affectum præſentem contigiſſe cenſeo, cùm urinæ ſint ſemper boni coloris, mediocris ſubſtantiæ, & ſine ulla hypoſtaſi, & quidem diutius ab ipſis excretis, quod ſanè non fieret, ſi hujus affectus cauſæ eſſent. Propterea duplicem hujus cauſam agnoſco, acrimoniam primò urinę, ex permixta bile, & atra bile in jecore fervido genitis, atque hac ętate non evacuatis: ſecunda exquiſitum ſenſum partis affectæ, cùm à frequenti præterita Venere, quæ exhauſit humiditatem illam viſcidam, glandulis inhærentem, tum potiſſimum à frequenti uſu aquæ illius tartareæ, acris & mordacis injectæ: ſicut ſegnities ad Venerem fieri potuit à nimia laxitate vaſorum ſpermaticorum, cujus ratione ſeminis fit ejaculatio confertim, & longè majori copia quàm antea.

Affectus ſanè difficilis curationis, ob durationem ipſorum; cujus ratione nec dum ceſſerunt variis remediis internis, & externis hucuſque adminiſtratis. Non tamen incurabiles cenſeo, ſi refrigerantium, exſiccantium, & roborantium longior fuerit uſus, præmiſſa accurata totius corporis purgatione.

Abſolvetur verò hæc lenientibus, præparantibus, & purgantibus humores prædominantes, pituitoſum, & melancholicum; non omiſſa ſanguinis miſſione ex vena jecoraria dextra, cùm toti evacuando, tum contemperando jecoris fervori. A quibus tria remedia interna ex uſu cenſeo; primo quidem ſyrupum ex mucilaginibus, ad muniendas partes ſuperficialiter eraſas, cujus parandi hæc ratio eſt.

♃. Seminum altheæ malvæ, cydoniorum an. unc. I. ſeminum papav. albi, tragacanthi, gummi Arabici an. unc. ſem. contundantur, & infundantur in ſufficienti quantitate decocti malvæ, liquiritiæ, ſem. pylii, papaveris albi, & fructum alkechengi ad partes æquales decoctorum; facta deinde expreſſione horum ſeminum, tragacanthi, & gummi; cui adde prędicti decocti unc. VI. ſacchari albiſſimi q. ſ. f. ſyrupus: cujus uſus erit ſingulis matutinis horis ad unc. ij. cum libra una prædicti decoct. pergatque in uſu ipſius 15. dies, & ab ipſo præſcribatur decoctum ex ſantalis citrinis, & viſco quercino, hunc in modum.

♃. Santalorum citrivorum unc. IV. viſci quercini unc. ii. aquæ fontis lib. VI. f. inf. diem naturalem, deinde decoque lento igne ad conſumptionem medietatis, addendo ſub finem liquiritiæ inciſæ unc. I. ſem. fructuum alkechengi contuſorum unc. I. & facta levi ebullitione, & colatura ſervetur, ac deinde

♃. Prædictæ decoctionis unc. VIII. ſucci cichorii optimè depurati unc. I. ſeminum quatuor frigidorum majorum contuſorum unc. I. ſem. magiſterii, perlarum, & corallorum an. gr. iij. miſc. pro ſyrup. & ſic pro ſingulis: cujus uſus erit 20. & plures dies, præmiſſa unc. ſem. hujus medicamenti.

♃. Sacchari roſ. antiqui, diacydonii ſine aromatibus, an. unc. VI. aromatici roſati drach. ſem. confect. alchermes, unc. ſem. trochiſcorum de ſuccino drachm. ij m. cum ſyrup. de ſucco limonum: cujus doſis unc. I. vel ante decoct. vel ab ipſius uſu. Fiant inſeſſus in vino rubro aſtringenti, in quo ebullierint roſmarinus, ſalvia, ſtæchas, calamentum, addito alumine crudo pulverizato. Inunctiones perinæi demum ex uſu erunt, ex oleo de caſtoreo, & de nuce moſchata, additis gr. iij. moſchi, & ambræ, cum pauca cera. Verrucarum ſumma forficibus amputanda, deinde exſiccandæ illæ pulvere tuthiæ, roſarum exſiccatarum, & corticum granatorum: atque majoris exſiccationis, & roborationis cauſâ, ferrum latius candens proximè admoveatur; munitis partibus circumpoſitis linteolo imbuto aqua roſarum.

Victum tanquam notum Viro Illuſtr. ac Præclariſſ. Medicis ejus curæ præfectis brevitati conſulens committo. *Idem ibidem.*

De Stranguria ab ulcere veſica, & levi Apoplexia. Pro D. Stanislao Dembinchi Polono.

Ex hiſtoria ad nos tranſmiſſa conſtat, Virum Nobilem ſexagenarium, hirſutum, animoſum, nigris pilis, atque inordinatè viventem, poſt gonorrhœas, ſcorbutum & hypochondriacam affectionem, conqueſtum eſſe ab aliquot annis, ſicut & nunc, de mictione frequenti, dolorifica, & veluti purulenta; atque doloris ſitum eſſe in ſphinctere veſicæ, & perinæo, qui decumbendo remiſſior ſit, erecto corpore invaleſcat, graviſſimus verò ambulando evadat. Addunt, virum Nobilem ante ſemeſtre correptum fuiſſe oblivione, & omnium animalium actionum abolitione. Quam affectionem præceſſit, nunc verò ſequitur triſtitia ſine cauſa, flatibus item abundare. Quorum malorum cauſa opem Medicam poſcit.

Cenſemus primò itaque, inveſtigandam eſſe ſtranguriæ ſeu mictionis depravatæ cauſam, quę diutius ipſum torquet, cujus cauſa continuò decumbere cogitur; deinde expendemus, qualis fuerit affectus ille, quo ante ſemeſtre laboravit, & quæ fuerit ejus cauſa.

Quanquam autem ſtranguriæ variæ poſſint eſſe cauſæ; in caſu tamen noſtro duorum alterum ſtatuendum cenſemus; vel ſcilicet ipſam ortum ducere à pituita ſalſa, vel ab ulcere ſphincteris veſicæ. Hinc enim ſedimentum

mentum craſſum, veluti purulentum in urina conſpicuum indicis eſſe poteſt, hanc non fieri ſimpliciter ab urinæ acrimonia, quam nobis alioquin ſuadere facilè poſſet hirſutus, calidusque & ſiccus corporis habitus, ad bilis proventum accommodatus: ut quid enim contentum hoc veluti purulentum? Minus huic ſententiæ accedo, quod à calculo proveniat, cujus ſignum eſſe pòteſt dolor in ſphinctere firmus, intentionem, & remiſſionem ſuſpiciens à vario corporis motu. Si enim adeſſet calculus, præceſſiſſet arenularum excretio, dolor nephriticus, & aliquando paſſus eſſet iſchuriam, vel ſaltem urinæ ſtillicidium. Quare crediderim facile, affectum hunc à pituita ſalſa produci; cujus indicium eſſe poteſt ſedimentum illud craſſum, quod agitatum urinam efficit turbidam, ætas ſenilis, præterita functionum principum noxa, & incompoſita vivendi ratio. Nec tamen ulceris deſunt indicia ex gonorrhœis præteritis, muſculum ſphincterem exulcerare quę potuerint, necnon, & ex contentorum ſubſtantia: cùm referant, contentum eſſe quaſi purulentum. Quare in hac ſignorum ancipiti conjectura, in eam maximè feror ſententiam, ſtranguriam præſentem fieri potius ab ulcere, quàm à pituita ſalſa: cùm hæc viſcida eſſe ſoleat, quale non eſt contentum propoſitum; adde, quod pituita ſalſa non magis afficit ſphincterem, quàm meatum urinarium, ac proinde in variis partibus dolorem inferre deberet, qui neque invaleſceret magis ambulando, quàm ſtando, vel decumbendo. Accedit, quod gonorrhϾ præteritæ facilè exulcerare potuerunt glandulas proſtratas, quarum ſupra muſculum ſphincterem ſitus eſt, vel ut alii cenſent, infrà, ſemper tamen juxta muſculum, quem propterea exulcerare poſſunt; quinimò & partes circumpoſitas, ita ut foramine pateant meatus, perinæum, vel ſcrotum, ac urinam non raro tranſmittant. Quod obſervavimus diebus elapſis in patiente noſtro Patavino, gonorrhœam Gallicam ſpernente, nec perfectè curante. Præter quæ, dolor ſemper ſoli alicui parti inhæret, qui alioquin ad proximas propagaretur, atque convaleſcit ad motum corporis, ratione ſympathiæ muſculoſæ ſubſtantiæ; cujus rei luculentius indicium eſſet ſanguinis veſtigium, ſi adeſſet: quod tamen non eſt omninò neceſſarium. Primò quoniam vigente gonorrhœa potuit effluxiſſe; Secundò, quia in pus faceſſere poteſt, antequam excernatur. Quapropter cenſeo ſtranguriæ hujus cauſam eſſe ulcus; quemadmodum, & affectionem illam præteriti ſemeſtris, qua functiones animales perierunt, fuiſſe apoplexiam levem, ab humore melancholico, ex hypochondriis in cerebrum elevato. De qua Hippocr. in Aphor. Quibus derepentè lingua fit incontinens, aut pars aliqua corporis attonita ſtupet, eſt ſignum melancholicum; ut propterea in paralyſin non deſierit, quæ ſemper excipit apoplexiam à pituita ſubortam. Quod & ex eo facile conjicere eſt, quia Nob. Patiens hypochondriaca affectione laborat, & quod ante ſymptoma illud, & ab ipſo, ſine cauſa mœret. Et hęc de eſſentia, cauſis, & partibus affectis affectuum prædictorum.

Quos ſanè antiquos, & tantum non connatos, non ſolum difficillimæ fore curationis cenſeo, ſed etiam periculum imminere perforationis perinæi, & graviorum affectuum, niſi accommodatis remediis ceſſerint.

Quare ratione doloris, & depravatæ mictionis, detergendum eſt ulcus, & cicatrice obducendum, præmiſſa diverſione materiæ fluentis; diſcutiendi flatus; obſtructiones, ſi quæ ſunt in liene, reſerandæ; contemperandum jecur, præmiſſa univerſali corporis purgatione, nec omiſſis epicerasticis, ratione doloris. Quæ præſtabuntur remediis Chirurgicis, Pharmaceuticis, & Diæteticis.

Inter Chirurgica principem locum obtinet ſanguinis eductio, cùm ex jecoraria dextra, tum ex ſaphena ſiniſtra, demum ex venis ſedalibus, pauca tamen copia, habita ſemper ratione virium, & ætatis.

Pharmaceutica ſint univerſalia, & particularia; in quibus erunt lenientia, præparantia, & purgantia humorem melancholicum prædominantem, necnon & pituitoſum: hac tamen lege, ne ſint diuretica, quæ humores vitioſos devehant ad partem affectam. Materias remediorum tanquam notiſſimas Viris præclariſſimis data opera committendas duxi; hoc tantum obſervato, quod ſi Patiens Nobiliſſ. fuerit ad vomitum proclivis, vomitoria blanda aliquando illi exhibeantur; dolore interim mitigato anodynis, emplaſtro nempe ex farina, malva, lacte, & oleo roſato: vel ex pane, lacte, & aqua roſarum imbuto: emplaſtri forma perinæo applicando. Quod ſi vigiliæ infeſtæ eſſent, doloris cauſa, emulſiones ſeminum papaveris albi, à cœna, ex uſu erunt, necnon aliquando grana duo, vel tria laudani nepenthes à Quercetano deſcripti in Pharmacopœa reſtituta. Localia erunt tria potiſſimùm; primum quidem jus galli junioris, cum agimonia, cuſcuta, cetrah, britannica, halicacabo, & ligno nephritico; præmiſſa drachm. 1. terebinthinæ laricinæ, & illi inſtillatis ſex guttulis ſpiritus vitrioli. Conferet quippe & flatibus diſcutiendis, & hypochondriacæ. Secundò ſerum lactis caprini, ad libras duas, ſingulis diebus aſſumptum, depuratum, cum ſucco citri, alternatim exhibitum, cum ſyr. roſ. ſol. ad ſubducendam alvum; & vacuis ab ipſo diebus, cum ſyr. capillorum veneris Fernelii, & emulſione ſeminum frigidorum. Quòd ſi ab his flatuum proventus augeretur, ipſius loco exhibeantur aquæ deſtillatæ ex ſiliquis fabarum, ſeminibus malvæ, alchechengi, & hordeo cortice non exuto cum ſpiritu terebinthinæ; additis fructibus ſebeſten in deſtillatione. Tertium remedium erit uſus aquarum ferratarum, vel acidarum, ſi in patria haberi poſſunt; ſin minus, paretur potio ex aquis ſtillatitiis plantaginis, portulacę, ſolatri, conſolidæ, & nymphææ, cum trochiſcis de carabe, de ſpodio, terra ſigillata, & ſuccino. Horum enim ope ulcus jam deterſum occludetur, applicato extrinſecus cerato diapalma.

Quibus accedat congrua victus ratio, in qua abſtinendum ab omnibus aromatibus, acribus, vinis generoſis, atque diureticis quibuſcunque. Quod ſi interim tanta flatuum copia non obſtiterit, lac aſininum plures dies in aurora hauſtum, cum ſaccharo; vel etiam bubulum ſummoperè ex uſu erit, quà detergendo, quà cicatrice obducendo ulceri propoſito. Atque hęc in caſu præſenti proponenda habui, in ſalutem Nobilis patientis, quam ipſi largiantur Superi. *Idem ibidem.*

De Stranguria ex ulcere colli Veſicæ, non ſine ſuſpicione Calculi. Pro Illuſtriſſ Militum Præfecto Turco, Veronenſi.

Illuſtriſſimus Vir, ætatis 48. annorum, temperamenti calidi & humidi, habitus carnoſi, poſt varias gonorrhœas præteritas Gallicas, ulcera fiſtuloſa, & calculos cum urina excretos, tandem poſtremum molis nuclei oleæ tanto cum conatu, & dolore ejecit, ut ei ſucceſſerit profuſus ſanguinis fluxus ex meatu urinario, cum animi deliquio. Per vices deinde magnam materiæ viſcidiſſimę, & craſſiſſimę copiam profudit, cum vehementi conatu, cui ſucceſſit acris, & frequens meiendi voluntas, cum aliquo dolore, & pauca urinæ copia ſemel effuſa, accedente ſomno frequenter interrupto, cum ſanguinis, & purulentæ materiæ fluxu, quandoque & dolore in perinæo, propè podicem, urina ſemper craſſa, & turbata, quæ deinde, ſubſidente materia craſſa, & turbata, inclareſcit: curru tamen, & equo iter facit abſque inſigni moleſtia. Medicam propterea manum expoſcit.

Supponendum itaque primò tanquam receptum, calculos

culos olim fuiſſe excluſos, affectumque hunc, de quo potiſſimùm ſunt querelæ, eſſe ſtranguriam: quæ licet varias agnoſcat cauſas, hęc tamen vel ortum ducit à calculo veſica delitefcente, vel ab ulcere propè podicem ſuborto. Utriuſque enim affectus luculenta adſunt indicia; calculi quidem, quoniam olim alii fuerunt excluſi, & moleſtia quędam percipitur in extrema glande, cum frequenti meiendi libidine: quæ ſanè veſicæ calculum produnt quidem, non tamen ſunt ſigna pathognomonica; cùm pręſente quandoque calculo deſiderentur: quandoque verò mictio adſit frequens, abſente calculo; cùm ſcil. fit ab humoribus acribus, ſalſis, vel hujuſmodi: præterquam quod accidentia enarrata cauſam habere poſſunt etiam ulcus in collo veſicæ; tunc enim urina ſua acrimonia vellicans, triſtem ſenſum efficit, frequenterque irritat expultricem: ut propterea ſigna prædicta calculum ab ulcere non diſtinguant, niſi excernatur pus ſanguini quandoque permixtum, quandoque vero ſincerum; quale in nobiliſſimo patiente non raro conſpicuum fuit. Quam ob cauſam pro comperto affirmaverim, adeſſe ulcus in collo veſicæ, cujus ratione ab urina acri fit irritamentum; nec ab ea ſolùm, ſed etiam à ſalſedine pituitæ copiosè effuſæ cum urina, quę propterea ſubſidet in fundo matulæ, cujus cauſa putredini aſcribenda, quam manifeſtè prodit materia fluxilior. Statuendum itaque ſtranguriam hanc ab ulcere veſicæ ortum ducere, eadem prorſus ratione, qua renibus purulentis urinæ ſtillicidium ſuccedit, ex Hipp. decreto in Aphoriſmis.

Hæc itaque eſt princeps hujus affectus cauſa, quæ cum deliteſcat in penitioribus partibus, ad quas medicamenta nonniſi alterata pertingunt, incurabilis, vel ſaltem difficillimæ curationis cenſendus eſt.

Cui curando materia fluens divertenda, fluxa evacuanda, acrimonia ipſius contemperanda, ulcus detergendum, exſiccandum, & cicatrice obducendum, vel ſaltem epiceraſticis acrimonia, & mordacitas obtundenda. Quod præſtabunt remedia ex fonte Chirurgico, Pharmaceutico, & Dięetetico deprompta.

Inter Chirurgica, pro univerſali corporis expurgatione, & materiæ fluentis diverſione, ſanguis eſt educendus primò ex jecoraria dextra, revulſionis cauſa, & pro contemperatione fervoris jecoris, atque totius corporis inanitione; ex ſaphena demum ſiniſtra pro derivatione, juxta Galeni præceptum, in affectibus infra renes, ex partibus infernis ſanguinem educendum eſſe. Locus erit deinde topicis in canalem urinarium infundendis, inferius proponendis, poſt totius exacuationem pharmaceuticis remediis tentandam.

Leniatur itaque alvus ſyrup. roſ. ſolut. & manna, cum decoct. pulpæ tamarindorum. Præparentur humores ſyrup. acet. ſimplici, melle roſato ſimplici, & ſyrup. de pomis, cum decoct. cichorii, borrag. violarum, malvæ, & ſeminum citri. Purgentur demum agarico trochiſcato, & melle roſ. ſolut. cum decoct. ſeminum citri. A quibus, pręſcribatur blandum vomitorium, ex oxymel. ſimplici, & ſucco raphani, in jure pingui. Triduum exhibeatur aqua Tetutiana, ad libras tres quotidie, cum tribus unciis ſyrup. roſ. ſolut. Ab horum uſu, contemperetur humoris acrimonia, detergeatur ulcus, & ſenſus obtundatur; quod præſtabit apprimè bolus ex gummi ceraſorum, & ſuccino; à quo exhibeantur emulſ. ſem. melonum, cucurbitæ, papaveris, & liquiritiæ: quæ & uſui erunt ex ſeminibus cucurbitæ, nucleis pineis, & amygd. dulcibus, elicitæ cum aquis ex ſiliquis fabarum, ſeminibus malvæ, & alchechengi, hauſtę plures dies. Accommodatius tamen nihil cenſeo lacte aſinino: quippe quod detergere poteſt, contemperare, & agglutinare, commendatum propterea ab omnibus Autoribus ulceribus in pulmonum, renum, & quibuslibet aliis internis: cujus uſus erit ſingulis matutinis horis, quinque ante cibum, ad ℥v. circiter, cum ſaccharo; ſomno deinde conciliato, & parca pręcedente cœna, à qua unc. iij. emulſionis ſem. papaveris albi, cum aqua lactucæ opportunè exhibebuntur. Siphone interim infundatur in meatum urinarium idem lac ſem. papaveris albi, cum ſucco nenupharis. Emplaſtrum perinæo applicetur hâc formulâ.

℞. Mucilaginis ſem. malvæ, pſyllii, an. unc. ſem. olei roſar. completi unc. ij. ſucci plantag. emulſ. ſem. papaveris albi an. unc. 1. ſem. farinæ hordei pugillos duos, lactis q. ſ. m. f. emplaſtrum.

Victus ſit humectans refrigerans, & epiceraſticus. Ptiſana propterea hordeacea panatella cum emulſ. ſem. melonum; fercula ex lacte, carnes agninæ, & alia hujuſmodi conducent quàm maximè, ut & vinum oligophorum ſubdulce. *Idem ibidem.*

De Mictione difficili, & cruenta. Pro Perilluſtr. Andrea Picenardo, Cauſidico præſtantisſimo. Cremonam.

Perilluſtris, & Excellent. Vir, boni habitus, in primo ſenio, duobus abhinc annis poſt longam, & laborioſam equitationem, ſanguinem ſtillatim minxit, cum maximo conatu, & dolore intenſiſſimo circa extremum inteſtinum rectum ante mictionem, & extremam glandem ab ipſa: qui quidem in hanc uſque diem eum torquet, quamplurimis licet ex methodi lege medicamentis, cum Galenicis, tum Spagirica arte paratis internis, & externis præſcriptis; ut propterea de agendis nos conſulat.

Cauſa itaque morbifica primò indaganda eſt, quam cenſet Vir Excellent. qui ad nos ſcripſit, eſſe intemperiem calidam prędictarum partium, ab acri, & ſalſa materia, cum in illis ex putredine genita, tum aliunde confluente, atque in primis à cerebro calidiori, ob aſſidua ſtudia, & cauſarum ſollicitum negotium, & jecore præcalido, non ſine ſoluta continuitate, ulcere ſcil. in veſica ſuborto, ob jugem illius materiæ confluxum: cujus non obſcura præbere videntur indicia phlegmone eryſipelatodes, & aliquando œdematoſa, gangræna penis, & febris lenta cum obſcuris invaſionibus. Quam ſententiam amplexi ſunt quinetiam plurimi alii Viri doctiſſimi, qui de hoc affectu antehac conſilium habuerunt. Quod autem humorum acrium adfuerit copia procul omni dubio eſt; an vero hæc ſit immediata hujus affectus cauſa, non ita palàm eſt; cum duos potiſſimum annos duraverit, nec tot, & adeò variis Medicis præſidiis ceſſerit: quod cauſam quinetiam firmam prodit, quæ ſi eſſet ulcus, quod ſuſpicantur Viri præclariſſ. ſaniem effunderet, nec dolor tantum mictionis tempore, ſed & ab illa ſuperſtes eſſet, cum qui à calculo fit invaleſcat in ipſa mictione: ut propterea de veſicæ calculo non lenis ſit ſuſpicio. Mictio namque cruenta ab equitatione hinc facile ſuccedere potuit, prout & urinę difficultas, quando calculus ejus eſt molis, ut illius orificium occludere poſſit. Accedit triſtis ille ſenſus in extrema glande, perpetuus fere comes hujus affectus, pondus, moleſtia in podice, dum à calculo comprimitur, urina alba, craſſa, & turbata, calculoſorum propria. Neque obſtat, quod non fuerit deprehenſus immiſſo cathetere: & candela; cum oblini poſſit veluti mucore quodam, duritiem, & ſcabritiem ejus lævigante. Quod ſi curru iter fecerit, atque urina cruenta reddatur, certius fuerit indicium calculi in veſica latitantis, ſi potiſſimum antehac Perilluſtris Patiens doloribus nephriticis opportunus fuerit, atque arenulas minxerit: quanquam non diffiteor falli nos ſæpius, cum in hac, tum in aliis internis affectionibus dignoſcendis; ut propterea venia magis ſim dignus, ſi abſens ex ſimplici hiſtoria erraverim, quàm Viri illi Excellentiſſ. hujus curę incumbentes duos annos fere continuos.

Ut

Utcunque ſit, ſi adſit ulcus, & humorum acrimonia ipſum foveris, duo præſidia peropportuna cenſeo, alterum, idque internum, potum lactis aſinini viginti & triginta dies ſingulis matutinis horis, cum fruſtulo panis, & pauco ſaccharo, ad uncias ſex circiter; præmiſſa cœna parca, & Terebinthina Veneta; vehiculi loco. Extrinſecus verò balneum univerſale aquæ dulcis tepidę, non omiſſis aliis refrigerantibus, cùm alimentis, tum medicamentis: atque in illis cucurbitæ primum locum obtinent: hordeum & item amygdal. recentes erunt accommodatiſſima. Quod ſi calculus adeſſet, quod maximè ſuſpicor, nullum aliud remedium ex uſu erit prę-ter ſectionem, quæ in hoc habitu à Viro perito feliciter adminiſtrata ſuccedere poteſt. Atque hæc attingenda duxi, obſequii cauſa erga Virum Excellentiſſimum; cui plura debeo. *Idem ibidem.*

De Mictione Urinæ Lacteæ, ex Renum ulcere. Pro Adm. Rev. Malfatto, Cathedralis Patavinæ Cuſtode.

Patiens Adm. Rev. annorum 50. temperamenti calidi & ſicci, poſt dolores frequentes in Ilio ſiniſtro, cum excretione arenularum, duobus abhinc annis, ex quolibet corporis motu urinam cruentam, meiere cœpit, dolore invaleſcente in parte affecta, & pituitæ vomitu a cibo. Mox ab anno urinam reddidit craſſam, & turbatam, quæ deinde inclareſcebat, cum hypoſtaſi materiæ albæ fluidæ, & veluti lacteæ, atque gravitate continua in parte affecta, cruris ſtupore, lenta febricula, & inſigni corporis macie, abſque evidenti paroxyſmo febrili. Quorum cauſa nos conſulit.

Primò itaque inquirenda venit pars affecta, tum affectus, & cauſæ, mox ad prognoſticum, accuratiorem progrediendum. Primum quod ſpectar, ex ſitu partis affectæ, gravitate affectus, annexiſque ſymptomatib⁹ compertiſſimum eſt, partem affectam eſſe renem ſiniſtrum, affectumque eſſe calculum. Prodidit enim Hippocr. Prima in 6. Epid. 5. quòd quando adeſt calculus in renibus, in renem dolor eſt gravis, cùm cibo replentur, evomuntque pituitam. Atque ex arenulis præteritis patet id luculentius; quas in patiente Admodum Rev. concreſcere potuiſſe in renibus conjectare eſt ex pituitoſa materia vomitu ejecta, temperamento calido, & ætate. In adultis namque, & conſiſtentis ætatis, calculi concreſcunt in renibus; pueris autem in veſica; ex Gal. in Commento Tex. 5. ejuſdem primo in 6. Epid. In veſica lapis pueris magis fit, Nephritis verò ætate declinantibus. Qui renis calculum ſcabritie non vacat, cujus ratione à corporis motu fit abraſio ejus ſubſtantiæ, ac proinde mictio cruenta. Vomitus autem à cibo ſuccedit, ſive cibi nomine veniant aſſumpta ſive excrementa craſſa, inteſtinis concluſa: quo utroque ſenſu vocem, eam uſurpari poſſe aſſerit Gal. in Commentar. citato. Conſentiente enim peritonæo, comprimitur pars affecta, dolorque & vomitus excitatur; grandis verò calculus vaſa comprimit ſpinæ incumbentia, quæ ad crus repunt, venam ſcil. & arteriam magnam, quarum ope renibus conſenſus cum cruribus intercedit, ex Gal. in Comm. citato, ſcribente, quod qui cenſent conſenſum hunc fieri per nervos, ureteres, & membranas, omninò ab experientia alienos, cùm tunc ſtupor fiat. Cæterum materia quæ nunc ſubſidet poſtquam urina inclaruit, alia eſſe non poteſt, quam purulenta. Viſciditatis enim prorſus expers eſt, quam pituitoſa materia ſibi vindicat. Quamobrem cùm materia purulenta per urinam excerni poſſit, vel ex veſica, vel ex renibus, thorace, jecore, aliiſque partibus ſupra renes, ad hos nempe per emulgentes tranſmiſſa; hæc ſanè ex veſica non effluit, cùm quia pus tunc fœtet ob imbecillum ipſius calorem, tum quia fluere poteſt ſeorſum ab urina: longè minùs à partibus ſuperioribus affluit, cùm de ipſis nullæ ſint querelę, atque pus ab urina excreta ſecernatur. Statuendum propterea eſt, purulentam hanc materiam à renibus emanare: qua ratione in ſputo cruento id contingit ex pulmonibus. A ſanguinis enim ſputo, puris ſputum; ac prinde in rene affecto ulcus eſſe ſubortum, quæ eſt etiam cauſa febris lentæ, ſymptomaticæ nuncupatæ; tabidæ non abſimili ex ulceribus pulmonum; quam propterea totius corporis macies ſequitur. Atque hæc de affectu propoſito, & ejus cauſis.

Qui me judice; prorſus inſanabilis eſt, cùm corpus tabidum evaſerit, vireſque ſint collapſæ. Non tamen ſolo prognoſtico committendus patiens, cùm nondum adhibuerit congrua remedia.

Quare præmiſſa blanda totius purgatione, ulcus ſaltem eſt detergendum, & cicatrice obducendum, cùm de calculo excludendo nulla ſit ſpes, quòd nulla in promptu ſint medicamenta lapidem frangentia, jam concretum à biennio, ac proinde obduratum; cui nec per ureteres via patet, ob ejus molem, & ſcabritiem; licet aliquando ex abſceſſu in lumbis ſuppurato, & vel ſectione patefacto, vel diſrupto contigerit, ut ſibi hanc viam fecerint calculi, & foras eruperint, teſtimonio Cardani, Fernelii, Parei, Bauhini, & aliorum, cujus tamen nullum extat veſtigium. Periculum enim majus minatur ſectio renis ab Ambroſio Pareo propoſita lib. 24. ſuæ magnæ Chirurgiæ cap. 16. referente, quendam Nobilem Medunenſem calculo renali laborantem, capite damnatum, à Magiſtratu facta poteſtate, Medicorum Pariſinorum in gratiam ſectum fuiſſe, calculumque evulſum, atque obducto vulnere ſanatum, & ſupplici factam gratiam. Si namq; hęc operatio fiat in lumbis, è regione renis, cum præſenti maximè diſcrimine conjuncta eſt, quod eo ſit pervadendum per muſculos dorſales, nervos, arteriam aortam, & venam cavam, cum ſyncopes, & mortis periculo. Quod ſi vero per Ilia tentetur, inteſtinis diductis parata ad renem via, licet quidem ab illa levius impendeat periculum, quòd advertit Rouſſetus de Partu Cæſareo, confluxus tamen ſanguinis in cavitatem abdominis eo non vacat, reniſque cicatrix difficillima eſt, ut has ob cauſas, vel non ſit tentanda, vel præmiſſo ſaltem prognoſtico interitus.

Hac ergo miſſa, detergendum eſt ulcus mulſa, cum aqua hordeacea, & lupinorum, tres aut quatuor dies, ad libras tres potui data, cum ſpiritu terebinthinæ. Curatio poſtmodum abſolvenda erit potu lactis primò aſinini, ut tenuioris ſubſtantiæ, ac proinde detergentis magis: mox vaccini, vi agglutinante præpollentis; quorum uſus pro cibo quinetiam erit, & corporis nutritione. Atque hæc ex uſu futura cenſueram, niſi mors ægrum præripuiſſet, cujus aperto cadavere, in conſpectum venit calculus longitudinis digiti pollicis, in quatuor ramos diremptus, papillis impactos, tota alioqui renis ſubſtantia abſumpta, ſuperſtitibus tantùm membranis, & calculo. *Idem ibidem.*

Urinæ Ardor, & ejuſdem Retentio.

Mictio ſępe ſępius ob moleſtiſſimum ardorem depravata, & quandoque imminuta, atque etiam omnino ſuppreſſa, læſionem in meatibus urinariis certo ſupponit, quam tamen eſſentialem & iiſdem partibus impreſſam non eſſe credendum, cùm continua non ſit, ſed ab ipſa urina pendere, quæ ita ſua acrimonia vellicat, imo det ureterum principium, ut iidem contrahantur, ac propterea (addita etiam pituitoſæ ac ſalſæ materiæ portione collum veſicæ interdum obſtruente) facilè ipſimet urinæ tranſitum impediat. Hoc autem facilius mihi perſuadeo, ſi in Nob. hoc Patiente fervidum jecur & humidum caput conſiderem, & ventriculum per conſequens imbecillum, qui nunquam, niſi tenuiſſimo vino

aſſumpto, poteſt cruditates non generare, quæ poſtea ab hepatis calore attractæ, facile etiam ad renes tranſeunt, jam frequenti ſcalarum aſcenſu imbeciliores & calidiores redditos, unde leve aliquod ſtillicidium ſeminalis materiæ originem habuit.

Affectum hunc, cum eſſentialis in vaſis ipſis urinariis non ſit, ſanari omnino poſſe cenſeo, materiam non ſolum pituitoſam, ſed etiam biliosam evacuando; partium intemperies corrigendo & à renibus divertendo.

Et ex fonte Chirurgico bis ſanguinem ex utroque brachio moderate educerem. Et quamvis renes valde juvare videatur hæmorrhoidalis evacuatio, huic tamen in caſu præſenti ſuperſederem, ne humores ad veſicam advocarem, in qua nihil eſſe puto, quod derivatione opus habeat.

Ex Pharmaceutico reliqua depromenda remedia. Et primò expiatis à cruditatibus primis viis & bilioſis humoribus in hepate ac toto venoſo genere contemperatis, ter aut quater aquam Tettucianam exhiberem. Inde per 15. dies arrideret valde rhabarb. uſus in ſero caprino infuſi; quod ſi ſtomachus non adeo bene toleraret, maſticari poterit, ſerum ſuperbibendo, quod depuratum, ſit, ſi ad alvum vergat; deſtillatum vero, ſi ad veſicam. Terebinthinam autem noſtram Venetam, licet in hujuſmodi affectibus locum habere videatur, in præſenti caſu non probo, cum clare ſatis conjiciam in renibus cruditates non adeſſe, quæ deterſione indigeant, unde potius cruditatibus, vel in venis exiſtentibus, vel ab hepate attractis, viam ad renes & veſicam pararet: quod è diametro intentioni divertendi jam propoſitæ adverſatur. Quamobrem ut Diuretica omnia damno, ita leve aliquod Purgans quod humorem utrumque; placide per alvum educat, neceſſarium puto, quod parari poterit ex pilulis de tribus cum rhabarb. aggregativis & maſticinis, hordeum die medicamenti in prandio aſſumendo.

His addatur opportuna vivendi ratio, quæ cruditates nullo modo producat, ſed aliquam corroborationem Ventriculo afferat: cui tria aut quatuor grana maſtiches hora una ante cibum aſſumpta, non parum prodeſſent. Cœna ſit prandio parcior: & exercitium à cibo, quantum fieri poteſt, evitetur. Cætera Excellentiſſimo Adſtanti præſcribenda relinquo. *Raymund. Joh. Fortis Conſult. & Reſponſ. Medic. Tom. 2. Cent. 3.*

Stranguria in muliere hypochondriaca.

In viduitate ante plures annos relicta Egregia ac Perilluſtris Mulier non vulgari corporis proceritate donata, cum actionum promptitudine, habitu corporis mediocri ac optimo faciei colore annum ſuæ ætatis quadrageſimum ſeptimum agebat, dum poſt diuturnos labores ac vigilias fere continuas in Matris infirmitate lethali diu perpeſſas, cœpit conqueri menſe Septembri anni 1671. de dolore ventriculi ac faciei pallore, perſeverantibus, ſed non valde urgentibus, uſque ad æſtivum prope Solſtitium anni 1672. quo tempore dolore invaleſcente, multa ac varia, ut fertur, remedia, una cum ſanguinis miſſione à Baſilica & Saphæna incaſſum experta eſt; poſt quæ accerſitus, inveni Patientem, alias capiti deſtillationibus obnoxiam, ſingulis fere diebus infeſtatam dolore ventriculi ad ſiniſtrum hypochondrium ſeſe porrigente & non ſtatis horis, ſed tam ante, quam poſt cibum invadente, coactam, tali moleſtia, per aliquot horas pronam decumbere, ſine vomitu, ſed non abſque ſiti, cum cibi inappetentia, alvo aſtricta fæcibus utplurimum bilioſis, præcordiorum tenſione, Menſtruorum in menſe Julio tantum apparitione, ventriculi tenſiva gravitate moleſta à cibo, atque flatibus ſeu ructibus per os frequenter erumpentibus, præcipue & ſemper, dum manu ſiniſtrum hypochondrium premeretur. Adhibitis autem variis medicamentis, & præſertim calidioribus aperientibus & evacuantibus, imminuta valde ſunt jam dicta ſymptomata omnia, præter faciei pallorem cum virium languore; verum acceſſerunt anhelitus difficultas cum tuſſi & ſputo ſalſuginoſo, alternatim, ut ait, invadente, & deſinente cum Stranguria, in qua cogitur cum ardore ac gravi preſſione, in fine mictionis, ſæpiſſime urinam emittere claram, potius aquoſam, ſine fœtore, arenulis, vel aliò excremento, exceptis raris filamentis epidermidem æmulantibus. Unde Patiens non admiſſura Lithotomum in exploratorem, ambigitur, num hujus pravæ mictionis cauſa ſit pituita ſalſa, an vero calculus in veſica contentus.

Nobilem mulierem jam hypochondriacam melancholicam affectionem contraxiſſe (ad quam forſan prona erat) dum ægritudini diuturnæ adſtitit dilectiſſimæ Matris, ob labores, vigilias atque incommoda, & corporis, & maxime ipſius animi ob Matris ejuſdem obitum ſubſequutum, ſicut antea deſtillationibus quoque à capite delabentibus obnoxiam fuiſſe, facile credendum; & ſicut ab hypochondriaca affectione modo prorſus immunem vix ego credo, ita deſtillationis fontem exhauſtum & deſiccatum eſſe poſſe medicamentis adminiſtratis non video. Et primo hypochondriacam melancholicam affectionem prorſus extirpatam non fuiſſe exiſtimo, quoniam licet obſtructiones Aperientibus fuerint valde imminutæ, calida tamen intemperies tùm jecoris, tum hypochondriorum, medicamentis remiſſa non fuit, eo quod (uti ego puto) id non permiſerit anni tempus quæ calida intemperies primæ coctioni in ventriculo, nimirum chylificationi non parum incommodat, dum à calore viſcerum ventriculo circumſtantium fit alimentorum fermentatio, quæ eſt ad concoctionem & chylificationem à proprio & nativo calore ventriculi mox abſolvendam præparatio; & ideo ſi cum exuſtione à nimio viſcerum calore hæc fiat, imperfecta neceſſario evadit quoque ipſa chylificatio; quem concoctionis modum perperam acceperunt, & intellexerunt recentiores Novatores, credentes concoctionem in ventriculo ſola fermentatione fieri: quoniam nec obſervarunt Hippocratem, qui nihil ignoravit, fermentationem à concoctione diſtinguentem, dum ait, Si quis in fermentatum alimentum novos cibos ingeſſerit, longiori tempore & majori quiete eget, ut concoquatur. Cum igitur viſcerum calor in Nob. hac Muliere adhuc nimis vigeat, non cyhilficationi ſolum, ſed ſanguificationi quoque maxime officere pro certo habendum: eoque magis, cùm hoc tempore menſtruale beneficium deficiat, & ideo ſanguinem vitioſum manere, & nutritionem depravatam reddere neceſſe ſit, unde pallores & virium languores. Verum ſuperſtitem quoque fuiſſe deſtillationem cenſendum, quæ ſicut antea in ventriculum delabens, & in fundo permanens, eidem additis in pyloro & meſaraicis, obſtructionibus, jam enarratos dolores excitabat, lævàm abdominis partem occupantes, juxta fundi ipſius ventriculi ſitum, ita & lienem exhalationibus abundare, non tamen dolorem facientibus, eſt aſſerendum. Cum igitur materiæ catarrhalis non ceſſaverit reproductio, ejuſdem aliquam portionem ad bronchia pulmonum deferri credibile eſt, à qua difficultas anhelitus, quam tamen crediderim ego potius à compreſſione diaphragmatis, ab exhalationibus aſcendentibus excitari: major autem portio facile à capite per venas jugulares ad univerſum corpus deducitur, & primo ſanguinem inquinans, deinde unà cum urina ad renes & veſicam tranſmittitur, & veſicæ collo adhærendo, atque mordicando, urinæ difficultatem cum moleſta Stranguria inducit; ſed adhuc magis credendum, quod ſicut aliqua catarrhalis materiæ portio à capite per laryngem ad vias ſpiritales delabitur, ita multo major quantitas per œſophagum ad ventriculum, ut antea, de-

deferatur, & inde ulterius ad jecur, cum jam aperientibus calidioribus medicamentis reſeratæ & paratæ viæ fuerint, & ita expeditæ, ut ipſi catarrhali materiæ ad vias urinæ iter facile factum fuerit; quæ nonniſi ſalſa & à calore, & ab aliqua bilioſæ ſeroſitatis miſtione eſſe poteſt, ut idcirco urinæ ardorem atque difficultatem neceſſario inducere debeat, ſicque Urinæ ſtranguriosæ, non nephriticę, ſed alia pro aliis fiant, ut dicebat Hipp. & ſubdebat Galenus. Univerſum corpus ab excrementis per urinam expurgari. Nec mirum ab exiguis filamentis depravatum hujuſmodi affectum provenire, dum à ſola urinarum acrimonia non ſolum mingendi difficultatem ob irritamentum, verum & muſculi veſicæ excoriationes & ulcera excitari poſſe obſervavit Galenus idem. Lapidis autem in veſica præſentiam ego prorſus excluderem, quoniam arenulæ excretæ ſubſidentes non præceſſerunt, minuſque calculoſa è renibus in veſicam deſcendiſſe ſuſpicari poſſim. Aſſerere autem quod in veſica inchoari & generari potuerit, authoritati Hipp. & rationi repugnat: ſiquidem ab eodem Hipp. pronunciatum habemus, quod ſupra quadrageſimum ſecundum annum lapis in veſica generari non poſſit, niſi antea in veſica extiterit; & ideo dicebat idem Hipp. calculos in veſica Pueris eſſe familiares: rationem autem reddit Galenus in Commento, quia licet Senes humorem crudum acervent, ratione ætatis, ut Pueri ratione voracitatis, quia tamen calorem fortem reſolventem non habent, ideo calculum in veſica non generant, ad calculum enim in veſica generandum ardens ac fervida debet eſſe veſica, ita enim excalefacta urinam non dimittit, & quod craſſiſſimum ac turbidiſſimum, coacervatur, & dum volvitur, in lapidem concreſcit.

His ita ſe habentibus, ut Nob. Mulieri ſuccurratur, præmiſsâ primarum viarum expiatione, ſecunda intentio erit, viſcerum calorem contemperare; tertia humorum acrimoniam atque ſalſedinem demulcere; quarta pituitoſos ſalſos humores à veſica ad alvum divertere; quinta deſtillationem à pectore revellere & intercipere; ejus verò fontem exiccare, tanquam nimis operoſum, omitto. Hiſque intentionibus ſatis fieri poſſe non diffido; potius de hypochondriacæ affectionis recrudeſcentia non parum dubito.

Remedia autem ſunt depromenda à Chirurgico, Pharmaceutico & Diętetico fonte, quorum aliqua hoc etiam incongruo tempore ſunt adminiſtranda, & alia generoſiora in Vernum tempus differenda.

In præſens ex fonte Chirurgico nulla ſanguinis miſſio eſt deſumenda. Cauteria jam recte fixa, ſunt cuſtodienda, quibus frequentes pedum lotiones ante cibum erunt addendæ. Ex Pharmacia aliqua ſunt in uſum ducenda, quę ſimul valeant & calorem contemperare, & humorum acrimoniam atque ſalſedinem demulcere, necnon ſalſas cruditates à veſica divertere. Quæ omnia præſtare poterit flos caſſiæ ad drachmas ij. ſingulo ſummo mane exhibendus, cui poſt horam ſuperbibat jus tenue endivia & violis alteratum, & duabus vel tribus horis ab aſſumpto jure prandeat. In hujus autem uſu decem aut duodecim diebus perſeveret; mox eodem modo & ordine totidem diebus aſſumat elect. lenit. ſine ſena, ita namque partim diverti poterit ſalſus humor ad alvum, partim demulcebitur portio ad urinam declinans; quo tranſacto tempore, convenire poterit egregium ad ſalſedinem remedium à me pluries expertum, & eſt aqua ſtillat. malvarum ad cyathum, addita unc. ſyrupi de pomis ſimpl. quindecim aut viginti diebus aſſumenda. Quibus non ſufficientibus, in fine Veris erit ineunda Purgatio, ſanguinem rurſus educendo, primò ex Jecoraria, mox ex Saphæna; & primis viis expeditis ſuccis refrigerantibus depuratis & per arenam trajectis, maſſa ſanguinea erit depuranda uſu rhab. non ultra ſemidrachmam in exigua caſſia per plures dies, cui ſuperbibat ſerum deſtillatum. Tandem ad uſum aquæ Nocerianæ, 15. aut 20. diebus propinandæ, erit accedendum; deinde quantitas & qualitas deſtillationis à capite erit diligenter obſervanda: nam ſi qualitate potius acri & ſalsâ peccaverit, uſu lactis aſinini commode corrigi poterit, remedium utique, quod & viſceribus naturalibus, & univerſo corpori non parum proderit. Si vero copioſior obſervata fuerit, lacti aſinino ſubſtituatur potio matutina 15. aut 20. diebus haurienda, ex aqua ſtillat. anguriæ, cujus felices effectus à me pluries experti fuere. Interim catarrhalis deſtillatio ad nares derivanda Errhino ex pulvere majoranæ & ireos parato; & noctu dormiens confectiones Diacodii, vel Diatragachanti frigidi, vel Diapenedii in ore detineat. Et ſemper congruam victus rationem ſervet à Doct. Viro Adſtanti diligenter præſcribendam, cujus prudenti judicio reliqua quoque omnia melius diſponenda relinquo. *Idem ibidem.*

Urinæ difficultas cum ſuſpicione Calculi Veſicæ in Hypochondriaco.

Illuſtriſſimus Vir quadrageſimum primum annum agens, bilioſi temperamenti, & calidi potiſſimum jecoris, graciliſque fere habitus, & facillimæ reſolutionis, ingenii acumine maxime præditus, & egregiam ſedulamque operam Reipublicæ jam diu navans, magnis applicationibus, etiam poſt cibum incumbens, ſex vix horis neceſſario ſomno conceſſis, duodecim abhinc annis, melancholicis prius paſſionibus, ſæva poſtea ac contumaci adeo catharrali ad pectus deſtillatione, atque urinę ſimul difficultate divexatus fuit, ut ad extremam pene maciem devenerit. Hoc ſtatu Matrito Romam profectus, & inde Neapolim, atque ex tribus quæ geſtabat Cauteriis, duobus ſuppreſſis, atque unico ſervato, cœpit melius habere, imminutaque deſtillatione, priſtinas vires naturaleque robur recipere, quod uſque ad hanc diem etiam conſervat. Infeſtat tamen adhuc continuus fere capitis dolor & ardor, levi etiam quandoque, licet raro, febricula comitante, aliunde fortaſſe fomitem, ſive cauſam accipiens, cum naturalia viſcera, obſtructa percipiantur, cum manifeſta arteriæ pulſatione. Quæ mala Medicis quidem auxiliis cedere videntur, brevibus tamen intervallis recurrunt. His acceſſit, proxima Æſtate, repetita urinæ ſuppreſſio per aliquot horas, quæ tandem in moleſtiſſimam frequentiam ac difficultatem tranſiit: crebro enim matulam petit, urinamque exigua quantitate, languidiori impulſu, & nonniſi erecto corpore, & per diverſas ejus motitationes, difficulter ejicit, colore quidem & ſubſtantia modo naturalem, quandoque tamen arenulis rubris, interdum ſuccis phlegmaticis miſtam, cum aliquo pruritu & ardore. Hæc autem difficultas eo magis recrudeſcit, quo magis caput laborat, aliquando etiam cum dorſi lumborumque levi dolore.

His varia ex doctiſſime à Te præſcriptis, remedia adhibuimus, & quidem non ſine profectu: quia tamen moleſtum adhuc capitis gravamen atque ardor excruciant, & frequentior mejendi neceſſitas, anxie rurſus expoſcimus, ut ſtatu Illuſtr. Pat. ex hac relatione exactius cognito, validiora nobis Artis præſidia demonſtres: hoc ſolum innuentes, quod valde calida haud facile tolerantur.

Quamvis quomodo Vir Illuſtriſſimus, arte ne, an ſponte, Cœlum mutans, Cauteria ſupprimens, ab inſigni macie, reſpirationis atque urinæ difficultate, quibus duodecim abhinc annis moleſtabatur, vindicatus jam fuerit, ex relatis non videam; nihilominus quoniam ſtatus, tunc temporis, ejuſdem à nobis conſiderandus, præſens vero curandus; idcirco hypochondriacum affectum cum capitis ardore moleſto, & febriculas quandoque invadentes, atque tandem, quod magis eſt, mingendi difficultatem, examinanda mihi atque curanda, proponam, ut omni Medicæ Artis conatu illuſtr. Viro opem feram.

Quod igitur Vir Illuſtr. hypochondriacus & melancholicus multis abhinc annis fuerit redditus, minime miror, continuis & intenſis applicationibus Reipublicæ conſideratis, quibus ventriculus calore & ſpiritibus depauperatur, dum ad caput trahuntur, & à ventriculo divertuntur, unde neceſſario cruditates emergunt, indeq; in viſceribus obſtructiones, & præterea quoniam portio ſanguinis genita, crudior exiſtit, caput jam à meditationibus debilitatum, à toto quoque ſuſcipit noxam, unde catarrhalis materiæ copioſus proventus, quæ ad pectus delabens, olim ſpirandi difficultatem inducebat: & magna ex parte ad ventriculum & viſcera naturalia præcipitans, maſſam ſanguineam inquinabat; præterquam quod imminutam totius nutritionem reddebat: urinæ vias adinveniens, Stranguriam quoque excitabat, dum non ſolo lentore, ſed ſalſedine quoque, ratione fervidioris jecoris, ſphincteri adhæreſcens, ut in Teneſmo, at citra ulcus, ad frequentem, & ſæpe fere inanem, aut ſaltem valde exiguam mictionem ſollicitabat atq; ſollicitat. Et ſicut ab obſtructionibus viſcerum jam terreis atque melancholicis redditis, ſanguinis portionem ſtagnantem, nec circularem, ſuppono, à quibus, exhalationibus elevatis, & flatuoſum primò, moxque melancholicum affectum cum arteriæ pulſatione, necnon capitis cum gravedine, ardore, modo unicuique noſtrum notiſſimo, procedere non dubito: ſicut febriculas quandoque inordinate invadentes, à jugibus cruditatibus in ventriculo genitis, & circa viſcera effervefactis ac fermentatis, fieri pro certo habeo, ita de cauſa Stranguriæ, ſeu urinæ difficultatis, imo & quandoque Iſchuriæ, & ejuſdem ſuppreſſionis, omnimodam certitudinem me non habere confiteri non pudet, cum præſentis calculi ſuſpicio non deſit: nondum enim quadrageſimum ſecundum annum præteriit, qui ut terminus generationis lapidis in veſica ab Hippocr. pronunciatur. Sed præterea arenulæ in urinis obſervantur, calculi renis, aut veſicæ indicium; quod nobis adaugeretur, ſi Vir Illuſtriſſ. nephriticis doloribus nonnunquam correptus fuiſſet. Et licet frequentis & moleſtæ mictionis manifeſta cauſa non deſit, viſcida nempe illa & cruda materia, quæ frequenter, ſi non ſemper, cum urinis exit, unde urinæ ſtrangurioſæ, non nephriticæ, ſed alia pro aliis, dicebat Hippocr. & ſubdebat Gal. Totum corpus per renes & veſicam expurgari: hæc tamen eadem, præſentis lapidis in veſica, comes eſſe ſolet. Obſervandum itaque, num præter jam dictam viſcidam & lentam materiam, & præter arenulas rubras, materia quoque tartarea & alba in urinarum ſedimento frequenter appareat: hæc namque à veſicæ calculo nunquam ſeparatur; & tandem candela, quinimo & cathetere, ab Artifice perito veſica erit exploranda, ut omni induſtria ad cauſæ veram cognitionem deveniamus, ſicque genuinam Curationem inſtituere valeamus.

Jam dictis omnibus ut occurramus, aliqua etiam hoc importuno tempore adminiſtrari poſſint, ut Æger Illuſtriſſimus facilius ferat moleſtias, nec ad veſicæ ulcus cum virium deperditione & corporis macie deducatur: dum interim opportunum tempus adveniabit: namq; in fine Veris radicitus extirpationem moliri oportebit.

Quare hoc tempore, expiatis primis viis, ſiccæ atque terreæ obſtructiones ſunt Emollientibus, Humectantibus & Aperientibus reſerandæ, & levioribus expurgandæ; Inde materiæ acrimonia atque ſalſedo Epiceraſticis remittenda; Nec obſtabit anni tempus frigidum, cum humores in centro exiſtentes, per centrum quoque, non per circumferentiam corporis, ſint expurgandi: ita enim obſtructionibus imminutis, leviora evadent hypochondriaca ſymptomata, capitiſque moleſtiæ, & præterea mingendi cruciatus nonnihil forſan imminui poterunt: & interim via ad majora parabitur.

Quibus ut ſatisfaciamus, à fonte Chirurgo etiam hoc tempore aliqua erit depromenda ſanguinis miſſio ex ſedalibus venis, hyrudinibus applicitis, tantopere Melancholicis atque Nephriticis ſalutaris. Cauterium jam apertum, erit cuſtodiendum, & perinæo illitiones in uſum quotidianum ducendæ, ex unguento malvino, oleo nenuph. reformato. Reliqua verò à fonte Pharmaceutico deſumenda, Leniens primò exhibendo; deinde quinque diebus, Cremore, tart. ad ℥ß. cum ſaccharo, in jure pullæ corticibus citri alterato, erit materia viſcida in primis viis præparanda, & rurſus Leniente aliquo educenda, ut inde ad aperientia tuto devenire, poſſimus; & eſſe poterunt, ſuccus depur. borag. & pom. dulc. ad ℥ij. in jure malva, intybo, & cich. alterato, in quo diſſoluta ſint gr. XII. tart. vitriolati; in cujus Alterantis & Aperientis uſu inſiſtendum 15. dies, dum in horum intermedio Caſſia cum pilulis de tribus cum rhab. exhiberi poterit, ſuperpræbendo poſt horam ſerum capr. aut aſin. depur. ad ℔. ij. & tribus horis ab aſſumpto ſero prandebit.

Hoc tempore mirabilis foret aqua Tettuciana, aut conſimilis, ad ℔. VI. cum vehiculo dejectorio mellis roſ. ſolut. tribus diebus ſummo mane exhibita, niſi ejus uſus à tenſione & exſiccatione hypochondriorum interdiceretur: ita enim materia cruda, viſcida & lenta à viis urinariis ad alvum divertitur, adeo ut præſentaneum levamen ſequi, pluries expertus ſim: ſicut quam plurimum prodeſſe obſervavi uſum Terebinthinæ noſtræ, non Cypriæ, aqua hordeacea, liquiritia alterata, ſuperepota, idque per hebdomadas, imo per menſem: major enim ex hac à me obſervata fuit utilitas in ſedandis doloribus atque mingendi conatibus, quàm damnum, quod ratio perſuadet, in ducenda materia cruda ad urinæ vias; in quorum tamen omnium adminiſtratione indicatio à juvantibus & lædentibus nunquam deſerenda. Et hæc ſatis in præſens.

At in fine Veris nova erit ineunda primarum viarum expiatio (non omiſſa, unica ſaltem ex Jecoraria ſanguinis miſſione) & obſtructionum reſeratio ſuccis depur. & per arenam trajectis, cich. borag. endiv. in decoct. herbarum refrigerantium & aperientium; per Epicraſim materia benignis Purgantibus erit minoranda, & inde validiora Aperientia uſurpanda, facta infuſione rhabarb. in aq. ſtillat. cich. & agrimoniæ, alternis diebus exhibenda; Diebus vero intermediis, iiſdem aquis grana XII. ſalis tart. fixi diſſolvenda, & ita in potu exhibenda: in quorum uſu ad 20. dies erit perſeverandum; atque tandem rhabarbari, agarici & ſenæ infuſum, addito ſyrupo roſ. ſolut. erit præbendum, cui ſuperbibat ſeri capr. aut aſin. depur. ℔. ij.

His autem peractis, de præſentia, aut abſentia calculi certior fieri debeo, immiſſo Cathetere; namque ſi adfuerit, manuum duntaxat opera curari poterit: frangentibus enim medicamentis fidere, inexperti Medici indicium eſt; Quare Æger ipſe Illuſtriſſ. divina inſpiratione egebit, ut ad inciſionem & lapidis extractionem ſemetipſum committat, dum nobis conſilium hoc dare inhibuerit Hippocr. ipſe. Quod ſi calculus non adfuerit, ad uſum acidularum aquarum alacri animo deveniendum, quibus & hypochondriorum, & jecoris, & renum fervor commoderari, obſtructionum reſiduum reſerari, & humorum acrimonia contemperari poterunt; Quibus omnibus tandem ſuccedat lactis aſinini diuturnus uſus, necnon Balnei aquæ dulcis, malvis, violis, nymphæa, lactuca, foliis ſalicis, alteratæ. De capitis autem deſtillatione ſuperſtite exſiccanda, alio tempore erit cogitandum.

Quibus tandem omnibus congrua victus ratio erit addenda, quæ crudorum humorum reproductionem inhibeat, & reproductos ab urinæ viis ad alvum divertat, quod obtineri poterit aliquo familiari medicamento bis in menſe aſſumpto, à Viro Doctiſſimo & Expertiſſimo præ-

præſcribendo, cui jam dicta omnia, conſideranda & corrigenda quoque committo. *Idem ibidem.*

Urinæ Suppresſio.

Cum in mutilata relatione de Urinæ ſuppreſſione Nobil. Virum per intervalla divexante, principaliora pro Curatione & Præſervatione deſiderentur, nempe cauſarum dignotio, vix quicquam certi ſcribi poteſt; attamen conjecturis quibuſdam aliqua ſub conditione ſcribere audeo, donec plenior ad me perveniat notitia, ut certiorem quoque Præſervationem Nobil. Patienti afferre poſſimus.

Accepi igitur Nobiliſſ. Virum in ætate conſiſtenti conſtitutum, temperamenti calidi & ſicci, gracilis habitus, Ventriculi moleſtiis aliquando obnoxium, & febriculis frequenter correptum, quæ convenienti diætæ & evacuationibus facile cedunt, tandem in urinę ſuppreſſionem incidiſſe, frequenter repetentem. Me tamen latet, num ſequatur alicujus materiæ, aut arenoſæ, aut facilius crudæ & glutinoſæ per urinam excretio, indeque mali ſolutio, & libera mejendi actio, an vero poſt aliquod ſuppreſſionis tempus ſequatur mictio, abſque eo, quod appareat ulla in urina materia: etenim ſi res primo modo ſe habeat, credendum in Ventriculo, forſan privative frigido ab æſtuantibus hypochondriis reddito, juges cruditates produci, quæ ad meſenterium deductæ, & in eodem ſtagnantes, à jecoris & hypochondriorum calore fermententur, & febriles acceſſiones frequenter inducant. Quod ſi contingat ut meſenterium pervadant, & ad jecur tranſeant, una cum ſanguine circulando ad cor pervenientes, per arteriam magnam, & tandem per emulgentes ad renes tranſmittantur: vel, ſecundum Recentiores, per vaſa lymphatica à ciſterna venarum lactearum breviori via ad renes deducantur, eorundem ductus obſtruendo, urinæ ſuppreſſionem inducunt: aut in Veſicam quoque delatæ, urinæ tranſitum impedire poſſunt. Quarum cruditatum præſentiam facile & neceſſario demonſtrare debet earundem exitus, dum ſolvitur urina, & ceſſat ſuppreſſio. Quod ſi nulla ſuccedat & appareat craſſæ materię excretio, calorem excitari in muſculo ſphinctere ſuſpicandum, forſan à fervidiori urina, aut bilioſæ materię miſta: dum enim ſphincter à re aliqua acri, aut calidiori nimis irritatur, atque mordetur, ad nimiam conſtrictionem cogitur, quam ſuſtinet atque conſervat, donec aut remittatur ipſe fervor, aut muſculus ipſe mordicationi aſſuefactus, & à neceſſitate coactus, quantitati ipſius urinæ cedens, quodammodo laxetur, aperiatur, & tranſitum ipſi urinę permittat. In tali vero naturali diſpoſitione ſervatur, donec nova materia bilioſa urinæ aſſocietur, & ad urinam rurſus deferatur. Utrumque caſum non ſemel in praxi ego obſervavi, & congruis remediis Patientes non ſolum curavi, ſed, quod magis eſt, prȩſervavi.

Etenim pro Curatione primi caſus, Clyſtere primum, mox etiam leniente medicamento præmiſſo, ad validiora diuretica devenio, qualia ſunt aqua Ononidis, vel cum ſpiritu ſalis, vel cum ſpiritu tart. rectif. & alchalizato. Pariter efficaciſſimus fuit à me expertus ſal tart. fixus, in aqua parietariæ, addito ſyrupo de ſucco limonum: ſicut efficaciſſima eſt quoque quinta eſſentia cryſtalli, reliquis incaſſum tentatis, eaque diſſoluta in jure, parietaria, petroſelino, radic. apii & fœniculi alterato; non omittendo eodem tempore fomenta affectæ parti ſpongia magna apponenda, ex decoct. fol. malv. pariet. melil. chamæmeli, radic. raph. altheæ, lil. alb. liquiritiæ, ſem. fœniculi, lini & fœnugræci; à quorum remotione, illinienda pars oleis, amygd. aneth. & de ſcorpionibus.

Pro Curatione vero ſecundi, præmiſſo blando Clyſtere ex lacte, butyro & ſyrupo roſ. ſolutivo, quinimo & medicamento leniente, Emulſio ſem. melonum, cum aqua malv. vel cum ſero capr. aut aſinino deſtill. extracta, addito ſyrupo de ibiſco, vel violaceo, congruentiſſima eſſe ſolet. Et interim ſemicupium aquæ dulcis ſtatim parandum, alteratæ foliis malv. violarum, parietariæ, & ſalicis, in quo tepido ſedeat Nob. Patiens per horam; à Balneo vero fiat copioſa inunctio, imo affuſio regioni ipſius veſicę, oleo amygdal. & violaceo; vel illiniantur partes illæ omnes unguento malvino, cui ſuperapponatur petia jam dictis oleis, vel lacte tapido imbuta; repetendæ autem erunt tum Emulſiones, tum Balnea, bis in die.

Sed Præſervatio aptior & neceſſaria mihi magis videtur, quæ in primo caſu conſiſtit in inhibenda materię crudæ regeneratione: quod conſequi quoniam difficillimum foret, ideo ſicut reproducitur; ita per intervalla ad alvum ducenda & educenda, ne adeo frequenter febriculę ingruant; aut ad vias urinarias ducatur.

Idque conſequi nos poſſe ſpero, dum Nob. Patiens tum in convenienti vivendi ratione inſiſtat, tum pauca hæc, ſed meliora & faciliora à me propoſita exequatur.

Congruam victus rationem, cruditatibus adverſantem; Excellentiſſimo Medico Adſtanti præſcribendam relinquo, & aliqua tantum ventriculum roborantia in uſum ducenda propono, nempe tria grana maſtich. integra ante prandii aſſumptionem frequenter devoranda; & ſal abſinthii ad ℈i. ſub cœnam in exiguo vino diſſolutum, hauriendum; quandoque ſtatim à cœna rotula; ſive Confectio, ex oleo legitimo cinnam. parata, ſaccharum cum aqua cinnam. aut florum citri diſſolvendo, aptiſſima quoque erit.

Secundę intentioni ſatisfaciendum aliquo familiari medicamento ſtomacho non officiente, quale eſſe poterit pilula maſticina, bis in menſe, continuato triduo, ſub cœnam ad ℨß. ſumpta, cui addi poſſet Extractum mechoac. ad gr. x. quibus, ſi forſan non ſuccedat ob corporis gracilitatem & ſiccitatem optata evacuatio, ſubſtitui poterit Extractum Lenitivi ad ℨij. addito pariter mechoac. Extracto: ita namque cruditates nec in primis viis corrumpi poterunt, ſicque neque febriculas excitare: & per alvum evacuatæ, urinarios meatus obſtruere nequibunt.

Pro Præſervatione autem ab altera cauſa, expiatis primis viis, bilioſa materia erit expurganda, & jecoris fervor contemperandus. Quare rhabarbari uſus facile opportunus eſſe poterit, cujus calor ut moderetur, Caſſię miſceri poterit ita.

℞. Rhabarb. opt. ℨß. Flor. caſſ. ℨ.ij. m. f. boli quatuor horis ante cibum aſſumendi: ſed poſt horam à bolis aſſumptis ſuperbibat cyathum aquæ ſtillat. de ſucco cichorii; quod medicamentum quotidie ſumi poterit per decem dies. Quod ſi forte rhabarbari uſum non toleret Nob. Patiens, tertio quoque die ter repetat electuarium de ſucco roſarum ad ℨij. flori caſſiæ miſtum, cui ſuperbibat pariter aquam cichorii jam præſcriptam, vel hordeaceam: & diebus intermediis cyathum bibat aquæ refrigerantis, aut cichorii, aut endiviæ, cum Julapio violac. aut roſarum ſimplici. Inde ad jecoris calidam intemperiem remittendam, eadem aqua ſtillat. de ſucco cich. uti poterit ad ℔. 1. addita ſyrupi de ſucco limonum uncia, vel ſalis prunellæ drachma, in cujus uſu 15. aut 20. diebus perſeveret; & interim extrinſecus jecoris regioni Epithema apponatur ex ſucco limonum, exigua quoque aceti roſati portione addita.

Quibus congrua erit injungenda victus ratio, pariter ab Excell. Viro Adſtanti præſcribenda: cui cætera quoque conſideranda & melius dirigenda libenter relinquo, pro Præſervatione Viri Nobiliſſimi, quam à Deo Opt. Max. enixe precor. *Idem ibidem.*

Obſervationes.

Pro Iſchuria.

℞. Aq. malv. ℥iv. ſpirit. terebinth. ℈ß. M. exhibe: poſtea paravi balneum; in quo inſideret, ex aq. dulci tepida in qua incoxerint parietaria chamæm. parthenium, beton. apium & petroſel. addito oleo communi, antequam balneum ingrederetur, dedimus alterum diureticum cum ex aq. cortic. fabar. ℥iv. cum gr. VIII. ſpir. vitrioli: ſequenti die ſuccum raphani exhibui ad ℥iv. quem evomuit: ſerò verò aquam capill. ven. ad ℥iv. cum gr. VI. ol. camphoræ. *Roderius à Fonſeca. Tom.* I. *conſult.* 87.

Mirabile eſt hoc experimentum, quo uſus eſt quidam ex iſchuria in lecto decumbens adeo vehementi, ut quinque diebus urina ſupreſſa maneret, qui cum nullis remediis curari poſſet, tandem duas treſve ſquibalas fimi equini ponderantes ℥ ij. cum vino calido rhenano colabat per pannum lineum, quam colaturam una doſi, cum fruſtra multa tentaſſet remedia, ſumebat, & ex incontinenti mingebat: alius etiam cum laboraret ex calculo, & omnimoda urinæ ſuppreſſione, idque per plures dies, eandem potionem ſumens, ſtatim miraculi inſtar lotium excrevit, & convaluit: fœliciter etiam idem medicamentum tertio ceſſit. *Petrus Foreſtus, Schol. obſerv.* 19. *lib.* 25. *De veſicæ morbis.*

Pharmacopœus quidam Pariſienſis iſchuria laborans, poſt multa remedia quatuor dies fruſtra uſurpata, ſequens ſibi ipſi compoſuit, à quo urina provocata eſt, & liberatus fuit:

℞. Vini alb. canarini ℥iv. ſucc. limon. ℥i. ſpiritus terebinth. ʒij. pro uno hauſtu. *Samuel Formius, obſerv.* 42.

Efficax remedium ad iſchuriam expertus ſum in tribus ægrotantibus ex cerebro picæ exſiccato & cum vino albo propinato, intra horam urinæ fluxus promovetur. *Samuel Formius, obſerv.* 33.

Devenimus ad pulv. unius cantharid. integræ cum pulv. pellis leporis combuſtæ: ſed res è voto non ſucceſſit. *Epiphanius Ferdinandus, hiſtor.* 97.

Poſt mitiorum uſum exhiberem gr. ij. cantharidum cum ℥ij. ol. amygd. amar. *Chriſtoph. Guarinonius, conſult.* 238.

Mercator quidam ab octiduo ſtagnantem urinam paſſus, jam morti vicinus, diureticum ſumpſit è ſucco millepedum & ſucco conchyliorum nigrorum, cui granum unum cantharid. incoxerat, integro hauſtu bibitum. *Joh. Helmontius, tract. cui tit. De Lithiaſi.*

Pro Urinæ ſuppresſione ex calculo renum.

Per tres quatuorve dies lotium non reddiderat mulier quædam renum calculo laborans; cum hæc remedia ſequentia adhibuiſſem, miraculi inſtar urinam reddidit, & curata fuit:

℞. Parietar. virid. M. iv. cum butyro fricta pectini cataplaſmatis inſtar calidè imponatur.

℞. Cheræfol. malv. parietar. an. M. J. ſem. alth. malv. an. ʒiß. cicer. rub. ℥ij. ſem. quatuor. frigid. maj. an. ʒ j. hord. mund. p. j. ſebeſt. rec. num. 9. caric. num. v. liquir. raſ. ℥ß. coq. in ℔iij. aquæ ad conſumptionem medietatis: colaturam continuò bibens, his remediis curata fuit Mulier quædam gravida, quæ in octavo menſe adeo calculo fuit affecta, ut mingere non potuerit; his autem remediis non tantum lotium reddidit, ſed & calculos duos ad piſi magnitudinem, neque fætui obfuerant remedia, nam nono menſe abſoluto feliciter peperit. *Petrus Foreſtus, obſerv.* 25. *lib.* 24. *De renum morbis.*

Cuidam mercatori urinæ retentione laboranti ex calculo ureterem obſtruente, hoc decoctum ſequens exhibui, quod licet ſecretum ſit & arcanum, ut vocant, nunc quidem reticere nolo, ob communem ægrotantium utilitatem, tale igitur eſt:

℞. Sem. malv. alth. an. ʒiij. cicer. rub. ℥iij. ſem. quatuor frigid. maj. an. ʒij. hord. mund. ℥ij. caric. ping. n. 9. ſebeſt. n. 7. liquir. raſ. ʒvi. F. decoctio in ℔iv. aq. pluvial. ad medietat. conſumptionem, colatura uſui reſervetur, qua continuo utens calculum ſemper excrevit, & urina copioſiſſime effluxit; eſt hoc decoctum lubricans ſimul & emolliens, & urinam provocans; hoc modo alii ſimili caſu laborantes in hunc modum ſemper curati fuere, primo injecto clyſtere emolliente, deinde fomentis & linimentis emollientibus, dolorem ſedantibus, & renem ac ureterem relaxantibus, poſtea decocto noſtro cum ficubus, cicere & aliis, ultimo purgatione ex caſſia adhibita. *Petrus Foreſtus, obſerv.* 29. *lib.* 24.

Pro urinæ retentione.

Ruſticus quidam decem diebus urinæ ſuppreſſione laborabat, pro illo conſultus, hoc Medicamentum præſcribo:

℞. Rad. fænic. liquir. raſ. an. ℥ß. parietar. malv. viol. agrimon. ſummitat. ribes nigræ, an. M j. ſem. aniſ. ʒiß. uvar. paſſar. exacin. p. j. fol. ſen. ℥j. gran. alkikengi. num. v. F. decoctio in ℔iij. ſeri lactis ad Medietatem; bis in die ſumebat ex hoc decocto, regionem veſicæ tum pectinem inungebat ol. amygd. d. poſtea adjecto oleo ſcorpion. etiam impoſito hoc cataplaſmate:

℞. Parietar. malv. chæreſol. fl. chamæm. an. M. j. cumini. pulv. ʒj. Rad. alth. ℥iß. coq. in exigua aqua ad mollitudinem, piſtentur, addendo butyr. rec. ℥ij. ol. ſcorpion. ℥i. M. ex decocto, cum ſumpſiſſet, alvus ei ſoluta eſt, & cataplaſmate continuò impoſito, tandem minxit lotium copioſum. Multa ſunt, quæ lotium provocant, ſed præcipuè folia ribes nigræ, licet aliquando vehemens ſit, ut ſanguinem ſimul cum lotio educat, ut in hoc ruſtico evenit. *Petrus Foreſtus, obſerv.* 18. *& ſchol. lib.* 25.

Pro urinæ difficultate cum dolore circa pubem in muliere quinto die partus. Cum fruſtra multa remedia eſſent tentata, accitus fui: hoc ſequens cataplaſma pectini appoſui, quo appoſito, incantamenti inſtar, cum eandem pro deplorata haberent, lotium liberè reddidit, & ab eo dolore, qui pubem exercebat, fuit liberata.

℞. Parietar. M. ij. Chęrefol. Miß. inciſa ad mollitudinem decoq. add. butyr. rec. ℥ij. Ol. ſcorpion. ℥iß. calide pectini applicetur, ita profuit, ut nullis aliis remediis opus fuerit, ſuſpicabar malum ex frigore contractum, ſola ſæpè parietaria cum oleo ſcorpion inſtar emplaſtri pectini appoſita (quod experimentum præceptoris mei *Elidæi* erat) profuit, & me raro fefellit, etiam ubi obſtructio eſſet ab humoribus craſſioribus, præcedente tamen clyſtere emolliente. *Idem obſerv.* 8. *lib.* 25.

Pro urinæ ſuppreſſione in puero.

℞. Parietar. oleo frixam, & eam calidam ad pectinem ſuperimpone vel inter anum & pudenda, urinam enim ciet. Vel cæpam excavatam accipe, in quam infunde oleum anethinum vel commune, & ad cineres calidos, quoad tabeſcat, finito, & piſtam calidam ſupra prædicta loca imponito; aliorum ac cæparum reſtis minutim cæſa, & oleo, frixa ac admota juvat; oleum lilinum idem præſtat, ſed puer hic, quum multa eſſent tentata, ex oleo ſcorpion inunctus multa minxit, & liber evaſit; radix meu oleo cocta, & pectini applicita, urinam pueris unicè provocat. *Amatus Luſitanus, curat.* 10. *cent.* 4.

Subſequens

Subſequens emulſio in ſuppreſſione urinæ ultra ſeptimum diem ad miraculum uſque exeruit ſuas vires in muliere quadam, & eſt ſecretum Divi Maximiliani, excrevit calculos ultra mille & quingentos, & aliquot menſuras urinæ.

℞. Sem. viol. purpur. ℥ß. cum aq. veronic. q. ſ. F. emulſio. *Carolus Oslevius* Epiſt. antepenult. lib. 3. Epiſt. & conſil. *Cratonis*, *&c.*

Pro urinæ interceptione & difficultate, laudo ego hunc pulverem.

℞. Nucleor Perſic. ceraſor. an. ℥ij. ſem. dauci, ſiler. montan. an. ʒ vi. ſem. fœnic. d. aniſ. liquir. an. ℥ß. artemiſ. ℥j. ſacch. albiſſ. ad pondus omnium. F. pulvis ſubtiliſſ. capiat cochl. j. in vino albo tenui: in eo caſu maximè etiam laudo amygdalas amaras, vel iis meliores nucleos perſicos comeſtos: item pulviſculum virgę aureæ vel artemiſ. vel calam. aromat. quem velim cum vino albo tenui abſorberi ʒi. vel ʒij. pondere, mirum quam ſint ex uſu hi pulveres, ſi in frequentem uſum adhibeantur, vel ſimplices vel mixti. *Reinerus Solenander, conſil.* 18. *ſect.* 1.

℞. Sem. raphan. geniſt. an. ℥iij. ſem. bardan. ʒij. croci ℈ß. ſacch. ℥iß. F. pulvis: detur una pars manè jejuno ventriculo ex vino albo, altera pars veſperi ante cibum. Inter ea quæ admoventur tria maximi valoris mihi magnoperè probantur. Primum ſanguis vulpis calidus renibus illitus; alterum oleum ſcorpion. cum minima cantharidum in pulv. redactarum portiuncula pariter illitum: tertium eſt quod.

℞. Succ. cepæ. petroſel. apii, fænic. an. ℥iv. cum mica panis. F. cataplaſma pro renibus. *Joh. Zecchius, conſult.* 30.

℞. Aqu. veronic. parietar. an. ℥ij. Syrup. de alth. ℥i. M. F. Julepus; add. ol. ſuccin. gt. v. exhibe dimidiam partem circa veſperam, alteram mane; repetatur hic clyſter alternis diebus.

℞. Rad. malv. alth. an. ℥i. fol. malv. pariet. heder. terreſtr. an. M. j. flor. chamæm. melil. an. p. j. ſem. fænic. aniſ. carvi. an. ʒij. F. decoctio in colat. ℔ j. diſſolv. bened. laxat. ℥ß. mell. viol. ℥j. ol. amygd. d. chamæm. an. ℥i. ſalis ℈ij. F. enema. cum iiſdem, herbis aucta quantitate fiat inſeſſus. *Joh. Petrus Lotichius, obſervat.* 11. *cap.* 3. *lib.* 4.

℞. Parietar. rec. M. iv. decoq. ad cataplaſmatis conſiſtentiam, adde ol. lil. alb. ℥ij. ol. ſcorpion. ℥i. F. cataplaſma, id linteo duplicato densè inductum calide ſumini applicetur, cum admiratione illico lotium provocatum quoties admotum, quaſi affixa cucurbitula ſenſit urinæ attractionem. *Auguſtinus Thonerus, obſerv.* 10. *lib.* 1.

Hoc decoctum præſcripſi.

℞. Rad. liquir. ℥i. paſſul. ℥iß. Rad. ononid. ℥ß. cicer. rub. p. j. fol. malv. parietar. an. M. j. flor. chamæm. p. i. F. decoctio, dulcoretur addito ſacch. & bibat, inſeſſione quoque ex decocto malv. parietar. chamæm. tepide utatur, his factis urinam denuo reddidit & dolor circa veſicæ regionem quievit. *Felix Platerus, obſerv. lib.* 2. *pag.* 280.

Ad mictionem provocandam quæ mirè angebat, bibit juſculum ſequens.

℞. Circer. rubr. p. j. rad. aſparag. petroſel. an. ℥i. ſem. melon. ℥ß. Coq. addito butyro, bibat, ſub veſperam copiosè minxit urinam, ceſſante iterum mictione dedi hanc potionem.

℞. Sem. naſturt. ʒß. Aq. parietar. ℥i. Julepi viol. ℥ß. bibat, & repetat decoctum cicerum, quibus factis immenſam denuò urinæ copiam ut prius minxit ſine recidiva. *Felix Platerus, obſerv. lib.* 2. *pag.* 359.

Viro cuidam nobili certis temporibus circiter biduum vel triduum ſupprimebatur urina, adeo ut nullam reddere poterat; tuncque dolorem & in renibus gravem, & diſtendentem in veſica ſentiebat, donec urina impetu quodam rursùm proſiliret, copioſa, eaque turbida, in qua ſubſidente, vel colata per pannum, pus & mucus bona quantitate deprehendebantur. Exiſtimavi renum, & pręſertim dextri, in quo latere magis dolebat, aliquam exulcerationem eſſe, à qua pus in renibus coacervatum, mucumq; urinæ in ureteres influxum, tamdiu impedire, donec loco cederet, & cum urina elueretur; metuebam etiam ne calculus quoque aliquis ſubſit, qui in renum ſubſtantia genitus, auctus diuque retentus, illic ſedem fixerit: remediis meis uſus rarius & mitius hoc affectu laboravit, inter quę hęc plerumque profuerunt, quando paroxyſmus ille eum invadebat, inſeſſione in balneo utebatur ex decocto relaxantium & anodynorum ſimplicium parato.

Bibebat de hoc diluto terebinth. una vice ad ℥iß. quod & ſi illi non ſaperet, quia tamen mictio inde mox ſequebatur, obtemperabat.

℞. Reſin. laricea vel abietin. puriſſ. & limpidæ ℥ß. vitell. unius ovi, mell. ℥i. agitentur probè in mortario marmor. donec albeſcat & diſſolvat lactis cremoris inſtar: poſtea adde vin. alb. opt. aq. parietar. & fl. fabar. an. ℥iß. ſyr. limon. vel acetoſ. citri. ℥i. agitentur denuò, ut amplius liqueſcat. ſervetur ad uſum ex terebinth. vera cypria pilulas parari curavi hoc pacto.

℞. Terebinth. veræ ℥ß. ſacch. cand. ʒii. ſyr. de limon. q. ſ. F. maſſa, de qua capiat ʒi. pro vice hebdomadatim, vel ſi malit in pulvere uti, ejus ʒi. bibat cum vino: paroxyſmo interdum adveniente bibit ſequens decoctum, uti & alio tempore frequenter.

℞. Cier. rubr. p. j. maceratorum aliquandiu antequam decoquerentur, in aq. rad. fœnic. petroſ. & aſparag. rec. vel turionum illius recentium cum pullularent, an. parum. F. decoctio. adde ol. amygd. d. rec. expr. ʒvi. ſalis tantillum pro uno hauſtu. Quando dolor immenſus erat, ut nulla eſſet quies, egoque vocatus adeſſem, ad narcotica progreſſus, quibus prius non erat uſus, cum & ſomnus obreperet, atque levamen ſentiret, mirè laudabat; quæ tamen non niſi neceſſitate urgente ſumma, illi exhibebam, per pilulas ejuſmodi.

℞. Pulv. troch. alkikengi ſine opio ʒii. opii ʒß. contriti diligentiſſimè cum ʒi. ſacch. candi. cum ſyr. de liquirit. F. maſſa Detur pilula ℈i. pondere, vel paulo plus prout operabitur. Hiſce potiſſimum remediis, quę abſtergendo obſtructiones ſolvebant, urinam promovebant, dolorem mulcebant, multos annos ſublevatus fuit: donec thermas Cellenſes adire volens, cum itineri accinctus eſſet, apoplexia ſubitò correptus expiravit. *Felix Platerus, obſerv. lib.* 3. *pag.* 813.

Fotus admotus reni & ureteri, mox inunctio ex oleo Scorpionum & amygd. d. tum etiam cataplaſma ex fęce decocti emollientis cum cepis coctis ſub cineribus: eodemque tempore exhibitus julepus ſequens.

℞. Succ. parietar. & fœnicul. marin. an. ℥iß. ſucc. limon. & ol. amygd. d. rec. an. ℥i. M. F. julepus, pro una doſi: intra horam ab aſſumpto julepo, copiosè minxit & liberatus eſt. Ad ſigillum curationis ſumpſit poſtridie mane bolum ex caſſia, rheo, & cremore tartari. *Lazarus Riverius, obſ.* 29. *cent.* 2.

Nobilis quidam diebus æſtivis calidiſſimis Lutetia Monſpelium veniens, multoque potu ad ſitim extinguendam ſeſe ingurgitans, quatuor à reditu ſuo diebus incidit in omnimodam urinæ ſuppreſſionem. Uſitatis remediis per triduum uſurpatis nihil conferentibus, tandem ego vocor, & prædictorum relationem audiens, quęro num dolorem aliquem in lumbis aut pube æger perciperet, aut aliàs nephriticis affectibus obnoxius fuiſſet, ille ſe nullo dictarum partium dolore affici, neque unquam dolores nephriticos paſſum eſſe conſtanter affirmavit: quibus omnibus diligenter perpenſis, cenſui hanc urinę ſuppreſſionem à nullo renum aut veſicæ vitio dependere, ſed potius ab obſtructione venarum emulgen-

emulgentium, quam humorum multitudo pepererat. Siquidem Gal. libr. 10. method. cap. 2. duplicem obſtructionis cauſam ſtatuit, humorum ſcilicet multitudinem, & eorum craſſitiem: ratione multitudinis vaſa nimium repleta & diſtenta, non poſſunt ſeſe contrahere ad expulſionem, quod manifeſte in veſica, quæ à diuturniore urinæ retentione prætermodum diſtenta, difficillimè interdum urinam excernit, propter contractionis defectum. Huic ſententiæ inhęrens, phlebotomiam propoſui larga manu celebrandam, ad ſolvendam venarum plenitudinem, cui cum acquieviſſet Medicus ordinarius, extracta fuit ſanguinis ℔i. at vix hora elapſa à venęſectione, ſenſit æger profluentem urinam à renibus ad veſicam per ureteres, & ſe brevi eam redditurum profeſſus eſt; ac paulò poſt matulam petiit, quę cum unica mictione repleretur, alia vaſa fuerunt afferenda, ita ut intra horæ ſpatium plures urinæ libras excreverit. Sicque omninò liberatus eſt, neque ſumere voluit purgans medicamentum quod in craſtinum ipſi fuerat præſcriptum. *Lazarus Riverius obſerv.* 1. *cent.* 1.

Jo. Dominicus Sala qui ætatem inter experimenta conſumpſerat, ſemel omni vitæ ſpatio ſe urinam quindecim diebus in viro ſuppreſſam vidiſſe monuit, venis ad pollicis amplitudinem intumeſcentibus, quę fluente denuo urina in ſtatum naturalem rediere. Secus urinam ſupra quinque vel ſex dies nunquam meminerat retentam. *Joh. Rhodius*, *obſerv.* 28. *cent.* 3.

Nicolaus Treviſanus Medicinæ Theoreticæ Profeſſor, jam ætate confectus à veſicæ calculo urinæ vexabatur ſuppreſſione. Jacobi Zabarellæ tunc Profeſſoris Medici munere atque conſilio, quum lapidem nephriticum brachio aptaſſet; calculum excrevit: nec quicquam ex eo percepit incommodi, poſtquam ipſum perpetuò circumferret. Eandem ejus efficaciam Jo. And. Schogargus celebris Medicus Patavii in agricola eſt expertus, qui urina retenta dum valde torqueretur, lapide iſto coxæ interiori admoto; ea protinus effluxit. *Joh. Rhodius*, *obſerv.* 30. *cent.* 3.

Lapis Nephriticus maximè laudatus ex Nova Hiſpania defertur, praſſio lapidi ſimilis, qui ad viridem colorem lacteo permixtum tendit, præfertur viridior: ejus præcipua laus eſt ad nephriticos dolores, tum ad calculum expellendum & arenulas. Nobilis mihi notus unum habet, cui nullum alium comparandum vidi; nam eum brachio geſtans, tanta arenularum quantitate liberatur, ut metuens ne noxia ſit tanta ejectio, interdum illum deponat, nullumque tum amplius calculum ejicit: ſed dolore premente denuò eum geſtans, ſtatim levatur aut minuitur dolor, multarum arenularum, atque etiam calculorum expulſione. Ea etiam occulta facultate præditus eſt, ut ab ejuſmodi dolore præſervet geſtatus, renum calorem mitigando. Duciſſa Bejar ter brevi temporis intervallo nephriticis doloribus afflicta, armillam ex eo lapide ſibi confecit, quam perpetuò geſtat; ex illo tempore (quod decennium ſuperat) eo dolore nunquam vexata eſt *Nicol. Monardes. lib. De ſimpl. Medicam. ex novo Orbe delatis.*

Pro Urinæ incontinentia.

Urina infantium (ut refert Benedictus Vermenſis) muribus elixis in cibo datis cohibetur. Ego hoc expertum novi à quibuſdam mulierculis Delphenſibus, quę pueris elixos mures commodè dederint. *Petrus Foreſtus, ſchol. obſ.* 22. *lib.* 25. *De Veſicæ morbis.* Legatur *Obſervatio* 22.

Malmundarium anno 1608. vocatus, hydropicam anum curaturus, immanem ex remota platea ejulatum audio, ſciſcitor quid eſſet, ducor ad juvenem primiparam, cui inepta obſtetrix veſicam laceraverat, ut ne momento urinam contineret. Unde jugi ſtillicidio excoriata primum cutis labiorum pudendi; moxque tot ibi verrucæ, ſed molles, natæ, ut putem nullius duas manuum volas capere illas potuiſſe; utraque nates ad os ferè eodem lotio exeſa. Juſſi Leodium illam vehi cupidiſſimus curam illam tentandi, reclamante Socero meo Ryctio Medico Doctiſſimo, ut primùm operi me accinxi, informem illam & prægrandem verrucarum molem, magmate illo ex ſtibio crudo & ſublimato æqualiter mixtis, unde butyrum antimonii deſtillant, densè oblevi: qua ſæpius deraſa, die tandem tertio, labia pudendi altiſſimè ſepulta primum ſe aperuere, & clunium putris caro exeſa vel exciſa ſpem boni ſucceſſus fecit: ut primùm diductis labiis Sphincterem veſicæ obſervare potui, ſiphonem argenteum concinnavi, cujus partem breviorem veſicæ immittebam, longiori autem & quatuor latos digitos extanti lagenam alligabam. Hoc modo urina alio derivata, ulceribus ad cicatricem ductis, ſana ſibi viſa, maritum, cum quo biennio non conſueverat, decimo nono poſtquam Leodium venit die, ad ſe vocat, à quo, cum ipſam artem reponendi ſiphonem neceſſariò auferendum in amplexibus docuiſſem, iterum gravida fœlicius peperit: cæterum urinæ jugi ſtillicidio cum multa adhibuiſſem fruſtra, dimiſi hoc uno lætam, quod omni dolore ſoluta moleſtam vitam ob lagenæ pondus commodius traheret. Tandem alia occaſione Malmundarium revocatus, lætisſimam offendi, unaque ſiphonem argenteum offerentem; jam inquit aliquot menſes hujus adminiculo non egui, tibi fortè uſui aliquando erit. Stupente me, quomodo urinæ illa incontinentia liberari potuiſſet, oſtendit mihi ſacculum collo appenſum, in quo erat pulvis bufonis vivi in nova olla uſti. Hoc à cingaro ſe edoctam, ab ejus uſu nihilo ſecius urinam ſe continere, quam ante lacerationem. Leodium reverſus, hoc ſecretum nunquam mihi lectum vel auditum in alio experiendum duxi. Appendi itaque collo Mercatoris cujuſdam eadem incontinentia ob male ſectum calculum, vexati, mirum dictu, etiam hic ſtatim perſanatus fuit. Aliam periculum hujus faciendi occaſionem quamvis curioſè quęſiverim reperire non potui. *Henricus ab Heers*, *obſerv.* 14. *lib.* 1.

Uſus catechu in Urinæ Profluvio continuo.

Magnifici viri filiola 2. annorum, ab incunabulis ſolam aquam bibens, à Cereviſia vinoque penitus abhorrens, ante biennium Urinæ quadam incontinentia laborabat, urina ſæpius urgente & fluente, cum dolore & intertigine pudendorum. Dedi pro lenienda, temperanda, & ad naturalem ſtatum reducenda excretione:

℞. Rad. alth. præp. ℥ii. troch. alkek. c. op. ℥i. Sacch. ad p. o. M. F. Pulv. S. *Lindpulver.* 2. malvat. juniperinum, cum ſpiritu nephritico factum, & Anodynis temperatum, de quo aliàs. 3. Ad Umbilicum Ol. cer. ſuccin. cum aliis calefacientibus remixta. 4. pro intertigine pudendorum.

℞. Ung. roſ. ℥ß. nihil. alb. ſacch. ſaturn. per præcipita. ʒß. ol. momord. parum, m. præter inſpergenda ſicciora. 5. balneum ordinavi ex lenientibus & conſolidantibus, malv. biſmalv. roſ. rub. Chamęm. &c. Sed omnia hæc in ſimilibus affectibus prodeſſe ſolita levi effectu ſe commendabant, indies magis producto affectu. Cum igitur majori adſtrictione opus eſſe videretur, pro Renum laxo tono roborando, dedi tandem Catechu præp. aliquot doſes, in aqua pro potu miſcendas, unde diuturnum & obſtinatum malum opinione & parentum & Medici ipſius citiùs ceſſit.

Eundem in finem, in ſimillimo, ſed graviori caſu, ubi nempe præter memorata, in locis intertriginoſis vermes generarentur & apparerent moleſtisſimi, idem medicamentum ceu divinum auxilium adhibuit D. D. Weitzius, Amicus & Collega honoratisſimus. *G. Wolfg. Wedelius.*

De

De Urinæ incontinentia à caſu ab Alto.

Vir quidam fermè ſeptuagenarius per plurimos annos intemperatè vivens, cum ab alto novem circiter cubitorum, non ſine magna lumborum & nervorum contuſione in terram reſupinus decidiſſet, eadem die involuntaria urinę mictione afficitur, adeò ut ne minimam urinę quantitatem in veſica retinere poſſet, ob nervos veſicæ cervicis læſos & relaxatos. Quantumvis autem varia ſelectiora, ad moleſtum affectum hunc depellendum, diu in uſum adhiberentur remedia, tàm externa, quàm interna, attritos præprimis ac laxatos nervos reſpicientia ac roborantia, optatus tamen effectus non ſequebatur, ob ætatem procul dubio provectiorem; corporiſque vires ab immodica victus ratione, jam longo temporis ſpatio continuata, fractas & imbecilliores redditas. Cum autem nihilominus in publicum prodire anxiè deſideraret, precibus inſtitit, ut in tantis anguſtiis ipſi ſuppetias ferrem. De auxilio cogitanti incidit mihi Cl. Hildani inſtrumentum cent. 6. obſ. 55. deſcriptum, ex ſtanno conflatum, ſuperiori parte circa coxendicem duplicata tela annectendum, quo urina inter deambudum aptè colligitur, quam tam benè recipit ac continet, ut ne guttula quidem deperdatur. Hoc jam inſtrumento munitus ſenex non ſolùm in publicum prodit, verùm etiam conſueto munere fungitur. Tametſi autem Amatus Luſitanus cent. 2. curat. 11. & Benivenius Florentinus de abditis morbor. cauſis cap. 93. de urinæ incontinentia ex caſu, medicamentis ultimam ſpinæ vertebram ac laxatos nervos roborantibus curata, mentionem faciant; illius tamen ægrotus fuit juvenis, corpore robuſto & bona temperatura præditus, hujus verò ſenectus adhuc vegeta & viribus pollens, adeoque ambo ad curationem longe habiliores. *Alphonſi Rhonii.*

De Urinæ incontinentia.

Quondam etiam nimio præceps urina fluento
Irrigat exuvias, obſcœnoqne inficit imbri.
Ergo cinis cornu cervini proderit hauſtus,
Vel nepetæ ex vino tritum vel lacte capellæ.

Ita quidem Serenus Sam. cap. de veſicæ & urinæ vitiis; Sed Polyhiſtor Plinius aliud huic malo remedium opponit: Urina infantium (inquit lib 30. Nat. hiſt. cap. 15.) cohibetur muribus elixis in cibo datis: Sed alter noſter & Germaniæ Plinius, Conrad. Geſnerus, ex neſcio qua Sereni editione in hiſt. anim. vivipar. cap. de mure, p. m. 721. paulò aliter licet in eundem finem ſubſcribit, ſi urina præter voluntatem vel nimium fluat, cinis prodeſt (hauſto nepetæ ſucco.)

Ex vino muris tritus, vel lacte capellæ.

Quot aliàs paſſim proſtent ad ejuſmodi malum tollendum ſpecifica remedia, jam inter omnes conſtat, & vel unica illa Nobiliſſimi noſtri Pegaſi obſervatio, Anno Ephemerid. ſecundo inſerta, hujus rei teſtis ſat locuplex. Ego ex antiquatis unum proferam novo ſchemate veſtitum. Virgo quædam nubilis conſtitutionis phlegmaticæ & vitæ ſedentariæ, ac diætæ minus convenienti dedita, ab ineunte ætate & jam adultior, urinæ incontinentia diu noctuque graviſſime affligitur, & licet variis remediorum generibus, & inter illa ſuillo quoque pudendo varie præparato ſæpè multumque uteretur, eoque nomine non tam ex mali contumacia, quàm florentis ætatis reverentia, pudore non levi ſuffuſa, omnium mortalium opem imploraret, nullo tamen vel ex ipſa Epidauro adſcito medicamento citius & felicius convaleſcere potuit, quàm quod ſuggeſſit, quaſi ἀπὸ μεχανῆς interveniens plebeia quædam, tædioſi affectus pertinacia & juvenculæ ἐυπρεπείᾳ commota? En, inquit, facilè te ſalvam dabo, ſanamque, ſi obtemperaveris. Filius mihi erat, pergit Theſtylis, 15. circiter annorum, quem cum fabro ferrario in diſciplinam tradere vellem, ſed incontinentia urinæ à puero ad illum uſque diem efflictim laborantem, idque malum fabro indicarem, eſto bono animo, inquit, facilius hunc tibi puerum curabo, quàm vulpes pyrum comeſt. Domi mihi naſcitur præſentiſſimum remedium, muſculis aliquot devoratis, immunis erit ab omni hac ſpurcitie filius tuus, Dictum, factum. Virgo ſanitatis cupidiſſima, omnes ſtatim angulos perquirit, & inventis aliquot muſculis eos in clibano prius exſiccatos ac pulveriſatos audacter devorat, ovo frixo inditos, & ſtatim à graviſſimo hoc malo liberatur, menſibuſque qui in 18. ætatis annum uſque ſubſtiterant, prorumpentibus inculpata poſtea fruitur valetudine, redeunte ſenſim faciei colore, qui antea pallidus fuerat vel luridus potius, florido vividoque.

Ex hac hiſtoria noto,

1. Plebejorum remedia non ſemper eſſe contemnenda: παρὰ ἰδιωτέων ἱςορέειν, ἢν τι δοκέῃ ξυμφέρον, pręcipit Cous noſter inter alia Medico neceſſaria, quod eleganter reddidit Clariſſimus Hoefferus in ſuo Hercule Medico p. m. 77. Neminem pudeat, inquit, quantumvis literatum aliquid addiſcere, quod ad artis ſuæ perfectionem & ornamentum ſpectat, ſive illud ab anu ſeptuagenaria, ſive ab eruditisſimo quoque ſuggeſtum, modo non ſit ſuperſtitioſum, lege divina prohibitum, aut alia ratione inſanum &c. Quale quid & hujus aniculæ erat, quæ pro qualibet doſi muſculos num. 3. ſumere, idque terna vice certaque die repetere jubebat, quod tamen ægra una doſi malo hoc defuncta, neglexit.

Noto 2. Mures domeſticos in ſtatu adverſæ valetudinis citra noxam aſſumi poſſe, cum panis, caſeus, lardum & frumenta, ex iiſque ferè optimum quodque ipſorum ſint deliciæ, hinc de caſeo fertur proverbium, omnium optimum eſſe quem mus arroſerit, & pingueſcunt inde, ut nonnullis populis (ut incolis in Calecut) in cibum veniant, à felibus expetantur & felinam quoque carnem veſcam reddant, qua itidem avide veſcuntur Liburini, Hiſpani & Galli Narbonenſes.

Noto 3. Mictionem plurimam parvæ quidem dejectionis cauſam eſſe, ex Aphor. Hipp. 83. ſ. 4. ſed & tardantium menſium obicem non levem, ob crasſitiem ſanguinis vaſorumq; anguſtiam, humore ſeroſo ſanguinis vehiculo ad renes potisſimum derivato, quod medicorum noſtri ſeculi Coryphеus Sennertus quoque inculcat l. 4. pr. p. m. 151. Cavendum (inquit) ne menſes moventia in horum ſuppresſione indiſcriminatim uſurpentur, nam cum multa ex iis ſint, quæ urinam ſimul movent, exhibita intempeſtive potius nocent. *Joh. Michaelis Febri.*

Incontinentia Urinæ.

Paſtor quidam Holſatus Fridrichsſtadio nuperrimè hanc obſervationem ad me perſcripſit: Cuidam hic apud nos mulieri, quæ 7. annos incontinentia urinæ laboraverat, à circumforaneo præſcriptum tale medicamentum.

℞. Ficuum, uvarum Corinthiacarum, paſſularum an. ℔j. Inciſa coq. in aq. pluvialis ℔iv. quibus deinde add. glycyrrhizæ ℥i. minutim conciſæ. Ex hac potione ſæpius repetita & recocta bonum hauſtum cepit, tandemque inde convaluit.

Quomodo hęc potio Incontinentiam Urinæ curare potuerit, non meum, ſed veſtrum eſt definire, cum à

Practicis hic alia præſcribantur. Malum enim hoc cæteroquin aſtringentibus & conſolidantibus curari vult, cum plurimum à ſoluta continuitate, ſcil. dilaceratione colli veſicæ ortum ducat, ubi quoque concurrit ſphincteris læſio. *D. J. L. Hannemanni.*

Reſponſio Th. Bartholini.

Quia in hiſtoria non additur cauſa quæ incontinentiam urinæ in muliere vel concitavit vel fovit, ſuſpicari licet vel ab acrimonia lotii dependere, vel in partu læſas eſſe urinæ vias. Si illa, abſtergentia & mitigantia ex ficu, & uvis magis profuerunt, quam aſtringentia. Si hoc, conſolidationem perfecerunt eadem natura benigna adjuvante. Ex ficu ad urinæ incontinentiam hoc rectius ab Italis laudatur.

♃. Fol. ficus, bacc. lauri an. ℥ii. f. pulv. doſ. ʒii. in vino nigro vel cum cibo. Neque enim ficubus levis aſtringendi facultas deneganda. Ex Diphilo Athenæus l. 3. deipnoſoph. annotat; quorum remiſſior dulcedo eſt, illas ori placere cum eduntur, & ob aliquantulam adſtrictionem ventriculo prodeſſe: orbicata, quibus adſtrictio jucunda eſt cum dulcedine, ventriculo conferre.

De Certo in Vrinæ incontinentia remedio.

Præſentiſſimis urinæ incontinentiam curantibus remediis merito accenſendum eſſe pudendum ſuillum, quod B. Dn. D. Mœllenbroccius Ann. 11. Ephem. Germ. Cur. obſ. 21. commendat, ſequentia teſtantur. Fœtum excludebat mortuum mercatoris Grunbergenſis uxor cum partu difficillimo, & tali qui etiam veſicæ muſculos lædebat, ut urina ſponte flueret. Poſt debitam evacuationem corporis & uteri, dabam pudendum ſuillum aſſatum & pulveriſatum, cum pauco ſaccharo dulcoratum, & felix eventus comitabatur conſilium datum. Alia fœmina laborabat incontinentia urinæ per 15. annos, ſed huic nil auxilii erat ab hocce remedio, quia malum erat inveteratum. Ruſtico Schet-endorffenſi, qui etiam per ſexennium involuntariè emiſerat urinam, hoc ordinabam, aliquid equidem levaminis videbat, ſed malum non tollebatur penitus ob eandem fortè rationem. Principiis obſta. *Samuelis Ledelii.*

Remedium certum in incontinentia urinæ.

Contra urinæ incontinentiam multa ab autoribus commendantur remedia, e. g. veſica ſuilla combuſta, leporum teſticuli, guttur galli toſtum & exiccatum, cineres erinacei combuſti, medulla lapidum, pulvis piſcium in ventre lucii piſcis repertorum exiccatorum &c. ſed nullum præſtantius & certius non ſemel inveni pudendo ſuillo, quocumque modo cocto vel aſſato, atq; à B. D. Joh. Michaelis P. P. & Practico, Lipſiæ quondam celeberrimo, ſæpius comprobato. Schrederus lib. 4. Pharmacop. Med. Chm. p. 112. ſcribit, ſe noſſe quendam, qui mictionem nocturnam Tabaci ſuffitu præcavit. *D. Valentini Andreæ Moellenbrocci.*

De Mictione involuntaria.

Domini Seidelii uxor, poſt partum difficillimum ſentit dolores acutos circa pudenda. Urina præter voluntatem effluebat & guttatim. Præſcripſi ſeq.

♃. Sem. papav. alb. cydon. an. ℈iv. hyoſc. alb. Gumm. arab. tragac. ana ʒi ß. Rad. glycyrrh. Santal. rubr. Troch. Alkekeng. ana ʒß. Sacch. roſ. tab. ʒiij. M. F. Pulvis.

♃. Mucil. ſem. cydon. ℥ß. pſyl. ʒj. extract. cum Aq. Equiſet. & plantag. q. ſ. Add. Alb. ovor. n. 1. Ol. verbaſc. ʒiiß. roſ. viol. ana ℥ß. ceræ q. ſ. M. F. Linimentum. Lavetur Aq. ſolani, & adde Ungu. alb. camph. ʒiß. His curabatur optimè & ſubjungebat dein uſum Thermarum Landeccenſium & integrè reſtituebatur.

Scholion.) Hoc malum originem trahit à læſione Sphincteris in partu, prout nunc læſio vel major vel minor exiſtit, ita & ſpes curationis. Morbus ſi inveteratus ſit, difficulter admodum curatur, vel planè non aufertur. Tria ejuſmodi Exempla in Praxi mihi ſeſe obtulere. Fœminam quandam, ubi recens erat malum, paucis remediis in integrum reſtitui. Duas alias, ubi malum inveteratum & læſio magna, reſtituere non potui, etſi mitigatio mali & ſpes curationis ſæpiùs affulgeret.

Vrina diu per ſcrotum reddita.

Vir Illuſtris cum ante biennium iter faciens à mari terris, qua tranſeundum, impetuoſe ſuperfuſo cum curru ſimul propemodum hauſtus fuiſſet hyberno tempore, evaſit quidem, ſed totus madens undis, & frigore rigens. Ex eo, intumeſcere ſibi ſcrotum, indurarique notavit, cumque malum aggravaretur, in urbem tandem noſtram ſe tranſtulit de ſalute anxius. Vocati in conſilium celeb. Monichenius Archiater Regius, & ego, primùm quidem per epicraſin humores noxios expurgavimus, inde ad cataplaſmata cum chirurgo verſi animadvertimus matutinis viſitationibus ſplenia madida, & urinam redolentia. Unde expenſis accuratius omnibus foramen in infima ſcroti parte conſpeximus, unde lotium proficiſcebatur. Injecta turunda, quæ foramen modicè ampliaret, perſeveratum ad duritiem emendandam cataplaſmatis, cùmque conſtaret bis pertuſum Scrotum, & ſuperna parte, qua perinæum uretræ jungitur, & inferna, quæ pervia oculis, inter prognoſtica dubia accinximus nos ad leniter purgantia & clementer exſiccantia, adeo optato eventu, ut malum, quod in corpore alioquin cacochymico, & ſexagenario exitium minabatur, feliciter ceſſarit. Præcipuè à vino malvatico chalybeato evidens auxilium deprehendimus. *Thom. Bartholini.*

Vrina circa os ſacrum exiens.

Henricus Crentzfeldi, Medicinæ candidatus Germanus, jam diu auditor meus induſtrius, ex antiqua vertebrarum dorſi luxatione & gibbo per intervalla valetudinis afflictæ fuit, doloribus potiſſimum circa os ſacrum infeſtantibus, qui ſuperioribus menſibus adeo invaluere, ut ferendis impar juſſerit locum affectum, & puris deliteſcentis indicia non obſcurè præ ſe ferentem per Chirurgum aperiri. Quo ex arte aperto profluxit mox purulenta materia copioſe, & ſimul cum illa urina per vulnus erupit. Duravit ille urinæ fluxus per locum affectum aliquandiu, donec ſuperveniens paulatim hydrops mandata fatorum exſequeretur, & juvenem eruditum in rationes Libitinæ referret. *Olai Borrichii.*

Ex nimio aloës uſu cruenta urina.

Zythopœus quidam Hafnienſis ſexagenario major, & durioris alvi, ex conſilio amici ſuſpendit in cereviſia ſua fermentanda ſuccum aloës vulgatum, & ita præparata utitur, primis quidem menſibus ſine ullo ſanitatis diſpendio, tandem inter mejendum notat ſibi ſanguineum quiddam cum urina prodire, ſed negligentior ſui pergit, & in medicata ſua potione tam diu perſiſtit, donec loco urinæ ſæpe putum, & copioſum ſanguinem redderet. Quam metamorphoſin formidans calamitatem ſuam mihi aperit, nec unde proficiſcatur, ullo modo poteſt hariolari. Ego in ſex res non naturales inquirens cùm adverto potione illa aloëtica delectari ſenem, eas verò, inquam, tragœdias aloë excitat, à qua porro abſtinendum, ut cui nihil familiarius, quam acrimonia ſua orificia venarum aperire.

Cùm pareret monitis, & pilas ex terebinthina, rhabarbaro, & marga ſaxatili concinnatas loco aloës frequentaret, ceſſavit inviſum malum, & cruor intra vaſa ſua coërcitus quievit. *D. Olai Borrichii.*

Purulentum lotium.

Bis anno, quem terimus, urinam purulentam Hafniæ vidimus, in nobili puero & honeſta femina, diſpari fato ſicut ſexu, ſede quoque affecta diſpari.

Nobilis puer ſeptennis purulenta multa mingit, ſed gravisſimo in perinæo glandeque cruciatu, unde ad mictionem vix cogi poteſt dolorum horrore. Alias benè valet & ludit ſine ulla querimonia. Tentavimus per ſyringam explorare, ubi in veſica vitium lateret, ſed nihil deprehendere potuimus, ut ſuſpicio ſit altius hęrere malum, ſive in fundo veſicę exulceratæ, ſive in proſtatis, in lumbis quippe nullum dolorem ſenſit. Adhibita omnia interna pariter & externa. Sed auxilia eluſit pertinax malum, quod tandem cum morte extinctum fuit. Multa ſigna perſuadebant, veſicæ eſſe exulcerationem vel vicinarum partium. Quia pus excretum urinæ non ita permiſcebatur, ſed ſæpe ſolum viſebatur, idque cum aliquo fœtore, qualem membranoſę partes exulceratæ ſpirare ſolent. Huc ſpectat Aphoriſmus 81. ſectionis 4. Hippocratis, quanquam ſquamulæ necdum nobis viſæ, quamdiu apud nos fuit. Ad alium enim translato locum quid exinde acciderit, ignoramus. Mortuum verò reſcivimus.

Honeſtæ fœminæ, ſed gravidę, purula urina majus negotium faceſſebat, ſed meliori eventu. Magnus dolor dorſum lumboſque vexabat. Febris accenſa cum horrore, duplicis Tertianæ typum referebat. Urina primum cruenta, mox purulenta apparuit. Vomitus quoque ſanguinis ſemel terrebat. Pus verò copioſum co hidie cum lotio reddidit, inæqualiter quidem illi mixtum, tandem tamen in fundo matulæ ſubſidens, ſed ſine fœtore. Renum apoſtema quoddam ruptum, ſuſpicio certa videbatur ex dolore dorſi & lumborum, febre comitante, & puris conditione. Unde verò ſanguinis vomitus, non ęquè facilè potuit dijudicari. Credo tamen, omnia hæc ſymptomata à ſanguinis copia fluxiſſe. Plethorica quippè eſt. Et cum prægnanti menſes non fluant, qua data porta eſt, ruunt & evacuantur. Vidimus enim alias in menſium vel obſtructione vel parcimonia, abundantem in corpore ſanguinem alias vias ſibi elegiſſe. In curatione circumſpecti ea exhibere auſi non ſumus, quę purulentos renes per veſicam expurgarent, ne fœtus ſimul propelleretur ſeximeſtris, de cujus ſalute ſollicitos nos eſſe conveniebat, cum abortus eſſet metus quieſcente eo, & nullum motum edente paroxyſmi diebus. Igitur terebinthinatis omiſſis, Emulſiones & hordeata prędſcripſimus, ut & renibus & febri proſpiceretur, cordialibuſque pulveribus & febrem jugulare animus fuit, & fœtum roborare. Dorſo dolenti Emplaſtrum Diachylon cum gummis, umbilico verò Epithema ex balſamo Embryonum &c. appoſitum. Tam feliciter omnia ſucceſſerunt, ut ſuperſtite fœtu & matre convaleſcente, urina ſana ſit reddita, & febris die ſeptimo per ſudorem terminata. *Th. Bartholini.*

Urina viridis.

Matrona nobilis ſextum menſem gravida corripitur febre tertiana. Advocor, & quæ malo avertendo opportuna ſunt, præſcribo. Poſtridie & ſequentibus aliquot diebus, dum urinam prægnantis inſpicio, oppidò viridem eam obſervo, ſedimento griſeo ſubſidente. Jubeo frontem & oculos mihi obverti, cogniturus anne in icterum declinet malum, quod compertum, urinas ictericorum aliquando ex flavo virere. Nihil in vultu, in oculis nihil, quod de imminente ictero teſtetur. Ceſſavit paullo poſt malum, pharmacis acidi nimii vires frangentibus expugnatum: quid enim credibilius, quam bilem in corpore hoc cum potentiori acido confuſam ad vaſa urinæ penetraſſe, & in itinere colorem ſuum flavum, ad imperium acidi, in viridem convertiſſe, quo nihil frequentius, ob eandem rationem, in excrementis infantum ſolet notari. *Ol. Borrichii.*

De Urina nigra nil funeſti indicante.

Vir apud nos Præ-conſularis Dominus ac Patronus mihi maximus G. K. nulla data cauſa externa, urinam dum redderet, nigram illam egredi cernit; ipſe ad inſolitum urinæ ſuæ colorem perterritus, vocari me jubet: accedens video colorem, examino ſubſtantiam, nulla aderat pelluciditas, nullum ſedimentum, imo nec cum aliquandiu in receptaculo vitreo communi ſtetiſſet; atramentum ſcriptorium urinæ loco ſubſtitutum judicaſſem, ſi non ſerio & ſcrupulosè ſatis eam mihi monſtratam eſſe animadvertiſſem. Indiſpoſitionem gravem ſentiebat nullam, niſi quod circa lienis regionem tenſionem aliquam perciperet, & circa diaphragma ſeſe cingulo quaſi ligatum incedere conquereretur. Permanebat color toties, quoties reddebatur urina, nigerrimus per dies quinque continuos; poſt ſenſim remittens, ad obſcure rubrum accedebat, donec decimo die ad ſtatum rediret naturalem. Ex eo tempore, quamvis cum hypochondriaco malo ſatis graviter conflictaretur, utcunque habere cœpit. Poſt menſium plurium decurſum iterum pręter ſpem nigram reddidit urinam, quæ per dies aliquot talis permanſit, donec ſine adhibitione ullorum remediorum naturalem iterum reciperet colorem.

Criſin fuiſſe naturę, quæ melancholicum huncce humorem per naturales urinæ vias evacuaverit, dubium non eſt, cum excretionem hancce benè tulerit Magnificus & Generoſus Dominus, & ab excretione hacce ſatis copioſa meliuſculè valere inceperit: ſed quia ſal acidum in copia urinæ permiſtum fuit, mirum forte, quod nec ad excretionem ſępius ſtimularit, nec in excretione ipſa dolorem, pruritum, aut acrimonię alicujus ſenſum moleſtum conciliaverit. Notum eſt magni Hippocr. de urinis nigris judicium, quod perniciosas eas pronunciaverit: ita ille *Sect. Coac. Prænot. verſu* 580. Ὀλέθριον δ' ἐςὶν τῶν οὔρων τότε μήλαιναν τὴν ὑπόςασιν ἔχον, καὶ τὸ μέλαν. Rationem dat interpres ejus non infelix Fœſius, quod incendii magni & exſtinctionis caloris nativi nota ſit. Sunt tamen apud Autores exempla contraria. *Hippocrates* ipſe *lib. 6. Epid. ſect. 2. Ægrot. 3.* Herophontem febre acuta laborantem, cui οὖρα μέλανα reddebantur, καὶ σπλὴν ἐπήρθη, lien intumuit, evaſiſſe notavit; & *Ægrot.* 7. de Metone meminit, οὖρα ὑπομέλανα εἶχεν, urinam ſubnigricantem habuit; *Lib.* 3. *Epid. Sect.* 3. *Ægrot.* 9. de Heropitho ſcribit, quod οὖρα habuerit λεπτὰ καὶ μέλανα, & 3. *Epid. ejuſdem Sect. Ægrot.* 11. de muliere aſpera & auſtera in Thaſo ſcribit, quod ad tertium morbi diem habuerit οὖρα μέλανα λεπτὰ, evaſiſſe autem omnes. Conciliavit Hippocratem immortalis *Proſper Martianus*, maximus Divi Senis Interpres, in commentario loci ſuperius allegati *Sect. 2. Coac. Prænot.* Hujus diverſitatis, *inquit*, ratio eſt, quia etiamſi hęc humoris nigri præſentiam ſupponat, hujus tamen malitia non eſt eadem, cùm longè deterior ſit niger & exuſtus humor, qui proprio vocabulo atra bilis dicitur, melancholia naturali, fœx ſanguinis dici poſſet, imò utriuſque humoris non ſemper æqualis eſt conditio, cùm levior ille ſit, quem natura jam ſuperavit, eo qui crudus adhuc perſiſtit, &c. *Clar. Bartholinus* ex eſu immodico uvarum lotium nigrum redditum fuiſſe exemplum habet *Cent. 5. Hiſt. Med. Obſerv.* 10. Unde autem color iſte ater latici communicetur plurimorum torſit animos:

animos: An ſulphuris & ſalis portiones aduſtæ coctione longiore colorem ſaturatiorem ſero ſuppeditant, qui mora longiore ad nigredinem vergit? An fæculentiæ melancholicę, queis ſuperabundare melancholicos conſtat, ubi in eam excreverint quantitatem, ut à natura ferri amplius non poſſint, vel fermentationem aliquam vel motum etiam à cauſa externa, diureticis nimiis, acceperunt, maſſæ ſanguineæ communicatæ, vel confuſæ potius, per loca urinæ dicata evacuantur? Sic turgentem in corpore bilem flavam lotium ictero flavo ſaturate rubrum reddere videmus, in nigro autem impenſe rubrum, &, ut Hippocratis mihi uti verbis liceat, ὑπομέλαινα conſpici practicis notum eſt: unde pleroſq; de quibus Autores referunt, quod nigras excreverint urinas & reſtituti fuerint, hypochondriacos fuiſſe apparet. Maximè huc facit hiſtoria, quam ex *Valetio* ad *Hollerium Schenckius* refert *Lib.* 3. *Obſerv.* 3. *p.* 469. Religioſum nimirum fuiſſe, cui ter aut quater in anno lien intumuit, unde dolore hypochondriaco maximè infeſtabatur, nigricantibus tandem & atramento ſimillimis apparentibus urinis, quæ per 5. vel 7. durabant dies, ſalvus evaſit & incolumis, ceſſante tumore & gravitate hypochondrii, qui, repetito ſubinde ejuſmodi per intervalla profluvio nigro ab hypochondriorum & tenſione & lienis duritie liberatus eſt. In aliis, in quibus lethales judicantur urinæ nigræ, à ſumma veneni alicujus vel epoti vel geniti in corpore virulentia aut malignitate colorem nigrum provenire exiſtimo, abſumptis nimirum vel extinctis ſanguinis ſpiritibus, ſicque mixtionis ſoluto vinculo, ſanguini quaſi νέκρωσις conciliatur, unde corruptum cum ſanguine ſerum colorem recipit nigrum: Res patet exemplo, ulcus ſordidum ubi in gangrænam, & hæc in ſphacelum abit, ſanies quæ initio alba erat, flava primum, mox fuſca, & tandem conclamatis omnibus, nigra evadit. *Joh. Schmidii.*

Globus ſclopetarius per urinam excretus.

Ex Epiſtola, ſcripta à Doctore Nathanaële Fairfax, *ad Editorem, de Globo ſclopetario excreto cum Urina.*

Domine, Abhinc aliquanto tempore miſi tibi per Dominum A. C. ad Dominum B. quendam glandem plumbeum, excretum à muliere per Ureterem, cujus rei circumſtantias propoſueram proxima occaſione tradere per Epiſtolam; ſed uſque nunc impeditus fui quo minus id efficerem. Rudis hiſtoria ſe habet ut ſequitur.

G. Eliot de *Mendleſham* in *Suffolcia*, mulier pallida, mediocris ætate, & corpulenta, admodum aliquot annos afflicta cruciatu inteſtinorum, perſuaſa fuit à Vicino, qui multum in ſimili Accidente paſſus fuerat, deglutire duos idoneos glandes: & ſtatim (ut ipſe ante) fruebatur quiete à doloribus: ſed poſtea cruciatus magno cum fœnore redibant, ipſaque multum cum morbo ſpatio 15. annorum conflictata, ſemet commiſit curæ Apothecarii mei, *Dom. Gibſoni* de *Stowmarket*, qui in ipſo conflictu præſcripſit illi doſin pulveris Dominę Comitiſſæ de *Holland*, eumque illa bibit in poſcha mane, à meridie lenes habuit ſedes, noctem traxit in tortura corporis multo cum vomitu, & proximo mane dum mingebat, cum Urina excrevit, quod cum clangore ad latus matulæ elapſum maximè illam attonuit ignaram, quid eſſet: & Urina cautè effuſa, reliquus erat gravis & (ſecundùm apparentiam) calculoſus lapis, colore dubio inter flavum & rubrum, fere magnitudine extremitatem pollicis ęquans, prout ipſa confidenter mihi aſſeruit; ſed ubi malleo decuſſerant exteriorem partem cruſtæ ejus, invenerunt globum medio incluſum colore æreo; qui tamen cultello paulum reſectus comperiebatur eſſe plumbeus: qua re inventa facile erat ejus rei rationem reddere. Quæſivi ex ea, annon ante inquiri curaſſet in tales globos excretos? ipſa verò reſpondit, aliquot diebus poſtquam glandes deglutiiſſet, excrementa ejus perfunctoriè fuiſſe examinata, ſed neutro reperto, ceſſatum ab ulteriori inquiſitione. Porrò interrogata de magnitudine globi? reſpondebat fuiſſe ſecundum apparentiam majorem, cum eum deglutiret. De ſtatu corporis ejus ratione Lapidis quæſita, reſpondebat ſe ante & poſt accidens iſtud excreviſſe copiam rubicundæ arenæ, in primis tribus annis poſtquam glandes deglutiiſſet, excreviſſe lapidem rubicundum, eumque ſatis magnum. Ulterius quæſivi ex ea modum quo corpus ejus fuerit affectum, ipſo excretionis tempore? reſpondebat ſimilem fuiſſe caſum dolori calculi communi, niſi quod diutius (per aliquot nempe ſeptimanas) ſe detinuiſſet, quodque miſerum in modum inclinata fuiſſet, (prout ſæpiſſime accidit, lapide exiſtente in Ureteribus,) pronaque in Vomitum, & præcipuè ajebat ſe ſenſiſſe lapidem pedetentim deſidere ex rene ad Veſicam, in ſiniſtrum Ureterem. Tum interrogavi eam, num certa eſſet glandem fuiſſe excretum per Meatum Urinarium, & non per Inteſtinum rectum? aſſerebatque ſe non errare in re illa. Et certè Tunica calculoſa, qua globus fuerat indutus, ſatis oſtendit, ubi fuerit detentus: Ad quæſtionem, num & alterum glandem excreviſſet, reſpondebat negando, quantum ſciret, quin potius ajebat eundem adhuc in corpore ſuo exiſtere. Tandem quoad ſtatum ejus à tempore excretionis, dicebat ſe ſemper laboraſſe è doloribus Colicæ ex Calculo, minimè verò tam acriter ac ante.

Hæc eſt plana relatio materiæ Facti. Præcipuus uſus hujus Exempli (ſi memorari meretur,) eſt corroborare conjecturam meam, quam diu foveo, de alia via ex Stomacho ad Veſicam, præter eas quas Anatomici hactenus retulerunt. Nam hunc glandem minimè perveniſſe ad Ureteres per Venas, Arterias, Nervos, Lymphæductus (quę ſunt ſola vaſa eo ducentia) mihi videtur controverſiam omnem ſuperare. Si dicatur Natura gravata invenire miros & extraordinarios ductus, ad expurgandum corpus rebus omnibus extraneis & noxiis, facilè illud largiar, quia plurima exempla nota ſunt, quæ id probent; attamen non arbitror illud tam convenienter urgeri, quandoquidem alia quædam Exempla illud videntur comitari, quæ nequeunt tolli per eandem invaſionem; ſcil. Multi experiuntur, quod poſtquam biberint 4. vel 5. vitia Vini Rhenani (exempli gratia) intra tempus minus quadrante horæ ſe valde micturire, inprimis corpore agitato. Liquorem verò tranſire per vaſa Lactea, Venas, Cor, & Arterias, & tam brevi tempore percolari per ſanguinem, vix mihi credibile eſt.

Sed profectò brevior hęc via (ubicunque ſit) non minus naturalis eſt, atque illa, qua tranſeundum fuiſſet, ſi diutius in corpore detentus fuiſſet: ut taceam, quàm parum oleat fœtorem renum, & quam ſimilis ſit ſibi, antequam fuiſſet deglutitus, & poſtquam excretus. Et ego arbitror, ductum Lactis in mammas multum eſſe affinem huic ductui Urinæ in Veſicam; cujus ſubita evaſio in mammas, ſimul ac Nutrix bibit commune Lac, non magis poterat explanari per vulgatam doctrinam Circulationis, quàm hæc Urinæ in Veſicam, donec brevior tranſitus fuerat detectus per Ductus Thoracicos; quanquam ordinariè poſſit eò percolari per Arterias, prout & Serum in Renes; niſi quod in rivulo lacteo Natura ibi inveniat alium alveum, quàm hic in rivulo aqueo: tanquam nonnunquam effunduntur quædam per papillas, vix minùs admirabilia, quàm hic glans, de quo locuti ſumus, per collum Veſicæ. Sed forſitan nimis prolixus ſum in meis reflexionibus, de quibus velim ſcias me nil altius ſentire, quam candidiſſimum quemque Lectorem. Sum. &c. *Act. Philoſoph. Angl. menſ. Oct.* 1668.

De

De Pila plumbea per penem reddita.

Sclopeto percuti Capitaneum quendam in latere dextro, contigit hoc anno, globulo in veſicæ cavitatem penetrante. Quieſcit ibi per aliquod tempus, & vulnus coit: ſenſu tamen gravitatis circa pubem relicto. Tandem, oborta & urinæ difficultate, & cæteris quaſi calculi veſicæ ſymptomatis, per penem cum urina excernitur pila, magnitudine piſum majus hortenſe æquans, ex earum ſcilicet ordine, quæ vulgo Pilæ curſoriæ, Lauff-Kugeln, appellantur. Convaluit autem perfecte vulneratus, & nihil mali jam ſentit amplius.

Conſideratione digna hic occurrunt nonnulla, ac I. quidem, quod globuli impetus ſalutariter deſierit eo ipſo momento, quo in veſicæ cavitatem is delatus eſſet; & quod cum ægri exitio ulterius haut penetraverit. II. Vulnera veſicæ lethalia cenſentur ex Hippocratis lib. 6. aphor. 18. ſed intelliguntur ibi Diacopę, ſive vulnera graviſſima: ac prҿterea excipiuntur vulnera in ſphinctere ſive carnoſa parte facta, quamvis determinari hic non poſſit, num parte illa carnoſa vel membranoſa veſicam pila ſubierit. Foramen certe parare ingens, ipſa exigua, haut valuit. *D. Joh. Sigiſmundi Elſholtii.*

Plumbum per urinam excretum.

Claudius Sohn, curator annonæ aulicæ, vir quadragenario proximus, incidit ex intervallo in nephriticos dolores, quibus durantibus, cùm ante biennium advocaret, Medicinam ægro facturus, ille hauſto pharmaco cum redderet urinam, grandinem ſimul plumbeam juſtæ magnitudinis, una cum calculo per Urethram, excluſit. Rogatus à me, ecquid plumbum improviſo devoraſſet, reſpondit, ante triduum manducatas ſibi aviculas, grandinibus plumbeis interfectas, & proinde coqui incuria relictum in avibus plumbum à ſe haud dubiè hauſtum fuiſſe. Non diſſimilia hoc ipſo menſe contigere Jacobo Kitzerovv, fabro argentario, qui ex calculi doloribus aliquamdiu cruciatus ſenſit die quodam in veſica pungens quiddam & lacerans.

Cumque urinam reddere inſtitueret, in ipſa urethra dolores notavit exquiſitiſſimos, inſpicit locum dolentem, & poſt paulo cum urina defluentem ex urethra videt aciculam æneam, capite acutiori primum exeunte, quam in ipſo parturiendi limine ipſe eximit manu, & mihi mox advenienti obſtupefactus tradit; Credibile eſt cum pane hauſtam fuiſſe: Hic de viis ſolliciti ſumus, per quas & grando plumbea, & acicula in veſiculam penetravit: Novos ductus ab Anatomes induſtriis cultoribus expectamus, ſimilia ante jam obſervavit Schenckius, ſed mirum in illa Anatomes luce nihil hactenus detectum quod rem difficilem enucleet. *Olai Borrichii.*

De Mictu fungorum.

Civis quidam Chemnicenſis annos multos podagricis juxtim ac nephriticis doloribus cruciatus, ante annos ſi rectè memini octo aut novem, comprimis equo aut curru vectus, aut poſt alium concitatiorem corporis motum, in cruentam incidit mictionem, quę primò quidem aliquot dies, poſt aliquot hebdomadas, jam verò anni quadrantem & ultra duravit. Urina loturam carnis refert, grumoſque ſanguinis, ſub quibus calculi non raro deliteſcunt, admixtos habet plurimos. Dolores ſentit circa regionem renum & diaphragmatis per intervalla adeò graves, ut in nullo loco quieſcere poſſit, continuò exclamans: *Der Leib ſey ihm invvendig gantz rohe, es ſchneide vvie Meſſer drinne.* Unde dolores iſti & conſtans cruenta mictio, abſque ſingulari virium jactura ſæpius miratus, tandem in urina fungos ceraſa cum pediculis referentes deprehendi; quos exſiccatos apud me ſervo. Renes igitur aut fungoſos eſſe pronunciandum, aut fungos in cavitatibus alere. A calculis namque, quos magno numero egeſſit, potuerunt vulnerari & lædi papillares eorundem carunculę, & ab urinæ acrimonia exulceratę, in ejuſmodi fungoſam tranſire ſubſtantiam. Quod verò fungi ſanguineo ſudore continuò madeſcant, nemo neſcit, niſi qui fungos non vidit. Dolores autem ad diaphragmatis regionem uſque adſcendunt, quod per externam membranam à peritonæo ortam cum lumbis & diaphragmate renes communicant. An curam recipiat morbus dubito, eundem verò ulteriori diſquiſitione dignum exiſtimo. *L. Chriſtiani Friderici Garmanni.*

De Vermiculis aliquandiu poſt variolas cum urina rejectis.

Variolas dari Verminoſas, cutem mira deformitatę exedentes, tota die ſublimioris caveæ experiuntur Practici. Sanguinem quin etiam animatam hancce occupare putredinem, authores non deſunt. Quid? quod etiam cum liquore urinoſo moleſtiſſimo interdum maritetur conjugio. Cujus rei exemplum ſuperiori æſtate, variolis fertilisſima, in puella quadam 4. circiter annorum habui, quæ declinantibus tunc variolis, puſtuliſque deciduis per aliquot hebdomadas ſemper cum Urina excrevit vermiculos alatos, urina exiſtente calida recenſque micta, ſeſe moventes; eadem verò frigefacta à motu ceſſantes morientes. Parentes rei novitate perterriti vel faſcinum ſubeſſe, vel circa vaſa Urinaria apoſtema latitare exiſtimarunt. Sed bono eoſdem juſſi animo eſſe, exhibendo lene purgans, unde deinceps planè evanuerunt ingrati hoſpites. *D. Ehrenfried Hagendorn.*

Vermis per meatum urinarium excluſus.

In corde, pulmonibus, epate, aliiſque corporis humani partibus ſæpius vermiculos naſci, exemplis & authoritatibus Medici paſſim confirmant. Admiratione percuſſus magis obſtupui, cum legerem apud Cl. Schenckium, vermes ex veſica urinali nonnunquam cum lotio exiiſſe. Simile quid Anno 1678. d. 5. Aprilis notare mihi licuit in milite noſtri præſidii, cujus uxor ſummopere mecum conquerens de pertinaci mariti ſui iſchuria precibus me invitabat, ut ipſum inviſerem urinæque tamdiu ſuppreſſæ per medicamenta idonea priſtinum fluxum redderem; Ego officii mei memor poſtulationi hujus deeſſe nolui, & ægrotum miſerè afflictum deprehendi, ſeptimus quippe jam agebatur dies, quo ne guttulam urinæ excreverat: Querelas de ſummis circa umbilicum cruciatibus deque tentione circa veſicam inſtituebat, taliſque aderat tumor abdominis, ut aſcitico miſer non abſimilis videretur. Ego diligenter, tam interna quam externa ordinavi, nihil intermittens eorum, quæ ad adipiſcendum optatum hujus mali exitum admoveri ſolent. Aſt inani diu me torquebam labore, neque ſucceſſus tam citò ex animi ſententia procedebat. Meditanti igitur mihi de immiſſione catheteris accurrit ægroti uxor apportans vermem craſſitie calami ſcriptorii & longitudine trium digitorum, referenſque, ejecto hoc per urethram animalculo poſt multos conatus laboreſque, marito ſuo tandem priſtinam facultatem pro lubitu veſicam exonerandi eſſe redditam. Fœtus hujus inopinati excluſionem lochia quaſi inſequebantur, nectariſque vitalis fluxus cum urina per aliquot dies propullulabat, qui tamen exhibita emulſione terebinthinata feliciter eſſe deſiit. Vermis poſt emiſſionem vitali quidem fruebatur aura, paulo poſt autem exſpiravit. Notandum mę ſuaſorem antea

antea exſtitiſſe, ęgrotus ut diligenter comederet amygdalas amaras, quæ uti egregia pollent virtute diuretica, ita eas ratione amaritiei vermiculi ex veſica propulſionem maſculè adjuviſſe, nulla mihi hæret dubitatio; cum experientia conſtet, quàm ſalutarem in morbis verminoſis alias præſtent operam, poſſetque hoc remedium tanquam euporiſton catalogo medicaminum veſicæ vermibus reſiſtentium inſeri, modo certa ſigna pathognomica ipſorum præſentiam indicarent. Admiratione me detinuit & hoc imprimis, qua ratione vermes in veſica degere poſſint, qui fiat, quod non enecentur aut convertantur in putrilaginem ab acri, mordaci ſalſoque lotio? Admirari autem deſii conſiderans, in acerrimo aceto innumerabiles ſæpius vermiculos reperiri, inque illo vitam tranſigere ſatis commodam; quanquam non faciam cum aliis, qui acetum nihil eſſe aliud quam congeriem minutiſſimorum vermiculorum mordicantium, atque horum morſibus omnem aceti acrimoniam dependere. Hac ratione enim quis inſtare poſſet, bilem, ſalem culinarem aliaque acria ſalina & acida, quę linguam acrimonia ſua feriunt, eſſe corpora ex atomis & particulis verminoſis mordentibus conflata &c. quod abſurdum, cùm optima microſcopia contrarium etiam in ipſo aceto nos edoceant, niſi quis mentis ſuæ phantaſmatibus nimium abblandiendo ſe ipſum decipere amet, non ſecus uti illi, qui pulverem ex particulis chordarum rubrarum, quales teſtudinibus adaptari ſolent, ab impoſtoribus præparatum aſſumentes, à plurimis vermiculis ſe poſtea liberatos eſſe firmiter ſibi perſuadebant, uti literis prodidit *Felix Platerus Quæſt. Therapeut. Appendic. Prax. p. m.* 192.

Scholion.) Obſervationi huic reſpondet illa, quam *Bald. Ronſæus Epiſt. medic.* de ſene quodam refert, qui urinæ difficultate gravius laborans, per ſomnum excrevit vermem cum maxima ſanguinis copia, ſalvuſque evaſit; cui addere licet alteram illam *Edmundi de Meara*, videlicet de puero ſemel in menſe, & aliquando ſępius, poſt duorum vel trium dierum dyſuriam, multos lumbricos per virgæ canalem excernente; ut & *Joh. Rhodii cent.* 3. *obſervat.* 36. de adoleſcente poſt 5. dierum difficilem mictionem tæniam vivam emingente. Quænam verò jam in præſenti caſu exſiſtat diri illius affectus cauſa, determinare eſt difficile. Aut enim vermis ille orificium veſicæ urinariæ corpore ſuo obturaſſe, ſicque unà urinæ egreſſum inhibuiſſe, dici poſſet, aut, quod credibilius, idem veſicę collum, rodendo ſugendove nervoſam ejus partem lædens, ad convulſivam contractionem irritaverat, unde fibrę ejus contractæ meatum unà urinarium occludere potuerunt; qua dolorifica ceſſante lumbrici adhęſione, eodem nempe ab amygdalorum amarorum virtute, cum ſanguine ad veſicam delata, vel quacunque demum alia à cauſa excuſſo, non fibræ tantùm laxatæ denuo fuerant, ſed & apertum vulnuſculum ſanguinem aliquandiu, priuſquam iterum conſolidaretur, ſtillaverat. Quin & vermis ille, ſi primò non ipſa in cavitate veſicæ delituerit, ſed mediante ſanguine ipſas inter cervicis membranas depoſitus fuerit; ſenſim adauctus tumorem illo in loco excitare, ac tenſione iſta quandam membranę internæ excreſcentiam mentiri, ſicq; tandem orificium omnino obturare valuit, uſque dum membrana divulſa exitum ſibi paraverat, ſicque non tantùm hæc denuo ſe contrahens meatus libertatem reſtituerat, ſed aliquandiu etiam ex apertura iſta ſanguinem emiſerat. *Joh. Petri Albrechti.*

De incontinentia ſive ſtillicidio urinæ, & inſtrumentis ad eam excipiendam.

Viro Clariſſimo & Doctiſſimo

Dno. Jacobo Hagenbachio, apud Baſileenſes Medicinæ & Chirurgiæ Doctori celeberrimo, amico meo ſingulari,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus,

S. P. D.

Decreveram aliquoties, Clariſſime atque doctiſſime mi Dn. *Hagenbach*, graviſſimum affectum nobiliſſimi viri, Domini *Petri* à Wattenwyl, Dom. in Wyl, feliciſſimę memorię, tibi communicare, ſimulque inventiones meas novas, ad colligendam urinam explicare, ut ſextæ Centuriæ inſeri poſſet obſervatio: Unum verò impedimento fuit; Nobiliſſimus enim ęger, quadam die, cum graviter laboraret, morbumque abſtruſum eſſe ſibi videretur, coram uxore ſua aliiſque adſtantibus, me rogavit, ut poſt mortem cadaver ſuum aperire, & quæ notatione digna invenirem, ea in bonum publicum, obſervationibus meis inſerere vellem. Quum itaque tandem naturę ſatisfeciſſet, nihil magis in votis fuit, quàm re ipſa præſtare, quæ defuncto verbis promiſeram. Uxori itaque & amicis mentem meam aperio, diſſectionem quin etiam (ne ſumptus forſan eos abſterreret) gratis me facturum promitto; Sed ſurdis, ut ajunt, cantilenam cecini. Vides mi Dn. *Hagenbach*, fatuam illam ſollicitudinem noſtrorum hominum circa mortuos, & damnoſam negligentiam de ſalute viventium. Hæc quum perpenderem quodammodo indignatus fui, & propter injuriam in bonum publicum ab eis perpetratam, apud me conſtitui, nihil de hoc affectu in lucem me daturum, imò & de inſtrumentis ad colligendam urinam à me inventis, & in muſæo meo abſconditis, ne quidem cogitavi amplius. Hiſce verò diebus cum iterum ęger quidam, incontinentia ſive ſtillicidio urinæ laborans, in manus meas veniſſet, feliciſſimumque uſum inſtrumentorum iſtorum iterum vidiſſem, viſum mihi fuit pauca hęc, quæ de hoc affectu memoriæ meę adhuc inhærent, conſignare, inſtrumenta quin etiam adumbrare, & tibi communicare.

Fuerat autem nobilis ille à multis annis catarrhis obnoxius, qui nunc hanc, nunc illam corporis partem occupabant, quapropter ſæpiſſime ſuaſi, ut præter optimam victus rationem corpus per intervalla expurgaretur, & fonticuli fabricarentur. Suaſeram autem, ut ad hepatis intemperiem (quę veluti ſcaturigo erat reliquorum affectuum) corrigendam ad dextram poplitem, pro evacuatione verò capitis ſiniſtro brachio cauſtica applicarentur. Victus rationem quàm exactè quidem obſervavit, à juventute enim temperanter vixerat, purgationes verò, etiam maxima urgente neceſſitate, difficulter ſumebat, & applicationem cauſticorum omninò neglexit, imò ad nauſeam uſque ſemper reſpuit. Sic ingraveſcente ætate, & magis magiſque imminuto calore nativo, omnia paulatim in deterius abierunt. Anno itaque 1625. cum autumnus pluvioſus & inconſtans fuiſſet, de catharris magis magiſque conqueri cœpit, qui nunc hanc nunc illam partem invadebant. Tandem verò è regione renis dextri, ſub hepate fixus remanſit dolor, ab initio gravativus erat, paulatim tamen adauctus eſt.

Ego etiamſi ab initio morbi vocatus non fuiſſem, ſcio tamen, Collegam meum nihil eorum quæ requirebantur, omiſiſſe. Corpus ex arte purgatum, vena inciſa fuit, inunctiones quinetiam, fomentationes, & inceſſiones minimè neglectæ fuerunt. Ego cum 4. Februarii 1626. accerſitus eſſem, omniaque ex arte adminiſtrata fuiſſe viderem, nihil innovare volui: materiam enim ex ſuperioribus partibus deorſum delapſam, & inter peritonæum & muſculos abdominis retentam, beneficio fomentationum, cataplaſmatum &c. in halitum reduci poſſe ſperabam, ſed fruſtra. Quum itaque exteriùs nihil appareret, neque tactu quicquam perciperetur, Collega meus in illam incidit ſententiam, malum in rene eſſe; Viſum itaque fuit ęgro, ad acidulas Griesba-

Griesbachenſes ſe conferre, Tuamque Excellentiam alioſq; Medicos apud vos, in tranſitu Baſileam, in conſilium adhibere, ex eorum itaque, & noſtro conſilio acidulis uſus fuit. Bernam reverſus meliuſculè quidem habuit, non diu tamen poſt dolores lateris iterum ingraveſcere cœperunt. Conſtitutum itaque à nobis fuit, ut maturantia & pus moventia applicarentur; Si forſan materia inter peritonæum & muſculos retenta, verſus cutem attracta, beneficio inciſionis evacuari poſſet, quemadmodum in genere, virtute, & pietate nobili matrona, Dom. *VVildina* apud vos, & Soloduri in alia matrona nobili, tibi quoq; nota, in ſimili ferè affectu, ante annos aliquot à me factum fuiſſe, te non latet, ſed & his nihil profecimus, adeò labefactata apud ipſum erat facultas expultrix. Tandem deorſum & ad nervos crura moventes delapſa materia peccante, ſequuta eſt paralyſis crurum & veſicæ, ita ut urina guttatim exſtillaret, tandemq; videlicet 20. Febr. 1626. finem vitę ſuæ faceret. Propter acrimoniam enim urinæ & decubitum, ſequuta eſt circa Coccigem excoriatio & inflammatio, quæ tandem in gangrę nam ſphacelumque degeneravit, nateſque ad oſſa uſque eroſit; Vix credas quantos habuerim labores circa nobiliſſimum huncce ægrum, quos tamē parvi facerem, ſi cadaver, uti defuncto promiſeram, aperire mihi licuiſſet.

Porrò cum nobiliſſimum & afflictiſſimum ægrum, propter ſtillicidium urinę, in iſtis viderem anguſtiis, & proinde propter charitatem chriſtianam commotus eſſem, cogitatemque, quomodo ipſum in ſuis miſeriis ſublevare poſſem, inter alia inſtrumentum ad colligendam urinam, non ſine maximo ſolamine ægri, excogitavi; Ejus enim beneficio urinam ita collegit, ut ne guttula quidem ad ulcus deflueret. Hiſce diebus excellentiſſimum uſum hujus inſtrumenti in ſeptuagenario Viro iterum vidi, de quo poſtea fuſius, cùm pauca quædam, quæ de morbo nobiliſſimi ægri noſtri adhuc dicenda ſunt, adſcripſero.

Nobiliſſimo ægro, multiſque aliis morbum abditum & captum humanum excedentem viſum fuiſſe, & proinde ægrum voluiſſe, ut in bonum publicum cadaver ſuum diſſecaretur, ab initio hujus epiſtolę intellexiſti: mea verò quæ de hoc affectu fuerit opinio, paucis nunc adſcribam, tuoque judicio libenter ſubmittam.

Ægrum autem multis annis catarrhis obnoxium fuiſſe, tibi, Vir Clariſſime, qui ipſum familiariter cognoviſti, notum eſt. Cum itaque paulò ante morbum latus dextrum, neſcio nunc quâ illiſione aut caſu, quàm leviſſimè offendiſſet, affectumque neglexiſſet, & proinde latus labefactatum fuiſſet, humores paulatim ex capite ad partem debiliorem & in loco decliviori ſitam, defluere cœperunt, ab initio tamen ferè ſine moleſtia ac dolore, materia enim peccans frigida viſcidaque, ac in parva quantitate erat, eam autem inter peritonęum & muſculos abdominis latuiſſe, inde manifeſtum fit, quod exteriùs neque tactu neque viſu unquam illam detegere potuerimus. Quandoquidem longè faciliùs peritonæum introrſum in ſaccum, quàm muſculos abdominis cum ſuis membranis ac cute ipſa, extrorſum dilatare atque extendere potuit materia peccans; Idque in aliis me obſervare licuit, uti videre poteris Centuria 1. Obſ. 63. & in annexa epiſtola doctiſſimi Viri Dom. *Claudii Buccardi*, item Centur. 2. Obſ. 37. At abſceſſum graviſſimum Virtute & pietate nobiliſſimæ matronæ Dominę *VVildinæ*, nulla alia in parte quàm inter peritonæum & muſculos abdominis latuiſſe, ſatis ſuperq; exploratum habeo. Clarisſimus Dominus *D. Caſparus Bauhinus* p. m. cui curatio mecum commiſſa erat, id quoque ſępiſſimè coram me & adſtantibus faſſus eſt. Quod & odor ipſe puris, qui effluebat, ſatis ſuperque arguebat; Plerumque enim odorem interaneorum animalium recens mactatorum, planè præ ſe ferebat. Taceam nunc de periculoſo ac maximo affectu nobiliſſimæ matronæ, Dom. *Magdalenæ Beiſſin*, Nobiliſſimi & Conſultiſſimi Viri Domini *VVerneri Saler*, Solodurenſis Conſulis prudentiſſimi uxoris, cujus affectus tibi notus eſt. In hac matrona pus præcipuè inter muſculos & peritonæum congregatum fuiſſe, clariſſimus Dominus *Scharandæus* (qui ipſam mecum curandam habuit) fidem faciet. Valet & vivit etiam nunc quàm feliciter matrona illa.

Sed quęris forſan cauſam, cur innobiliſſimo ægro noſtro, inciſio æquè ac in præcedentibus facta non fuerit? Reſpondeo ac ſincerè profiteor, pręcipuam veramq; ſedem mali, ſemper nos, imo & ipſum ægrum latuiſſe. Cum enim materia peccans viſcida, & planè frigida eſſet, non pungitivos, ut in præcedentibus, ſed gravativos excitavit dolores, qui à coſtis mendoſis per totum latus ad inguen uſque dextrum æquabiliter ſe extendebant. Cùm itaque foris, ne minimum quidem indicium ſacculi, qui materiam continebat, appareret, ludibrio habebant adſtantes omnia, quę ego de apertura aut inciſione proponebam. Hæc ſunt, Clariſſime & doctisſime mi D. *Hagenbach*, quæ de morbo nobilisſimi ægri noſtri menti meę adhuc inhærent, ſi maturiùs calamum accipere potuiſſem, forſan & nonnulla alia, quæ memorię meæ exciderunt, addidiſſem. Hæc pręcipuè eam ob cauſam ad te ſcribere volui, ut anſam haberem inſtrumenta, ad colligendam urinam, in utilitatem ęgrorum in lucem dare, & ſextæ Centurię annectere. Tu omnia ęqui boniq; conſule, quæſo.

Superiùs de alio quodam ægro, ſtillicidio urinæ laborante, mentionem feci, fuit is ſeptuagenarius quidam Bernenſis, qui 21. Junii cùm totâ die circa ligna findenda occupatus fuiſſet, præter modum incaluiſſet, & circa crepuſculum veſpertinum, ſuperveniente pluvia frigidiuſcula, corpus ſubitò madefactum & quodammodò frigore percuſſum fuiſſet, paralyſi dextri lateris correptus eſt. Loquelam quoque & intellectum ſimul amiſit. Excrementa quin etiam, tum alvi, tum veſicæ, involuntariè effluebant. Vocatus, illam adhibui diligentiam, ut paulatim intellectum & loquelam ex parte recuperaverit. Ex parte inquam, ſiniſtrum enim nervum recurrentem ſaltem reſtitutum, dextrum verò ſimulque dextram partem ſpinæ, materia peccante etiamnunc oneratam eſſe arbitror.

Brachium enim & crus dextrum officio ſuo nondum funguntur. Excrementa tamen alvi non ampliùs involuntariè profluunt. Urina verò adhuc guttulatim exſtillat; verùm id propter retentricis facultatis imbecillitatem, in decrepitis mirum non eſt.

Cùm itaque ab initio, imò & in hunc uſque diem urina guttatim exſtillaſſet & (ut ingenuè fatear,) inſtrumentum prædictum è memoria mihi excidiſſet, ſed cum non diu poſt propter acrimoniam urinæ & decubitum ſequuta ſit excoriatio circa os Coccigis, & nates, hac de re valde ſollicitus eram, en rurſus in mentem mihi venit, quanto cum ſucceſſu Dominus in Wyl, p. m. prædicto inſtrumento uſus fuerat; protinus itaque illud ægro ſuppoſui, quo & urinam etiamnunc tam exactè colligit, ut ne guttula quidem deperdatur. Ab initio autem tria excogitavi inſtrumenta A.B.C. notata, quorum A. inter femora collocetur, dum æger ſupinus, B. ſi in dextrum, C. verò, ſi in ſiniſtrum cubuerit. (*vid. Tab.* XXI. *fig.* 1. 2. 3.

Sunt quidem aptiſſima inſtrumenta hæc, & prædicto Domino in Wyl maximam utilitatem ac ſolamen in ſuo morbo attulerunt, cùm tamen moleſtum eſſe viderē, tot inſtrumentis inſtructum eſſe, poſteà aliud, & quidem omnium aptiſſimum inveni. Aptiſſimum inquam, ſive enim ſupinus, ſive in dextrum, ſive in ſiniſtrum latus ſe vertat æger, quàm bellè adaptari poteſt. Ejus delineationem hîc quoq; annexi. (*vid. Tab.* XXI. *fig.* 4.)

Fabricatur autem vel ex argilla, vel ex ſtanno, cupro, imò etiam ex vitro, ejus capacitatis, ut libram vel libram unam & ſemis urinæ contineat.

In Viris autem ſolummodò utimur præſcriptis inſtrumentis, in mulieribus vix adaptari poſſunt, in iis verò vaſculum in libro de Lithotomia Veſicæ cap. 21. delineatum, aptum eſt, præſertim ſi filum craſſum ex lana contortum, pudendis per matronam aliquam ita adaptatū

fuerit, ut ſuperior pars fili colli veſicæ adhæreat, inferior verò in vaſculum propendeat.

Hæc de inſtrumentis ad urinam recipiendam. Coronidis loco addam compendioſiſſimam curationem ſtillicidii urinæ in decrepito, fuit is Dominus *Benedictus Grat*, olim verbi divini miniſter fideliſſimus, homo 95. annorum, hîc in vicinia in Dorberg, cui Anno 1626. quum ſtillicidio urinæ correptus fuiſſet, nec ſine moleſtia aliquandiu laboraſſet, meque in conſilium adhibuiſſet, & malum propter retentricis facultatis imbecillitatem ortū eſſe cognoviſſem, ſequentem exhibui potiunculam.

R. Syr. de papavere, & De Althæa Fernelii an. ℥ j. Confectionis Alkermes ʒ j. Aq. Bugloſſæ, Boraginis & Meliſſæ an. ℥ij. Aq.Cinamomi, ſive vino deſtillatæ ℥jß.

De hac potiuncula ſumebat ſingulis diebus per tres horas ante prandium, ad cochlearia tria aut quatuor, totidemque per tres horas poſt cœnam, idq; ad menſes aliquot. Hoc ſolo medicamento, optima tamen obſervata victus ratione, ita inſtaurata fuit facultas retentrix, ut ab eo tempore, & ad finem uſque vitæ ſuæ (vixit autem uſque ad annum 95. ætatis) urina non amplius involuntariè efflueret. Per intervalla tamen præſcripta potione utebatur.

His vale Doctiſſime amantiſſimeq; mi *D.Hagenbach*, & cum tuis omnibus quàm feliciſſimè vive. Dabam Bernæ 3. Sept. 1628.

De ardore & incontinentia urinæ, & nova inventione inſtrumenti, quo inter deambulandum colligitur.

Ad eundem Virum doctiſſimum

Dn. Jacobum Hagenbachium, Medicinæ & Chirurgiæ Doctorem celeberrimum,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

SUperiori an. doctiſſime mi Dom. *Hagenbach*, Caſum non Vulgarem de ſtillicidio urinæ ad Te ſcripſi, nunc ſimile quid occurrit, quod tecum communicare viſum eſt. Capitaneus quidam decrepitus, Civis Friburgenſis, à multis annis arthritide nodoſa laboravit: Ante annum quoque de ardore & acrimonia urinæ conqueri cœpit. Præſcripta fuerunt multa, tum à Medicis Freiburgenſibus tum etiam à me, ad demulcendum ardorem & acrimoniam urinæ, quæ tamen parum profuerunt. Materia enim, quæ antehac ad articulos defluere, ibidemque dolores intenſisſimos excitare ſolebat, nunc ad renes & vias urinarias decumbit. Hinc tanta ſequitur urinæ acrimonia, ut illam ſingulis ferè momentis reddere coactus ſit: dolores verò Arthritici non uſq; adeò vehementer, uti antehac, ipſum moleſtant, corpore quin etiam mediocriter valet: ita etiam ut plerumque in publicum prodiret, niſi incontinentia urinæ obeſſet. Ut igitur optimum huncce virum & mihi à multis annis amicitia junctum, in tantis moleſtiis ſublevarem, inſtrumentum commodisſimum inveni, quo urinam inter deambulandum colligit. Eſt autem tubulus ex ligno tornatus, cui ex infima parte, veſica bovina alligata eſt. Ex ſuperiori verò parte thoraci, ex duplicata tela facta, tubulus annectitur, ut ex ſequenti figura videre licet. (*vid. Tab.* XXI. *fig.* 5.)

Commodisſimum eſt inſtrumentum hoc non ſolum pedes incedendo, verùm etiam equitando. Veſica enim, tubulo alligata, urinam tam bene recipit, atque continet, ut ne guttula quidem deperdatur. Sed quia ægro tandem, propter madorem veſicæ, ſit moleſtum, idcirco vaſculum excogitavi, quod membrum virile quoque excipit;Eſtque ſimili modo thoraci annexum. Specimen quod mitto, fictile quidem eſt, longè tamen commodius erit, ſi ex argento, cupro, ſtanno, aut tenuisſima lamina ferrea inſtagnata (ſturzt) fabricatum fuerit. Externa facies hujus vaſculi nonnihil in rotundum elevata eſt. Oppoſitum verò latus, quod femora verſus tendit, multò magis exuberat. Capacitas ejus ſit, ut ſemilibram contineat. Ambo inſtrumenta ad te mitto, (*vid. Tab.* XXI. *fig.* 6. & 7.) quæ ut ſerena fronte accipere velis, rogo. His vale, Vir doctisſime, & feliciter vive diu. Raptim Bernæ 25. Junii 1629.

Iſchuria ex urethræ ruptione, & urinæ in ſcrotum effuſione, curata.

Clariſſ. Joh. Ludovici Apini. Miſcell. Curioſ.Decur. iij. Ann. 3.

Leonhard Vogel, Murarius in Alfeld, d. 5. Decembris 1694. Supino in terram lapſu interfemineum cum teſticulis & ſcroto graviter impegit, diſtracto arboris trunco, & ab illo tempore nullam potuit urinam reddere, inſequente ſcroti mox ingenti tumore. D. C. poſtquam mihi hęc nunciata eſſent, ad reſolvendum ſanguinis grumum, quem exiſtimaveram Iſchuriæ adjutorem eſſe, & ad fovendas partes à contuſione graviùs læſas, applicatur Cataplaſma, non intermisſis internis cruori fundendo pariter dicatis. Cùm hæc ſine ſucceſſu adminiſtrarentur, d. 7. ipſe vocor, & ſub veſperam adveniens ſcrotum adeò tumens reperio, ut capacitatem pilei non intraſſet. Color erat ater quaſi ſanguinis ſuffuſi, & virile quoque membrum horrendum intumuerat, ſimul, ut in hydropicis ſolet, tortuoſis in ſe reflexum gyris. Tentavi frequenti apti liquoris in penem injectione ſolvere, quod me ſolicitum adhuc tenebat, ſanguinis coagulum, & ſpaſmodicas fibrarum externâ violentiâ læſarum criſpationes demulcere nitebar paregoricis linimentis & fotibus: Sed incaſſum, ſcroti tumore ad ſenſum aucto, & ægro, quoties urina urgeret exitum, miſerè ejulante & de ardore in ſcrotum deſcendente conqueſto, ut jam ſuſpicarer, urinam in hunc ipſum colligi ſacculum, qua in ſuſpicione tantò magis confirmabar, quòd turgentem & explorantem digitum in perinæo ad radicem penis ubi urethram, ſalvis exterioribus ruptam fuiſſe oportet, ferre non potuerit. Itaque ſine morâ ſcrotum profundiùs ſcarificatur, cum cautelâ tamen, ne ſubjectæ partes læderentur, tantò magis neceſſariâ, quòd æger herniâ inteſtino-ſcrotali per plures jam annos laboraret. Effluebat illico bona pars ſeroſi liquoris, urinoſum odorem ſpirantis, ſanguinis verò nihil. Jubebam inde imponi linteamina calida ſpiritu vini camphorato & matricali ebria, ad arcendam putredinem & gangrænam ſcroti jam imminentem,applicatis deſuper ſacculis ex ſummitatibus pini, abietis, herb. beton. ſalv. fl. Chamæmel. Serpill.Origan. bacc. laur. juniper. ſem. cumin. & camph. vino incoctis. Manè d. 8. lętior ſcroti compareт facies, ut hinc inde pulchrè ruberet, &, quod per noctem ſeri non parum extillaverit, jamjam notabiliter detumeſceret. Saltem in ſiniſtra ejuſdem parte macula nigra corruptæ jam dum ſphacelo portionis cujuſdam cutaneæ conſpiciebatur, quam ſine doloris ſenſu cultelli acie à cute vicinâ ſanâ ſeparavimus.Cæterùm in uſu dictorum adhuc pergebatur, niſi quod labiis ulceroſi nunc ſcroti unguento digeſtivo proſpiceretur. D. 9. referunt mihi pro certo nunc conſtare, omnem urinam per ſcrotum excerni, & quidem ſine notabili dolore; cupiebatque nunc æger, ut ordinarium ſibi reſtitueretur per penem urinæ iter, id quod annuente gratiâ divinâ feliciter quoque perfectum feci. Et in ſcrotum ulceroſum, & in urethram per penem curabam ſypunculo injici ſeq. liquorem vulnerarium. ♃. Herb. Conſolid. Saracen. Pyrol. Heder. arbor. ana Mj. lign. quercin. ℥j. juniper. ℥ß. ſal. tartar. ʒij. Coq. in ſ. q. aq. com. Colaturæ ♃. ℔j. add. mell. roſac. ℥j. Maſtich.Thur.Myrrh. pulveriſat. ana ʒj. D. ad fictil. S.

Warm

VVarm einzuſpriken. Labiis ulceroſis unguentum digeſtivum, Emplaſtrum de Minio & Cataplaſma ex ſolis apicibus pini & abietis cum vino paratum conſtanter imponitur. Cum hæc ſedulo continuarentur, & pro uſu interno ſequens ſimul pulvis ſumeretur:

℞. Oculor. cancr. præp. ʒ ij. pulv. conſol. Saracen, ſem. anis. an. ʒ iij. M. D. ad ſcat. S. *Auſheilendes Pulver, Morgens und Abends 3. Meſſerpiken im VVein zu nehmen.*

factum omine felici, ut d. 15. dimidium urinæ per viam ordinariam redderetur, reliquum verò per ſcrotum adhuc efflueret. Iterantur eadem medicamenta tam felici ſucceſſu, ut ſubinde paucior ex ſcroto manaret urina, & d. 26. omnis per viam ordinariam excerneretur, unde conſolidationem in urethra factam judicavi, & ſcroti curam ſiccantibus brevi, benedicente Deo, ad finem perduxi.

Iſchuria per puncturam peniræi, curata.

Clariſſ. Viti Riedlini. Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Quod in Iſchuria, cui Mercatorem quendam ſuccubuiſſe, anno tertio, die Februarii ſecundo Linearum mearum medicarum retuli, apertionem Perinæi ſed fruſtra ſuaſerim ibi, ſi reliquas lineas, ſine dubio legiſti, quia nempe nec Chirurgus tum adfuit, cui ſat tutò operatio hæc committi potuiſſet, nec ægrotus in eandem conſentire voluit, mentem tamen meam, ſic ſervari nonnullos tam gravi decumbentes malo poſſe, propterea non mutavi, quin in ſententia mea magis confirmatus fui, cum haud ita diu poſt Franciſci Tolleti, Chirurgi Pariſienſis, egregium de Lithotomia tractatum evolviſſem, qui huic ipſi operationi totum caput XXI. deſtinavit, & tam inſtrumentum, quo, tam quomodo ſit inſtituenda, pluribus deſcribit, ut adeò, ſi in poſterum talis iterum caſus mihi obveniret, modò adeſſet, qui commodaret manus, Chirurgus, eam ſuadere denuò, nullus omnino dubitarem, cùm præſertim interea Nicolaus Menageot, Chirurgus Cæſareus meritiſſimus, hiſtoriam feliciter peractæ hujus operationis recenſuerit, quam hîc repetere non prorſus abs re erit. Sunt plures jam anni, quod Viennę ſcribæ cujuſdam filiolus, puer optimæ ſpei in Iſchuriam incidit, quæ per aliquot dies inſtans, nullique remedio vel minimum cedens, omni ſpe, eundem è mortis faucibus eripi poſſe, Parentes privavit, accidit verò fortè fortunâ, quòd Chirurgus, cujus curæ demandatus fuerat Puer, eundem adiens, in via offendit modò laudatum Menageot, cui, quia familiari ejuſdem amicitiâ gaudebat, caſum recenſuit, utque ægrum ſecum adiret, rogavit, nec defuit hic ejuſdem petito, cùmque omnia diligenter exploraſſet, tumorem inæqualem ab urinâ in abdomine ſubortum notaſſet, & penem à tumore tam diſtortum inveniſſet, ut nulla arte Catheter applicari potuiſſet, de Puncturâ Perinæi cogitare coepit, ne verò aut audax nimium videretur, aut vi morbi ſubſequens mors ſoli operationi adſcriberetur, ſine Medici conſilio eandem inſtituere detrectavit, qua de cauſa Celebris quidam Vir, cùm quàm periculoſum ſit, in craſtinum expectare, uti quidem Mater voluerat, demonſtraſſet, eodem adhuc die vocatus fuit, qui ſibi imaginatus, Chirurgum in pubis regione, ubi veſica urinâ repleta aliquantum protuberabat, apertionem hanc moliri, eam quidem aliquoties inſtitutam ſe meminiſſe, at nunquam feliciter ceſſiſſe, eidem in aurem dixit, at cùm hic modum, quo Perinæum perforare velit, indicaſſet, ſtatim conſenſit, unde paulò pòſt inſtrumento hunc in uſum parato, quod *Trocart* Tolletus nominat, feliciter veſicam aperuit, & immiſſo Cathetere flexili, Urinam tum in Veſica præſentem evacuavit, nec hunc denuò extraxit, donec & cauſa obſtructionis hujus ſublata fuit, ut nempe interea ſemper urinam per hanc viam reddere poſſet, hæc verò pene demum detumeſcente innotuit, qui tum infra glandem exulcerari coepit, per quod ulcus, Calculus, qui hactenus urinę viam conſuetam intercluſerat, extractus fuerat. Utut autem extracto Cathetere, tum per illud arte factum, tum ab ulcere excavatum foramen aliquamdiu puer minxerit, cicatrice tamen paulatim læſis his partibus inductâ, Dei gratiâ, ſic convaluit, ut de quo conqueratur, hunc uſque in diem non habeat. Sicuti verò hic ſine dubio, niſi tali modo eidem ſubventum fuiſſet, ſervari vix potuiſſet, ita ſane, ubi inprimis certum imminet vitæ periculum, Medicus ab extremis talibus remediis tantùm non abhorreat, ut ea nunquam prorſus in uſum vocare auderet, cùm feliciter in uſum ductorum plura quoque non deſint exempla.

Anatomicæ Inſpectiones.

De urinæ retentione, in qua plurima obſervatione digna occurrunt.

Viro Clariſſimo Doctiſſimoque

D. Philib. Sarazeno, Doctori Medico, magni illius Jani Anton. Saraceni F. amico ſingulari,

Cui

Guilhelmus Fabricius Hildanus

S. P. D.

Quod de Dyſenteria veſtra graviſſimâ communicaſti ſcriptum, vir Ampliſſime, domine & amice ſummoperè honorande, gratiſſimum mihi fuit, quod & in Tractatu meo de Dyſenteria, quem nunc piæ manibus habeo, locum honeſtiſſimum habebit. In uſu aquæ chalybeatæ te cum *Cratone* non conſentire video, nec immeritò. Quandoquidem tantus vir, ut acceptam atque probabilem hancce novam ſuam opinionem ac paradoxon redderet, ſuas rationes debebat addere. Ariſtoteles tamen lib. proble. & Avicen. lib. 1. Fen. 2. doctr. 2. cap. 16. tecum minimè conſentire videntur. Aquam enim in coctura ſubtiliorem & rariorem fieri, docent.

Ego tamen, ut ingenuè fatear, in Dyſenteria illa populari, quę ſuperioribus annis apud nos graſſata eſt, cum fructu ægrorum, ab uſu aquæ chalybeatæ me abſtinuiſſe, auſus ſum affirmare.

Cæterùm quia te circa res medicas obſervatione dignas, curioſum eſſe ſciam, hiſtoriam hanc de retentione urinæ non communicare non libuit. Illa autem ſic ſe habet.

David Romay, civis Paterniacenſis, annos 80. & ultrà natus, cùm ex nimio vini recentis uſu 13. Novemb. anno 1606. ſuppreſſione urinę, & dolore colico corripi cœpiſſet, nulliſque remediis in diem 12. usque morbi ſui uſus fuiſſet, tandem extrema neceſſitate urgente, die videl. 12. dicta, quæ 24. Novemb. erat, me accerſere coactus fuit. Tùm hominem in lecto febricitantem, miris cruciatibus ac doloribus afflictum, viribus quinetiam proſtratum, cum ventris tumore magno, duro, tenſo, ac renitente, ab oſſe pubis ad regionem fundi ventriculi, & hypochondriorum ferè uſque, gravidę inſtar, offendi. Ego illicò ſacculum ex herbis, radicibus, ſeminibus emollientibus, relaxantibus, ac urinam moventibus, præparavi, & aquâ coctum calidè applicui. Cathetere dein per ductum urinarium in veſicam immiſſo, libras quinque urinæ, cum unciis quatuor medicinalis ponderis, extraxi. Unde afflictus & decrepitus homo mirum in modum allevatus fuit, tumor quoq; ventris multùm ſubſidit.

Die ſequenti, videlic. 25. Novemb. Enema emolliens, leniens, ac anodynum ipſi exhibui, catheterem quidem inruſi in veſicam, urinæ tamen nihil emanavit. Hinc denuò auctus eſt dolor, & tenſio ventris.

Vigeſima tamen ſexta die, quum rurſus catheterem per meatum penis in veſicam immiſiſſem & libras ſex urinæ elicuiſſem, protinus dolor & tenſio ventris ceſſavit.

Vigeſimâ ſeptimâ denuò catheteris beneficio urinæ ℔vj. profluxêre. Id quod ſanè mirandum, quomodo veſicæ corpus tam exiguum, ità extendi potuerit, ut tandem

urinę copiam contineret. Unde non mirum, miſerum hunccе ſenem tam diris cruciatibus vexatum fuiſſe, quum veſica pars maximè ſenſilis, & tanta urinæ copia tantopere fuerit diſtenta.

Die 28. circa meridiem rursùs cathetere immiſſo, poſtquam urinæ ℔ iiij. cum ℥ iiij. extraxiſſem, ſub finem circiter ℥ j. puris ſubſequuta eſt. Poſteà clyſtere leniente & anodyno injecto, bis alvum exoneravit, indéque maximum levamen perſenſit. Sub veſperam verò horâ nonâ adhuc ſemel cathetere in veſicam indito, urinæ ℔ iiij. uti præcedentibus vicibus, quibus ſemper quoque multum ſanguinis effluxerat. Ex quibus ſignis facilè conjicere licuit, abſceſſum in veſica delituiſſe, ejusque venulas propter extenſionem ab urinæ copia factam, ruptas fuiſſe.

Die 29. matutino tempore aliud Enema emolliens & anodynum injeci, & circa meridiem per immiſſum catheterem, urinæ ℔ iiij. & ℥ vj. cum cyatho puris pleno, uti & ſub veſperam libras quatuor & uncias octo cum pauxillo puris, extraxi.

Die 30. Novembris manè cathetere urinę ℔ ij. cum multo ſanguine admixto, ſub veſperam verò cyathos tres vel quatuor elicui. Verùm antequam ulteriùs progrediar, id notandum; etſi catheter difficulter immitteretur, parvo tamen & exili cathetere me nunquam propter obſtacula, quæ circa ſphincterem latitabant, in vacuum veſicæ pervenire potuiſſe, craſſiori verò imò qui craſſitiem pennæ cygni adæquabat, multò faciliùs.

Ratio forſan hęc reddi poteſt: quia cum ductus urinarius circa veſicæ collum, imò & ſphyncter ipſe propter ſcyrrhum, qui ante oſtium colli veſicæ latitabat, uti poſteà dicemus, tumefactus eſſet, neceſſariò in perinæo coarctatio & anguſtia ipſius ductus urinarii ſequebatur. Porrò exilem & minutum catheterem hanccе anguſtiam aperire atque dilatare non potuiſſe, rationi conſentaneum eſt, id quod craſſioris beneficio faciliùs, & minori cum dolore fieri potuit.

Die 1. Decemb. manè cùm in ipſo ductu urinario, & circa collum veſicæ obſtacula nonnulla, catheteris intromiſſionem nullomodo ampliùs admitterent, Enema emolliens, leniens, & anodynum, illi denuò exhibui, ventrem, inguina, & coxas oleo anethino, lumbricor. & chamomil. renes verò unguento roſato inunxi. Dein à prandio ſemicupium ex radicibus, herbis, floribus, ſeminibus emollientibus, relaxantibus, & dolores lenientibus præparavi. In quod cùm deſcendiſſet æger, & per horę quadrantem reſediſſet; urinam ſponte excernere cœpit, indeque levamen non exiguum perſenſit.

Die 2. Decembr. manè illi ad ʒ ij. terebinthinæ Venetæ exhibui: ventrem, inguina, coxas & renes prędictis oleis & unguento inunxi. A prandio propter doloris vehementiam, rurſus illum in ſemicupium deſcendere juſſi. Ex quo egreſſus, non ſolùm urinam copiosè, ſed unà quoque materiam craſſam, albam, ac fœtidiſſimam excrevit. Sub noctem verò quia alvus non reſpondebat, denuò illi Enema injeci; Qua nocte alvum ter exoneravit.

Die 3. nonnihil aquę noſtræ diureticæ illi propinavi, & partes prædictas bis quotidie inunxi. Medicamentis hiſce Deus Opt. Max. ita benedixit, ut deinceps ſemper urinam, ſimul & purulentam atque fœtidam materiam ſponte & absque dolore aut impedimento redderet. Ventrem nihilominus & renes quotidiè, uti dictum, inungere juſſi. Verùm pro mundificatione & abſterſione renum, veſicæ, & meatuum urinariorum, die 5. Decemb. ʒ ij. terebinth. Venetę illi exhibui. Et quia tumor ille durus è regione veſicæ nondum penitùs ſublatus erat, ſacculum ex radicibus, herbis, floribus, ac ſeminibus emollientibus, reſolventibus, & flatus diſcutientibus, bis aut ter interdiu calidè applicare imperavi. Tumor tamen ex hujus ſacculi applicatione, cum urinæ illius fœtidæ ac purulentæ excretione ad 17. diem menſis Decemb. perſiſtebat, qua tandem paulatim tumor ſubſidere, urinaque aliquantum clarior ac purior fieri, fœtorque remittere cœpit. Intereà temporis alvo non reſpondente, modò clyſteribus, modò ſuppoſitoriis, modò pulvere mechoacę ad ʒj. cum juſculo carnium recentium utebatur. Hinc ventris dolores ſedati fuêre: urinam quoque absque difficultate, ſed involuntariè reddebat. Die 6. Jan. 1607. levis quędam diarrhœa ad dies 4. vel 5. durans, ſupervenit, quæ tamen poſtquam ipſi quotidie ter aut quater parùm aquę cinamomi absque vino deſtillatæ, cum confectione alkermes exhibuiſſem, ceſſavit.

Circa diem 9. Januarii urina per ſeceſſum, nunc ſeorſim, nunc verò mixta excrementis, & quidem involuntariè effluere cœpit, neque ampliùs per penem eam reddidit. Dolor tamen nullus aderat, viresque pro ætate conſtabant, nec appetitus admodùm proſtratus uſque ad 18. Januarii, quâ tuſſicula ſicca correptus, vires & appetitus paulatim ita diminuebantur, ut 30. Januarii, piè ac placidè animam *Deo* reddiderit. Aperto cadavere ſcirrhum magnitudinem ovi gallinacei adæquantem, unciasque duas pendentem, in ipſa veſica, & quidem ante collum ipſius tenaciter adhæreſcentem, inveni. Ex cavitate prætereà veſicæ, uſque in inteſtinum rectum, ulcuſculum conſpiciebatur rotundum procul dubio ab urina purulenta & fœtida exeſum. Corpus item veſicæ circa ipſius collum, uti quoque inteſtinum rectum lividum, ren uterque inſignis magnitudinis, exteriùs veſiculis quamplurimis ſeroſo humore ſcatentibus, apparebant. Hepar denique in parte cava durum ac ſcirrhoſum viſebatur.

Curationi ſæpiſſimè interfuêre Reverendus *D. Joh. Merula,* hujus loci verbi divini miniſter fideliſſimus, Doctiſſ. *D. Emanuel Urſtiſius* Liberalium artium Magiſter, Dn. *Daniel Tavellus*, Scholæ Paterniacenſ. Ludimoderator, Nobil. *Jacobus De Bruel*, & quamplurimi alii, quorum & major pars diſſectioni cadaveris interfuerat. Vale Vir clariſſime, & feliciter vive diu. Paterniaci Aventicor. Die 4. Julii, 1608.

Anatome Adoleſcentis Dyſuriâ extincti.

Clariſſ. Joh. Chriſtophori Bautzmanni. Miſcell. Curios. Decur. iij. Ann. 7. & 8.

Hactenus in praxi meâ, ſi ritè memini, octo ſe mihi obtulerunt Patientes Dyſuria mortali confligantes, quibus non ſolùm à me, ſed & aliis Præſtantiſſimis Medicis (taceo Medicaſtros) fruſtra levamina, etiam omnis generis, adhibita fuere. Fateor etiam quòd caſus ille, quem Magnificus Præſes Dn. D. Lucas Schröckius in Decadis II. Anno VIII. Obſervatione CCXXXII. recenſet, me ſæpiſſimè anxium detinuerit, quale de illis hactenus tractatis Patientibus prognoſticon proferre debebam. Non ſemel etiam dolebam de perverſo illo hominum plerorumque more, nolentes aperturam cadaverum ſuorum propinquorum concedere, quorum ope noſtra experientia firmior reddi poſſet. Tandem autem illam obtinui, concedente in vivis Patiente, & poſt mortem Parentibus, An. 1698. die quinto Aprilis in corpore Georgii Nicolai *von Staden*, filii maximę ſpei & indolis Secretarii Regii Conſiſtorii. Hic puer tredecim annorum cum ſemiſſe, in vita ſua per complures annos dolore Renum, Abdominis, Dyſuria, dolore in Glande Penis (quam continuò comprimebat) vexabatur, tandem in Hecticam incidebat, & per intervalla cum Urinæ ſtillicidio, maximoque Urinæ ardore pituitam lentam in fundo matulæ adhęrentem tenaciter excernebat. Aperto Cadavere Veſicam Pure ſcatentem, cum Lapide ʒiiiß. inveniebam, qui propter aſperitatem ſuam, orificium veſicę continuò vellicaverat, & ad

excernendum

excernendum onus, ſed fruſtra compulerat, & veſicam maculâ nigrâ, forte Gangræna incipiente notaverat, unde etiam continuæ vomitiones billioſæ ante diſceſſum ex hac miſeriarum valle, Renis dextri parenchyma penitus conſumptum erat, & ſacculus relictus, pure cocto refertus apparebat. Ren ſiniſter valde flaccidus, tamen à putredine intactus manſerat; cæteris viſceribus ſanis & illæſis. Ex quibus conjicere poteram Renem in principio morbi calculis refertum fuiſſe, qui aſperitate ſua ſuppurationem ibidem fecerunt, tandem autem per Ureterem in Veſicam deſcendiſſe, ibidem per ſubſequens & deſtillans pus & mole tartareâ in dies auctos, in unum corpus coaluiſſe. Credo igitur (citra prejudicium tamen aliter ſentientium) omnes illos Dyſuria laborantes, quos hactenus tractavi, qui dolorem illum ſympathicum in glande perpeſſi fuerunt; & Pituitam lentam excreverunt, ſi non calculos in Veſica aluere, ſaltem ſuppuratos Renes habuiſſe.

Dyſuriæ cauſa rara, Anatome detecta.

Clariſſ. Lucæ Schröckii. Ephemerid. German. Centur. I. *&* 2.

Matrona 57. annorum, per integrum annum valetudinaria, prçter alia ſymptomata, doloribus in pube & abdomine, dextrum inprimis hypochondrium, ubi tumor durus, indolens, capitis infantilis magnitudine tactui obſervabatur, occupantibus infeſtabatur; omnium verò moleſtiſſimum erat dyſuria, cum teneſmo, alvi difficultate, fluoreque albo, interdum ſanguini permixto, urinâ verò quaſi lacteâ exiſtente. Poſt varia in vanum adhibita remedia, quibus calculo potiſſimum medela quærebatur, meum etiam conſilium in principio Anni 1708. expetiit, qui, præmiſſo de incerto curæ ſucceſſu prognoſtico, de calculi prçſentiâ dubitans, & præter meſenterii tumorem ſcirrhoſum, circa veſicam etiam tale quid latêre judicans, temperantibus & abſorbentibus internis, externis etiam reſolventibus dolores demulcere laboravi, & propinatâ idcirco primò magneſiâ albâ, leviculas inducias impetravi, urinâ etiam clarâ inde effluente, quæ verò poſt aliquod temporis ſpatium priorem faciem reinduit, quin turbida dein fœtidaq; evaſit, & talis ad finem uſque vitæ perſtitit. Marte dein, tum in ſubtiliſſimam ſcobem limato, tum in tenuem crocum cũ aquâ corroſo, tumentes glandulas reſtituere, quod in aliquibus aliis bene ceſſiſſe expertus fueram, aliquandiu ſed fruſtra tentavi. Tandem anodyno pulvere, ſæpius exhibito, dolorum vehementiæ obviam itum, qui licèt ſomnum non induceret, ſemper tamen aliquot horarum inducias à doloribus conciliavit; uſque dum ægra penitus emaciata in fine Menſis Julii vivorum numero eximeretur. In cujus Cadavere aperto nihil præternaturale inventum fuit, tumorem in dextro hypochondrio ſcirrhoſum, inteſtino ileo, & colo arctiſſimè adhærentem, ſimilemque alium, qui totam ferè pelvim occupaverat, atque veſicæ fundo penitus adnatus fuerat, ſpithamæ latitudine & quatuor digitorum altitudine, duorumque ferè craſſitie conſpicuus, ſenſim verò in utraque extremitate anguſtior redditus. Hunc comprimendo veſicam, atque ob ſalſas ſtagnantis in eo lymphæ particulas eandem lancinando, doloroſam iſtam urinç excretionem produxiſſe arbitror.

UTERI MORBI.

DE Uteri fabrica ac officiis vide quæ abundè in Bibliothecæ noſtræ Anatomicæ parte primâ: Morbos autem quod attinet, jam de iis in Menſtrui fluxus morbis, in Partionis morbis, &c. Hic itaque tantum de Scirrhô & Canc ô Uteri & de ejuſdem Procidentia per *Curationes, Obſervationes, & Anatomicas inſpectiones.*

Curationes.

De Scirrho & Cancro uteri.

Licet Medici veri ac rationalis ſit, Morbos præſentes curare, futuros præcavere, incurabiles non attingere, ne infamentur remedia quæ multis fuère ſaluti: quoniam tamen ſatius eſt anceps ac dubium experiri prçſidium quàm nullum, & Chriſtiana charitas non vetat ægris ſpem poſcentibus denegare auxilium; Patientis voluntati mos gerendus eſt, eaque præſcribenda quæ teterrimam diriſſimi morbi hydram leniant ſaltem, ſi non extinguant & averruncent.

Cancros occultos (id eſt; vel non apertos, vel Uteri) non tangere melius: ſi enim tangas, moriuntur citius; ſi non tangas, diutiùs perdurant.

Hoc affectu laborantes ſæpe conqueruntur de dolore Lumborum & dorſi, ob Nervos qui à medulla ſpinali orti in uterum implantantur. At cur pars ſpinæ ſuperior dolet, inquies? Nota, nervorum diſſectionem & diviſionem fieri in partibus ſuperioribus, (ita ut medullâ ſpinalis ſit inſtar caudæ equinæ) licet è ſpina prodierint in inferioribus; dolor autem ad originem uſque extenditur.

Ventriculus itidem ſæpiſſimè nauſeâ vomituque afficitur per conſenſum ob ſextum par nervorum quod utrique parti inſeritur.

Si vires conſtent, purgetur pil. ex fol. ſennæ, tartaro chalybeato, pulvere rhabarb. jalap. exceptis extractis rhei, ſennæ & abſinth. Ad maſſæ hujuſmodi ℈j. add. gr. x. xii. xv. vel xx. pulv. calomel. At in iſtis non properandum; nam generoſa remedia validas vires poſtulant.

Si blandiùs purgare velis, detur ptiſana laxans clarificat. ex ſenn. ʒij. pulp. tamarind. ℥i. pulp. caſſiæ ʒvi. vel mann. ℥i. f. potio ut artis eſt. Aut detur dilutũ caſſiæ ſolùm, factum cum ptiſana, & ſæpius per pãnum trajectum. Conveniunt etiam ſyrup. de pomis ſolutivus, de epithymo Auguſtanus, violarum ſolutivus, &c.

Clyſteres, ſive ad purgandum, ſive ad diſcutiendum, ſive denique ad leniendum dolorem injiciantur, in parva ſint quantitate.

℞. Juris omaſorum ℥ iv. vin. muſcatell. ℥ij. infuſ. croc. metal. ℥ iij. ſal. gem. ʒ i. f. clyſter (in ſcirrho) purgativus.

Clyſter, cui incoxerint plantago, ſolanum, papaver erraticum, agrim. herba Roberti, idque in lacte aut jure capitis vitulini, detur in parva quantitate (viz. ℥viii.) cum ſyring. aut veſica ſiphone brevi. Urgente ſummo dolore, in eo diſſolvantur gr. ij. iv. vi. Laudani. Nihil addatur pingue, ſed ſoli ovorum vitelli. Injiciatur hic clyſter quoties alvus pigra extiterit. Præterquam enim quòd ab adſtricto alvo pejus ſe habeant ægræ, clyſter etiam rationem obtinet fotus pro utero.

Si quid valet in diſcuſſione, certe Mercurius crudus, in parva quantitate, ut primò ad ℈i. permixtus pil. fœtid. vel iſtiuſmodi, additis gr. x. vel viii. vel vi. flor. ſulph. nulli ſecundum eſt ad complendam iſtam intentionem diſſolvendi medicamentum. Da audacter ſæpiùs ſine metu ptyaliſmi; qui quamvis ſuperveniat, nihil nocebit.

Electuarium hoc roborans eſt ſpecificum adverſus Cancrum, ſumend. mane & veſperi inſtar avellanæ majoris.

℞. Lact. ex æquis partib⁹ ocul. cancr. perl. & corall. cum aq. veronic. præpar. ℥ ij. cancr. fluviatilium ad albedinem calcinator. chel. cancr. marin. nigr. in apice an. ℥i. diaphoretici vulgaris optimè præpar. ℥iß. milleped. præpar. raſur. dent. equi marin. viperinç carnis præpar. an. ʒx. cornu cervi ad albedinem uſti, raſur. cran. human. uſti & non uſti an. ʒvi. Rad. gladiol.

 ſcro-

ſcrophular. utriuſque, filipendul. ſpong. bedeguar. ſicc. an. ʒv. lapid. lazul. gagat. & ſmaragd. præp. an. ʒvii. Mſ. & cum ſyrup. fact. ex ſuccis pedis columbin. & veronic. utriuſque, f. Elect. inſtar. Opiatæ.

Viperarum caro magni eſt momenti in curatione Elephantiaſis quæ eſt Cancer univerſalis, quidni earum ferarum uſus etiam conveniet in cancro particulari cum idoneis vehiculis?

In junioribus quibus menſes, naturæ lege, non ceſſaverint, Chalybeata (cum menſes moventibus) principem locum obtinent; (nihil enim chalybe potentius ad internos ſcirrhos emolliendos & abſumendos) ſenioribus autem (fluxum menſtruum non patientibus) non æquè proſunt.

Victus ſit boni ſucci; alimenta quæ facilè coqui & citò diſtribui poſſint, exhibeantur. Ut gelatina ex carnibus & cornu cervi. Juſcula conſummat. Jus carnium diſtillatum per deſcenſum, expreſſum, colatitium, reſtaurans. Panatella. Ova ſorbilia. Emulſiones, Amydalogala. Hordeatum, &c.

Cereviſia medicata in uſum ordinarium ſit talis.

℞. Sarſæparill. ℔i. rad. filic. fœm. rad. cannæ Hiſpan. lign. lentiſc. ana ℔ß. rad. ſcrophular. major. filipend. ſigill. Solomon. ana ℥iv. lign. ſalſafr. ℥ij. raſur. dent. equ. marin. C. C. & eboris ana ℥iij. fol. agrimon. ſanicul. veronic. utriuſque, ceterach ana m. ij. ſummit. roriſmar. p. iij. nuc. moſchat. ℥j. Alæ galon. x. ſucc. naſturt. aquat. & cochlear. ana ℔ijß. Sinatur fieri fermentatio.

Paſſulatum ex aqua chalybeata utiliter pro potu ordinario propinari poteſt. Aqua autem calens projiciatur ſupra paſſulas Damaſcenas, & f. fermentatio donec vinoſum habeat ſaporem. Vinum item gilvum oligophorum aquis Spadenſibus dilutum. Serum etiam lactis clarificatum, cum ſyrup. de pomis redolentibus. Aquæ denique in *VVellenborough* prope *Ashby* in Comitatu *Northampton*, conſtantes ex ferro multo, vitriolo pauco, & alumine aut nitro, multum valent.

Cùm dolor ſit ſymptoma maximè plerumq; urgens, ad hunc ſedandum, Laudanum exhibeatur vel per ſe ad gr. i. ij. iij. iv. quia aſſuetudine tandem natura ejus uſum ſpernet; vel cum conf. de hyacinth. vel cum diaſcord. ℈j. bene fermentati, ita ut non fœteat aut galbanum ſapiat. Abſtinendum ab opio quia venenatum, caput valde ferit, pruritum excitat, torpidum reddit corpus, unde ægra manus, tibias, pedes manifeſtè frigidos ſæpe ſentit.

Dolor etiam à ſemicupio imminui poteſt: viz. In lacte & aqua coquantur ſolanum, plantago, hyoſcyamus, tapſus barbatus, piloſella, herba Roberti, flos papav. errat. nenuphar. fol. ſalicis, vitis, cicuta, cynogloſſa, ſem. lini, pſyllii, cydon. &c. In decocto tepido mergatur corpus dimidium, urgentibus doloribus: Iſta enim Narcotica & dolorem ſedabunt, & tumorem emollient, & (ſi hæmorrhagia adſit) ſanguinem ſiſtent, nec oberunt viſceribus.

Lenitur etiam dolor ab Emulſionibus: ut.

℞. Medull. ſemin. melon. recent. ʒiij. ſem. papav. alb. in aq. roſar. infuſ. per tres hor. ʒij. amygd. dulc. recent. mund. par. iij. terantur in mortar. marmor. & affuſis ℥vi. aq. ſtillatit. lactis f. Emulſio, in qua colata diſſolv. ſyrup. de mucilag. ʒx. Mſ. f. hauſtus ſumend. cum dolor ſævierit. Vel ſi magis anodynam velis, pro ſyrup. de mucilag. adde diacodii ʒvi. vel ℥i. præcipuè veſperi.

Si tumor durus in Epigaſtrio, alterutrôve inguine tactui ſe offerat.

℞. Ung. de alth. ſimpl. ℥iß. pingued. capon. ol. amygd. dulc. & lil. alb. an. ℥ß. ſperm. cet. recent. unguent. è flor. aurant. ana ʒiij. Mſ. f. litus pro unctione partis duræ & dolentis mane & in ingreſſu lecti, diu multumque manu leviter in gyrum fricando, ſuperpoſito Emplaſt. ſeq. quod ſuperinducta faſcia idoneâ contineatur.

℞. Maſſ. Empl. de ammoniac. ℥ij. cerat. ſantalin. rec. ℥j. gum. caraun. ʒß. liquefiant ſimul, adde ceræ in ſucco abſinth. & acet. ſtillatit. coct. ad ſuccor. conſumptionem q. ſ. f. Empl. cujus portio aluta molli extendatur, & tumefactę parti applicetur.

Vel applicetur (noctu) cataplaſma ſeq.

℞. Rad. alth. & lil. alb. ana ℥iv. fol. ſigill. B. M. ſive bryon. utriuſque, ſcrophul. maj. ana m. ij. fol. chamæmel. rut. abſinth. ana m. ijß. malvæ m. iß. cicut. totius & hyoſcyam. ana m. iij. Conciſa omnia indantur ollæ fictili vitriatę cum axungiæ ſuillæ recent. ℔iv. alæ fortiſſim. ℔iv. Coq. mediocri calore ad alæ conſumption. & herbar. putrilag. Exprimatur pinguedo, cujus refrigeratæ pars purior à fæculenta ſeparara ſervetur ad uſum.

℞. Rad. recent. ſcrophul. maj. & min. ana ℥iij. rad. recent. ſigill. B. Mar. ℥iv. Rad. bryon. itidem recent. ℥ij. piſtentur omnia exactiſſimè & per ſetaceum trajiciantur: add. farin. ſubtiliſſ. ſem. lin. ℥iv. axung. ut ſuprà præpar. ad pondus omnium, ſive ℥xvi. Subigantur exactiſſimè in mortar. lapid. & f. cataplaſma. Inter terendum autem add. croc. ſubtilisſimè pulverizat. ʒij.

Si tumor in vagina vel circa orificium Internum ſit, vel partes hæ ſiunt durę, vaginę injiciatur liquor ſeq.

R. Succ. ſalv. ℥iv. aq. ſtillatit. caprifol. & vini de Malaga ana ℥vi. flor. & ſummit. roriſmarin. m. j. mellis roſat. ℥iv. bulliant ſimul ad deſpumationem mellis lento igne, liquor clarificetur ſervandus ad uſum.

Ad duritiem emolliendam & tumorem diſcutiendum valent etiam ſequentia: vaporarium cum emollientibus, diſcutientibus hyſtericis. Spongia imbuta decocto emollienti vaginæ immiſſa. Peſſus cum ſtyrace liquida & pulveribus ſyndone involutis. Semicupium cum menſes provocantibus tempeſtate idonea. Mercurialia per os. Suffitus Mercurialis, qui excipi poterit in ſella perforata.

Si hæmorrhagia adſit, injiciatur ſucci urticæ mortuæ ſive lamii, plantaginis, ſophiæ Chirurgorum, &c. cum croco Martis, Laudano, hypocyſt. acac. &c. Applicetur item lumbis cataplaſma ex argilla, aceto & ſucc. plantag.

℞. Cort. granator. balauſt. ſumach. an. ℥i. nucum cupresſi ʒvi. Roſ. rubr. myrtill. an. ℥ß. f. decoctio in aqua chalybeata (ut Fabriorum.) Cum hoc decocto extrahatur mucago ſem. pſyll. & cydon. Mucilaginis hujus ℥ij. adde acaciæ, hypocyſt. an. ʒß. diſſolut. in aq. roſ. f. injectio per metrenchytum. Paciente ita poſito ut medicamentum non effluat, quod erit in parva quantitate & ſatis ſpiſſum injiciendum. Statim autem ab injectione indatur Naſcale ex ſpongia molli involuta ſyndone, (cum filo) quæ affluente humore inflabitur, & pudendum magis magiſque claudet.

Si Cancer jam ulceroſus factus fuerit, f. injectio ſeq.

℞. Sterc. vaccæ gramen depaſcentis, recentis. ℔x. ſucc. ſymphit. maj. veronicæ, plantag. ſolani, ſemper vivi utriuſque ana ℔ii. ſucci portulac. ℔iv. Mſ. f. diſtillatio in alembico plumbeo. Cape de hac aqua ℔ii. plegmatis aluminis, vitrioli, & ſpermaris ranarum ana ℔i. tapſimel. ℥vi. aloës, ſalis Saturni dulcis, (i. e. per triplicem in aqua aluminoſa diſſolutionem & coagulationem præparati) ana ℥i. Mſ. pro injectione facienda in parva quantitate per ſyphonem. Si velis ut magis adhæreat, adde mucag. ſem. pſyll. cydon. & nenuph. vel gum. Arabic. pruni, ceraſi, diſſolut. in aqua roſarum. F. injectio bis in die claudendo ſpongiâ prædictâ, quæ digito blandè adigi poterit, uſque ad ulcus dummodo propendeat filum.

Vel

Vel ♃. Fol. Agrimon. caprifol. herb. Robert. ana m. i. chelidon. maj. m. ii. apii m. ß. roſ. rubr. p. iii. fl. ſambuc. hyperic. chamæmel. melilot. ana p. ii. hord. integr. p. iiß. f. omnium decoctio in ℔iii. aq. ad tertiæ partis conſumption. In colatur. diſſolv. mell. caprifol. ſyrup. de roſ. ſicc. ana ℥ ii. vini de Malaga, infuſionis glycyrrhiz. Anglic. ℔ ß. Mſ. pro injectione facienda per ſyphonem bis terve in die, ter quavis vice tepidè.

Suffitus. ♃. Maſtich. ℥ i. ſandarac. thuris ana ℥ ß. balſam. alb. ſicc. tereb. ſicc. ana ℨiii. laudani ℨii. anim. ℥ iß. cinnab. ℥i. ſtyrac. calam. benzoin. ana ℨiiß. carbon. ſalicis ad pondus omnium, f. pulvis (ut alkool.) excip. mucag. gum. tragacanth. extract. in aqua meliſſ. & roſ. Fiant avicul. pro ſuffitu, excipiendo ſemel in die in ſella perforata. *Theodor. de Mayerne Prax. Medic. lib.* 3.

Procidentia Uteri.

I. Quemadmodum Anus, ita & Uterus quandoque prolabitur; viz. ubi is deorſum tendit, atque interdum extra vulvam propendet. Hic autem uteri prolapſus nunc major eſt, ita ut ad dimidium uſque coxarum deſcendat; nunc minor, ut vix extra pudendum promineat.

II. Prolabitur autem uterus, cùm ejus ligamenta, parteſque membranoſæ, quibus naturaliter ſuâ in ſede detinetur, relaxantur; quod aliquando contingit, ob magnos in dejectionibus difficilioribus conatus, vel propter vim partus, nimiam corporis humiditatem, &c. vel ſi ſaltu, aliâve commotione corporis validâ, ac ſæpius iteratâ uterus in ſinum impellatur. Atque hic uteri prolapſus prout major vel minor eſt, ſic interdum ad mediam prolabitur vaginam; aliquando ad vulvæ uſque orificium, ut uteri oſculum in ſinum pudoris decidat, &, vaginâ inversâ, extra propendeat; nonnunquam denique totus extra vulvam decidit, ac variis modis afficitur.

III. Sed hanc uteri procidentiam multi negant, cenſentque laxitatem quandam vaginæ, quæ extra pudendum prominet, hęc ludibria facere. In primis Jobus Meckeranus Obſerv. Chirurg. cap. 51. & Henricus à Roonhuyſen Obſ. part. 1. obſ. 2. pluribus tum rationibus, tum exemplis probare conantur uterum ipſum prolabi nunquam poſſe; ſed relaxationem & procidentiam rugoſę vaginæ ſubſtantiæ pro utero prolapsô haberi, & curari. Hiſce adſtipulatur *Kerckringius Spicil. Anatom. Obſerv.* 20. & *Cl. van Horne*; qui *Microtechne Sect.* 2. *Part.* 1. §. 28. ita ſcribit: „ Circa Uteri Procidentiam hoc monendum habeo, vix ac ne vix quidem, imò omninò, non contingere poſſe ut Uteri corpus propendeat extra vulvam; atque proinde non adeò frequentem eſſe hunc affectum ac vulgò creditur. Cæterum decipiuntur Obſtetrices, & cum iis magna pars Medicorum, à vagina rugoſa uteri, quæ poſt difficilem partum aut etiam ab imperita Obſtetrice à ſubjectis partibus avulſa, accedente pituitoſorum humorum affluxu ita extenditur, atque in tantum ſæpe augetur hoc malum, ut extra vulvam pendula vagina imitetur vaſculum aliquod pyriforme, uam quo major eſt prolapſus, eò radix ipſius anguſtior fit: ac proinde cum ob Gangrænam abſcindere eam cogimur, parvo admodum periculo idem fit.

IV. Verum fateamur licet, rugoſam uteri vaginam poſt difficilem partum, aut ab imperita obſtetrice, à partibus ſubjectis avulſam, accedente pituitoſorum humorum affluxu, nonnunquam ita extendi, ut extra vulvam pendeat; hoc tamen non probat, ipſum uterum quoque prolabi non poſſe. Sic legimus apud Carpum, *in Iſagoge Anatomica*, hiſtoriam mulieris, cui Uterus non tantum foras prolapſus, verum etiam exſectus eſt. Habemus apud *Paræum Chirurg. lib.* 23. *Cap.* 41. exemplum Uteri prolapſi, & à Paræo exſciſſi, ac poſt mulieris mortem in abdomine non inventi. Similiter apud *Hildanum Cent.* 4. *Obſerv.* 60. 61. 62. tria hujuſmodi Uteri prolapſus extant exempla. Et plura deſcribunt *Felix Platerus Obſerv. lib.* 3. *Th. Bartholinus Cent.* 2. *Obſerv.* 91. *Cent.* 5. *Obſerv.* 9. *Dom. de Marchettis, Anat. cap.* 7. *Clar. Diemerbrœkius Anat. lib.* 1. *cap.* 24. *Stalpert vander VViel Obſerv. Anat. & Chirurg.* 69. aliique. Quandoquidem igitur ratio dictat, humores à toto corpore defluentes Uteri Ligamenta humectare, ac relaxare in tantum poſſe, ut in vulvam is deſcendat; & experientia confirmat, in locis humidioribus hunc morbum ſatis familiarem eſſe, de vero Uteri prolapſu amplius dubitare non licet. Imò verò ab eo conatu, quem in partu mulier adhibet, ſi præſertim ob difficultatem pariendi magna vi peragatur, Uterus cum fœtu in ſinum vaginæ quandoque detruditur. Ita memini me ad mulierem difficulter parturientem vocatum 20. Januarii 1686. in qua cum obſtetrice & præſentibus mulieribus obſervavi Uterum cum incluſo Fœtu in vaginam ad vulvę uſque orificium prolapſum, prominente extra pudendum interno Uteri Oſculo ad duorum digitorum latitudinem.

V. Haud ineptè igitur *Clariſ. Blaſius Obſerv. Medic. Part.* 3. *Obſerv.* 1. & 2. Uteri Procidentiam diſtinguit in veram, & imperfectam. Vera Uteri Procidentia dicitur, quando ipſe Uterus, membranoſis ejus ligamentis laxatis, deorſum tendit, atque in, vel extra vulvam propendet, foras prominente interno ejus oſculo. Verum imperfecta Procidentia nuncupatur, quoties relaxata, & extra pudendum prominens vagina hæc ludibria facit.

VI. Cęterum altera hîc reſtat difficultas, ſcilicet an ipſe Uterus inverti poſſit? huic quæſtioni reſpondemus, in difficili partu, dum placenta firmius utero adhæret & ab imperitis Obſtetricibus nimium protrahitur, id quandoque contingere poſſe, qualia exempla occurrunt apud *Petrum de Marchettis Obſerv. Chirurg.* 61. *Stalpert vander VViel Obſ. Anat. & Chirurg.* 67. alioſque. In virginibus verò hoc impoſſibile judicamus, propterea quod craſſa & membranoſa Colli Uteri ſubſtantia in illis exiguo tantum foramine pervia ſit.

VII. Uterus verò ſi prolapſus ſit intra vulvam, exiguus apparet tumor, quaſi extenſæ pellis, & pondus veluti ovi majoris circa pudenda percipitur. At quum omninò prolabatur, tumor adeſt ovi anſerini adinſtar, in cujus ima parte foramen conſpicitur exiguum, quod eſt internum Uteri oſculum. Sin autem rugoſa vaginæ ſubſtantia, relaxata nimium, extra pudendum promineat, id haud difficulter obſervatur.

VIII. Equidem affectus hic dum recens eſt, & potius Uteri in vaginam deſcenſus, quam ejuſdem extra vulvam procidentia, facilius curatur. Atqui diutius ſi duraverit hoc malum, indieſque augeatur, difficulter, & non niſi longo tempore ſanatur. Inſuper facilius curam ſuſpicit in junioribus, quam adultioribus; quibus Uterus, etſi reponatur, levi de cauſa iterum procidit. Imperfecta quoque Uteri procidentia curatu haud ita difficilis eſt.

IX. Igitur morbi hujus Curatio (ſive Uteri Procidentia ſit vera, hoc eſt, ipſius Uteri prolapſus; ſive ſit imperfecta, id eſt, rugoſæ Vaginæ Uteri ſubſtantiæ relaxatio, & extra vulvam procidentia) repoſitionem ejus quod prolapſum eſt, repoſiti in ſuum locum conſervationem, nec non laxatarum partium adſtrictionem & confirmationem, requirit.

X. Sed ante repoſitionem conſiderandum eſt an Uteri aut vaginæ relaxatæ procidentia ſit ſimplex, an verò adjungatur ipſi inflammatio, aliuſve tumor. Hiſce namque apparentibus, repoſitio ne tentetur, niſi evanuerint hęc ſymptomata. Quem in finem pars prolapſa foveatur Decocto Florum Camomillę, Meliloti, Herbarum Calamenthę, Pulegii, Roſmarini, Seminis Dauci,

Leviſtici, &c. Hinc tumore imminuto evacuatoque per Clyſterem ſtercore, atque urinâ excretâ (ut undique à compreſſione liber ſit Uterus,) Ægra in lecto ſupina collocetur, & coxis elevatis, Poplititibuſque reflexis, ac capite quantum fieri poteſt demiſſo, ipſa baſin tumoris manibus apprehendat, eumque introrſum adigat. Quod ſi ipſa perficere nequeat, Chirurgus aut Obſtetrix digitum in ejus orificium immittat, ac ſenſim Uterum attollat: vel accipiat candelam ceream, ſuâ craſſitie vaginæ muliebri reſpondentem, & eâ citra violentiam omne id protrudat, quod procidit, donec tota moles ſuum in locum reducatur.

Scribit Rodericus à Caſtro de morbis mulierum libr. 2. cap. 16. utile eſſe, ut Medicus vel Chirurgus ferrum ignitum manu oſtendat, ſimuletque, quaſi eô tangere vellet prolapſum Uterum: ſic enim retrahi Uterum, uti & prolapſa inteſtina. Atque refert Chirurgum exercitatiſſimum ita curaſſe quendam, qui vulnus in ventre acceperat, per quod inteſtina egrediebantur; quę cùm nullo remedio reduci potuiſſent, nihil aliud profuiſſe, quam quod magnum ferramentum candens, coram patiente manu tenens, vulneri applicaturum finxit; cujus rei ſubito terrore inteſtina è veſtigio ſuum in locum reducta fuiſſe.

XI. Poſtquam autem Uterus fuit repoſitus in ſuum locum, ut ibidem contineatur, mulier in lecto reclinetur cruribus extenſis, ita ut unum alteri incumbat, & iſto in ſitu aliquot dies maneat. Interim adſtringens & roborans Fotus Uteri regioni ſpongiæ ope continuò adhibeatur. v. gr.

℞. Rad. Conſolidæ majoris, Rubiæ Tinctorum an. ℥iii. Iridis Florentinæ ℥ii. Herb. Matricarię, Salviæ, Pulegii, Fol. Quercus, Flor. Roſar. rubr. an. Mj. Balauſtiæ, Glandium, Aluminis, Sem. Cumini an. ℥ii. Coq. in ſ. q. Vini Rubri Adſtringentis ad ℔iii. pro Fotu. Regioni Umbilicali nonnulli imponunt Emplaſtrum ad Rupturam, vel Oxycroceum, vel id quod ſequitur.

℞. Opoponacis ℥ii. Styracis Liquidæ ℥ß. Thuris, Maſtichis, Picis, Boli Armen. an. ℥ii. Ceræ q. ſ. F. S. A. Emplaſtrum. Etiam valdè hic laudantur Suffitus ex cortice, vel Pulvere Ligni Quercini, dicto *Aun*, *of Saag meel*. Alii volunt, ut ſuffimigetur pelle anguillæ ſale conditæ.

XII. Interim cura habeatur, ne alvus pigrior ſit, vel laxior. Si enim duræ ſint fęces, Uterus in iis egerendis facilè pręcipitatur. Lubrica verò alvus membranas Uterum alligantes plurimum laxat. Inſuper & omnes cauſæ, quæ prolapſum hujus partis excitare valent, tollendæ; atque corpori univerſo, cum Utero ipſi proſpiciendum. Quem in finem multum conducunt Decocta ex Guajaco, Salſaparilla, China, Saſſaphras, additis & iis, quæ Uterum roborare valent continuò uſurpata.

XIII. Sin verò nulla perfectæ curationis ſpes ſit; ut tamen à procidentiâ hâc, quę facilè iterum accidit, ſecura ſit fæmina, peſſulos, ſeu potius globulos cereos in uterum intrudere, ibidemque relinquere ſolent, de quibus videantur, Rouſſetus de Partu Cæſareo ſect. 6. cap. 34. Paręus lib. 23. cap. 41. Hildanus cent. 4. obſerv. 61. Locô peſſariorum in uteri procidentiâ quidam uti ſolent circulis ex ſubere factis, & cerâ obductis. Vid. Scultetus Armam. Cheir. tabulâ 17. Verumtamen ſubligaculum ſeu Zona (quæ pro re natâ diverſimode parari ſolet) hic potius adhibenda mihi videtur: Hâc enim munitæ mulieres ſine periculô procidentiæ ambulare, & munera ſua obire poſſunt.

XIV. Atqui prolapſus uterus cùm gangrænâ corripiatur, nec ea ſiſti poſſit, quin potius in ſphacelum abeat, eum abſcindendum nonnulli ſuadent, ſed cùm periculoſa admodum ſit hæc Chirurgia, eam non facilè inſtituendam cenſeo. Si tamen relaxata nimium vagina extra vulvam procidat, atque ſideretur; ea, vel ſectione, vel ſtrictiore ligaturâ ſine periculô auferatur, ac porrò curetur. *Joh. Munnicks in Chirurgiâ ad Praxim hodiernam adornatâ.*

De Utero mulierculárum fabula eſt eum locum ſuum mutare, deſcendere, aſcendere, inflecti in latus modò ſiniſtrum nunc dextrum, nunc flatulento ſpiritu turgidum palpitare vivique animalis præbere ſpeciem, nunc ab aquis propelli in alias atque alias partes. De aſcenſu quidem illo in gulam apud feminas nata perſuaſio nuper paulum remittere cœpit, poſtquam Medici, Obſtetrices, quarum in illâ parte apud credulum genus auctoritas maxima eſt, aliud edocuere. De deſcenſu autem ſeu procidentiâ Uteri non æquè illas faciles reperio, hunc enim nimis quàm manifeſtè, & contra quàm diſputari poteſt, manibus ipſę ſuis deprehendunt atque probant. Quæ res me adhuc dum perducit ut credam, quæ inſignes nuper Practici de procidentiâ Uteri, tanquam falsâ & imaginariâ protulere, fidem non mereri. Equidem in talibus, quæ oculorum manuumque experimento nituntur, & ad quæ, velut opertum bonæ Deę, rarius admitti viros videas, Obſtetricum aliquam eſſe fidem omnino mihi perſuadeo. Sint Vaginę plurimi prolapſus, neque enim hoc negari poteſt, & imponat mulierculárum vulgo ęmulus globi tumor, attamen non in totum is quoque Utero abjudicandus. Compellavi ego bonę fidei Obſtetrices, quę mihi poſt propoſitas difficultates ſanctè adfirmarunt, manibus ſe ſuis Uteri prolapſum palpaſſe, tum corporis tum orificii interni; hac verò notâ ſe diſtinguere Uteri ac Vaginæ caſum, quod ubi hæc excidit inſertis digitis ab unâ parte connexio explorari poſſit, ubi ille, non poſſit, & obvium Uteri orificium diſcrimen ſtatim manifeſtet, fundum enim ſemper inverti, quę feminarum credulitas, moroſæ experientiæ non reſpondet, ſæpè namq; prono oſculo in Vaginam inde & extra eam deſcendit, neque faciem adeò quàm ſitum mutat. Nonnunquam tamen etiam importuna Obſtetricis manus funiculorum umbilicalium violentâ demolitione, dum orificium Uteri internum adhuc hiat multâque mucilagine laxatur, fundum ipſum attraxit difficilique & laborioſæ procidentiæ anſam prębuit; clauſo enim orificio aut aliàs non ita patulo fundum inverti poſſe, oſtento proximum eſt. De Vaginę prolapſu id quoque cenſeo, eum facilius curari quàm Uteri; illum nec obſtare, utut magnus ſit, quò minus concipere & parere femina poſſit. Sanavi olim Lugduni in Batavis, ubi tyrocinium artis feci, feminam juvenculam, quæ præter mille alia incommoda, vehementi quoq; & vaſtâ Vaginæ Uteri procidentiâ laborabat; tantùm verò abfuit, ut hoc conceptum partumve impediret, ut contra ſingulis annis domum filio augeret, ſæpè etiam abortiret. Illa quamvis laborioſiſſimè pareret & decretoriè, non aliud remedium procidentiæ quærebat quam Graviditatem, cum hâc enim ipsâ lente tumor retrahebatur ſeque in alvum condebat, mox iterum ad partum rediturus. Jam ſi quis retinentium ligamentorum vim impedire credat, quò minus uterus prolabi poſſit, ſciat oportet, eandem quoq; cauſam in Vaginæ lapſu adduci poſſe. Quid enim? An non ſuis perinde ligamentis, iiſque ſatis firmis Vagina nectitur oſſibuſq; incuneatur? At vero uterus, annon ligamentis ille ſolutioribus adnectitur? Annon latum illud membraneumque planum, quod Alas vocant Veſpertilionum, liberius fluctuat quàm Vagina? Annon mobile etiam eſt ipſum Uteri corpus & ad lapſum proclivius, imprimis ſi vis accedat, quâ inconditæ Obſtetrices per parturientium viſcera graſſantur? Ego ſanè, quoties faciem Naturalium, Uteri & Vaginę, attentius rimor, non video, quid prohibeat, quò minus Uterus deſcendere ex parte vel totus poſſit; ſed neque meo hic quemquam arbitrio acquieſcere volo. Veniant in rem pręſentem, qui nuperis Sylvii, Hornii, Kerkringii & Meeckerani Obſervationibus & ſpecioſâ perſuaſione adducti omnem Utero propţoſin negare audet, &

& videant, num paucę Obſervationes tanti ſint, ut teſtatam omnibus feminis opinionem, nunc quoque tot à multis retro ſeculis Practicorum, nuper etiam ipſius Naturalium arbitri Graſii, quo uno judice in hâc causâ gaudere æquum erat, jam verò etiam Anatomiæ auctoritatem elevare poſſint. Mantiſſę loco adjiciam è feminarum ſcholis contra Proptôſin remedium. Capitur Cornu vervecis annui, & amenta ejus panni ſerici Chermeſini centonibus permiſta ſuper teſtam aut patellam terream ignitam fumigantur, vapor ſellâ pertusâ interfæmineo excipitur; inde peſſarium ex eodem ſerico Petroleo macerato in Vaginam immittitur, poſt aliquot dierum moras Uterus recedit & firmatur. *Johannes Nicolaus Pechlinus in Obſervationibus Phyſico-Medicis.*

De Uteri Cancro.

Sequens injectio ulcerato Cancro maximè convenit.

℞. Herb. Roberti, verbaſci. ſcabioſ. chelidon. min. aneth. ſterc. human. an. q. v. comburantur: de cinere accipiantur ʒ ii. aqu. ſolan. ℥ vi. excepta in mortario plumbeo piſtillo plumbeo agitentur, deinde in uterum injiciantur. Oleum ovorum frequenter ductum & agitatum in mortario plumbeo donec ſpiſſius reddatur, & plumbi colorem contraxerit, efficaciſſimum eſt medicamentum. Cinis cancrorum fluviarilium lotus in aqua Solani, permixto pulvere ex plumbo vel antimonio, ulceratum Cancrum curare dicitur & creditur; quod ſi non curat, ſaltem mitigat, exſiccat, & depaſcentem cohibet. *Petrus Foreſtus, ſchol. obſ.* 47. *lib.* 28. *de Mulier. Morbis.*

Pro Uteri dolore intenſo ex frigore.

Nihil quicquam huic magis profuit, quam caſtor. ℈ i. cum vini Rhenani exiguo ſumpti. Alteri etiam mulieri cum dolore venroſitas admixta erat, exhibui pulv. Rad. Gentian. ℥ i. cum vino generoſo. Nihil enim æquè dolori ſubvenit, ut rectè dixit Benedictus Veronenſis, quam caſtoreum, ſi ex frigida cauſa fuerit, ſive potum, ſive illitum: ita & gentiana trita mirè prodeſt ex vino calefacto pota, ſi ex vento fuerit, nam & imminentem arcet dolorem. *Petrus Foreſtus, obſ.* 40. *lib.* 28.

Pro Uteri ſcirrho.

Cum robuſta eſſet, ſanguis ut extraheretur mandavi; exhibui etiam ſyrup. roſar. pallid. cum foliis ſenæ, adjecto paucillo electuario de hiera, deinde appoſui emplaſtrum de mucilagin. & de melilot. poſtea & Emplaſtrum de Ammoniaco, ſed prius inunxi hoc linimento.

℞. Mucilagin. ſem. lini, fænugræc. alth. malv. an. ℥ v. ſucci ireos ℥ iii. pingued. anatis, gallin. anſer. an. ʒ vi. ol. cheirini ℥ iß. bulliant ad conſumptionem ſuccor. deinde adde croci ʒ ß. cum cera F. unguentum: commendatur à Nicolo, his remediis hæc optimè habuit.

Ad partem emolliendam fiat hic fotus ex *Rondeletio.*

℞. Rad. lil. alb. biſmalv. cucum. agreſt. an. ℥ iii. artemiſ. tertiam partem manipuli unius, ficuum paria 20. ſem. lini fænugræc. an. ℥ ii. fl. chamæm. viol. melilot. an. p. i. F. decoctio in aqu. & oleo dulci, qua foveatur regio uteri; ex reſidentia piſta & tranſmiſſa fiat cataplaſma, quod applicetur poſt fotum, deinde utatur ſequenti unguento.

℞. Butyr. rec. axung. porcin. an. ℥ i. pingued. gallin. anatis, anſer. an. ℥ iß. ol. amygd. d. & lilior. an. ℥ iii. mucilag. ſem. fænugræc. extract. cum vino albo. ℥ i. terebintht. & ceræ q. ſ. F. unguentum quo utatur poſt uſum fotus; & poſt uſum unguenti rurſus redeat ad fotum, & iterum ad unguentum. His præſidiis aliquando uſus ſum commodè in vidua quadam, in qua durities erat totum ferè uterum occupans; ſequens quoque valde utile eſt.

℞. Opoponac. bdell. ammoniac. an. ℥ i. ſtyrac. myrrh. an. ℥ ß. propol. verę ℥ i. rad. irid. ʒ i. croci ʒ ß. diſſolv. lachrymæ in oleo lil. & amygd. d. & vino malvatico, & depurentur; quibus adde terebinth. & ceræ parum F. unguentum. *Petrus Foreſtus, obſerv.* 45. *& ſchol. lib.* 28. *De morbis mulierum.*

℞. Emplaſtr. de melilot. & de mucilag. an. ℥ i. gummi ammoniac. in aceto ſolut. & traject. & iterum inſpiſſat. ℥ ß. cum ol. lilior. F. emplaſtrum debitæ magnitudinis ſuper alutam extendendum & regioni uteri applicandum poſt inunctionem & quinto quoq; die renovandum. *Lazarus Riverius, obſerv.* 38. *cent.* 1.

Inter præſidia pręcipua, quæ ad emolliendum ſcirrhum, priſcorum & juniorum ſagacitas adinvenit, chalybs eſt, cujus uſu lapidoſas durities promptè liquari vidimus: fœmina quædam ex menſtrui retentione malè habens in uteri regione tormina perſenſit, apparuit etiam in pubis regione tumor aliqualiter durus, & indolens, qui ab ovi magnitudine incipiens, ita quinquennio excrevit, ut cucurbitam rotundam magnam præſentaret, in cujus profundo, tactu murmur percipiebatur; expurgatum corpus, ſępiſſimè ſudorifica, fotus, unguenta, cataplaſmata varia adhibita. Sed omnia hæc, etſi utilia, nullam commoditatem attulere, tandem ſolo chalybis uſu per duos menſes exhibiti omninò reſolutus eſt tumor. *Zacutus Luſitanus, obſerv.* 88. *lib.* 2. *Prax. Medic. Admir.*

Pro Uteri ulcere.

Præmiſſis venæ ſectione & purgatione, & julepis bilem & acrimoniam contemperantibus, ad ardorem & intemperiem tollendam imperavi, ut ſuccum burſæ paſtoris & plantag. aliquando injiceret cum lacte muliebri, & exterius cum iiſdem ſuccis lavaret; vel cum panno lineo applicaret. Valeſcus utebatur aqua frigida: novi (inquit) aliquas mulieres quę ſentientes ſe habere ejuſmodi ulcera, lavabant ea cum aqua frigida, mundabant, deinde & cum pannis lineis exſiccabant, & in matricem mittebant frequenter, atque iiſdem pręſidiis ſæpe mutatis hæc ipſa ſæpius per ſe ad integram curationem, ſufficiebant. Ablata intemperie ad detergentia & exſiccantia devenimus, hoc optimum mihi videbatur quod ex ſero lactis conſtabat cum pauco ſaccharo: quod ut injiceretur jubebam ad ulceris deterſionem: poſtea etiam adjecto melle, & ſyr. de roſis; aliquando etiam conſului, ut injiceretur decoctum lentium & plantag. & agrimon. decoctum abſynth. non convenit, niſi quando ulcus eſt ſordidum, deterſo ſatis ulcere aqua hordei & melle roſato, mandavi ut unguentum conficeretur ex tuthiæ ablutæ & præpar. partib. duabus cadmiæ, litharg. argent. ſarcocoll. an. part. j. cum ol. roſ. vel aqu. plantag. inungatur; demum deventum eſt ad unguenta partem reſiccantia, ut ad unguentum diapompholig. & de ceruſſa, & ſic egregie curata fuit. Jo. Tiengius Medicus Amſtelrodamenſis nobilem ſe matronam hoc modo ab ulcere uteri reſtituiſſe dicebat, dabat de quarto in quartum diem ℥ v. decocti ſenæ, epithymi, roſ. rub. myrobal. ind. & clyſterem ſubinde in partem affectam injici mandabat ex aqua tepida decoction. ſenæ, epithym. fumar. fl. chamęm. roſ. cui terebinthina exigua, mel. roſac. & hordei farina injecta erant, deinde peſſos in uterum ſeu os uteri ponebat.

℞. Mell.

℞. Mell. roſac. ℔ß. farin. lupin. ſiligin. fænugræc. ſarcocoll. an. ℥ß. F. peſſi ſi pruritus aut dolor adeſſet, iiſdem addebat ſemen papav. hyoſcyam. & camphoram. *Petrus Foreſtus: obſerv.* 48. *lib.* 23. *De Morb. Mulier.*

Succus urticæ cum pueri urina miſtus abluendo injectus ulcera uteri mirificè ſanat. *Felix Platerius, practic. tom.* 2. *cap.* 14. *pag.* 575.

Pro Uteri cervicis ulcere.

Primò unguentum ſequens doloris ulceriſque cauſa præſcripſi, ut illud cum panno lineo diſcerpto uteri cervici intruderet.

℞. Mucilag. ſem. pſyll. factæ cum aqu. roſ. ℥iii. vitell. ovi num. ii. troch. alb. Rhaſ. cum opio, butyr. rec. an. ℥ß. F. inſtar unguenti deinde utatur hac injectione cum ſyringa.

℞. Aq. ſolan. plantag. roſ. an. ℥ii. opii. diſſolut. ℈i. album. ovor. num. 1. ol. roſac. ℥i. agitentur probè. lenimen ab hiſce & præſertim unguento maximum ſenſit, quare illius uſum poſtea ſemper continuabat: poſt dies aliquot, diverſionis gratia, cum adeo copiosè ichor urens efflueret, dedi illi mannæ ℥iß. in juſculo, & quia mire eam angebat fluxus ille, idque præſertim peracto menſtruo fluore dedi ſequentem potionem noctu cubitum ituræ.

℞. Aq. plantag. & roſ. an. ℥i. ſyr. de papav. ʒiii. trochiſc. alkikengi ſine opio & ſacch. roſ. tabul. an. ℥ß. M.F. potio: varia ſunt ſubinde exhibita purgantia; cum rediret per vices ardor & cruciatus, qui tamen ſemper uſu unguenti ceſſabat, dedi ſeq. emulſionem ut aliquoties biberet.

℞. Emulſionis iv. ſemin. frigid. maj. fact. cum aq. roſ. & plantag. an. ℥vi. item injectionem novam ordinavi ſic.

℞. Troch. alb. rhaſ. cum opio ℥ß. mucilag. ſem. pſyll. cum aq. roſ. extract. ℥ij. infuſion. gummi tragacanth. ʒi. fact. cum aq. plantag. ℥ij. Miſc. & injiciantur cum lacte: ſuffitum hunc quoque per infundibulum, injecto pulvere ſequenti ſuper carbones excipiebat ſingulis matutinis, quem valde probabat.

℞. Thur. maſtich. an. ʒi. F. pulvis pro ſuffitu.

Ad ſanationem ulceris hanc injectionem præſcripſi: nihilominus ſemper in uſu unguenti perſeverans, quod omnibus prçſtabat.

℞. Rad. conſolid. ℥i. Rad. biſtort. ℥ß. alth. ʒvi. Fol. plantag. equiſeti, conſolid. Sarac. an. M. j. ſem. lini, ℥i. ſem. pſyllii. ʒij. hord. p. j. F. decoctio, in colat. ℔i. diſſolv. mell. roſat. ℥ij. ſacchar. rubr. ℥i. M. pro injectione purgato iterum corpore, uſa eſt per vices ſequenti pulvere.

℞. Oſſium dactyl. ʒij. pulv. equiſeti ʒi. corall. rubr. ʒiß. ſacch. roſ. tab. ʒiß. ſang. drac. ʒß. F. pulvis tenuiſſ. horum uſu cœpit ita ſanari, ut in publicum prodire poſſet: verum poſt tres menſes, iterum fluor licet minore quantitate admodum tamen acris rediit. Poſtquam per quatriduum purgata erat, hac uſa eſt inſeſſione.

℞. Rad. conſolid. herb. conſolid. alchymill. plantag. equiſet. heder. mal. chamæm. an. q. ſ. add. ſem. lini & gypſi uſti ſcutell. i. coq. in aq. pluviali, add. aq. fabrorum extinctionis ferri: hac inſeſſione uſa eſt per menſem integrum ſemel in die ad duas horas; & quoties è balneo egrediebatur, ſuffitum hunc admittebat.

℞. Thur. maſtich. an. ʒiij. benjoin. ſtorac. calam. an. ℥ß. ſuccini, ʒij. F. pulvis craſſus, pro ſuffitu, injiciebat interim continuo troch. alkikengi diſſolut. cum lacte caprino, dolore urgente cum opio, poſtea ſine eo, & ſic tandem in integrum reſtituta eſt. *Felix Platerus, obſervat. lib.* 2. *pag.* 480.

Meatus urinarius graviſſimo errore pro fiſtula pudendi muliebris curatus.

Vocatus aliquando à Barbitonſore ad curandam fiſtulam pudendi muliebris, hic Anatomes ignarus, illius loco, ſpecillo mihi exhibuit meatum urinarium, in quem immittebat turundam longam ſatis, medicamentis corroſivis inductam, ut tolleret callum, & fiſtulam ſanaret. Miratus hominis imperitiam, cachinno dignam, ipſi mandavi, præſente muliere, ut deinceps uteretur exigua turunda per duos, aut tres dies, illita unguento ex ceruſa camphorato, quo excoriatio illa inducta à dictis medicamentis ſanaretur; cum tamen ſimul à muliere diſcederemus, eundem monui, quam credebat fiſtulam, eſſe meatum urinarium; unde ſuborto riſu, deprecatus eſt veniam, quod nunquam antea viderit pudendum muliebre, hujus erroris cauſam. Documento Chirurgis, ne Anatomes ſint imperiti, cum ignoratis partibus, & earum morbis, medicamenta propria non poſſint illis adhiberi. *Petrus de Marchettis Obſervationum Anatomicar. Sylloge.*

Uterus laxatus à partu puellæ, pro ſecundinis non procedentibus, ab obſtetrice imperita manibus magna vi attractus, & præcipitatus, ſuborta illius inflammatione, & gangræna, Illuſtriſſimæ Matronis mortis cauſa.

Cum Nobili cuidam, viginti annorum circiter, à partu puellæ non ſtatim ſecundinæ procederent, atque uterum nonnihil laxatum obſtetrix videret, hunc illarum loco, gravi errore manibus magna vi attractum, extra pudendum præcipitavit, non ſine magno dolore Patientis Nobiliſſimæ, quorum cauſa incidit in lypothymiam, utero valde inflammato, & hærentibus ſecundinis; quem proinde primò inunxi oleo roſaceo, atque ſenſim medium introduxi; inunctionibus poſtmodum, omentis pinguibus caſtrati, & lacte adhibitis, eodem nonnihil molliori reddito, aliquot poſt horis totum in priſtinam ſedem compuli, ſecundinis ſponte prodeuntibus, cum patientis levamento; quibus tamen non potuit prohiberi inflammatio illa gravis uteri, quominùs migraret in gangrænam, & mortem Nobiliſſimæ mulieris, ſanguine licet educto, atque multis injectionibus, variiſque prçſidiis in caſſum adminiſtratis.

Exemplo obſtetricibus quç omnium peritiam profitentur, quanquam imperitiſſimæ, ut ſecundinas ſponte potius prolabi permittant, quam violentis manibus eas ſolicitent; aut earum loco prout huic contigit, uterum ipſum extrahant, quampluribus mortis auctores. *Idem ibidem.*

De Vermibus Uteri.

Mulier hic in vicinia 50. annorum, tenuis fortunæ, lacticiniis, aliiſque cibis crudioribus adſueta, tribus jam elapſis annis incredibilem ſentit pruritum & fervorem circa genitalia, ſubſequo dolore rodente & igneo quaſi, ac urente, per aliquot dies continuante: tandem per muliebria ingenti aſcaridum, caſei vermiculos apprimè referentium, copia excluſa, dolor quidem & pruritus aliquatenus remittunt, omnis tamen moleſtia penitus non aufertur; ſed per vices malum dictum recrudeſcit, ac aliquoties jam, fœtore maximo & ſymptomatibus hyſtericis accedentibus, vermium copiam ſatis largam excrevit. Affectum hunc per medicamenta interna pariter ac externa, inprimis per clyſteres ac peſſos uterinos, ut & balnea, penitus profligari poſſe nullus dubito. Verum cum præ nimio pudore malum hoc nulli revelare velit, adeoque conſilia Medica ſpernat, miſeram vitam agere cogitur. Hinc rectè Poëta cecinit.

Stulto-

Stultorum incurâta pudor malus ulcera celat. D. *Benjamini Scharffii.*

(*Sondershusâ Schvvinfurtum ad Magnif. Dom. Præſidem & hinc Vratislaviam ad Collectores Menſe Septembr.* 1677.)

De Vtero Scirrhoſo.

Anno prædicto, æſtate eadem, adeſſe me contigit aperturæ cujuſdam fœminæ demortuę. Hanc dum viveret, quia ſemper rubicunda, & pergrande abdomen geſtabat, gravidam primo intuitu eſſe exiſtimabam, ſed cum per plures annos in eodem ſtatu perſiſteret, opinionem ſepoſui: tandem ex ſynocho putrida, ut intellexi, fatis ceſſit. Aperto abdomine tumor pergrandis ſcirrhoſus in epigaſtrio, & in meſenterio vomica, teterrimi odoris pure repleta in conſpectum venit: tumor ille præternaturalis à quonam viſcere ſuam duceret originem, difficile erat dijudicare, tandem ſeparatis inteſtinis, uterum in hanc molem excreviſſe advertimus, tamque duræ ſubſtantiæ, ut novaculæ aciem vix admitteret licet acutiſſimam. Perſimilis erat illi utero, quem Excell. *D. D. Regner. de Graaf Anno* 1. *Ephem. Curioſarum Obſerv.* 128. exactè deſcripſit, & quantum conjectura (cum bilance explorare integrum non eſſet) aſſequi licuit, pondere eundem, ſi non ſuperavit, penitus ęquavit. Cavitas in illo ferme nulla, niſi quod vagina pro excernendis neceſſariis ſervaretur aperta. D. *Simonis Aloyſii Tudecii.*

Scirrhus & perforatio Vteri.

Honeſta quædam matrona juvencula, bis fœtum mortuum, opportuno tamen tempore enixa, tertium gravida, tempore partus inſtante, doloribuſque urgentibus, fœtum fruſtrà excludere allaborat. Ego prima Julii Anni milleſimi ſexcenteſimi ſeptuageſimi veſperi ad eam vocatus (Excellentiſſimus enim Dn. *D. Segerus*, collega & amicus meus honorandus, cùm ob propriam ægritudinem caſui huic præſens adeſſe non poterat) inveni ſatis adhuc vegetam, quærens de ſtatu ipſius, ab obſtetricibus reſponſum tale retuli, os uteri apertum eſſe, reliquave benè conſtituta, ſitum autem infantis malum, manu tantum dextrâ extra vergente, capite verò & reliquis membris imperveſtigabilibus. Cum ipſi per totam noctem unà cum tribus obſtetricibus, parentibus & propinquis adeſſem, nonnullaque corroborantia & fœtus expulſionem promoventia præſcriberem, ægraque ſine faſtidio libenter aſſumeret, omnia tamen in eodem ſtatu permanſerunt, manu infantis uſque ad ſcapulam fere exerta, & jam emortua immobili manente, puerperaque ſummè debili: donec tandem natura in totum deficiente, die ſecunda Julii paulò ante primam pomeridianam animam placidè Deo reddidit. Cadavere ipſius ſtatim poſt mortem aperto, inferius uterum invenimus laceratum, & quaſi ex ulcere perforatum, fœtu maſculino perfecto cum ſecundinis extra uterum inter inteſtina latitante, manu tantùm dextra partim extra uterum prominente: præterea quoque uterus in fundo diſſectus ad palmæ craſſitiem ſcirrhoſa duritie tumidus apparuit. Funeſtum hunc & rariſſimum caſum ulteriori diſquiſitioni Experientiſſimorum Practicorum relinquo. D. *Simonis Scolzi.*

De Vtero Cartilagineo.

Anno 1662. vidua annorum 44. nomine *die Mehlfuhrerin*, gravi dolore dorſi & ingenti ſiti vexata, urinæ ſuppreſſione præcedente fit hydropica. Natura ſpretis omnibus medicamentis debitum ſuum perſolvens, viduam hanc cultro decernit Anatomico: Adſtante *Dn. Heckero* Medico civitatis Mariæburgenſis, facta per Chirurgum, Dn. *Lorenz Arnolt* ſectione, ingens copia aquę effunditur, & lien quaſi convolutus calculis plenus conſpicitur, perventum eſt ad renes, in quorum dextro & quidem circa infundibulum, invenimus quadrangularem lapidem, qui totam cavitatem pelvis implebat. Proceſſimus ad uterum, qui cum magna admiratione primò totus lapidoſus à nobis putabatur, quantitate quidem parvus, ſed nimis durus. Tandem vi diſſectus, totus uterus cum orificio interiori erat cartilagineus, relicta cavitate interna ad amplitudinem nucis juglandis, & ureteres aliquo modo extenſi ſcatebant arena copioſa, alias tamen in naturali conſtitutione obſervabantur. *D. Andreæ Cnoëffelii.*

Carcinoma Vteri ex ſuppreſſo fluore.

Mulier Hafnienſis quinquagenaria, pluſculorum liberorum Mater, paſſa fluorem ſanguineum, petiit remedium à neſciò quo, qui fluxum illum cruentum Uteri compeſcuit tandem, remanente copioſo per Uterum ſeri fluore, quo etiam imminuto excrevit ſenſim tuberculum in Uteri orificio, quod auctum propendit extra vaginam longius. Dolores angebant miſeram, & terrebat fruſtulum extra pudenda dependens, credituſque Uterus ipſius eſſe ita prolapſus. Advocatus Chirurgus Regius, experientiſſimus *Philippus Hacquart*, rem detegit, invenitque Uteri orificio ſuperno adnatum tuberculum inſtar ſteatomatis, molle & pendulum, anguſto collo, reliquo corpore inſtar ficus comparente patula tamen via in Uterum. Inito cum uxore conſilio, de reſcindendo tuberculo doloroſo, injectoque circa Uteri orificium vinculo, incurva novacula dextre abſcidit & exemit, reſtituitque in integrum mulierem. Extractum tuberculum mihi oſtendit, prorſus ficus majoris magnitudine & figura, anguſto collo præditum & ventre ſubrotundo. Per medium diſſectũ ſteatomatis ſubſtantiam præ ſe tulit, ſero permixtum. Suſpicio eſt, poſt fluoris ſuppreſſionem nimis acceleratam, à natura cumulatum in orificio Uteri fuiſſe hoc malum & excreviſſe, ut diſcamus non ſtatim inhibendos eſſe fluxus à Natura tentatos & inchoatos. *D. Thomæ Bartholini.*

De Vtero putrefacto, illæſo Fœtu.

Paupercula quædam hujus loci in Suburbio habitans, Uterum ferens, toto difficilis geſtationis tempore ſemper de doloribus in abdomine querula, juſto appropinquante partus tempore, inter ingentes conatus cum parere nequiret, 21. Januarii Anno 1676. exſpiravit. Ad ſectionem altero die mane vocatus, cum propter alia negotia ipſe venire non potuiſſem (quod tamen maxime poſtea pœnituit.) miſi Chirurgum noſtrum Alexandrinum Schele, ut aperiret eam, & referret ſi quid rari occurreret. Hic ergo ſtatim poſt peractam ſectionem me accedens recenſuit, aperto abdomine, & remotis integumentis parum effluxiſſe aquæ putridæ, mox in conſpectum veniſſe infantem omni ex parte liberum, in abdomine extra uterum ſitum, mortuum quidem, ſed cętera abſolutum, perfectum, nulla parte contaminatum, ſub ipſo autem Uterum apparuiſſe ſemiputridum, & ſphacelo ita abſumptum, ut fruſta ejus nigricantia fœtida exemerit, adſtantibuſque monſtraverit. Admiratus rei novitatem, ſtudioſus inquiſivi, an non, quia fœtus illæſus ſalvus & integer, Uterus fortè in muliere, continuis laboribus & geſtationibus victum quærente, fuerit ruptus, ſicque infans in abdomen prolapſus, id quod ſæpius fieri poſſe concedit *Vesling in Synt. Anatom.* & exemplis probat *Hildan. cap. 1. Obſerv. Chir. 64. ut & Dn. Fauſius in Epiſt. ad D. Strauj. de fœtu Muſſip.* Sed ille revera Uterum putrefactum,

una cum obſtetrice, & aliis adſtantibus à me interrogatis, conſtanter affirmavit., adeo ut fidem amplius denegare non potuerim. Similem prope caſum recenſet *Fr. Roſſet. de part. Cæſar. S.* 4. *cap.* 4. de infante qui, putrido Uteri fundo relicto, in abdomen tranſiit, poſt quatuor annos extractus, nondum adeò computruit quin maſculum fuiſſe agnoſci potuerit. Quod ſi itaque hic, quatuor continuos per annos in putrido loco moras nectendo, non penitus fuit abſumptus, credibile etiam noſtrum ſine labe aliquot menſes potuiſſe manere, quamvis quomodo vivere, nutrimentum & augmenrum ſumere potuerit, non concipiam. Cæterum ex putrefacto Utero, etiam infectum fœtum computruiſſe, & perforata matrice hinc inde partes exiviſſe vid. *Præfat. Roſſet. l. c. & Clar. Th. Barthol. de inſol. part. hum. viis. D. Caroli Raygeri.*

Hiſtoria Uteri ex virgine reſecti.

In ſecundo Ephemeridum Tomo Obſervat. 226. f. 328. mentio fuit facta virginis, cui teſtes per hymenem propendentes ablati fuere. Dum verò tunc Uterus valdè tumens vi egredi cum ſummis circa inguina doloribus conaretur, chirurgo ad id accito author fui, ut immiſſo per myrtifoliarum caruncularum circulum ſpecillo antrorſum ſecundum longitudinem inciſionem faceret, zonamque virgineam ſolveret, ut via prorumpenti iſti moli pateret. Illi verò me abſente, ignarus talis ἐγχειρήσεως, cum illius virginis clauſtra nunquam aſpexiſſet, ſpeculo matricis violentam tentavit divulſionem, quæ etiam non ſine dolore & qualicunque hæmorrhagia fuit ſecuta, remanente interim, ſuumque in locum ſe recipiente Utero. Ad quinquennium virgo illa ab omni incommodo libera vixit: quo exacto tempore denuò graviter decumbere cœpit, & tenſivo circa pudoris ſinum dolore miſerè afflicta, chirurgo prædicto jam fatis ſublato, virum alium ad curationem admittere noluit, ſeque juratæ cuidam fœminę commiſit, quæ ductui noſtro patens felicem ipſi opem attulit. Prominebat tandem pugni minoris magnitudine Uterus admodum inflatus, in ſiniſtra regione introrſum vaginæ arctè adhærens. Fœmina adſiſtens digito paulatim per aliquot dies ſeparare eundem ſtuduit, cui tunc à latere vaginæ divulſo funem injecit,& prope cetvicem ligavit, indieſque ſericum fortius conſtringens, paulatim tumorem iſtum diminuit, poſt quatuor ſeptimanas corrugatam quaſi & demortuam iſtam maſſam, quæ ficus inſtar compreſſæ apparuit, deciduam effecit. Formam uteri nondum defloratæ omninò referebat, ſed cavitate carebat, quæ ſuſpenſum, utrum id corpus verus uterus eſſet, me tenuit. Cum verò & loci, unde propendebat, conditio, & præcedens utriuſque teſticuli amiſſio, & liber circa tumorem eminentem ambitus, miruſque qui ante prægreſſus fuit cum collo Uteri malè affecti conſenſus, ſiquidem circa laryngem conſimile denuò ulcus æquè fœtens hoc morbi tempore adfuit, in unum conſpirarint, tanto confirmatiorem me reddidere naturam ſarcinam matricis inutilem, maleque conformatam foràs voluiſſe protruſam, quæ nihil unquam fruſtra feciſſe voluit. Tamdiu ſtabit hæc ipſa ſententia, donec tandem è vivis abierit, quę tunc diſſecta contrarium docere poterit. Longæviores autem aliàs utero privatas ſæpè obſervavi fœminas; & hæc ipſa poſt amiſſum ſexus fœminini characterem, ab anno hactenus vegeta & incolumis vivit, quæ circa culpam ſuam non amplius virgo, nec mulier, nec deflorata audit, ſexum alioquin meliorem ſemper averſata. *Domini Johannis Georgii Volkameri.*

De Sphacelo interno fundi uteri in nana.

Anno 1675. Dominicâ S. S. Trinitati Sacrâ, venit Thorunium Illuſtriſſima Comitiſſa à *Donhorff*, Illuſtriſſimi Domini Johannis Ignatii Boukovvski, Palatini Pomeraniæ, Regnique Poloniæ Senatoris, Skarzevienſis, Koſcierinenſis &c. Capitanei, Terrarumque Pruſſiæ Theſaurarii, conjux, cum nanâ Ruſſa triginta ſex annos nata, jam per octiduum nephriticis doloribus graviſſimè divexata: quibus tandem paulùm ſopitis, novum ſymptoma ſupervenit, morbilli purpurati cum febre continua, qui cum altera die mox evanuiſſent, natura jam à doloribus nephriticis ſummè debilitata ſuccumbente, accedentibus leviſſimis convulſionibus, eadem vitam cum morte commutavit. A morte ipſius Illuſtriſſima Domina cauſam ejuſdem mortis repentinæ indagare cupiens, ut ſectio cadaveris inſtitueretur, rogat: quam etiam me præſente peregit Georgius Grunack, chirurgus, ubi tum cor inventum eſt flaccidum ſine ulla pinguedine, abſque humore in capſula ejus, pulmones lividi, ren ſiniſter itidem omni pinguedine deſtituebatur, in quo calculus phaſeoli magnitudine repertus eſt, ren autem dexter naturali ſimilis fuit, in quo etiam calculus, qualis in ſiniſtro, ſed minor latitabat, in ureteribus nihil, veſica ab urina vacua, uteri autem fundus tàm ab extra quàm ab intra ſphacelo correptus fuit: qui etiam abſque omni dubio tam repentinę mortis cauſa erat. Hoc in caſu etiam epigeneſis *Steph. Roderici Caſtr.* pulchrè confirmatur, de qua eundem *vid. Opuſc. quæ ex quibus. D. Simonis Schultzii.*

De excreſcentia uteri ulceroſa, cum ſphacelo, lethali.

Honeſta Matrona multorum liberorum mater, Urſula Schadin, pie defuncti Balthaſaris Lemcken, Civis & Negotiatoris Thorunenſis relicta vidua, cum jam ante aliquot menſes (poſt terminum menſtrui fluxus à natura pręfinitum, diu exactum) menſtrua inordinate fluere percepiſſet, cum magno dorſi, coxendicum & adjacentium partium dolore; inde quotidie debilior facta, meam implorat opem. Cui ego ex lege artis noſtræ diverſa ad id facientia pręſcribere cœpi remedia, continuante filum, me decumbente, *Dn. D. Johanne Blümickio*; verùm illa nullum inde levamen ſentiens, eorum pertæſa, indies pejora ſymptomata cum atrophia totius corporis experta eſt. Interim menſes pedetentim primò, poſteà etiam in totum ceſſarunt fluere: nihilominus eadem ſemper languidior facta, & lecto affixa permanens, tandemque febre cum graviſſimo horrore partium extremarum per aliquot horas, & calore intenſiſſimo longiore, inordinatè aliquoties correpta, per aliquot ſeptimanas, ſine omni cibo, ſolo potu cereviſiæ ſecundariæ contenta, vitam prorogavit, vomitibus denique primùm bilioſis, mox atrabilariis ſuccedentibus. Sed ſpatio octo dierum ante mortem, menſes cum graviſſimis pubis doloribus iterum redire, poſt quorum mox remiſſionem tumor è vulva prominens rubicundus & ulceroſus apparebat, purulenta & fœtida ſaburra ex eo indeſinenter fluente. Tum miſera illa die 12. Auguſti anni 1675. poſt leviſſimas convulſiones piam animam Salvatori ſuo placidè reddidit. A morte autem partes inferiores circa pudenda & nates, anticæ & poſticę, à ſphacelo nigerrimæ & corruptę conſpiciebantur, unà cum tumore propendente. *Ex eodem.*

Excreſcentia carnea Uterina.

Ruſtica quinquagenariæ proxima è pago *Engishofen* ſuperioris Turgovię, cui nomen Catharina *Huberin*, phlegmaticæ, ut appellant vulgò, temperiei, ad Venerem ſegnis, nupſerat ante viginti, & ſi quid excurrere poteſt annos, marito vegeto, robuſto, & cui ad τὸ εὖ ζῆν præter χρύσεον βαλάντιον nihil deeſſe viſum eſt. Cum hoc nonni

Tab XXI


A
B
C
Tubulus
Suâ
G
Posterior facies vasculi
F
Anterior facies vasculi
E
D

dnos integro ſpacio progenuit filios, quorum prior octodecim, poſterior novem jam annos uterque τῶν ἀθλητῶν Hippocratis laudatum nomen meriti. A biennio autem lumborum doloribus levibus, quidem, ſed ἀδιαλείπτοις divexabatur, cui frequens mingendi deſiderium ceu individuus ſeſe junxerat comes. Menſtrua intermedio hoc tempore ſæpius intempeſtivo, aliquando immoderato & continuato ad aliquot ſeptimanas fluxu urgebant; interdum etiam nihil prorſus fluebant. Symptomatum horum impatiens fœmina, Veterinarii cujuſdam, ut infelicioris mortalium ſortis ἄλογον ἐπὶ τὸ ἦθος conſilium & opem exploratura abit, ſed triſti, ut fieri plurimum ſolet, cum eventu; quippe ab eo, ceu calculo renum laboraret, generoſa tollens remedia λιθοντριπτικὰ, in continuam ex eorum uſu incidit mingendi neceſſitudinem: minxit autem haud difficulter & abſque dolore moleſtiore. Appetitus interea ἀλύμαντος perſtitit; nec ulla unquam κεφαλαλγία fœminam torſit. Semeſtre nunc labitur, ex quo artuum laſſitudinem primum ſentiebat; à trimeſtri verò præ lumborum & inguinum doloribus, licet non adeo vehementibus, ſedere difficulter poterat, nulla licet exterius apparente corporis labe.

Die Junii 12. anni hujus 1681. ſentire quid cepit in vagina uteri, quod egerendi maximum conatum movit. Novitate rei perculſa fœmina, duas ſtatim arceſſivit obſtetrices, & licet certò ſciret, ſe gravidam non eſſe, voluit nihilominus, ut quid rei hoc ſit, ſtudioſè explorarent, inſolitarum ejuſmodi rerum imperitæ obſtetrices fungum coagulati ſanguinis eſſe ſphacelatum (vocant *ein Brandknollen*) arbitratæ, manu illum extrahendum ſtatuunt. Conſilio dum anxia de ſanitate Ægra annuit peritior, quæ ſibi viſa eſt obſtetrix manus admovet promptas, ſed dum grumum ſe obtenturam ſanguinis credit, en carneam molem duas ſpithamas longitudinem propemodum æquantem pertinaciter protrahit, Ægra interim præ acerbiſſimis, qui ſibi in extractione pariebantur, doloribus immaniter vociferante, venas imprimis atque nervos omnes ex utroque illorum latere ſibi rumpi alto clamore ingeminante. Obſtetrices perpetuis Ægræ ejulatibus attonitæ, ſerò nimium animadverterunt, corpus illud præternaturale non ex vagina ſaltem, ſed ex utero ipſo ulterius deſcendere. Sollicitæ itaque de rei eventu Veterinarium, à quo antea ſiniſtro cum ſucceſſu curata fuit, accerſi de novo volunt. Ille verò ſemel atque iterum vocatus accedere renuit, ſuam hiſce in caſibus ἀπειρίαν prætendens. Intolerabiles interim dolores Ægram miſerrimam eo impulerunt, ut obteſtaretur obſtetrices, inciſione corporis levamen ſibi procurare tentarent. Nec rogari diu conſuetæ morem gerunt obſtetrices, vulnuſque digiti longitudinem, ac duorum digitorum tranſverſorum profunditatem facile exæquans incautæ infligunt. Verum enim verò, ut ſiniſter utplurimum ſolet eſſe eventus eorum, quæ ἀλόγως peraguntur, ita tantum quoque abfuit, ut Ægra inde levaretur, ut potius in pejus omnia ruerent, dolorque per ſe jam intenſus ſingulis penè momentis magis magiſque exacerbaretur, nec, quod peſſimum omnium, extaret, qui conſilio adjumentum præſtare potuiſſet. Fatis igitur commendata Mitioribus jacuit ad 14. Junii ejuſdem, quo Cleophea Schobingera, Matrona Sangallenſis Nobiliſſima, & ob plurimos, quos ipſa perpeſſa eſt, morbos, in variis Mulierum affectibus percurandis verſatiſſima, ad Miſeram inviſendam à ruricolis rogabatur, haud longè tum à pago negotiorum cauſa exiſtens. Matrona igitur, pro affectu quo erga miſeras & pauperes ejuſmodi fœminas auxilio deſtitutas tenetur benigno, ſine mora ad Ægram proficiſcitur, ubi examinatis probè omnibus caſus circumſtantiis, comperit tandē, corpus illud ex ſinu pudoris propendens ſphacelatū jam magna ſui parte, intolerabilē ferè expirare fœtorē, ac penitius conſideratū nil eſſe aliud vidit, quam inverſum uterum, carneis excreſcentiis pluribus, ut ex figura adjecta patet, involutum, molemque carnis maximam ſpithamæ unius cum dimidia longitudinem exæquare cognovit. Obſervavit itidem, ipſam quoque uteri ſubſtantiam à vulnere læſam ac ſphacelo corruptam extare, moleſque carneas ſingulas propriis involutas membranis, ac à ſe invicem diſtinctas, uteri ſubſtantiæ tenaciſſimè adhærere. Omnibus ſic probe perpenſis, Prognoſin ſtatim funeſtam facit, omnia tamen ad Ægræ ſalutem ſe contributuram promittit. Eum in finem Chirurgum, qui maximè vicinus erat, accerſi jubet, utpote cum quo de medendi ratione, ſiquidem manualem heic operationem neceſſariam eſſe omninò prævidebat, conſilium iniret. Quo facto, in eo convenerunt, uti abſque admotione cultri (in deſperato enim caſu famæ quoque immeritò ſæpè in dubiis eventibus periclitantis habenda ratio) digitis ſaltem carnea moles ab uteri ſubſtantia divellatur; eoque peracto uterus in locum reponatur. Manum itaque Matrona admovit operi, moleſque ſingulas ſatis magno cum labore ab utero ſine notabili cum dolore ita avulſit, ut vix duas ſanguinis uncias inde perdiderit Ægra.

Maxima, quæ adfuit, moles, duorum tranſverſorum digitorum latitudinem utero undiquaque adnexa, colorem ſecundinarum finxit, ſubſtantiamque obtinuit ſoliditate lienis bovini gaudentem, ac pondere libram civilem æquantem, venis quoque quamplurimis ſuperficiem permeantibus ſuperbientem. Minores verò moles omnes carnis fuerunt firmioris, ac fibroſioris, coloris autem nigricantis, odoris fœtidiſſimi; & levicula ſui parte utero per venarum, arteriolarum, aliorumque vaſorum reciprocam communicationem adhærentia. Avulſis hiſce corporibus Matrona uterum quoque extremis partibus violacei ac nigri coloris, inſenſilem quippe & jam ſphacelatum, in locum ſuum reponere laborat, ac dum eum ſub oſſe pubis ſurſum protrudebat, Ægra leviculum perſenſit dolorem, ſed ſtatim iterum evaneſcentem. Ab 11. Jan. uſque ad 14. Iſchuria laboravit Ægra, bihorio autem poſt operationem peractam ſine difficultate ac impedimento urinas reddidit. Nauſea interim perpetuo conflictabatur, quæ ſane ſphacelo membri laborantium atque inde moribundorum conſuetudo tantum non perpetua. Peractis hiſce omnibus, in id incumbendum erat, ut ſphaceli progreſſus minueretur, vulnuſque uteri ſanaretur. Præſcriptis itaque ex conſilio Medici internis ſudoriferis blandis, vulnerariis decoctis, ac injectionibus uterinis convenientibus, & diæta ad mentem Dom. Mauriceau in tractatu de Affectibus Muliebris imperata, Matrona Nobiliſſima ad negotia priſtina revertebatur, Ægramque Chirurgi ſolicitæ commendabat curæ, quam & ea induſtria geſſit, ut Ægram adhuc ad ſex integros dies ſuperſtitem ſervaret; quibus abſolutis, ſphacelo ingraveſcente animam reddidit. *D. Theodori Zwingeri.*

Hactenus ille, quibus ego meam qualemcunque adderem ἐπίκρισιν, ni ea perſpicuitate ſingula eſſent dicta, ut ab omnibus pariter intelligi poſſint: Agmen diſſertationis claudet hiſtoria Juvenculæ, Ovula innumera excernentis, cujus copiam ſuggeſſit Excellent. Theophilus *Bonetus*, Medicus Genevenſis, æterna laude digniſſimus, in literis d. 16. Aug. 1681. ad me exaratis: Oblatæ, *inquit*, mihi à muliere clinica, duæ patinæ ſtanneæ, non mediocris magnitudinis, quas adimplebant ovorum myriades, omninò illis ſimilium, quæ è majoribus noſtris truttis in exenteratione eruuntur, magnitudinis ſcilicet grani juniperini ma-

turi, etſi quædam eſſent minora, qualia in dicto frutice ante maturitatem, eo verò à prædictis diſcrimine quod ſibi invicem non cohærerent, ſed ſparſim humori lento & albo innatarent, ovi albumen referenti. His confuſæ erant pelliculæ, quæ in aquam calentem conjectæ non diſſolvebantur, ſicuti concretæ & & compactæ pituitæ accidit, ſed membranarum fragmenta referebant: Adſtabat his fruſtum carneum, obſcurè rubens, ovi gallinacei mediocris magnitudine: Chirurgus familiaris, ut audio, ovorum nonnulla aquæ ferventi immiſſa induruiſſe retulit, &c. Ruminent iſta eruditi, & qui, vel unde hæc ovorum congeries ſuccreverit, pro ingenii, qua pollent acie, melius examinent; mihi enim de his aliiſvè hactenus locuiſſe ſatis eſt. Vale ô Academiæ noſtræ decus illuſtre, ſcriptiſque elegantiſſimis orbem literarum locupletare perge: Scripſi Baſil. d. 19. Decembris, 1683. *Joh. Jacob. Harderus.*

Corpus myloides poſt partum maſculinum ex utero propendens, cum ſubitaneo puerperæ interitu. Apertura cadaverum utilitas.

Uxor molitoris noſtri in mola Kuppelichina dicta 30. præpropter annorum, ſat alioqui bonæ conſtitutionis, infantiſque jam unius maret, per totum ingravidationis ſecundæ tempus facie pallida ſe male habuit. *D.* 25. *Septemb. Ann.* 1683. dolorifico pulſu fores uteri Lucina pulſavit, accerſitur obſtetrix audacula, & ex illarum ſorte, quibus eſt ſatis loquentiæ, ſapientiæ parum, ut loqui Saluſtius amat: elapſis binis horis, quod quidem illi retulerant, enititur pullionem vegetum, Secundinæ ſatis auſpicato (iterum referente obſtetrice) ſucceſſerunt. Interim continuati dolores puerperam ad horæ dimidium excruciant, identidem ingeminantem, adhuc adeſſe, quod excluderet, aut Didymon aut aliud quidpiam. Manus obſtetrix commodat, exſpectatur geminus, corpus enim ad obſtetricis tactum infantile caput mentitum erat. Secus autem atque exſpectarant res cecidit. Propendet extra pudendum corpus globoſum, ſed nulla arte, niſi fortè adhibita vi ſeparabile: obſtetrix hic agere ſola verita, Chirurgum; hic autem re explorata, fatiſcentibus interea ægræ viribus, me accerſit. Ego, quantumlibet feſtinabundus, velociam prævertere non potui; pedem enim vix porta extuli dum animam hæc exhalavit. Adſum, Corpus myloides (molam dicere non audeo) illinc adhuc propendebat, ſanguinolentum, adque tactum duriuſculum; ſed manu calidiore tractatum rediit ad caſeam mollitiem. Jubeo Chirurgum digitis explorare, ſi fortè poſſet hujus corporis initium quoddam reperiſſe, quod ab illo fruſtra tentatum; quouſque enim digito penetrarat, corpus illud ſecutum eſt. Impero denique ut cultro, quam poſſet, profundè adacto, illud reſcinderet, quod ægrè, cultri aciem remorante cartilaginea cervicis, quam corpus illud habebat, duritie effectum. Saccum poſt illum, quem referebat, accuratius examinavimus, foris totum ſanguinolentum, ſed per longitudinem cultro apertus, nil quidquam, imò ne aquæ guttam in ventre oſtendit, ſed cute glabra, quanquam corrugata & albicante, ſuperficie interna, inveſtitus erat; Caro interim ſpongioſa, ſeſquipollicem ſua craſſitie abſolvens; nihil hîc vaſorum, ligamentorum, oſſium, ſquamarum nihil; illud etiam me vehementer mirum habuit, quod tam citò puerpera extingueretur.

Scholium) Quid heic fuit opus factu? Cadaveris apertura poterat omnem, quæ animis noſtris inſederat, dubitationem diſpuliſſe. Impia vero Pietas, qua, hoc quidem in paſſu, erga mortuos ſunt affecti, qui ſanguinis eos propinquitate contingunt, ſalutare hoc & fructuoſum opus in fere parricidia numerat. Ut enim ſuſpicer, fuiſſe non molam, ſed uteri forte procidentiam, id tamen aſſeverare non audeo. Multas ego molas & legi & vidi, nunquam talem. At, quid uteri ſubſtantiæ convenientius, ſi forte ſolam cartilaginem excipias? Potuit autem uteri orificium aliqua ſua parte cartilagineum eſſe, veluti tum in pyloro, tum ani, veſicæque ſphincteribus plus vice ſimplici obſervarunt anatomici. Obſtetrix autem, qualis hęc fuit, ſibi relicta parum prudens; ubi deinde pauxillum illud ſanæ mentis vini effluvia tumularunt, ſecundinas fortè arctius hærentes, vel internæ uteri ſuperficiei alicubi adnatas, vi evellere tentans, uterum potuit ſimul loco movere, qui per nixus ſecundas extra pudendi rimam omninò propelli potuit. Jam verò eſt cuilibet notum, quàm poſſint ægrè puerperæ ſtatim poſt partum externum frigus perferre, ita, ut multoties ingenti horrore ceu paroxyſmo febrili concutiantur, immò, ni tempori ſuccurras, de vita periclitentur, quale exemplum haut ita pridem in civitate noſtra habuimus; quid futurum, Lector, arbitraris, utero inſuper ipſo, & quidem inverſo, refrigerato? nonne quandoque hernioſi, ſicubi refrigeretur hernia, morte luunt aëris inclementiam? atqui ſunt herniæ inſuper beneficio cutis externæ, cui involvuntur, aliquantillum à frigore munitæ, ſecus atque ipſiſſimus propendens uterus. Scilicet, ſunt hæ partes membranoſæ, frigoris proinde impatientiſſimæ, quo tactæ facillimè convelluntur, inſequente morte. Quod autem ſupra monui, non licuit audacter pronunciare fuiſſe uterum, nec enim ulteriorem aut per ſectionem, aut per digitos explorationem ferebant adſtantes, & naturam variè quoque ludere in molis generandis novimus. Exempla varia *Ephemerides noſtræ* ſuppeditant, *cumprimis Dec.* 1. *Ann.* 1. *obſerv.* 1. 36. *Ann.* 2. *obſerv.* 79. 84. 160. *Ann.* 3. *obſerv.* 129. *Act. Med. Hafn. vol.* 1. *obſer.* 26. *Plater obſerv. l.* 3. *p.* 868. 872. *Schenck. Salmuth. Bartholinus, Hildanus & alii plures.* Suppeditat hic caſus duo quaſi poriſmata, quorum primum eſt: intereſſe Reipublicæ, ut obſtetrices conducantur piæ, ſobriæ, prudentes & peritæ: Alterum: Intereſſe eidem, impiam illam Pietatem conſanguineorum antiquari, & in caſibus præcipuè ſingularibus cadaverum aperturam concedi, quin, pro circumſtantiarum ratione imperari.

Vulgus non ſolet diſtinguere inter Anatomen & ſolam cadaverum aperturam (*Oeffnung*) hinc, quia audiunt forte in Academiis ſupplicio affectorum cadavera anatomiæ tradi, defunctorum aut affinitatis exiſtimationi detractum iri verentur, ſi aperiri permittantur; ſed facile poſſent hoc timore exui, ni vanis & præconceptis perſuaſionibus pertinacius inhærerent. Quamquam enim nec ipſa anatome ſupplicio affectorum in contumeliam defuncti aut propinquorum tendat, & boni publici cauſſa fiat, ob quam injuria fieri non cenſetur, ut rectè allegat ex ff. Carpzovius in prax. rer. criminal. part. 3. quæſt. 137. n. 72. ſ. (ubi diſquirit, non ſupplicio affectorum cadavera ſint anatomico cultro ſubjicienda, & allatis rationibus affirmat) toto tamen cælo differt cadaverum apertura ab eorum anatome, ſiquidem in hac omnes corporis partes ad pernoſcendum hominis naturalem ſtatum examinantur & explicantur; in illa tantum in cauſſam morbi, huncque inſequentis interitus, adeoque in ſtatum hujus præternaturalem, inquiritur, ut aliis cum eodem aut analogo morbo conflictantibus opera Medici tantò ſit præſentior. Tantum itaque abeſt, ut ab ejuſmodi apertura cuiquam impietatis nota affricetur, ut potius impingat vehementer in Chriſtianam charitatem, quiſquis heic Medici ſedulitatem, ſufflaminare ſuſtinet. Quantum debemus laborioſiſſimo Boneto, qui in aperturis cadaverũ operã collocavit nullo auro compenſandam, cujus eſt teſtis illuſtre Sepulchretũ à laudato auctore evulgatum. Siquid heic impii lateret, cur Magnatum

tum cadavera aperiuntur ? non eo fine, vel inde tantilla ægris utilitas accreſcat, niſi forte per accidens ſed tantum in conditurae ſeu balſamatonis gratiam? Quid multis? Si modò homines reflecterent, Medicum non animi gratia, ſed ut ægris proſit, ſectiones has deſiderare, non adeo ſeſe opponerent: quid enim in hac apertura, ex tetro fœtore, vel miaſmate etiam contracto deliciarum? quid non potius moleſtiæ? Hanc autem, uti non in omnibus morbis ſine diſcrimine requiro, (quid enim intereſt aperire quem ex febre maligna interiiſſe conſtat?) ſed tantum in caſibus valde dubiis, rationem & experientiam Medicam illudentibus, aut ubi quid commiſſi erroris adſtantibus ſuſpicamur, velut in hoc noſtro caſu factum; heic dico, quantumcumque etiam propinqui reluctentur, autoritate ſuperiorum eſſe cogendos, ut vel ingratiis Medicos cum Chirurgis ad ſectionem admittant. Plura in hanc aperturam notabilia habent *Ephemer. noſtræ Ann.* 1. *obſerv.* 15. *D. Roſini Lentilii.*

Uterus ex difficili partu perruptus.

Anno 1670. 24. Auguſt. Pragæ. *Catharina VVolrabin*, temperamenti frigidi & humidi, ætatis 35. ann. quatuor jam antea proles robuſtas feciliter peperit; tandem de dolore uteri ſubinde querebatur, colore pallida, macies indies incrementum ſumſit, tuſſis ſicca moleſtabat, cum quinta prole ad nonum menſem naturale pariendi tempus pervenit, quatuor diebus laborioſo partu miſere torquebatur, fœtus dextram manum exporrectam habuit, nec ultra ab Obſtetrice adjuvari, nec à conatu Matris protrudi potuit, quinta tandem die fœtu jam extincto, & illa expiravit. Maritus tam laborioſi partus cauſam ſcire cupiens, ut eam perveſtigarem rogavit. Aperto itaque leniter abdomine, Puer robuſtus extra uterum omnibus involucris ſolutus, pedibus in ſiniſtrum hypochondrium extenſis Lienem contingens, capite cum manu exporrectâ, intra oſſa pubis & cervicem uteri hærebat.

Chirurgo adſtanti, ut fœtum ſuaviter eximat, dico, quo exempto, manus livida unà cum parte capitis, quæ exitum tentabat, ob vehementem facultatis expultricis conatum, in acutum redacta, deprehenſa. Uterus in parte ſiniſtra una cum ſecundinis à conatu pueri pedibus diſruptus: in parte verò dextra, tumor quidam durus in convexum uſque ad cervicem Uteri inſtar globi ſe extendebat, in Concavo hujus ulcus nigrum gangrænoſum illum tumorem cauſans, qui fœtui viam præcluſit, repertum eſt. Sectus per medium tumor, craſſitiem quatuor tranſverſoſum digitorum ſuperabat. Hæc cauſa detenti fœtus. *D. Simonis Aloyſii Tudecis de Monte Galeâ.*

Uteri & veſicæ urinariæ Procidentia.

Quod verum eſt, meum eſt, dixit olim Seneca in Epiſtolis. Utinam idem adhuc ſentirent ac ſaperent ſcriptores omnes, veritatemque pluris facerent, ceu æternum quid ac immutabile, quam fallacia præjudicia aut fucatæ novitatis illecebras, intempeſtivum contradicendi ſtudium; Quicquid verò delinquant alii, titubentve mente, nobis hercle quidquam affectare præter amabile verum religioni eſt. Neque enim curioſitate noſtra & quotidianis exercitationibus alio collimamus, quam ad cognoſcendam veritatem colendumque Deum, deinde etiam ad curandam mortalium valetudinem. Hic errores tamen non tantùm vitare ipſi adhibita ſumma diligentia, ſed etiam ut evitent cæteri efficere pro virili parte tenemur. Inter mulíebres morbos omni ævo cognita & perſpecta fuit uteri procidentia, grave ſane moleſtumque malum, quippe generationi plurimum officiens, ac interdum etiam funeſtum: docuitque univerſa antiquitas uterum mulieribus aliquando prolabi. Hodie autem poſt Theodorum *Kerckringium*, præclaris monumentis apud eruditos celebrem, in Belgio famigerati chirurgi duo *Ronhuſius* & *Meckeranus* editis obſervationibus negant matricem procidere poſſe, quod priſci uno omnes ore affirmaverant, arguuntque erroris ac imperitiæ præclara & vel Æſculapio majora nomina. In hoc ancipiti ſtatu, cum alterutri partium cauſa cadendum ſit, judicem appellare nullum convenit niſi experientiam. Equidem in rebus ad rationem ſolam pertinentibus humanæ autoritati tantum fidei nunquam adhibemus, quantum conſcientiæ dictamini: ſemper enim pro falſo ambiguoque juſtè reputamus quicquid claro & diſtincto mentis noſtræ conceptui repugnat, etiamſi graviſſimi autores ſexcenti id verum ac indubitatum eſſe pronunciarunt. Nimirum ſapientum ratio ſui juris eſt, & ad quam homines adſpirare debent, æternæ veritati, hoc eſt, Deo, priùs auſcultat quam hominibus. At aliter planè ſentiendum eſt de rebus contingentibus in judicio cui præſidet experientia. Hic votorum pluralitas, & teſtium idem affirmantium multitudo, plurimum momenti ac vim veritatis habet, niſi manifeſto demonſtrari queat teſtimonia eſſe fraudulenta. Quamobrem cum in his caſibus magni æſtimanda ſit bona fides, & ſcriptorum idem ſentientium frequentia atque autoritas, acerbè ferimus Chirurgorum illorum petulantiam, in tot præcellentes Medicos temere ac perversè inſultantium, quorum ipſi neque famam nec eruditionem aſſequuntur, imo continere nos diutius non poſſumus, quin contra ipſos pro veritate & antiquitatis honore teſtimonium publice dicamus. Accidit anno Chriſti 1682. menſe Martio, ut in xenodochio Schapuſiano vidua decumberet, ex diuturna & gravi uteri procidentia laborans. Primum quidem ante pluſculos annos, cum uxor adhuc marito frueretur, leve malum fuit, nihilque aliud quam vaginæ lavamentum; poſtea verò conceptione & partu iteratis paulatim ita degeneravit, ut vagina omnis inverſa promineret ac inter femora nutaret. Procidentiam ægra ſibi identidem ipſa repoſuit, & pila cerea utcunque firmavit, donec noviſſimè difficulter parturienti uterus edito fœtu in vaginam dependulam prolaberetur. Penſilis maſſa carnis ſpithamam æquavit longitudine, craſſitiem utraque manus facile complecti non potuit, tantumque doloris & moleſtiæ ægrotanti creavit procidentia, potiſſimum obambulaturæ ac rem familiarem curaturæ, ut ſubinde mortem præoptaret. Infernè per patulum uteri orificium menſtrua ſtatis temporum intervallis promanarunt. Matricem autem extra pudenda delapſam manibus noſtris aliquoties palpavimus, quæ tamen inverſa haut erat, ut oculis conſpici poſſet, ſed latens intra vaginam propendulam tractari potuit & comprehendi manibus. Illa ſurſum aliquando compulſa nativam ſedem cum ſaltu repetiit; aſt vaginam in priſtinum reſtituere locum non licuit. Tandem cum nihil remedii ſupereſſet, & alia atque alia mala imminerent, hanc amputare viſum eſt. Eventu autem ſpem non implente ægra mortem occubuit. Docuit poſt anatome uterum revera procidiſſe, vaginamque totam fuiſſe everſam. Adhæc, quod magis mirum & planè novum videtur, cum utero veſicam urinariam ſimiliter mutata ſede procubuiſſe annotavimus; ceu pluribus aliquando forſan denarrabit inclytus *VVepferus*, qui horum omnium nos voluit eſſe teſtes oculatos. Nec tamen rupta fuerunt uteri & veſicæ vincula, ſed tantùm laxata. Reſipiſcant ergo *Kerckringius*,

Roonhuyſius & *Meckeranus*, ſiquidem adhuc in vivis ſint, ſententiamque ſuam erroneam & pernicioſam moniti retractent. Cæteri demum quotquot hæc lecturi ſunt, & quorum iſta noviſſe intereſt, vel noſtro exemplo diſcant ſcrupuloſe ponderata omnia, ac ubique magnam adhibere diligentiam cautionemque, ne cum delinquant ipſi, tum ſeducant incuriſè alios, aut ſeducantur. *D. Joh. Conradi Peyer.*

Mulieres Hydropicæ Uteri procidentiæ ſæpe obnoxiæ.

Alterum quod memorandum ſupra reſtabat, eſt, quod mulieres hydropicæ pleræque ſimul conquerantur de procidentia uteri. Imprimis duæ vetulæ ſummam inde patiebantur moleſtiam, ad mortem uſque. Eo ipſo dubium ſe offert ex recentiorum obſervatis, v. g. Barbetti in Prax, &c. qui ſcribunt vulgò dictas uteri procidentias videri, non eſſe veras ut plurimum, ſed aut flatulentum vel aliud quid ſarcomati ſimile. Pro affirmativa verò, ut pauca hęc ſubjungam, verè nempe uterum procidere poſſe uti certiſſimum aliàs eſt, ita notavi, poſt partum ipſum quandoque uteri ſe explicuiſſe globum & propendiſſe; quòd nuperrimè in præfecti cujuſdam uxore accidit, cui fomentis calidis iterum reponebatur. Deinde in hydropica altera memorata vidi propendens uteri corpus, quantum ob vaſtiſſimam tumentis corporis molem licebat. Mitto obſervationes aliorum. Cum ergo à ſero illo copioſo intra abdomen præter naturam collecto neceſſario laxentur ligamenta uteri, videtur probabile eſſe, & laxari ab humore, & protrudi à copia & pondere eundem poſſe, ſicque veram tunc dari poſſe in hydropicis procidentiam. Illud vero mirum eſt, quod in vicino pago æditui conjux, quotieſcumque concepit (contra morem alias affectus) procidentiam aliqualem uteri primis ingravidationis ſeptimanis experitur, hinc ſenſim is iterum contrahitur, & extra illum ſtatum nil tale paritur. *D. Thomæ Bartholini.*

Excreſcentia fungoſa Uterum prolapſum ſimulans.

Uterum, non tantùm ad pudoris uſque ſinum deſcendere, ſed & planè extra rimam ejus prolabi; & ſic majore modo, modo minore magnitudine foris propendere, adeò jam commune atque receptum eſt Practicorum dogma, ut vix ullum offendas, qui de Mulierum morbis diſſerens, prolapſus ſeu procidentiæ uteri nullam fecerit mentionem. Imò ſi Divinum noſtrum *Coum* evolvamus, in ſcriptis quoque illius Affectus, iſtius haud obſcura offendemus veſtigia. Nam *lib. de Nat. Mul. cap. 5. pag. 564. & cap. 75. pag. 582. edit. Foës.* expreſſe uteri, extra pudenda prorſus prolapſi, atque velut Scrotum penduli, ſigna, cauſas atque curationem tradit. Quæ cuncta iiſdem verbis repetit *lib. 2. de Morb. Mul. cap. 38. pag. 655. & cap. 40. pag. 656.* Et *lib. de Sterilibus, ſeu iis, quæ Uterum non gerunt, cap. 28. pag. 687.* Ita quoque *lib. de Superfœt. cap. 26. verſ. 3. pag. 267.* quomodo Uterus crebro excidens reponendus, & quali decocto prius abluendus ſit, docet. Imo verba illa, qua *lib. de Locis in Hom. cap. 59. verſ. 1. pag. 423.* de ſitu Uteri vitiato, breviter quidem, attamen nervosè ſatis, profert, dum inquit: *Uteri quocunque è ſede naturali moti fuerint, morbos afferunt, ſive foras proceſſerint, ſive intrò ceſſerint*; de Uteri cum prolapſu, tum aſcenſu intelligenda eſſe, cur dubitamus? Sic igitur *Hippocratem*, Uterum extra pudenda prolabi poſſe ſtatuentem, ſecuti ſunt hactenus innumeri Medici. Et merito quidem. Ipſa namque Experientia aſſenſum urget, dum Uterum p. n. extra abdomem penſilem apparuiſſe, diligentia atque intemerata fides Obſervatorum annotavit. Certè *Rouſſetus* de partu Cæſ. ſect. 4. cap. 5. & 6. Et *Caſp. Bauhinus* in Append. ad Rouſſ. Parte 4. plurima collegerunt Exempla. Quibus merito addenda, quæ leguntur apud *Paræum* Lib. 13. c. 40. & 41. pag. 798. ſeq. *Joh. Gvvintherium* de Medic. Vet. & Comment. 1. pag. 771. *Fernel.* Phyſiol. lib. 7. cap. 2. Op. Tom. 1. pag 188. A. & Pathol. lib. 6. cap. 16. Tom. 2. p. 202. A. B. *Foreſt.* Obſerv. Med. lib. 28. Obſerv. 33. & 36. *Panarol.* Jatrol. Pentec. 1. Obſerv. 23. pag. 15. a. *Thom. Barthol.* Hiſt. Anat. rar. Cent. 4. hiſt. 2. p. 213. *Poterium* obſerv. & Curat. Cent. 3. cap. 91. pag. 290. *Paul. Barlette* Chirurg. Part. 1. c. 8. p. 36. *Petr. Eſtanoë* Obſer. 31. annex. Obſ. River. p. 335. *Velſchium* Obſ. Med. Epiſagm. 77. pag. 51. aliosque. Cæterum, licet Uterum extra Pudenda revera procidere poſſe ſtatuam, non tamen nego, quod etiam ſæpe excreſcentiæ carneæ aliaque Uteri prolapſum ita mentiantur, ut & oculatiſſimis imponere poſſint. Talia namque exempla præter *Clar. Thom. Barthol.* Hiſt. Anat. rar. Cent. 2. Hiſt. 58. p. 274. referunt quoque peritiſſimi Chirurgi Belgæ *Henr. van Roonhuyſen* Obſerv. Chirurg. Part. 1. Obſerv. 2. Et *Job. van Meeckren* Obſ. Chirurg. c. 51. p. 320. & ſeq. & in Append. cap. 14. p. 491. Quibus haud abſimilis eſt ſequens hiſtoria, quam fide bona referam. Maria, Davidis Stils Scoti vidua, honeſta & pia, atque Temperamento Melancholico prædita, Anno Chriſti 1666. ætatis circiter 47. Viduitatis 8. dum in Nundinis, quæ poſt Feſtum Sanctorum Simonis & Judæ hic Thorunii celebrantur, rei ſuæ nimiam dat operam, & poſthabito Menſium fluxu, quo tum ordinarie corripiebatur, merces ſuas emptoribus, ſe verò frigidiori aëri exponit, primum quidem in Hypogaſtrio leves quoſdam ſentit dolores, quos tamen ab externo frigore obortos eſſe ipſa ſuſpicabatur. Dolores excepit exiguus in pudendo tumor, qui quotidie creſcens, ægram eo adegit, ut medicatricem in conſilium vocaverit. Hæc ubi balneis atque inunctionibus ſuis, per aliquot ſeptimanas continuatis, fruſtra tractavit ægram, deſperata tandem cauſa, ut ſepoſito pudore Chirurgus conſulatur, ſuaſit. Sic igitur die 13. Januarii Anno 1667. vocatus, Chirurgus *Antonius Stattlender*, offendit extra pudoris ſinum propendentem ſubſtantiam quandam ſphaceloſam, maximè fœtentem, & duos pugnos magnitudine ſuperantem. Unde Affectus raritate atque gravitate permotus, Medicum ſibi in ſubſidium dari petiit. Adjungitur ei ab Amicis Excellentiſſimus Senex *Dn. D. Chriſtophorus Meiſnerus*, jam ἐν ἁγίοις, Quo cum, ubi die 14. Jan. viſitavit ægram, abraſit de prominente ſphaceloſa ſubſtantia ultra libram, reliquum vero defenſivis munivit. Subſequenti die 15. Jan. Excellentiſſimum *Dn. D. Simonem Schultzium & Me.* ad ſe invitavit Beatus *Meiſnerus*, atque comparentibus nobis caſum in præſentia Chirurgi expoſuit, noſtramque ſententiam inquiſivit. Et quandoquidem *B. Meiſnerus* illud, quod extra pudendum propendebat, nil niſi excreſcentiam fungoſam, Chirurgus verò Uterum inverſum atque prolapſum eſſe contenderent, re pro & contra ventilata, ipſam placuit adire ægram, ipſumque affectum propriis luſtrare oculis. Omnes igitur ad ægram nos contulimus, ubi mox ſub hypocauſti ingreſſum moleſtiſſimus nos excepit fœtor. Ægram vero ipſam deprehendimus nimis debilem, attamen ſectionem omninò exoptantem. Detecta tandem parte affecta, in diverſas mox ivimus partes, ambigentes, quid ſphaceloſum illud eſſet quod extra pudoris ſinum conſpiciebatur. Nam *B. Meiſnerus* Uterum, ob ligamenta imprimis latiora,

ita

ita exeidere poſſe pernegans, illud p o fungoſa habuit excreſcentia Nos verò uterum inverſum propendere arbitrati ſumus. Neque nos ligamentorum uterinorum uſus de opinione noſtra dimovere potuit, cùm tantum valeat in eorum conſtitutione naturali, non vero prętcrnaturali,ubi aut rupta, aut ſaltē ob continuum humorũ affluxum nimis laxata ac reſoluta, officium ſuum minimè præſtare poſſunt. Prout etiam in aliis procidentiis, & imprimis oculi, contingere ſolet. Confirmarunt præterea ſententiam noſtram exempla, à *Rouſſeto*, *Bauhino* aliiſque ſuprà citatis annotata. Et tandem ipſe Chirurgus haud leve pondus addidit, ubi noſtro inſtinctu digitum intra ſinum immiſit, & undique ad latera colli Uterini cavitatem explorans, ubique ſibi obſtare ſubſtantiam membranoſam, retulit. Unde Uteri fundum inſtar ſacci inverſum propendere collegimus. Quandoquidem autem totum illud, quod propendebat, ſphacelo corruptum erat, ſepoſita illa controverſia in eo omnes conſenſimus, ut ſubſtantia illa ſphaceloſa, ſive uterus ſit, ſive non, quantocyus, & antequam vires omnino proſternantur, reſcindatur, ne partes adhuc ſinceræ inficiantur. Imprimis cùm ipſa ægra idem perpetuis efflagitaret precibus. Quare facto ad ſectionem debito apparatu, & Chirurgo Johanne Kelnero ad ferendas Antonio ſuppetias itidem vocato, injecit iſte vinculum parti ſanæ, non longè à veſicæ urinariæ orificio, per quod nullo negotio ſtylum in ipſam veſicam immiſit. Vinculo colligato, dum ægræ poſitus ſectioni adaptatur, iſta manus anxiè jactare, creberrimè expalleſcere, & ſudore circa frontem diffluere cœpit. Unde Leipothymiam inſtare colligentes, mutato conſilio ſectionem diſtulimus, veriti ne una cum ſphaceloſa excreſcentia ipſam quoque auferamus animam. Relicto igitur vinculo, defenſivis partem affectam munivit Chirurgus, atque ex ordinatione Beati Meiſneri ægra diverſis uſa eſt corroborantibus. Nox ſubſecuta inquieta, propter dolores ab injecto vinculo excitatos. Die 16. Jan. ob ægræ imbecillitatem nihil tentatum. Die 17. Jan. cum viribus magis magiſque decreſcentibus, circa ligatam regionem magnos ſe pati dolores conquereretur ægra, & præterea prope vinculum macula appareret nigra; ægra quoque per tuſſim purulentam materiam ſatis copioſè rejiceret, ita ut eam Phthiſi ex ulcere Pulmonum contracta laborare nemo ambigeret, & Artis honori & noſtræ famæ conſulentes, ſectionem omnino differendam eſſe, uſque dum vitia Pulmonum emendentur,& vires reſtaurentur, decrevimus. Vinculum igitur ſolvere juſſimus, atque ut locum affectum debitè tractet, Chirurgum monuimus. Remoto vinculo ſanguis undique ſtillabat, & ſimul quoque dolores remittebant. Subſequentibus autem diebus quotidie plures particulas corruptas abſtulit Chirurgus, ita ut excreſcentia jam vix unum pugnum æquaret, & fœtor indies minueretur. Unde & nos ipſi quoque, cum abraſa tanta parte, nedum quidem adhuc in medio illius cavitas aliqua appareret, qualem tamen adeſſe debere credidimus, ſi de Utero prolapſo tanta quantitas fuiſſet ablata, non jam pro corpore uterino, ſed pro excreſcentia quadam fungoſa ac ſphaceloſa propendente illam ſubſtantiam cum B. Meiſnero habuimus. Neque etiam aliud ipſe docuit eventus, cum enim ægra Phthiſi conſumpta die 24. Martii animam Creatori ſuo reddidiſſet, abdomine reſerato, Uterus illius omni ex parte ſanus in pelvi, ceu debito & naturali ſuo loco, hæſit, nec licet propendens ſubſtantia varie traheretur, quicquam movebatur. Sphaceloſa autem illa ſubſtantia nil aliud fuit, niſi excreſcentia fungoſa, ex uteri collo majori, & hujus antica parte prope Veſicæ orificium enata. Verbo, ipſa Uteri colli ſubſtantia rugoſa, ſpongioſa, à menſium & corruptorum humorum affluxu ampliata atque dilatata. *D. Segerus è Litt. Thorun. Vratisl. datis.*

De Procidentia uteri falsâ.

Magno *Socrati*, Philoſopho ſummo, imò & *Antonio Juliano*, Oratori Romano, Ordinarium fuit, quoties de amoribus ſermo habendus, facie tectâ publico ſe exponere, eò quod quæ proponerent omnis reprehenſionis expertia neutiquam eſſe, ſatis conſtaret.

Quam ergo pœnam non incurret ille, qui naturæ arvum, amoris omnis pudoriſque fontem, petarare tentat, eum imprimis in finem, ut ſententiæ Antiquorum quæ uterum muliebrem non tantum extra corpus prolabi, ſed & in totum auferri poſſe docet, falſitas declaretur, præſtare multis forſan videbitur ab incepto deſiſtere, quam Clariſſimorum Virorum turbæ adeò inſigni procidentiæ extirpationive uterinæ poſſibilitatem probanti, ſeſe opponere.

At verò non eſt quod me deterreant hæc ſimiliaque, quin contra animoſus, anatomico experientiæ cultro armatus, quę in deſtructionem figmenti dicti adferri poterunt, proponere aggrediar:

Amicus Socrates, amicus Plato,
Sed magis amica veritas.

E re ſtudioſorum erit, Authorum variorum, qui vel per negligentiam vel per occupationes varias, uterum non ſolùm extra corpus procidere, ſed & à Chirurgo auferri ſine damno poſſe, docuerunt, ſententias diverſas, antequam quæ nobis obvenere exhibeamus, proponere.

Aëtius à Midenâ lib. 16. de re medicâ cap. 78. Uterum ad magnitudinem ovi ſtruthiocameli extra corpus procidere poſſe, tradit.

Majoris extenſionis aliis habetur, quorum etiam variis cauſam procidentiæ addere placet, vociferationem nempè, fœcum alvinarum excretionem moleſtam, caſum, percuſſionem ad femora, coitum indecentem, partum graviorem; videri poſſunt quæ hâc de re habet *Felix Platerus de part. procid. cap.* 2.

Ariſtoteles lib. 7. *cap.* 2. Uterinæ procidentiæ cauſam venereum appetitum excedentem dicit, eam que curari minime poſſe niſi gravidatione.

Hier. Fab. ab Aquapend operat. Chirurg. part. 1. *cap.* 26. quid agendum ſit docere ſtudet, quoties ob ligamentorum, vel laxitatem, vel ſeparationem uterus extra corpus prolapſus.

Felix Platerus cap. 2. *de part. procid.* Mulierem cui uterus prolapſus concipere, imò etiam fœtum ipſum circumgeſtare poſſe, ſcribit.

Vopiſcus Fortun. Plempius Anatom. Cabrolii c. 34. Uterum ad capitis magnitudinem procidere poſſe ſcribit, eumque incuriâ quadam putrefactum extirpari ſine incommodo, ſic ut etiam eo ablato concipere queat mulier.

Paulus Ægineta de arte med. lib. 3. *cap.* 72. vivam pronunciat mulierem, cui uterus abſciſſus.

Du Laurens lib. 7. *de part. gener. cap.* 11. *Æginetæ* ſententiam amplectitur, omnia bona promittens mulieri cui uterus ablatus.

Nec utero ſolo ſed & renibus ſine damno carere poſſe hominem *Theoph. Paracelſus Paramir. lib.* 4. *de orig. morb. matric.* ſcribit.

Jacobus Berengarius in Mag. anat. Langius Epiſt. 39. *Tom.* 2. *Mercurial. lib.* 4. *genæc.* 11. *& Ludov. Duretus in Holler. cap.* 57. *de morb. partic.* Uterum muliebrē extirpaſſe ſe memorant ſine ullo metu, ſine ullo vitæ periculo.

Regius Medicus *Fernelius* vidiſſe ſe refert parturientem quandam, cui uterus cum fœtu incluſo ſine ullo vitæ diſpendio ablatus, ipſe licet *anat. cap.* 7. uterum

uterum firmiter ſatis nexum reſetat, non ſolum veſicæ urinariæ & inteſtino recto fibrillarum ſubtilium ope, ſed & oſſibus Illium beneficio ligamentorum validorum.

Plinius & *Sordanus*, uterum muliebrem auferri ſine periculo poſſe, exemplo porcorum probare nituntur, quibus, ut delicatiorem eſcam præbeant, uterus auferri ſolet.

Paræus Conſiliarius regius lib. 23. *cap.* 41. mentionem facit mulieris 30. annorum, cui ablatus uterus.

Paræo aſſenſum præbet *Franciſcus Rouſetus de partu Cæſareo ſect.* 4. *cap.* 5. *& 6.* Uterque in ſententiæ ſuæ probationem adferunt, quod in diſſectis cadaveribus pelvim, quo loco uterus detinetur, induratam obſervaverint.

Fabulis magis annumerari, merentur, quæ de uteri exſtirpatione agentes *Avenſoar lib.* 2. *cap.* 2. *Anton. Benivev. de abdit. morbor. cauſ. cap.* 11. *Wierius, Zacut. Luſitanus, Fel. Platerus*, & plures alii, adferre voluerunt, mulieres nempe, quibus uterus corruptus abſciſſus, non ſolùm ſuperſtites permanſiſſe, ſed & liberos procreaſſe.

Hildanus è contra ex ore Medici, *Henrici Stapedii*, in reſponſione ad caſum de uteri Ruptura à *Dom. Michaële Doringio*, Medico, propoſitum, exemplum adducit mulieris, ab exſtirpatione uteri inordinatâ ſubitò extinctæ.

Thomas Bartholinus cent. 2. *hiſtor.* 91. Hiſtoriam proponit à *Clar. Motthio* Medico communicatam, qua in nobili quadam, ab obſtetrice ſecundinas auferre laborante, uterum, & cum eo vitam ipſam ablatam narrat. *Nobiliſſima*, inquit, *Matrona Chilonii Holſatarum* 15. ante filiorum mater, fœtum vivum, quem 40. hebdomadibus commode ſatis geſtaverat, ſemihoræ labore, ſine ulla moleſtiâ fæliciter 1642. excluſit, remanentibus tamen more hujus puerperæ ſecundinis, quas cum obſtetrix, ut ſolita fuerat, ſolvere & extrahere conatur, unà cum ſecundinis uterum, quamquam inſcia, extraxit. Inter operandum puerperæ ſciſcitanti, quomodo negocium ſuccederet, reſpondit: ſecundinam ſe quidem habere, ſed ſubſequi carnis partem ſibi incognitam. Adſtantes fœminæ, molam eſſe credentes, ibique ſæpe id eveniſſe, obſtetricem ad extrahendam carnem exſtimulant, quæ omnia, etiam validiore manu, irrito conatu, & renitente carne, juſſa exequitur. Advocatus *Dom. Motthius*, ſine voce, nutu, & pulſu puerperam invenit, mortuamque vere pronunciat; occupatâ deinde obſtetricis ſede, immiſſaque ſub lecti ſtragulis manu, ipſum uterum integrum, marſupii inſtar propendentem, & ab utroque latere perforatum obſtetricis digito, deprehendit, adſtantibuſque monſtravit, verè tunc mortuam ſero credentibus.

Idem cent. 1. *hiſt.* 97. carnoſæ excreſcentiæ, in utero ex caſu obortæ, libras quatuor cum media pendentis, mulieri lethalis, meminit.

Locum natura utero & amplum, & tutum conceſſit, inter veſicam urinariam, & inteſtinum rectum, quæ hic duplicis pulvinaris vices ſubeunt. Medius hic eſt, quo in æquilibrio ſervetur corpus.

Componitur quoad ſtructuram ex tunicis, venis, arteriis, nervis, & ligamentis.

Tunicæ hîc duæ, interna una, altera externa.

Hæc originem ſumit à peritonæo, illa carnoſa eſt magis, quam ulla membranarum infimi ventris. Fibrarum triplici conſtat ordine, quarum ope attractio, retentio, & expulſio perficiuntur, craſſities harum tunicarum increſcit decreſcitque, pro diverſitate ætatis, temporis, menſtruationis & gravidationis.

Venæ duplicis conditionis ſunt, utroque latere una, ſuperiores quædam, quædam inferiores. Superiores à ſpermaticis procedunt, antequam Teſtes accedunt, uterinumque fundum & collum pererrant. Eadem ratio arteriarum. Inferiores venæ, ſimiliter ac arteriæ ab Hypogaſtricis deveniunt.

Nervi non ſolum à ſexto pari nervorum cerebri deveniunt, ſed & ex ſpinali medullâ, quæ oſſe ſacro detinetur.

Ligamentorum, quorum ope & vicinis partibus nectitur uterus, & in ſuo ſitu conſervatur, duo ſunt paria, horum duo ſuperiora ſunt, duo inferiora.

Superiora continuationes atque appendices ſunt peritonæi, cornibus ſeu *Tubis Fallopianis* connexa. Inferiora tertia ſunt, validaque nervoſa, intus excavata, hæc ex latere fundi uterini deſcendentia, ubi circa inguina tendines muſculorum obliquorum abdominis attigerunt, eos perforant, mox varias in partes diviſa, una earum, quæ breviſſima, circa Clitoridem os pubis accedit, alterâ longiſſimâ, membranam adipoſam, cum quâ non ſolum femoris magnam partem adit, ſed &, ſi fides habenda *Riolano*, *ſect.* 1. *anat. cap.* 32. ad extremam pedis excurrit.

Ligamentis hiſce imputari debent varia, eaque magno numero mulieribus obvenientia, Tumores nempe inguinales, ſtupor pedum, dolor femorum, plantarumque pedum articulorum circa pedem extremum, colliqne veſicæ urinariæ, juxtor imò reſolutio univerſalis partium corporis totius; ſuperiorum æque ac inferiorum.

Propoſita quibus haud ſufficiunt, adeant ſcripta anatomica quæ, exhibuerunt *Johannes Riolanus*, *Johannes Veslingius*, & *Thomas Bartholinus*: quam arctè vaſa ſpermatica, ligamenta, membranæque utero uniantur, imò uterus ipſe peritonæo, veſicis ſeminariis, inteſtino recto, tunicæ oſſis innominati interiorem ſuperficiem inveſtienti, præter varias partes alias, ſenſiles, inſenſileſque, quantum ſatis erit, declarabunt. Ut adeò cum *Riolano* partem uterum neceſſariam pronunciare teneamus, ſimiliter ac Teſticulos, attamen minimè diviſibilem.

Partium enarratarum ſtructuram, connexionemque legitimè perpendens, quis non videat, quàm facillimum ſit, gravidas, imò ſæpius etiam non gravidas, vitio quodam ſuperveniente, gravia eaque plurima moleſtare ſymptomata, huc dolores intolerabiles, febres graviſſimæ, aliaque, imò mors ſæpius ipſa, quæ, ubi abortivorum excluſio indebita, mulierem affligere ſolent.

Ulterius quod ſi procedamus, quæ non malorum caterva ſeſe offert quoties in mulieribus etiam non gravidis menſtruorum excretio ſupprimitur? fluor albus hic occurrit, palpitatio cordis, febres erraticæ, deliria gravia, nauſea continua, pica, chloroſis, & centum alia, quorum cauſa uterus, ut adeò haud inconvenienter uterus *Hippocrati lib. de locis in homine* 59. omnium malorum, quæcunque mulieribus obvenire ſolent, cauſa dicatur.

Rebus ſic ſe habentibus, tanto inter uterum parteſque alias exiſtente conſenſu, tanta connexione, quis Chirurgorum exſtirpationi ejus admoveret manum, quis qui ſymptomatum ipſius diſpoſitioni pravæ ſupervenientium ullam rationem habet?

At non ſine ratione hîc aliquis in naturam ejus, quod veteres, imò & recentiorum plurimi, uterum prolapſum appellarunt, quod reſtituiſſe, imò ſæpius abſtuliſſe ſine ullo damno referunt, inquiret. Vix enim ſcriptorum ullus occurrit, qui non de affectibus mulierum agens Procidentiæ uterinæ mentionem faciat, cauſas ejus exponat, imò & curationem proponat.

Sunt etiam, qui, procidentiæ hujus differentias exhibentes, ad genua ipſa corpus hoc, quod uterus habetur, prolabi poſſe, tradunt.

Quod ſi ſcriptores hi illud laboris ſumerent, ut

liga-

ligamentorum uteri aliformium ſtructuram examinarent, firmum id adeò, firmiterque vicinis connexum repetient, ut impoſſibile ſit, ſeparationem hîc ullam dari, niſi quæ cultri acie peragitur, ſic ut nullo pondere extrorſum moveri queat.

Caſus nonnullos rariores, qui vel nobis ipſis occurrerunt, vel Medicis Chirurgiſvè aliis, primò hîc proponere neceſſarium utileve ducimus, antequam ad rem ipſam deveniamus, quidque de uterinâ procidentia, de qua tam multa ſcripſerunt varii, ſtatuendum ſit, declaramus.

Primo loco conſideratione noſtrâ, omniumque, qui in hac re informari deſiderant, dignum eſt, quod in gratiam artis Chirurgicæ cultorum his verbis *Cent.* 2. *hiſt.* 58. proponit *Thomas Bartholinus. Vidi*, inquit *Vir Celeberrimus*, *in Noſocomio Patavino* 1641. Diſſectam mulierem, quæ prolapſum uteri à partu difficili antè 10. annos paſſa credebatur. Narravit ſe in prato cubantem obſervaſſe deſcendere uterum, gramenque venari. Ex illo tempore indies crevit ob affluxum ſanguinis, ut diſtentus nigerque in putredinem degeneraverit. Judicabat Chirurgicas operationes nobis demonſtrans P. Marchettus, non eſſe uteri procidentiam, ſed excreſcentiam aliquam in vaginâ uteri, adeoque abſcindendam. Alter Noſodochii Chirurgus familiaris pro uteri ſtetit procidentiâ, cum excreſcentia ſubitum ortum, incrementumque habere non poſſit. Mulier interim ſecari volens, inter ambigua conſilia ad mortem properavit. In aperto cadavere, ſatis trunco obæſo, ſed artubus emaciatis, uterum ſuo loco ſanum beneque conſtitutum vidimus, excreſcentiam verò ex uteri vaginâ dilaceratâ pendulam, cum labiis pudendi, ex lue venereâ forſan inflammatis.

Accedit caſus priori ferè ſimilis, quem & nobis & publico communicare placuit Medico hujus loci experientiſſimo *Dn. Franciſco van der Schagen*, quo quæ omni tempore ſibi perſuaſerat, nunquam ſcilicet uterum verum profunde adeo extra corpus prolabi poſſe, uti quidem veterum recentiorumque crediderunt plurimi, nec ullo tempore exſtirpatum eum fuiſſe, ſicut in vivis non ſolùm permanſerit mulier, verùm etiam prolifera; quin potius ablatum fuiſſe aliquod partibus genitalibus, extra uterum, adhærens, vera eſſe obſervaſſe ſe teſtabatur. Verba, quibus caſum hunc proponere placuit, hæc erant:

Ante annos aliquot cadaver aperui mulieris alicujus, confiſtentis ætatis, hydrope imi ventris extinctæ, quod jam à longo tempore uteri procidentiâ laboraſſet, omittere haut potui, quin in veram ejus conſtitutionem inquirerem, diſſecto proinde abdomine, inteſtinis ad latera inclinatis, uterum non ſolum quoad externa legitimè ſe habentem reperi, ſed & loco debito collocatum; ad quod pudendi labiis continebatur, pro utero prolapſo ſemper habitum, nil niſi vaginæ ſeu colli uterini partem eo extenſam notavi, quale quid, dum laxantur tunicæ, facile contingere poſſe quivis concedet.

Placet jam exſtirpatum uterum oculis Lectoris curioſi exponere, quo figmentis circa ejus procidentiam, abſciſſionemque à variis propoſitis, fidem ulterius dare deſinat.

Anno 1659. die nativitatis Chriſti, quo & conſilio, & opera inſerviremus Chirurgo hujus Reipubl. celebri, *Henrico Roonhuiſen*, cum *Clariſſimis, Experientiſſimiſque Viris*, *Dn. Dn. Arnoldo Tholinx*, *Guiljelmo Piſone*, *Mattæo Slado*, *Medicis*, *D. Georgio van Loon*, *Chirurgo*, mulierem acceſſimus 35. annorum, cujus pudendis unitum corpus inſigne, ponderoſum, fœtidumque, collo tenui deorſum extenſum uterus hoc habebatur omnibus ad pedes prolapſus; in quâ etiam ſententia perſiſtere placuit variis, poſtquam exſtirpatum, maximè quod uteri cornua, vaſa cœca, cum Teſticulis in eo obſervaſſe ſe ſibi perſuaderent, cui tamen nobiſcum alii ſe opponebant, eò quod, ſiquidem poſſibilis eſſet uteri procidentia, partes dictæ exterius haud forent conſpicuæ, ſed in inverſo continerentur utero; hac ratione fore addebatur, ut ſimiles omninò evaderemus Medicis, Chirurgiſve regiis, *Dn. Gaudin*, *la Faere Paræo*, & *Jacobo Guillelmeau*, qui in utero prolapſo alicujus mulieris, nondum abſciſſo, & Teſticulum, & aborſivi fœtus tunicam corruptam notarunt. Vide *Paræum lib.* 24. *cap.* 48.

Diebus aliquot elapſis, quid de enarratâ, peractâque, quæ dubios nos valdè fecerat, controverſiiſque variis anſam dederat, ſtatuendum, conſtitit; ſanam enim obſervabamus mulierem, menſtrua ex debito fluere, imò graviditatis ſigna quædam occurrere; plura huc facientia ſcire qui deſiderat, *obſervationem ſecundam Partis primæ D. Rodenhuyſen* conſulere poterit.

Hiſtoriis enarratis, noſtram jungere ordinis ratio exigit, exhibebit ea non ſolum in vivente muliere procidentiam imaginariam, Chirurgica manu ablatam, ſed & in cadavere diſſecto, quid ejus nomine veniſſet iis, qui ante mortem inſpexerant, corpus extra pudenda propendens.

Mulier 53. annorum *Pariint je Rooſa*, jam à longo tempore fluxu menſtruali, primo ſanguineo, hinc albo laboraverat, unde imaginariam contraxerat uteri procidentiam, cum febre intensâ, virium deſtructione, corporiſque extabeſcentiâ ſummâ; Corpus hoc prolapſum inſignis erat magnitudinis, jam gangrænâ correptum, pondere ſuo valdè moleſtum, eam nobiſcum viſitarunt *Dn. Jacobus Vallan Birrius*, *Bouwmeeſter*, *Tobias Andreæ*, *Medici*, & *Jacobus Odendaal*, Chirurgus.

Re inſpecta, arduum multis videbatur, & non niſi cum vitæ interitu perfici poſſe, uterum ita prolapſum exſtirpare, haud enim induci poterant, uteri hoc minimè corpus eſſe credere, cujus cum corde, hepate, cerebro maximus conſenſus, quo etiam mulierem deſtitui poſſe impoſſibile.

Urgebant alii exſtirpationem, ex eo quod & veterum & recentiorum ſcripta, actaque eam poſſibilem haberent, ſæpiuſque ſine ullo ſanitatis diſpendio peractam teſtarentur.

Probabilius nobis videbatur, cui etiam ſententiæ non unus accedebat, corpus dictum, inſigniter adeò tumidum, fœtidum, pondereque ſummo moleſtum, extra pudenda muliebria ad pedum genua dependens, ipſius uteri corpus haud eſſe, ſed ſolam ejus tunicam internam, dum in ſtatu ſano reliquis unitur, variis modis rugoſam, extra pudenda, plicis variis ſolutis, ipſaque à ſubjecta tunica mediâ ſeparatâ, prolapſam. Tunicæ hujus procidentiæ occaſionem primam dediſſe ſuſpicabamur humorum impuriorum, acriumvè fluxum diuturnum, undè vaſorum ſanguineorum tunicam eam accedentium corroſio, eamque inſequens ſanguinis extravaſatio, atque loco præternaturali collectio, imò ob humorum copiam expreſſione, laxitatevè vaginalis hujus tunicæ ad exteriora protuſio.

Mulier pondus dictum circumgeſtare coacta, fœtorem ſummum diutius perferre nequiens, exſtirpationem urgebat quam maximè. Arduum ſane omnibus habebatur eam inſtituere, nec tamen occaſionem oblatam, quæ fronte capillata, poſthæc calva, negligere licuit, ſic enim conſtare poſſe credebamus, quid veritatis falſitatiſvè inſit decantatæ antiquorum, recentiorumque variorum ſententiæ, qua uterum muliebrem extra corpus procidere, imò ſine ullo vitæ graviditatiſque inſecuturæ diſpendio auferri poſſe docetur.

Conſultatione debitâ inſtitutâ, opus magnum, non ſine mortis prognoſi, aggredi conſtitutum. Operatio-

nis hæc fuit methodus. Primò ligaturâ arctâ faſciæ firmioris ope inſtitutâ collum corporis dicti coarctabatur, mox intra ligaturam & corpus prolapſum, cultri acutioris operâ, inſtituebatur abſciſſio. Faſciæ ad colli conſtrictionem adhibitæ portio notabilis relinquebatur, ad id, ut, ſiquidem è vivis diſcederet ægrotans, & nobis cadaver diſſecandi occaſio concederetur, ejus ductu in partis amputatæ radicem deduceremur. Exſtirpatione peractâ ſanguinis fluxus nullus obſervabatur, ad quem tamen ſtypticum aliquod loco vulnerato applicabatur, licet in totum eum attingere haud concederetur, propterea, quod illico, abſciſſione peractâ introrſum duceretur pars ea cui faſcia injecta.

In diem uſque quartum omnia bene ſe habebant, aſt circa ſextum, ſeptimumve vires valdè imminuebantur, febris contra & animi deliquia augebantur, ſic quidem ut brevi Deo animam nobis corpus exhibere cogeretur.

Ad anatomen ejus admiſſi, ventris imi integumentis, uteri examen inſtituere primarium duximus; hîc enim quid de uteri prolapſu, prolapſique exſtirpatione, ſtatuendum, clarè conſtare poſſe credebamus.

Quoad externa, nihil in eo obſervare nobis licuit quod conſtitutioni morboſæ annumerari queat, nihil hîc deficiebat, non ſolùm in utero ipſo, ſed & vicinis partibus generationi dicatis; Coloris erat albicantis, pyri complanati Figuram habens.

Hiſce ſic perſpectis oſſiumque pubis diviſione, eo loco ubi cartilago interpoſita ea jungit, peracta, uteri totum corpus, cum partibus annexis, qua fieri potuit dexteritate, à partibus vicinis quibus connectebatur, ſeparavimus ſeparatumque convenienter tabulæ impoſuimus.

Hîc quoties faſcia extra pudendum pendula, corporis abſciſſi radici adhuc alligata movebatur, nullo modo movebatur uterus; cogebamur adeoque vaginam uterinam ſecundum longitudinem corporis diſſecare, quo, cuinam parti alligata eſſet faſcia dicta, quidque fuiſſet illud quod exſtirpatum, conſtaret. Apertione facta faſciæ ductum ſecuti deveniebamus ad mali principium, portionem nempè tunicæ internæ rugoſæ, vaginam præter alias conſtituentis, poſt ablationem portionis reliquæ quæ laxitatis nimiæ culpa extra pudendum prociderat, in utero relictæ, cui ſtricta admodum faſcia erat juncta. Terminus hic orificio uteri interno vicinus valdè.

Quis ergò non videt, veteres hæc omnia neceſſario latuiſſe, quod in rei veritatem, qua decebat curioſitate, haud inquiſiverint? Procidentias uterinas quas obſervaſſe ſe, imò exſtirpaſſe referunt, ſic tamen ut ſana permanſerit ægra, ſatiſque fœcunda, quomodo veras fuiſſe probabunt? Sane multa cerebro noſtro fingimus, quorum falſitatem diſſectiones cadaverum evidentiſſime patefaciunt. Ut in variis caſibus aliis, ita in hoc propoſito verum id obſervare licuit, Vanam eſſe procidentiam uteri perfectam, adeoque impoſſibile omninò mulieri uterum totum auferre, integra manente vita, ſalvaque conceptione.

Obſervatio hæc, præter alia à nobis hoc capite propoſita, planè ſatis edocere Chirurgum juniorem poterunt, quænam agenda quoties, ex affluxu imprimis humorum, vaginæ dicta tunica interior, laxior, juſto reddita, hinc extenſa procidentiam noſtræ ſimilem, ſpuriam omninò producere notatur; nihil eſt quod hîc exſtirpationem impedire queat, modò vires ægrotantis eam permiſerint, inſiſtere hîc licet tuto veſtigiis Medicorum Chirurgorumque eorum, veterum æque ac modernorum, qui procidentiam uteri auferri poſſe ſine damno volunt, modò quæ illi toti utero applicarunt, nos tunicæ ejus rugoſæ tribuamus, abſtulerunt fateor antiquiores uterum prolapſum, aſt non niſi imaginarium, nil enim niſi tunicam dictã exſtirparunt quod facillimũ, imò nullius periculi opus; quâ etiam operationẽ aggredi tenetur Chirurgus, ſiquidem inflammationes, gangrænæ, exulcerationeſque graviores, acceſſerint, imò ægrotanti difficillimum, partem prolapſam protuberantem intra vaginam detinere. Peſſaria equidem in tali caſu uſurpari, imò uſurpari poſſe, probè ſcio, aſt cum cera liquefacta denudetur facilè lignum, quod ea incruſtatum, non poteſt fieri quin vaſa ſanguinea uterina, ob corporis motum agitato ligno, aperiantur, undè ſanguinis fluxio continua (quæ menſtruatio immodica vocari conſuevit) cum virium deſtructione, corporiſque extabeſcentia.

Adeſdum itaque Chirurgicæ artis cultor, quænam uteri procidentia in Chirurgia occurrat percepiſti; quomodo per extirpationem auferri queat ſine periculo, quidque antiquorum dogmata in hoc negotio fidei mereatur, vel ſaltem qua methodo errores eorum tegere liceat, procidentia talis quoties offertur alacri animo extirpationem aggredere, facilis æque eſt curationis ac vitia corporis varia alia, ſola hîc ut percepiſti tunica vaginæ rugoſa extrorſum protruſa tollatur, minimè uterus ipſe. Non ita pridem ſimilis conditionis Uterum prolapſum ægrotanti valdè moleſtum minoris licet extenſionis, auferre mihi licuit, bono cum ſucceſſu. Quod ſi occaſione data prolapſum ejuſmodi uterum tollere concedatur, intrepido id perficere animo allabores quæſo, ſic enim ægrotanti ſalus, antiquitati errorum correctio, recentioribus veritatis indagatio adferetur.

Hiſtoriæ huic antequam finem imponamus, utile quam maximè videtur, qua methodo exſtirpatio dicta perfici queat, imò debeat, paucis declarare; inſtrumenta ad operationem hanc neceſſaria exiguo numero comprehendi poſſunt, ſunt ea cultellus falcatus acutus, faſcia, medicamentum ſtypticum, ligamenta circa extrema diviſa, ex linteo molli antiquo parata, ſimilia iis quibus lythotomus uti ſolet.

Ægrotanti menſæ incumbenti ligamentum hoc primo omnium applicetur, facto circa ventris anteriora nodo, hinc faſcia injiciatur collo corporis prolapſi, fiat conſtrictio arctiſſima loco vaginæ proximo; hoc facto, ſiniſtra manu, quo fieri poterit robore, corpus prolapſum attrahatur, dextra cultro dicto armata loco inter collum conſtrictum & partem reliquam prolapſam intermedio, auferatur Exſtirpatione dicto modo peracta, loco vulnerato, ad quem facile manum Chirurgi ducet faſcia eidem adhuc nexa, pulvis ſeq. ſtypticus cum albumine ovorum applicetur, ſpleniiſque debitis impoſitis deligatio conveniens inſtituatur, ad quam ligamenti primo loco ventri ægrotantis applicati extremitates conveniunt. Medicamentum ſtypticum, quod delicatula valdè ſit vagina ſeq. modo conficietur.

♃. Farin. Conſol. maj. ℥ij. Cortic. querc. ſubt. pulv. ℥ij. Nuc. Gallar. ʒiij. Cupreſſ. Balauſt. Sang. Dracon. Boli Armen. ver. Lapid. Hæmatit. an. ʒj. Alum. uſt. ʒj. F. Pulvis.

Die ſeq. injectio poteſt fieri ex infra ſcripto, bis quovis die ad tollendum dolorem.

♃. Fol. Malv. Verbaſci. Alchimil. an. M. j. Caudæ equin. Plantag. an. M. ß. Flor. Roſar. Rubr. ℈ij. Sem. Lini. ʒiij. Maſtich. Oliban. an. ʒij. Coq. in aq. pura, F. Colat. ad ℥xx. in ea diſſolve Mell. Roſ. ℥ i ß. F. Injectio.

Die uno alterove his medicamentis conſumpto, ad majorem mundificationem ſeq. injectio uſurpari poteſt.

♃. Rad. Conſol. major. ℥j. Fol. Ruthæ Scordii. Hyſop Artemiſ. Flot. Roſar. Rubr. an. M. ß. Summ. Abſinth. ℈ i j. Coq. ſ. a. in vino

vino Gallico, Colat. adde Liquor. Ægypt. ℥ß. Mell. Roſac. ℥iß. Ung. de Apio ℥iß. M. F. Injectio.

Ad aliquot dies injectio hæc uſurpari poteſt quod ſi pus, albicantis coloris, minori copia, quàm antea ſe exhibuerit, ſeq. injectio ad exiccationem majorem conſolidationemque priori miſceri poteſt.

℞. Tut. Præpar. Lap. Calamin. præp. an. ʒiß. Sief. Alb. Rhaſ ʒj. Balſ. Sulph. ℈j.

Et brevi tempore ſine omni dubiô curatio abſoluta. *Jobus à Meekeren in Obſervationibus Anatomico Medicis.*

De vera totius uteri procidentia.

Quanquam plurimi ſcriptores, ac inter eos recentiores multi (quales ſunt *Theodor. Kerkringius Roonhuſius* & *Mekeranus*, aliique) negent totam vulvam procidere, ipſe tamen cum ſæpiùs memoratis fratre meo, ac Clariſ. *Solingio* Medicis, poſt debitam inquiſitionem comperi, *Martinæ* cuidam *Mottyn* non vaginam tantùm, ſed & ipſum procidiſſe uterum, qui durus admodum, ac duorum pugnorum inſtar conjunctorum reperiebatur. Internum etiam matricis os quàm facillimè ſentire poteramus, quod extrinſecus tanquam os Cyprini (Carpam vulgò dicimus) nobis apparebat. *Addit idem, in ejuſdem Obſervationis ſcholio.* Retulit mihi nuper Nobiliſſ. Dom. Ægidius *Eutich. Saxoniæ Ducis Archiater* ſe ann. 1683. die Octobris 16. hic Hagæ ad Matronam I. D. V. 19. annos habentem ocyſſimè fuiſſe vocatum, quæ ex Carpenti, ſeu Eſſedi ſaltu præcipiti abortum difficilem, & violentum non ſine uteri prolapſu paſſa erat. Quem ipſe, Obſtetrixque, nec non Matronæ Mater, aliæque conſpexerint: Suaſi itaque ut appropriatis adſtringentibus in vino coctis foveretur, oleoſiſque intruderetur uterus, atque ipſa elato tranquillè cubaret podice, brodiaque analeptica per epicraſim ſumeret. Atque ita quidem intra unius menſis intervallum priſtinæ reſtituta eſt ſanitati, quotannis ſine ullo parturiens incommodo. Quod ſi illa quidem ætate fuiſſet provecta, res hæc non tam fælicem, opinor, habuiſſet exitum. *Cornelius Stalpartius van der Wiel in Obſervationibus Chirurgicis rarioribus.*

Ipſe cum Chirurgo Medicoque *Cornelio Solingio* hic Hagæ ann. 1673. 14. Aprilis ad M. J. Uxorem vocatus fui, quæ pridie robuſtum ediderat partum, cujus è corpore ignorantia obſtetricis ſecundarum loco uterus eductus erat, quem inſtar inverſæ manicæ, interioribus partibus exterioribus redditis, inter femora propendentem invenimus, infantis minoris caput æquantem magnitudine: Dictam quoque puerperam poſt dimidiam à partu horam deceſſiſſe intelleximus: Altera autem paulò poſt accedens obſtetrix ſecundas cum funiculo umbilicali ab inverſo utero, cui etiamnum affigebantur, ſeparavit. Nos autem inverſum hoc corpus bene perſpectum, facto in fundo foramine, in ſuum reduximus locum, atque tum illico per dictum foramen ipſa ſenſimus inteſtina. *Idem ibid.*

De uteri ruptura.

Cùm *Jonæ Pergo* filia jam quater peperiſſet, nec ſine maximo dolore atque incommodo ſingulis vicibus edidiſſet partus, quintò uterum ferens haud minoribus agitata cruciatibus, ac ſatis diu antequam pareret vehementius longè, quàm quidem præcedenti tempore infeſtata fuit uſque ad tertiam ante partum diem, ab hoc enim tempore multum ſibi obveniſſe levaminis fatebatur. At, cùm jam ipſe inſtaret pariendi actus, nullo modo emittere obſtetricis ope valuit fœtum, qui jam ante dies aliquot extinctus videbatur (uti poſtea ex mutatione, ac ſeparatione cutis illius ſatis liquebat) quique flexis poſt cervicem manibus, atque ore oblique ſurſum ad os pubis elevato reperiebatur: ita ut varia, ac gravia admodum, jam parturienti ſenſim magis, magiſque ſupervenirent ſymptomata; videlicet non deliquium tantum, oppreſſio, horror, ac febris, ſed & plurimarum obſcurè viridium fæcum vomitu rejectio, quoniam fœtus inteſtinum rectum, cui proximus erat, ita premebat, ut excrementis per inferiora negaretur tranſitus. Ad hanc mulierem tantis preſſam anguſtiis, nec parere valentem arceſſitus tandem mecum fuit experientiſſ. Chirurgus Cornel. Solingius, nunc etiam Medicus, qui, me præſente, brevi poſtea jam mortuum eduxit fœtum. Quo facto, quia non ita facilè educere ſecundas poterat Chirurgus, in ipſius mulieris corpus immittere manum quam funiculus ducebat, cœpit: tum verò inteſtini prius, quam uteri placentam ſenſit. Hanc verò illico poſtea reperiens, tribus partibus propendentem ſenſit in abdomine, extra uterum, quem, quoniam jam ante aliquot dies fœtum emiſerat, pro maxima parte, durè admodum compactum, atque in ſe contractum comperit, ita ut initio ſcirrhum crederet. Ille itaque porrò ſecundam, ubi etiamnum adhærebat, ab utero ſeparavit, cartilaginemque cujus ope pubis oſſa conjunguntur, omnino mollem evaſiſſe, ac dicta oſſa ad digiti latitudinem à ſe invicem receſſiſſe haud dubiè paulatim diducta ſenſit. Ipſa autem mulier tantis victa laboribus, angoribuſque eodem die vivere deſiit. Poſtridie autem, me, fratreque *Joh. Stalpartio van der Wiel* præſentibus, illius cadaver à dicto *Solingio* fuit apertum. Tum verò venter ante diſſectionem mirum in modum extenſus, ac protuberans apparuit, illa autem facta, ex magno iſto tumore nihil à nobis effluere animadverſum eſt, præter fætentem flatuum copiam, nec non parum coagulati bonique coloris ſanguinis, qui ex cotyledonibus, aut multò magis ex uteri vaſorum oſtiolis, quo tempore ab eo avelleretur placenta, illuc defluxerat. Poſtea dictus *Solingius* manum ab exteriore parte per vulvam in cadaver immiſit, atque iterum tum inteſtina, recedentemque ſupra os pubis uterum reperit, cujus partem inferiorem paulò ſupra internum os verſus poſteriora (quo ſcil. loco communis membrana à peritonæo proveniens inteſtinum rectum ſimul cum utero cingit, veſtitque) ruptam invenit, per quam aperturam totus fœtus, exceptis capite, brachiiſque, ut modò dictum, poſt cervicem flexis, in matris ventrem tranſierat. Atque hæc quidem cauſa eſt, quòd idem, ampliori ſpatio reperto, levamen aliquod matri, ut ſupra narratum, paucis ante partum diebus attulerit. *Idem ibidem.*

Uteri procidentia falſa.

Cùm ann. 1667. ad nautæ cujuſdam uxorem Hagam inter ac Delphos habitantem fuiſſem vocatus, ipſi à partu etiamnum recenti, magnum in ipſius uteri vagina tumorem eſſe comperi, non ſine ejuſdem exitu, extra enim corpus propendebat ovo Struthiocameli ſimilis, ac purpuraſcentis lividique erat coloris. Chirurgum itaque arceſſi, prædixique haud dubiè mox gangrænam inſecuturam, atque illico Chirurgus *Nicol. Wintercamp Riſvico* veniens adfuit, qui, me præſente, dictum tumorem variis in locis incidit, ne ſentiente quidem muliere. Nos verò tumorem illum (atque ita quidem fueram ſuſpicatus) coagulato ſanguine reperimus refertum. Quare talia ipſi cataplaſmata, fomentaque præparavimus, qualia hujuſmodi requirit malum. Atque ita quidem illa, poſt factam ſeparationem, carniſque accretionem intra menſis ſpatium convaluit, plureſque dein liberos peperit. *Idem ibidem.*

Idem

Idem nobis viſum ann. 1686. Neocomi Helvetiorum in Lanii uxore; ſcil. illa poſt partus laborioſi dolores tumorem, infantis caput ad minimum æquantem, è labiorum vulvæ interioribus partibus propendentem geſtabat, quem, uſi opera experientiſſimi Chirurgi *D. Jonæ Antonii Purry*, ſcarificationibus factis, cataplaſmatibus fotibuſque applicitis, & tandem ſanguine è tumoris medio in maſſam concreto, fætidiſſimoque ferro educto, facilè curare licuit, atque ægram, imminenti, ut omnes credebant, periculo ſubtrahere.

Uterus morbo conſumptus.

Fœmina annorum circiter 33. patiebatur levem dyſuriam, cujus vexationes annum circiter tacitè tulit. Dein malo ingraveſcente, ejulatu horrificô illa terrebat præſentes, ac proximarum domuum vicinos; dum etiam fœtoris à partibus afflictis exhalantis inhumanitas arceret, præter neceſſarios, omnes. Simul queſta eſt de femoris, nec non tibiæ ejuſdem lateris dolore atroci, alto, & oſſium medullam lacerante, liquante, & qui remediorùm infinitorum vim fefellit adeò, ut ſolo opio in tripla doſi tertia quavis nocte ſumto miteſceret ad tempus. Poſt tyrannicas circiter anni unius torturas rogatus fui in opecias ferendas rei conclamatæ; judicavi poſt aliquod laborantis examen, populante & polluente ulcere uterum exedi: & in ſpurcam ſaniem fluere, obſtetricem adhibui, & inſtruxi, quæ manu exploraret num ulcus jam corpus uteri perforaſſet, poſt patientem indagationem retulit ea omnino perviam eſſe ulcere uteri cavitatem in vicina & externa ſpacia: difficilè utique mihi non fuit abſolutè deſperatam prognoſim inſtituere, cùm has partium ſpermaticarum ruinas reſarcire impoſſibile evidenter ſit, tamen in ſolatium, non ſalutem miſeræ intentus præſcripſi injectiones in uterum detergentes quarum beneficio & fætor & dolor urinæ plurimùm remiſere, dum ſimul uteretur juſculis diureticis & ptiſana ejuſdem functionis, juſculis enim incoquebantur radices petroſelini, fæniculi, apii, aſparagi, ononidis, folia cerefolii, fragariæ, naſturtii aquatici, acetoſæ, mutatis ſæpiùs alternatim iſtis pro guſtus caprizantis commoditate; ptiſana hujus erat confectionis.

℞. Sem. hyper. contuſ. ʒij. alkekeng. contuſ. ʒiij. ciner. plant. geniſt. ſtipit. fabar. an. ʒiij. fiat decoct. in aq. com. ℔. iv. ad conſumptionem part. 3. coletur, clarificetur & aromatiſetur cinnam. pro ſitis uſu. Ut importunis ſollicitationibus non inſenſibilis audirem, addidi emulſionem quoque diureticam.

℞. Amygdal. dulc. excortic. ʒvi. ſem. milii ſol. ʒj. ſem. 4. frigid. maj. ℥ß. contund. affundendo ſenſim aq. parietar. ℥iv. in expreſſo ſolve ſyrup. fragor. ʒ vi. f. Emulſio ſæpius ad libitum expetentis iteranda. Ut femoris & tibiæ dolori caſtigando proſpiceretur, conſului balneum aquæ dulcis qua cum coqueretur hordeum mundatum, herbæ hyoſciami, ſolani, malvæ, altheæ, ſempervivum minus, flores verbaſci, meliloti, chamomillæ, inſuper vaporem adhibui cum radicibus altheæ, mandragoræ, & feminib. papaver. albi, hyoſciam. cum fol. ſempervivi utriuſque lacte omnibus coctis: præterea alio vapore pro ſolatio nauſeantis, ſcil. remedia omnia mox memorata cum aceti urentis ℔ij. ſach. ſaturni ʒiß. opii Thebaici ʒj. camphor. ℈ij. in exhalationem calore rarefaciente attenuabantur, quò partes dolore cruciante miſeras amicè ferirent, nonnihil his corrigentibus cicurabatur, ſed moles tumoris ædematoſi ſenſim latiùs ſe explicabat: interim naſcitur tuſſis violenta & frequens, cum ſputis ſanguine tingente conſtanter rubeſcentibus, quæ pulmonum ulcus recens excavatum evidenter loquebantur: præſcripſi pulverem ſequentem, ut aliquo ſolatio ſui nimium delicatè amantem reficerem.

℞. Pulver. antihect. Poterii ℈ij. ſacch. ſaturn ℈j. pulv. Abbat. Halii ʒiß. ſacch. roſat. ℥iß. f. pulvis bis quotidie ex cochleari ſumendus, ſimul ptiſanam coqui juſſi vulnerariam, ſic & pulmonis & uteri ſtatui annuentem.

℞. Rad. conſol. maj. ℥ß. fol. veron. ſcord. flor. roſar. rubr. an. M. ß. antimon. crudi nodulo ligati ʒiij. bulliant cum aq. comm. ℔ v. ad remanentiam ℔ iv. pro potu ordinario; ſed omnia ut facile erat prævidere in caſſum ceſsère, exſiccante famelica tabe tot malorum lethalium obruentium prole funeſtiſſima, febriſque hecticæ inſatiabiliter populantis pediſequa, fatis imperantibus paruit. Secui corpus opera uſus experti & amici Chirurgi, ſterno utrinque ſecto ſurſumque in faciem jacente, apparuit pulmo ambobus ſuis lobis univerſim tribus ulceribus pereſus: cordis conus diaphragmati mutuæ ſubſtantiæ intimo coïtu firmiter infixus accreverat: arteriam magnam polypus decem tranſverſorum digitorum longitudine notabilis impрægnarat; ſed quod monſtrum hactenus inviſum, nulla deprehendere licuit curiosè ſpectantibus uteri veſtigia, præter ramenta quædam fracida, eaque parva in tetricam materiam euntia: eadem ſors veſicam ad collum uſque perdiderat, cæteris partibus pepercit iniquitas dictis malis ſatur; & ne in minimis curioſitati meæ deeſſem, volui inciſione patere tibiæ ſemoriſque afflicti partes internas, illico ultra lib. ij. ſeri limpidi ſtillatim effluxit, & nervus quæſitus externus quarti cruralis propago circa poplitem partitus magnitudine digiti mediocris apparuit ſtupentibus, humore lentante confertim turgidus: ſine tamen ulla, quod mirère, convulſione aut paralyſi prævia; hinc in dubium meritò vocari poteſt de utriuſque affectus cauſa, ſententia vulgaris, nec enim ubique feroſo latice merſus nervus, in latitudinem notabiliter explicatus contractione ob extremorum approximationem brevior evaſit, nec is ipſe humor omnes internæ ſubſtantiæ poros infarciens ſpirituum animalium commercium hoc pacto præpediens ſenſum tibiæ ſuffuratus eſt. Huic cladi anſam dediſſe cum rationabili probabilitatis conjectura dixerim binam cauſam, una eſt partus arduus, prima iraſcentis Numinis in ſexum muliebrem pœna ob ejus ambitioſam inſaniam, quo ruſtica obſtetrix placentam ab utero barbarè avulſit, laceravit, ut locus ſpurcus humoribus copioſis, acribus, & tandem putrentibus fœdè ſcatens, proprio ſcelere elaborarit ulcus altum, omnemque ſubſtantiam inhumaniter devorarit. Secunda cauſa eſt mariti ad veneris effrenis officia generoſiſſimi penis inſolitæ longitudinis, ex confricatione illius allidentis immodeſta & frequentiſſima, uteri orificium excoriari, altiuſque ſenſim lacerari, tandem humore ſpurco perenniter irrorante rodi, & putredine acceſſita facilè actionis ejuſdem ſocia, vorari potuit. *Ex communicatione Clariſſ. Dom. Nozet Archiatri Friburgenſis.*

Uteri Procidentiam poſſibilem eſſe oſtendit diſſectio cadaveris muliebris, in cujus uteri prolapſi vagina cereus globulus deprehenſus eſt.

Magna difficultas eſt An uterus ipſe inverti poſſit? quantum ad nos attinet, exiſtimamus in difficili partu dum placenta ei firmius adhæret, & ab imperitis obſtetricibus nimium attrahitur, id aliquando contingere poſſe, rariſſimè licet id eveniat: In virginibus (niſi quandoque incredibilia contingerent) impoſſibile judicaremus, propterea quod craſſa ac membranoſa colli uterini ſubſtantia in illis tantum exiguo foramine pervia ſit. Ad cujus confirmationem ſequentem obſervationem communicabo: Annno 1671. in Noſocomio Delphenſi, diſſecuimus mulierem procidentia uteri laborantem, in cujus uteri vagina nul-

la

la Sarcomata, nullaſque alias excreſcentias, ſed tantum ingentem cereum globum invenimus, cujus immiſſi beneficio Vagina (quæ aliàs ob uteri ligamenta nimium relaxata invertebatur ac foris propendebat) cum utero intus detinebatur, uteri cervix autem naturalem conſtitutionem retinebat, adeoque minime invertebatur. *Regnerus de Graaf de Mulierum organis*, &c.

Uteri Procidentia vera in cadaveris apertione deprehenſa.

Anno 1670. menſe Januar. curæ meæ commiſſa mulier 28. annor. robuſta valde, in qua corpus teres, inſignis magnitudinis, ad pudendum ſe offerebat. In decumbente circa partem ſuperiorem, ubi pudendo proximum craſſitiei illius erat, quam duplici ſpithama comprehendere non licebat: inferiora verſus paulo contractius, longitudinem vero ſpithamæ habebat: Aſt quoties incedebat, elongabatur adeo ut etiam genua ipſa attingeret extremo ſuo: Durum omnino corpus hoc ac ſcirrhoſum obſervabatur: Difficile valde & hic, ut in caſu ſequenti, certi aliquid determinare, idque eo magis quod haud adeo firmæ mentis mulier hæc deprehenderetur, adeoque nec de cauſa mali, nec de tempore quo vel inceperit, vel augmentum ſumpſerit, vel ullo alio ad dignotionem curationemve ſcitu neceſſario nos informare apta: Rei gravitatem conſiderans, in Noſocomium publicum eam deferri curavi: Hic extirpationi quod multum à multis tribueretur (licet ſummopere eam mecum improbaret *Clar. Gerard. de Penijnc* Noſocomii Medicus ordinarius) ad eam deventum eſt, aſt minus fructuoſa fuit, tertio enim die ab eo quo ligatura prima injecta, obiit ægra, fuit hic 27. Januarii.

In aperti cadaveris ventre Uterus deſiderabatur, utpote qui totus inverſus, extra corpus dependebat, intra ſui cavum teſticulos, uterinaque ligamenta, (excepta ala dextra quæ adhuc in ventre detinebatteſtitur) continens: Prolapſus autem uteri fundus cum teſticulis, partibuſque adhærentibus, non ad extremum hujus tumoris, genubus proximum, ac ſi fundi uterini ſupremum jam fuerit vicinum genubus, ſed detentæ partes dictæ in fundo, ad vaginam, aut potius ad orificium internum prolapſo, vagina ipſa extenſa, mireque incraſſata: Incraſſata mire ſubſtantia hæc uteri, adeo ut etiam vel digitorum trium tranſverſorum craſſities hic notaretur cultro diſſecanda, antequam in cavitatem devenire liceret: Ureter uterque ad digiti minoris amplitudinem diſtentus erat, forſan quod faſcia ob viciniam via urinaria conſtricta: Fides ſi habenda rumori, ex partu laborioſo Procidentia hæc deduci debet: Totum uterum ad exteriora non fuiſſe prolapſum, mihi ſaltem (præterquam quod in aperto teſticuli in ſummo hærerent tumoris) argumentum eſt quod in imo tumoris hujus apertio notabilis, impervia licet, quæ minime adfuiſſet, ſi quidem uterus inverſus in totum extra corpus fuiſſet prolapſus. *Gerardus Blaſius Obſervat. Medic.* 1. *part.* 3.

Uteri Procidentia imperfecta.

Eodem menſe petitioni maritiſuperſtitis, deſiderioque meo, ſatisfacturus, aperui ventrem defunctæ puerperæ. Obierat hæc die præcedente, hora 5. poſt partum, ſana aliàs antea, edito fœtu optime valente.

Exhibuit hic ſe uteri fundus ad interiora illius converſus, ſicque ad pudendum uſque prolapſus, adeo ut vagina tota corpore hoc uteri inverſo repleretur, quod etiam arcte adeo à contracto utero detinebatur, ut nonniſi robore ſummo, atque violentia, ope per pudendum immiſſi inſtrumenti, ſurſum detrudi, ſic in naturalem locum reduci potuerit. Imprudentiæ obſtetricis, an vero nimis arctæ cohærentiæ ſecundinarum cum uteri membrana interna, hoc malum adſcribi debeat, non meum determinare, hoc tamen addo, retuliſſe adſtantes mulieres, quæ in partu obſtetrici auxiliares fuerant, quam primum fœtus in lucem prodiiſſet, exclamaſſe obſtetricem adhuc alium in utero hærere fœtum, ſicque extra pudendum protraxiſſe corpus aliquod rubrum, ad cujus aſpectum conſternatæ adſidentes imperitiæ illam accuſarant, ab opere deſiſteret ſerio admonentes, quod etiam fecit poſtquam in quantum, vel per uteri contractionem, vel per ignorantiam licuit, extra pudendum dependens introrſum iterum compulit: Vaſa omnia ſanguine hic adeo deſtituebantur, ut etiam quocunque loco cultro anatomico aperta nil ejus funderent, ſubſidentibus in totum tunicis: quem etiam ſanguinis defectum ex immoderato fluxu, ob ſecundinæ violentam ſeparationem extractionemque cauſatam, mortis ſubitaneæ cauſam judicamus. *Idem ibidem.*

Uteri procidentia, mola credita, lethalis.

Filia hominis coqui, prægnans, ante partum mortem optabat & eventuram prædicebat: Pridie ajunt ingenti laboraſſe diarrhœa, noctu facile peperit. Inter pariendum uterus cum ſecundina prodiit, qui reſtitutus eſt, quamvis ignorarent uterum eſſe: Mane vocatus, quum omnibus viribus deſtitueretur & vix pulſus ſentiretur. Uterus extra propendebat, turgens admodum, quem cum attingerem, effluebat liquor ſanguineus & ſeroſus, ita ut exiſtimarem quum nihil tale vidiſſem, eſſe molam aliquam quæ utero firmiter adhæreret: mecum idem ſentiebant obſtetrix & Chirurgus: Ego ob rei novitatem nihil tentare volui, curans vocari *Joh. de Arge..t.* Eram ejus opinionis futurum ut præcideretur, id tamen noluerunt abſente illo Chirurgo tentare: Præſcripſi cataplaſma emolliens & ſuppurans, cujus præparationem non expectebant, ſtatim enim moriebatur.

Defuncta illa Tumore aperto, animadvertimus nihil aliud eſſe quam uterum everſum: mirabar non à me agnitum, licet id primo ſuſpicarer: Verùm id effecit ignorantia obſtetricum: deinde quod dicerent nullam vim fuiſſe in pariendo & fluxu comprimendo, quum arteriis & venis alligaretur. *Ex obſervationibus Joh. Bauhini.*

Uteri procidentia & ectomia, cui deficienti Calloſum corpus ſubſtituit natura.

Mulieri cuidam fere trigenariæ, ſanæ, menſtruali, conceptionis ſigna paulo poſt ſecundas nuptias, cùm ex priore matrimonio prolem nullam ſuſcepiſſet, apparuerunt; Progreſſu temporis obortus eſt ad partes imas & pudenda ponderis ſenſus, dolore & urinæ retentione adeo moleſtus ut Chirurgo patefacere ſe, infortuniumque ſuum coacta fuerit: Is viſo tumore in perinæo, fotu & cataplaſmatibus anodynis & emollientibus dolorem ſedavit; Sed mox ad pudendi labrum interius vomica, velut ab abſceſſu rupto apparuit, ſanie ſubrubra, citrina & pallida, multo tempore manans; Interim haud evaneſcebat ponderis ille ſenſus, quin potius augebatur in dies, ita ut ab anno 1573. ne ſe quidem in lecto, in hoc illudve latus convertere poſſet, niſi admota manu hypogaſtrio ad oneris levamen; ſed & tum quidam veluti globus toto corpore & pondere ſuo ſibi provolvi videbatur, in quodcunque latus decumberet, nec ſtans nec

ſeden

ſedens alvi excrementa reddere valebat, niſi pondere illo ſurſum manibus ad diaphragma ſublato: Inceſſura vis crura promovere poterat, quaſi ſibi ſemper ex interſeminico aliquid penderet quod progreſſum remoraretur: Ex intervallis Vomica illa recludebatur ſanie ſolita manans, ſed tum capitis membrorumque omnium dolor, animi deliquia, faſtidia, vomitus, ſuffocationes miſeram urgebant, adeo ut ab empirica muliere perſuaſa, facile adducta fuerit, ut antimonium hauriret, cujus tanta fuit & tam effera vis, ut poſt multas cum multis torminibus vomitiones & aquoſas per alvum dejectiones, viſus ſit ſibi anus procidere: ſed admonita à familiari quadam ſua, cui ſe videndam crederat, haud ab ano id procedere, ſed à vulva, Chirurgos vocavit, qui ſibi auxilio afflictæ ſanitati eſſemus: Expenſa re tota & diligenter animadverſa, communi conſilio cenſuimus id quod prociderat extirpandum eſſe: quod atro colore, fætore & aliis ejuſmodi ſignis putridæ ac corruptæ rei argumenta manifeſta præberet: Ergo per duos dies ſenſim, fruſtatim & ſine dolore corpus extraximus, quod nobis Uteri corpus eſſe viſum eſt: Cujus rei fidem fecere unus ex teſticulis, qui integer extractus eſt, craſſiorque item membrana, reliquæ ex mola, quæ ſuppurata, rupto abſceſſu, ſenſim diffluxerat. Revulſo omni ejuſmodi corpore, melius ægra habere cœpit, & tamen ante extirpationem novem totos dies urina ſuppreſſa fuerat. Dehinc omnia ſibi, naturæ ſuæ & ſtato curſui reddita ſunt, totumque trimeſtre ſana & egregie incolumis ægra ſupervixit, donec ſuborta repente pleuritide interiit.

Diſſecta à me, & ſedulo ſingula exquirenti, nuſquam comparuit uterus, ſed ejus loco calloſum quoddam corpus, quod natura, quæ nunquàm in nobis otiatur, jacturam ejus partis quaſi reparatura, vel lacunam potius alvi repletura, ſubſtituerat. *Paræus lib. de Hom. gener. lib.* 45.

Uteri Procidentis exſectio lethalis, ob ſimul ſectum Coli inteſtini partem in illum delapſi.

Adſtiti agyrtæ qui Uterum ad magnitudinem ovi anſerini prolapſum cum ſectione curaturum ſe diceret, nec ullis argumentis meis, qui aliam curandi viam proponebam, cederet. Roganti etiam ut ſaltem in uterum prolapſa inteſtina, vel quicquid eſſet, duriſſimum enim ſe tactui offerebat, aliudque quam aquam aut flatum eſſe certo certius affirmanti, primum loco ſuo, ſupinata muliere, reponeret, nec quicquam ab eo præter mala verba referrem, Fac inquam quod facis, mihi tyrannicam illam audaciam & imperitiam ſpectare nec libet nec licet. Nondum domo pedem extuleram, cum immani clamore & ejulatu introrſum vocor: convellebatur vehementer à ſectione patiens, cumque animam non dubie agentem viderem, extremam unctionem afferri jubeo, ſed ſerius; exſpiravit enim in fine ſectionis, in qua adſtantibus omnibus, vel fuga ſibi conſulentibus, alvina enim copioſe prodibant excrementa; Utero cum contentis in aquæ adſtantem ſitulam projectis & lotis, Inteſtinum colon, ad cubiti fere longitudinem ſectum, omnibus viſendum præbui. *Henricus ab Heer Obſerv. Med.* 22. *p. m.* 192.

Sarcoma totam uteri vaginam occupans; foraſque propendens, Uteri Procidentiam falſo exhibens.

Eorum ſententiam qui uterum foras prodire, & extra corpus ipſum propendere exiſtimant, cultro anatomico impugnabo: Coloniæ Agrippinæ mulier erat, quæ hyſtericis paſſionibus mirum in modum cruciabatur, Procidentiam uteri earum miſeriarum cauſam eſſe & ſcire ſe, & manu tangere opinabantur: propendebat enim extra corpus quippiam, quod illi non aliud quam uterum eſſe, vel eſſe poſſe, exiſtimabant: hæc interim mulier omnia quæ menſes obſtructi & reliquus uteri furor excitare ſolet ſymptomata paſſa, tandem anno 1665. morte ab his liberata fuit.

Dum Chirurgis hoc cadaver ſecantibus adſum, cauſa apparuit tantorum malorum prorſus alia quam opinati fuerant: Non enim prociderat uterus, quod fieri non poſſe oſtendemus, ſed interno ejus orificio adnatum erat ſarcoma, quod diductum per totam vaginæ longitudinem extra corpus ſeſe oſtenderat.

Poſtea aliam ipſe ſecans puellam, inveni ſimilis ſarcomatis rudimentum inſtar dactyli orificio uteri interno adhæreſcens, quod ſi tempore adauctum fuiſſet, eadem ratione incautis impoſuiſſet; qui uterum ſemper immobiliter loco ſuo conſiſtentem, tanquam vagantem per omnes partes ventris, vel tanquam procidentem accuſaſſent. *Theodorus Kerckringius Obſervat. Anat.* 53. *Vide obſervat. ejuſdem* 20.

Uteri cancroſi procidentiæ felix eventus. Clariſſ. Joh. Georgii Joſephi Schvvalleri. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. *Ann.* 2.

Mulier ruſtica in pago Haltingen Marchionatûs Badenſis, quinquagenaria major, & jam à biennio, & quod excurrit, procidentiâ uteri laborans, cùm mox Empiricorum, mox Chirurgorum fruſtra exploraſſet opem, tamen domeſticis remediis malo occurrere ſtatuit, operæ quotidianæ plus minus vacans: Enimverò contigit, ut tumor quandoque affligeret, ſubdurus & renitens, cum inſigni dolore ac urinæ quandoque ſuppreſſione & incedendi ſummâ moleſtiâ: menſe Junio anni hujus 94. iiſdem ſymptomatibus divexantibus, miſera in balneum ſe contulit, è quo tamen, locô levaminis, lernam malorum reportavit: Siquidem accerſitus d. 22. Jun. Illuſtr. ac Excell. Dn. D. Joh. Jacob Harderus, Com. Palat. Cæſar. & Sereniſſ. March. Badens. Archiat. Profeſſor Anatom. & Botan. meritiſſ. Faûtor & Patronus colendiſſ. deprehendit unà mecum (ipſius enim benevolentiæ debeo, quod me frequenter ſibi comitem jungat) ægram atroci dolore fatigatam, proſtratis viribus, pulſu celeri ac crebro, appetitu dejecto & facie tantùm non hippocraticâ, procumbente in anterioribus tumore duro, livido, renitente, ac caput infantis exæquante; vaſa per hunc diſperſa, nigro colore lugubrem ægræ ſtatum confirmârunt, unà cum facie, quæ profluxit, & atrâ, quam exhalabat, mephiti; neque partes externæ tutæ manſerunt, ichore fœtido accerrimo profluente, ipſas vehementer arrodente. Cancroſam progeniem inde ſtatim animadverrens præfat. Clariſſ. Harderus, quæ jam interiora verſus uſque proſerpſit, & juxta, cùm ad ætatem, tum præſentem ægræ viriumque ejus conſtitutionem attendens, prognoſin non niſi valde ancipitem rogatus, inſtituit, convenientibus tamen remediis ordinatis, quorum adhibitionem diligentem Chirurgo præſenti ſeriò imperavit: Fuerunt illæ, aqua calcis cum emplaſtr. Saturin. additâ aquâ cardiac. temperatâ, denique defenſivo communi; nutrimentum exhordeat, & exactus ex rerum non naturalium uſus inculcatus, ad meliorem ſtatum uſque continuanda: Rediit decem ab hinc diebus Chirurgus, qui mulierem tantiſper meliùs habere, & naturæ ſeparationem corruptæ partis à ſanâ

ſanâ moliri, retulit, quod cùm reduces deprehendiſſemus, ligaturis opus iſtud juvaret, juſſimus; quod quidem ita feliciter ſucceſſit, ut, cùm interjecto aliquot dierum ſpatio, tertiâ vice rediiſſemus, vaginam, membranâ equidem exteriore, aliiſque ipſam integentibus nudam, cætera tamen bene conſtitutam conſpexerimus, ceu aliquando in ſuis Obſervationibus Excellent. Dn. D. Harderus plenius & dilucidius cum Scholio docebit.

Uteri virginei rara excreſcentia.

Clariſſ. Joh. Theodori Mœren. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 7. *&* 8.

Virgo XXX. annorum, jam ab annis circiter XI. ſenſit ſibi increſcere abdomen, menſtruis tamen ritè fluentibus, aucta eſt hæc moles abdominis de anno ad annum, vireſque ſumſit eundo, ut quæ quibuſdam in initio ſiniſtram de virginis pudicitiâ ſuſpicionem moviſſet, dein docente tempore omnium eſſe ſtupori, eò majori, quò ſe latiùs abdomen extenderet, ut jam non ampliùs ante ſe videre, minùs rectâ incedere, ſed dorſo incurvato, & protuberante abdominis monte baculo inniti deberet, animo tamen, ſemper erecta & cum Deo ſuo contenta fuit. Hæc virgo tandem ob ulcus tibiæ depaſcens affixa lecto eſt, & accedente inopino lapſu, poſt paucos ſaltem dies, Anno hoc exſpirantis ſeculi decimi ſexti placidè obdormivit. Inſtitui Anatomicam inſpectionem, adjuvante prænobili & expertiſſimo D. Affine meo Friderico Cronberg, modò Principis Haſſo-Rheinfeldenſis Medico & ad S. Goarum Practico feliciſſimo. Exterior figura corporis tota macilenta erat & exhauſta, excepto immenſo abdomine, quod aperuimus, & ultro mox ingens è ſuo carcere carnea maſſa in conſpectum prorupit: peritonæum & cutis abdominis, utpote juxta molem incluſam violentâ expanſione dilatatâ, tenuia admodum erant. Subter molem hanc atque inter reliquas inteſtinorum cavitates, ad tres plus minus amphoras latebat liquor ſeu ichor flavus & aliquantulùm fœtens, an ille ex lapſu mortem prægreſsô in cavitatem deſtillarit, neſcio. Omnia interanea, ſive in pectore, ſive in abdomine, hepar, lien, quæ aliàs in ſuſpicionem mali venerant, ſana erant, niſi quòd reſpectivè majora eſſent, quàm in extenuato corpore debere eſſe putabantur. Atque hæc cum inteſtinis premente ab infrà verſus ſuperiora mole ferè ſub Thoracem coacta fuerant. Omentum gracile admodum perpaucis pinguedinis particulis hinc inde obſitum colorem putredinalem induerat.

Cæterùm moles illa carnea, cùm ob immenſitatem nos penè ſtupidos redderet, juſſi tamen illam à duobus chirurgis elevari, ut ſaltem radix ejus in conſpectum veniret, cumque radicibus ſuis circunquaque tàm dorſo inferiori quàm peritonæo & pubi ſat fortibus membranis alligaretur, illæ circum circa cultrô diſſectæ ſunt, atque ſic apparebat, molem hanc vel eſſe ipſum uterum, vel eſſe quidquam utero adnatum, hinc eandem intra oſſa pubis profunde juſſi reſolvere, ſuperincumbebat huic moli veſica urinaria, quæ tamen peregrinis membranis videbatur involuta. Inquiſivi in adſtantes, quæ perſonæ hujus notitiam bonam habebant, utrum liberè ſemper minxiſſet, reſpondebant quòd ſic, & quod nunquam de hac re aliquid conqueſta fuiſſet, addebant ad meam quæſtionem, ab anno jam illam virginem menſtrua deſeruiſſe. Molem ergo illam carneam profundè exſciſſam in adſtantem menſam depoſuimus, duo Chirurgi, qui portabant, dicebant eſſe librarum ſeptuaginta aut plurium. Saltem credo fuiſſe librarum ſexaginta. Primùm inquiſivi in vaginam uterinam, & hac inventâ monſtrabat ſe mox uteri orificium, quô Chirurgis monſtratô certi erant hanc molem nihil aliud eſſe quàm ipſum uterum, nam interior uteri cavitas oblongior vix digitum parvum admittebat, membrana interior erat ligamentoſa, & huic continua erat maſſa illa informis. Ab uno latere ſubtili ſectione oſtendebat ſe tubus Fallopianus, cum uno teſticulo ovulis refertò & ornamentò foliaceo: ſed ab altero latere nihil ſimile, niſi quòd in diſſectione maſſæ, duæ aut tres glandulæ reperirentur ſimiles teſticulis gallinaceis, licèt majores, & in ſe ſimilem ſubſtantiam ſtriatam & albidam haberent. Cęterùm tota maſſa in meros lobos diviſa erat, nimirum in duos lobos majores, qui diviſi, dabant intra ſe tanquam in nuce alios & alios lobos, cũ novis involucris. Subſtantia hujus horrendę carnis ſpongioſa & glanduloſa plena erat vaſculis, in quibus vel ſerum, vel ſanguis congrumatus latebat, diverſis venis, arteriis & membranis, turgida. In medio tamen hujus molis, ubi utero propinquior eſſet, forte ligamentum erat, quod uno in loco jam inceperat oſſefieri. Cùm adſtantibus exponerem, qualiter Moguntiæ ſub tempore mei Profeſſoratûs ibidem obſervaverim Hepar librarum ferè viginti, in muliere quæ credita Hydropica fuerat, orta fuit hæc inter adſtantes Spectatores quæſtio, an, ubi in homine incipientis cujuſdam excreſcentiæ aut molis ſuſpicio eſt, an non inquirebant, hęc medicamentis pręcaveri, ſi non impediri, aut planè tolli poſſit? quam curioſitatem inquirentium nondum ſufficiente ſatisfactione ſatiavi, ſatiandus priùs feliciori D. D. Collegarum experientiâ.

Uterus lapidibus refertus.

Clariſſ. Michaelis Angeli Mori. Ephemer. German. Centur. 1. *&* 2.

Honeſtiſſima Matrona 48. annorum per menſes decem de acerbiſſimo in infimo ventre dolore conquerebatur, qui nullis cedebat remediis, licèt multa in uſum parata fuerint, ad tactum tumor ſcirrhoſus in utero deprehendebatur, à quo materia acris, & loturę carnis ſimilis deſtillabat. Tandem pleuritide correpta è vivis diſceſſit; diſſectô cadavere uterus lapidib⁹ plenus repertus eſt ad numerum 32. maximi eorum magnitudinem amygdali ęquabant, minimi fabis conſimiles erant, & inter plicaturas, & tubulos uteri infarcti, & incarcerati conſpiciebantur: Aliqui erant coloris flavi, aliqui ęruginei, & rupti ad ſimilitudinẽ cepę, varias habebant tunicas; de iſtis periculô factô in pauperibus ad pondus medię drachmę ſudor promovebatur, unde Bezoardici lapides à me nuncupantur & tam frequenter in uſum dedi, ut jam paucos illorum conſervem, quare qui mortem cauſati ſunt, nunc ſalutem donant.

Procidentia uteri totalis, quoad fundum, cum febre malignâ.

Clariſſ. Joh. Adami Genſelii Ephemer. German. Centur. 1. *&* 2.

Fœmina 28. annorum uxor pannificis hujus loci, temperamenti ſanguinei corripitur febri malignâ, curata vel potiùs deſtructa per novem dies continuos à quodam Barbitonſore; decima die accerſitus, omnia in peſſimo inveni ſtatu, venæſectionem neglectam, totalem virium proſtrationem, reſpirationem difficillimam, deliria immania, acceſſit procidentia uteri totalis cũ urinæ ſuppreſſione; uterus quidem vinculis undiquaq; alligatur,

ut Hollerius inquit, antè,retrò, ſuperiùs, inferiùs obliquè ad collum & inguina, oſſi pubis & ſacro per tunicā à peritonęo dextrâ & ſiniſtrâ parte annectitur; vaſis etiā magnis per arterias & venas,pręſertim ſpermaticas, ſpinali medullę per nervos, recto inteſtino & veſicę per fibras tenues, unde & maximus uteri conſenſus cum toto corpore; aſt in hoc ſubjecto uterus totaliter inſtar marſupii inverſus,non quoad orificium, ſed quoad fundum deſcendit, extra vaginam propendens tumore liveſcente, cucurbitam duarum librarum ęquans, omnibus fimbriis, vinculis, ligamentis nerveis, latiſque ac membranoſis & rotundis laxatis, imò quibusdā ruptis, nullo planè penitus penitusq; apparente foramine,magna lis eſt inter doctiſſimos etiam recentiores Medicos de procidentiâ uteri, adeò ut de nullo fœminarum affectu magis diſquiſitum ſit, quàm de hoc, ut taceam ex Græcis Aëtium & plures D. Beckius cum Garmero, Medico Hamburgenſi, diu diſceptavit de prolapſu matricis, & præ indignatione (ut Pechlinus retulit) mortuus. Helvius item & Lindenius mordicus eum negarunt: miror tamen Hornium peritiſſimum aliàs anatomicum eundem negaſſe, experientiâ ſine dubio carens, ſolâ ſpeculatione utens: eundem verò affirmant ex Arabibus Avicenna, & ex noſtris Platerus obſerv. p. 761. Carpius in Iſagog. anatom. p. 23. Rolfincius de part. genital. p. 164. Parę is l. 23. C. 4. Hildan. Cent. 4. Obſerv. 60. Regn. de Græf. p. 143. Brunmerus de morb. mul. Lib. 2. C. 18. Diemerbroch anat. L. 1. C. 24. Marchettus obſerv. 61. Maurit. de morb. mul. L. 4. C. 6. Solingen. Harveus Lib. de partu p. 347. Blaſius P. 3. obſerv. 1. Bartholinus C. 2. hiſt. 9. Act. Hafn. vol. 2. obſerv. 44. Corn. Stalpart *von der* Wiel obſerv. rar. Cent. 1. C. 67. & Hippocrates noſter in multis locis, inprimis Lib. 2. de morb. mul. C. 35. teſtatur. Ego quoque oculatus ſum teſtis, manib⁹ palpavi, fuit verò hęc procidentia externa completa, ut verbis utar Wedelii, inter omnes Medicos noſtri Seculi de tota re literariâ; pręprimis Medicâ, tā ſcribendo quàm docendo per quadraginta & plures annos, certò meritiſſimi: quam & in Italia aliquoties in Xenodochio Romano, Patavino ac Veneto obſervavi; abſurdū itaq; foret ſenſuū teſtimonio ac experientię rerum magiſtrę cōtradicere, una quippe experientia & hîc plus valet, quàm centum rationes. Cauſam verò hujus procidentię ęgra attribuit imperitię obſtetricis, vaginam intempeſtivè ante aliquot ſeptimanas in partu, locô ſecundinę vi trahentis ac arripientis: ſanguinis tamen eruptionē non vidi, quam Rodericus à Caſtro & Primoroſius ſine ratione affirmant in tali procidentia, vaſis enim ruptis, ſanguis non tam extra corpus, quàm intra abdomen profunditur, imò uteri fundum, omnibus ligamentis ſolutis in aëre quaſi pendentem extravaſatus ille ſanguis, pondere ſuo ita aggravat ac comprimit, ut prolabi neceſſitetur, nec niſi mentis impotem eundem negare poſſe crediderim. Vigeſima die, durantib⁹ adhuc deliriis,acceſſerunt ſuffocationes uterinę ac convulſiones ſumo cum tremore ob partium nervearum mēbranoſarumq;, partim diſtenſionem, partim ruptionē, uterus à continuâ femorum alliſione, ac excrementorum contaminatione nimiùm quantùm tumefactus, ab attritu & incubitu intertriginoſus ex livido rubens gangrænam minitabatur, cumque talis pręcipitatio uteri totalis cum inverſione, inprimis in febri maligna utplurimum lethalis obſervetur, exiguam ſpem de ſalute ægrę hujus concepi, continuatis tamen bezoardicis, analepticis, traumaticis, uterinis ac nervinis, adhibui fotus emollientes ex rad. lil. alb. alth. Symph. Herb. ſanicul. parietar. malv. cham. melil. verbaſc. ſemin. fœnugræc. in lacte coct. uterumque clunibus elevatis, femoribus decuſſatis, poplitibus reflexis ac divaricatis per obſtetricem reponi, ac candela cerea ol. lil. alb. & momord. inuncta blandè intrudi curavi, reiteratis fotibus ac cataplaſmatibus, impoſito quoque circulo è ſubere confecto cerâ obducto, & pectini ac oſſi ſacr. emplaſtr. contr. rupt. cum maſtich. ſuccin. tacamah. galb. lapid. magnet. tandem vigeſima prima die, quæ ut plurimum terminus eſt acutorum morborum, meliorē ſpem concepi, deliria tamen ad trigeſimum octavum duraverunt diem, parum vel nihil quaſi intermittentia, raro cum exemplo, trigeſimâ nonâ, deliriis jamjam ceſſantibus, meliùs valere cœpit, & adhuc, laus ſit DEO, vivit, multùm faſtidii verò ipſi cauſatus eſt decubitus longior, à quo excoriata quaſi fuit, multis partibus circa lumbos & clunes jam ſphacelatis, quibus ſcarificatis & ſeparatis, pedetentim totaliter convaluit, annoque ſequente concepit, & partum robuſtum adhuc viventem (imò ab illo tēpore jam quatuor) in lucem edidit, & quod quàm maximè notandum, uterum menſibus inſtantibus non eminere extrorſum, ſed in centro ſuo ſemper jam contineri.

Uteri ruptura, ipſo partûs tempore funeſta.

Clariſſ. Joh. Jacobi Harderi Miſcell. Carioſ. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Pręterquam quod fœminæ gravidæ toto quo utero geſtant tempore, moleſtiſſima experiuntur ſymptomata, ut nihil magis præter horam partus exoptent, contingit quandoque ut hæc illis ipſa funeſta ſit, votumque in lacrymas præter ſpem mutetur. Ruſtica 30. & quod excurrit annorum in viciniâ aliquot liberorum mater, quorum tamen vivum nullum vidit, præter filiolam, nupero Novembris menſe, hoc ipſum comprobavit. Enimverò completâ periodô ordinariâ, cùm dolores partus ingruerent, ſuô quidem officiô functa eſt, ſed fruſtra, quin viribus orbata protinus ad Chirurgi periti operam confugeret: accedens hîc matrem labore attritam cum extremorum frigore deprehendit, ſimulque fœtûs ſitum exploraturus, hunc in abdominis pariter atque uteri capacitate deliteſcere notavit, quæ ſingula nobis redux enarravit, ſimulque quod facto opus arbitremur quæſivit. Juſſimus hinc ut fœtum, ubi mater tantiſper ad ſe redierit, extraheret, quod & factum ocyus citra matris incommodum, quia verò ex gravi uteri læſione lethalem exitum prævidimus, ut horam mortis indicarent, unà petere juſſimus: factum eſt hoc poſtridie, circa veſperam neque ſectionem deſiderantibus abnuerunt: inde inciſo convenienter hypogaſtrio & remotis quæ impedimento eſſe poterant, in uteri collo, non procul ab orificio interno, qui nondum prorſus ſubſederat, foramen manifeſtum detexerunt, per quod via in abdominis cavum infanti patuit, ſub ſiniſtro pubis oſſe, quod prope commiſſuram, apophyſin acuminatam oſtendit; inſuper dignum notatu eſt, quòd ſinguli quos peperit infantes, fiſſurâ illa cranii parte qua ſub dicta apophyſi tranſire neceſſe habuerunt, infelici ſorte paſſi ſunt, quorum equidem cauſam ſuo tempore perveſtigabimus.

Uteri locô, excreſcentia ſingularis, in cadavere virginis reperta.

Clariſſ. Davidis Chriſtiani Valtheri. Ephemer. German. Centur. 1. & 2.

Latet Anguis in herba. Occaſionem ita loquendi dedit mihi mirabilis affectus Virginis cujuſdam nobilis. Hæc ſæpe ſentiebat dolores inſignes nephriticos imputatos. Vomitus, Salivæ abundantia, dolores circa pubem aut hypogaſtrium, ut & fixus & ſtabilis circa lumborum regionem, magnum cibi faſtidium, anxietas circa præcordia, urina cum maxi-

mo

mo ardore & ſtranguria, particulæ igneæ ex oculis vagabundæ, evacuationes alvi & tandem laſſitudo & debilitas totius corporis cum proſtratione omnium vitium, ſitis, angina, excretio ſanguinis per anum putridi, nihil, niſi mortem procurare poterant. Vis enim morbi adverſus omnem & præſentiſſimam Medicinam invaleſcebat, ita, ut virgo noſtra nephritide, tanquam malo hæreditario enecta ab omnibus diceretur. Sed ſectio cadaveris poſtea latentem monſtravit anguem. Corculum enim erat nimis flaccidum; & omni ſanguine vacuum, pulmones vitioſi, marcidi, & circumcirca pleuræ adnati; Diaphragma inflammatum, ventriculus quaſi excoriatus, puſtuliſque magnis, nigris, & rubicundis, interne obſeſſus; Subſtantia pancreatis ferme tota conſumta; ſubſtantia vero hepatis pulcherrima; Lien flaccidus; inteſtina partim bonæ; partim malæ notæ; Renes perminuti; molles & abſque faſcia renali, & interne abſque omni ſabulo & calculo; è contrario vero loco uteri duæ excreſcentiæ veſicæ inhærebant; quæ forti membranâ cohærebant.

Magnitudo excreſcentiæ majoris erat inſtar duorum pugnorum; alterius vero pugillaris; Colorem album poſſidebant; Subſtantia craſſa & cartilaginoſa; factâ diſſectione minoris, meatus in collum uteri ductum gerens videbatur. Quis itaque ex urinâ & aliis ſupra memoratis ſignis uterum in tantas excreſcentias tranſmutatum, judicare potuiſſet; niſi ſectio poſt mortem, veritatem docuiſſet.

Aliam uteri excreſcentiam virgineâ annotavit Nobiſ. D. D. Mœren, Obſerv. C. Decad. III. ann. 7. & 8. Ephem. A. N. C. p. m. 167.

Uteri procidentiæ cauſa ſingularis, Anatome detecta.

Clariſſ. Joh. Mauritii Hoffmanni. Ephemer. German. Centur. 3. *&* 4.

Uteri fundum inverti inſtar chirotecæ & foris extra pudendum prominere, ſive à tumoris ſcirrhoſi pondere eò adigatur, ſive ab imperitâ obſtetricis manû, funiculum fœtus umbilicalem cum placentæ arctius incuneatis acinis nimiâ cum violentiâ detrahente, evellatur, Cl. Friderici Ruyſchii Obſervat. Anatomico-Chirurgic. Obſ. VII. & X. Isbrand. Dimerbröch Anatom. Lib. I. cap. XXV. Hildani Centur. IV. Obſ. LX. & LXII. Ephemerid. noſtrarum Decur. II. Ann. I. Obſ. CXLI. Decur. II. Anni VI. Obſ. XCI. Ejuſdem Dec. Anni IX. Obſ. CXLIX. Decur. III. Anni I. Obſ. CXIV. Petri de Marchettis Obſ. Med. Syllog. Obſ. LXI. manifeſtè declarat. *Tunicam* vero etiam internam *vaginæ rugoſam*, aut ab obſtetrice incauta, aut à fœtu graviore & gemello; aut diutius ibi ob viarum anguſtiam hærente; aut à parturiendi, itemque alvum egerendi, aut pondus gravius elevandi niſu validiori, plus æquo extenſam, aut ab humoribus ſeroſis illuc copioſius confluentibus relaxatam, aut à prægreſſo diuturno fluore albo eroſam, extra pudendum propendere, & globoſa figura verum mentiri uterum obſervatio noſtra in Ephemerid. Decur. II. Anni I. num. CLXXI. legenda, tum ſimiles in Decur. III. Ann. V. & VI. Obſ. CCXXVI. Meckreen Obſervat. Medico-chirurg. cap. LIV. David van der Beeke in peculiari diſſertatione de uteri procidentia conſignatæ teſtantur. Sed adhuc *cervicem & oſculum uteri internum* in ſinum pudoris decidere, Felix Platerus Obſervat. lib. III. p. 742. & ſeq. atque Jacobus Primeroſius lib. II. de morbis mulierum cap. XV. notaverunt, & ſcriptores communiter docent, *morbidum ejuſmodi receſſum* violentam fundi uterini, ut & cervicis nec non ligamentorum tam latorum uterum oſſibus ilium alligantium quàm teretium eundem partibus anterioribus devincientium, inverſionem, avulſionem & abruptionem inſequi; peculiarem autem haud prævisâ cauſam *talem receſſum* intuliſſe, ſequens hiſtoria manifeſtabit. Vixit Solisbaci in urbe principe honeſta civis uxor, quæ poſtremâ procidentiæ uterinæ ſpecie afflictata, auxilium conſiliumque undique conquirere anxiè cœpit, idque eò magis, quoniam oſculum uteri internum & ab urinæ alluvie & attritu ſub ingreſſu facto, excoriatione ortâ læſum graviter dolebat, & deorſum ruentis uteri pondus indies accreſcebat. Adhibuit adeoque, peſſimo mulierculaurum medicaſtrarum conſilio, balnea & inſeſſus ex emollientibus & aromaticis; ex medicorum ſapientiorum præſcripto circulos & globulos ligneos alias uſitatos cerâ obductos in ſubſidium aſſumſit; peculiari inſuper ſubligaculo firmavit, ſed irrito prorſus eventu vanâque medelæ ſpe; cervici uteri cum oſculo interno turgidiori & prominentiori facto illos reprimente; intumuit demum ſuffusâ venter ab undâ, atque hydrope aſcitâ in ſtupendam molem eum expandente, poſt longam plurium menſium patientiam miſera fato occubuit. Ego in Aula Sereniſſimi Ducis Palatini, Principis ac Domini mei clementiſſimi, tunc præſens, impetratâ licentiâ cadaveris ſectionem adminiſtrandam præcepi. Aperto itaque primum abdomine, ea ſeri turbidi fœculenti copia cum impetu proſiliit, quæ amphoras adſtantes binas adimplere potuiſſet, omentum putrilagine ferme conſumtum; epar pallidum conſpiciebatur; folliculus bilis amurcæ ſimilis parum continebat. Cùm autem uteri, potiſſimum indagandi gratiâ ſcrutinium hocce permiſſum & inſtitutum fuerit; mox ſupra illius fundum depreſſum *tumor tunicatus amplus* in conſpectum ſeſe dedit, ſero limpido; ſed ad contactum glutinoſo ferme ad crepaturam uſque adimpletus, vaſculis ſanguiferis tenerioribus per ſuperficiem hinc inde excurrentibus, tumori etiam dicto inhærebant quatuor hydatides lymphâ turgidæ, quibus viſis in apricum proferebatur cauſa morboſæ procidentiæ recenſitæ, is ipſe nempe tumor cum ſociis hydatidibus, qui uteri fundum & cervicem cum oſculo interno incumbente ſuo pondere ſede naturali cedere & prominere coëgerat, nullo adminiculo reprimendum.

Ægra, cùm in vivis adhuc eſſet interrogata, num conſcia eſſet alicujus violentiæ externæ perpeſſæ, nullam indicare potuit, ut ideo, quantùm humanæ mentis conjectura aſſequi licet, procul dubio tumor ille cum hydatidibus utero imminens, à ſero lymphatico acriori & viſcido per fibrillas uteri croſas aut diſtendendo abruptas effuſo & membranæ ambitu mox cincto originem ſuam ſumſerit; aut ſi vaſa uteri lymphatica, hucuſque quidē in utero humano abſcondita, exiſterent, ſicuti haud ſine omni probabilitate illa præſuppoſuit Anatomicus, Philippus Verheyen, Anatom. corpor. humani lib. I. Tract. II. cap. XXIX. p. m. 134. ex hiſce ipſis ſolutionem continui perpeſſis, lymphâque effusâ tumor iſte natales ſuos habere potuerit; dum cæteroquin de hydropis aſcitis geneſi, à lymphâ ſimili vitioſa ex multiplicibus in abdomine conſpicuis vaſis lymphaticis læſis exundante, hic derivanda nullus, uti ſpero, ambiget.

UVÆ ſeu UVULÆ MORBI.

De iis vid. ſub titulô GURGULIONIS MORBI. Hic tantùm de Uvulæ defectû duas adducemus obſervationes curioſas.

Uvulæ defectus.

Clariſſ. Joh. Jacobi Harderi. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 2.

De Voce & loquelâ eruditè non minùs, quàm prolixè

lixè ſcripſit, Vir perpetuâ laude digniſſimus, Fabritius ab Aquapendente, obque id laryngis ſtructuram univerſim, cum glottidis, epiglottidis, aliarumque partium his vicinarum uſu, ſtudioſè expoſuit. Nobis ad vocem articulatã commodiùs edendam, uvulam plurimùm conferre, vel exemplo puellæ quatuor annorum probare liceat, quam ante trimeſtre circiter Lœraci vidimus: Sollicita mater ad nos confugit, quodq; infans vocem diſtinctam edere recuſaret, conqueſta fuit, anxiè quęritans utrũ vitium in linguæ frenulo non ſatis ſoluto, vel alio oris vitio hęrere arbitremur, & quodnam malo conſilium congruentiſſimum; ſuadeamus: Examinavimus hinc linguã cum membranulâ ſubjacente, nihilq; labis in iſtis deprehendimus: os hinc, quantùm poſſet aperire juſſimus, moxque rimam ingentẽ; vacuam, palatum verſus conſpeximus, adjacentibus paristhmiis nudis, citra ulla gargareonis indicia: In mentem hinc nobis revocavimus aureum Hippocr. I. περὶ ἀρχῶν par. XIX. effatum Ἡ δὲ γλῶσσα ἀρθρὸν προσβάλλουσα, ἐν τούτῳ λάρυγγι ἀποφρὰς τοῦσα, καὶ προσβάλλουσα πρὸς τὴν ὑπερώην καὶ πρὸς τοὺς ὀδόντας, ποιέει σάφηνι ζειν.

Uvulæ, ab ortu, defectum reſarciunt vicinæ partes, ſine incommodo.

Clariſſ. Andreæ Myrrhen. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Ante annum vocabar ad perſonam Principem, quæ deglutiendi difficultate, raucedine & quadam re linguæ incumbente &c. conquerebatur, Iſthmum faucium inſpexi, nec veſtigium, multò minùs ipſam columellam inveni, inſpectionem repetii, eloqui an ſilere deberem neſcius, aſt Sereniſſima Princeps pro more clemẽtiſſimo gratiis præiit dubia alloqui volentem, affirmabat à primo ortu defectum uvulæ, aſt ſine incommodo eam habuiſſe; Iterum inſpexi, en! peculiarem naturę providentiam, vicinę partes, pręprimis expanſum illud pendulum laquear ſolitò tumidiores ac denſiores pro foramine colli acutiori formando, hinc ſat acutiori loquitur voce, acutiſſimè cantat, articulatè verba promit, aſt ab inclementiore aëris externi injuriâ pulmones facillimè lędŭntur, hinc tẽpore pluvioſo, frigido, humido, catharris ac tuſſi facilè obnoxia, uſu Olei ſcorpion. Matth. ad gutt. XV. in lacte calido ſumpti corrigibilibus; ut hinc uvulę inter primarios ullus, & ille elucefcat, obicem nempe ponere aëri frigidiùs hauſto, ne ſummâ frigiditate ſuâ actuali pulmonib⁹, bronchiis illabendo veſiculari huic parenchymati noceat, ſed priùs concavo oris undique evaporabili circumdatus altetetur & uvulâ quaſi diſcerptus, naturę amicior reddatur.

VULNUS.

In Vulnerum tractatione eundem obſervabimus ordinem, quem in Ulceribus obſervavimus, ſcilicet antequã ad Conſultationes, variaſque Obſervationes deveniamus, Curationes proponemus in tres claſſes diſtributas; in quarum primâ, Celeberrimum Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, pro Veteribus ac Medię ętatis Autoribus, collocabimus; in ſecundâ famoſiſſ. Theophraſtum Paracelſum, pro Chimiſtis; in tertiâ, Clariſſ. Joh. Munnicks, pro Recentioribus. Illis omnibus verbum unum, adjicientes de cautionibus quibuſdem ſpecialibus adhibendis in cura Vulnerum quæ ab Accuratiſſimô Magatô, Italô jam dudum fuere expoſitæ, & ab Experientiſſimô Dnô. Belloſte, Chirurgô Gallô ab aliquot annis renovatę, ſeu potiùs praxi propriâ confirmatæ.

Hieronymi Fabricii ab Aquapendente de Vulneribus Liber.

Cap. I. *De vulnerum conſideratione in Genere.*

ABSOLUTA de Tumoribus præter naturam, & congeneribus affectibus, doctrina: proximum eſt; ut Vulnerum rationem aperiamus. Significat autem vulnus interdum omnem morbum; ut text. 17. l. 2. de art. com. 30. de iis quæ fiunt in med. Interdum ſignificat ſolutionem continui, factam tantum in carne; ut c. 1. l. 3. Meth. med. cap. ult. lib. de cauſ. Morb. & interdum continui ſolutionem in carne, non quomodocunque, ſed ſaltem cæſim factam; ut c. 6. de Conſtitutione artis. Nos autem hoc in lib. de omnibus vulneribus agemus, carnis, nervorum, venarum, capitis, thoracis, &c. ſive fiant cæſim; ſive punctim, ſive contuſione.

Vulnus ergo, hoc modo ſumptum, eſt ſolutio continui, externo aliquo inſtrumento, in molli parte inflicta. Per mollem partem, intelligimus omnem ſubſtantiam in corpore exceptis oſſibus.

Vulnerum differentiæ petuntur à quatuor fontibus; primùm à loco affecto, ſecundo à natura affectus, id eſt, à vulnere in ſe, & ſecundùm propriam naturam conſiderato; tertiò ab iis, quæ præter naturam vulneribus adjunguntur; quartò, à re quapiam extranea. I. à loco affecto: vulnus eſt vel in carne, vel nervo, vena, capite, thorace, pede, &c. II. à natura vulneris; ut à figura, magnitudine, inæqualitate. A figura vulnus dicitur rectum, tranſverſum, obliquum, pampini modo retortum, hami ritu uncum; &c. A magnitudine, magnum, parvum; longum, breve; ſuperficiale, profundum. Ab æqualitate; & inæqualitate, aliud æquale, aliud inæquale, id eſt, aliud totum apertum aliud partim apertum, partim ſub cute latens, cap. 11. lib. 3. Meth. III. à rebus præter naturam ut ſunt morbus, cauſa, ſymptoma. Hinc vulneri jungitur, vel tumor, gangræna, inflammatio, vel nihil horum: alia item, vulnera conjuncta ſunt cum ſuis cauſis, ut globulis plumbeis, ſagitta, ſpiculo, &c. quoddam etiam vulnus eſt dolens, quoddam non. IV. à rebus extraneis, ut à tempore, vulnus dicitur recens, antiquum.

Cauſæ vulnerum ſunt omnia externa inſtrumenta, apta continuum ſolvere, c. ult. lib. de cauſ. quæ id faciunt, pungendo, incidendo, rumpendo, contundendo, erodendo. c. 6. de conſtit. artis. Pungunt tenuia, & acuta, ut acus, ſagitta, venenoſa animalia, morſus ferarum. Incidunt, ſive ſecant tenuia, & lata; ut gladius, culter. Rumpunt, quæ vehementi motu in partes contrarias divellunt; ut grave onus, concitatiſſimus curſus, valentiſſimus ſaltus, caſus ab alto. Contundunt gravia, & dura; ut lapis, lignum, obtuſum ferrum, plumbum: maxime autem fiunt contuſiones, ubi ſubjecta corpora ſunt dura; ut in genu, articulis, capite, ubi oſſa ſunt excarnia. Erodunt denique ferrum candens, ſeu ignis, medicamentum cauſticum, quæ partis ſubſtantiam abſumunt.

De ſignis autem vulnerum, nihil in præſentia dicam; nam externa ſenſu ipſo innoteſcunt; internorum vera ſigna ſuis quælibet locis afferemus.

Cap. 2. *De Vulnere carnis ſimplici.*

AD particularia devenientes, primùm curabimus vulnera partium ſimilarium, ut Carnis, Vena-

Venarum, Arteriarum, Nervorum, & Ligamentorum. Deinde ad magis compoſita accedemus; nempe ad vulnera Capitis, Thoracis, Abdominis, &c.

Primum de carnis vulnere dicemus. Hîc autem per carnem intelligimus, cuticulam, cutem, pinguedinem, membranam carnoſam, ſubſtratam carnem muſculorum: curatio enim in his partibus non variat; ideoque totum hoc compoſitum, carnis nomine comprehendimus: Non poteſt quidem caro hæc vulnerari, niſi etiam venæ, arteriæ, nervi vulnerentur; quod teſtatur profuſio ſanguinis, & dolor: nos tamen id, carnis ſolummodo vulnus appellamus; quatenus ſanguinis profuſio, & dolor non ita invaleſcunt, ut ad ſe curationem trahant. Carnis autem vulnus licet variis fiat modis; ut per punctionem, inciſionem, ruptionem, contuſionem: nos tamen jam primò agemus de eo, quod frequentius accidit, nimirum de inciſione; cum qua punctio, & ruptio concidere aliquo modo videntur. Inciſio porrò vel eſt ſimplex, ſine amiſſione ſubſtantiæ; vel cum hac. De ſimpliciori ergo primùm ſequitur tractatus.

Quantum ad prognoſim: cum omnis morbus ſit periculoſus, vel ob partis affectæ præſtantiam, vel ob affectus magnitudinem, vel quia malignam quandam habet naturam, c. *6.* lib. 4. Meth. vulnus carnis non eſt periculoſum, quia caro non eſt pars princeps; nec ſi vulneretur, contumax, & malignum fit vulnus, quemadmodum in articulis: propter magnitudinem tamen grave reddi poteſt, quia in magno vulnere maximè pars debilitatur; Muſculorum vulnera in media parte carnoſa tutiora ſunt, quàm in partibus fini, aut principio propinquis: ſecundùm Celſum c. *26.* l. 5.

Scopus curandi vulnera, eſt unire id, quod diviſum eſt. Unio autem licet naturæ opus ſit: in hac tamen abſolvenda, ſex à medico auxilia expoſcit. 1. ſanguinis profuſionem ſiſtere. 2. inflammationem prohibere. *3.* adducere labia ad mutuum contactum. 4. adducta conſervare. 5. præcavere, ne quid labiis vulnerum intercidat. *6.* ſubſtantiam vulneratæ partis ſalubrem conſervare. Gal. c. *90.* artis parvæ. Celſus c. *26.* lib. 5. Avicenna Tertia Quarti tract. 1. c. 3. Qui ſcopi, ut explendi ſint, ordine deinceps docebimus.

Cap. 3. *De ſiſtenda profuſione ſanguinis.*

VUlnus, de quo nunc agimus, non pertingit ad magnam venam; nihilominus, cum vaſa minora incidantur, ſanguinis effluvium ſiſtendum eſt, niſi ſponte, & tempeſtivè reſtringatur. Quod ſi modicè fluat, debemus permittere ut tantùm effluat, quantum commodum videbitur, pro inflammatione arcenda, poſtea ovi albumen ſubactum, & ſtupa exceptum, vulneri imponendum. Si ſtupa deſit, ſumimus cotonem, ſeu goſſypium, aut in hujus defectu, linteum duplicatum, in ovi albumine infuſum, & madidum. Si dolor aliquis adſit, totum ovum ſimiliter ſubactum aſſumimus. Quemadmodum in ovi defectu poſcam, aut vinum nigrum auſterum, aut vinum granatorum, quibus linteum, aut ſtupam imbuimus, & imponimus, Tela etiam araneæ, utiliter ſuperponi poteſt.

Cap. 4. *De Inflammatione prohibenda.*

INflammatio, niſi prohibeatur, omni vulneri ſupervenit: vulnus enim partem reddit imbecillem, ut ſuperflua ad eam facile influant, præcipuè tenuiora, & calidiora, quæ inflammationem movent. Deinde à parte vulnerata; propter imbecillitatem non poteſt fieri proba concoctio alimenti proprii; unde reſultant excrementa; quæ cùm pars extra vulnus detrudere nequeat, diutiùs retenta inflammantur. Tertiò, quia in vulnere dolor excitatur; ac natura cum ſanguine accurrens, & opem ferre cupiens, phlegmones cauſa exſiſtit.

Magno igitur ſtudio arcenda eſt inflammatio; quia hæc penè ſola vulneratis cauſa eſſe ſolet interitus; paucis exceptis vulneribus, in partibus principalibus, quæ per ſe ſunt lethalia. Eſt autem primùm inflammationis cauſæ occurrendum, nimirum defluxui, ſeu motui calidorum humorum ad partem vulneratam. Quoad humores calidos, curandum eſt, ac prohibendum, ne in corpore gignantur; remotis nimirum cauſis, tum efficientibus externis, quæ ſunt res naturales; & internis, quæ eſt caliditas jecoris; tum materiali, quæ eſt cibus. Qui verò calidi humores geniti ſunt, hi quatenus quieſcunt, prohibendi, ne moveantur; quatenus autem ad partem vulneratam moventur, pervenire non ſinantur. Prohibemus, ne moveantur, ſi ipſos ſegniores, & ineptos ad motum reddamus; quod fit refrigerando ipſos & incraſſando, vialque conſtringendo, & ultimò ipſorum vehiculum auferendo. Ne autem jam fluentes ad partem perveniant, prohibetur revellendo, repellendo, intercipiendo.

Hos autem ſcopos abſolvimus Diæta, Pharmacia, Chirurgia. Quoad diætam, ſi grave eſt vulnus, æger à cibo, & potu, quantum vires patiuntur, abſtinebit, ſuaſu Celſi, cap. *26.* l. 5. In qualitate autem victus erit, primùm refrigerans, & incraſſans ſanguinem; deinde vaſa conſtringens, tertiò urinam movens: quemadmodum ſuprà cap. 5. lib. 1. de curanda phlegmone docuimus: quo Lectorem, cum par utrobique ſit ratio, remittimus.

Quidam præcipiunt vulneratis in principio danda eſſe ova, carnes, perdices, hœdos, pullos; vinum potens, pro confortatione. Verùm hi cibi nequaquam conveniunt, niſi è ſanguinis profuſione, aut alia evacuatione vires ita ſint labefactatæ, ut mortis immineat periculum. Vinum nullo modo concedendum, ut nec in ulla inflammatione, c. ult. l. 4. Meth. hoc enim humores inſigniter calefacit, attenuat, fundit.

Aliarum etiam rerum non naturalium habenda eſt ratio. Proinde aër erit frigidus, vel natura, vel arte; unde cubiculum inſpergendum aqua frigidiſſima, foliis ſalicis, vitis capreolis. Vigiliæ vitandæ, quæ calefaciunt; & humores fundunt. Præcipienda quies, quæ refrigerat. Maximè ejus membri motum vitabimus, quod vulneratum eſt. In iis, quæ excernuntur, & ſubſiſtunt, ritè quoque procedendum. Abſtinendum à Venere: Vitandæ animi affectiones, præſertim ira, cujus ratione totum corpus inflammatur, & eryſipelata inſignia in parte vulnerata oboriuntur.

Quoad pharmaciam, totius corporis habenda eſt ratio, medicamentis Lenientibus, Alterantibus, & Purgantibus. Lenientia ea ſeligenda, quæ tum movere alvum, ſine corporis exagitatione, tum refrigerare, vel certè parum admodum calefacere poſſunt. Inde apozemata, & julapia propinari debent, quibus facultas ſit refrigerandi, modicè aſtringendi, & lotium ciendi. De quibus omnibus abundè libro 1. de inflammatione curanda, egimus.

Id tamen peculiariter hoc loco notandum: olim Chirurgis in vulnerum curatione potiones vulnerarias ſolemnes fuiſſe: è rubia majore, ſymphyto, pede columbino, plantagine, cannabe, braſſica rubra, caryophyllata, pimpinella, piloſella, verbena, centaurio, artemiſia, ophiogloſſo, pyrola, betonica, veronica, ariſtolochia, ſanicula, alchimilla, gentiana, ſerpentaria, herniaria, ſcordio, pentaphyllo,

millefolio, ſcabioſa, anagallide, carduo benedicto, hyperico, mumia, maci, bolo Armena, cancris fluviatilibus, lumbricis terreſtribus, ſpermate ceti, &c. Ex his, & ſimilibus, delegerunt parti vulneratæ idonea, pro temporis conditione, ægri temperie, & vulneris ſpecie; neq; modo herbas, ſed & ſuccos earundem, ex aqua, vel vino albo, aut œnomelite coxerunt, & manè quotidie exhibuerunt, ad ſanguinem depurandum, ad arcendum putredinem, ad ſanguinis diſſolvendum grumos, ad expurgandum, & omnia peregrina corpora ejiciendum. Verùm non debent hæc decocta per vulnerum initia præſcribi: quod calida ſint pleraque, ſanguinem attenuatum in partem affectam præcipitantia; ideoque tantùm locum habent, ubi nec febris adeſt, nec phlegmones in parte vulnerata imminet periculum; quæ etiam Celſi, de vino vulneneratis propinando, docta eſt ſententia, c. 26. lib. 5. Hæc quidem παρέργως; nec enim huc proprie ſed potius ad caput hujus libri ſeptimum ſpectare videntur.

Purgantia Guido in vulneribus improbat. Sunt enim, ait, calida, aperitiva, & commovent fluxum, & præparant vulnera ad apoſtema, & ad fluxum. At Galen. c. 6. l. 4. Meth. ex Hippocratis ſententia, in lib. de ulceribus, ait purgationem eſſe neceſſariam in vulneribus, quæ aliquo modo magna ſunt, id eſt, quæ ſuturis, & deligaturis indigent, qualia penè ſunt omnia. Guidonis autem rationi reſpondemus, purgantia non debere eſſe calidiſſima, ſed aliquo modo refrigerantia. Et licet calefacerent; nihil tamen damni afferrent, quia calefaciunt partes ad inteſtina deſinentes: magis conferunt ad revulſionem faciendam. Purgantia igitur conferunt, evacuando humores calidos, & ſic prohibendo, ne ad partem vulneratam moveantur; vel jam commotos etiam revellendo. Humores autem purgandi, ſunt calidi, potiſſimum bilioſi, nonnunquam etiam aut pituitoſi ſalſi, aut melancholici aduſti. Medicamenta ergo potiſſimum bilioſos, educent humores, ideoque non admodum erunt calida: ſed potius refrigerantia: inter quæ mitiora ſunt, tamarindi, ac rhabarbarum; valentiora, electuarium de ſucco roſ. Meſues, diaphœnicon, &c. Formula talis eſto; R. rhab. electi ſcr. iiij. ſpicæ gr. vii. vini albi parum: Fiat infuſio in decocto flor. & fruct. & expreſſioni adde ſyr. roſ. ſol. unc. iii. elect. de ſucco roſ. dr. ii. ſem. Miſc. & fiat potio, exhibenda quinque horis ante prandium. Vel R. flor. caſſ. recenter extractæ unc. i. electuar. è ſucco roſ. Meſuæ dr. ii. ſem. Miſc. & cum ſacchare fiat bolus. Quidam magis delectantur pilulis, quæ exhibendæ potiſſimùm ubi febris, aut nulla adeſt, aut exigua; cui ſtatim ſuperbibendum eſt juſculum alteratum ex endivia, vel ſoncho. R. pil. coch. ſcr. iv. maſtich. dr. ſem. cum aqua endiviæ fiant pil. num. v. deaurentur. Hæc tamen purgantia variari poſſunt; nam mitiora præſcribentur æſtate, aut hieme, quàm vere, & autumno, ſi vulnus parvum, æger debilis, corpus non admodum repletum, alvus lubrica. Sunt autem exhibenda purgantia, non quemadmodum nonnulli perperam faciunt, poſt decimum quartum diem; quia tunc jam præteriit timor inflammationis, ſed quamdiu inflammationis adeſt ſuſpicio, in omnibus iis pergere debemus quæ ad totius corporis procurationem pertinent.

Jam videndum reſtat, quomodo humores, qui in motu ſunt, prohibendi, ne ad partem vulneratam perveniant; quod fit tribus modis, Revellendo, Intercipiendo, Repellendo. Revulſoria præſidia ſunt venæ ſectio, purgatio, balneum, frictio, inunctiones calidæ, & digerentes, vincula, ſeu ligaturæ, veſicatorium, cucurbitulæ. Primas in revellendo obtinet venæſectio; nam primò prohibet generationem calidorum humorum, refrigerando jecur; deinde prohibet humores genitos fluere, ipſos evacuando; ultimò prohibet, ne humores, qui ſunt in fluxu, perveniant ad locum vulneratum. Statim ergo initiò ad venæ ſectionem confugiendum, penſitata magnitudine vulneris, viriumque robore: non enim plenitudo, ſed vulneris magnitudo phlebotomiam indicat, cap. 6. lib. 4. Meth. Si ergo vulnus ſit magnum, aut propè partem principem, ut in capite, & thorace, & vulneratus ſit robuſtus, aſcendimus etiam ad libram ſanguinis, & ultra. Si vulnus non eſt magnum, & in partem principem, ut in cerebro, tempus autem hyemale, partimur ſanguinis detractionem; quia in tali vulnere, & tempore non ita facilè oritur inflammatio: proinde iteramus venæ ſectionem, quando maximè influxum humorum timemus, ut pote poſt quartum diem. Si vulneratus non ſit admodum robuſtus, parciùs eſt detrahendus, hoc eſt ad unc. vi. deinde ad iii. Et ſi valde ſit debilis æger, una die unc. iiij. & die ſequenti totidem mittimus. Nullo enim modo in vulneribus omittenda eſt venæ ſectio; aut ſi hæc, ob ſummam virium imbecillitatem adminiſtrari nequit, cucurbitulis ſcarificatis, ejus loco, utimur, ſemper in partibus contrariis, & è directo. Quam citiſſimè autem, & prima etiam die ſanguis mittendus; nec prius exhibendum eſt leniens, nec clyſter immittendus, qui poſſit aliquo modo remorari phlebotomiam; ut Celſus ait, c. de venæ ſect. Poſt venæ ſectionem, etiam alia revulſoria præſidia uſurpare poſſumus, ut frictiones, vincula, balnea calida, inunctiones calidas, & digerentes, cucurbitulas ſiccas. Ad veſicatoria rarò devenimus, niſi vulnus ſit inſigne, & in parte principe, ut cerebro. Fonticulis nunquam utimur; quia fluxum non niſi longo tempore avertunt.

Intercipientia, ſeu defenſiva, ſunt frigida, ſicca, id eſt, aſtringentia; quæ ponuntur non in loco vulnerato, ſed in itinere, ante locum exitus; chirurgi eligunt partem excarnem ut ſunt articuli. De his, ut & de repellentibus, ſuprà diximus, c. 5. l. 1. de curanda phlegmone; & plura de repellentibus deinceps afferemus, in iis, quæ parti vulneratæ imponuntur.

Hactenus ergo de iis, quæ univerſi corporis præparationem ſpectant, in diæta, pharmacia, chirurgia; quæ omnia adminiſtranda ſunt, quandiu durat timor inflammationis. Terminus autem inflammationis communiter à chirurgis conſtituitur dies ſeptimus, è c. 2. lib. 3. per gen. nam quinto die adeſt vigor inflammationis, quia tunc quanta futura eſt phlegmone, ſeſe oſtendit, ſecundùm Celſum, c. 26. l. 5. At hic terminus, ſeu timor phlegmones non eſt in omnibus vulneribus æqualis; longius enim protrahitur tempus, ac metus inflammationis, ſi mitius eſt vulnus, ſi pars affecta frigidior; ſi natura ægri frigidior, ſi tempus hibernum; ſi corpus non ſit plethoricum, nec febre conflictetur. Malè ergo faciunt, qui in minori vulnere, in quo plerumque tempus inflammationis protrahitur ad ſeptimum diem, decimumquartum præterire ſinunt, & tunc demum purgans ſine ullo fructu exhibent cùm tamen hoc, propter inflammationem, maturiùs fuiſſet exhibendum.

Cap. 5. *Quomodo labia vulneris ad mutuum contactum ſint applicanda, & applicata ſervanda.*

LABIA vulneris applicantur, & applicata ſervantur tribus inſtrumentis; deligatura, ſuturis, & fibulis. cap. 9. art. med. Deligationis tres ponuntur ſpecies, ab Avicenna quarta quarti, tract. 1. c. 3. item à Gal. & Hippocr. in lib. de iis, quæ fiunt in med. alia enim dicitur retentiva, alia glutinatoria, ſeu incarnativa, alia expulſiva. Retentiva uſurpatur ſolùm ad retinenda medicamenta in parte vulnerata impoſi-

impoſita: cujuſmodi ſunt deligationes, quæ fiunt in vulneribus capitis. Glutinatoria deligatio dicitur, quæ labia vulneris ſibi invicem adjungit, & adjuncta continet: & hæc arctiùs, quam ſuperior, ſtringenda. Expulſiva utimur in fiſtulis, & cavernoſis ſinubus, ad expellendam materiam; & hæc arctiùs ſtringitur. Glutinatoria deligatura tantùm ad noſtrum facit propoſitum; eaque utimur in vulneribus, tantum per longitudinem membrorum factis, & quidem non admodum profundis, ita ut vix cutem vulnerent. Hæc fit è faſcia linea, nec dura nimis, nec molli; ne vel premat, vel rumpatur, Celſ. c. 26. lib. 5. Gal. c. 4. lib. 3. Meth. unde mulierculæ aſſumunt tunicas veteres. Latitudo faſciæ ea eſſe debet, ut non ſolùm vulnus, verùm etiam modicè oras utrinque comprehendat. Sed ſi fuerit vulnus longius, meliùs erit facere faſciam ſtrictam, tres videlicet digitos latam. Circumduci hæc faſcia debet utriſque extremis, ita ut media faſciæ pars ponatur ſupra vulnus, dein hinc inde circumducatur, com. 13. lib. 2. de iis quæ fiunt in med. At, meo judicio, commodiùs eſt incipere circumductionem à parte vulneris oppoſita, ut faſcia dein circumducta ſtringatur ſupra vulnus; ſic enim meliùs adducentur labia: poſtea circumducetur ſimiliter faſcia, vel ambo ejus capita, hinc inde, ita ut inferior pars per inferiorem membri partem circumducatur, ſuperior verò per ſuperiorem. Et ratio eſt, quia ita procul ab affecta parte exprimuntur humores, hinc inde, id eſt inferiùs & ſuperiùs. Faſcia nec laxa, nec ſtricta nimis eſto; ne vel non contineat, vel dolorem, inflammationem, & gangrænam excitet: terminus ſit bona laborantis tolerantia. Et ſi vulnus ſit inæquale, ut ab una parte caro magis recedat; ab hac etiam plus attrahetur. Hieme ſæpius circumire oportet, æſtate verò quoties neceſſe eſt, ne pars, propter plures circuitus faſciæ, incaleſcat. Celſus ait nodum eſſe faciendum ſupra vulnus: & non niſi longè à vulnere. Sed tutiùs eſt terminos ipſius faſciæ acu aſſuere. Faſcia ita circumducta, interdum ſolet premere labia vulneris; ita dolorem, ac inflammationem inferre. Avicennas ergo quarta quarti, tract. 1. c. 2. ad hanc compreſſionem vitandum, pulvinaria quædam, ſeu plumaceolos opponit, ut calor partis foveatur, & pars ab externo frigore defendatur; fiunt hęc è ſtupa, cotone, lana, vel etiam è plumis: & plumaceoli craſſiores, qui ad vitandum compreſſionem faſciarum imponuntur, fiunt trianguli, & interdum ſicci apponuntur, interdum madefiunt è vino, aut ovi albumine, & latus trianguli apponitur, per longitudinem labiorum; deinde verò faſcia circumducitur. Hæc de deligatura.

Alterum inſtrumentum, quo labia vulneris adducuntur, & adducta conſervantur, eſt Sutura; cujus tria genera à Guidone proponuntur: glutinatoria, quæ ſola facit ad noſtrum propoſitum; ſanguinis ſuppreſſoria, quæ fit acu, per utrumque labium trajecta, dein verò evoluta, & eadem parte rurſus trajecta, quemadmodum faciunt, qui pelles conſuunt: hac ſutura fluentem ſanguinem ſupprimimus; quæ tamen non eſt admodum tuta, quia uno laxato puncto; cætera omnia laxantur, tertia ſutura eſt retentiva, quæ efficitur in vulneribus dilaceratis, in quibus deperdita eſt caro, ut labia ad tempus adducantur eo modo, quo fieri poteſt. Glutinatoriæ ſuturæ quinque proponuntur ſpecies à Guidone. Prima fit acu trajecta per utrumque labium manu dextera; deinde ſiniſtra manu teneatur cannula feneſtrata, quæ innitatur labio ipſius vulneris, ut dum acus, & filum egreditur, labium non conſequatur, & invertatur. Sed ego, loco hujus cannulæ, appono digitos ſiniſtræ manus, nimirum indicem, & medium, ut inter digitos filum egrediatur, qui digiti labium comprimunt, & non ſinunt inverti. Trajecta igitur acu, fit punctum, primò quidem filum obvolvendo duabus circumvolutionibus; deinde verò unà filum inciditur, aliquantulum remotè à nodo. Primum punctum fit in medio longitudinis vulneris; deinde fiunt alia puncta, quotquot neceſſaria ſunt, ſemper trajiciendo acum in media parte, inter punctum, & extremitatem vulneris, & ſic tot fient puncta, quot neceſſaria videbuntur, ad contactum labiorum efficiendum. Altera ſpecies ſuturæ glutinatoriæ, fit hoc modo. Sumuntur tot acus quot puncta voluimus facere, quæ trajiciuntur per labium utrumque vulneris & inibi relinquuntur; deinde verò circum unamquamque acum revolvitur filum, eo modo, quo faciunt mulieres, quando volunt aut in pileo, aut in manicis acus aſſervare. Tertia ſuturæ ſpecies fit trajecta acu per utrumque labium, ita ut filum trahatur ad partem oppoſitam: deinde eadem acu per idem foramen rurſus trajecta, & relicta anſula, in qua apponitur feſtuca, aut fruſtulum calami ſcriptorii, aut fili contorti, & duri, & ex alia parte alia feſtuca apponitur, & adſtringitur. Duæ reliquæ ſuturæ ſpecies à Guidone propoſitæ, non ſunt ſuturæ: ideoque de iis ſuo loco agemus. Quænam autem è propoſitis ſuturis tribus ſit melior, facilè patet, quæ ſcilicet, & meliùs adducit labia: & minorem infert dolorem. Tertia igitur ſpecies omnibus aliis eſt deterior, ſæpius enim dolorem facit, dum acus bis trajicitur per idem foramen, & labia in ſuperficie permittit ſeparata. Secunda etiam deterior eſt prima; quia dum acus in parte vulnerata relinquuntur, qui fieri poteſt, ut pars ab acubus non graviter afficiatur? Primus ergo ſuendi modus eſt præſtantiſſimus, & communiter à Chirurgis uſurpatur: in quo multa ſunt obſervanda, ut mox dicemus.

Antequam autem fiat ſutura, ſanguis in vulnere concretus, prius eſt detergendus, ne putreſcens inflammationem excitet, ac glutinationem impediat: linamentum etiam, gratiâ profuſionis ſanguinis vulneri admotum, auferendum eſt. Detergimus autem vulnus ante ſuturam, vino nigro auſtero, cap. 4. lib. 3. Meth. hoc enim omni vulneri, & ulceri, qua ulcus, eſt optimum. Spongia igitur madefacta in tali vino, & expreſſa, ſanguis detergendus, Quod ſi quandoque accidat, ut licet abluatur vulnus, nihilominus ſanguinis aliquid profundatur; non tamen ſuturas in tempus aliud differre debemus; (niſi alicujus momenti ſit ſanguinis profuſio) quoniam exiguus ille ſanguis, qui profluit, ſolet etiam brevi temporis ſpatio, extra labia ſuturis adducta, propelli ab ipſa natura, id tamen verum eſt, non ita citò curari vulnus ſi aliquid ſanguinis profundatur, quàm ſi nihil profundatur.

Deterſo vulnere, quædam circa ſuturam faciendam notentur: primùm, quæ acus ſit eligenda; ſecundò, quod filum, tertiò quod ſpatium inter puncta intercedere debeat, quartò modus ſuendi, id eſt, in qua vulneris parte incipere, & quomodo progredi oporteat: quintò, quàm profundæ debeant eſſe ſuturæ: ſextò quamdiu ſuturæ in vulnere ſint conſervandæ. Acus ergo erit longa, lævis, perpolita, cuſpide triangulari, & cauda excavata, ita ut filum in ea recondatur, nec acus tranſitum remoretur. Filum eſto firmum, æquale, læve cujuſmodi eſt ſericum, ſecundùm Guidonem. At hoc non probo; nam experientia comprobavi filum ſericum brevi tempore labia conſuta abrumpere, & diſſecare; idque vel ob tincturam, quæ ut plurimum fit è chalcantho; vel propter naturam ipſius ſerici, quod habet fila tenuiſſima, quæ facilè abrumpuntur. Ego itaque ſumo filum è lino, quod ſit firmum, album, æquale, molle, læve, & quia omne filum, dum conſtringit cutem, abrumpitur: propterea ego oblinio filum aut tragacantha madefacta in aqua roſarum, aut cera alba, quæ frequentius ad manum eſt. Filum autem non in omnibus

nibus vulneribus uniforme ſed craſſius, ſi vulnus valde hiat; alioquin tenuius. Porrò in efficiendis ſuturis chirurgus quàm celerrimè acum transfigere debet, & ſi fieri poteſt, uno ictu; ſive adactu debet perforare utrumque labium: id quod facilè ſuccedit in cute molli: in cute duriori tutiùs eſt unum labium poſt alterum perforare. Quàm autem profundæ debeant eſſe ſuturæ, explicat Celſus c. 26. l. 5. & Gal. cap. ult. lib. 3. Meth. ubi enim vulnus eſt univerſum, & profundum, tunc altæ efficiendæ ſunt ſuturæ, ita ut non tantùm cutem, ſed carnem etiam ſubjectam comprehendant; quò valentius hæreant, nec cutem abrumpant: contra, ubi profundum non eſt vulnus, ſatis eſt cutem tantùm apprehendere. In talibus ſuturis efficiendis vitandæ ſunt venæ, arteriæ, nervi, & tendines. Sutura, nec nimis crebra, nec nimis rara injicienda eſt, ſecundum Celſum loco citato, rarior enim non probè adducit labia; crebrior autem vehementiùs afficit, & facit, ut major ſequatur inflammatio; idque magis æſtate. Guido ait ſpatium ſingula puncta intercedens debere æquare latitudinem unius digiti ſeu ſpatium tranſverſi indicis. Quod dictum ſolummodo verum eſt in vulnere tranſverſo longo, & admodum profundo: vulnera enim facta per longitudinem muſculorum, vel ſola deligatura, vel pauciſſimis indigent ſuturis; cap. ult. lib. 3. Meth. Celſus verò quot danda ſint puncta exactiſſimè docet: eatenus, ait, novum eſt faciendum punctum, quia cutis ducentem, quaſi ſua ſponte ſubſequitur, id eſt, tantùm diſtabunt puncta, ut ſi quis manu vulneris labia apprehendat, ſine ulla vi hujuſmodi labia ſubſequantur. Ubi autem incipere, & quomodo progredi oporteat, è dictis facilè colligitur: quod totum à vulneris longitudine dependere videtur. Si enim vulnus habeat longitudinem digiti tranſverſi, aut etiam minorem, non indigemus ſutura; quia, vel deligatura, vel medicamentum, vel etiam ipſa natura labia parum in parvo vulnere ſeparata ſolet adducere. Si longitudo vulneris ſit duorum digitorum tranſverſorum, una in medio ſutura ſufficit. Si fuerit vulnus trium digitorum, duo puncta ſunt danda. Si quatuor digitorum, tria, Et ſic pergendum, ut ſemper numerus digitorum, uno ſuperet numerum punctorum. Et hæc ratio perpetuò ſervanda eſt; niſi vena, arteria, nervus, & tendo prohibeant; has enim partes declinantes cogimur ſæpe ſuturas aliquando magis diſtantes facere. Tempus relinquendi ſuturas, eſt, quouſque unio, ſeu glutinatio facta ſit, quæ variat ratione magnitudinis vulneris: nam majus vulnus tardiùs curatur: variat ratione conſtitutionis corporis, quia ſunt quædam corpora, quorum carnes facillimè glutinantur: variat ratione temporis anni, nam hieme tardiùs, æſtate, & vere citius: temperatura corporis humida tardius, ſiccior citius ſaneſcit: in humida cœli conſtitutione tardius, in ſicca citius fit glutinatio: ſi plenus eſt corporis habitus, ſi pravis refertus humoribus, ut in hydropicis, tardiùs fit glutinatio. In ſumma ſiccitas, ſive è temperie partis, aut totius, aut anni tempore, aut regione, aut ætate, aut conſtitutione, & habitu contingat, omnino facit ad citam vulneris conglutinationem: ſi modò ſiccitas non ſit valde in exceſſu. Hinc Hippocrates in lib. de vulneribus dicit; Sanum ſicco vicinius eſſe, humidum non ſano. Ferè tamen ſuturæ in magnis, & tranſverſis vulneribus ſeptem aut octo dies detinentur: in minoribus verò, & quibus tantùm cutis eſt vulnerata, ſufficiunt tres, aut ad ſummum quatuor dies: quemadmodum in facie, aut primo die aut ad ſummum altero auferuntur ſuturæ, quod facimus, ne cicatrix ſuturarum indecora remaneat.

Tertium inſtrumentum, quo labia vulneris adjunguntur, & adjuncta ſervantur, ſunt Fibulæ. Uſus fibularum eſt in conſtringendo id, quod ſeparatum eſt; c. 90. art. med. cap. 1. lib. 2. per loc. cap. ult. lib. 3. Meth. cap. 8. lib. 2. ad Glauc. item Celſ. cap. 26. l. 5. *De* harum & materia, & figura auctores diſcrepant. Oribaſius enim cap. 4. lib. de machin. ait fibulas fieri ex ære, ferro, auro, & habere formam circuli: unde Virgilius, Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem. Guido fibulas appellat hamos, qui debeant eſſe parvi; pro ratione membri, & ab utraque parte curvati, ut labio utrinque infigantur. At tales aculeos pungentes infigere in ipſa carne, & nervoſis partibus eſt peſſimum: Unde hæc ſententia falſa eſt, maximè quia hami poſtea latius eſſe vulnus permittunt. Fallopius voluit, fibulas eſſe primam ſuturæ ſpeciem, in qua filum abſcinditur, & qua communiter in vulneribus utimur: & hoc potiſſimùm colligit ex eo, quod Celſus ait fibulam fieri ex acia molli, ubi Fallopius, per aciam intelligit filum, quod nobis vulgo azza dicitur. At contra hanc ſententiam multa afferri poſſunt. Primùm enim acia, nuſquam in lingua Latina non invenitur, niſi hoc in loco apud Celſ. & proinde non poteſt probari, quod acia Latinis ſignificet filum. Secundò, in editionibus nonnullis, pro, acia, legitur, acu. Tertiò, dicit Celſus, quod fibulæ ferè vulnus latius eſſe patiuntur: at fibula quæ fit cum filo, ſecundùm Fallopium labia vulneris valde adſtringit: quartò apud nullum probatum auctorem materia fibularum eſt filum, ſed æs, ferrum, aurum, lignum: unde Celſus c. 25. lib. 7. agens de ratione infibulandi, ait exempto filo, fibula additur; ac proinde patet fibulam non eſſe è filo. Quintò, modus loquendi ipſius Galeni, & Celſi, quando mentionem faciunt fibularum, talis eſt, ut per fibulam nullo modo filum intelligi queat: dicunt enim additis, impoſitis, injectis, ſuperdatis fibulis; quæ filo non competunt.

His ergo rationibus olim adductus fibulam credidi non fieri è filo, ſed ex ære, aut materia ferrea, non quidem è materia dura, quæ in vulneribus infigeretur, ut Guido ſentit, ſed molliore, quæ infigeretur per utrumque labium, & deinde intorqueretur. Poſtmodum verò meliùs rem conſiderans, inveni opinionem Fallopii eſſe veriſſimam. Nam primùm Celſus fibulam & ſuturam ſimul dicit fieri ex acia molli, non nimis torta; ubi dictio illa non nimis torta, nullo modo acui poteſt competere, ſed filo, quod duplicatum ſumitur & intorquetur, non tamen nimis, ne evadat durum, & inæquale. Præterea, ſi illa dictio, ex acia, intelligeretur, acu, nihil faceret ad rem; ſicut enim ſutura non fit ex acu, ſed è filo, ita & fibula. Modus etiam loquendi ipſius Celſi, cum dicit eſſe injiciendam fibulam valde reſpondet illi loco, cum dicit, injectum vinculum mordet. Licet autem quædam fibulæ aliàs fierent è ferro, auro, ligno, &c. in vulneribus tamen nihil prohibet, quin è filo fiant; pro diverſo enim uſu, & materia. & figura variari poteſt.

Quartum etiam præſidium à modernis excogitatum eſt, ad labia adducendum in vulneribus, nimirum glutinum. Lintea enim formæ triangularis, quadrangulæ, aut alterius figuræ, prout ſitus vulneris exigit, oblinita glutino applicantur ad labia vulneris, & non conſtringuntur, ſed detinentur, donec reſiccato glutino, lintea cui valde adhæreant: quod contingit ſpatio trium, quatuor horarum, aut ad ſummum diei dimidii, & cum linteum valde adhæret cuti, conſtringimus illud, & cum hoc ſimul labia vulneris. Quidam lintea conſuunt verâ ſuturâ, & ita ſinunt, donec vulnus ſit glutinatum. Quæ ratio mihi non placet; quia ſic non poſſumus vulnus regere, & medicamenta ſic difficulter applicantur, & ſi quæ

ſi quæ ſanies effluit, difficulter detegitur. Placet ergo mihi ut linteis applicentur anſulæ è filo duplicato, ſeu multiplicato, & contorto, & cera oblinito; quæ habeant eam diſtantiam, quam ſuturæ ſolent habere, aut etiam minorem. Quibus anſulis è contrariis partibus alligatis, labia adducuntur, & ſic iiſdem ſolutis; quoties opus eſt, vulnus poſſumus detergere, medicamenta, & linteum vino expreſſum ſuperimponere, & rurſus deligare. Apponenda autem ſunt hæc lintea, non ut contingant labia vulneris, ſed tantum diſtabunt ut medicamenta apponi poſſint.

Glutinum verò conficitur è medicamentis aſtringentibus, & emplaſticis atque viſcoſis, ut ſunt ovi albumen, bolus Arm. ſanguis drac. thus pingue, ſarcocolla, maſtiche, farina volatilis, fuligo fabrorum, gypſum, corallium, tragacantha, ſanguis humanus (unde fit glutinum perfectiſſimum) reſina pinguis. Materia excipiens poteſt eſſe ovi albumen optimè ſubactum: cetera verò in pollinem tenuiſſimum redacta, ovi albumini miſcentur, donec medicamentum adipiſcatur mellis craſſitiem, verbi gratia, R. ſanguin. drac. thuris, ſarcocollæ, maſtiches, ana drach. ſem. ovi albumin. q. ſ. Miſce. Et hoc ego utor frequentiſſimè. Vel: R. boli Arm. ſarcocollæ, maſtiches. ana drach. 1. Miſce. cum ovi albumine. Vel: R. maſtiches, farinæ volatilis ana drach. ſem. boli Arm. coralliorum ana ſcrup. i. ſang. drac. drach. i. Miſce cum ovi albumine. Alii utuntur glutino piſcium; alii glutino taurino. Sed ego experientia comprobavi validiora eſſe ea, quæ propoſui. In abſentia omnium, ovi albumen ſubactum, & linteo madefacto exceptum adhæreſcit, ſed non validè. Gypſum, cum ovi albumine ita adhæreſcit corpori, ut ſecundum Rhaſin, non niſi lima auferri queat. At propoſita, ut dixi ſunt commodiora. Quidam calcem vivam, cum ovi albumine miſcent; at non probo hoc, quia intentio in vulneribus eſt refrigerare.

Porrò contingit interdum ut glutinum fiat impotens, linteumque non ampliùs cuti adhæreſcat; unde nondum facta vulneris glutinatione, labia ſeparantur. Fit autem hoc, ſi linteum, & glutinum humectentur: id quod duobus potiſſimùm modis accidere poteſt. Primùm, ſi linteum vino madidum ſupra apponatur: quod vitabimus, ſi lintea exprimamus, vel aliud linteum priùs ſuperimponamus. Deinde humectatur etiam glutinum, ſi ſanies è vulnere effluat: quamvis enim vulnus, quod curamus, ejus ſit naturæ, ut non debeat ſanies ab ipſo effluere, cùm ſcilicet labia exactiſſimè ſunt adducta, in magnis tamen vulneribus ad amuſſim id fieri nequit. In hoc ergo caſu, excogitavi quædam, quæ reſiſtunt humiditati, & ſaniei; ut ſunt reſina pini, aut picea, gummi elemi, aut Ammoniacum, ex aceto diſſolutum, &c. hæc ſi reliquis pulveribus admiſceantur, reſiſtere ſolent ſaniei, ego quidem plurimùm utor reſina pini; aut ſi hæc non fuerit applicata, ſanieſque effluat, ac timeamus magis adhuc effluxuram, tunc, qua parte madefacit ſanies, ego ſoleo aliud linteum in inferiori magis parte, propè id, quod primò eſt appoſitum, cum ſuis etiam anſulis, apponere; ut ſi forſitan prius linteum decidat, alterum prioris vicem ſubeat.

Uſus glutini communis eſt, conſtringere labia; particularis uſus eſt, primò in vulneribus faciei: quia enim ſuturæ, ac fibulæ cutem abrumpunt, ut non tantùm vulneris, ſed punctorum etiam cicatrices appareant, nos beneficio glutini, deformitatem punctorum vitamus: glutino enim jam adhæreſcente, aut ipſamet prima die, aut ad ſummum altera, ſi vulnus conſutum fuerit, aut fibulæ impoſitæ, nos filum & omnia puncta auferimus, & anſulis lintei conſtringimus labia, uſque ad perfectam glutinationem. Alius eſt glutini uſus, in tranſverſis, & magnis, ſive longis vulneribus, in quibus, etiam ſi plurimæ factæ fuerint ſuturæ, & plurimæ fibulæ impoſitæ, nihilominus ante glutinationem puncta abrumpuntur, id eſt, cutis rumpitur, ut glutinatio fieri nequeat. Antiqui in his caſibus, utentes cùm ſuturis, tum fibulis, nimium ægros cruciabant, toties acu trajecta, quin & ipſo fili morſu: At nos glutino appoſito, ſuturam factam adjuvamus. Faciliùs autem & feliciùs glutino uti poſſumus, quàm ſuturis; hæ enim, & dum fiunt, dolorem faciunt, & dum factæ ſunt, filum ſemper cutim mordet; glutinum nullum facit dolorem. Suturæ faciunt cicatricem turpem; glutinum nullam. Suturæ denique in longius tempus protrahunt glutinationem: quandiu enim filum perſiſtit, tamdiu ſanies generatur inter filum, & carnem, quæ prohibet glutinationem.

Verum non indifferenter his quatuor inſtrumentis propoſitis utendum eſt: deligatura enim eſt imbecillior, quàm ſutura, cap. ult. lib. 3. Meth. & ſutura eſt debilior fibulis, ſecundùm Celſum cap. 3. lib. 5. unde interdum uno, interdum pluribus indigemus, cap. ult. l. 3. Meth. Si enim vulnus ſit minimum, ut quando aliquis gladiolo vulneratur in digito, nullo indigemus inſtrumento; quia natura ipſa per ſe adducit, & ſanat. Si vulnus ſit parvum imponimus aliquod emplaſticum, ut telam aranei, aut raſuram corrigiarum, aut aliud glutinans; cap. 8. lib. 2. ad Glauc. Si vulnus ſit magnum, tunc vel ſola egemus deligatura, ſi vulnus longum ſit per muſculorum longitudinem, non tamen admodum magnum, & longum; vel deligatura, & ſutura, in vulnere tranſverſo, ſed non admodum lato, vel deligatura, & ſutura, in vulnere tranſverſo; cujus labia multum à ſe diſtant, ſub tranſverſo continetur obliquum. Si vulnus maximum, valde longum, tranſverſum, profundius, egemus deligatura, ſutura, & fibulis.

Quod ſi, propter vulneris magnitudinem ſperare non poſſumus totum vulnus in partibus profundioribus, ad exactam unionem duci poſſe, tribus dictis inſtrumentis, unde ſinus remaneret, qui poſtmodum repleretur ſanie, propterea in talium vulnerum parte decliviori foramen relinquimus, & in hoc turundam immittimus; ut ſanies expurgetur. Quod ſi vulnus non ita ſit profundum, totum eſt conſuendum, neque foramen relinquendum, ut malè quidam indifferenter in omnibus vulneribus, faciunt, vel unum, vel duo foramina relinquentes: nec enim tunc carnis generatione opus eſt (ut in maximo vulnere, de quo jam diximus) ſed ſola glutinatione.

Inter dicta quatuor inſtrumenta, glutinum eſt tutiſſimum, & dolore vacat; ideoque hoc in omnibus vulneribus uti poſſumus, auferendo ſuturas jam factas; unde ſic, & citiùs, & majori jucunditate curamus.

Cap. 6. *Ut præcavendum, ne quid labiis vulnerum intercidat.*

SOLET interdum heterogeneum quid labiis intercidere; ut pilus, oleum, filum, &c. quæ glutinationem impediunt; quod ſummo ſtudio præcavendum. De medicamentis verò, & potiſſimum de pulveribus, quidam ſtatuunt, quod nullo modo pulveres intra labia ſint immittendi; unde hi linteum ſupra labia reducta imponunt, & deinde ſupra illud linteum pulveres inſpergunt; At hoc modo medicamentum, cum per contactum agere debeat, non rectè per linteum ſuum effectum poteſt producere. Alii dicunt, pulveres dedita opera inter labia inſpergendos

gendos eſſe; hos enim in carnem quidem verti non poſſe, non tamen glutinationem impedire, quia poſt effectum ſuum editum, extrà vulnus à natura expellantur. Verùm pulveres corpulentia ſua glutinationem ſemper impediunt, licet facultate juvent; ideoque mediam ego teneo ſententiam, ne ſtudio pulveres labiis inſpergantur, ſed tantum in vulneris ſuperficie; quemadmodum etiam monet Averroes 3. Colliget.

Cap. 7. *Ut partis vulneratæ ſubſtantia ſalubris conſervanda.*

SALUTI partis vulneratæ ut conſulamus, multa nos impellunt; unionem enim in vulneribus optamus, cujus effectrix cauſa eſt natura, ſive partis temperies: quæ non poteſt unionem efficere, niſi ſit ſana, deinde quia pars eſt debilis, corporis excrementa abundantiùs ad ipſam confluunt; natura etiam parti dolenti volens occurrere, ſanguinem copioſum mittit in auxilium, unde dyſcraſia vel humida, vel calida contrahi poteſt. præterea, pars debilitata non poteſt alimentum ritè conficere, unde multa excrementa reſultant, quæ cum ob debilitatem non queant extra vulnus propelli, partem ad humidam intemperiem permutant. Tandem quia labia tam exactè adduci nequeunt, quin exiguæ quædam cavernulæ intercedant, has ſanie repleri neceſſe eſt, & dein humidam dyſcraſiam produci.

Quamobrem, ut his occurratur vitiis medicamenta glutinatoria erunt frigida, ut repellant id, quod influit, & ſiccantia in gradu ſecundo, ut humiditates intus contentas abſorbeant, ſive ob debilitatem coctionis reſultent, ſive in ſpatiis vacuis colligantur; ſic enim ſimul etiam ſuppurationem prohibent: denique erunt aſtringentia, ut partem debilitatam corroborent.

Hippocrates igitur in lib. de ulceribus, utitur ſpongia denſa, molli, inciſa, ſicciore, non madida; ſpongia enim abſorbet, & quaſi combibit humorem, hæc autem denſior eſſe debet, nam rarior non contegeret omnes partes circumjacentes, debet etiam eſſe mollior, ne duritie premat, ac dolorem inferat; poſtremò ſicca eſſe debet, maximè ſi intentio eſt ſolùm exſiccandi, at quando unà quoque repellere eſt animus, ſpongiam exprimere poſſumus è poſca, oxycrato, vino nigro auſtero, ſecundùm Celſum cap. 26. lib. 5. & Galenum lib. 11. Simpl. cap. de ſpongia.

Guido, poſt factas ſuturas, ſupra vulnus inſpergit pulverem hunc: R. thuris partes ii. ſang. drac. partem i. boli Arm. part. iii. excipiantur prima vice ovi albo, & cum ſtupa imponantur, ne autem amotione ſtupæ, puncta ſuturarum dilacerentur, ante ſtupæ applicationem ſuperponendum linteum madidum, cum ovi albumine: Et ſic medicamentum ſinit per quatuor dies niſi aliud urgeat accidens; ſecunda autem vice eundem pulverem excipit cum reſina terebinthina, cujus deſcriptio exſtat in Guidonis Antidotario.

Ego verò cum poſterioribus chirurgis, ſic curo. Reductis labiis per ſuturam, &c. primò pulveres adſtringentes ſupra vulnus inſpergo, de quibus mox dicam; deinde appono aliquod ceratum, ut diapalma aut barbarum, idque tum ad pulveres detinendum, tum ad partis ſubſtantiàm ſalubrem conſervandum tertiò impono linteum duplicatum è vino nigro auſtero expreſſum, idque multò latiùs quàm ſit vulnus, ita ut comprehendat hinc inde multas partes circumſtantes. Alii utuntur linteis, in aqua frigidà madefactis; frigida enim repellit, & dum à parte detinentur, etiam digerit, ſecundùm Galenum lib. 1. de Simpl. cui experientia quoque ſuffragatur; nam ſi manus diutius in aqua detineatur, apices digitorum corrugantur, digeſtis ſcilicet, & ſiccatis humoribus. Alii utuntur linteis ſiccis, cum incantationibus; qui curant, non verbis, ſed ſiccitate lintei; hoc medicamentum reſpondet ſpongiæ Hippocratis. Alii utuntur oleis, ut maſtichino, aut roſaceo, aut hypericonis; & certiſſimè hi peſſimè omnium faciunt, nam olea ſemper vulnus diſjungunt, & glutinationem prohibent; ab his ergo prorſus abſtinendum.

Porrò medicamenta glutinatoria, alia ſunt ſimplicia, alia compoſita; & utraque vel in forma tenui, ut pulveres, vel in ſolida, ut cerata, Galen. lib. 5. ſimpl. multa ſimplicia glutinantia enumerat; ut ſunt ebulus, ſambucus, anagallis, pyra ſylveſtria, rubus, cauda equina, ſalicis folia, hederæ folia viridia in vino decocta, corni folia, & germina, vinum nigrum auſterum; item cap. 4. lib. 3. Meth. folia, germina, & pilulæ cupreſſi, ulmus, &c. omnia denique ſicca, & aſtringentia. In forma ſolida ſunt, ceratum barbarum, diapalma, &c. deſcripta à Galeno lib. 1. per. gen.

Quantum autem ſiccandum ſit, cognoſcitur è vulneris magnitudine, natura ægri, tempore anni. Hinc ſi vulnus omnino eſt exiguum, ſimplex glutinatorium ſufficit, c. 8. lib. 2. ad Glauc. Si vulnus ſit profundiſſimum, & maximum, opus eſt turunda, facto foramine in parte decliviori, ut expurgetur ſanies: non enim invenitur medicamentum, quod ſiccando omnem illam humiditatem abſumat. Si medium ſit vulnus, mediocre etiam requiritur medicamentum. Hinc, ſi vulnus eſt parvum, & ægri temperies humida, anni tempus calidum, regio calida; mitius requiritur ſiccans, & aſtringens; ut roſa, plantago, anagallis, ebulus, ſambucus, ulmus. Vel hoc compoſitum, tenuis formæ: R. roſarum, plantag. thuris, ana partes æquales, pulverizata ſubtiliſſimè, miſce. In forma ſolida, caſu propoſito convenient ceratum de Ceruſſa, aut de Minio. Si indicationes ſint contrariæ, ita ut prævaleant ea, quæ aſtringentia poſtulant, valentiſſima ſiccantia, & aſtringentia uſurpabuntur; ut bolus Arm. ſang. drac. folia, germina, & pilulæ cupreſſi, balauſtia, pyra ſylveſtria, myrtilli, gallæ immaturæ. Inter compoſita, proderit hic pulvis: R. boli Arm. ſanguinis draconis, thuris, ana par. æquas. Ceratum etiam barbarum magnum laudatur. Si indicationes refrigerandi: ſiccantia, & aſtringentia medium tenebunt locum inter mitiora, & valentiſſima; ut hederæ folia viridia, è vino decocta, rubus, cauda equina, ſalicis folia, vinum nigrum auſterum. Pulvis hic proderit; R. maſtiches, corallorum, caudæ equinæ ana partes æquas. Commendatur emplaſtrum barbarum minus, ſi hiems fuerit; ſi Ver, aut aër temperatus, diapalma. Notandum autem de vino nigro auſtero, ex hoc ſpongiam, vel lintea expreſſa partibus circumſtantibus apponenda maximè ubi fluxus ad vulnus timetur; ita enim fluxio repellitur, pars verò exſiccatur, & corroboratur. Quod ſi majore egeamus robore, & validiore repellente, vino incoquimus plantaginem, roſas: & chamæmelum, ſi fuerit hiems. Si adhuc majori aſtrictione opus, incoquimus cortices granat. balauſt. myrtill. alumen.

Non poſſum autem ſilentio involvere medicamentum quoddam præſtantiſſimum ad partium nervoſarum vulnera, cujus deſcriptionem ab Hiſpano Sacerdote, fide digniſſimo accepi, qui retulit in Hiſpania non licere hoc medicamentum componere, quod homines medicamenti viribus confiſi, facilè digladientur, inq. arenam deſcendant. Eſt autem

autem hoc, R. olei vetuſtiſſ. unc. iii. terebinthinæ, puræ unc. viii. frumenti integri unc. i. ſem. hyperici unc. ii. rad. cardui benedicti, rad. Valerianæ ana unc. i. thuris pulverizati unc. ii. Radices, & herbæ craſſo modo contunduntur, in olla ponuntur, & tantum vini albi ſuperfunditur, ut omnia in vino mergantur; & per biduum facta infuſione, oleum & frumentum adjiciuntur, & coquuntur omnia ad vini conſumptionem: Mox facta forti expreſſione, additur terebinthina & thus: & iterum parum ſinantur bullire, ſerveaturque in vaſe vitreo. Sanat vulnera, ut ajunt, ſpatio xxiv. horarum. Modus utendi talis eſt: Abluto priùs vulnere vino albo frigido, ſtatim inungitur totum vulnus oleo prædicto calente: quod ſi hoc fieri commodè nequeat, per Siphonem intra vulnus, tamquam per clyſterem immittitur; & confeſtim labia vulneris ad mutuum contactum adducuntur, deligatura aut ſutura, aut glutino; deinde partes circumſtantes prædicto oleo ſimiliter inunguntur. Supra vero vulneris labia jam reducta linteum imponitur, predicto oleo madens: & ſupra hoc aliud, vino nigro expreſſum; mox alia lintea ſicca, deinde faſcia ſuperligatur.

Impoſita medicamenta ſolvere, & vulnus inſpicere ſufficit tertio quoque, aut quarto die ſi vulnus benè aptatum eſt, & niſi ſolvere cogamur ab alio. Si enim Galenus per gen. in ulceribus, in quibus ſanies effluit, tertio quoque die, & hyeme etiam quarto, ulcera curat, ac inſpicit; profectò etiam nobis illud licet in vulnere ſimplici glutinando, in quo ſanies non effluit. Sæpe quidem cogimur ſecundo die reſolvere, ut vel glutinum apponamus, vel amputemus puncta, vel corrigamus, quæ ab aliis perperam ſunt commiſſa, aut pravè coaptata. Cogimur etiam religare vulnus, quoniam ſuturæ ſenſim laxantur, & ita vulneris labia aperiuntur. Denique ægri, & aſtantes ſæpè cogunt, ut religemus vulnus quotidie, cum ipſius tamen potius damno; aliàs enim nos vulnus negligere exiſtimant. Verumtamen tutò tertio quoque die inſpicere. Et hæc de vulneribus è ſimplici inciſione factis.

Cap. 8. *De Vulnere carnis compoſito, ſeu cavo.*

HACTENUS de vulnere ſimplici, in quo tantùm unio requirebatur; ſequitur compoſitum, ſeu cavum, in quo præter unionem; etiam carnis generatio requiritur. Dicitur autem vulnus cavum, non ſolum in quo portio carnis deperdita eſt, ſed etiam quod è ſimplici fit inciſione, ſine carnis amiſſione, cujus tamen vulneris labia, ob magnitudinem, & nimiam diſtantiam non poſſunt in profundo ad mutuum contactum adduci; unde neceſſariò cavitas in profundo manet, quæ carne eſt implenda.

In hujus autem curatione, generalia, & ad totum corpus ſpectantia, de quibus in vulnere ſimplici dixi, præſuppono; protinus enim proſpiciendum, ne ſanguinis fiat profuſio, neve inflammatio ſuperveniat. Horum gratia ſanguinem mittimus, exhibemus ſyrupos refrigerantes, modicè aſtringentes, urinam moventes; damus etiam purgantia; diætam præſcribimus congruam; denique revulſoriis utimur præſidiis, ut frictionibus, balneis, &c. Præterea, in curatione vulneris cavi unio fieri nequit, niſi priùs caro generetur, quæ cavitatem impleat. cap. 5. lib. 3. Meth. Quia verò in hoc vulnere, ſemper materia quædam præter naturam continetur, quam pars expellere nequit; ideo hæc priùs concoquenda, & detergenda. Quatuor ergo ſcopi ſunt in horum vulnerum curatione; primùm enim concoquentibus utendum; ſecundò detergentibus; tertiò ſarcoticis, quartò epuloticis, ſeu cicatricem inducentibus.

Digeſtiva, & detergentia ſimul miſceri poſſunt, ita tamen ut illa in principiò, hæc in fine præpolleant. Digeſtivis autem utendum, donec pus generatum conſpiciatur; quod citiùs fit in vulneribus parvis, æſtate, & in pueris; tardiùs hieme, in vulnere magno, in natura frigida. Et tunc ſi in digeſtivis ampliùs pergeremus, ulcus redderemus ſordidum; ſicut faciunt barbitonſores, qui uſque ad finem concoquentia imponunt. Errant etiam illi, qui dierum numero, tempus, quo medicamenta ſunt mutanda, metiuntur; hi enim uſque ad ſeptimum diem concoquunt, uſque ad undecimum, vel decimum quartum detergunt; magno errore. Utendum igitur concoquentibus, donec pus laudabile appareat, id eſt, album, læve, æquale, non fœtidum. Concoquente ergo tali in principio uti poſſumus. R. vitell. ovorum nu. ii. farinæ tritici, thuris pulverizati, an. q. ſ. ad vitellos inſpiſſandum. Detergens erit tale. R. mellis roſ. col. unc. iii. farinæ hordei unc. i. aquæ betonicæ parum, Miſce. Si placet miſcere concoquentia, & detergentia. R. mellis unc. iii. farinæ tritici unc. ſem. ſucci apii unc. iv. Miſce ad formam pultis, ſi adjiciatur croci ſcrup. i. medicamentum redderetur magis concoctorium. Vel. R. reſinæ terebinthinæ unc. i. thuris pulverizati dragh. i. ovi vitellum i. Miſce. Si ſit æſtas, & in vulnere aliquis ſenſus doloris perſentiatur, ſumo reſinam terebinthinam, aut abietinam, in aqua lotam, ſi ſit hiems, aliquid croci addo.

Si in fine animus ſit tantùm mundificare, ac detergere, linamenta in melle tincta id præſtabunt, ſecundum Celſi ſententiam, item farina hordeacea, fabarum, cum melle. Melicratum quoque deterget c. 8. lib. 2. ad Glaucon. Solent etiam hoc componere, quod ad conquendum, & detergendum maximè valet. R. ſucci apii, ebuli, vini, mellis, axungiæ porcinæ, butyri recentis, ana partes æquas. Miſce, & ad ſpiſſitudinem coque.

Poſtquam vulnus per concoquentia, & detergentia, redditum eſt idoneum, ut carne impleri queat: carnis generationi protinus incumbendum. Sunt autem ſarcotica exſiccantia; quin & detergentia, ob excrementa, quæ continuò in carnis generatione ſegregantur. Dicetur autem copioſe de Sarcoticis in doctrina ulcerum. Si vulnus magnum, corpus ſiccum, & durum, tempore hiemali, conveniunt ſarcotica valentiſſima, unguentum Iſidis & Apoſtolorum. Si verò æſtas ſit, aerve calidus & ſiccus, unguentum de tuthia. Mediis temporibus, & minori vulnere, naturiſq. temperatis, convenit unguentum de Betonica. Hieme unguentum Baſilicum; æſtate unguentum de Ceruſſa. Si natura temperata, vulnus mediocre, tempus medium; id eſt, ver & autumnus, R. reſinæ terebinth. unc. iii. ceræ unc. i. thuris, maſtich. fœnigræci ana unc. ſem. olei communis drag. x. Diſſolvuntur reſina, & cera ad ignem, item oleum; Colantur; deinde pulveres adjiciuntur, & fit unguentum. Magis autem conveniunt ſarcotica, actu, & poteſtate ſicca, ut pulveres, qui vulneribus inſperguntur. In parvis ergo vulneribus, & naturis temperatis & tempore hiemali; R. thuris, reſinæ colophoniæ, farinæ fœnigræci, ana unc. ſem. fiat pulvis. Si majus eſt vulnus, æſtas, corpus magis ſiccum; R. aloës, ſarcocollæ, ſanguinis dracon. tuthiæ præparat. ana part. æq. In duris corporibus, & magnis vulneribus, R. rad. iridis, mannæ thuris, myrrhę, aloës, radicis panacis, reſinæ laricis, ana part. æq. Miſce, &c.

Si in vulnere cavo deperdita ſit ſubſtantia, ut cavitas in propatulo ſit, facilè medicamenta imponuntur, ſi ſcilicet linamenta inficiantur unguentis propoſitis, aut ſi pulveres inſpergantur. At ſi vulnus cavum

cavum ſit, ſine amiſſione ſubſtantiæ, id eſt, ſi è ſimplici inciſione, & ita magnum ſit, ut cavitas in profundo remaneat, hęc quia in propatulo non eſt, inſtrumento eget, quo medicamenta immittantur. Primùm ergo, ſi tale occurret vulnus, id conſuere oportet altis ſuturis & in parte declivi relinquendum foramen; aut ſi cavitas vicina ſit parti oppoſitæ, & pars oppoſita ſitum habeat magis declivem quàm totum vulnus, tunc in parte averſa, vulnus incidendum, & perforandum, cap. 8. lib. 2. ad Glauc. cap. 90. art. med. In ſumma, foramen in tali vulnere relinquendum, per quod ſanies effluat; ne intempeſtive conſutum, poſt cum dedecore denuo ſit incidendum. Per hoc ergo foramen etiam medicamenta ſunt immittenda inſtrumento tereti oblongo, altero extremo faſtigiato, altero craſſiore, ſeu lato, quod vocatur turunda, penicillum, à Celſo linamentum obvolutum, & oblongum, item implicitum, & involutum, vulgo tenta. Hujus turundæ primus eſt uſus, ut foramen ſervet apertum: ſecundus, ut medicamenta in profundam cavitatem uſque ducat: tertius ut combibat excrementa quæ generantur in cavitate. Sed aliæ turundæ ad alium uſum ſunt commodiores. Quæ enim fiunt in modum cannulæ, aut è linteo, cerâ oblito, aut è plumbo, argento & conſimilibus conferunt potiſſimum ad colluviem è cavitatibus expurgandam; & his raro in vulneribus utimur. Quæ verò fiunt è linteis implicitis, & involutis, item è ſtupa, è linamentis carptis à linteo: hæ medicamenta ad fundum ducunt, ſimul etiam materiam exſiccant, & combibunt, quia materia, è qua fiunt, ad hęc prœſtandum eſt idonea. Quæ fiunt è ſpongia contorta, è medulla ſambuci, è radice gentianæ, potiſſimùm verò è medulla ſorgi; faciunt ad ampliandum foramen.

Porrò impoſitis Sarcoticis, ſuperponendum eſt aliquod medicamentum, potiſſimum ad formam cerati, ut eſt diapalma, ceratum barbarum; & hoc fit tum ad detinendum ſarcotica, tum ad vulnus à frigore defendendum. Utimur etiam linteis & ſpongiis expreſſis ex vino nigro auſtero; eoque vel puro; vel ſi majori opus eſt robore, in quo decocta ſint balauſtium, malicorium, rubus, myrtilli, ſcabioſa, folia olivæ, & ſimilia aſtringentia medicamenta.

De exedentibus carnem luxuriantem, vide in doctrina ulcerum: ut etiam epuloticis, ſive cicatricem inducentibus.

Cap. 9. *De Cicatricum tollenda deformitate.*

IAM docendum reſtat, quomodo vitia, quæ poſt vulnerum curationem remanere ſolent, curari debeant; ut ſunt cicatrices concavæ, eminentes, malè coloratæ, rugoſæ, variam habentes figuram, aut magnæ cicatrices remanentes.

Concava igitur fit cicatrix, vel vulneris culpa, vel medici incuria. Culpa vulneris, ſi vel amiſſa ſit, & exciſa portio ſeminalis; vel in vulnere inveterato per putredinem ſimiliter ſit abſumpta ſubſtantia; tunc enim conſolidatio tantùm fit ſecundùm partes profundas, ut cava maneat cicatrix. Cavitas hæc in ætate adulta, aut inclinante, inſtaurari nequit; in creſcente verò, & robuſta ætate, poteſt aliqua ſubſtantiæ portio regenerari. Primùm ergo ſcarificanda eſt cicatrix, ſectionibus frequentiſſimis non tamen profundis; deinde imponenda ſunt ſarcotica, forma unguentorum, quæ remolliant potiùs ipſam partem, & potiùs minus ſiccent, ac detergant, quàm ſit ex uſu. Proinde ego utor unguento de Betonica, quod fit ſine pulveribus, è ſolo betonicæ ſucco, oleo, & pauca cera. Incuria medici nonnumquam cava fit cicatrix; vel quia præproperè vulnus ad cicatricem ducitur, evidenti ſatis cavitate adhuc exiſtente; vel quia labia non tenentur ſublevata, ſed interiùs inclinata ſinuntur conſolidari. Et hæ cicatrices cavæ ſimiliter curantur, ut priores; primùm ſcarificando partem, deinde regenerando carnem. Prohibebimus autem, ne fiat cava cicatrix; ſi vulnus ad cicatricem ducatur, quando exigua ſupereſt cavitas, item ſi labia ſuſpenſa teneantur, impoſitis linamentis ſiccis, aut admoto glutino aliquo, cum anſulis, quibus labia, quæ interiùs volunt conſolidari, attollere queamus.

Cicatrix eminens fit culpa medici, ſi vel carnem ſinat excreſcere, hanc per exedentia abſumat: vel unum labium ſuper alterum glutinet. Corrigitur, in primo caſu, ſcarificata parte, & appoſito dein cathæretico; in ſecundo caſu. ſcarificata ſimiliter parte, & poſt appoſito medicamento epoulotico. Fiunt etiam interdum cicatrices malè coloratæ, ut ſubnigræ, citrinæ, virides, lividæ, nigræ, albæ; idque propter pravos humores, qui hoſce colores habent; qui humores oriuntur, aut è prava victus ratione, aut è viſceris alicujus intemperie. Corriguntur, ſi auferantur cauſæ efficientes; nimirum pravus victus, & dyſcraſia viſceris; ſi denique in parte affecta utamur detergentibus, reſolventibus, & ſiccantibus, Celſus cap. 26. lib. 5. proponit modum corrigendi cicatrices albas, & nigras. Ad albas (ſub quibus etiam alii colores albo vicini comprehenduntur) ſuperponit plumbum album, vel deraſum, vel contritum, vel ad modum laminæ tenuioris, laudat etiam radicem cucumeris ſylveſtris, quæ cauſam albi coloris, nimirum humorem album, ſeu pituitoſum, à proprietate ad ſe foras trahit; manifeſtis etiam qualitatibus eundem diſſipat, & digerit. Eadem ratione uſurpari poteſt colocynthis, & alia, quæ pituitam evocant. Laudat etiam Celſus hoc compoſitum R. elaterii part. i. ſpumæ argenti part. ii. unguenti pondo iv. quæ excipiuntur reſina terebinthina, donec fiat emplaſtri forma. Ad nigras cicatrices, nigriſve vicinas ait conferre æruginem, plumbum elotum, paribus portionibus. Præterea calamenthum in vino decoctum, & emplaſtri modo impoſitum. Nec omittenda ea, quæ tollunt humorem nigrum, cauſam hujus coloris, ut helleborus niger pulverizatus, aut etiam unguento aliquo admiſtus.

Rugoſa fit cicatrix, ſi medicus non bene coaptet vulneris partes, quæ cicatrice obducendæ ſunt: aut, ſi non apponit expouloticum debito tempore; vel non apponit ſecundum omnes vulneris partes, ut opus eſt, ſed in quibuſdam partibus debilius, in quibuſdam fortius. Corrigitur, primùm ſcarificatione: deinde medicamentis erodentibus, quibus vulneris partes æquantur, ac planæ redduntur: poſtmodum epouloticis impoſitis.

Cicatrices multiformes, & magnæ, factæ culpâ, vel medici, vel vulneris, vix poſſunt aliter curari. Faciliùs autem corriguntur recentes, quàm inveteratæ.

Quod ſi cicatrices cute ſint duriores, & proinde valde rubræ appareant, cutem emollimus oleo de Ben, oleo de vitellis ovorum; ſed præ cæteris ego uſurpare ſoleo pinguedinem humanam; quæ familiaritate quadam temperamenti, ut arbitror, efficaciùs agit, quàm reliqua modo propoſita.

Cap. 10. *De Vulneribus Vaſorum, id eſt, Venarum, & Arteriarum.*

VUlnera venarum, & arteriarum ad ſe trahunt curationem,

tionem, ſi fiant in vaſis majoribus; idque faciunt non ratione vulneris, quod facilè uniri poteſt, ſed ratione ſymptomatis ſupervenientis, nimirū profuſionis ſanguinis.

Cognoſcitur autem ſanguinis profuſio, facilè è vulneris magnitudine, & ex impetu ruentis ſanguinis. Præterea ab Anatomico etiam cognoſcitur è ſede, locoque vulneris, num ſit in parte, per quam venæ, & arteriæ, vel majores, vel etiam plures progrediuntur. Num autem ſanguis fluat è vena, vel arteria, docet Avicenna Quarta Quarti tract. 2. cap. 16. Primùm enim ſanguis arterialis egreditur cum ſaltu, & impetu, in arteriæ dilatatione, in conſtrictione contra, ſanguis retrahitur; ſanguis autem venarum, uniformiter exit. Secundò, ſanguis arteriarum eſt ſubtilior, venarum craſſior. Tertiò, ſanguis arterioſus eſt rubeus, clarus; venarum ſanguis, ad nigredinem vergit, nec ita eſt floridus. Quartò, ſanguis arterialis multò eſt calidior ſanguine venæ. Quintò, ſanguis arterialis, dum emittitur, plurimo ſpiritu permiſtus eſſe videtur; ſanguis venarum non eſt ſpirituoſus.

Cauſæ porrò vulnerum vaſorum ſunt inſtrumenta externa, quæ vaſorum tunicas dividere poſſunt, pungendo, ſecando, rumpendo, contundendo.

Quoniam autem ſanguis vitæ eſt theſaurus, ſanè ex ipſius largiore profuſione mors imminet; hinc fit ut immodicam effuſionem ſanguinis ſequantur deſipientia, convulſio, ſingultus, ſyncope, ob multam ſpirituum vitalium, & naturalium inanitionem. Aphor. 9. ſect. 7. Difficiliùs autem curatur vulnus arteriæ, quàm venæ, quia ſanguis arterioſus magis eſt fluxilis, ac difficiliùs compeſcitur; deinde quia arteriæ corpus durum eſt, & perpetuò movetur.

Quantum ad curandi indicationes, ſanguis ſiſtitur, aut clauſo, quod perruptum eſt, vaſe; aut non amplius fluente ſanguine, cap. 3. & 5. lib. 5. Meth. Reſpicere ergo nos oportet, & ad vaſis apertionem, & ad ſanguinem fluentem. Vaſis apertio claudenda eſt; clauditur, vel labiis diſſidentibus in unum adductis; vel oſculo vaſis obſtructo, ſeu obturato.

Adducuntur labia, tum opera manuum, tum per deligaturam, tum vinculo, tum refrigerantibus, & adſtringentibus. Obſtruitur oſculum, vel intrinſecùs, vel extrinſecus. Intrinſecùs à ſanguine, qui intrinſecè concreſcit, ac θρόμβος dicitur. Extrinſecùs iis, quæ foris imponuntur; ut ſunt ſanguis extrinſecus concretus, digiti, carnoſæ partes circa vulnus, item ſpongia, linamenta, medicamenta emplaſtica, quæ lentore, & craſſitie apertionem obturant; item quæ cruſtam efficiunt, ut ſunt ignis, & medicamenta vim igneam habentia. Ne autem cluſum vas à ſanguine impetuosè affluente recludatur, oportet nos etiam ſanguini proſpicere; fluxum avertendo, derivando, revellendo ad partes alias, & ſanguinem ipſum refrigerando, ac incraſſando, ne tam promptè fluat.

Materiæ ergo præſidiorum diriguntur ad duo; primùm, ut ſanguis confluere prohibeatur; ſecundò, ut apertio claudatur. Confluere prohibetur ſanguis, cum totius corporis refrigeratione, tum maximè partis affectæ. Totum corpus refrigeramus. Diæta, Chirurgia, Pharmacia.

Diæta debet eſſe tenuis, frigida craſſioris ſubſtantiæ, & modicè aſtringens; ut ſcilicet ſanguis minuatur, refrigeretur, incraſſetur, & in venis reſtringatur. Non ergo proſunt cibi qui multi ſunt nutrimenti, ut ova, carnes, vinum, ſed lactuca, endivia, amylum, oryza, ptiſana hordeacea, cucurbita, anguria. Conveniunt è carnibus, pedes vitulorum, & caſtratorum; item capita, & cerebra, quæ lentam habent, frigidamque ſubſtantiam. E fructibus conceduntur pyra, cydonia, ſorba, meſpila, corna, malum granatum, pruna, & alia aſtringentia.

Potus ſit aqua frigida, vel chalybeata, poſca, vinum granatorum, aqua hordei, julepus roſatus, violatus aut ribes. Placent aquæ ſtillatitiæ, plantaginis, endiviæ. Exhibeantur actu frigida, in ea quantitate, ut corporis tantum vires ſuſtineant. In virium proſtratione, conveniunt carnes, potius ſiccæ, quàm humidæ, & ſylveſtres, quàm domeſticæ, ut ſunt perdices, phaſiani, turtures, aviculæ montanæ aliæ, ova integra; quæ cibaria condienda ſunt omphacio, ſumach, ſucco granatorum, &c. aut ſimili adſtringente. Si vinum dari oporteat, illud non ſit odoratum, ſed nigrum, & auſterum. Aër erit frigidus. Vitabitur ira, furor, motus, vigiliæ. Alvus erit libera.

Medicamentis etiam totum corpus refrigeratur; nimirum ſyrupis, decoctis, potionibus; in primis laudatur potus aquæ frigidę, ut ęger una vice tantum bibat aquæ, quantum poteſt. Secundum locum obtinent ſyrupi, vel ſimpliciter refrigerantes; vel modicè adſtringentes; ut ſyr. de cichor. de portulaca, roſaceus recens, myrtinus, &c. cum aquis convenientibus.

Oportet verò & partem affectam refrigerare; unde repellentibus ea debet madefieri, quò procul ab affecta parte ſanguis repellatur. Affundetur ergo poſca, vinum nigrum auſterum, ſuccus ſolatri, ſempervivi, lactucæ, plantaginis. Hæc medicamenta, & ſimilia, non ſolùm parti affectæ imponuntur; ſed etiam aliquando longiùs à parte affecta, ut officio defenſivorum fungantur, & prohibeant, ne ulteriùs ſanguis ad partem vulneratam perveniat. In pertinaciſſimis profuſionibus, ſoleo aquam frigidam ſubinde perfundere, non ſolùm ſupra partem affectam, ſed etiam ſupra omnes partes circumjacentes: cui aquæ interdum acetum miſceo, & ſubinde perfundo; aut lintea in ea madefacta impono, ſemper mutando, ne incaleſcant in parte. Rhazis monet, ſubinde nivem apponendam eſſe ſupra partem læſam, quę refrigerat, & propter terrenam ſubſtantiam, aſtringit.

Avertendus etiam eſt fluxus ſanguinis, tum revulſione, tum derivatione. Revulſoria præſidia ſunt, primùm venę ſectio; quę ſemper inſtituenda eſt, ſi profuſio magna ſit, & vires robuſtę, ſi vires minus firmę, partiemur venę ſectionem in duas partes. Si vires phlebotomiam tolerare nequeant, affigendę ſunt cucurbitulę, primùm quidē ſcarificatę, deinde ſiccę. In defectu horum omnium, alia revulſoria ſunt adminiſtranda, ut vincula, inunctiones, frictiones, balnea, & hæc omnia in partibus contrariis parti vulneratæ.

Hactenus de curatione hęmorrhagiæ, quatenus reſpicit ſanguinem. Perſequemur jam indicationes, quæ à vaſis ſumuntur. Clauditur ergo vaſis apertio, vel labiis adductis, vel orificio obſtructo; quorum prius poſteriore melius eſt, quoniam, & profuſionem ſedat, & ſimul vulnus ſanat. Adducuntur labia, interdum à ſeipſis, interdum opera medici; à ſe ipſis, quando ob nimiam ſanguinis profuſionem, tunicę vaſorum concidunt, & ſic labium ſuper labium cadit: qui modus nunquam optandus eſt. Medicus autem labia adducit, opera manuum, ſutura, deligatura, vinculo vaſe excepto; refrigerantibus, & adſtringentibus medicamentis. Per ſuturam, non intelligimus ſuturam ipſius vaſis; nam tunicæ conſutę dilacerarentur, ſed ſuturam totius vulneris, quę fieri debet, ut Guido docuit, in ſutura, quam vocat ſanguinis ſuppreſſoriam; fit hęc acu trajecta, & revoluta ſupra vulnus, & iterum trajecta, atque iterum, ſemper ex eodem latere, quemadmodum ſuuntur pelles. Quia autem nos hanc veram eſſe antiquorum ſuturam docuimus, non eſt, cur eam ſanguinis ſuppreſſoriam, cum Guidone appellemus. Deligatura fieri debet è duplici initio, è faſcia lata, ut ſupra in vulnere ſimplici docuimus: id ſaltem notetur magis expedire, ut faſcia ovi albumine madida

madida ſit, quam ſicca. Porrò ſi non ſperamus hęmorrhagiam ſedari poſſe, adducendo labia ad mutuum contactum, aut ſutura, aut deligatura, recurrimus ad tertium præſidium, quod eſt, vas ipſum vincire filo: volſella enim, ſeu alio inſtrumento adunco vas apprehenditur, paullulum tunica elevatur, deinde aliquantulum intorta, filum undique obvolvitur, & ſtringitur. Ligatura una interdum ſufficit, cum vas, è quo ſanguis profluit, propinquum eſt ſuo principio, nimirum cordi, aut hepati; duplex autem ligatura eſt neceſſaria, cum ſanguis profluit ex utraque vaſis parte. Verum, ut ego ſentio, tutius eſt, ſemper binas efficere deligaturas; quia in corpore noſtro prope infinitæ ſunt venarum anaſtomoſes. Factis igitur duplicibus vinculis, totum vas tranſverſum eſt incidendum; ſic enim pars utraque retrahitur, & vinculum diutiùs conſervatur. Poſtremò medicamenta refrigerantia, & adſtringentia proſunt, quę non ſaltem vaſis tunicam contrahunt, ſed ſanguinem etiam denſant, de his paulò antè dictum eſt. Sunt autem perfuſio aquæ frigidæ chalybeatæ, lintea madefacta in aqua cum aceto modico in vino granatorum, nix, omphacium, decoctum balauſtii, myrtillorum, gallæ immaturæ, ſucci hypociſtidis. &c. Compoſitum tale eſſe poteſt, R. fol. ſolatri, hyoſcyami ana Man. I. terantur, & cum hordei farina, ac pulvere malicorii, paribus portionibus, & aceto q. ſ. miſceantur, ac ponantur ſupra vaſis aperturam: & hic modus hæmorrhagiæ ſedandæ, per adductionem labiorum, in ſimplici vulnere, quod ex inciſione oritur, ſemper uſurpandus eſt.

Si portio quædam ſubſtantiæ ipſius vaſis ſit deperdita, tunc labia vulneris non ſunt ad invicem adducenda; ſed obſtruendo vaſis aperturam, ſiſtenda profuſio. Obſtructio autem fit intrinſecè, per ſanguinem intus concretum: digitus enim primùm fiſſuræ imponitur, ac tandiu detinetur, donec ſanguis extrinſecùs circa digitum concreſcat; dum enim concreſcit, ſolet etiam aliqua gutta è parte exteriori in orificium delabi, quæ concreſcens ſanguinem ſupprimit.

Quo facto, blandè digitus auferendus, &, ſi opus, alia medicamenta imponenda; ſin minus opus videatur, relinquendus eſt grumus, donec è ſeipſo decidat: hic modus non poteſt adminiſtrari in arteria, cujus ſanguis calidiſſimus difficulter concreſcit, idque maximè etiam ob perpetuum arteriæ motum: locum ergo tantùm habet in vena, quæ non admodum magna ſit, nec in profundo ſita. Extrinſecùs oſculum vaſis obſtruunt, cutis, & carnoſæ partes circa vulnus exiſtentes, quæ ſi ab aliis decedant, reduci debent ſupra oſculum; hæc enim à natura facilè glutinantur. Quoniam verò ut plurimum natura, ſeu figura vulneris hoc non patitur, aliis utimur præſidiis; ſiccis enim linamentis vulnus implemus, ſupraque imponimus ſpongiam ex aqua frigida expreſſam, ſi linamenta ſicca parum valent, poſſunt aceto madefieri. Interdum hæc non ſufficiunt, unde ad emplaſtica medicamenta recurrendum, qualia ſunt, ovi albumen, gypſum ablutum, viſcus, glutinum decoctum, gluten de coriis decoctum in aqua amylum, farina volatilis, thus pingue, tragacantha, maſtiche, terra ſigillata, bolus Arm. ſarcocolla. Pulveribus non utimur ſolis, ſed ovi albo miſtis, cap. 4. lib. 5. Meth. ut fiat maſſa, ad mellis conſiſtentiam. Excepta hæc medicamenta molliſſimis pilis leporinis, tum imponenda ſunt orificio vaſis, tum totum vulnus iis liberaliter implendum. Poſſunt etiam excipi tela aranei, quæ eſt in molendinis plena farina volatili, linamentis minutim inciſis, raſura lintei vetuſtiſſimi, cotone, vel lanugine adhærente cortici caſtanearum in parte interiori; vel lanugine deraſa ex intima parte corrigiarum. Ego frequenter utor pilis leporinis, & frequentiùs xylo, ſeu bombace, quia magis eſt ad manum, utor autem xylo uſto, & ex eo mihi flocculos paro, hiſque medicamentum excipio, & ſubinde impono, primùm quidem, ſupra foramen ipſum digitis premendo aliquandiu, donec totum vulnus ſit repletum prædicto medicamento. Quoniam autem humiditas, quæ è vulnere continuò effluit, emplaſtica medicamenta laxat, & ſeparat ab oſculo vaſis, ſemper eſſet renovanda obſtructio, & ſemper immineret periculum hæmorrhagiæ, propterea carnis generationi intenti eſſe debemus, quæ citò ſanguinem ſiſtat, inſtar operculi; quod Galenus facit hoc medicamento; R. thuris par. i. aloës partem dimidiam; redige in pollinem, & ovi candido miſce ac ſubige, ad mellis craſſitiem, deinde molliſſimis pilis leporinis excipe, & oſculo vaſis totique vulneri liberaliter impone. Thus vi emplaſtica obſtruit foramen, ſiccitate carnem generat, unde in duplici pondere ſumitur, aloë carnem generat & vaſa adſtringit. Si intentio eſt magis generare carnem, quàm ſanguinem ſiſtere, poſſumus plus de aloë ſumere, quàm de thure; ſi ad utrumque æque tendamus, pares utriuſque portiones eſſe poſſunt: in corporibus item duris, plus aloes ſumendum, in mollibus, plus thuris, intemperatis, æquæ portiones. Huic Galeni medicamento Almanſor addit ſanguinem dracon. potiſſimum cum magis carnem generare volumus; Rhaſes addit præter ſang. drac. etiam ſarcocollam, quæ & emplaſtica eſt, & carnem generat. Alii ſic componunt; R. gummi Arabici, aloës ana part. i. thuris reſinoſi part. ii. miſce cum ovi albumine, ad mellis conſiſtentiam. Poſſumus etiam his medicamentis addere ſanguinem humanum, aut alterius animalis, pulverizatum. Rhaſes etiam commendat gypſum ablutum, cum ovi albo. Quod ſi hæc medicamenta impoſita laxentur, humectentur, & remolliantur, abjicienda ſunt, & paranda nova, majori diligentia; indicandum etiam adſtantibus, ut ſi forſan per medici abſentiam ſuperveniat ſanguinis profuſio, omnia medicamenta auferant, & manum intra vulnus imponant, poſtea aquam frigidiſſimam continuò in vulnus infundant, cui aceti quippiam miſceri poteſt, donec profuſio ſiſtatur; id quod etiam à medico interdum fieri poteſt, ſi nondum medicamenta habent parata.

Obſtructo vaſe, vulnere impleto medicamento emplaſtico; forinſecùs faſcia eſt alliganda, è tenui, & veteri linteo confecta; cujus tres, aut quatuor primæ circumvolutiones fiant ſupra vulnus, reliquæ circumducantur verſus venæ radicem, nimirum versùs hepar, aut cor, cap. 4. lib. 5. Meth. Strictura faſciæ fiat ad bonam laborantis tolerantiam.

Situs partis vulneratæ talis erit, qui dolore vacet, & ſurſum ſpectet: dolore vacabit pars, ſi in media figura, id eſt, quæ æqualiter diſtat ab extremis motibus nimirum, extrema flexione, & extrema extenſione, membrum ponatur. Media autem figura non eſt eadem in omnibus articulis; nam in digitis manus, eſt angulus obtuſus; in carpo, recta linea; in cubito, angulus acutus. Si membrum non collocetur in hac media figura, brevi temporis ſpatio dolet, unde inſignis proritatur profuſio; ſimiliter eveniet, ſi membrum inclinatum deorſum ponamus.

Aptè membro collocato, permittemus ſic ligatum, & collocatum per triduum. Tertio autem die ſoluta faſcia, ſi medicamentum firmiter adhæreſcat, oportet ſinere, & ſupra ipſum ſimile medicamentum ſuperponere, & rurſus faſciam circunducere. Sin verò medicamentum parum adhæreſcat, ipſum auferemus, & ſiniſtra manu, ſive digitis, comprehenſo vaſe, dextra rurſus replebitur vulnus, & obſtruetur vaſis oſculum. Sic ergo ſit obſtructio medicamentis emplaſticis.

Quod ſi vaſis portio ſatis magna eſt ablata, dictis præſidiis

ſidiis nihil efficere poſſumus; ideoque ad ea præſidia, quę cruſtam efficiunt, devenire cogimur. Hęc curatio tamen non eſt tuta: nam ſi forſan accidat, ut priùs, quàm ſanguinis profuſio ſiſtatur, cruſta cadat, vehementior fit hæmorrhagia, quoniam ex uſtione orificium vaſis multò amplius eſt redditum, deinde uſtio facit dolorem, & calorem inſignem, quæ duæ ſunt fluxionis cauſæ; non ergo ad hæc medicamenta eſt deveniendum, niſi reliqua fruſtra fuerint experta. Cruſtam autem efficiunt, vel ipſe ignis, ut ferrum ignitum, &c. vel cauſtica. Chirurgi primùm uti ſolent cauſticis; ego autem contrà ſemper ferro ignito priùs ſum uſus; huic enim legem, modumque imponere poſſum; cauſtico nequaquam, præterea ferrum roborat partem, cauſticum ſæpe corrumpit putrefaciendo: Item ferrum candens non ſpargitur; at cauſticum valde dilatatur, quia autem multi patientes ferrum non admittunt, his cauſtica adhibenda. Debent autem hæc cauſtica non tantùm habere vim adurendi, ſed oportet, ut cruſtam efficiant altam, & duram, utque pertinaciter inhęreant, in caſu enim cruſtæ periculum eſt. Hinc Gal. c. 4. lib. 5. Meth. ſumit cauſtica adſtringentia, ut ſunt chalcitis, miſy, atramentum ſutorium: calx à Galen. rejicitur, quia licet cauſtica ſit, non tamen adſtringit. Avicenna his cauſticis tum emplaſtica miſcet, tum alia aſtringentia, & hoc componit; R. vitrioli citrini drag. xx. thuris minuti drag. xvi. aloës, glutini ſicci, ana drag. viii. arſenici drag. iv. gypſi ſubtiliſſimè contriti drag. xx. Miſcentur, & in liciniis inſperſa imponuntur vaſis orificio, vitriolum, & arſenicum ſunt cauſtica adſtrigentia; thus, glutinum, aloë ſunt emplaſtica: aloë, & gypſum ſunt adſtringentia. Quidam huic medicamento addunt ſanguinem draconis, & hypociſtidem, ut magis reddatur aſtringens.

Si ad ferrum candens eſt deveniendum, quod multò eſt tutius: notandum, ut valde ſit candens, & omnino rubrum; ſic enim citiſſimè cruſtam facit, eamque craſſiorem. Facta cruſta, ſine omni mora citiſſimè ſtudendum carnis generationi, ne forte cadat cruſta, antequam caro ſit generata.

Hactenus de medicamentis, quæ methodo inventa fuere ad ſiſtendum ſanguinem. Nunc proponenda ea, quæ ſub methodum non cadunt, & à proprietate hęmorrhagiam ſedant: ut apis viva, linteo involuta, & ligata ſupra membrum, à quo fluit ſanguis: lapis Jaſpis detentus in manu ejuſdem lateris, à quo fluit ſanguis, aut membris appenſus: aqua, ſive ſuccus ocymi, majoris menthæ, ſuccus ſtercoris aſini, aut porci, aut equi, ſi membrum his infundatur. Quidam utuntur incantationibus, & characteribus ſcriptis cum proprio ſanguine, quibus nihil fido.

De arteriarum vulneribus quædam peculiariter addenda ſunt; quod ſcilicet requirant ſummam diligentiam in carne gignenda, quæ non erit mollis, ſed denſior, ac durior, ne ſubtus nutriamus aneuriſma, id eſt, tumorem pernicioſiſſimum à ſanguine arterioſo, ob arteriam apertam genitum, qui plures interimit. In gignenda ergo carne ſupra arteriam, frequenter digito tentandum, num inſignis quidem pulſus ſentiatur; hic enim aneuriſmatis eſt ſignum. Efficitur autem caro durior, ſi magis aliquantò exſiccantia imponantur, ſi unguentorum ſarcoticorum vice pulveres ſarcotici inſperguntur.

Quantum ad vulnera vaſorum internorum, quoniam in propatulo non ſunt, tantum uſurpamus revulſionem, derivationem, cibum & potum, medicamenta emplaſtica, refrigerantia, & adſtringentia. Revulſio ergo fit ex oppoſito, per venæ ſectionem, frictionem, vincula, &c. Cibi habebunt vim emplaſticam, & refrigerantem, ut eſt ovi albumen, caro vervecis, pedes, & capita caſtratorum, vinum granatorum. Cibi condiantur omphacio, vino granatorum, ſumach. Syrupi etiam dabuntur, & decocta, è refrigerantibus, & adſtringentibus, in magnis venis, è balauſt. hypociſtide, rhoë, omphacio, acacia, gallis immaturis, malicorio; in parvis, ſufficiunt aloë, manna thuris, pini cortex, ſigillum lemnium, fructus ſpinæ Aegyptiæ, crocus, hæmatites lapis, & ſimilia, è vino nigro auſtero exhibita; ſi tale vinum non adſit, ex aqua, aut decocto plantaginis, ſolani, rubi, myrtillorum; coquantur etiam ex aqua, folia rubi, myrti, hederæ, ſalicis; itē hypociſtis, orobanche, corna, meſpila, pyraſtra, mala cotonea, myrti baccæ, &c.

Quæritur autem num in vulneribus vaſorum internorum, liceat externa medicamenta apponere? Reſpondet Galenus cap. 6. lib. 5. Meth. id non licere, niſi cautionibus multis præmiſſis. Si enim refrigerantia partibus extra applicentur, hæc ſanguinem intrò compellunt, & venas in alto exſiſtentes implent, & potius profuſionem proritant. Præterea hæc aguntur contra methodum, quæ jubet fluxionem ad oppoſita revellere. Quamobrem præmittenda eſt revulſio, per venæ ſectionem, cucurbitulas, frictiones, balnea, inunctiones calidas, ac digerentes, veſicatoria; purgantia etiam prius exhibenda, tum demum adſtringentia & refrigerantia foris imponenda.

Si in his vulneribus ſanguinem intus manere contingat, convenit ſucci nepetæ, unc. i. cum ſucci plantaginis unc. iij. Si autem ſanguis non tantùm extra non fluat, ſed etiam intus coaguletur, & concreſcat; exhibenda ſunt ea medicamenta, quæ concretum ſanguinem diſſolvunt, ut eſt bdellium cum acoro ſumtum, cyminum pulverizatum, decoctum ſeminis apii, quod ſanguinem concretum diſſolvit, & per urinas educit.

Cap. 11. *De Nervorum Vulneribus.*

SUB nervis hic etiam tendines comprehendimus, & de utrorumque agemus vulneribus. In quovis vulnere quidem, etiam ſimplici, nervorum fibræ minimę læduntur, unde dolor oritur: at de his hic non loquimur, quoniam curationem ad ſe non trahunt; ſed ſermonem habemus de nervis majoribus.

Signum nervi vulnerati ſumitur è loco vulneris, ſi ſcil. vulnus in eo ſit loco, per quem multi, magnique nervi tranſeunt. Requiritur ergo hic anatomes cognitio. Attamen etiam conjectura quadā vulnus tendinis deprehendere poſſumus, ſi inflictum ſit ad articulos; tendines enim ſunt fines muſculorum, & fines muſculorum ſemper deſinunt ad articulos, vel prope articulos: item ſi vulnus ſit in partibus excarnibus, ut in pede, in ſumma manu, quæ admodum ſunt tendinibus referta. Alterum ſignum nervi vulnerati, non autem è toto præciſi, eſt dolor inſignis, quem ſequitur pulſatio, inflammatio, convulſio, delirium. Quod ſi nervus per tranſverſum è toto ſit pręciſus, horum nihil accidit, nec enim dolet, &c. ſed oritur torpor, id eſt, amiſſio ſenſus, & motus ejus membri, in quod nervus ille inſerebatur.

Inſtrumenta nervos vulnerantia pungunt, ſecant, rumpunt, vel contundunt: unde variæ vulnerum nervorū differentiæ; vel enim ſunt puncturæ, vel ſciſſuræ, vel contuſiones; puncturæ, vel ſunt apertæ, & hiant, vel cæcæ, & connivent; inciſiones fiunt per longitudinem, vel tranſversè: & utræque ſunt, vel cum amiſſione ſubſtantiæ, vel ſine ea: tranſverſim factę, vel totum præcidunt nervum, vel partem.

Quoad prognoſticum, propter ἀναισθησίαν, & συμπάθειαν cum cerebro, nervis vulneratis, accidunt dolores vehementiſſimi, convulſiones, quę maximè vulnera reddunt pernicioſa, deliria, apoſtemata, ſitis intenſa, vigilię, linguę ſiccitas,

ſiccitas, febris vehementiſſima; quam tamen febrem Avicennas exiſtimat eſſe ex è mitioribus diſpoſitionibus in nervis vulneratis: unde reliqua multò majora erunt.

Punctura Nervorum ut Curanda.

PUnctura, inciſio, & contuſio diſtinctam requirunt curationem. Primùm autem de punctura tractabimus: in cujus tamen curatione multa communia erunt cum reliquis differentiis.

In curatione igitur puncturæ, primò totius corporis habenda eſt ratio, ne ad nervos vulneratos è toto fiat fluxio, cum ſint debiles, doleant, & topica calida, atque attrahentia requirant; unde facilè apoſtema, & inflammatio orietur, nervique putreſcerent: quamobrem Paulus c. 54. l. 4. & Galenus c. 2. lib. 6. Meth. dicunt, vulnerum nervorum curationem, à ſanguinis miſſione eſſe auſpicandam. Purgantia etiam exhibenda; de quibus fuſius actum eſt in doctrina vulneris ſimplicis. Victus erit extremè tenuis: quarta quarti, tract. 4. c. 2. Avicen. Aër non erit frigidus, ut in aliis vulneribus, ſed calidius, alioquin periculum erit, ne oriatur convulſio. Aphor. 18. ſect. 5. & cap. 2. lib. 3. per gen. unde & dum ſolvitur nervi vulnus, oportet ægrum eſſe in loco calido, habere parata lintea calefacta, &c.

Facta univerſi corporis procuratione, veniendum ad partem affectam: in qua conſiderandum, num punctura ſit Cæca, an aperta. Cæca fieri ſolet ab acu, ſagitta, pugione, &c. & tum incidenda eſt cutis per tranſverſum, ad angulos rectos, duabus factis ſectionibus: ut ſanies exire, & medicamenta ad puncturam uſque viribus ſuis pervenire queant.

Aperta autem punctura, ſive arte hac, ſive à cauſa primum vulnerante, imponenda ſunt medicamenta ſiccantia, calida, tenuium partium, ut putredinem exſiccent, ſaniem ex alto attrahant, ipſamque digerant. c. 2. lib. 6. Meth. cap. 2. lib. 3. per gen. In modo autem utendi, cum Gal. loco citato, notandum, ut & dolor leniatur (per lenientia, item per auferentia doloris cauſam, non per ſtupefacientia, quæ frigore nervos lædunt,) & prohibeatur inflammatio. Præſtatur autem hoc oleis calidis, ac tenuium partium; quæ unctuoſa ſua natura laxant, & leniunt partem; deinde facultate calida ſaniem foras trahunt, & ſic cauſam doloris, ac inflammationis, auferunt; tertiò patefaciunt foramen, & ſervant apertum. Gal. ergo ſæpè puncturam nervi fomento olei actu calidi curavit, oleum lana excipiendo, partemque fovendo: eligitur in primis oleum Sabinum, maximè bimum, & trimum; vetuſtius enim magis eſt tenue: nos habemus olea è montibus Patavinis, quæ etiam ſunt tenuium partium: præterea multa habemus parata in officinis, multaque ex tempore parare poſſumus; ut, ſi incoquamus oleo rutam, aut anethum, fiet oleum tenue, & exſiccans: prodeſt etiam oleum coſtinum, oleum de ſcorpionibus, liliorum alborum, vulpinum, de caſtorio maximè laudatur; de lumbricis commendatur à Rhaſi 13. Continent. oleo de balſamo utitur Avicennas. Fomentum ex aqua, licet calida ſit, Galenus improbat, quia humectat; humectatio autem nervis adverſa. Porrò conſiderandum etiam eſt, quantum ſiccare, aut calefacere debeat medicamentum puncturæ idoneum; nimirum, ut ſaniem ex alto evocare, & ſiccare poſſit; minus enim calidum, non evocat; juſto calidius evocat quidem, ſed cum morſu, & inflammatione. Proinde, ſi è medicamento impoſito, vel nullum æger calorem, vel vehementem percipiat, non eſt conveniens; quia vel nihil ſaniei educit; vel educit quidem, ſed inflammat quoque; ſi calorem ſentiat in parte moderatum, veluti è Sole, bonum eſt medicamentum; rurſus, ſi æger pruritum, & morſum ſentiat, ab impoſito medicamento; aut ſi ſolum ſentiat pruritum, & vulneris orificium magis hiat, quam priùs, ut brevi videatur morſus eſſe ſubſecuturus, valentius eſt medicamentum, quàm oportet; ſi autem pruritum ſentiat, & orificium non ſit magis patefactum; bonum eſt exſiccans, & detergens. Sed quia minus decet periculum facere in parte affecta, conſulo, ut medicamenta imponatis parti ſanæ ipſius ægrotantis; Si enim tepidam caliditatem perſenſerit, bonum erit medicamentum. His explicatis proponit Galenus reſinam terebinthinam, ſuccum Cyrenaicum, oleum laurinum, lixivia ſtillatitia, cedrinum oleum, & fermentum; quæ omnia ſaniem ex alto evocant. Interdum euphorbio miſcet oleum; interdum ſagapenum, oleum, & terebinthinam commiſcet in corporibus duris; miſcet etiam oleum & ſulphur vivum, ad ſorbilem ſpiſſitudinem in minùs duris corporibus; in duris ad mellis craſſitiem. Feliciter etiam hoc utitur; R. ceræ par. i. terebinthinæ, picis, ana partem dimidiam, euphorbii partem duodecimam; pro varietate tamen corporum, nùnc minus nunc plus de euphorbio admiſceatur: cap. 2. lib. 6. Meth. cap. 2. lib. 3. per gen. Sic ergo nervorum curantur puncturæ.

Quod ſi negligentia vel ægri, vel chirurgi, nervi puncturæ accidat dolor, inflammatio aut convulſio; his occurrendum, juxta Aetii doctrinam, cap. 27. lib. 14.

In inflammatione ergo nervi, & putredini, & inflammationi reſiſtendum, per refrigerantia, & ſiccantia. Proderit ergo farina fabacea, aut ervina, aut hordeacea, vel cicerum, ex oxymelite decocta. Valentiùs refrigerat milii farina ex oxymelite decocta. Antequam autem hæc imponantur, locus fovendus eſt oleo, cui modicum aceti ſit admiſtum.

Si cum inflammatione dolor inſignis urgeat, farina fabacea, aut ervina, cum modica ſapa decoquenda, & pauciſſimo aceto: pars tamen priùs oleo tepido fovenda: ad minuendum etiam dolorem, & inflammationem, neceſſaria eſt venæ ſectio; vel ſi vires eam non permittant, hirudines; cucurbitulæ ſcarificatæ; veſicatoria etiam proſunt in partibus oppoſitis.

Si dolor, & inflammatio ſit inſignis, imminet convulſio; proinde huic occurrendum. Foveatur ſpinæ medulla oleo calido; præterea etiam membrum, in quo eſt nervus vulneratus, verbi gratia ſi ſit punctura in manu, inungatur totum brachium, maximè ſub axillis, qua nervi progrediuntur; item tota ſpina colli, & thoracis, oleo, laniſque foveatur. Si in pede fiat punctura, non ſolum crus inungendum eſt, ſed etiam lanæ oleo calido imbutæ ad inguina ſunt apponendæ: ſimiliterque faciendum per totam ſpinam lumborum, & oſſis ſacri, ad uſque extremitatem. Si convulſio jam excitata ſit, ſatis eſt periculoſa Aphor. 2. ſect. 5. multi enim ex ea moriuntur, quia affectio, ſeu phlegmone, communicatur cerebro, & ſpinali medullæ per partem, poſt partem. Cauſa convulſionis in punctura eſt repletio ſive copioſus humorum influxus ad partem affectam, & inflammatam. Curatio ergo erit, evacuatio; unde adminiſtramus revulſoria præſidia, venæ ſectionem, cucurbitulas, hirudines, veſicatoria, &c. Poſt accedendum ad ipſam convulſionem ſedandam, fotu olei calidi, lanis oleo adſperſis, medicamento liquido ex euphorbio, & caſtoreo, c. 2. lib. 3. per gen. Ego autem ſoleo totum membrum convulſum infundere in oleum calidum, veluti in balneum, & in hoc oleo membrum detinere jubeo, donec ſedetur convulſio; efficacius autem reddo oleum, ſi incoquo aliquid caſtorei, aut lumbricorum terræ.

Inciſio

Inciſio Nervorum ut curanda.

Inciſio fit, aut per longitudinem, aut in tranſverſu; & utraque eſt vel cum cutis præciſione, ut nudatus ſit nervus; vel ut non ſit aëri expoſitus. Sicut autem in nervo punđo timemus putrefactionem nervi, propter ſaniem, quæ continuo ſegregatur; ita etiam in nervo per longitudinem inciſo, & nudato, putrefactionem timemus; ac proinde ſimiliter indigemus ſiccantibus, quæ ſaniem abſumant, & digerant. Hæc autem ſiccantia in punctura erunt calida, & tenuia, ut ad imum penetrare, ſaniemque evocare poſſint; hic nec calore, nec tenuitate opus eſt, quia medicamentum contingit nervum detectum; unde hic requiruntur ſiccantia in activis temperata. Quantum autem ſiccare debeant hæc medicamenta Gal. explicat c. 3. lib. 6. Meth. c. 2. lib. 3. per gen. ut ſcilicet cum minima mordicatione exſiccent. Hoc autem facit calx lota, in multo oleo ſoluta, & linamentis impoſita; item pompholyx lota, & roſaceo largiore liquata, & impoſita; lotione enim deponitur mordicatio. Aetius valde laudat unguentum Iſidis diſſolutum in plurimo oleo roſaceo. His adjungantur inunctiones, & fomenta ſpinalis medullæ, ſicut in punctura diximus.

Si nervus totus diſſectus ſit, non oritur convulſio, quia pars utraque retrahitur, & facile curatur iis,quę carnem implent.

Si quadantenus è tranſverſo diſſectus eſt nervus, metus eſt doloris, inflammationis, & potiſſimum convulſionis: inflammatio enim facilè à fibris diſſectis, ad non ſectas progreditur; unde convulſio in fibris non ſectis excitatur. Convenit ergo largior ſanguinis miſſio, victus tenuior, quies, fomenta continua ex oleis propoſitis, ad ſpinalem medullam; aut etiam in inguinibus, ſi vulnus ſit in crure: aut ſub axillis, ſi in brachiis. Medicamenta, quæ imponi debent vulneri, eadem ſunt quæ in nervo nudato.

Contuſio, & diſtorſio nervorum, ut curanda.

Si contuſio nervi ſit cum exulceratione cutis, non modò requiruntur medicamenta ſiccantia, ſed etiam partes cutis diſſidentes conſtringentia, & contrahentia; unde utiliter imponitur cataplaſma ex oxymelite, & farina fabacea: aut ſi deſideramus ſiccantius, è farina ervi, & oxymelite; aut ſi adhuc magis exſiccans optamus, ex Iride, Illyrica, & oxymelite; item folia umi oleo impoſita, betonica ſuperpoſita, cinis ſarmentorum vitis, miſtus oleo, pinguedini gallinæ, & aceto.

Si contuſio nervi ſit ſine vulnere, aut exulceratione cutis ſuperpoſitæ, pars ſæpius fovenda eſt oleo calente; item emplaſtro è radice cyclaminis, cum ſale, & melle; & ſi magis exſiccans volumus, addatur majorana; fomentum ſimiliter è decocto mentaſtri; quæ omnia ſiccantia ſunt, & tenuium partium præterea aliquantulum calida, ut ex alto evocent & putredinem omnem prohibeant.

Si contuſio ſit cum dolore, & exulceratione, oportet lenire dolorem, facta perfuſione ex oleo chamæmælino, anethino, irino, de ruta, de matricaria; hyeme autem ex oleo de caſtoreo. Si tandem contuſio ſit cum dolore, & ſine exulceratione, confert decoctum acori, & Iridis, item narciſſi cepa trita cum melle.

Non modò autem nervis contuſis conferunt localia, ſed etiam per os aſſumpta, ut ſi ſumatur dr. i. gentianæ, item opopanax cum vino, & melicrato; Acori decoctum bibitum Scordium hauſtum, Ammoniacum cum melle, decoctio chamedryos recentis epota.

Quod ſi caſu, vel motu, vel alia occaſione, nervi diſtorqueantur, ut motus impediatur, confert althæa recens cocta, & impoſita.

Si in nervo contuſo, diſtorto, aut quomodolibet vulnerato, remaneat durities, ut ſæpè fit, propter humorum craſſorum affluxum, unde ſtupor in parte frequenter perſentitur, conducunt mollientia, & digerentia; ut bdellium in aqua ſolutum, & par pondus radicis malvaviſci contritæ: item radix lilii trita, cum ſapa: item galbanum, bdellium, euphorbium, cum fæce olei; præterea diachylum magnum, cum ſtyrace liquido: oleum liliorum alborum, oleum anethinum, adeps anſeris, bdellium cum adipe diſſolutum, oleum de narciſſo, oleum, in quo brancæ urſinæ folia ſint macerata, & decocta, tum per ſe, tum cum modica cera nova; ultimo ſuffumigium è lapide pyrite, aut molari, quod fit ex aceto; ſed hoc eſt reſolvens valentiſſimum: molliens verò, quod huic reſpondet, eſt œſypus, id eſt ſordities lanarum.

Cap. 12. *De vulneribus Ligamentorum.*

Ligamentis vulneratis, quia ſenſu carent, non pertimeſcenda ſunt dolor, vel convulſio. Scopus ergo erit ſiccandi ſaniem, quæ è ligamento vulnerato ſegregatur, ne ligamentum putrefaciat. Hic autem tutò valentioribus uti poſſumus, propter ἀναισθησίαν; ne tamen inſigniter modum excedant. Apponitur theriaca, cum trochiſcis Andronis, Paſionis, & Polyidæ, modico oleo vetere liquatis.

Si ligamentum contundatur, aut contorqueatur, nullo modo utendum eſt fomento ex aqua calida, quod quidam faciunt, quia putrefacit, ſed potius calidis, & aliquantulum adſtringentibus; ut oleo nardino, maſtichino, emplaſtro barbaro magno, &c.

Cap. 13. *De Capitis Vulneribus: & primùm de partibus Capitis anatomica conſideratio, ad præſens negotium neceſſaria.*

HActenus de vulneribus egimus partium Similarium, carnis, venarum, arteriarum, nervorum, ligamentorum. Deinceps, de Inſtrumentorum, non omnium quidem, ſed tamen præcipuorum vulneribus loquemur: qualia ſunt Capitis, Thoracis, & Abdominis, itemque partium hiſce quaſi ventribus incluſarum.

Capitis ergo vulnera quod attinet, cùm magni ea eſſe momenti, & adeò negligenter à pleriſque tractari conſtet: nos univerſam eorum rationem breviter, & ſufficienter perſequemur. Primùmque videbimus, quotnam ſint capitis partes: & quid in unaquaque particula notandum, quod ad notitiam, præſagium, aut curationem, conducat.

Capillis igitur cutis ſubjecta eſt; in qua notanda ſunt, craſſities, ſenſus, vaſa, & muſculi ſubjecti. Quoad craſſitiem, tenuiſſima eſt cutis in ſyncipite, in aliis partibus craſſior; unde vulnus ſyncipiti inflictum, licet modicum videatur, periculoſum tamen eſt; quia ob cutis tenuitatem noxa facilè cerebro communicatur, eadem de cauſa in tali vulnere ſemper ſuſpicandum eſt, os cranii ſubjectum eſſe læſum. Præterea, cutis capitis ſenſum obtuſum ſortita eſt. Et propterea, ſi de fractura cranii dubitamus, audacter cutim incidere debemus; quia, & facilè ea ſaneſcit, & dolor non adeò magnus eſt. Cavendum tamen, ne fiat inciſio in partibus anterioribus ad frontem, ubi muſculus eſt, qui tranſverſim ſectus, facit, ut ſupercilium ſuper oculos cadat; ideoque aut non ſecandus, aut ſaltem ſecundum fibrarum longitudinem. Vena etiam, quæ in fronte apparet, non debet ſecari; aut ſi forſan ſecetur, obſtructione oculi profuſio ſanguinis ſiſtenda. Multò minus admittenda eſt ſectio partium cutis lateralium; nam utrinque tempo-

temporibus in ſignis muſculus adeſt, quo læſo, convulſio, phrenitis, & febris excitatur. Per partes temporales etiam flexuoſa vaſa excurrunt, quorum ſanguis difficulter compeſcitur; & propterea etiam ab harum partium ſectione abſtinendum.

Sub cute locatur pericranium. Unde diſcimus, ut in perforando cranio incidamus, & cutim, & pericranium, totumque os à pericranio nudemus; alioquin, ſi terebra imponatur ſupra pericranium, inflammationes, febres, & alia ſymptomata conſequentur: cum enim pericranium oriatur à dura matre, per ſuturas, extra calvariam, tranſeunte; affecto pericranio, facilè propter continuitatem duræ etiam matri affectio communicatur.

Cranium ſequitur, quod os eſt è multis oſſibus coagmentatum per ſuturas: quarum quinque ſunt ad noſtrum facientes propoſitum, Coronalis, lambdoeides, ſagittalis, & duæ ſquamoſæ. Ubi ergo terebra perforandum eſt cranium, vitandæ ſunt ſuturæ: quia per has dura mater exit, ad pericranii generationem: quia dilacerata, vulnus facilè inflammari, & lethale reddi poſſet. Hinc etiam patet oſſa circa ſuturas non eſſe ſolida, ſed diviſa, & proinde in ictibus ad reſiſtendum infirma: & pus ibi contractum facilè deſcendere, & ad cerebrum transfundi poſſe. Tertiò utilis eſt cognitio ſuturarum, ne decipiamur, ut Hippocrates, putantes fracturam, aut rimam eſſe id, quod ſutura eſt. Secundò in cranio notabimus craſſitiem, & tenuitatem: in media parte os eſt tenuiſſimum: in occipite craſſiſſimum: in fronte medio modo ſe habet. Hinc vulnera in ſyncipite magis ſunt periculoſa, quàm in aliis partibus, ob cutis, & oſſis tenuitatem: ob multam cerebri portionem, quæ ſyncipiti ſubeſt, ob contuſionem vaſorum per parvos ſinus internæ calvariæ, & ſincipitis excurrentium: ex his quippe ſparſus ſanguis inter cranium, & duram matrem, cauſa eſt mortis.

Dura mater, membrana eſt ſub cranio poſita; quæ vulnerata, convulſiones, & alia prava ſymptomata ſequuntur; idque magis, ſi vulneretur in parte capitis media, ſecundum longitudinem capitis; per hanc enim partem ſinus duræ matris excurrit, ſanguine refertiſſimus, qui præciſus replet totum ſpatium vacuum, inter cranium, & duram matrem, cum morte cita ipſius ægrotantis.

Pia mater cerebri corpus tangit; hinc vulnus fieri vix poteſt in pia matre, niſi & cerebrum vulneretur. Venis mater pia abundat; unde in ipſius vulnere ſanguinis profuſionem exſpectare oportet.

Cerebrum piæ matri ſubjacet, inque ventriculis plexus venarum, & arteriarum habet minutiſſimos, qui in ictibus capitis facilè rumpuntur.

Cap. 14. *De Differentiis vulnerum Capitis.*

DIFFERENTIÆ vulnerum capitis petuntur à cauſis; quæ in vulneribus capitis ſunt, incidentes, pungentes, & ſæpiſſimè contundentes. Ab incidente inſtrumento fit Inciſio, ſeu Diſſectio cutis, cranii, meningum, vel cerebri ipſius. Simplex quidem inciſio, ſine amiſſione ſubſtantię, in cute, & pericranio, dicitur vulnus capitis ſimplex; in oſſe, à Paulo dicitur ῥωγμή. Si inciſio fiat in cranio, cum amiſſione ſubſtantiæ, vocatur à Galeno Dedolatio, in lib. de defin. Med. A cauſa pungente fit perforatio cutis, cranii, meningum, &c. In inciſione tamen, & perforatione fieri vix poteſt, quin & caput contundatur; unde contuſiones eſſe frequentiſſimas diximus. Contuſio autem potiſſimum conſiſtit in cute, & cranio; nam meninges, & cerebrum non recipiunt contuſionem, quia ſunt mollia corpora. Contuſio autem duplex eſt; una quando pars in profundum recedit, ſicut in vaſe ſtanneo, aut plumbeo accidit; altera, quando pars contrahitur, & conſtringitur in ſua ſubſtantia, ſicut in corpore ſpongioſo. Cutis utroque modo contundi poteſt; ut etiam cranium ſi fractura, ſeu rima ſit cōjuncta. At cranium ſine rima primo modo contundi nequit ſecundum Hippocratem in lib. de capitis vuln. ſc. in hominibus adultis, quorum calvaria propter ſiccitatem, non poteſt in profundum recedere ſine fractura; licet ſecundum Gal. in lib. de def. med. & Paulum, c. 90. lib. 6. in calvariis puerorum ob mollitiem id accidere queat. Secundo autem modo contundi poſſe cranium ſine rima, non eſt controverſum. Porrò contunditur vel cutis vel cranium, ſi cutis eſt ſimpliciſſima ſpecies contuſionis. Cranium contunditur vel ſine rima, vel cum rima. Si ſine rima fit contuſio, ea vel fit abſque læſione partium internarum, eſtque ſine periculo; vel cum læſione partium internarum potiſſimùm nervorum molliſſimorum, aut venarum, quæ eſt periculoſiſſima; aut duræ matris, quæ per ſuturas exiens interdum à partibus propinquis contunditur & putreſcit. Dum autem cranium contunditur cum rima, ſeu fractura: tunc cranium frangitur vel in loco contuſo, vel alia in parte. Si in loco contuſo, tunc rima, vel primam ſaltem cranii laminam apprehendit, vel pervenit ad meditullium, vel denique ad interiorem cranii faciem. Si calvaria non frangatur in loco contuſo, tum vel in proximo, vel in oppoſito. Et hæ omnes ſunt ſpecies vulnerum capitis.

Verum dubitatur de ea contuſionis ſpecie, in qua cranium finditur in ea parte, quæ oppoſita eſt loco contuſo. Celſus enim cap. 4. lib. 8. & Soranus hoc ſtatuunt, & comprobant tum experientia ſua, tum ratione à vitro deſumpta, quod in una parte contuſum, in oppoſita rumpitur. Et hinc Celſus monet, ut, ſi ſub contuſione in calvaria non reperiatur rima, oppoſita pars conſideretur, num in ea tumor aliquis obortus ſit; tunc enim cute ſecta, fracturam ibi deprehendi aſſerit. At Paulus, Guido, & alii, hoc negant: rationem enim non valere dicunt, cum vitrum omnino ſit fragile, vacuum, undique ſibi continuum; cerebrum verò durum, plenum, & ſuturis coagmentatum. Ad experientiam reſpondent, fieri poſſe, ut æger contuſo cranio in priore parte, retro etiam cadat in poſteriorem, & hanc tum demum frangat. Ego verò Celſi ſententiæ adhæreo, qui poſtremam calvariæ partem fractam vidit, ſine caſu in poſteriora; hoc tamen rarò accidit, & ut puto, in iis, qui cranium habent valde ſolidum, in quo ſuturæ obſcuræ ſunt, ut in eo aër magis unitus circumferri queat. Cum enim aër in cranio exiſtens ex ictu commovetur & utrimque hinc inde aufugens ictum ferientis, continuus fertur per totam cranii ſubſtantiam; poſt in concurſu aër uterque ad partem cranii oppoſitam allidit, & retroflectitur, & ſic cranium renitens, ac non extenſibile, frangit; non aliter ac duo homines, qui in velociſſimo curſu ſibi invicem obviam facti neceſſariò retroflectuntur.

Cap. 15. *De Signis Vulnerum capitis.*

IN capitis vulnere ab incidente, & perforante inſtrumento, ſi dubitamus de fractura calvariæ, videbimus num ſigna fracturæ cranii adſint; ſolet enim ſæpe vomitus bilioſus ſequi, item caſus, & obcæcatio, non tamen ſemper: præter etiam hæc ſymptomata, interdum rima oculis apparet, interdum propter exiguitatem non cernitur, niſi cranium prius reſpergatur atramento ſcriptorio; & dein detergatur; vel ſpecillo immiſſo explorandum, num id, quod occurrit, lubricum ſit, an aſperum; ſi lubricum, os non

non eſt fractum; ſi aſperum, modò ne ſint ſuturæ, eſt fractum. Perpendere etiam debemus vulneris profunditatem, & magnitudinem, num inſtrumentum potuit pervenire ad cranium, nec ne.

In contuſione etiam cognoſcendum eſt, num cranium ſit fractum, nec ne. Si ergo cutis ſuperpoſita ſit integra; quæremus, num is homo bilem vomuerit, num ſit obcæcatus, num obmutuerit, num ſanguis per nares, & aures effluxerit; num ſine ſenſu quaſi dormiens jacuerit; num ipſum vertigo apprehenderit, hæc enim ſupervenientia indicant, os eſſe fractum. Si non ſuperveniunt, nihilominus oportet dubitare de fractura cranii; ideoque ſigna capienda ab omnibus iis, quæ ad contuſionem efficiendam concurrunt. Percunctabimur igitur num facta ſit percuſſio lapide, ligno, aut ferro, & num levi, vel ponderoſo, aſpero, vel leni, vehementer an leviter, num patiens ſit juvenis, an ſenex, robuſtus, vel debilis, num habuerit caput ſanum, an verò malè diſpoſitum, num æger in contuſione perſenſerit veluti fragorem quendam. Quidam præter hæc ſigna, etiam his utuntur. Sumunt thuris, ceræ, ladani. unc. ij. reſinæ terebinthinæ, aceti, farinæ fabarum unc. i. hæc miſta imponunt capiti deraſo, in loco contuſo, & ſequenti die auferunt, ſique medicamentum in una parte magis quàm in alia ſiccatum apparet, ibi os ſubeſſe fractum dicunt. Alii præcipiunt ægro ut dentibus filum apprehendat in una extremitate, in altera apprehenditur à manu, deinde baculo percutitur filum; & ſi æger in aliqua parte capitis dolorem ſentiat, ibi os fractum eſſe dicunt. Alii filum dentibus apprehenſum, manu ſæpius ex altera parte trahunt; & ubi æger dolorem ſentit, ibi fractum eſſe os aſſerunt. Nonnulli præcipiunt ægro ut dentibus frangat amygdalum, aut nucem avellanam, & ubi dolor ſentitur, ibi os fractum eſſe putant. Hæc ſigna, ut verum fatear, poſſunt quidem oſtendere læſionem muſculorum temporalium, moventium maxillam inferiorem; dum enim hi trahentes dolent, ſignum eſt læſionem eſſe in ipſis muſculis, non autem in cranio. Si cutis non ſit integra, ſed rupta eadem hæc ſigna fracturam cranii patefacient: imponitur enim medicamentum infectum colore nigro, ut atramento ſcriptorio; dein linteum oleo madidum ſuperponitur; ultimo cataplaſma è maſſa, ſeu frixa polenta; poſtero die vulnere reſoluto, oportet os deradere, & ubi ſub deraſione os nigrum apparet, ibi eſt contuſio.

Interdum calvaria oſſe nudata, non frangitur in loco contuſo, ſed in parte vicina aut oppoſita; & talis fractura non poteſt cognoſci in principio, ſed ſaltem in progreſſu, è ſymptomatibus ſupervenientibus, ut ſunt vomitus, bilis, obcæcatio, &c. His enim præſentibus, ſi in loco, ubi cutis diſciſſa eſt, fractura non conſpiciatur, alia parte conſiderabimus, num locus ſit mollis, num tumeat, vel doleat; ubi hęc apparuerint, cutis protinus incidenda ſub qua os fractum reperietur. Si fractura ſit facta in parte vicina contuſioni, ut os nudatum ſit hæc aderunt ſigna à me in praxi obſervata. Primò, vulnus ea parte, qua reſpicit os fractum, non ſanatur, in aliis verò cicatrice obducitur. Secundò, ex eadem parte ichor quidam tenuis exit. Tertiò, ſanies ex parte copioſior effluit: quàm ſit pro ratione magnitudinis vulneris. Quartò, caro mollis, laxa, hebes, & flaccida ex parte ſubcreſcit. Quintò, per intervalla febricula accedit. Sextò, ſi ſtylus immittatur, cutis à cranio ſeparata reperitur. Ultimò, eadem parte tumor apparet aliquis, & mollities ipſius loci.

Cognito cranium eſſe fractum, oportet etiam noſſe, quàm profunda ſit fractura, num rima ad duram matrem accedat; cujus tria ſunt ſigna. Primum enim, ęger clauſo ore, & naribus ſpiritum omni conatu detineat, & ad ſuperiora impellat; ſi tunc per rimam exeat halitus, aut humor quidam vaporoſus ſignum eſt penetrare: in ſpiritu enim cohibendo, dura mater inflatur ut aër ſeu humor, qui eſt in ſpatio inter duram meningem, & cranium per rimam extrudatur. Alterum ſignum eſt Guidonis qui maſtiches pulverem miſcet albumini ovi ducitque ſuper linteum, & fracturæ imponit; poſtero die, ſi medicamentum ſiccius apparet, ea parte quæ fracturam reſpicit, ſignum eſt, totum fractum eſſe, quia calor ex internis partibus exhalans medicamentum ſiccat. Ultimum, & certiſſimum ſignum eſt, ut diſperſo atramento ſcriptorio ſuper rimam, cranium deinde abradatur uſque quò rima nigra appareat; ſic enim facilè cognoſcitur, quantùm rima intrò penetret.

Si dura mater ſit vulnerata, aut ab aliquo oſſis fruſtulo, ſeu ſpiculo recedente violata, ſigna ſunt, præter bilis vomitum, caſum, obcæcationem, & vertiginem; quod torpor accedit, mens non coſtat, nervorum vel reſolutio, vel diſtenſio ſequitur, febris adeſt acuta, & continua. Celſus c. 26. lib. 5. ſigno adfert vulnerati cerebri, aut membranarum ejus, tum prædicta, tum ſanguinem per nares, vel aures exeuntem, &c.

Quoad Prognoſtica. Primùm, vulnera quò magis cerebro vicinia, eò periculoſiora. Deinde, minus periculum eſt ex inciſione, majus è perforatione, maximum è contuſione. Tertiò, vulnera in media capitis parte ſunt periculoſiſſima, quia ibi copioſiſſimum conſiſtit cerebrum, quia parte ea tenuiſſimum eſt cranium, & quia ibi nulla eſt via, per quam noxia materia expurgari queat; in occipitio contra ſe res habet: in anteriore parte, id eſt, in fronte, medio ſe modo vulnera habent, licet enim & hic cerebrum ſit copioſum, os tamen ſatis eſt craſſum, & præterea viæ adſunt expurgandæ materiæ noxiæ, nares, os, aures. Item, vulnera ad ſuturas ſunt periculoſa, quia & os ad reſiſtendum eſt ibi infirmum, & dura mater pertranſit, & facilè è vulnere ſuperpoſito ſanies deſcendit in duram matrem. Quartò, quoad ſymptomata ſupervenientia, pro eorum ratione majus, vel minus eſt periculum. Quintò, cauſæ concurrentes faciunt vulnus magis, vel minùs periculoſum, ſi ſcilicet factum ſit inſtrumento ponderoſo, angulari, ex alto, animo irato, &c.

Tandem omne capitis vulnus periculoſum eſt; etſi enim ſimplex ſit pericranii inciſio; cùm tamen hoc à dura meninge ortum trahat, facilè huic inflammatio pericranii communicari poteſt, ut vulnus alioquin exiguum, fiat periculoſum. Si verò vulneretur cranium, præter jam dicta pericula (nam & hic læſum neceſſariò eſt pericranium) hoc accedit incommodi, quod medicus ignorat, num in parte vicina, vel oppoſita facta ſit fractura: item ſi fractio in contuſo fiat loco, ſæpe non conſpici poteſt, fieri etiam poteſt, ut integra oſſis externa ſuperficie, ſpiculum oſſis in parte interna è contuſione recedat, & duram matrem pungat, ſitque mortis cauſa; præter hæc etiam multa ſub contuſione fiunt, quæ à medico ignorantur, ut ſi contuſo capite, aut rumpatur mollis aliquis cerebri nervus, aut vena aliqua in plexu choroeide, vel in pia matre, &c.

Cap. 16. *De curatione ſimplicium, & exteriorum Capitis vulnerum.*

SIcut in omnibus vulneribus ſanguinis profuſio & inflammatio metuitur, ita etiam in capite.

Hęmorrhagia quidem maxime circa tempora, piam matrem, & ſinus durę matris, ubi multę ſunt venę, inflammatio verò vel ſola in capitis vulneribus mortem

inferre ſolet. Celſ. c. 4. lib. 8. & c. 26. lib. 5. His autem, qua ſit ratione occurrendum, ſuprà in vulnere carnis ſimplici docuimus. Accedamus igitur jam ad locum affectum.

Et primò quantum ad vulnus è ſimplici cutis inciſione factum; quidam volunt labia in hoc vulnere ſuturis connectenda eſſe, quoniam hæ labia mutuò adducunt (quod deligaturis ſufficienter in capite fieri nequit, ut in aliis corporis partibus) & prohibent, ne caput ab aëre externo offendatur, c. 90. art. med. Et hæc eſt ſententia Guidonis, & Avicennæ, lib. 4. Fen. 5. tract. 3. c. 1. & Archigenis c. 1. lib. 2. per loca.

Contra, Chirurgorum vulgus vulnera hæc per carnis generationem curat, relinquendo labia ab invicem ſeparata; dicunt enim cutem capitis inciſam non glutinari, ut reliqua cutis unitur; unde ſanie ad pericranium generata, labiis adductis pericranium poſſe inflammari, os putrefieri poſſe, & inflammationem duræ matri communicari, ut vulnus etiam parvum, periculoſum ſic reddatur. In Guidonis opinione, evitatio aëris frigidi non cogit ut fiant ſuturæ; poteſt enim hæc alteratio aliis etiam modis vitari, ut velamentis, tegumentis, ſtupa, alteratione ipſius aëris. In altera ſententia, cum dicitur cutim capitis non poſſe glutinari, hoc experientia quotidie refutat; quamvis enim ubi craſſior, duriorque cutis eſt, difficilius uniatur; attamen & hæc unitur.

Ad Dubitationis autem ſolutionem quod attinet, ſi cutis tantum ſit inciſa, ſine læſione pericranii, vulnus conſuendum eſt: quod ſi pericranium una inciſum eſt, illæſo tamen oſſe, vulnus curandum eſt per carnis generationem, diducto pericranio, & oſſe conſcalpto, & abraſo; ut voluit Galenus c. 1. lib. 2. per loca. & Hippocrates in lib. de capitis vuln. ubi ait vulnus cum oſſe nudato adſtringi non debere.

Tres autem cauſæ afferri poſſunt, cur vulnus cum pericranii læſione, per carnis generationem, ſine ſuturis, curari debeat. Primùm enim dum in ſuturis acu pungitur pericranium, dumque partes ejus ſimul attrahuntur, fit dolor, quem inflammatio ſequi poteſt, & hæc facilè duræ matri poteſt communicari, à qua ſcilicet pericranium oritur. Secundò, ſi infra pericranium conſutum ſanies oriatur, hæc facilè ipſum cranium corrumpere poteſt. Poſtremò, fruſtrà conſuitur pericranium, quod, cùm ſit tenue, exangue, & nervoſum, glutinari nequit, ut Gal. de veſica prodidit. Com. Aphor. 18. ſect. 6.

Porrò in pericranii inciſione, Galenus præcipit os deradi, propter tres præcipuè cauſas. Primò enim fieri non poteſt, ut læſo pericranio (quod validiſſimè cranio adhæreſcit, ſummèque tenue eſt) non etiam cranium aliquo modo lædatur: at propter modicam cranii læſionem, neceſſarium eſt os deradere; ut ſuo loco docebitur. Secundò, inciſo pericranio, os nudatur, & ab aëre alteratur; at caro gigni nequit, niſi os ab aëre alteratum deradatur. Tertiò, quæ præcipua cauſa eſt, ſi os non deradatur, caro nec generari poteſt, nec inhærere, ſeu firmari, cum os in ſuperficie ſit lævigatum, & perpolitum; ſi verò deradatur, & aſperius reddatur, citiſſimè caro generatur; quoniam ſic oſcula venarum aperiuntur, ut facile ſanguis ſuppetat pro carnis generatione.

Hinc manifeſtum fit, omninò allucinatum eſſe Rhaſin, 15. Continent. 5. cap. & Serapionem, in cap. de cura Sodæ à percuſſione, ubi præcipiunt, vulnera capitis, cum oſſis fractura, uſque ad piam matrem, eſſe conſuenda. Si enim, inciſo pericranio, ſuturæ prohibentur, quantò magis in cranii fractura?

Non damno Chirurgos, qui nullũ capitis vulnus, etiãſi cutis ſolùm inciſa, ſit conſuunt: ſi enim in tali ſimplici vulnere, non tota incidatur cutis, labia non ſunt ſeparata, & proinde ſuturis non indigemus; at tota cutis incidatur propter continuitatem, & inhærentiam, quam habet cum pericranio, periculum eſt, ne etiam pericranium ſit læſum; in quo dubio, tutius eſt relinquere vulnus apertum, & abſtinere à ſutura, perque carnis generationem curare: ſi enim ſic fiat, nullum ſequitur damnum, niſi quod aliquantò tardius ſanatur vulnus carnis generatione, quàm unione.

Contra, ſi incidatis in vulnus capitis, cum ſola cutis præciſione, à chirurgo conſutum, non poteſtis opus chirurgi reprehendere; propter Galeni, & Avicennæ auctoritatem. Facta igitur ſutura, ſicut in ſimplici carnis vulnere diximus, oportet ſupra labia ſpargere pulveres adſtringentes, ut in humidioribus naturis, & parvis vulneribus. R. pulveris roſarum rub. plantag. ana part. æqu. miſce. in corpore robuſtiore, ſicciore, & vulnere majori, convenit. Serapionis medicamentum, quod eſt: R. aloes, ſarcocollæ, ana drach. j. corticum thuris drach. ij. ſang. drac. ſem. Miſ. pulverizata ſubtiliſſimè, poteſtis huic etiam addere bolum Arm. Pulveribus inſperſis, deſuper ceratum aliquod imponendum; hyeme, ceratum barbarum, æſtate, ceratum de minio, aut de ceruſſa; mediis temporibus diapalma.

Si autem placet vulnus per carnis generationem curare, priùs oportet concoquere, ſeu pus movere, quod fit, in humidioribus naturis, reſinæ abietinæ drach. vj. & ovi vitello num. 1. ſi corpus ſiccius ſit, prædicto addemus thuris drach. j. hyeme optimum concoquens hoc eſt. R. reſinæ terebinth. drach. vi. olei hyperic. drach. iii. thuris pulverizati drag. i. ovi vittellum num. 1. Miſce. Ubi ſub hoc medicamento apparet pus bonum, quod fit ſpatio unius diei, vel bidui, aut ad ſummum tridui, vulnus autem non eſt ſatis purum, aut deterſum, prædicto medicamento addimus plus reſinæ, aut drach. ii. mellis; poſtea verò imponimus, quæ vulnus carne implent; hyeme ſcilicet, & in naturis ſiccis, duriſque unguentum Iſidis; æſtate unguentum de tuthia; mediis temporibus, unguentum de betonica, cum pulveribus compoſitum, ut in officinis paratur, pro ſiccis naturis: in humidioribus utimur unguento de betonica, ſive pulveribus, è ſucco beton. ol. & cera pauca. Verùm, antequam unguentum ſupra labia vulneris ponatur, os ſubjectum deraſum poſtulat primùm remedium ſarcoticum, quod valde ſiccum ſit, & poteſtate, & actu; quia os ſua natura ſicciſſimum. Priùs ergo ſupra os hic pulvis ſpargitur. R. rad. irid. ariſtol. thuris, ana drach. ſem. Miſc. in naturis autem humidioribus interdum thus pulverizatum ſolum ſufficere poteſt, ut in pueris. Generata carne, inducitur cicatrix, vel linamentis ſiccis, vel pulveribus de tuthia, cornu cervi uſto; item pulv. roſarum, malicorii; ſupra autem imponenda cerata, quæ ſupra modo retulimus.

Cap. 17. *De Curanda fractura Cranii, qua non pervenit ad duram meningem.*

HActenus de vulnere, quod cuti ſolum, & pericranio inflictum eſt, ſequitur vulnus, in quo cranium etiã lęditur. Si lęditur ab inſtrumento incidente, vel perforante; non poteſt tale vulnus contingere, niſi cum ruptura cutis; at ſi à contundente læditur, ſeu frangitur, hoc fieri poteſt, & ſine cutis ſuperpoſitæ ruptione, & cum cutis ruptione. Præterea, fractura hæc, ſeu rima, vel totum apprehendit, frangitque cranium; vel deſinit in aliqua cranii parte.

Primùm ergo nos de leviſſima cranii fractura agemus, quæ non penetrat ad duram matrem: ſi igitur cranium rumpatur, & cutis ſuperpoſita non rumpatur, incidenda eſt cutis ad angulos rectos, crucis modo, ut fiſſura detegatur; unde

unde non ſolum cutim, ſed etiam pericranium præſcindere oportet, & longè à fiſſura deducere, ſecundùm Avicennam, quinta quarti, tract. 3. cap. 1.

Detecta autem fiſſura, Avicenna vult ſtatim oſſis fracturam ſcalpro deradendam eſſe, quandiu illius apparet veſtigium: at Celſus c. 4. l. 8. præcipit, prius utendum eſſe medicamentis, deinde ſi hęc curatio non proſperè ſuccedat, ad ſcalpra eſſe deveniendum; qua in parte Celſus nullo modo mihi ſatisfacit, primò, quia in vulneribus capitis, quæ ſua natura admodùm ſunt periculoſa, peſſimum eſſe, exſpectare prava ſymptomata, & tunc demum providere, cum forſitan occaſio præteriit, nec ampliùs providere licet, cauſa etiam ob quam Celſus ferramenta rejicit, frivola eſt; ait enim melius velamen cerebro eſſe callum, qui in rima concreſcit, quam carnem, quæ concreſcit, ubi os deraſum eſt; at nos, dum deradimus os, aut terebra perforamus, non efficimus magnas oſſis exciſiones, aut dilatationes, & licet efficeremus, non tamen ægrotanti eſſent noxiæ; cum multos videamus, ſanam, & commodam vitam degere, quibus maxima fruſtula oſſis in capite deſunt. Præterea ſi ſecundùm Celſum, rima non deradatur, ut plurimum nigrorem contrahit, propter quem deinde cogimur non ſine dedecore, & timore, os ipſum nolimus velimus, abradere: & quia, ſecundum Gal. cranium denudatum, licet læſum non ſit, deradendum tamen eſt, multò magis hoc faciendum, ſi cranium lęditur, idque propter tres cauſas. Primum, quia in rima neceſſariò colligitur ſanies, è ſuperpoſitis labiis deſcendens, & os atque ſubjecta membra corrumpens, & inflammans, cum etiam oſſa inflammari poſſint, c. 2. l. de Tum. Præt. Nat. Celſus c. 4. l. 8. at dum os deraditur, & aufertur, facilè vitamus ejuſmodi ſaniei collectionem, quia poſſumus ipſam detergere. Secundò, labia in oſſe inciſo ſunt inęqualia, aſpera, ut caro cum illis quaſi aculeis pungentibus verſari nequeat, deradendo autem, aſperitates omnes auferuntur. Poſtremò, beneficio ſcalpri devenimus in exactam cognitionem profunditatis rimæ; id quod in cranii fracturis ſcitu ſummè eſt neceſſarium. Magis igitur Avicennæ, & antiquorum probo ſententiam, qui in tali vulnere protinus ad ſcalpra deveniunt.

Porrò ſcalpra, alia ſunt exciſoria, quæ excidunt os, ſicut fabri lignarii lignum excidunt; his ego magis utor, & eorum alia triangula, alia quadrata, alia rotunda; ſunt etiam ſcalpra deraſoria, vulgò raſpatoria, quæ deradendo os eximunt: in uſu ſcalpri notandum primum, ne pericranium offendatur, inde enim febres, & inflammationes orirentur.

Deinde oportet exigua linteola parare, operire labia vulneris; ne offendantur ab aëre, vel ſcalpro incavato. Hoc facto, oportet deradere ſupra rimam, ſecundum longitudinem ipſius, quandiu rima apparet; quod facilè innoteſcit, ſi rima atramento ſcriptorio reſpergatur, ſi timeatur chalcanthum, quod cauſticum eſt, fieri poteſt atramentum è ſola galla, quæ nigrum efficit colorem, & hoc potiſſimum in principio fieri debet, cum timemus rimam ad duram matrem pervenire; at ſi exiguum eſt, quod apponitur, & brevi tempore conſiſtit, facilè atramento ſcriptorio uti poſſumus. Ne autem in attritu ſcalprum incaleſcat, & os inflammet, quidam hoc infundunt in oleum roſaceum, ut inflammatio prohibeatur, & ferrum facilè currat; & ſi quando incautè à ſcalpro labia vulneris offendantur, minùs doleant, propter oleum; ego autem potius muto ſcalpra, quia inunctio retundit ſcalpri aciem.

Facta deraſione medicamenta imponenda ſunt, primùm concoquentia, dum pus bonum appareat, ut ſupra in ſimplici vulnere diximus, deinde ſarcotica.

Quia autem duas habemus partes vulneratas, cutim, & os, proinde in oſſe, corpore ſua natura ſicciſſimo, ſiccioribus etiam, quàm in cute, utendum remediis, nimirum, & actu, & potentia ſiccis; unde conveniunt radix iridis, thus, orobus, ſarcocolla, myrrha, cortex radicis opopanacis, ariſtolochia, ſang. drac. & alia vehementer, ſed ſine morſu, exſiccantia, quæ omnia in pulverem tenuiſſimum redacta, ſupra os, & deraſum, & non deraſum ſparguntur: in his tamen pulveribus delectus eſt habendus; ſi enim vulnus exiguum, & corpus humidius, thus ſolum ſufficit; ſi vulnus majus, natura ſiccior, & robuſtior, convenit manna thuris, quę valentiùs ipſo thure, & deſiccat, & detergit. Si vulnus ſit ſordidum, & magis deterſoria poſcat, myrrha utendum. Si tempus frigidum, ex uſu ſunt potiùs calida, ut iris, ariſtoloch. cortex rad. opopanacis; Si æſtivum ſanguis, drac. cornu cervi uſtum, & alia potiùs refrigerantia.

Supra cutem autem vulneratam, ſeu labiis vulneris, apponenda ſunt, quæ mollem habent conſiſtentiam, ut unguenta; proinde ſi vulnus non ſit adeò magnum, ſi natura humidior, ut pueri, aut mulieris, ſi tempus anni temperatum; convenit unguentum è ſucco betonicæ, oleo, & cera: ſi vulnus majus, temperatura ſiccior, tempus hyemale, convenit unguentum Iridis, unguentum de gummi elemi, unguentum de matriſilva; nam hyems calidiora poſtulat; reliqua ſicciora, & magis deterſoria: ſi magnum vulnus, natura robuſta, tempus ęſtivum, prodeſt unguentum de thuthia.

Si vulnus carne ſit impletum, id eſt, ſi caro ſit genita, tum ſupra os, tum in labiis vulneris, cicatrix eſt inducenda: quę autem conveniant epoulotica, item quæ medicamenta exteriùs ſint imponenda, in vulnerę capitis ſimplici attulimus.

Cap. 18. *De fractura Calvariæ ad duram matrem penetrante, ita tamen ut hæc illæſa ſit.*

OSſis fractura ad meningem craſſam penetrans, vel fractura tantùm eſt, vel fractura, & oſſis depreſſio; & in utraque, rima, vel ſtricta eſt & compreſſa, vel latius patet.

Pręmiſſa ergo totius corporis curatione, ad partem affectam deveniemus, ſecundùm Celſum c. 4. lib. 8. duo in tali vulnere ſunt pericula; primum, ne humor ad duram membranam deſcendat, hic enim putreſcens, & inflammatus omnia ſubjecta corpora corrumpit; unde febres, deliria, convulſiones, poſtremò mors: alterum periculum eſt, ne os deprimatur; vel aliquod fruſtulum ab oſſe interiùs ſeparetur, & duram membranam pungat; unde dolores acutiſſimi, convulſiones interdum, & apoplexia: hoc poſtremum non eſt frequens; primum verò perpetuum eſt, & præcaveri nullo modo poteſt, ab oſſe enim, è fractura debili reddito, non amplius fieri poteſt proba concoctio proprii alimenti; unde neceſſariò excrementitia quædam humiditas in loco fiſſuræ ſegregatur, & alia è partibus vulneris ſuperpoſitis, per rimam, in duram matrem deſcendit, quæ ob debilitatem, accedente præſertim rimæ anguſtia, foras extrudi nequit; unde fermè omnes, qui è vulneribus capitis moriuntur, hac de cauſa pereunt, ut ego in diſſectis cadaveribus obſervavi. Hinc ergo patet, præcipuum ſcopum in hoc vulnere curando eſſe, ut materia illa educatur.

Et proinde ſi rima non ſit patens, id eſt, ſi non abundè detur exitus ſaniei, os excidere, & perforare oportet, cap. ult. lib. 6. Meth. ſic enim licet detergere, & abluere ſordes à membrana, facilis patet exitus materiæ, & ſi quod oſſis fruſtulum membranam pungit, id eximi poteſt. Perforatio igitur facienda eſt, quando hæc duo adſunt; primum, ſi timetur materiæ deſcenſus; deinde, ſi non abundè datur exitus materiei;

riei; contra, ſi rima ſit patens, aut ſi fractura non penetret totum os, nec adſit contuſio, ut nullus ſit metus ſaniei intus contentæ, non eſt perforandum cranium, nec fruſtra meninx dura aëri exponenda.

Hic autem dubitatur, num cute capitis integra ſuperpoſita, & oſſis ſubjecti fractura cognita ſuis ſignis, liceat cutim diſſecare, & os perforare. Nonnulli nec præciſionem cutis, nec perforationem oſſis admittunt; prima eorum ratio eſt, ſicuti in aliis fracturis, ſi cutis ſuperpoſita eſt integra, natura callum generat, nec præciſione cutis opus eſt: ita etiam in cranii fracturis, ſimiliter natura callum generabit. Secunda ratio, in aliis fracturis, ſanguinem, qui circa fracturam colligitur, natura foras trudit, unde linteamina ſæpè infecta ſanguine conſpiciuntur; ſic etiam in cranii fractura poteſt natura materiam deſcendentem extra cutim expellere. Verùm plus facienda eſt Celſi, & Pauli ſententia, qui dum ſuſpicantur fracturam ſubeſſe, audacter cutim diſſecant, etiamſi dubitent fruſtra eſſe incidendum; nam facilè rurſus ſaneſcit, & ſenſum non habet acutum. Ad rationem verò allatam reſpondemus, non eandem eſſe rationem fracturarum cranii, & aliarum partium: in aliis enim fracturis natura, propter mollem carnem, & mollem cutim ſuperpoſitam, facilè poteſt materiam expellere; deligatura etiam in illis fracturis, humores influxos hinc inde exprimere poteſt, quod in capitis fractura fieri nequit. Præterea, in capitis fractura, non obducitur callus; priuſquam enim hoc fiat, homo moritur, ob ſaniei coacervationem ſupra duram membranam.

Perforationem autem cranii iidem rejiciunt; primùm, quòd oſſe perforato, calor expiret, qui alioquin incluſus, materiam deſcendentem, per meatus naturales expurgaret, per palatum, nares, aures, oculos, glandulas poſt aures exiſtentes: facilè inſuper in cranio perforando, vena lacerari, aut membrana pungi, aut cerebrum concuti poteſt; tandem ægri plerumque ferramenta timent. At Hippocrates apertè perforationem præcipit, ubi cranium colliditur, aut contunditur; ſive rima in aperto ſit, ſive lateat; ne autem calor exſpiret, velamentis, emplaſtriſque prohibetur. Verum eſt, quod natura interdum per meatus naturales materiam expurgat, at ſæpe hoc non facit; unde in re dubia, non eſt æger in diſcrimen adducendus.

Sed his remediis, contra ſaniem deſcendentem pugnant; capiti enim imponunt emplaſtra valde calida, è gummi elemi, reſina pini, opopanace, bdellio, calamo aromatico, baccis lauri, ariſtolochia, radice cucumeris ſylveſtris, quæ materiam evocare poſſunt: vel, per os exhibent potiones, è cinnamomo, galanga, cardamomo, pipere longo, caryophyllis, vino, aqua vitæ, ſalvia, roremarino, quæ materiam conſumunt, & diſſolvunt; at verò hæc adeo ſunt calida, ut externa ſanguinem, & materiam ad locum affectum trahere valeant, cum periculo inflammationis; potiones verò aut febrem inſignem, aut aliquod eryſipelas in vulnere, & in corpore ægrotantis excitent; niſi fortè tota ſubſtantia, potiones materiam illam credantur diſſipare; ſicut Carpus in tractatu fracturarum Cranii, de Hebræo quodam ſcribit. Verùm tale medicamentum non inveniri arbitror, & ſi haberem, ego quoque à ſectione oſſis, & cutis abſtinerem.

Ferramenta autem, quibus ad hanc operationem utimur, varia ſunt; alia dicuntur ſcalpra, quibus utimur in oſſe imbecilli, & tenui; præterea, cum rima totum os non pervadit; aliud inſtrumentum eſt terebra, ei ſimilis, qua fabri utuntur lignarii; tertium eſt modiolus, inſtrumentum teres, concavum, imis oris ſerratum, in cujus medio clavus eſt.

Primùm ergo, ſi cranium perforandum eſt, os à pericranio denudatur, ne terebra ſuper pericranium apponatur; quia excitaretur inſignis dolor, & inflammatio; deinde linteolis labia vulneris obvelantur. In oſſe autem excidendo, minima fruſtula eximere debemus; dura enim mater ſubjecta, facilè ab aëre afficitur; taceo, quod non ſint ingentes cutis ſectiones faciendæ, quæ tamen neceſſario fiunt in larga oſſis exciſione. His conſideratis, in latere ipſius rimæ, interpoſito digiti ſpatio, ſæpe tamen non habemus tantum ſpatii, apponimus modiolum; deinde manu ſiniſtra premimus, dextra verò circumvolvimus, dum modiolus circumagitur, parum olei roſacei, aut lactis inſtillari poteſt, ut magis lubricus circumagatur; ac ne incaleſcat modiolus, ſubinde in aquam mergendus. Ubi circumvolvendo, ad medietatem ipſius cranii devenimus, quod dignoſcemus è ſanguine exeunte, majore diligentia reliquum opus agendum eſt, & manus ſiniſtra ſæpius attollenda, & magis ſuſpendenda; ne forte modiolus compreſſus, incautè cadat ſupra duram matrem, aut ipſam pungat. Meum inſtrumentum compoſitum eſt è modiolo, & terebra, habetque alas, quò minus poſſit deſcendere, & cadere ſupra duram matrem.

Perforato cranio, oræ foraminis ſunt circumradendæ, & lævigandæ inſtrumento lenticulari, dicitur ita ob lentis figuram in ima parte, ſic enim propter rotunditatem duram matrem non lædit, aliàs enim ſi caro in oſſe aſpero ſuccreſceret, dolores orirentur. Si quid verò ſcobis in dura membrana collectum eſt, id totum eſt detergendum.

In medicamentis porrò, quæ ſupra membranam jam patefactam imponenda ſunt, variant auctores. Paulus enim cap. 90. lib. 6. & Avicenna utuntur humidis blandiſſimis, nimirum oleo roſaceo. Celſus autem c. 4. l. 8. ſiccantia uſurpat, & primò acri aceto membranam reſpergit, ut ſi quid ſanguinis ex ea profluat, cohibeatur; aut ſi cruor ſuper eam fuerit concretus, diſſolvatur, poſtea imponit cephalica emplaſtra cap. 19. lib. 5. deſcripta; ut emplaſtrum viride, aut Judæi, &c. quæ maximè ſunt ſiccantia. Galenus lib. 10. ſimpl. cap. de ſang. columbæ, laudat olea, at cap. ult. lib. 6. Meth. ſiccantia præſcribit.

Ad hanc tollendum difficultatem ſcire oportet ea quę duræ matri imponuntur, ſaltem in id dirigi, ne ea lædatur à materia deſcendente; hoc autem primùm fit, ſi ipſam materiam, quæ acris, mordax, & prava eſt, benignam reddamus, quod quidem fiet, ſi ipſam in pus bonum convertamus. Et hoc reſpexerunt Paulus, Avicennas, Hippocrates, & quandoque Galenus, item chirurgi antiqui Romani, & noſtræ ætatis quinetiam imponentes duræ matri oleum roſatum, ut materiam deſcendentem in pus vertant. At objiciet quis, pus moventia ſunt calida, & humida; oleum roſaceum eſt frigidum, & ſiccum, ideoque non eſt ſuppuratorium. Reſpondeo: ſuppurantia dicuntur, quę calorem nativum, non in qualitate, ſed quantitate adaugent; debent ergo ſimilia eſſe craſi partis, cui applicantur; at quia natura humana generaliter ſumpta, eſt calida, & humida, proinde Galenus ubique dicit, pus moventia eſſe calida, & humida; ubi verò exactiſſimè loquitur de ſuppuratorio in quaque parte, id ejuſdem temperiei eſſe ait, cum parte, cui applicatur. Quoniam igitur dura mater, temperamenti frigidi, & ſicci eſt, oleum roſatum huic impoſitum, quod ejuſdem eſt temperiei, pus movere poteſt; quin expreſſe Gal. cap. 2. lib. 2. κ. γ. ait; ubi miſtam facultatem, repellendi ſ. & concoquendi deſideramus; roſaceum eſſe uſurpandum. Magis autem ſuppuratorium eſt hoc oleum roſ. ſi ſit completum, id eſt, ſi è maturis olivis ſit extractum. Præter oleum roſatum, Gal. lib. 10. ſimpl. laudat ſanguinem columbæ, & turturis; hęc enim animalia ſicca ſunt, & proinde eorū ſanguis durę matri temperamento conſentit, & eſt

& eſt ſuppuratorium medicamentum. Chirurgi noſtri, præter hæc, uſurpant reſinam abietis, quam communiter oleum abiegnum nuncupant, eamque oleo roſaceo admiſcent, & rectè quidem, mea ſententia: nam in concoquente medicamento opus eſt facultate emplaſtica, cap. 19. lib. 5. Simpl. quam non habet oleum roſ. eam verò acquirit à reſina. Poteſt autem variari permiſtio olei roſ. & reſinæ, pro ratione corporis vulnerati, pro tempore vulneris, pro tempore anni, pro ſenſu hebeti, vel acuto, in pueris enim, & corporibus humidioribus, quia dura mater eſt humidioris craſeos, oleum roſ. completum purum uſurpatur; in adulto, & corpore calidiore, atque ſicciore, dura mater minùs frigida, & magis ſicca eſt, unde oleo roſ. aliquid reſinæ abiegnæ miſcendum; in capite admodum calido, & ſicco, ut calvo, & capillos criſpos habente, plus reſinæ miſcendum: ſic quoniam in principio vulneris, propter inflammationem, magis refrigerantibus eſt utendum, plus olei roſati uſurpamus; in progreſſu verò, ubi magis expurganda eſt ſanies, atque ſiccanda, plus reſinæ admiſcendum, ſic hyeme plus reſinæ, æſtate, plus ol. roſati admiſcendum.

Item, ſi vulnus ſenſum habeat acutum, oleum roſatum magis competit; nam reſina, propter detergentem facultatem, poteſt morſum aliquem inferre, eadem ratione, quia reſina abiegna cum oleo roſato temperatur, poſſumus admiſcere etiam reſinam terebinthinam. Plerique uſurpant oleum maſtichinum, quod potiſſimùm faciendum, quando propter capitis naturam calidam, & ſiccam, ob ſenſum tamen acutum, non licet nobis uſurpare reſinam; in quo caſu, etiam oleum hyperyci admiſcere poſſumus, quod concoquit, & emplaſticum eſt. Hic ergo primus eſt modus; quo præcavemus, ne dura mater lædatur à materia deſcendente.

Alter modus fit per ſiccantia, quæ materiam abſumunt. Et huc reſpicit Celſus, item Gal. interdum, & Chirurgi Aſiatici.

Utrumque modum Gal. probat, c. ult. l. 6. Meth. Nos pus moventibus utimur; inſtillamus oleum roſ. tepens, vel per ſe ſolum, vel reſinæ, aut aliis admiſtum, deinde ſecundum Paulum, & Avicennam linteum rotundum, magnitudine vulnus æquans, oleo roſato imbutum ſupra foramen imponimus; ne ſcilicet linamenta, poſt apponenda, in foramen ingrediantur, & ita, aut duram matrem premant, aut inter membranam, & cranium, cum periculo ſeſe inſinuent, hoc facto, linamenta ſicca, oleo roſato imbuta ſupra rotundum linteum imponimus. Poſtea monet Paulus, duplicatum linteum latius, vino, & oleo madens, aut roſaceo imbutum toti vulneri eſſe circumponendum, & ultimo ligaturam efficiendam, quæ in capite tantummodo medicamenta detineat. Nos autem, ſupra lintea oleo roſaceo imbuta, imponimus emplaſtrum Hippocratis, factum è farina hordei.

Quæritur autem, quandiu medicamento concoquente, ſeu oleo roſ. uti debeamus? Reſpondet Gal. c. ult. l. 6. Meth. tandiu his utendum, donec tempus inflammationis præteriit; & omnia ad unguem ſunt ſicca, tunc enim ad carnem generandam, mox ad cicatricem inducendum devenire debemus. Tempus autem inflammationis ponit diem ſeptimum. Celſus c. 26. lib. 5. ait quintum diem oſtendere, quanta futura ſit inflammatio. Paulus autem c. 90. lib. 6. monet medicamenta poſt tertium diem eſſe mutanda, id eſt, non amplius eſſe utendum pus movente, & ſic Auctores diſſidere videntur; quamvis res hæc maximi ſit momenti. Recurrendum ergo eſt ad indicationes, & tamdiu coquentibus utendum, quamdiu materia concocta non eſt, nec in pus bonum verſa; quod citius fit ſi vulnus parvum, ſi caput calidius, ſi æſtas: quod ſi ſuppuratoriis minùs diu utamur, quàm par eſt, non ſumus tuti ab inflammatione; ſi contra juſto diutiùs, id eſt, ſi jam confecto pure, tamen in ſuppurantibus pergamus, membrana tum è frequenti oleorum impoſitione, tum è puris longa mora, hebes fiet, attollẽtur, & tandem computreſcet. Hac de cauſa arbitror, tam brevem τῶν πεπτικῶν terminum, nimirum triduum à Paulo eſſe aſſignatum. Si enim ad alterum extremum inclinandum eſt, potiùs non eſt exſpectanda inculpata, & optima omni è parte concoctio, quàm ut ea apparente, diutiùs in pus movente perſiſtamus.

Ubi pus bonum apparet, hoc expurgandum eſt, & membrana exſiccanda; unde oleo roſato plus reſinæ admiſcemus; vel in humidioribus naturis, per ſe ſola, quæ expurgandi vim habent, uſurpamus; in majori puris copia, vice reſinæ, utimur melle roſ. ſyrupo vel roſ. per ſe, vel in miſtis aliis.

Deterſo, & ſiccato vulnere, ad ſarcotica accedimus, & ſupra duram membranam imponimus, vel unguentum de betonica, de matriſylva, de gummi elemi, vel unguentum Iſidis; & ratione oſſis, inſpergimus pulveres cephalicos dictos, ut pulv. iridis, ariſtoloch. peuced. ervi, myrrhæ, &c. Cicatrix ut ſit inducenda, ſupra docuimus.

Hinc apparet multum eos errare, qui non per morbi tempora, ſed per ſtatutum quendam dierum ordinem, vulnera hæc curant; nam uſque ad quartum diem, imponunt oleum roſarum; à quarto ad ſeptimum, miſcent reſinam; à ſeptimo ad undecimum, vel decimum quartum, apponunt unguentum de betonica; ultrà verò uſurpant unguentum Iſidis.

Verùm cum non tantùm vulneris, ſed etiam partium circumſtantium ratio ſit habenda, idcirco, præter dicta præſidia opus eſt refrigerantibus, ut materia influens repellatur, & exſiccantibus, ut materia influxa abſumatur; adſtringentibus denique, ut partes circumjacentes corroborentur. Quapropter Hippocrates in lib. de Vuln. Cap. medicamentum, ſeu emplaſtrum componit è farina hordei, & oleo roſ. quod ſuperponendum eſt omnibus medicamentis jam propoſitis, & exterius, tum caput magna è parte, tum cervix, & collum, præcipuè ad venas jugulares, inungi debent oleo roſato calido, quod fit tum ad dolorem leniendum, ſi adſit, tum ad ſanguinem moderate refrigerandum, qui ſurſum ad caput influit. Hoc autem emplaſtrum variari poteſt, pro anni tempore, pro ratione vulneris, ſymptomatum, & naturæ capitis: nam æſtate ſic fit. R. farinæ hordei unc. viij. olei roſ. unc. iv. poſcæ, id eſt, aceti, & aquæ, propter majorem refrigerationem, q. ſ. ad conficiendum emplaſtrum; hyeme paramus cum vino, Si caput ſit debile præter oleum roſ. & far. hord. addimus unc. ii. pulv. roſarum rub. & cum vino formamus. Si vulnus doleat, addimus defruti unc. ii. vel iii. ſi vulnus ſit factum è contuſione, aut quomodo libet contuſiò vulneri adjungatur, ut ſanguis inter poros cutis ſpargatur, miſcemus adſtringentia, & quæ ſanguinem ſiccare, & diſcutere poſſunt, hoc modo: R. farinæ hord. unc. vj. myrtill. unc. ii. olei roſ. unc. iv. oxymelitis ſimpl. unc. iii. vini albi non potentis q. ſ. Miſc. & fiat emplaſtrum; poſſunt interdum miſceri pulverum beton. aut ſtoech. aut parum ſpicæ, præſertim, ſi caput admodum debile eſt, & frigidum, ad calorem videlicet cerebri fovendum.

Cap. 19. *De Vulnere duræ meningis.*

SI vulnus tam altè penetret, ut dura etiam membrana vulneretur, præmiſſa univerſali cura, quæ reſpicit ſanguinis profuſionem, & inflammationem, oportet videre, quæ parti affectæ ſint imponenda. Hoc ergo vulnus peculiare habet, quod dolor vehemens urget, unde prima indicatio eſt leniendi dolorem: deinde quia in hoc

in hoc vulnere ſimul, & cutis, & cranium eſt læſum, ut pugnandum ſit contra materiam deſcendentem, os, niſi pateat, perforandum eſt, tertiò vulnus duræ matris, aut glutinandum, aut carne implendum.

Primùm autem leniendus eſt dolor, ne facta attractione, oriatur inflammatio, aut convulſio. Leniri aliàs ſolet dolor vel ablata cauſa doloris, quod hic fieri nequit, cùm cauſa doloris ſit vulnus, dolor autem ipſe magis urgeat; vel ſtupefaciendo, quod & ipſum hic non habet locum, ſic enim membrana, & totum corpus redderetur inſenſibile, vel denique leniendo, per medicamenta unctuoſa, & olea, quæ hic locum habent, idque maximè cum ſimul illa olea adverſus materiam deſcendentem pugnare poſſint, infundimus ergo oleum roſ. tepidum ſupra membranam; vel columbæ ſub alis venam ſecamus, & ſanguinem illum calidum inſtillamus; vel ſanguinem palumbi, aut turturis, propter dolorem, & ad concoctionem; ſi dolor non admodum urgeat, magis reſpicere debemus ad materiam deſcendentem, ideòque magis concoquentia adhibemus, ut reſinam abiegnam, oleum maſtichinum, oleum hyperici, his utendum, donec vel dolor ſit mitigatus, vel pus in vulnere appareat, quibus præſentibus, dimittantur olea, ne membranæ fiant hebetes, attollantur, & putreſcant. Et tunc purganda, & ſiccanda eſt dura mater, melle roſato, vel ſyr. roſ. inſtillatis aut ſupra poſitis.

His peractis, accedendum ad curandum vulnus duræ matris, quod unionem poſtulat. At, licet pia mater, propter mollitiem, glutinari poſſit; dura tamen, quia dura, nervoſa, & tenuis eſt, glutinari nequit; maximè quia ad unionem neceſſarium eſt, ut labia ad mutuum contactum adducantur, quod fit deligatura, ſutura, & fibulis, quorum nullum fieri poteſt in dura meninge vulnerata. Archigenes cap. 1. lib. 2. per loc. ait eam poſſe glutinari; ſed ſi medicamenta ipſius perpendantur, magis ſunt carnem generantia, quàm glutinantia; unde, & Gal. ait vulneratam hanc membranam debere curari per carnis generationem, totum ſcilicet vulnus carne implendo. Infundit autem Archigenes, quod etiam Gal. probat, ſupra duram membranam, ſuccum calaminthæ; deinde inſpergit milii farinam, quæ moderatur calorem calaminthæ; & hæc medicamenta ſunt ſiccantia, & deterſoria, ac proinde carnem generant. Deſuper imponendum eſt medicamentum è butyro, oleo roſ. adipe ſuillo vetere; ut tum concoquat, tum carnem generet in labiis vulneris.

Cap. 20. *De Vulnere membranæ tenuis, & ipſius cerebri.*

PIA mater omnino tenuis eſt, & prorſus cerebro adhęret, ut vulnerari nequeat, ſine cerebri vulnere, hæc vulnera ferè ſemper ſunt lethalia, interdum tamen æger reſtituitur, quæ autem de vulnere cutis, cranii, & duræ matris dicta ſunt, ea omnia huc transferenda: ſolum enim ea, quæ vulneri propoſito peculiaria ſunt, perluſtrabimus.

Quantùm igitur ad piam matrem, cum hæc plurimis venis ſit referta, fieri non poteſt, ut ipſa vulnus accipiat, quin ſanguinis profuſio ſequatur. Cerebrum autem vulneratum, & aëri expoſitum, quod ſæpe experientia probavi, facilè putreſcit, propter frigus externum quod calorem cerebri exiguum extinguit; & propter humiditatem, tum in ipſo cerebri corpore, ob debilitatem, collectam; unde oritur indicatio calefaciendi, & ſiccandi.

De ſiſtendo ſanguine, ſupra in generali vulnerum curatione diximus, & Gal. cap. 4. lib. 5. Meth. medicamentum hoc aliis omnibus anteponit; aloës una pars, duæque thuris, exquiſitè pulverizentur, ovique ſubacta albumine, pilis leporinis excipiantur, & imponantur. De iis, quæ carnem generant ſupra duram, & piam matrem, dictum quoque ſupra eſt.

Cerebri vulnus quod attinet, calore opus eſt, & ſiccitate, dum ergo vulnus ſolvitur, aut medicamenta mutantur, calefieri debent lateres, vel tegulę, & capiti vulnerato in debita diſtantia apponendę, ut aër ambiens calefiat, prodeſt etiam totum cubiculum calefacere.

De medicamentis topicis, ſic ſtatuo, quidam oleo roſato utuntur: alii linteolis vino imbutis; ego verò experientia didici, in cerebri vulneribus ab omnibus oleoſis, & pinguibus eſſe abſtinendum; quia cerebrum, corpus molliſſimum, facile ab iis putredinem acquirit, etiamſi facultate ſint ſicca. Aquam vitæ probo; ac nuper in magno cerebri vulnere, feliciſſimo ſucceſſu, hoc ſum uſus. R. farinæ milii unc. ß. olei Hiſpani unc. i. de quo ſupra cap. 7. in tractatu de Vulneribus Carnis, Mithridatii drach. vi. balſami nigri, quod è Luſitania, vulgo Portugallia affertur; non lutei, quod adfertur ex Aegypto, & Cayro, drach. iii. aquæ vitæ drach. v. olei de chalcantho drach. i. ſem. Miſc. Hæc ingredientia valde ſiccant, & putredini reſiſtunt; quædam eorum immodicè calefaciunt, ſed ab aliis frigidis temperantur; nam milii farina in exceſſu tertio frigida eſt, & ſicca, ſupra ponatur tale emplaſtrum: R. farinæ hordei unc. iii. pulveris chamæmeli unc. iv. pulveris ſpicæ, & ſchoenanti, ana drag. iii. pulv. beton. & ſtœchad, ana unc. ſem. ol. maſtichini lib. ſem. ol. roſati completi unc. iii. oxymelitis ſimplicis unc. v. vini albi mediocriter potentis; quantum ad emplaſtrum effingendum ſatis eſt.

Cap. 21. *De Thoracis vulneribus, & primum de eorum Differentiis, Signis, Prognoſticis.*

PER Thoracem, ſeu medium ventrem, intelligimus totum illud ſpatium coſtis circunſeptum, quod conſtat cute, pinguedine, membrana carnoſa, muſculis intercoſtalibus, coſtis, pleura membrana: ante, os eſt pectoris; poſt, dorſi ſpina; in cavitatis medio cor pericardio concluſum; utrinque pulmones adjacent; & infrà ponitur diaphragma; adeſt etiam vena cava, aorta arteria, & gula.

Porrò, thoracis vulnus aut eſt penetrans, quod pleuram perforat; aut non penetrans quod eam minimè pertundit. Rurſus, penetrans vulnus, aut eſt cum læſione partium internarum, aut ſine ea; cum læſione, multiplex eſſe poteſt: nimirum vulnus cordis, pulmonum, pericardii, diaphragmatis, gulæ, arteriæ magnæ, & reliquarum reconditarum partium.

Notis verò propriis dictæ modò differentiæ accuratè ſunt ſecernendæ, ſi ergo penetrat vulnus, immiſſi ſtyli, aut candelæ multa portio ingreditur, præterea anhelitus ſive aër exit, qui candelam, vel flocculum bombacis, aut lanæ, foramini appoſitum, movere conſpicitur; hoc maxime certum eſt ſignum, ſi aër egrediatur cum ſtrepitu, & ſono quodam rauco: interdum tamen ſi vulnus eſt prope os pectoris, etiam aër exire poteſt, & multa ſtyli portio ingredi, propter inſignem cavitatem, quam faciunt membranæ interſepientes ad ſternum, diſtinctam, & ſeparatam à cavitate thoracis, num autem in penetrante vulnere lædantur partes internæ, cor, pulmones, diaphragma, gula, medulla ſpinalis, petatur è Celſo, cap. 26. lib. 5.

Vulnera in thoracis parte poſteriore, magis ſunt periculoſa, quàm in priore, quia plures ibi, majoreſque adſunt nervi, & tendines, periculoſiora redduntur, ſi dorſi medulla vulneretur, ob ſęva ſymptomata, quæ ſequun-

ſequuntur è ſympatheia cerebri: omne etiam vulnus thoracis periculoſum eſt, propter materiam, quæ in cavitatem thoracis deſcendit: ſi cor vulneretur, deſperata eſt res, ſicut etiam, ſi diaphragma in parte nervoſa, item ſi pulmo magno vulnere ſit confoſſus, aut pericardii tunica.

Cap. 22. *De Vulnere thoracis penetrante, ſine laeſione membrorum internorum.*

VUlnus thoracis non penetrans curatur, ut vulnus ſimplex. In penetrante autem præmiſſa corporis totius procuratione, potiſſimum id incumbendum ut evacuetur colluvies, cruor, & humiditas, quæ in thoracem è labiis vulneris deſcendit; ne putreſcens mortem inferat. Evacuetur autem per tres vias; per vulneris orificium, per os, ſcilicet tuſſiendo, & per urinæ viam.

Quantum ſpectat ad urinæ viam, etiam Galen. lib. 5. de loc. affect. obſervavi ea, quæ in thorace continentur, per urinam interdum evacuari; quod & ego ſæpe vidi in pleuritide, & peripneumonia. Putavit autem Galenus, materiam primò tranſſumi in propagines venæ azygos dictæ: hinc in cavam venam ad extrum cordis ventriculum; & è cava vena per deorſum tranſeundo jecur, pervenire ad emulgentes. Nobis autem alia via innotuit, cujus primus fuit inventor Nicolaus Novocomenſis, Venetorum annis ſuperioribus Medicus clariſſimus; à vena enim ſine pari, prope diaphragma, porrigitur ductus, recta per ſpinam ademulgentes. Fidem autem hic vacuationi, & hæc hiſtoria facere poteſt. Quidam amicus meus aliquando in thorace vulnerabatur, vulnus nec reperiebatur penetrans à Medicis, quia ob foraminis anguſtiam, non multa ſtyli portio immittebatur; caro etiam occupaverat foramen, ut ſpiritus ſeu anhelitus non egrederetur. Ex accidentibus tamen ſupervenientibus, penetrans eſſe vulnus, poſt cognitum eſt; ſuper diaphragma enim ſentitur pondus, exſpuitur ſanguis, cum tuſſi, invaleſcit febris, accidunt vigiliæ, dejicitur appetitus, anguſtatur anhelitus, & aliquando livor apparet extra coſtas, ubi continetur materia; & propterea Medici, cum è foramine penè occluſo nihil poſſent evacuare, volebant thoracem aperire inter ſextam, & ſeptimam coſtam; cum autem poſtridie id eſſent facturi, interea accidit, ut æger cyathum cruoris plenum meieret, è quo à dolore, febre, & omnibus ſymptomatibus levatus eſt. Proinde diureticis hoc in caſu opus eſt, & quidem vehementibus, niſi febris prohibeat; hac enim præſente, dabimus decocta, ſyrupos capillorum Veneris, polytrichi, rad. petroſelini, betonicæ. Si nulla, vel exigua adſit febris, dabitur decoctum apii, radic. fœniculi: hoc etiam in victu obſervandum, ut ſicut in omni vulnere, ad inflammationem arcendam, datur priſana hordeacea, ita hic in omni cibo, & potiſſimùm in priſana, miſceatur lac ſeminum melonum, itemq; ſemina cucurbitæ, & reliqua frigida majora. Cucurbitæ etiam fructus dabuntur in ferculis, ſi adſint. Potus ſit aqua hordei, in qua radix fenic. aut petroſ. fuerit incocta.

Secundò materia in thorace contenta, etiam per niros excernitur, cap. 8. lib. 5. Meth. Unde convepoſca diluta, tepida, acetum enim mirificè ſanguinem concretum diſcutit, & diſſolvit; at acrimoniam ejus multa aqua Gal. obtundit. Ego manè ſoleo exhibere aliquod decoctum, ſive ſyrupum, qui refrigeret, & potiſſimum urinam adaugeat, ſequenti die exhibeo poſcam dilutam, tepidam. Notandum autem, ſi ægri difficulter tuſſiant, lambenda dentur, quæ facilem reddunt tuſſim, ſyrupus de farfara, de glycyrrhiza, cum oxymelite aut ſyrupo acetoſo.

Tertiò, materia per vulneris foramen educitur. Quidam tamen volunt non eſſe aperta, foramina relinquenda, ſed glutinanda: ne calor vitalis exſpiret, & aër frigidus, ac corrumpens ingrediatur: mihi tamen probatur, ut apertum teneatur vulnus; nec enim tam facilè materia per urinam, & os vacuari poteſt, quemadmodum per foramen vulneris, è quo ſtatim, via expeditiſſima, fit totius materiæ evacuatio; ſi enim per urinas vacuatur, materia primùm penetrat in ſubſtantiam pleuræ, deinde in azygon venam, poſt in emulgentes, renes, ureteres, veſicam; ſi per tuſſim, materia primô fertur in pleuram, poſt pulmonum pervadit ſubſtantiam, tum in arteria migrat aſperam, indeque ad os accedens exſpuitur, ad contrariam autem rationem, reſpondendum, vulnus non diu apertum eſſe tenendum, & aërem calefaciendum, aut carbonibus, aut regulis calidis, dum medicatio adminiſtratur.

Quæritur autem, cur adeò periculoſum ſit, in vulneribus thoracis, materiam in cavitatem deſcendere; cum in abdominis vulneribus, materia deſcendens, nullum, aut modicum faceſſat negotium? Cauſa ergo eſt, quoniam materia, in thoracis cavitatem deſcendens, facilè inflammatur; perpetuò enim à thoracis motu movetur, & conſiſtit propè partes calidiſſimas; præterea, quoniam partes in thorace contentæ maximum habent uſum, & indigent libero ſpatio, ut facilè inflari, & ſubſiſtere queant, ad cordis calorem refrigerandum, & cuſtodiendum; tertio, quia concluſę ſunt omnes viæ, per quas materia à natura foras trahi facilè poſſet; contra in abdominis vulneribus, materia deſcendit in cavitatem illam, quæ oſſe pubis, coxendicis, & oſſe ſacro concluditur, ubi adeſt inteſtinum rectum, ad quam cavitatem, tanquam ad ſentinam, natura ſolet etiam totius corporis excrementa detrudere, ut per inteſtinum, per anum, aut etiam per inguina quandoq; vacuentur; & hujuſmodi materia inflammari non poteſt, quia locus non eſt calidus; partes deniq; circumſtantes non habent magnum uſum, ſed à natura excipiendis excrementis dicatæ ſunt. His ergo de cauſis, in vulneribus thoracis, foramen apertum eſt ſervandum, in abdomine occludendum.

Servatur autem apertum, beneficio turundarum, in quantitate materiæ non multa; ut ſic non tam facilè, vel expirare calor, vel aër frigidus ingredi queat. At ſi multa materiæ copia intus continetur, periculum eſt, ne ſuo contactu partibus internis officiat, quando longum tempus, verbi gratia, una dies, inter unam, & alteram medicationem, ſeu inſpectionem interponitur; propterea opus habemus aliquo inſtrumento, quod & apertum ſervet foramen, & continuò etiam materiæ exitum præbeat, ut eſt cannula plumbea, vel argentea, aut confecta è linteo, cera alba oblinito, & in cannulæ foramen redacto. Semper autem tum turundæ, tum cannulæ filum annecti debet ſatis longum; periculum enim eſt, ne turunda, ob perpetuum thoracis motum, & ob attractionem, quæ fit vi vacui in diaſtole, ingrediatur in thoracem, mortiſque fiat çauſa, ut factum aliquando meminimus.

Turunda autem, ſeu cannula oblinenda eſt aliquo medicamento, in principio, quod pus moveat, & materiam ex alto trahat; in progreſſu, quod carnem generet, & ſimiliter materiam ex alto trahat. Accommodatiſſimum ergo erit hoc, ℞ olei communis, ſevi arietini an. unc. i. ſem. picis navalis unc. ſem. picis Græcæ drach. iii. (ſi ſit æſtas, ſi hiems unc. i.) maſtiches, thuris, galbani, Ammoniaci, opopanacis, ſerapini, ceræ ana unc. ſem. Teruntur terenda, li-

quantur liquanda, ad ignem, & coctis adjiciuntur terebinthinę drach. vi. fiat unguentum, quod partim pus movet, partim carnem gignit. Si paretur forma cerati duriori, poteſt extra admoveri, ut attrahat materiam è profundo. Ad carnem gignendum, utimur quoq; unguento de betonica, in turundis; extra autem apponimus emplaſtrum ſacrum, quod attrahit; ſi in principio inflammationem formidamus, ſacri emplaſtri vice, uti poterimus cerato è betonica.

Si materia in thorace contenta eſt tenuis, facilè exit, præcipuè ſi æger tuſſiat, aut conſtringat thoracem. Si verò anguſtum ſit foramen, & materia craſſior, atq; copioſior, difficulter exit; proinde thoracem eluimus, immittendo per vulneris foramen mulſam: ceu clyſmum, c. 8. lib. 5. Meth. ægroq; præcipiendo, ut, ſi poteſt, de latere in latus revolvatur, & vel tuſſi, vel aſtrictione thoracis, materiam expellere nitatur, revolvendo ſe potiſſimùm in vulnus, ita ut materia poſſit ſuopte pondere ad foramen pervenire; ſi materia ſit admodum craſſa, utimur iis, quæ habent majorem vim detergendi, attenuandi, & incidendi, unde infundimus vinum album, cum melle, & interdum in vino decoquimus myrrham, thus, farinam lupinorum, hyſſopum, betonicam. Si admodum difficulter materia extrahatur, Gal. utitur inſtrumentis πύελκοις, ad formam ſyringis, quæ extrahunt materias contentas vi vacui.

Ubi autem materię minui incipiunt, ſenſim turundam minuimus, & carnem gignere ſtudemus, ut foramen claudamus: ſi enim vulnus fiat inveteratum, evadit fiſtuloſum, & non amplius, aut difficulter glutinari poteſt. Hinc quidam in thorace vulnerati, quibus quotidie materia in cavitatem deſcendit, per totam vitam coacti ſunt geſtare cannulam argenteam vulneris foramine.

Cap. 23. *De Vulnere Pulmonis, & Diaphragmatis.*

DIcemus pauca de curatione vulnerum penetrantium, cum læſione partium internarum. Si ergo vulneretur cor, aut pericardium, aut diaphragmatis pars nervoſa; aut ſi pulmo magno vulnere ſit confoſſus, lethalia ſunt vulnera, de quibus nihil agemus.

Si autem pulmonis vulnus parvum ſit, & diaphragma in parte carnoſa vulneretur, curari poſſunt hæc vulnera, de quibus in præſentia tractabimus. In pulmonis ergo vulnere, hi ſunt curationis ſcopi: quatenus pulmo vulneratus eſt, oportet & ſanguinis profuſionem ſiſtere, cum pulmo vaſis inſignib. ſit refertus, & inflammationem arcere, cui pulmo maximè eſt obnoxius ob calorem, & vitalis ſanguinis abundantiam, & vulnus glutinari; quod tamen ob perpetuum motum nonniſi difficulter fieri poteſt. Quatenus vulnus penetrat, oportet vacuare cruorem, in cavitatem deſcendentem. Totius etiam corporis maxima eſt cura habenda.

Mittimus ſanguinem, & venæ ſectionem ſæpiùs iteramus. Prodeſt hæmorrhoidum provocatio, ad arcendum inflammationem pulmonum, lib. 3. de humor. De reliquis generalibus præſidiis, in communi doctrina vulnerum. Ad Topica quod attinet, uno medicamento omnibus ſcopis ſatisfacere poſſumus, quod erit aſtringens & emplaſticum, hoc enim ſiſtet ſanguinem; arcebit phlegmonem, & glutinabit. Sumimus igitur thus, maſtichem bolum Arm. ſang. dracon. ana part. æq. ac pulverizata in vulnus immittimus, ſeu per cannulam pulveres inſufflamus; aut infundimus cùm vino nigro auſtero, aut cum decocto plantaginis, roſ. rubi, prout indicatio offeret. Si enim præpollet indicatio refrenandi ſanguinem, miſcemus vino nigro auſtero prædicto pulveres, ita tamen, ut priùs in eo incoquamus cortices granatorum. Si magis poteſt indicatio arcendę inflammationis; utendum potiùs eſt aqua, in qua plantago rubus, equiſetum, &c. fuerint decocta. Si nihil horum timetur, ſed vulnus habet ſorditiem, mulſum cum prædictis pulveribus infundere oportet. Ad glutinandum conferunt alchimilla, fragaria, caryophyllata, tormentilla, pervinca, pimpinella, piloſella, virga aurea, radix ſymphyti majoris, radix rubiæ, ſanicula, biſtorta, auricula urſi, amaranthi purpurei flos, & pulmonaria, orificium detineatur apertum, per turundam, aut cannulam; ſicuti prius dictum eſt, eædem ſunt indicationes, eademq; medicamenta, ſi diaphragma in parte carnoſa ſit vulneratum. Atque hæc de vulneribus thoracis.

Cap. 24. *De Abdominis vulneribus, & primùm de eorum Differentiis, Signis, & Prognoſticis.*

CApitis, & thoracis vulnera hucuſque proſecuti ſumus; imus reſtat venter, quem Abdomen vocare conſuevimus. Atq; ne nominis ambiguitas errandi ſit occaſio, per Abdomen intelligi volumus totum illud ſpatium, quod à coſtis ſpuriis, lumbis, & oſſibus ilium comprehenditur, conſtans cute, pinguedine, membranâ carnoſa, octo muſculis; quibus partibus peritonæum ſubjacet, quod incluſa tenet nutritionis potiſſimum viſcera, nimirum hepar, lienem, ventriculum, inteſtina, renes, veſicam, vaſa ſeminaria, ureteres.

Hinc varia Abdominis exiſtunt vulnera: aut enim ſunt non penetrantia, cum vulnerantur partes ſuperpoſitæ, cutis, pinguedo, membrana carnoſa, & ſubjecti muſculi, intacto peritonæo; aut ſunt penetrantia, ubi peritonæum quoque vulneratur; & hæc rurſus ſunt vel cum exitu alicujus partis, vel ſine exitu; Item penetrant, aut cum læſione partium internarum, aut his illæſis; vulnus penetrans cum exitu, duplex eſt; per vulnus enim exeunt aut inteſtina, aut omentum, vulnus penetrans, cum læſione partium internarum tot habet differentias, quot partes ſunt in abdomine contentæ; unde alia vulnera ſunt cum læſione jecoris, vel lienis, ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, renum, &c.

Penetrans vulnus à non penetrante dignoſcitur, ex immiſſione ſtyli, ſeu candelæ; ſi enim multa portio ingreditur, ſignum eſt, penetrare. Ubi tamen advertendum, ne decipiamur; nam foramine obliquo, retorto, aut à ſuperjacentibus corporibus, occluſo, ſæpè minima portio ingreditur, licet vulnus penetret; contra, ſæpè multa ſtyli portio obliquè inter muſculos ingreditur, etiamſi vulnus non ſit penetrans. Aliud ſignum eſt; ſi vinum intra orificium vulneris mittatur, in penetrante, ingreditur in cavitatem; in non penetrante, retro egreditur per vulnus. Certius penetrantis vulneris ſignum eſt, ſi inteſtinum, aut omentum exeat, quinimo ſi vulneris magnitudo conferatur cum inſtrumento vulnerante, conjici poteſt, num vulnus penetret; ſi penetret vulnus, inquirendum, num pars etiam aliqua interna ſit læſa; quod petendum è Celſo, cap. 26. lib. 5. in ſignis vulnerati jecoris, lienis, ventriculi, inteſtinorum, veſicæ. Maximi autem facienda ſunt ſigna, deſumpta tum à ſitu, tum ab exeuntibus; exitus enim ſanguinis, & locus dexter, ſignificat jecoris; exitus ſanguinis atrioris, & locus ſiniſter, lienis indicat vulnus; locus dexter, & exitus bilis ſignificat veſicam eſſe vulneratam.

Vul-

Vulnus non penetrans periculo vacat, niſi admodum ſit magnum; periculoſius tamen eſt, quod in medio eſt abdominis, quam quod eſt in lateribus; pars enim media magis eſt nervoſa, & difficilius conſuitur. Præterea etiam inteſtina facile ad mediam partem faciunt impetum, & ſic glutinationem impediunt. Vulnus penetrans, licet non lædantur partes internæ, periculoſum tamen eſt, quia magnum, & altum. Cum autem læduntur partes internæ, vulnera maxima è parte ſunt lethalia; ſervari enim nequit, ait Celſus, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui jecoris portæ, cui ſpinæ medulla percuſſa eſt, cuique medius pulmo, aut jejunum, aut tenujus inteſtinum, aut ventriculus, aut renes, aut veſica vulnerata ſunt. Gal. vulnera ventriculi in fundo, ſi magna non ſint, bene curari poſſe ait, quia medicamenta facilè ad fundum deſcendunt, & permanent; contra accidit in ventriculi orificio. Jejuni vulnus incurabile ait; primò, propter multitudinem vaſorum; ſecundò, quia tunica ejus eſt pertenuis, & nervoſa; tertio, quia bilem ſinceram recipit: Poſtremo, quia jecori eſt omnium maximè vicinum. Et ſic vulneratos obſervavi habere pulſus admodum exiles, & frequentiſſimos, morique primo, aut altero die; unde ſi tales videritis pulſus, ſemper dubitate de tenuibus inteſtinis vulneratis.

Cap. 25. *De vulnere Abdominis penetrante, cum exitu inteſtini, aut omenti.*

VUlnus Abdominis non penetrans, curatur quemadmodum vulnus in carne; penetrans autem, cum exitu inteſtini, aut omenti, quatuor indicat, c. 4. lib. 6. Meth. Primum, ut inteſtina ſuum in locum recondantur. Secundo, ut vulnus conſuatur. Tertio, ut medicamentum apponatur. Quarto, ut proſpiciamus, ne qua præſtantior pars ſimul afficiatur. Suppoſita ergo totius corporis procuratione, per venæ ſectionem, medicamenta, diætam; ad propoſitos ſcopos deveniendum.

Quoad primum ſcopum, ſi mediocre fuerit vulnus, & recens exciderit inteſtinum, manibus, & digitis impellendo, eſt recondendum; ſi foramen ſit anguſtum, & inteſtinum, ob longam extrà ventrem moram, à frigidiore aëris contactu flatibus repleatur, & turgidum reddatur, ut non ampliùs intrò condi manibus queat, tunc vel vulnus ampliandum, vel flatus diſcutiendi. Priùs autem tentanda eſt flatuum diſcuſſio, per calefacientia, cum à frigore ſint procreati; foveantur igitur inteſtina ſpongia molli, ex aqua calente expreſſa; vel è vino nigro auſtero calido, quod meliùs, ob caliditatem nativam, diſcutit flatus, & roborat inteſtina; quidam vinum alterant ſchoenantho, chamæmelo, ſpica, cypero; vel in horum defectu, calamintha, origano, pulegio, dictamno, quæ valenter flatus diſcutiunt; ut & ſemina aniſi, fæniculi, ammeos, cocta in vino nigro, vel albo; aut etiam ex aqua, in quibus expreſſa ſpongia, aut lana, inteſtinum diutiùs fovendum: alii ſumunt catulum, aut magnum pullum, quæ viva diſſecant, & inteſtinis admovent, ut flatus diſcutiantur. Rhaſes ſubinde pulmones animalium calidos imponit. Flatibus diſſipatis, inteſtina digitis intromittenda; Rhaſes ægrum manibus, pedibuſque apprehenſum elevat, & concutit, ut inteſtina ingrediantur: ſi hic modus non procedat, tunc vulnus eſt ampliandum ſyringotomo, quod inſtrumentum vulgò Falcetta dicitur, & poſt intromittenda inteſtina.

Si omentum extra labatur, & quidem, ſi diutius extiterit ſub aëre frigidiore, ita ut vel multum refrigeratum fuerit, vel etiam nigrum, aut viride redditum; juxta Aphor. 58. ſect. 6. tunc ligabitur ea parte, quæ ſanæ parti eſt proxima, portioque corrupta amputabitur. Ligatur autem omentum, ne ipſius vaſa aperta, ſanguinem intra abdominis cavitatem ſpargant. Quidam ligatum, etiam ferro adurunt; quod tamen ſuperfluum arbitror. Filum extra ventrem longum relinquetur, ut omentum per vulnus retrahi queat: quod ſi non ita refrigeratum ſit omentum, reſtituere poſſumus ſine vinculo, reſtituta enim natura ipſa unire ſolet.

Alter ſcopus eſt, vulnus conſuere, ne inteſtina rurſus extra prorumpant; collocetur igitur æger primum in loco lucido, ut qui conſuit, vulnus videat, & decumbat in partem vulneri oppoſitam, ſeu averſam, ut eò minùs impetum ad foramen faciant inteſtina. Miniſter manibus apprehendat vulneris labia, & Medico tantam vulneris partem porrigat, quanta ad conſuendum eſt neceſſaria: poſtea vulnus conſuatur. Species autem ſuturarum abdominis tres adminiſtrari poſſunt; in prima ſutura, conſuitur peritoneum, cum abdomine, ſeu muſculis, & viciſſim muſculi, cum peritoneo; acus enim filum trahens, infigitur ab externis introrſum per cutim, & ſubjectos muſculos, ad peritoneum uſque: poſtea, intacto peritoneo illius partis, per alterius partis peritoneum, atque etiam per muſculos, ab internis extra acus eſt infigenda; hinc interjecto ſpatio digiti tranſverſi, per abdomen ejuſdem partis, ab externis introrſum, intacto peritoneo, acus infigenda eſt; poſtea per peritoneum, & abdomen alterius labii, ab internis extra acus eſt tranſigenda, & ita deinceps pergendum, modò perforando, modò prætereundo peritoneum, donec univerſa facta ſit ſutura. Sic Galen. At Albucaſis vult, ut in hac ſutura ſemper infigatur acus ex eodem latere; quod fieri non poteſt, ſi revolvatur filum ſupra labia. Alii vero labiis quatuor perforatis, ligant, & efficiunt punctum, poſtea amputant, & ſic efficiunt vinculum, quod fibula vocatur; tot autem vincula injiciunt, quot ſunt neceſſaria. Omnes hi modi boni ſunt. In altera ſuturæ ſpecie, conſuitur peritoneum cum peritoneo, & abdomen cum abdomine, id eſt, muſculi cum muſculis; trajicitur enim acus per abdomen, ab externis introrſum, donec perveniatur ad peritoneum, deinde acu revocata, per utramque peritonei partem, ab internis introrſum acus eſt tranſigenda, tum ab internis extra per abdomen, & ſic pergendum, donec univerſum vulnus conſutum fuerit. Tertia ſutura illa eſt, quæ communiter ſolet in vulneribus uſurpari, quam in carnis vulnere propoſuimus; tranſigitur enim acus per quatuor labia ſimul, id eſt, per duo latera abdominis, & duo peritonei, & tot efficiuntur ſuturæ, quot ſunt neceſſariæ. Ex his tribus ſuturis, Gal. magis probat primum modum, quam ſecundum, & ſecundum magis, quàm tertium: peritoneum enim, quia membranoſum eſt & tenue, difficulter cum peritoneo unitur, unde ſemper in parte læſa tumor apparet, qui fit ab inteſtinis extra peritoneum exeuntibus, & ſub cute tumorem laxum & magnum efficientibus, qui perpetuo divexat patientes, ut etiam Rhaſes annotavit 14. Continent. At peritoneum cum muſculis carnoſis facilius unitur. Albucaſis, præter hos ſuendi modos, duos alios affert, cap. 87. lib. 2. In priore modo, acu perforantur quatuor vulneris labia; deinde revoluto filo ſuper labia, rurſus per idem foramen acus tranſigitur, & poſt ambo fili capita conſtringuntur, fitque punctum; & ſic deinceps tot fiunt puncta, quot ſunt neceſſaria. In poſteriore modo,

acu perforatis quatuor labiis vulneris, rurſus juſto interpoſito ſpatio, altero etiam latere iterum perforantur quatuor labia vulneris, & ex ambabus extremitatibus fit punctum ad latera.

Quoniam autem ſuturæ intra paucos dies laxantur, erodentes ipſa labia, & quidem maximè in abdomine, propter inteſtinorum impetum continuum; ad hoc prohibendum, præter ſuturas jam factas, ego appono glutinum, cum ſuis anſulis.

Tertius ſcopus eſt, medicamentum apponere. Debent autem medicamenta eſſe glutinatoria; unde inſpergendi pulveres adſtringentes, è ſanguine Draconis, bolo Armen. Maſtiche, myrtillis, paribus portionibus; poſtea ceratum aliquod glutinatorium ſuperponendum, ut in hyeme, emplastrum Barbarum; aliis verò temporibus, Diapalma. Si vulnus ſit in loco, ubi medicamenta non adhærent, uſurpamus adſtringentia, ut folia ſalicis, rubi germina, plantaginem, gallas immat. linteum ... Impoſitis medicamentis, Gal. deligat vulnus, faſcia duplici initio circumducta, ut ſic conſervatis ſuturis, impulſioni inteſtinorum reſiſtatur. Hæc deligatura, ut ego arbitror, convenit quidem in vulneribus per longitudinem factis, at vulneribus tranſverſis, vel nullus vel admodum exiguus faſciæ eſt uſus, propterea nos, ad ſuturas conſervandum, generale, & ſtrenuum præſidium propoſuimus, nimirum glutinum.

Quartum ſcopum Gal. proponit, ut in vulneribus penetrantibus proſpiciatur, ne quæ pars nobilis ſimul afficiatur. Hic autem videtur Gal. maximè reſpicere ad cerebrum, quemadmodum etiam facit in vulneribus nervorum, quia plurimæ abdominis partes nervoſæ ſunt, ut ſecundùm abdominis partes anteriores muſculi, peritonaeum, ventriculus, inteſtina, veſica, tunicæ viſcerum, & hac de cauſa Gal. proponit inunctionem, aut fomentum è calido oleo, axillis ab uſque ad inguina, cap. 4. lib. 6. Meth. Credendum tamen eſt; dum Gal. ungit ab axillis ad inguina, id eſt, & totum thoracem, & totum abdomen, eum reſpexiſſe partes & thoracis, & abdominis omnes.

Porrò cruor, & ſanies è labiis vulneris neceſſariò in cavitatem abdominis deſcendit, poteſtque offendere inteſtina, & omnia alia membra; unde interdum tumorem creat, interdum ad hydropem ægrum deducit. Cognoſcitur autem materiæ deſcenſus, è gravitate, dolore, tenſione, & tumore abdominis, item è motu materiæ de loco ad locum, qui ſentitur per impulſionem, ſeu compreſſionem. Videtur Galen. ad hanc materiam etiam reſpexiſſe, in illa inunctione ad inguina; nec enim Gal. alibi, vel quiſquam alius, ſaniei deſcendentis mentionem facit. Non poteſt autem vacuari ſenſibiliter, cum vulnus abdominis non ſit apertum detinendum, ſed vacuanda eſt. Hæc materia inſenſibiliter, per ea quæ diſſipant, evocant, & imas abdominis partes rarefaciunt. Hinc Galenus inguina fovet lanis, & oleo calente: at ſi muſculi carnoſi vulnerati ſint, magis timetur fluxus cruoris, & proptereà non ſufficit oleum commune, ſed opus eſt magis attenuantibus, ut oleo rutaceo, anethino, amygdal. coſtino, de caſtoreo, liliorum albor. Emplaſtrum emolliens, diſcutiens, & rarefaciens inguinibus apponetur; ut, quod fit è rad. althææ, lil. albor. cucumeris aſinini, cum pul. calaminthæ aut hyſſopi, & cum oleo amygdal. dulcium, aut anethi, aut etiam pinguedinibus. Convenit quoque ceratum ſacrum, oleo amygd. dulc. remollitum; item diachylum cum gummis, emollitum oleo de ſcorpionibus, & ſi reſina pini adjiciatur, maximoperè valet ad materias ex alto attrahendum.

Cap. 26. *De Inteſtinorum Vulneribus.*

Cognoſcimus vulnerata eſſe inteſtina craſſa, ſi vel ſtercus, vel odor ejus exhibeatur: tenuia, ſi vel chylus exit, vel bilis, vulnerato jejuno, aut duodeno. Periculoſiſſima ſunt hæc vulnera, & tenuium ferè ſemper lethalia.

In his autem vulneribus quinque proponuntur ſcopi. Primò, labia vulneris adducenda. Secundò, medicamentum imponendum. Tertio, inteſtinum in ſuum locum recondendum. Quartò, prohibendum, ne fæces pertranſeuntes vulneri noceant. Quintò, vulnus abdominis penetrans curandum.

Quoad primum ſcopum; niſi inteſtinum vulneratum, extra abdomen ſit prolapſum, oportet id placidè foras trahere; deinde labia adducere, & adducta conſervare: faciebat hoc Albucaſis duobus inſtrumentis, cap. 87. lib. 2. Primum formicis illis, quæ magna habent capita; ſumitur enim formica, quæ os apertum habet, & utrique labio inteſtini applicato, admovetur, ut id apprehendat; quo facto formicæ corpus abſcinditur, & caput ibi relinquitur; ſumuntur autem tot formicæ, quot neceſſariæ ſunt pro labiis conjungendis. Sed hunc modum Chirurgi improbant; quia caput formicæ demortuæ relaxatur, & conſtrictione inteſtinorum facilè excidit. Præterea, in hyeme formicæ hæ non reperiuntur, & in æſtate non ſemper quærendi tempus ſuppetit. Alter modus eſt, quo labia inteſtini filo uniuntur, ſecundum modum ſuturæ tertiæ abdominis; acus enim pertranſit labium utrumque, & filum ſupra labia revolvitur, eo modo, quo ſuuntur pelles. In conſuendo autem inteſtino, quidam utuntur fibra ex inteſtino alicujus animalis extracta, vel ſola, vel obvoluta filo è lino, idque faciunt, ut arbitror, ne fili durities labium vulneris offendat; at hoc mihi non probatur; quia neceſſariò fibra illa putreſcit, ego igitur filum eligo, potiùs è lino, quàm ſericum, quod ob tenuitatem, vel tincturam, magis erodit, quod ſit molliſſimum, & cera oblinitum.

Sunt nonnulli inepti, qui, antequam conſuatur inteſtinum, cannulam immittunt; vel è ſambuco, vel portione aſperæ arteriæ alicujus animalis, vel ex alio inteſtini fruſtulo, ne ſuturæ ciborum tranſitu dilacerentur; his quippe putrefactis, æger interficietur, ideoque peſſimum hoc conſilium fugiendum.

Alter ſcopus eſt, ut imponantur medicamenta. Vulnus ergò abluendum eſt vino nigro auſtero, calido, & linteo molli, calidoque ſiccandum: poſt medicamentum glutinatorium imponendum, ut pulvis maſtiches, boli Arm. ſang. drac. barbula hirci, cortex granatorum.

Tertiò recondenda ſunt inteſtina, &, ſutura in abdomine facienda, ut ſupra docuimus. Nonnulli vulnus abdominis apertum tenent: ut medicamentum quotidie ſupra vulnus inteſtini ſpargere queant. At magis probo, ut conſuatur vulnus, ſicuti etiam Galen. facit: ratio eſt: ſi enim vulnus ſit apertum, aër externus frigidus torſiones, doloreſque excitat; tum è ſe, propter frigus, tum ob flatus, qui ratione frigoris generari poſſunt, unde periculum eſt, ne à flatibus ſuturæ inteſtini diſrumpantur. Præterea, medicamenta non poſſunt inſpergi ſupra vulnus: quia inteſtina in abdomine multis de cauſis loco moventur, ut à flatibus, à chylo,

chylo, &c. concluſus autem calor nativus, neque expirans, citiùs inteſtina ſanat, ſi modò æger ſanari poteſt.

Quartò prohibendum eſt, ne fæces per inteſtina tranſeuntes loco vulnerato noceant, dum vel detentæ, vel induratæ ſuturam comprimunt. Occurrendum autem eſt, tum victus ratione actu humida, tum maximè immiſſis clyſteribus, qui fæces emolliant, & educant, prætcrea vulneris glutinationem adjuvent, id eſt, qui habeant vim abluendi, adſtringendi, & glutinandi. Avicenna immittit per clyſterem, vinum auſterum, vel ſolum, vel cum pulvere ſanguin. dracon. gummi Arab. tragacanth. maſtiches, glutinando, & roborando, fæces molliuntur jure confecto è pedibus vitulorum, & caſtratorum, cum pulveribus propoſitis glutinatio, etiam juvari poteſt iis, quæ per os ſumuntur, ut eſt decoctum caudæ equinæ, piloſellæ; ſaccharum roſ. cum bolô Arm. conſerva cydoniorum, aut ſimplex, aut cum pulvere roſ. aut corticum granatorum &c.

Cap. 27. *De ventriculi vulnere.*

VUlnus hoc conſiſtit, vel in fundô ventriculi, vel circa os; & vel penetrat in cavitatem, cujus ſigna ſunt, exitus chyli per foramen, vomitus Sanguinis, & cibi inappetentia, dolor, & interdum ſpaſmus; vel non penetrat. Circa os inflictum lethale eſt, ſicut & penetrans; non tamen deſerendus æger, quia multa præter medici opinionem eveniunt.

Bibat æger vinum de cydoniis, aquam plantag. vinum granatorum, decoctum caudæ equinæ, & piloſellæ, dentur thus, & maſtiche, cum ſaccharô roſac. aut conſervâ cydoniorum. Parciſſimè comedat, ne vomendo impediatur glutinatio; vacuô etiam exiſtente ventriculô & corrugatô, faciliùs uniri vulnus poteſt. Leviſſimus etiam erit cibus, aut aqua carnis, confecta cum caudâ equinâ, & piloſellâ, In hôc caſû, præcipuè cùm vomunt, probantur clyſmi nutrientes, è contuſo carnis, ex ovis ruptis, & cum jure pingui conquaſſatis.

Extra, roborandus eſt ventriculus, oleô de abſinthiô, de cydoniis, myrtinô, roſaceô. Turunda immittenda eſt in foramen vulneris externi, non ventriculi; ita tamen ut pervenire poſſit ad vulnus ventriculi: Eſtque inficienda turunda oleô hyperici, & terebinthi, & ovi vitellô: lenit enim dolorem, emplaſticum eſt, & pus movet.

Cap. 28. *De hepatis, lienis, & renum vulneribus.*

HÆc omnia lethalia; æger tamen non deſerendus: Factis ergo iis, quæ ad totius corporis procurationem pertinent, vulnus abdominis conſuendum, glutinatio naturæ committenda, ita tamen, ut æger ſumat decoctum thuris, & maſtiches, cum vinô, aut etiam cum aquâ. Sanguis, qui in cavitatem abdominis erumpit, à naturâ diſſolvitur ipſâ, ſi ſanari debet æger; aut abſceſſus quidam, ob ſympathiam ad inguina excitatur, quô in pus versô, ſanguis vacuatur; ita ut nullam hujus ſanguinis rationem eſſe habendam Albucaſis exiſtimet. Hæc igitur de Vulneribus dicta ſufficiant.

Hieronymi Fabricii ab Aquapendente Appendix ad librum de Vulneribus; ſeu de ſingularium quarundam corporis partium Vulneribus.

De vulneribus frontis.

EGimus ſupra, ſecundo noſtræ Chirurgiæ libro, de vulneribus generaliter; deinde de vulneribus partium ſimilarium; utpote carnis, venarum, arteriarum, & nervorum firmatum; tertio loco egimus de vulneribus partium diſſimilarium, quæ ſunt, capitis, thoracis, & abdominis; nunc operæ pretium facturi ſumus, ſi de vulneribus magis particularibus, quæ in dictis diſſimilaribus magnis continentur, tractationem ſubjungamus, orſi à capite; in quo comprehenditur facies, & in ea frons, oculi, palpebræ, naſus, & aliæ partes, de quibus ſigillatim agemus.

Inprimis quantum attinet ad vulnera faciei, illud generaliter notandum eſt, quod cum facies ſit perpetuò omnium oculis expoſita, atque in ea decor, & venuſtas deſideretur, in quocunque vulnere faciei illud potiſſimùm eſt exoptandum, ut non fiat deformis cicatrix; potiſſimum, quando vulnus ſine periculo ſit: nam ſi accidat, ut vulnus periculum aliquod vitæ portendat, tunc neglecto decore, ſecuritati tantum incumbendum eſt. Igitur primò frontis vulnera percurramus.

Si in fronte vulnus inflictum ſit, idque cum læſione oſſis, in eo caſu, ut dixi, decori nequaquam eſt ſtudendum, ſed ſecuritati; quia periculoſum eſt vulnus, & curari debet ſine ſuturis, & ſine aliis inſtrumentis, quæ poſſunt vulneris labia unire; quinimò vulnus apertum tenere oportet, os deradere, atque in ſumma eam adhibere curationem, quæ convenit vulneribus capitis, cum calvariæ fractura. At ubi vulnus frontis varium eſt, & multiformes habet intentiones, aut etiam ſubſtantiam deperditam, tutiſſimum tamen eſt; vulnus, quia ſit ſine oſſis læſione, in eo caſu, quantum fieri poteſt, decori eſt attendendum.

Ponamus igitur, vulnus curandum eſſe in fronte, ſimplici inciſione factum, ſine ſubſtantiæ deperditione, & oſſis læſione, hujus curatio ſub ea comprehenditur, quæ allata fuit in vulnere carnis & cutis; propter quam rationem alicui forſitan ſuperflua hæc vulnerum tractatio videri poſſit; cum tamen non ita ſe res habeat, imò quatenus hujus vulneris tractatio ſub propoſita comprehenditur, eatenus nos in hujuſmodi vulneribus ſupponemus univerſi corporis curationem per Chirurgiam, Medicamenta, & Diætam; ſupponemus etiam eas intentiones curandi, quæ in illa fuere propoſita; ſed in eo tantum inſiſtemus, ut ſi quid particulariter deſiderent hæc vulnera, ſive medicamenta, ſive operationes, ſive aliud quid, illud in ſingulis præmittamus, ut in propoſito frontis vulnere, in quo ſcopus eſt, unire quod diviſum eſt, ſive

ſive vulnus per longitudinem, ſive in tranſverſum fiat; quod ſi adſit ſanguinis profuſio quæ unioni adverſetur, prius illi incumbendum eſt, poſtea ad unionem veniendum, quæ perpetuo eatenus eſt curanda, ut deformis eviretur cicatrix. Ad unionem autem efficiendam, inſtrumenta ſunt Suturæ, deligatura fibula, & Glutinum. Suturæ, & fibulæ, tanquam deformem cicatricem inducentes, rejiciendæ ſunt; nam dum acus perforat ipſam cutim, continuum ſolvit, & nova cicatrix inducitur. Filum autem tranſverſum abradit cutim, & deformem reddit cicatricem.

Quod ſi dicatis, omnes conſuevere vulnera frontis, aut ſaltem, qui melius faciunt, prima vice ſuere, ſecunda, & tertia ſuturas auferre, & glutinum, ponere; ita vitant deformem cicatricem. Dicendum, quod ſuturæ, & fibulæ perpetuò aliquod veſtigium cicatricis inducunt, & relinquunt, ratione fili, quod abradit cutim: aut ſaltem ratione acus eandem perforantis, in quo foramine, neceſſaria eſt cicatricula; unde præter vulneris propoſiti cicatricem, ſemper ſub ſuturis, & fibulis, aliæ, & novæ cicatrices ſunt expectandæ; propterea, quantum fieri poteſt, in vulnere frontis abſtinendum eſt à ſuturis, & fibulis.

Abſtinere autem quis poteſt, ubi rectum frontis vulnus fuerit, ita ut à capite deſcendat, verſus oculos, aut nares; vel obliquè, verſus anteriora, ſecundùm ductum fibrarum muſculi frontis; ſi enim tale vulnus accidat, nos poſſumus, & debemus etiam prima vice abſtinere à ſututis, & fibulis, & adminiſtrare alia, quæ labia adducunt, & adducta conſervant, inter quæ, deligatura numeratur; quæ ſi fiat duplici initio, erit apta ad conſtringenda labia ad mutuum contactum, & ita conſervanda.

In qua ligatura illud notandum eſt, ut faſcia non ſit lata, imò anguſta, ita ut non ſemel, ſed bis, & ſæpius circunducatur, ut ſolum vulnus adducatur. Quia vero faſcia imbecillis eſt, nec poteſt vulneris labia tum adducere ad mutuum contactum, tum potiſſimum adducta conſervare; quia perpetuò laxatur; ideo nos non contenti ſola faſcia, ſecunda vice apponimus glutinum, id eſt, lintea, cum ſuis anſulis, hinc inde vulneri applicamus, glutimo inducta quo exſiccato, & firmiter adhærente, poſtea anſula adverſæ anſulæ alligatur, Glutinum autem hoc loco non proponimus quia de vario glutinis genere dictum eſt, dum ageremus de vulnere in carne; ſed memoriæ gratia, defectu aliorum medicamentorum, ovi albumen ſubactum eſt glutinum, quod adhæret cuti, cum exſiccatum fuerit; cui ſi admiſceatur pulvis tenuiſſimus, aut ſanguinis dracon. aut thuris, aut maſtiches, aut ſarcocollæ, & ad craſſitiem mellis redigatur, adhuc valentius adhærebit. Hæc eſt ratio curandi vulneris in fronte, ut evitetur turpis cicatrix.

Quod ſi vulneris ratio non patiatur uti ea deligatura; quia verbi gratia, vulnus tranſverſum ſit, in quo uſus diligaturæ nullus eſt, tunc perpendenda eſt vulneris longitudo; ſi vulnus admodum longum ſit, quia in tali vulnere labia valde diducuntur, abſuntque à ſe invicem, propterea ſuturis, aut fibulis egemus prima vice; ſecunda vero, oportet ſuturam removere, & glutinum applicare. Imponimus ſuturas, aut fibulas, ut labia vulneris valde dilatata ad mutuum contactum adducantur; auferimus ſecunda vice ſuturam, ne deformis fiat cicatrix, ex filo abradente cutim tranſversùm, in efficiendis ſuturis, aut fibulis. Scire licet, hujuſmodi ſuturas rariores eſſe injicendas, quam in aliis partibus; propterea fieri debent ex filo; non ſerico, ſed lineo, non nimis torto, & cera potiſſimum oblinito, quæ prohibet abraſionem cutis; ita enim turpem cicatricem vitamus.

Quod ſi ſimiliter tranſverſum quidem ſit vulnus, ſed exiguum, ita ut labia non multum diſſideant, in hoc caſu, poſſumus vitare ſuturas, & fibulas, etiamſi deligatura aliena ſit; nam tunc poſſumus uſurpare linteola oblonga, & anguſtiſſima, hoc eſt latitudine tranſverſi digiti medii; longitudine, quæ comprehendat vulnus hinc inde, quantum fieri poteſt. Hujuſmodi linteola, prius reductis vulneris labiis ad mutuum contactum, & manibus ita detentis, madefiunt in ovi albumine, & applicantur hinc inde, tot, quot ſunt neceſſaria, ita ut ſe contingant; & ſic tandiu tenentur, donec ſiccentur, poſtea ſuperponitur ſtupa pexa, albumine ovi madefacta; quæ ſi imponatur tranſversùm, dum ſiccatur, ſolet contrahi, & ita vulneris labia adducere, & adducta conſervare. Hoc fit prima medicatione, ut vitentur fibulæ, & ſuturæ; ſecunda vero vice, apponimus glutinum propoſitum, cujus beneficio labia quinetiam adducuntur. Fieri etiam poteſt, ut vulnus adeo ſit exiguum, ut non ſolum prima vice, linteola propoſita ſatis ſint ad adducenda, & conſervanda làbia, verum etiam ſecunda, & aliis vicibus poſſint ſufficere ſimilia, tranſverſum vulneri applicata quidem ſed cerato aliquo illita, cui vis inſit aut emplaſtica, aut adſtringens; exiguo enim vulnere poſſumus dimittere glutinum, & ſequi totam curationem cum his linteolis, prima vice albumine ovi, ſequentibus autem, aliquo cerato illitis. Ceratum eſſe poteſt vel ſacrum, vel barbatum, vel de betonica, vel diapalma, vel aliud ſimile, quod habeat vim emplaſticam, aut adſtringentem, & cuti adhæreſcat. Et hæc eſt ratio adducendi labia vulneris in fronte, & adducta conſervandi, ut vitetur deformitas cicatricis.

In vulnere frontis, ex ſimplici inciſione facto, ſine ſubſtantiæ deperditione, & oſſis læſione, ſive per longitudinem, ſive tranſverſum ſit vulnus, in quo unio requiratur, viſum eſt in ſuperioribus, quinam modi eſſent opportuni labiis adducendis ſimul, & adductis conſervandis, quæ ſunt duæ primæ intentiones unionis moliendæ: ſupereſt nunc, ut alias intentiones expleamus, ſunt autem ut medicamenta imponamus, quæ faciant ad glutinandum vulnus, quæque glutinatoria appellantur; non quia glutinent, & uniant; quoniam coalitum, & priſtinam unionem reſtituit natura, Galen. 3. Meth. ſed quatenus hæc, exſiccando humiditates, quas ſegregant, auferunt omne impedimentum, ut deinde natura poſſit unire: ideo ſiccantia hujuſmodi medicamenta futura ſunt.

Cum igitur glutinatoria ſiccantia ſint poteſtate, actu vero poſſint eſſe mollia, ſeu humida, & ſicca; ut puta, pulverulenta, unum vobis communicandum in preſentia venit, quod pertinet ad vùlnera, non ſolum frontis, ſed etiam totius faciei, ne deformis fiat cicatrix; quia ut dictum eſt, ubi vùlnera faciei tutiſſima ſunt, maniſeſtè requiritur faciei decor ratione cicatricis, dico.

dico. Igitur etſi propoſita medicamenta futura ſunt ſiccantia poteſtate; actu tamen, in facie, ut pulchra fiat cicatrix, futura ſunt mollia, ſeu humida, ſive velimus, glutinare vulnus ſimplex, ſive cicatricem inducere.

Si vulnus ſit cum deperditione ſubſtantiæ, licet prima fronte paradoxon videatur, & contra nonnullos, ſcribentes, vulnera faciei expoſcere valentiſſimè ſiccantia; quia natura ſua ſicca ſunt; quod quamvis in fronte concedi poteſt, atque in auribus, naſo, & pleriſque aliis faciei partibus, in gena tamen non ita hoc concedendum eſt, quia pars genæ humida eſt, & pinguedine multa obducta; non tamen quod dico, contrarium eſt ſcribentibus; requiri in faciei vulneribus medicamenta valde ſicca; quoniam ſi optamus citam glutinationem, citam cicatricem, vulneriſque ſanationem, utique debemus admovere valenter ſiccantia, id eſt, actu, & poteſtate; at ſi non ita ſimus ſolliciti de feſtina, & matura vulneris ſanatione, ſed potius de pulchra cicatrice, eo caſu, experientia à me comprobatum eſt, nequaquam perpetuò actu ſicca valere, ſed conſiſtentia mollia & humida, ſive glutinatoria, ſive cicatricem inducentia ſint. Ratio autem hujus rei, ut opinor, hæc eſt, quoniam dum utimur poteſtate, & actu ſiccis, ut puta, cum pulveres inſpergimus, quia quæ hujuſmodi ſunt, ſolent magis ſiccare, quam quæ poteſtate quidem ſicca, actu autem ſunt mollia, proſpere ſuccedit, & quam citiſſimè fit vulneris glutinatio, & cicatrix. Quia igitur in omni vulnere non poſſunt labia ita ad amuſſim conjungi, quin aliquot ſpatia, quamvis exigua, interveniant, quæ carne repleri debent, hinc fit ut ſub pulveribus, actu, & poteſtate ſiccis medicamentis, non concedatur tantum temporis naturæ, ut poſſit carne replere illa ſpatia, unde accidit, ut unio, ſeu cicatrix interdum fiat, inæqualis; interdum major, interdum minor; at ſub medicamento potentia ſiccante, actu verò molli, natura non poteſt ita feſtinare unionem, aut cicatricem, ut non generet carnem, & non repleat ſpatia, nec exiccet ipſum vulnus; hinc fit, ut perpetuò, prout experientia comprobatum eſt, ſub medicamento mollis conſiſtentiæ, tardius aliquantulum, ſed perpulchra poſtea ſuccedat cicatrix, quam exoptamus, potiſſimum in facie.

Ad glutinandum dictum vulnus frontis, ſi fuerit hyems, ceratum barbarum appellatum, erit opportunum; aliis vero temporibus, diapalma eſt conveniens; quæ ſanè cerata, ſi duriora ſint conſiſtentia, emollire oportet, oleo hyperici; imò vero, ſi eodem oleo utamur, immixto reſinæ terebinthinæ, unionem efficit pulchram; præ cæteris, oleum illud Hiſpanicum, cujus deſcriptionem ſuperius tradidi, eſt præſtantiſſimum, & ad uniendum, & ad pulchram cicatricem moliendam; ubi autem propemodum facta eſt unio, inungatur locus inciſionis pinguedine humana, quæ citò, ſive proprietate ſubſtantiæ, ſive alio modo, pulcherrimam efficit cicatricem.

Quod ſi intentio ſit cicatricem inducendi, ſub vulnere facto cum deperditione ſubſtantiæ in fronte, in quo primum requiritur carnis generatio, ea medicamenta opportuna ſunt, quæ retulimus in tractatione vulneris carnis; ut puta, unguentum de betonica, Iſidis, Apoſtolorum, & hujuſmodi. Si volumus inducere cicatricem, quæ æqualis ſit, neque deformis, oportet ob dictam rationem, abſtinere à pluribus, licet hujuſmodi etiam gignant cicatricem; & utendum quidem eſt medicamento cicatricem inducente, ſed conſiſtentiæ mollis. Uſurpanda etiam medicamenta cicatrizantia, quæ potentia ſicca ſint, conſiſtentia autem molli. Teſtatur hoc Gal. 13. Meth. 5. ubi præcipit, in vulnere, circa oras inſpergendos pulveres, in reliquo ulcere etiam imponendum cicatricem inducens, conſiſtentia molli; ſed in vulnere faciei, in quo pulchra optatur cicatrix, à pulveribus abſtinendum eſt; unde ſicuti tuthia præparata eſt cicatricem inducens actu, & potentia ſiccum; ita unguentum de tuthia, cicatrizat, ſed molle eſt. Hoc igitur utendum eſt ad cicatrizandum in fronte. Similiter convenit unguentum de ceruſſa, præcipue æſtate. Vidi quoque ab unguento de betonica inductam fuiſſe cicatricem pulchram. Et quia quæ cicatricem inducunt, ſunt ejuſdem naturæ cum glutinantibus, niſi quod validiora aliquantulum ſunt cicatrizantia, propterea oleum hyperici, cum reſina probatur, & emplaſtrum barbarum, & diapalma, & in fine, ubi fermè facta eſt cicatrix, pinguedo humana eſt præſtantiſſima. Hac ratione ſanatur vulnus in fronte inflictum.

De Vulnere Superciliorum.

Quod ſi vulnus in ſupercilio contingat in longitudinem, huic eadem curatio competit, qualem propoſuimus in reliquis frontis vulneribus. Et ſi tranſverſim fiat, ſciatis, niſi vulnus hujuſmodi diligenter curetur, ſequi caſum ſupercilii, & proinde palpebrarum ſuper oculum; unde quantum fieri poteſt, eſt exactè glutinandum vulnus. Quo caſu, à ſuturis, & his quidem altis abſtinendum non eſt, ut ſuperficies labiorum ad amuſſim in omni parte ſe mutuò contingant. Et ſi vulnus fuerit ex ſimplici inciſione factum, ſine deperditione ſubſtantiæ, in hoc vulnere, in quo propter pilos tegentes locum, non ita ſolliciti eſſe debemus de cicatrice turpi remanente, ſunt inſpergendi pulveres, ut citò fiat cicatrix. Quod ſi vulnus ſit cum deperditione ſubſtantiæ, contrarium faciendum eſt, propter unum, quod ſuccedere ſolet, contrarium ei quod dixi, nimirum cicatrix interdum ita dura efficitur, ut retrahat palpebram ſurſum, & impediat, quo minus palpebra tegat oculum; unde ne palpebræ retractio ſuccedat, operæ pretium eſt uti ſarcoticis, & cicatricem inducentibus, conſiſtentiâ mollibus.

Quod ſi fortè accidat, ut ob imperitiam fuerit relicta cicatrix ita retracta, ut palpebra non poſſit deprimi, eo caſu, vos debetis ipſam cicatricem incidere inciſione ſemicirculari: quæ fiat ſecundum fibrarum orbicularium ipſius muſculi conſtringentis palpebram; ſic enim non offenduntur fibræ, nec muſculi, interea palpebra deprimi poteſt. Neque verendum eſt, ne efficientes orbicularem inciſionem, quæ æmulatur tranſverſam, offendatur muſculus palpebram attollens, quoniam ille muſculus, ignoratus ab antiquis Anatomicis, & ſitus intra orbitam oculi, ſub oſſibus, prope muſculos oculum moventes neque offendi

 poteſt,

poteſt; quoniam inciſio non eſt tam alte efficienda, ut laniet, & perforet tunicam internam palpebræ, ſed tantummodo incidat cicatricem, & muſculum orbicularem, qui non offenditur per orbicularem inciſionem.

De Vulneribus Palpebrarum.

Palpebrarum vulnera vel recta fiunt, vel tranſverſa, ſeu obliqua, & utraque incidunt tantummodo muſculum orbicularem, vel ſubjectam etiam membranam, quæ muſculi fundamentum eſt. Recta palpebrarum vulnera dicuntur quæ per rectitudinem fibrarum fiunt, quamvis ſecundum faciei proceſſum tranſverſa appellari debeant & ſunt, quæ ab uno angulo ad alium producuntur; quæ ſi per longitudinem facta dicantur, idem erit. Tranſverſa vero vulnera in palpebris appellantur, quæ à ſupercilio verſus cavum oculi fiunt.

Si igitur vulnus ſit ex ſimplici inciſione factum, & tranſverſum, tunc ſui non poteſt, niſi ſubjecta membrana quoque conſuatur, conſui autem non poteſt tale vulnus, quoniam inciſæ ſunt fibræ muſculi, unde ſuturæ non hærent, niſi ſubjecta membrana conſuatur; quod fieri non debet, quoniam filum oculi corpus attingeret, atque ipſum offenderet, & inflammaret. Igitur in hoc caſu glutino magis utendum eſt, quod habeat unicam utrinque anſulam.

Quod ſi vulnus in longitudinem palpebræ fiat, neque ſubjectam membranam incidat, in eo caſu ſuturâ uti poſſumus, & debemus, quæ fiat ex acu, & filo tenuiſſimo, & multa cera oblinito. Sive autem ſutura fiat, ſive glutinum imponatur, & ita labia adducantur, & adducta conſerventur, medicamentum imponendum eſt, quod citiſſimè glutinet palpebram; inde pulvis tenuiſſimus ſupra labia vulneris inſperſus, ex bol. Arm. orientali, eſt opportuniſſimum medicamentum, ſicut etiam terra ſigillata, & ſanguis draconis, in tenuiſſimum pulverem redacta; ſupra quem, linteum anguſtum, & vetuſtum, ne duritie offendat, ovo integro ſubacto madefactum apponendum eſt, quod tum ad conſervandum pulverem, tum ad inflammationem arcendam facit. Quo caſu, partes palpebrarum circunſtantes vel omnino non, vel cautè admodum inungendæ ſunt oleo roſato, ne oleum defluat in oculum, & ipſum inflammet; olea enim valde ſunt inimica oculis, ſed linteum ex vino nigro auſtero non potente expreſſum eſt ſuperponendum. Atque ita curanda ſunt vulnera palpebrarum.

De Vulneribus oculorum, & primò de inciſione tunicæ corneæ, & conjunctivæ.

Quod ſi oculi vulnerentur, ſciendum eſt, oculum vulnerari poſſe dupliciter, vel ad corneam; vel ad conjunctivam tunicam, id eſt, albam illam membranam, quæ exterius apparet. Utrumque autem vulnus vel fit cum inciſione, aut corneæ, aut conjunctivæ, ita ut inciſio non penetret totam tunicam; & hujuſmodi vulnus ſolet eſſe ſine amiſſione viſus, aut hujuſmodi vulnera ita incidunt, ut totam membranam perforent; quo caſu vulnus utplurimum ſuccedit cum viſus amiſſione; quia, ſi cornea incidatur, ſolet exire humor aqueus; ſi verò conjunctiva, ſolet humor vitreus pariter exire. Interdum autem, ubi hujuſmodi vulnera magna ſunt, etiam cryſtallinus humor, & uvea tunica prorumpunt. Interdum etiam à perforante inſtrumento ita profundum fit vulnus in orbita oculi, ut penetret per foramen, aut rimam latam, & oblongam; cum oſſi in profundo orbitæ, & inſtrumentum pervenit ad cerebrum, ex quo ægri ſtatim decidunt. Et gladiatores ſolent hujuſmodi ictum, quaſi certum habere, & inter ceteros Gallus quidam gladiator erat, qui hujuſmodi vulnus habebat certiſſimum, & tutiſſimum.

Igitur ſi oculi vulnus ſit ſimpliciſſimum, ita ut tantum cornea, ſeu conjunctiva tunica incidatur, vulnus tamen non penetret, & ſit ſine exitu alicujus interni, ſive corporis ſolidi, ſive humoris, ſciendum eſt, triplicem oriri intentionem curandi, prima eſt, uniendi inciſionem; ſecunda, propter ſenſum oculorum, dolorem leniendi; tertia eſt, inflammationem, & ſanguinis fluxum cohibendi, quia oculi vulnerati ſtatim inflammantur.

Ad unionèm præſtandam, in exiguo propoſito vulnere, forte ſatius eſt, vel nullum medicamentum, quod oculi corpus contingat, apponere; quia oculus ab omnibus irritatur, vel ſi abluendi, aut uniendi cauſâ quidpiam omnino apponendum, debet eſſe aut aqua, aut liquor. Sed ubi aliquid apponere conſilium ſit, tunc adductis palpebris, & obvelato oculo læſo, medicamenta, quæ tum dolorem leniunt, tum inflammationem, & ſanguinis fluxionem arcent, exterius apponenda; propterea in hoc caſu, ubi palpebræ occluſæ ſunt, & invicem reductæ, attendendum eſt aut dolori, aut inflammationi; uni, vel utrique prout unum magis curationem ad ſe trahit.

Ergo ſi dolor minus affligat, inflammationi arcendæ eſt attendendum, propellendo materiam, & ſanguinem ab oculo. Præſidiorum materiæ multæ ſunt; ſed ante omnia quædam ſunt animadvertenda, quæ ſi non obſerventur; inflammationem movebunt. Primum eſt, ut in oculo vulnerato, ab oleo, & omnibus oleoſis, ſeu pinguibus medicamentis penitus abſtineamus; quia oculum inflammant, & dolorem inferunt. Alterum eſt, ut uno oculo vulnerato, ambos oculos faſciâ obvelemus, & ægro tenebras affundamus, quia oculi patientes, ab omni luce læduntur; ambos igitur oculos obvelamus, ut ſanum oculum firmemus, & motum illius cohibeamus. Ratio hujus redditur ab Alexandro in Problematibus, ubi quærens, qua ratione uno oculo patiente, difficiliùs curetur, quàm ſi uterque lædatur? ita quia oculus ſanus toties cogit oculum ægrum ad motum, quoties ipſe ſanus movetur, cùm natura comparatum ſit, non poſſe unum moveri, quin & alter moveatur; motus autem ſanationi contrarius, & inflammationem movet. His tertium accedit, ſitus nempe capitis; qui oculo vulneratur, hic non ex toto capite depreſſo jacere debet; cum pernicioſus ſit ille ſitus, quo inclinatur caput ad anteriora valde, ad quam partem ut pluri-

plurimum patientes ſolent illud reclinare, tanquam aſpectum lucis fugientes, quæ facile vitatur, ſi oculi ambo obvelentur; unde oportet ægrum capite ſublevato in lecto jacere. Inſuper neque caput oportet deponere in pulvinar ex pluma, ſed ex corio, repletum alga, aut palea illa tenuiſſima, quæ evolat dum purgatur frumentum; aut oportet lintea multiplicata ſub capite ponere.

Quod verò medicamenta attinet, quæ adſint repellentia, hæc duplicia ſunt, alia adſtringentia, id eſt, terrea, alia aquea; ſi dolor adjungatur vulneri, ſunt magis oportuna repellentia aquea; ſi non adſit dolor, utemur adſtringentibus, quorum alia ſunt ſimplicia, alia compoſita. Simplicia ſunt, aqua fontana, roſarum, plantaginis, portulacæ, hordei, ovi albumen, mucilago pſyllii, cydoniorum, tragacanthi decoctum, papaveris, hyoſcyami, acacia, ſumach, hordeum, decoctum nucum cypreſſi, gallarum immaturarum, balauſtiorum, & hujuſmodi, quæ partim ſunt liquores, partim decocta, partim medicamenta in ſubſtantia.

Ex jam dictis ſimplicibus, fiunt compoſita medicamenta, quæ, niſi neceſſitas urgeat, non ſunt imponenda immediatè ſuprà vulnus, & corneam tunicam, ſed ſupra palpebram, jam ſupra oculum reductam; neque dubium eſt, quin facultas medicamenti repellens, & adſtringens ad vulnus perveniat, ipſumque glutinet; quoniam cutis palpebræ, muſculus, & tunica, partes ſunt omnes tenuiſſimæ, ita ut facilè poſſit penetrare medicamentum.

Si urgeret neceſſitas medicamenta in oculum immittendi, ut ſi ſanies, vel lippitudo oculo ſuperveniret, vel alias impurus eſſet; eo caſu, abluendus eſt aqua plantaginis, vel roſarum; aut aqua roſarum, cui bolus Armena ſit mixta; vel aqua plantaginis cum modico ſief albo ſine opio. Sed utplurimum ſummæ palpebræ imponitur medicamentum, ut eſt aqua pluvialis, cui ſexta pars aluminis liquata, & incocta ſit, linteis madefactis impoſita, vel decoctum nucum cupreſſi, cum ſanguine drac. aut aqua fabarum, cum ovi albumine, ſi inflammatio adſit, cum ſucco portulacæ, & mucilagine pſyllii, quibus unitur vulnus oculi, ubi dolor non admodum infeſtat.

Quod ſi dolor urgeat, anodyna conveniunt, ut lac omne, potiſſimum muliebre, tum extra, linteis admotum; tum intrò emunctum; quo ſi chalybeato utamur, tum ad dolorem ſedandum, tum ad glutinandum, facit; ſanguis turturum columbarum pullorum, ſub alis inciſa vena, in oculum inſtillatus, prodeſt. Hoc cataplaſma mitigat. R. carnis pomorum, eorum præſertim, quæ Calamana appellantur, vel Apiola, ſub cinere calido coctorum, unc. ii. vitellorum ov. num. ii. flor. caſſiæ noviter extractæ, dracon. vi. mucilag. pſyllii, althææ ana unc. ſemis, farinæ hordei cribratæ parum, miſce, & fiat emplaſtrum. Non modo ad leniendum dolorem his utimur; ſed etiam ad inflammationem arcendam defenſiva appellata probantur, quæ intercipiunt, & cohibent ſanguinem influentem ad oculum, & non ſinunt ad partem affectam pervenire; & hæc apponuntur in fronte, temporibus, genis & in circumjacentibus oculi partibus, unde venæ excurrunt ad oculum, unde ſi argilla propoſitis partibus apponatur, ſanguis ad oculum fluens prohibetur; ſic lintea madefacta in poſca, frequenter applicantur; ſic granatorum vinum, cum mucilagine pſyllii, bolo Armena, ſanguine draconis, ovi albumine, in vino nigro auſtero, ad mellis craſſitiem mixtis, quo illinitur frons, genæ, & tempora. His curatur vulnus oculorum ſimpliciſſimum.

De Vulnere oculi, cum exitu humoris aquei.

Quod ſi vulnus majus ſit, & corneam penetret, vel conjunctivam tunicam, ex quo exeat aqueus humor, hujuſmodi vulnus fere contingit cum deperditione viſus; niſi puer ſit vulneratus, in quo Galenus voluit, humorem aqueum inſtaurari. Unde tam in puero, quàm in adulto, ſcopus eſt prohibere, ne tam multa copia humoris aquei effundatur; quod fit adſtringendo, & medicamentis emplaſticis, ſupra palpebram, & intra ipſum vulnus immiſſis; ut R. mucilag. pſyllii, thuris, gummi Arabici, tragacanthi ana unc. ſemis, quæ mucilagines in aqua hordei extrahuntur. Idem ad totum oculum valet, ſi bolum Armenam orientalem admiſcueris.

De Vulnere oculorum, cum effuſione Humoris Vitrei, & Cryſtallini.

Si ſub vulnere oculi penetrante, humor vitreus, & cryſtallinus ſit evacuatus, ad inflammationem & dolorem ſedandum, ſi adſit, ea conveniunt, quæ ſupra propoſuimus. Reliqua intentio eſt, vulnus carne implere, & quàm citiſſimè cicatrice obducere. Unde inſpergitur intus ſief album ſine opio, & cum opio, ſi adſit inflammatio, ceruſa pulveriz. pul. boli Armenæ, tuthia præparata, & alia actu ſicca, ut cicatrix inducatur; quia viſio in hoc vulnere deperdita eſt, hinc decori incumbendum eſt, quod fiet, ſi vitreum oculum, ſimilem alteri imponamus, ſic facilè deformitatem vitabimus, oculum æquivocè reſtituentes, qui aliquando ita ſimilis videtur eſſe ſano, ut etiam peritis imponat, nec videatur oculus æquivocus, ſed verus. Hujuſmodi oculi Venetiis parantur.

De Vulnere Oculorum profundiore.

Solet nonnunquam oculus vulnerari ab inſtrumento perforante, & incidente; in quo vulnere, per vias quaſdam patentes in ipſos oculos, in partem profundiorem penetrat inſtrumentum, & pervenit in baſin, & ad ventriculos cerebri; unde patientes extemplò mortui cadunt; quoniam motus ex diſſipatis ſpiritibus, ſtatim omnis deperditur, & conſequenter reſpiratio, & ita matura ſequitur mors. Quod ſi non perveniat ad cerebrum hujuſmodi vulnus, eſt curabile, & curatur ſarcoticis; prius diligenter inveſtigando, num in hoc vulnere relicta ſit inſtrumenti portio, ut mihi aliquando accidit; Tarviſio enim ad me venit quidam, qui in illa cavitate vulnus acceperat, & prætererant duo menſes, nec ſanabatur, & oculus erat humidus, & dolebat; ſecunda vice diligentiùs inveſtigavi, & extraxi fruſtulum pali, quo fuit vulneratus, longitudine dimidii digiti, & brevi fuit ſanatus, unguento de betonica in turunda, & oxelæo exterius. Quod volui animadvertere, ut non modo in his, ſed in aliis omnibus ſemper ante omnia inveſtigetis, num aliqua portio inſtrumenti relicta ſit in vulnere.

De

De *Vulneribus Naſi, & primùm de Simplici Inciſione Cutis Naſi.*

Agendum nunc eſt de vulneribus naſi, ubi ſciendum primò, naſum in parte ſuperiore habere oſſa, in inferiore cartilaginem; unde ſi vulneretur, vel poteſt tantùm vulnerari cutis; vel unà cum cute oſſa, & cartilagines, poiſſimùm in parte inferiore, ubi aliquando tam valenter vulneratur cartilago, ut naſi globus, & portio pinnæ amputetur, & decidat. Hæ ſunt ſpecies vulnerum, quæ naſo contingunt.

Si cutis tantum vulneretur, ſive in ſuperna, ſive inferna parte, omnino abſtinendum à ſutura, ad labia adducenda, & utendum glutino cum ſuis anſulis, ut cicatricis veſtigia non appareant: nam cum naſus præ omnibus faciei partibus emineat, ſpectatiſſimus eſt, unde cicatrix ſolet magis apparere in naſo, quia oculis primò objicitur, quàm in aliis partibus; propterea in hujuſmodi vulnere tutiſſimo, tantummodo pulchritudini ſtudendum, quod fiet, ſi glutino adducantur labia. Aliquando inciſio adeò exigua eſt, ut ſufficiant anguſtiſſima illa lintea, albumine ovi madefacta, pro prima vice; aliquando etiam pro reliquo tempore ſufficiunt anguſtiſſima linteola, aliquo cerato emplaſtico oblinita, & appoſita, ut in frontis vulnere fuit propoſitum: quo caſu, operæ precium eſt, ad cicatricem inducendam, uti medicamentis conſiſtentia mollibus, quemadmodum in vulneribus frontis dixi, ut cicatrix pulchra fiat, quæ vix oculis animadvertatur.

De *Vulnere oſſis naſi.*

Quod ſi vulnus naſi ſit in parte ſuperiore, cum præciſione oſſis, ſciendum eſt, proponi vulnus cum fractura junctum; unde prima intentio eſt conformare fracturam, deinde vulnus unire.

Primum fit, ponendo latam ſpatham, aut ligneam, aut ferream intra nares, quæ commodè ingrediatur; exteriùs digitis æquando, ac conformando oſſa fracta. Facta hujuſmodi oſſium æquatione, debemus intra nares imponere cannulam, vel oſſeam, vel argenteam, vel æneam, quæ rotunda non ſit, ſed potius depreſſa, reſpondens cavitati internæ narium; quæ tam longa ſit, ut in parte inferna promineat, quò auferri poſſit, quæ ſanè cannula aliquando fit ex calamo anſeris, quando non eſt aliud ad manum. Hæc cannula tria præſtat. Primò, conformatam fracturam cuſtodit, & conſervat, & prohibet, ne oſſa interiùs prorumpant. Deinde, reſpirationis uſum præſtat, dum narium foramen latum conſervat. Tertiò, præbet viam apertam excrementis à cerebro deſcendentibus; tum etiam ſaniei ex vulnere deorſum defluenti. Sed notandum, ne hujuſmodi cannula nimis ſurſum mittatur, ne moveat ſternutamentum; quia ſternutamentum labefactat conformationem fracturæ.

Conformata fractura, adducenda ſunt labia vulneris ad mutuum contactum; quod prima vice fit linteis anguſtis, ovi albumine madefactis, ac ſtupa; reliquo tempore, cum medicamentis, quæ adſtringendi vim habent; quæ ſi actu ſicca exteriùs inſpergantur, propter oſſis fracturam, quæ majora exſiccantia deſiderat, non erit abs re. Quantum ad cicatricem ſpectat, ubi oſſa unita ſunt, poterunt apponi quæ cicatricem pulchram efficiant; nam ſi humida apponantur, ratione pulchræ cicatricis, ante oſſis unionem, fieri poterit, ut callus nimis magnus ſuccreſcat, & vulnus ſit deformius, ratione hujus, quam ratione cicatricis: unde, licet in vulnere ſuperiore naſi, probaverim glutinatoria conſiſtentia mollia, propter rationem propoſitam, eſt neceſſarium uſurpare conſiſtentia ſicca; ut ſunt bolus Armena, ſanguis draconis, quæ ſint in tenuiſſimum pollinem redacta. Interdum ubi inſignis eſt fractura, eadem medicamenta ovi albumine, ad mellis craſſitiem commixta, apponimus, intus illinendo ipſam cannulam: ſed oportet ut cannula obvolvatur tenuiſſimo linteo, quo medicamentum adhæreat, ne propter lævitatem cannulæ ſtatim labatur.

Si vulnus naſi ſit in oſſe tranſverſum, opus eſt etiam deligatura; quæ ſit primò oppoſitis hinc inde duobus pulvinaribus, confectis ex linteis multiplicatis, expreſſis in vino nigro auſtero: deinde ſumpta faſcia, quæ habeat in medio foramen, quod vix naſi globulum excipiat; hæc retro ducatur ſupra caput in occipitio, & ſic impoſita ligetur; quæ faſcia arctiùs liganda, ut prohibeat caſum naſi. Sic altera faſcia anguſtiſſima ponatur in confinio naſi, & ſupremi labii, & ſimiliter ducatur hinc inde ſurſum, & ut prior ligetur. In quo caſu, ut hujuſmodi faſciæ firmiùs hæreant, & neceſſe erit faſciam orbicularem, quæ ſupra tempora ducatur, alligare, ibique filo firmare propoſitas faſcias: uti & puvilli appoſiti firmandi ſunt, & appendendi. Sic curatur vulnus naſi, quod cum oſſis fractura ſit.

De Vulnere Cartilaginis naſi.

Vulnus in naſi cartilagine inflictum, eandem cannulam requirit: deinde vulneris labia adducenda, & faſciis alliganda, iiſdemque medicamentis curanda ſunt, ut ſupra dictum eſt.

Si verò portio naſi cartilaginea, ex toto amputetur, inſanabile hujuſmodi eſt vulnus. Ne tamen tanta ex abſciſſo naſo in facie appareret deformitas, ars excogitavit reparare amiſſum naſum; & primi, qui modum reparandi naſum calluere, fuerunt Calabri, deinde devenit ad Medicos Bononienſes. Eſt tamen modus adeo laborioſus, difficilis, & longus, ut ii, qui huic ſe ſubmiſerunt, ſi rurſus indigerent naſi reparatione, non ampliùs ſe ſubmitterent. Fit, ſcarificata portione pinnæ naſi; deinde inciſa cute brachii reſpondentis majori portioni naſi deperditæ; & applicata cute, atque conſuta cum parte ſcarificata naſi, brachium poſtea capiti alligatur, ita ut neque hinc, neque inde unquam dimoveatur; quia ſi moveretur, non fieret agglutinatio. Facta glutinatione, iterum ſcarificatur naſus altis ſcarificationibus, & frequentibus, adeo ut caro rubea appareat, & cicatricis reliquiæ non appareant; tum vicina brachii portio inciditur, & apponitur naſo, & conſuitur, atque hoc toties repetitur, & efficitur, quouſque totus naſus fuerit ſcarificatus, & cutis brachii ex toto fuerit brachio ablata, & naſo agglutinata. Multas animadverſiones in hujuſmodi curatione proponerem, niſi ſcirem, hujus rei profeſſorem magnum volumen in lucem dediſſe.

De Vulneribus Genarum.

In genarum vulneribus, illud peculiare obſervavi, talia vulnera eſſe obnoxia ſanguinis profuſioni, propter venas, & arterias ſurſum per genas excurrentes, quæ ſanguinis profuſio vulneris glutinationem impedit, adeò illi primum ſit occurrendum, medicamentis, & modis in vulneribus venarum propo-

propoſitis, poſtea labiis adducendis, & glutinando vulneri incumbendum eſt; quæ iisdem prorſus medicamentis, & modo abſolvuntur, ut in vulneribus frontis propoſitum eſt. In hujuſmodi vulnere illud non eſt ignorandum, ſcilicet, non oportere vulneratum mandere, neque loqui, neque buccas inflare, neque ridere, neque flere, neque inclinato capite ſtare, neque ſpiritus cohibitione uti: nam memini, juvenem quendam in gena vulneratum, inflata bucca, focum accendere voluiſſe, & ſtatim tanta copia ſanguinis profuſa eſt, ut ferè periret.

Hæc vulnera genarum aliquando adeo profunda fiunt, propter muſculos, & multam pinguedinem, quæ oſſi ſuperſtant, ut cum non poſſint labia in profundo exactè committi, neceſſarium ſit ſinum quendam intercedere; & ſic vulnus ſimplex in compoſitum degenerat, ut carnis generatione indigeat: quod ubi accidit, omnino venuſtati cicatricis eſt attendendum; quia gena eſt pars ſpectatiſſima, unde in propoſito caſu, primò labiis glutino adductis, opportunum fuerit, foramen in parte inferna parare, quod immiſſa turunda apertum ſervetur, ut inde profunda pars vulneris expurgetur; quod eſt efficiendum, quando vulnus genæ in barbam definit, unde cicatrix ex proventu barbæ occultatur. At ſi vulnus totum extra barbam ſit, vel labia vulneris non ſunt ad amuſſim anſulis adſtringenda, ſed quadantenus amplectenda, ut per ipſa ſanies poſſit exire; potiſſimùm quod præſtandum eſt circa partem infernam; aut, quod melius eſt, oportet faſciis ita vulnus ligare, & comprimere, ut ſinus vitetur, & ita generatio, collectioque ſaniei. Hæc faſcia in vulnere genæ tranſverſo, & profundo alligari debet prima vice, in qua requiritur, ut labia ad mutuum contactum adducantur; quod cum ſuturis, & fibulis, à quibus in hoc vulnere abſtinendum, fieri non poſſit, id faſciarum compreſſione corrigimus. Ideò anguſtiſſimis linteis primò, deinde ſtupis, in ovi albumine madefactis, & appoſitis, dum miniſter manu, & digitis continet labia in unum adducta, Chirurgus debet faſciam ex duplici initio convolutam ſub mento apponere, ſurſum ducere, & arcte conſtringere, donec alligetur in capitis vertice, & hæc faſcia, in vulnere tranſverſo valde longo debet eſſe non nimis anguſta, adeò ut dimidium vulneris comprehendat; deinde alia faſcia ſimilis priori alteram vulneris partem ſtringat, & à mento ſurſum ducta, ut prima, in vertice capitis alligetur; hic eſt unus modus. Alius eſt, ut capiti vulnerati birretum Turcicum, quod geſtant Turcæ ſub Turbante, apponatur; poſtea ad tempus utrumque faſcia ſub mento trahatur, & ſic in vertice alligetur; hujuſmodi faſciæ prima vice ſolent labia vulneris adducere ad mutuum contactum, loco ſuturarum, & fibularum; à quibus abſtinendum in vulnere genæ, propter deformitatem cicatricis. Quia verò profundum eſt vulnus, & ratione profunditatis ſinus poteſt procreari in intima parte; prætetea labia propoſiti vulneris ſub prioribus faſciis poſſunt ſubſultare, & unum ſupra alterum eminere, ideò ut utrumque vitemus, ponimus alteram faſciam, quæ tranſverſa ſit, & tranſverſa facie ducta ſupra labia ſuprema, ad utrumque tempus aſſuatur: ſi opus eſt validiori compreſſione, dummodo ſine dolore fiat, pulvinar ex duplicato linteo factum, & ex vino nigro auſtero expreſſum, ſub dicta faſcia eſt apponendum; ne labium ſubſultet, & vitetur ſinus profundæ partis. Hoc fit prima vice. Secunda vice, ubi reſolvitur vulnus, glutinum cum anſulis apponitur, & propoſitis faſciis, & medicamentis ſimiliter curatur.

Deinde dimiſſis etiam faſciis, aut non omnibus obvolutis, procedendum eſt cum glutino, ac medicamentis glutinantibus, & cicatricem inducentibus, quæ conſiſtentia mollia ſint, ut in vulneribus frontis dictum fuit.

Aliud quoque experientia à me comprobatum eſt, in genarum vulneribus: nam quotieſcunque vulnera prope aures contingunt, glutinantur modo propoſito; ſed verſus autem foraminulum anguſtiſſimum, vix oculis conſpicuum apparet, per quod, potiſſimum, ubi patientes mandunt, tanta copia exit limpidæ aquæ, quæ eſt veluti lacryma ab oculis emiſſa, & durat aliquando unum, aliquando duos menſes: unde, & quomodo effluat, ego certè neſcio; ſed ad exſiccandam illam copioſam humiditatem, uſus ſum linteis madefactis in aqua thermali Aponenſi; vel cerato ex oxelæo; vel ſacro, & hujuſmodi valenter exſiccantibus.

De Vulneribus Labiorum.

Labia ut plurimum per longitudinem reſcinduntur: aliquando à nativitate labrum ſuperius infantulis apertum manere contingit; quod plurimum accidit cum amiſſione ſubſtantiæ, modò labii, modò gingivæ, aut palati. Si labium ex vulnere ſit præciſum, ſive ſit ſuperius, ſive inferius, citò glutinatur, fibula impoſita; ſed propter fili eroſionem, & deformem cicatricem, etiam imponendum eſt glutinum, quod cutem ſubſecare non ſinat. In fibula imponenda, & jam impoſita omnino ab omni labii motu eſt abſtinendum, qui vel mandendo, vel loquendo, & hujuſmodi fiat. Nam cum aliquando tentarem ſuere labium, æger in riſum movebatur; & nunquam fuit poſſibile acum tranſmittere, donec abſtineret à riſu; poſtea eadem medicamenta applicanda cum ovi albumine.

Quod ſi labio ſuperiore diviſo naſcatur infans, quia hujuſmodi ſolutio unitatis eſt cum amiſſione ſubſtantiæ, vel labii, vel gingivæ, vel palati, oritur indicatio reficiendi ſubſtantiam deperditam; quod ſi à natura non abſolvatur, multò minus à Medico; quia opus naturæ eſt. Non poteſt natura hoc præſtare pluribus de cauſis, ac potiſſimùm, quia labia infantis, vel mammas, & papillas apprehendendo, vel vociferando, vel flendo, continuo in motu ſunt, qui impedit ſanationem. Quod ſi à natura caro non procreatur, arte labia reciſa glutinentur, & ad mutuum contactum adducantur; cum ſua mollitiæ facilè extendantur, & adducantur, etiamſi ſubſtantia deperdatur; quod faciliùs in infante præſtatur ſutura, vel fibula: at in adultis, prudentioribus, fibulæ tantum ſufficiunt; non verò in pueris, propter motum prædictum; unde neceſſarium eſt glutinum, ut conſervet fibulas, ne labium erodant.

In fibulis imponendis, nonnulli ſunt, qui communi utuntur fibula; quæ imponitur, tranſmiſſa acu per utrunque labium, facto deinde puncto; ſed oportet acum longiùs à fiſſura labii tranſmittere, quò valentiùs hæreat fibula, & non abrumpatur. Alii ſunt, qui infigunt acum per utrumque labium reciſum, deinde inibi relinquunt eandem, & filum pluries circa acum obvolvunt. Ego verò paro mihi acus, in altera extremitate acutas, & rigidas, in altera verò molles, & flexibiles: hæ infiguntur per utrumque labium, inibique relinquuntur, & pars dextera reflectitur in ſiniſtram, & ſiniſtra ſupra dextram; & tot acus infiguntur, & relinquuntur, quot ſunt neceſſariæ, ut fiat adductio labiorum ad mutuum contactum; ſuper

per quas acus apponitur linteolum, albumine ovi madefactum; & eatenus ſervantur acus infixæ, quouſque facta labiorum proba glutinatio, & hic modus eſt tutior; quoniam minus eroditur cutis tranſversè ab hujuſmodi acubus, quàm filo: ſed oportet, antequam fibulæ imponantur, ſcarificare ex omni parte labium diviſum, ut eo reducto ad mutuum contractum, per fibulas uniri poſſit.

De Vulneribus Auricularum.

Accedamus modò ad vulnera auricularum, ſive ex toto abſcindatur auricula, ſive aliqua ejus portio. Quod attinet ad portionem auriculæ, quæ ex toto decidit, tutiſſimum eſt vulnus, quoad vitam. Quod ſi auricula ita abſcindatur, ut portio inciſa conjuncta ſit ſanæ, hanc cum ſana conjungere oportet, vera ſutura, quæ fit filo continuato, & tranſmiſſa acu per utrumque labium; deinde ſupra vulnus revoluta, rurſus ex eodem latere tranſmiſſa, revolutaque, quouſque tota ſutura completa ſit; in qua perficienda, ſubjectam cartilaginem vitare oportet, quia puncta inflammatur, & putreſcit. Quare tantum cutem conſuere oportet, incipiendo primò ab una extremitate vulneris, ſive ſuperna, ſive inferna; deinde verò devenire ad alteram extremitatem; & facta hoc modo ſutura in una parte, ut puta ſuperna, conſuenda eſt etiam inferna, id eſt, pars adverſa; nam ſi conſueremus tantum ex una parte, adverſa pars non glutinaretur; aut curvata auricula maneret proinde deformis, & turpis. Aliquando ubi auriculæ portio abſcinditur, ita tamen ut reliquæ ſit adjuncta, poſſumus abſtinere à ſutura, atque ita vitare occaſionem inflammationis, & doloris; & ad labia ad mutuum contactum adducenda, poſſumus uti linteolis anguſtiſſimis, vel in ovi albumine madefactis, vel aliquo medicamento emplaſtico oblinitis, quæ ſufficiunt ad labia vulneris adducenda. Emplaſticum eſt, quod componitur ex maſtiche, & reſina terebinthina, oleo roſaceo, & pauca cera.

Poſtquam vero ſuturis, vel materia jam dicta, portio auriculæ præciſa cum ſana commiſſa eſt, indigemus glutinantibus, quæ in parte ſicciſſima debent etiam eſſe ſicciſſima, ut eſt bolus Arm. balauſtia, pulvis roſarum rubearum, malicorii, qui pulvis conſervatur ſupra partem affectam vel emplaſtro barbaro, vel diapalma. In tota curatione vulnerum auricularum, perpetuo ſolicitos eſſe oportet de meatu auditorio, prohibentes, ne à ſanie repleatur; unde obſtruendus eſt, vel goſſipio, vel ſpongia; per intervalla etiam eſt detergendus goſſipio, vel ſicco, vel vino nigro madefacto.

De Vulneribus Linguæ.

Lingua etſi intra os conſiſtat, ſepto dentium munita, & ab omnibus injuriis tuta videatur, accidit tamen aliquando eam vulnerari, cum non modo offenſores externos, verum etiam domeſticos obtineat; quoniam ubi genæ, & buccæ inciduntur, & perforantur, ſolet etiam lingua nonnunquam vulnerari; imò ſæpè à dentibus propriis reſcindi, ubi in valido dentium concuſſu lingua intercidat. Hæc autem vulnera fiunt vel cum omnimoda totius abſciſſione, vel alicujus tantum portionis; prius ſi accidat, abſciſſam partem exſpuere oportet, nec eſt quod eam glutinare tentemus; quia abſciſſa portio penitus eſt mortua, & mortuum vivo non adjungitur.

Quod ſi linguæ portio abſcindatur, ita tamen ut corpori linguæ hæreat, hæc ſpecies vulneris curabilis eſt: ſed conſiderandum eſt, num portio præciſa vivæ conjuncta ſit, ut quodammodo vibret, propter quam rationem difficulter admodum poſſumus ſperare glutinationem; vel portio præciſæ linguæ corpori magis appenſa ſit. Sed ſive portio præciſa parum vivæ adhæreat, ſive multum, omnino vitare debetis omnimodam abſciſſionem, ut plerique facere conſueverunt. Quod præceptum perpetuum eſſe volo, non modo in lingua, ſed in omnibus faciei partibus, naſo, digitis, & hujuſmodi; quoniam ſæpe, præter ſpem Medicorum, partes agglutinantur, quæ mens non concipit glutinari poſſe; & ſi præſcindantur, omnino perit uſus, & contrahitur deformitas; ut in lingua, & labiis perit locutio; in naſo, & auricula, præter uſum amiſſum, deformitas paritur. Cauſa autem, ob quam ſæpè, præter ſpem glutinantur partes, quæ modicè vivæ adherent, eſt, quia ſi per illam partem, quæ vivæ adhæret, parva excurrat vena tantum, hæc poteſt illam nutrire, & vitam præſtare; nam ſi in brachio, cutis portio ex toto abſciſſa agglutinatur naſo, multo magis poſſibile eſt, eandem portionem ſuo toti agglutinari. Hoc vos admoneo, quoniam multi ſunt, qui contrarium faciunt, exiſtimantes ſe magnum facinus patraſſe, ſi fruſtulum partis à ſe inciſum oſtentent, cum tamen indignum commiſerint: & quamvis non ſuccedat glutinatio partis commiſſæ, nihil tamen ex ea re amittimus, cum natura ſolet deinde vivum à mortuo ſeparare; unde ſoli naturæ negotium eſt committendum, cum noſtium tantum ſit labia ad amuſſim adducere ad mutuum contactum.

In quocunque ergo vulnere linguæ, in quo pars præciſa ſanæ adhuc conjuncta ſit, ſunt mutuo applicanda labia; quod licet difficillimum factu ſit, quia inter præſidiorum materias, quę mutuò labia adducunt, glutinum, & deligatura, aliena ſunt, ſutura tamen convenit: hæc vero ut efficiatur, non dici poteſt, quam difficile ſit, & niſi lingua extrahatur extra os, etiam impoſſibile. Ad trahendum foras linguam, nonnulli pręcipiunt, linguam à patiente extra miſſam, linteo mundo tenui apprehendendam eſſe, ne elabatur; ſed ad hoc, ego forcipes paravi, inverſas ſemi orbiculares, obvolutas linteo, quibus apprehenſa lingua foras trahitur, & tutiſſimè tenetur; & hoc inſtrumento quoque utor, dum volo incidere vinculum ſub lingua.

Foras extracta, & exporrecta lingua, accedimus ad ſuturam, quæ dupliciter fieri poteſt; vel ſi ſolum linguæ corpus conſuamus; vel ſi tantum linguæ tunicam ſutura apprehendimus, dimiſſo corpore. Inter duos pędictos modos ſecundus videtur magis opportunus, & tutior à dolore, & inflammatione. Dicebat Celſus, lib. 5. c. 26. quod quò minùs acus corpus tranſit, minores inflammationes ſequuntur; at minùs tranſit, ſi tunicam tantum, quam ſi etiam corpus tranſeat.

Facta hoc modo ſutura, & ſic linguæ portione cum reliqua conjuncta, medicamenta deinde glutinatoria adhibenda ſunt, quę imponenda ad inflammationem arcendam, vel ad glutinationem moliendam: hæc vero, neque oleoſa, neque emplaſtica, vel unguenta ſint; quia ſtatim diffluunt, tum ex ſe, tum quia ab humore linguæ remolliuntur: nam lingua, dum ſana eſt, humiditate ſcatet, quando vero vulneratur, humiditates ſunt copioſiſſimæ, ideò ea medicamenta ſunt opportuna, quæ diu in ore continentur, & verſantur cum lingua; ut ſunt pulvis boli Armenæ, ſanguinis draconis, myrtilli nec ſunt improbandi, aliquamdiu detineantur, ſed ſi ab humiditatibus linguæ ſtatim fluant, liquores tantum in ore tenendi ſunt, qui præterquam quod glutinant & inflammationem arcent, etiam abluunt ſaniem, ſi quæ congeratur & humores affluentes ſimiliter eluunt, & exſiccant. Unde hæc medicamenta ſint ſicca, valenter adſtringentia, ut vinum granatorum, cum aqua aluminis; vel

aqua

aqua plantaginis, cum ſyrupo de ribes, aut decoctum piloſellæ, cum ſyrup. de roſis ſiccis, aut aqua hordei cui modicum alumen ſit incoctum, decoctum balauſtiorum, malicorii, cum ſyrup. cydoniorum, aut decoctum rubi cum aqua fabrorum, ſi adſit dolor, lac ſem. melonum. ſerum chalybeatum. Addatur peculiaris victus ratio, ut frigidis, & liquidis nutriatur, ut priſana hordeacea, panatella liquida, cum ſem. melonum; vitelli ovorum in jure carnis, quod inſtaurans vulgo dicitur. Hæc ſunt medicamenta ad linguæ vulnera opportuna.

De Vulneribus Colli.

Poſtquam egimus de vulneribus faciei, nunc deſcendamus ad Vulnera, quæ in collo, & cervice fiunt. Collum autem dicitur ea pars, quæ capiti proximè ſubjacet, & inter faciem, & pectus collocatur, figura rotundum; ita dictum, quod caput quaſi columna ſuſtentet. Hoc cùm ex pluribus partibus componatur, plures in eo vulneris ſpecies contingunt; particulariter autem, præter cutem, & ſubjectos muſculos, in parte anteriore colli collocatur aſpera arteria, ſub qua gula ponitur; paulo autem à lateribus, venæ, & arteriæ ingulares ponuntur, parte poſteriore, ſpina eſt, anterius, & ſupra, guttur, ſeu larynx; quemadmodum infra ad jugulum, ubi cavitas eſt, venæ, & arteriæ inſignes jugulares, & axillares poſitæ; ideò de quatuor colli vulneribus privatim agemus. Si collum in parte anteriore vulneretur ſolet lædi aſpera arteria, & gula; in anteriore parte, ſupra, larinx; infra vero inſignes venæ, & arteriæ jugulares, & axillares; in parte poſteriore ſpinalis medulla.

Generaliter nullum colli vulnus periculoſum eſt, etiamſi totum pertranſeat, ab una ad alteram partem, niſi aliqua prædictarum partium vulneretur; quo caſu, vel vulnus eſt mortale; vel periculoſum.

De Vulnere Aſperæ Arteriæ.

Vulneris in aſpera arteria facti ſignum eſt, ſpiritus per vulnus emiſſus, tuſſis, exitus ſanguinis per os, amiſſio vocis, denique hoc vulnus atteſtatur, medius colli locus. In eo curando, ſi tranſverſum inflictum ſit, neceſſarium eſt ægrotantem deprimere caput, & collum; ſi per longitudinem, attollere, quo vulneris aſperæ arteriæ labia coeant & ſimul jungantur; inſuper, patientem recta cervice potius ſtare convenit, ne ſanguis, & ſanies in aſperam arteriam deſcendant. Quo facto, vulnus ſuendum eſt, vel ſutura vera, vel fibulis, quæ labia vulneris ad mutuum contactum adducant. Deinde medicamentum eſt imponendum, quod glutinatorium ſit; ita tamen vulnus glutinet, ne humor, ſanguis, & ſanies in aſperam arteriam, cum periculo ſuffocationis illabantur; Sed ita exterius glutinare oportet, ut per ipſa labia exterius natura poſſit vulnus purgare.

Hujuſmodi autem glutinatoria, magis futura ſunt emplaſtica quàm adſtringentia, conſiſtentia potius humida, quàm ſicca; ut R. reſinæ terebinthinæ, cum aqua portulacæ lotæ, unc. i. pul. maſtiches, drach. 1. ſemis, olei hyperici, drach. iij. albumina cum vitellis ovorum, quot ſufficiunt ad efficiendum medicamentum ad formam unguenti. Oleum Hiſpanicum, ſupra in vulnere carnis traditum plurimum præſtat. Hac ratione curatur vulnus aſperæ arteriæ, quod periculo non vacat; tum propter inflammationem, quę arctando poteſt ſuffocare; tum propter humorem in aſperam arteriam deſcendentem, qui etiam ſuffocationis adducit periculum.

De Vulnere Gutturis & Laryngis.

Quod ſi vulnus in gutture, & larynge factum ſit, ſigna ſunt; locus ſuperior colli, vocis amiſſio, & aëris, ubi ad cavitatem pervenerit, exitus. Magis eſt periculoſum, quam vulnus aſperæ arteriæ, tum propter loci anguſtiam, quæ minatur periculum ſuffocationis, ſi locus ſanguine, ſanie, & hujuſmodi repleatur, tum quod hæc pars habet muſculos circumpoſitos, qui ſunt rubei, & ſanguinei, unde angina oriri ſolet. Quare magis oportet eſſe ſolicitum Medicum de cura totius.

Quod ad partem affectam, eodem modo in hoc vulnere medicamentis procedendum eſt ut in vulnere aſperæ arteriæ dictum eſt. Quod ſi ſub ſutura facta, & appoſitis medicamentis immineat ſuffocationis periculum, quia cavitas laryngis ſit repleta, inflammata, vel coarctata, ut reſpiratio effici non poſſit, eo caſu, debemus vulnus dilatare, atque fiſtulam argenteam, altero extremo recurvam, ex altero verò in tubæ formam dilitatam, immittere; quæ perveniens ad cavitatem reſpirationis, aëri ingreſſum præbet. Ubi verò cauſæ ſpiritum obſtruentes ablatæ ſunt, eſt auferenda etiam cannula, & glutinando vulneri, vel carnis generationi incumbendum. Quod dixi de fiſtula, non modo in hoc vulnere laryngis, ſed etiam aſperæ arteriæ, locum habet.

Si vulnus ſit anterius, in inferiore parte, & colli cavo, ita ut tam alte penetret, ut ſanguis ex vulnere erumpat, mortale eſt; quia tantus ſit ſanguinis ruentis impetus, ut ſtatim cum ſanguine effundatur vita. Unde hujuſmodi cavitas ab antiquis jugulum eſt appellata; quia eo læſo, animalia jugulentur.

De Vulnere Venarum, & Arteriarum Jugularium.

Vulnera colli, ſi magis à lateribus fiant, quia ibi excurrunt venæ, & arteriæ jugulares, ideo ſimiliter ſit ſanguinis effuſio, quæ efficit vulnus lethale, potiſſimum ſi arteria, vel vena interna vulneretur, at ſi vulnus fiat parvulum, & in externis venis, vel arteriis, & Chirurgus tempeſtivè accedat, ubi medicamentis in vulneribus venarum, & arteriarum propoſitis, ſanguinem ſiſtere non poteſt, ſtatim debet hamo apprehendere vas vulneratum, & attollere, deinde partes utrinque filo ligare, & tranſverſum totum vas præſcindere; ſic poterit refrænari ſanguinis profuſio, quæ vitam è veſtigio tollit; ita æger curari poteſt; licet factu difficile ſit. Cetera vide in vulnere venarum, & arteriarum.

De Vulnere Spinalis Medullæ.

Collum, ſi in poſteriore ſui parte vulneretur, cervix læditur. Si vulnus illatum ſit muſculoſæ cervi-

cervicis parti, jam propoſita eſt curatio, at ſi ad medullam ſpinalem pervenerit; adeò ut vel tota ejuſdem; vel pars præcidatur, quomodocunque vulnus fuerit mortale eſt: nam ſi tota præſcindatur, ſtatim deperditur motus & ſenſus totius corporis; nec non quaſi tota reſpiratio, & multis motus ad vitam neceſſarii, hinc ſequitur mors. Quod ſi non tota ſpinalis medulla abſcindatur, ſed tantum vulneretur, neceſſario ingens ſequitur convulſio; ac proinde matura mors. Quia verò ſuccurrendum eſt miſeris ægrotantibus, remediis, quæ poſſunt etiam ipſos aliquando ſanare, præſertim cùm plura præter medicorum opinionem, contingant; ideò imponenda ſunt ea, quæ dolorem leniant, convulſionem arceant; & quæ etiam ſaniem exiccent ſine morſu.

Medicamenta oleoſa ſunt huic intentioni accommodatiſſima; unde probatur oleum hyperici inſtillatum; aut ol. de lumbricis, cum modica portione Theriacæ, vel Mithridatii; aut ol. de vitellis ovorum, balſamum nigrum, vel luteum, aut ol. Hiſp. ol. de cera, aut maſtichinum cum terebinthina. Quo caſu, oportet totius ſpinę habere rationem, inungendo oleo vulpino, maſtichino, de caſtoreo, & de lumbricis. Nec modo ſpinæ totius; ſed etiam capitis habenda cura, perfundendo totum caput oleo camæmelino lumbricato. Reliqua in vulneribus nervorum ſunt propoſita.

De Vulneribus Gulæ.

Præſtat in collo gula, quæ ſi vulneretur, ſigna ſunt, difficultas deglutiendi, vomitus, exitus cibi, & potus per vulnus; quia vero gula in profundiſſima colli parte conſiſtit, fieri ferè non poteſt, ut ea vulnerata, non etiam aſpera arteria, venæ, & arteriæ jugulares, & nervi reccurrentes vulnerentur; ex quo fit, ut præter propoſita ſigna, quæ ſignificant gulam vulneratam, conjungantur ea, quæ aliarum partium vulnus manifeſtant. Qua etiam ratione fit, ut vulnus gulæ, quo ſua natura periculoſum eſt, ſæpè tamen lethale fiat, propter conjunctionem aliorum vulnerum, & ſæva ſymptomata, quæ illa ſequuntur; nam ubi venæ, & arterię jugulares vulnerantur, ſtatim ſanguinis profuſio ſupervenit; in univerſum, vulnus gulæ periculoſum eſt, tum propter deglutiendi difficultatem; tum quia perſæpe inflammatio communicatur ori ventriculi, ex quo oriuntur ſęva ſymptomata. Licet hoc quoque experientia compertum ſit, non paucos ex vulnere gulæ ſupervixiſſe, unde proponenda eſt curatio.

Vulneris gulæ curatio in eo conſiſtit, ut conſuatur vulnus vera ſutura, aut fibulis; ita tamen ut labia vulneris ad mutuum contactum, vel non omnino ducantur, ne ſanies intus collecta detineatur, ſed per labia exire poſſit; vel ſi conſilium ſit omnino adducere, in inferiore parte foramen, turunda impoſita, ſervandum eſt apertum, tum ut detur exitus ſaniei; tum ut ſi cibus exeat, non poſſit intus detineri; & eſſe cauſa inflammationis, ideo medicamenta emplaſtica, ſupra in vulnere aſperæ arteriæ propoſita, ſunt convenientiſſima. Præter hæc, apponendum exterius aliquod emplaſtrum, quod inflammationem arceat; ut quod conficitur ex farina hordei, oleo roſato, ſapa, & vino nigro.

Sed in hoc vulnere potiſſimum victus ratio requiritur; nam cum deglutitio cibi, & potus perpetuo ſit difficilis, nonnunquam ex toto adimitur. Ubi difficulter deglutiunt, exhibendi ſunt cibi illi, qui ſint liquidi, & plurimum nutriant; ut copia ciborum ſit ſufficiens, alioquin plurimum nutrientes cibaria non convenirent, inflammationi arcendæ, unde contuſum liquidum; ovum ſorbile, aqua carnis, inſtaurans dictum, convenit, juſcula item, quibus aliquandiu portio pulli ſit incocta, jus conſummatum appellatum, item lac ſem. melonum, lac caprinum, & hujuſmodi, quæ liquida ſunt, nec gravant, & plurimum nutriunt, tanquam opportuniſſima exhibenda ſunt.

Quod ſi omnino ablata ſit deglutitio, ita ut nihil poſſit in ventriculum deſcendere, eo caſu, ne ægrotantes fame pereant, debemus nutrire per clyſteres, immiſſos in anum; quos nutrire poſſe teſtatur Oribaſius, & Aetius, uti ipſa Anatome oſtendit, per venas meſaraicas, pervenientes ad inteſtina, fieri poſſe tranſumptionem cibi ad jecur. Quare clyſteres fiant ex cibis ſupra poſitis, ſecluſis iis, quæ irritant naturam ad expulſionem. Quando autem cibandi ratio neceſſaria eſt, debetis primò expurgare inteſtina à fæcibus. per clyſterem; qui vim habeat, educendi eaſdem, utpote qui ſalem recipiat, præter mel roſaceum, aut ſaccharum rubrum, oleum, & alia, quæ molliendo, & detergendo fæces abluunt, & naturam ad expulſionem irritant. Evacuatis fæcibus, immittendi ſunt clyſteres ad nutriendum apti; prætermiſſis oleo, ſale, ſaccharo, & his, quæ poſſunt irritare expultricem; quibus immiſſis, imperandum; ut diutius eaſdem detineant.

De Vulneribus Articulorum.

A collo, deſcendimus ad thoracem, inde ad abdomen, quorum vulnera extra, & intus facta, etiam cum partium internarum læſione, ſupra executi ſumus; ut modo ſuperſint brachiorum, & crurum. Omitto hoc loco penis, & teſticulorum vulnera; quæ partes raro, vel nunquam vulnerantur, & eandem cum abdomine requirunt curationem. In brachiis, & cruribus nos dimiſſis vulneribus, quæ in parte carnoſa contingunt, de quibus aliàs à nobis abundè tractatum eſt, devenimus ad eas partes, quæ peculiarem expoſcunt curationem, ut ſunt vulnera articulorum, quæ ultimo loco in hoc tractatu de Vulneribus ſuperſunt. Articulus ex Galeno lib. de oſſibus, in principio, eſt oſſium compoſitio, ad motum voluntarium comparata, quæ compoſitio ad minimum fit ex duobus oſſibus; præterea ex ligamento orbiculari, alligante ambo oſſa, adeo ut ſe mutuo contingant, aliquando etiam ex ligamento rotundo, quod in profundiſſima oſſis parte conſiſtit. Hæc conjunctio, quæ articulus appellatur, obtinet profundiores partes, quàm cæteræ; quo fit, ut omnis articulus tegatur muſculis, tendinibus potiſſimum, venis, arteriis, & nervis. Ex quo ſequitur, & experientia quotidie monſtrat; articulorum vulnera, non modo curatu difficillima, ſed periculoſa, ac lethalia eſſe. Periculoſa ſunt, ac lethalia, quoniam rarò fit, ut articulus vulneretur, & vulnus perveniat ad articulationem, id eſt, ad oſſa incidenda, quin partes ſuperiores, quæ movere articulos, cum illis vulnerentur; unde ſi venæ, & arteriæ vulnerentur, ſanguinis profuſio oritur, propter quam periculoſum redditur vulnus; ſi tendines, & nervi, ſtatim inſignes dolores oriuntur, quibus inflammatio, & ſpaſmus ſupervenit. Unde hujuſmodi vulnera ratione aliarum partium, quæ neceſſario vulnerantur, fiunt periculoſa. Dixi, neceſſario propoſitas partes vulnerari; quia utplurimum carnem ſuperpoſitam

non

non habent, quę in ſe vulnus recipiens, defendat à vulnere venas, arterias, tendines, &c. Sunt etiam vulnera articulorum periculoſa, & difficilis curationis, ratione ſuæ naturæ ſeu naturæ articulorum, quia cum natura carnem generet, & glutinationem moliatur in ipſis vulneribus, hæc in ipſis articulis admodum eſt imbecillis; & redditur imbecillior, ob acceptum vulnus; ſunt enim articuli imbecilles, quia exangues, frigidi, & excarnes: addo, quod cum articuli conſtent ex ligamentis membranoſis, hujuſmodi non poſſe glutinari teſtatur 5. Aph. Galenus, his verbis; veſica non glutinatur, quia frigida, & exſanguis eſt; ideò non mirum, ſi ſint periculoſa, aut ſaltem ſanatu difficilia, & diuturnam expoſcant curationem articulorum vulnera.

Horum vulnerum alia ad articuli cavitatem pertingunt, alia non. Quæ non pertingunt, potius appellanda ſunt vulnera ſupra articulos facta, quoniam non perveniunt ad cavitatem articuli; in quibus ſi tendines, aut nervi vulnerentur, curandi ſunt ut vulnera nervorum; ſi verò venæ, & arteriæ vulnerentur, oportet talia vulnera curare, prout ſuo loco dictum eſt. Sola autem ea articulorum vulnera cenſenda ſunt, quæ ad articuli cavitatem pertingunt, in quibus ſaltem orbiculare ligamentum inciditur; interdum aliqua pars capitis oſſis. In his autem vulneribus curandis ſtatim oritur dubitatio, num conſuenda ſint, nec ne; nam in praxi, ſunt qui conſuunt, & adducunt labia ad mutuum contactum, & glutinare tentant; alii relinquunt vulnus apertum, & carnis generationi ſtudent. Qui renuunt ſuturam, dicunt non oportere ſuere. Primò, quia conſuitur pars, quæ uniri non poteſt, ut eſt ligamentum, quod cum nervoſum, & exangue ſit, non poteſt uniri, ex Galeni ſententia. Secunda cauſa eſt, quia adſtringendo labia vulneris ſutura, includimus in profundo ſaniem, quæ copioſiſſima cohibetur aliquando mucoſa, aliquando tenuis, & ſic inflammatio abſceſſus, & non raro gangræna oboritur. Ego verò memor ſententiæ Galeni 3. de Fract. qui aſſerit, quod omnia ſub cute conſtituta, gaudent operculo cutis, & conſiderans, quod articuli cum ſint frigidi, exangues, excarnes, calore depauperati, facilè in iis extinguitur calor innatus, præcipuè ſi aëri frigido exponantur; propter hanc rationem, hujus opinionis fui, ut articulorum vulnera ſuerentur, & labia ad mutuum contactum adducerentur. Ad rationes in contrarium adductas & primò ad primam; reſpondetur, quod in his vulneribus ſatis eſt cutem mutuò applicare ſuturis, aut fibulis; & ſic vulnera à frigiditate aëris tueri, & tegere articulum cute, id eſt, naturali ſuo integumento, intacto à ſutura ligamento; niſi fortè puer ſit, in quo propter partium mollitiem unio ſperanda eſt, in quo ſi ligamentum conſuatur, & vulnus totum ſimul adducatur, facilè hęc operatio abſolvetur, tum quia ligamentum ſua natura robuſtum eſt, & ſuturæ hærent, tum quia fit ſine dolore, ſenſu enim privatum eſt ligamentum. Verum ſi huic obſtare credat, quod hoc modo conſuta cute, & ligamento dimiſſo, cavitas in parte interna paretur, ideo vulnus carnis generatione potiùs curandum; propterea quod per ſecundam rationem, intus ſanies cum periculo colligatur, ſi vulnus conſuatur. Reſpondetur, nos parum curare in his vulneribus, an vulnus cavum relinquatur, vel carnis generatione curetur; ſed tamen curamus, ne vulnus atque articuli nudi aëri frigido exponantur; quia imminet periculum extinctionis caloris, unde gangrænæ oriuntur: aut ſi hoc non ſuccedat, nulla concoctio umquam in vulnere apparet. Neque propterea ſequitur, nos concluſuros intus ſaniem per ſuturam; quoniam ita volumus eſſe conſuendum vulnus, ut ſanies poſſit expurgari.

Ex his diſcendum eſt, qua ratione labia vulneris per ſuturam ſint ad mutuum contactum adducenda; ita ſcilicet, ut in extremitate declivi foramen relinquatur, in quod turunda, mittatur, & ita ſanies expurgetur. Quo facto, medicamentum eſt imponendum, aliud ſupra ſuturam, aliud ſupra turundam. Supra ſuturam, glutinatorium, vel emplaſticum ponendum ut eſt hoc. R. Maſtiches, boli Armenæ, aloës, ana drach. i. miſce, fiat pulvis tenuiſſimus, & inſpergatur. Humidum medicamentum eſt, quod. R. Maſtiches, aloës, ana drach. i. reſinæ abietinæ, unc. i. olei hyperici unc. ſemis. Miſceantur, atque turundæ immittendæ apponantur.

Quando vulnera pertingunt corpus ligamenti, & articulum, valde ſiccum futurum eſt medicamentum, multis de cauſis; tum quia ligamenta, & oſſa, quæ articulum componunt, ſua natura ſunt ſicciſſima, & proinde ſiccis gaudent; tum quia ſenſu privata ſunt, & tolerant robuſtiſſima medicamenta; tertiò, quia copioſiſſima ſanies effluit ex vulneribus articulorum, modo mucoſa, modo tenuis, & neceſſe eſt medicamentum non obrui, neque facultates obtundi, ideò valde exſiccans debet eſſe medicamentum. Quare plerique volunt, abſtinendum eſſe à relaxantibus, emollientibus, humectantibus, & omnino oleoſis medicamentis, niſi dolor urgeat. Volunt præterea eſſe imponenda conſiſtentia ſicca. Ego vero, etſi libenter ab hujuſmodi oleoſis abſtineo, utor tamen turunda, unguento de betonica imbuta, quam poſtea revolvo ſuper pulverem tenuiſſimum, qui R. myrrhæ, rad. iridis, betonicæ, colophoniæ ana drach. i. miſceantur, & pulverizatis ſubtiliſſimè, interdum adhibeo Theriacam, cum trochiſcis Andronis, Paſionis, & Polyidæ. Similiter turundæ admoveo, aut cum turunda immitto aliquando ol. Hiſpanum; vel balſamum luteum, vel nigrum intus infundo, præſertim pueris, & natura humidioribus aliquando uſurpatur turunda cum hoc medicamento. R. Terebinthinæ drach. vi. gum. Elemi drach. iv. ol. hyperici drach. iij. bol. Armenæ, ſang. draconis ana drach. i. aquæ vitæ drach. ij. Liquefiant ſimul omnia lento igne; deinde adde pul. rad. iridis, aloës, maſtiches, myrrhæ, ana drach. i. miſce. Et hoc erit medicamentum opportuniſſimum ad abſumendam ſaniem univerſam, & carne replendam cavitatem. Extrinſecus ſiccantia competunt, ut eſt ceratum de betonica: at ſi nulla adſit inflammatio, vel dolor, adhibenda quæ aliquo pacto trahunt ex alto, ut ceratum barbarum cum dimidia parte ſacri. Hæc igitur ſunt medicamenta, ad vulnera articulorum ſananda.

Philippi Aureoli Paracelſi. utriuſque Medicinæ Doctoris, De Vulneribus, Liberi, Tractatus Primus, de iis quæ ad Chirurgum pertinent.

Cap. I. *Quid ad primum Vulneris intuitum Chirurgum & ſcire, & judicare oporteat.*

INter plurima quæ Chirurgum noſſe decet, primum ac præcipuum illud eſt: ut quocunque tandem oblato vulnere, primo ſtatim intuit, quale nam illud ſit, cognoſcat: quo de curationis poſſibilitate, ac fine, certi quid prædicere queat: ne forſan magno

gno ſuo artiſque dedecore ac incommodo, aliquid quoad naturæ impoſſibile ſit, polliceatur: vel agendo citra id quod natura præſtare poterat, non ſine ægri magno malo ſubſiſtat; omnino enim naturæ vim ac virtutem prædictionum normam conſtituere medicum decet. Siquidem omnes conatus irriti evadunt, ac oleum & opera luduntur, ſi quid attentemus naturæ viribus ſuperius: ſin minus quàm natura poſſit promittamus, duplex eſt periculum: nem vel ægri damno, naturæ non, ut decet, auxiliamur: vel noſtram ipſorum ignorantiam detegimus, dum naturæ potentiam nos non cognoviſſe ipſi prodimus. Itaque ut & artis & naturæ, tum ſui ipſius rationem habeat Medicus, neceſſarium eſt, quod tria hæc non niſi ſimul ſubſiſtant, ac uno deficiente, reliqua ſtatim corruant quoque.

Memineris itaque Naturam ſic comparatam eſſe, ut ſui ſimilis ſemper permaneat, nunquam vim ſibi fieri à medico patiatur: ſed ſic arti præeſſe, ut ad ipſius nutum ac voluntatem, te & artem tuam mutari neceſſe ſit. Curabis ergo, ut talia illi remedia adferas, quæ ipſa non reſpuat: conſtitutum enim jam hoc eſt, te naturam, non ipſam te imitari ac ſequi oportere, artis itaque ſummum myſterium erit in naturæ & remedii convenientis cognitione: hæc enim celerem efficiunt curationem. Membrum in totum reſectum, nunquam agglutinabis: abſciſſum, non tamen plane, nemo eſt qui ſic reponere poſſit; ut nihil ſuperſit incommodi: paralyſeis ex nervorum vulneribus nunquam tolluntur, quemadmodum & læthalia vulnera curationem non admittunt. Iſtiuſmodi ergo curationes cave aggrediaris, quod earum pollicitationes ridiculæ & ſint, & habeantur: ſufficiat tibi inſpecto vulnere, quid per naturam fieri poſſit, cognoſcere, ac artis beneficio efficere; cujus particulares præceptiones, ut ſunt quæ ad glutinationem pertinent, quod eæ uſu ac experientia quam ex ſcriptis cognoſcantur rectius, ſcribere intermitto: hoc tamen obſerves velim, ne tua inſcitia naturæ damnum inferas. Sæpius enim Chirurgos ac tonſores jactabundos audias, qui naſum triduo ante abſciſſum, & ſero tandem in nive repertum: digitos etiam præſectos, & alia portentoſiora quoque glorientur ſe reſtituere poſſe. Ego quoque memini, cum apud Forum Julii eſſem, me tonſorem vidiſſe, qui magna omnium admiratione, cuidam, cui auris præſecta erat, eam cemento adglutinarit, verum gloria ea brevis ac inanis fuit: nam altero poſt die ſuppurata, ſtatim decidit, ipſeque vulgi fabula factus eſt. Hujuſmodi jactantiam quis probet? Ego in medico veritatis ſtudium, induſtriam, gravitatem, præ omnibus aliis virtutibus requiro: orationem quoque naturæ congruentem, quæ apud rerum peritos fidem mereatur, glorioſam eſſe medico notum eſſe puto.

Signorum præterea cognitio, ac ſymptomatum, quæ vulneribus quotidie ſuperveniunt, peritia admodum neceſſaria eſt: ut quid ea mali portendant ac deſignent, cognoſcas & ſymptomatum difficultates præcavere poſſis: etenim ſi ſanorum corpora tot caſibus ſunt expoſita, quid in ægro ſperandum putas? ubi ſyderatio, atrophia, apoplexia, comitialis morbus, vulneribus ſupervenire ſæpiſſime conſpiciuntur: quæ niſi tu cognoſcas, & prævideas, tua inſcitia magnum & tibi & ægro conciliabis malum: quoniam majus ſæpe damnum videmus ex incuria medici, ac ſymptomatum contemptu, quam ab ipſomet vulnere naſci, quæ mala facile avertes, ſi & ſignorum & ſymptomatum glorioſam habueris cognitionem. Cognitionem non ſimplicem, qualis fabrorum & cerdonum eſt in ſua arte: ſed abſolutam, & ſcientificam: quam niſi habeas, artis operationem ne aggrediaris: in qua non opinio, non jactantia, non contentio, non ſuperbia, ſed una ac ſola ſcientia & cognitio dominatur: ſed antiqua eſt hæc artium peſtis, quod earum praxin theoriæ præponunt plerique; & ferè apud chirurgos conjugio artis magiſterium comparatur.

Erga vulneratos verò indulgentia quàm ſit noxia, non admodum ſcribere opus eſſe puto, cùm & optima remedia infamari, & diligentem operationem confundi, ægrotum inobedientia experiamur quotidie, quemadmodum viciſſim ægrotum obedientia medicum magno ſollicitudinis onere levari quandoque videmus. Itaque ſemper videris, ut tu imperium in ægrum obtineas: præſtat enim illum quàm te dolere: quod niſi facias, cogeris quandoque illi blandiri, ac concedere, quæ non careant periculo, & propter quæ inſcitia ab aliis argui poſſis. Accedit ad hæc, quòd homo occultas multorum morborum cauſas in ſe continet, quæ levi indulgentia in actum deduci facile poſſunt, in quibus cavendis, in exceſſu quàm in defectu peccata leviora ſunt: cùm tot ſint vulnerum ſymptomata, ut eorum ratione omnia penè vulnera læthalia pronunciare auſim. Nam & tempus, & natura, & temperamentum in ægrotis, ſingula ad interitum declinant. Itaque primum omnium circumſpicies de omnibus, quæ ad operis perfectionem pertinent methodicam: ad quam rem plurimum juvabit ſequentis capitis lectio, ex quo ſymptomatum rationem, antequam curationem aggrediaris, addiſces: nolo enim te, ubi jam vulnus offertur, tùm demum diſcere velle, ſed ut antea quæ utilia, quæque noxia occurrere poſſint, cognoſcas; nam in ægrotantibus experiri, diſcere, remediorum, periculum facere, ſemel licuit, & uni licuit, à quo te diſcere decet, non denuo experiri: ne forſan, quod ille ait, Per mortem experimenta feciſſe dicaris.

Cap. 2. *De Methodo curandorum Vulnerum, ac de Juvantibus & Nocentibus.*

PRimum itaque ſcire oportet, quænam ſit efficiens cauſa curationis vulnerum: ea enim conveniens remedium indicare poteſt. Scias ergo naturam corporis, carnis, oſſium, nervoſarumque partium radicalem ac congenitum Balſamum in ſe continere: qui vulnera, puncturas, omnemque continui ſolutionem curandi facultate præditus ſit, quod ſic intelliges: Balſamus naturalis fracta oſſa conglutinat: balſamus naturalis in carne reconditus, carnoſum vulnus ſanat: ſicque omnis humani corporis pars curationis efficiente cauſâ, id eſt, naturalem medicum in ſe continet, qui ipſius continuitatem ſolutam denuo conjungat. Quapropter meminerit Chirurgus, non ſe, ſed Balſamum, qui in corpore conſiſtit, vulnera curare: non enim levis error eſt, ſi medicus ſibi curationem adſcribat. Hoc ſolum namque chirurgi officium eſt, ac chirurgię opus, Naturæ curam gerere in loco affecto: ne ſcilicet vulnus à cauſis externis irritetur, ac Balſami curatrix facultas impediatur: ſed ut ipſa abſque impedimento ſuo munere fungi poſſit, medidici induſtria adjuta: ut jam rectè dicatur, bonus Balſami cuſtos, bonus Chirurgus eſſe. Definiemus itaque Chirurgum cuſtodem naturæ (balſami radicalis) ab actionibus externorum elementorum. Elementorum ſiquidem ea natura eſt, ut naturæ, ubi ea debilitata eſt, vim facere conentur: quorum actiones, ſi per medicamenta impediat Medicus, ſuo munere defunctus eſſe ritè dicetur, atque interim natura in ſuo Balſamo non impedita fœliciter actionem perficit (maximè ſi decenti ac induſtria deligatura adjuvetur) perficit autem, dum carnem aut nervum, aut id, in quo vulnus conſiſtit, generat. Exemplo res illuſtrior fiet. Carnem, adipem,

pem, axungiam, ſanguinem, medullam, &c. Non ſane hominem generare quiſque eſt qui dicat: neque à cibo generari conſentaneum eſt, ſed natura vim obtinet nutritivam, ac augmentatricem, qua id ipſum perficit: iſtæ tamen facultates cibo & potu conſervantur, quemadmodum nec pluvia, nec terra lignum generare dicuntur, ſed arbor: nec tamen ipſa ſine terra vel pluvia durare poteſt. Exemplo itaque terræ vulnerum curationem declaremus: Balſamus vulnera curat, quam tamen actionem, niſi nutriatur, nunquam perficere poteſt. Nutritionis ergo neceſſitas Dieteticen medicinæ partem fecit. Eſt & alia nutritio Balſami, per medicamenta vulneri impoſita, qua & melius & celerius curat: eſt enim & medicamentum aptum Balſami nutrimentum. Adeò ut in hoc tota ars conſiſtere videatur, ſi medicus naturæ conveniens nutrimentum offerat: quo ſi ipſa deſtituatur, ſtatim vulnus pejus evadit, omnisque generis ſymptomata ſubito ingruunt: vulnus putreſcit, ac fœtidum exhalat, quæ duo ſigna nutrimenti errorem certò teſtantur: nec verò nutrire ſolum, ſed & mundum conſervare vulnus oportet, quòd in putredine Balſami vires deperdantur. Notabis quoque hic duplicem puris differentiam: pus enim in vulneribus derentum aliud à putredine eſt vulneris, aliud à nutrimento medicamentoſo, quod excrementitium pus dicitur. Balſamus enim ex medicamento ubi nutrimentum attraxerit, reliquum ceu fæces & ſtercora depellit: nam ipſum uti omnis cibus excrementum in ſe continet. Hinc diſcat Chirurgus in vulneribus, non pus, non putredinem, ſed excrementum generari debere: ut hinc etiam pateat, quàm noxium dogma ſit illud, quo vulnera obſtruere, & ad ſuppurationem deducere jubemur. Monitos quoque Chirurgos volo, ut inpoſterum vulgatum ſuendorum, ac albumine ovi oblinendorum vulnerum morem abjiciant, tamquam naturæ adverſiſſimum: ſtultum namque eſt (quod multis rationibus comprobare poſſem) iſtis incumbere, cùm hoc ſolum requirat natura, ut à putredine libera ſit, atque medicamentis eo quo dictum eſt modo juvetur, ac ab excrementis, ſingulis deligaturis exoneretur. Hæc nunc dixiſſe ſufficiunt de efficiente cauſa curationis vulnerum, ac de iis quæ juvant: cætera omnia extra hunc catalogum, inter nocentia referentur.

Medicamenta autem ea (ut & hoc moneamus) quæ non generant excrementa, non ſunt medicamenta dicenda, ſed venena potius, quare ſi medicamenta aliquo adhibito nulla excrementa appareant, jam periculum imminere ſcias: imprimis autem ſi ea prodeanr, in dignoſcendis illis te exerceto. Non rato enim Chirurgos vidi, quibus fœtor ac putredo vulnerum in deliciis eſſent, & ex quibus optima ſibi pollicebantur: verum exitus acta probabat. Tu hoc præceptum ex me habeto: quandocunque contigerit vulnus aliquod fœtere, inſtar ulceris putridi: neque te nec medicinam tuam, neque vulnus ipſum proficere. Quare cognitio medicamentorum neceſſaria eſt medico: ut quæ excrementa generent, quæ minus, quæ bona, quæve mala ſit, ſciat: niſi enim horum peritiam habeat, caſu agit, quocunque tandem eventu agit. Quod ſi ſors cura proficiat, jam omne id arti ſuæ tribuunt iſti homines, & in multos annos id prædicant, Excrementa & Saniem deblaterant, cùm præter voculas iſtas ſciant nihil. Hoc potius ſtudeatis moneo, ut & vulnus cognoſcatis, & ejus curationis internam cauſam intueamini: exterius verò ipſum & mundum ſervetis, & ab injuriis tueamini. Hæc namque vera eſt curandorum vulnerum methodus.

Cap. 3. *Quæ Vulnera Lethalia ſint, quæ minus: tum ubi Paralyſis metuenda ſit.*

Convenit verò etiam & de vulneribus maturè judicare poſſe, num ea lethalia ſint futura, nec ne: ac an reſolutio membri ſecutura ſit, pronunciare: tum quatenus in priſtinum ſtatum membrum affectum reduci queat circumſpicere, cujus rei ſequentia capias documenta.

Primùm, quicquid perfectum eſt in totum, vel ſic ut ex cute tantum adhuc pendeat, hoc nunquam curari poſſe certiſſimum eſt. De profundioribus verò vulneribus tale erit judicium: brachii (exempli cauſa) diameter in decem partes dividatur, nunc quicquid ultra nonum punctum perfectum fuerit, etiamſi rurſus agglutinetur, nullum tamen ejus uſum fore ſperes. Si verò vulneris profunditas citra nonum punctum ſubſiſterit, quantò puncta pauciora erunt, tantò confidentius de ſalute pronunciabis.

Vulnera in partibus carnoſis, niſi arteriarum ac muſculorum ratione id fiat, periculo ſemper vacant: horum tamen ratione vel reſolutio, vel mors aliquando ſubſequi poteſt. Vulnera quoque tranſverſim facta, niſi ſtudiosè percurentur, reſolutionem minantur.

Nervoſarum verò partium vulnera, niſi medicorum errore id accidat, non efficiunt paralyſin: nam nec nervus, nec ligamentum, nec tendo præſectus, quà nervus eſt, ligamentum vel tendo reſolutionem facit: ſed quia vel in medicamentis, vel diæta, vel in aliis caſibus error commiſſus eſt.

Articulorum autem vulnera deperdito oſſe, vel patella aliqua, uti periculum non mediocre minantur: ſic ſi nihil horum abſciſſum ſit, facile reſtituuntur, cavendum tamen unicè erit, ne phlegmone incidat: hæc enim ſi accidat, ſpes nulla curationis integræ ſupereſt: ſic in locum oſſis deperditi caro ſuccreſcat, deſperatum malum eſt, ac membrum ipſum neceſſario reſolvitur.

Atque ut ſummatim dicam, artuum vulnera omnia, ſeu punctim vel cæſim illata, longa, tranſverſa, profunda, facilè à reſolutione & contractura liberantur, ſi convenientes medicinæ in promptu ſint: tales autem non ſunt eæ, quæ in æreis chirurgorum theculis ac capſis latent, quibus ipſi ſæpius plus damni dant, quàm commodi adferant: unde ego non immeritò ipſorum relicta medicina, aliam ac meliorem, qua iſtis malis occurrere poſſim, ſequor.

Capitis prætereа vulnera gravia quandoque adferunt ſymptomata: apoplexiam, mortem ſubitam, epylepſiam, ſenſuum ac loquelæ imminutionem ac abolitionem: non quidem in omnibus, ſed pro natura eorum qui affecti ſunt. Horum itaque curatio pro tempore, ſexu, complexione, natura, & proprietatibus patientium variatur: medicamenta etiam quæ præ manibus habentur, curationem immutant: ſunt qui mania, ſunt qui phreneſi corripiantur, quibus & ſua ſingularis curatio competit.

Notandum quoque organa ſenſuum, ac linguæ vulnerata, nec apoplexiam nec paralyſin cauſare, ſed ſimplicitate eſſe vulnera, quæ curationem non admittant, niſi admodum exigua ſint.

Veſicæ vulneratio lethalis eſt, quòd ipſa glutinationem non admittat.

Corde etiam ac pectore vulnerato, ſalutis omnis ſpes adempta eſt. Inteſtinorum verò vulnera quamvis curationem nullam admittant, non tamen lethalia putantur, quòd ope peritorum artificum ipſorum actio aliò transferri poſſit. Diſtinguenda tamen ea ſunt ratione ſitus, quòd ipſe aliquantiſper judicium mutet.

Splenis vulnera ac puncturæ nec lethales ſunt, nec periculoſæ, ac quicquid ibi mali ſubeſſe poſſet, hoc omne venæ ſectione præcaveri poteſt.

Veſiculæ bilis vulnera contrario modo ſe habent: nam & indubitatam ac miſerandam mortem adferunt.

Pulmonum verò vulnera, quamvis lethalia non ſint, curationem tamen nullam accipiunt, ſed in phthiſim, tuſſim, diſpnæam, & ſimiles affectus tranſmutantur.

Ventricolo autem vulnerato, etſi mors certa conſequatur, vita tamen quandoque in longum tempus adhuc protrahitur: ſitûs verò ratione alia aliis velocius interimunt: ea namque quæ à latere ac dorſi regione infliguntur, peſſima quidem ſunt, ſed anteriora magis lethalia habentur. Hepatis vulnera ſequuntur, quæ etiamſi curari impoſſibile ſit: nam ſemper ad deterius inclinant, diuturnos tamen magis morbos faciunt, quàm ut lethalia habeantur: ferè enim totius corporis conſumptio, ea excipit.

Renum vulnera Hepaticis reſpondent, niſi quòd ſalubriora exiſtant, facultatem inſitam renum deſtruunt tamen.

Obſervare verò & illud convenit, vulnera ad radices & emunctiora partium principum facta, lethalia eſſe, celerius verò vel tardius interficere, pro dignitate partis cui miniſtrant.

Latentia autem vulnera (ſi intus ad radices ſunt) difficillimè judicantur, ob id quod ſenſibus non ſunt expoſita. Contingit etenim non rarò miranda vulnera ſanari: contrà, quæ extra periculum eſſe credebantur, necem adferre, cujus rei cauſa eſt locorum ac partium dignitatis diverſitas: nam vulnera tum pectoris, tum ventris profunda ac penetrantia quandoque lethalia non ſunt, quòd forſan in obtuſum ferantur.

Vulnera capitis, ſive ea magna ſint, ſive parva, periculoſa ſunt omnia: caput namque, cùm variorum morborum irritabiles cauſas in ſe contineat, quid mirum eas per vulnera exacerbari, maximè verò ſi & ægrotantis natura ac vires, tum medicamentorum malignitas concurrant. Sin ad cerebri ſubſtantiam vulnera penetraverint, omnis jam curationis ſpes præcluſa eſt.

Vulnera etiam quæ extentis ac porrectis artubus accidunt, iis quæ flaccidis vel pendentibus membris infliguntur, & curatu difficiliora, & magis lethalia exiſtunt, quin & præſentaneam mortem non rarò adferunt; Præter jam memoratas vulnerum differentias, aliæ plures ſpecies inveniuntur, quas peritus Chirurgus ex jam dictis ſignis facile dignoſcet ac judicabit. Sed experientiæ ſtulta perſuaſio multis turpiter imponit, à quibus cavere tutum eſt: horum namque opinio ægrorum eſt perditio.

Ad hæc tempus, horæ, cœleſtium corporum influxus, motus & natura, vulnera aliàs curatu facillima, lethalia efficiunt: homo enim ſingulis horis mille caſibus expoſitus eſt: quotum cognitio non ſubitò, ſed paulatim comparari poteſt.

Cap. 4. *Chirurgo quid præcipue metuendum in vulneribus: ac quid influxus cœleſtium corporum noceat.*

SCire verò & Chirurgos convenit, quid maximè in vulneribus metuendum veniat. Nam ut maximè videantur quandoque ſalubres eſſe plagæ, tamen quia pluribus caſibus expoſitæ ſunt, periculum ferè ſubeſt: vulnera ſiquidem iratis inflicta, & periculoſa, & curatu difficillima exiſtunt, methodicamque curationem invertunt, quòd iræ nullum (præter conſumptionem) exiſtat remedium, bilis verò fervor difficilimè contemperetur. Sic mulieres prægnantes vulneratæ, de abortu & partûs doloribus periclitantur: quin convulſiones & tormina non rarò ſuperveniunt. Iiſdem quoque malis expoſiti ſunt iracundi, infidi, odioſi, Saturnini, ac Martiales. Sunt qui ſolo venenoſo intuitu vulneribus mala ſymptomata conciliare poſſunt: uti in mulieribus apparet, quæ intuitu inficiunt, quemadmodum & à ſudore & afflatu quoque venena ac morbos communicari videmus: iſthæc itaque omnia, antequam curationem auſpiceris, tollas oportet. Vulnera præterea recens paſtis ac potis illata: maximè ſi fuerint cibi concoctu difficiles, uti ſuilla caro &c. curationem retardant: nam quia & concoqui, & diſtribui in univerſum corpus eos oportet, vulneribus nocere manifeſtum eſt. Cæterùm, quia quandoque hæreditariis vel periodicis morbis, vulnerati obnoxii ſunt: Convulſioni ſcilicet, Epilepſiæ, & ſimilibus: hujuſmodi certè mala principio ſtudioſe præcavere oportebit, quòd iis ingruentibus, natura obruta niſi adjuvetur, vel plane concidat, vel curationem longiorem efficiat. Quemadmodum & vulneribus, quibus alii morbi complicantur: ut Atrophiæ, Fiſtulæ, Cancri, ulcera, curatio nulla adhibenda eſt, niſi iſtis (quæ omnem curationem ad ſe pertrahunt) prius ſublatis. Itaque & morbum ipſum, & ſymptomata conſiderabis, ne te & ægrum perdas: niſi enim iſta prævideas, ſummum tibi conciliabis malum. Neque enim ſuprà quàm natura ferat, quidquid in iſtis attentandum erit, ne ex vulnere non vulnus, ſed difficilius quoddam morbi genus conficias.

Cœleſtium verò corporum influxus, ac impreſſio, quàm efficaciter operetur in iſtis, jam oſtendendum erat: ſed quia diſputatio iſta & prolixa & difficilis eſt, Aſtronomis eam relinquemus. Certè ſi peſtilentiam ſuperiora efficere poſſunt, quis dubitet cœleſtia vulneribus ſua influentia nocere poſſe? Quamobrem ſtudioſus ac diligens Chirurgus cœli ſitu inſpecto, ſi eum infauſtum viderit, & ægro periculum pronunciare poterit: de cætero verò ſic judicabit, ut cum aſtris pugnare temerarium putet, niſi mutatis eorum diſpoſitionibus: nam medicinæ (quemadmodum & in peſte accidit) niſi hoſte ſuperiores ſint, parum proficiunt: quare & hoſtium vires, & medicamentorum poteſtatem acuratè conferet medicus, quòd ob ſubjecti (hominis ſcilicet) inconſtantiam ac mutabilitatem judicia periculoſa exiſtant. Contingit præterea vulnera ipſa malignitatem quandam contrahere, quemadmodum lutum, non debito tempore effoſſum, cicadas producere, ligna cæſa cariem extrahere videmus; quod ſi accidat, memineris hujuſmodi diſpoſitiones, non niſi ſingularibus Arcanis tolli poſſe, quæ ſic ſe ad vulneris naturam habeant, uti herbas quaſdam ac ſemina cicadis & cariei adverſari novimus. Hiſce ergo Arcanis ſupra vulgatam medendi rationem uteris: nam ſæpiſſime accidit aptis etiam adhibitis remediis, vulnera in deterius prolabi (veluti quandoque cæſa ligna, vel factas inciſiones non regerminare ob temporis injurias) cujus rei cauſa ſolis cœli converſionibus rectiſſimè tribuitur. Iſta quamvis rarò accidant, accidunt tamen aliquando, horum itaque gratia in Aſtronomicis exerceri Chirurgi officio conſentaneum eſſe judico: ne ei quod ſutoribus quibuſdam evenit, contingat, qui cùm calceamenta omnis generis ſuere noverint probè, ea tamen invertere nequeunt.

Cap. 5. *Recentibus vulneribus, tum inveteratis, quæ & quales Medicinæ conveniant.*

DEligandorum autem vulnerum rationem noviſſe decet, tum in recentibus, cùm in inveteratis plagis: apta namque ligatura uti inveteratis mirifice prodeſt: ſic inconcinna recentibus etiam officit. Recentia itaque vulnera à ſymptomatis primùm præcavenda ſunt, quod niſi fiat, non mediocre malum ægro conficies. Hoc autem ſingulari capite admonere placuit, propter ineptos quoſdam Chirurgos, quos ſubinde gloriari audias, ſe hujuſmodi admonitionibus poſthabitis, etiam felici ſucceſſu vulnera curaſſe: eſto ita ſanè, ſed illi interim quantis doloribus ægros excruciarint, quantos errorum acervos cumularint, reticent. Curandi ratio illorum talis eſt: vulnere oblato, ipſum albumine ovi emplaſtrant, ſicque tertium diem expectandum præcipiunt, qui error ipſorum primus eſt, & neutiquam tolerandus: tu verò hunc ut devites, vulnus plane ne conſuas, ſed juxta doctrinam ſecundi tractatus, ipſum ſuo nutrimento alito. Sin inveteratum & ſordidum occurrat vulnus, à pure & fœtore ipſum mundabis prius: hoc enim ſolo differunt, curatio ſordidi ac

mundi

mundi vulneris. Vulnus itaque vel mundum antea, vel jam demum mundatum, ſingulis diebus bis deligabis, præciſè ſemper duodecim horis interpoſitis: horas autem ſtudioſè obſervabis, quòd poſt duodecimam horam cujuſvis medicamenti & actio, & nutritio elangueſcat, ex quo vulnus ipſum poſtea paulatim in deterius prolabitur: nam ab externis elementis non amplius tutum exiſtit: hac ergo methodo ad finem uſque curationis progredieris: ubi tamen jam ad cicatricem ducendam perveneris, ſufficiet forſan viginti quatuor horis ſemel deligare: ne nimium autem confidens ſis, moneo. Secundus Chirurgorum error eſt, quòd elapſo triduo, & albumine conſumpto, pice, cera, ſevo, oleo, invicem mixtis, adjectis quandoque thure, maſtiche, viridi æris, gummi, & ſimilibus, vulnus implent: quæ remedia quia nimium calefaciunt, vulneribus non conveniunt: ad hæc tam pueriliter cocta ſunt, ut ne vel minimum quidem nutrimenti vulneri adferre poſſint: taceo quòd naturales facultates nimia ſua attrahendi potentia invertunt, unde phlegmones, tumores, eryſipelata, calores vehementes, punctorii dolores, atque infinita alia contrahentur. Quare ſi his malis obrutum vulnus tibi offeratur, ſtatim illi medicamentis mundificativis vocatis impoſitis, aptam deligaturam adhibebis: dicta autem medicamenta talia quoque ſint, quæ partis temperiem conſervent: hac ratione lethalia nedum periculoſa vulnera percurabis. Vulnera verò cùm pro ſexus, temperaturæ, ac ſymptomatum ratione, nunc lethalia, nunc curabilia exiſtant (videas enim non rarò idem vulnus in hoc ſalutare, in illo lethum afferre) ego rectiſſimè omnia lethalia potius quàm ſalutaria dicenda eſſe exiſtimo, quòd propter ea quæ dixi, de ſalute difficillimum judicium exiſtat: nam ſymptomata omnia ferè latenter ſubeunt. Lethalia tamen vulnera ſine exceptione dico, quæ cerebro, cordi, ventris orificio, veſicæ, inteſtinis exilibus, occipitio, ac trachæ arteriæ infliguntur: reliqua quæ pulmonibus, epati, & ſimilibus viſceribus accidunt, lethalia quoque exiſtunt quidem, ſed perdurant longius, & ferè aliis morbis tandem complicantur. Eodem modo diuturna & mortalia ſunt veſiculæ bilis, ventriculi, arteriarum, & venæ portæ vulnera: tum ea quæ tranſverſim muſculos incidunt, & quæ extentis membris infliguntur, quamvis iſta minus periculoſa eſſe non invitus conceſſerim. Ii quoque quorum venæ, nervi, arteriæ, ac viſcera (quod non rarò accidit) à naturali ſitu evariant, vulnerati pejus habent, difficiliúſque ſanantur. Morbi etiam lethales, ut apoplexia, & ſimiles vulneribus conjuncti, præſentaneam inducunt necem. Quinetiam cœleſtes influentiæ, terrores ſubiti, & negligentia medicorum, tum temporum mutationes mortis ſunt concauſæ.

Notandum interim eſt, capitis vulneribus phrenitim, opticis nervis oblæſis cœcitatem, organorum auditus tranſpunctionibus ſurditatem ſuccedere. Generationis verò membrorum vulnera ſi non lethalia ſint, ſterilitatem tamen inferre. Articuli autem tranſverſim diſſecti, reſolutionem faciunt, alio modo læſi, convenientibus remediis non difficulter reſtituuntur. Ligamentorum verò ac tendonum Balſamus ſi pereat, membrorum reſolutionem facit: uti & atrophia ſi vulneribus complicetur, idem mali genus inducit. Sunt præterea multa vulnerum genera, quæ paralyſin efficere poſſint: ut ea quæ ad radices ligamentorum conſiſtunt, aliàque infinita, quæ etſi ex ſui natura talia non ſint: tamen temporis, horarum, ac ſymptomatum adminiculo talia evadunt: quibus etſi Medicum quandoque reſiſtere impoſſibile ſit: tamen harum rerum cognitione exercitari neceſſe eſt. Contrà reſolutiones multæ remediis aptis præcavebuntur quandoque, ſi phlegmoni oxyrrhodino impoſito, deligationem aptam feceris, medicamentis mundificativis adhibitis, & ſtictico emplaſtro ſuperimpoſito, ad finem uſque curationis progreſſus fueris, abjecto tonſorum unguento albo.

Eſt & tertius Chirurgorum error, quo Sinoviæ, id eſt, albi glutinis fluxiones concitant: quod ubi accidere videris, tum eorum medicamenta cum thecùlis æreis per feneſtras dejicito: tempus enim & neceſſitas aliam medicinam expoſtulant. Itaque vulnus aceto roſaceo abluito ſtatim, ad calorem temperandum: emplaſtrum ſticticum ſuperimponito, ad fluxionem ſiſtendam: fluxione & intemperie ſublatis, mundandum vulnus ſuſcipe, ac tandem juxta rationem jam commemoratam cum emplaſtro ſtictico curationem perfice. Sunt præterea errorum multæ centuriæ, imperitis Chirurgis ac medicis familiares. Nos ex iis paucos, præcipuos tamen, annotare voluimus, quo eos propter periculi magnitudinem devitare ſtudioſius poſſis, noſtramque methodum cognoſcere accuratius. Hujus etiam certum te eſſe volo, nullam curationem putrefactione perfici poſſe, vel debere: per ea etenim vulnera curari debent, quæ putredini reſiſtunt maximè: nam remedia curandis vulneribus deſtinata, Sal referunt. Sal enim Balſamus quidam externus eſt: is autem balſamus ex iis parari debet, quæ partis vulneratæ, ut viſceris, nervi, oſſis, articuli, &c. nutrimentum in ſe continet. Hæc eſt illa noſtra divina methodus, ſine qua nullam gloriam in medicina conſequi datum eſt.

Cap. 6. *Vulnerum accidentia Temporis ac Cœleſtium motuum ratione evenientia, &c.*

MAnifeſtum illud eſt, ac præter demonſtrationem fidem meretur, cœlorum converſiones varia morborum genera in nobis cauſare: nam ſanorum etiam corpora infici ac defœdari ab iis, nil refert commemorare, adeò ut illius actiones declinare impoſſibile videatur: nam admirandi ſunt cœleſtium effectus, quos ſi ſani non effugiunt, quis dubitet vulneratos iis ſubjectos quoque eſſe? ſed hæc à quibuſdam, niſi experientiâ convincantur, incredibilia habentur. Notabis ergo, cœlum quemadmodum in ſanis febrium efficiendarum vim habet: ſic in vulneribus febres excitare poſſe, & tales quidem febres, quæ ſtatis periodis rigore & calore paroxiſmum perficiant, quæ quotidianarum ac tertianarum typos obſervent, quæque non prius ægrum relinquant, quàm vulnus ipſum coaluerit: haſce ergo affectiones, Chirurgus non ſymptomata vulnerum, ſed veras febres eſſe pronunciabit. Contigiſſe etiam hominum memoria ſcimus, graſſante peſte, vulneratos (qui præter vulnus plane nil incommodi ſentiebant) ſine bubonibus ac carbunculis tamen, peſte correptos fuiſſe, alios biduum tantum, alios paulò diutius ſupervixiſſe. Sunt vulnera quibus cauſonicæ febres ſuperveniunt, quæ ferè lethalia conſpeximus. Vidimus in caſtris, cùm milites ex febribus ardentibus epidemicis linguarum aſperitate laborarent, vulneribus aſperas cuticulas ſuperveniſſe, ſimiles iis quæ linguas moleſtabant, ita ut fauces & vulnera invicem referrent. Hæc & alia ut non infrequenter eveniunt, ſic curationem non admittunt, niſi per ea remedia quæ morbis ipſis ſpecifica habentur, ut peſtilentialia vulnera peſtilentialibus, cauſonica cauſonicis remediis (id eſt, quæ peſti & cauſoni adhibentur alias) percurari obſervabimus. Obſervatum & illud aliquoties eſt, hæmorrhagiam vulneribus ſuperveniſſe, non quidem genuini ſanguinis, ſed materiæ cujuſdam quæ ſanguinem referret, qui nullis remediis curari poterat. Sed cùm eo tempore Dyſſenteriæ epidemicæ graſſarentur, quarum dejectiones illum ſanguinem referrent, eoſdemque periodos utrumque malum ſervaret tandem exhibitis Dyſſenteriæ ſpecificis remediis, & vulnerum hæmorrhagia ſanata eſt. Iſtiuſmodi caſus Chirurgum ſedulo obſervare decet: mihi non raro occurrerunt, olim, occurrent & poſtea. Oblatus mihi aliquando eſt quidam ſervus ex eorum numero qui metallis effodiendis deſtinati ſunt, qui ex vulnere quotidie ter quaterque rigore corriperetur, adeſſet & ſpaſmus, qui membrum nunc in hanc, nunc in illam partem

convelleret: huic ego exhibito vitrioli liquore (quòd epilepticum quiddam ſubeſſe videretur) ſanitati reſtitui. Hanc hiſtoriam ob id narrare volui, ut oſtenderem, in hujuſmodi caſibus Medicos à Chirurgis in conſilium advocari debere. Etſi enim Chirurgos decebat iſtarum quoque rerum peritiam habere: ſed ut ob horum inertiam à periculo tuti ſimus, præſtat medicos quoque in conſilium adhibere. Superveniunt ad hæc vulneribus affectiones quædam, quorum radix non in ipſo vulnere, ſed in toto corpore continetur (ut ſunt phrenitides, epilepſiæ, & ſimiles paſſiones) has jam non vulnerum ſymptomata, ſed verè morbos appellabimus: quòd percuratis etiam vulneribus permaneant. Iſtis itaque malis conſilium ex medicina quærendum erit: quorum quia pauca vel nulla adhuc reperta ſunt, omni ſtudio in id incumbendum erit, ut ea inveniamus, ſi modo ægris conſultum velimus. Et certè Chirurgos chirurgorum nomen uſurpare non decebat: niſi hæc & vidiſſent & curaſſent aliquoties, ne ſubinde ad medicos recurrere cogerentur: etenim cùm ex vulnere originem duxerint hi morbi, Chirurgorum erat eos tollere poſſe. Nam Chirurgus dicendus non eſt, qui ſolum ſuere, deligare, carnem ſecare, rodere, ac radere didicit: ſed qui omnia ea quæ vulnus circumſtant, cum ipſo mali fonte tollere poteſt.

Cap. 7. *De morbis Internis, qui Vulneribus complicantur, ex quibus Cancer, Fiſtula, & Syreon &c. generantur.*

CAuſas ac radices, ex quibus paulatim Fiſtulæ, Cancri, ulcera depaſcentia, eryſipelata, gangrænæ ac phagedenæ naſcantur, in corporibus abſconditas detineri ſciendum eſt. Quæ ſi in aliquem locum decubuerint, & jam erumpere conentur, accedente plaga, vel cæſim vel punctim illata: tum demum ſe produnt maniſeſtè, cum vulnere complicantur. Unde ſumma vulneris malignitas oritur, nullis etiam, nobiliſſimis vulnerariis remediis ſuperabilis, nullaſque cicatrices agnoſcens. Itaque quia vulnus non ſimplex eſt, ſed fiſtuloſum, cancroſum, &c. non ſimplex medicamentum, ſed fiſtulas, cancros &c. curare valens adhibendum erit. Eſt in quibus medicamenti vis, antequam hæc mala perfectè elaborata appareant, ipſa abſumat. Quòd ſi jam in ſtatu ſint, vulnere relicto, iſta tractanda veniunt: utriſque enim ſimul incumbere non licet; quòd contraria requirant remedia: difficilius itaque prius curandum. Quare vellem Chirurgos non ſimplicia tantum vulnera, ſed & tumorum, & ulcerum: ut Cancri, Fiſtularum, Phagadenæ ac Syrei curandi rationem callere: & ſuo dedecore, & ægrorum malo, turpiter inchoatam jam curationem intermittere cogerentur: vel ſaltem ut meminiſſent in hujuſmodi caſibus relicto vulnere, curationem invertendam eſſe. Obſervandum præterea eſt, vulneribus luxuriantibus ſæpius carnem increſcere, fungorum ac ſpongiarum inſtar, quam dum imperiti Chirurgi (qui rariſſimè ſine damno operantur) nunc corrodentibus medicamentis tollere, nunc ſectione auferre, conati ſunt: Lerneæ hydræ capita repullularunt, ut ſine dolore ſcribere etiam nequeam miſerias, quibus ægros afflixerunt. Cauſam harum ſpongiarum paulò altius repetere libet. Verrucarum quoddam genus eſt, quod abſciſſum ſubinde majus ac copioſius prorumpit, & quò ſæpius vel abſciſſum, vel arroſum fuerit, eò luxuriat magis: ex quo genere & fungos, & ſpongias, de quibus jam diximus, eſſe putandum eſt. Etenim hujuſmodi verrucarum radice vulnerata, conſentaneum eſt fungos & ſpongias tales, à luxuriante natura protrudi. Accidit & illud, ſed rarius, ex cicatricibus jam olim ductis, ſimilem carnem enaſci, utut ſit, verrucarum ratione id accidere manifeſtum eſt. Idem mali genus non rarò ſcyrrhi & œdematis ſpecie ſe prodidit, quæ quamvis minus periculi habeant, tamen ſedulum ac diligentem requirunt artificem, ut & dignoſcere, & expertis remediis malo ſubvenire poſſit. Hæc eo nomine hìc dico, ut ſinguli ſibi ab iſtis aſinis cavere poſſint: qui cum morbum nunquam viderint antea, glorientur tamen ſe curare poſſe, ad quam rem peſtiferis planè utuntur remediis. Iſta autem mala vulneribus complicata tam ſunt varia, ac aſpectu miſeranda, tantam in curando requirunt ſedulitatem, ut verbis explicare vix queam. Itaque tu qui te Chirurgum profiteris, iſthæc curare ſcias: ſin neſcis, adhuc Laureatis annumerari te ne pigeat: es enim ſemidoctor ſaltem.

Cap. 8. *De Vulneribus quæ venenatis telis inferuntur.*

TEla quamvis venenis inficere omnium memoriâ turpe habitum ſit: tamen hominum malignitas hoc flagitii genus ſubinde non intermittit, unde & vulnus ipſum, & venenoſa materia intolerandis affligunt cruciatibus: quare iſtis quæ auxilia competant, ſcribere convenit. Inficiendi genera varia ſunt, quæ ſilentio prætermittere præſtat. Inficiuntur ab hoſtibus enſes, gladii, haſtæ, tela: domeſticis verò uſibus venenum contrahunt inſtrumenta mechanica: ut falces, exempli gratia, quæ uſus tempore dum incaleſcunt, naturam eorum quæ ſecant, ut herbarum, rubetarum, ſerpentum, aranearum, murium, ac locuſtarum, facile recipiunt: ſic vomeres à terra quam ſecant, veneni quiddam contrahunt: iſta itaque ſedulo conſideranda, & ab iis ſtudioſe cavendum: nam quamvis ex attritu, & dum acuuntur aliquod rurſus veneni depereant, nunquam tamen ipſum totum perit. Diſſimilis ratio eſt eorum inſtrumentorum quibus fabri lignarii utuntur, ut ſecuris & dolabræ: iſthæc namque ſalubritatis quiddam contrahunt potius, ex lignis quæ ſecant. Vitrum quamvis venenum ſit ex ſui natura, tamen niſi intra vulnus permaneat, ipſum inficere nequit. Fuſorum verò ac aliorum inſtrumentorum, quæ frequenter manibus verſant homines (mulieres præcipuè) virus admodum peſtiferum vulneribus exiſtit; quod ea ex frequenti uſu venenum in ſe recondant vehementiſſimum. Lapides ac metalla veneni nihil habent, quamvis non negaverim ferri quandoque eſſentiam à Dyphrige non probe purgatum, inficiendi vires ſervare. Venena hujuſmodi quomodo extrahere conveniat, quia ſecundo tractatu ſuis locis remedia ſcribemus, nil opus eſt hìc commemorare: illis itaque remediis fac inſtructus ſis, ſi niſi enim ea cognoſcas, ſed vulgatis uti pergas, ſerò tandem, ſummo cum dedecore ad iſta confugere cogeris. Obſervare quoque accuratè oportet, num hujuſmodi ſymptomata, ex veneni communicatione orta ſint, vel an ab alia aliqua cauſa originem duxerint, nam ob ſignorum ſimilitudinem difficilis eſt dijudicatio. Sed telorum ſtudio, quàm caſu infectorum, majora exiſtunt nocumenta. Calores urentes, phlegmones, decoloratio partis, laterumque punctiones, (præcipuè in ſclopetorum globis) accidunt, quibus mitigandis, frigidum aliquod oleum vulnerarium infundes. Reliquorum verò ſymptomata mitiora ſunt, niſi caſu vel aranearum vel buffonum venenum conceperint, vulnerique communicaverint: ea itaque juxta canones tertii tractatus curabis, rejectis ærearum theculorum inutilibus unguentis.

Cap. 9. *Cibo, Potu, Venere, exercitiis, &c. quomodo ægri ſeipſos perdant.*

SEd Medico omnia ſecundum rationem operanti, ægrorum tamen inobedientia quandoque omnem curationem confundit, ut non raro accidat: vulnera ſalubria aliàs, in paralyſin abire: membra vulnerata atrophia conſumi, innumeráque alia hujuſmodi ſymptomata evenire, ne dicam mortem quandoque ſubſequi: in iſta ergo intentum medicum eſſe convenit,

ut

ut cauſam mali declarare poſſit. Libertate namque ægrorum videmus naturam ſic irritari ac concitari, ut nunquam poſtea ſuo munere fungatur, ſed extra ſuos limites exſpatietur, nec ſe contineat amplius. Exemplo ſit venereorum uſus, quo membrum paſſum ſic inflammatur, ut ad omne morborum genus diſpoſitionem acquirat, maximè ſi ſitus vulneris concurrat. Itaque quo pacto iſtis malis ſubvenire poſſis, diſtinctione cognoſces. Videmus veneris uſu membrum ſacro igne correptum, ſyderatum, ac gangrenâ affectum reſecari oportuiſſe: alios ſtatim mortuos, alios lethalibus febribus, alios convulſionibus, quoſdam eryſipelate captos obiiſſe. Quare in hujuſmodi caſibus memineris libidinem hanc nullis remediis extirpari poſſe: ſed donec à ſeipſa ſedata fuerit, relinquendam, ac tum demum accuratiore medicatione vulneri invigilandum. Sic immodicum exercitium vulnerati membri, quamvis non tam gravibus periculis ſubjaceat, non tamen periculo res vacat; nam & phlegmones, ex quibus ſucceſſu temporis gangrænæ, vel febres ſymptomaticæ, vel atrophiæ, vel reſolutiones naſci poſſunt, concitari ſolent quandoque. Curabis itaque, ægro quietem illius membri, ne ex contemptu levis mali, aliud majus oriatur. Similiter in diætæ legitima adminiſtratione, hoc eſt, cibi ac potus ordinaria quantitate aliquid ſtudii ponendum eſt, ne forſan repletione, quæ vulneribus nocentiſſima exiſtit, aliquid damni ægro concilies: nam natura, ubi aliquo morbo gravata eſt, non vult ab eo abſtrahi, ſed modum & auxilium deſiderat, quo morbum evincere poſſit: quod ſi impediatur, ad quandam iracundiam concitata, toto corpore furere incipit, à quo furore conſequenter tabes, febres, phlegmones, aliique ingentes dolores concitantur. His ergo de cauſis horum inquam periculorum metu, convenit medicum, non quod ægri petulantiæ libuerit, ſed quod ſalus & ratio juſſerint, ſibi licere putare. Meminimus quoque præter prædicta mala, majora ſæpius à veneris intemperantia accidiſſe, Apoplexiam, puta, ſyncopem lethalem, epilepſiam, hydropem, quibus nulla medicina ſufficeret, ſed certiſſima mors ſubſequeretur. Præterea in cibo & potu legitimis exhibendis magnam requirunt ægri medicorum diligentiam: nam ſi vulnerariis cibis ac potionibus vulnera glutinantur, quid prohibet, ipſis vulneribus adverſantibus exhibitis, rem deteriorem effici? cum ſemper ultro in deterius ruat natura. Itaque flagris ac cruce digni ſunt Chirurgi, qui contempta Diætæ regula ac norma, quidvis ægris licere ſinunt; cum tempus & occaſio tantum periculi tamen in ſe contineant; ut ſumma quandoque prudentia ac diligentia non ſufficiant, ad præcavenda ſymptomata, quibus ægri expoſiti ſunt.

Cap. 10. *De Symptomatis, quæ ægri Temperaturam ſeu complexionem ſequuntur.*

MEdici verò rationes & in id intentas eſſe oportet, ut meminerint homines alios εὐελκεῖς eſſe, alios δυσελκεῖς: iſta enim conſideratio medici, curæque velocitatis ſcopum continet. Nam quemadmodum, ut exemplo rem declaremus, lignum aliud alio ſecatur, ſculpiturque facilius: aliud alio durius, pluribuſque germinibus ac ramis præditum eſt, omne tamen fabri ac artificis induſtria tandem evincitur, ac perpolitur (ſic quoque de gemmis ac lapidibus intelligas licet.) Eodem modo de hominum corporibus judicare convenit: etenim cum ex terra omnes pronati ſimus, ipſa autem & durum & molle, & craſſum & gracile &c. in ſe contineat, ſimile autem generet ſimile: nos quoque invicem diverſos eſſe, pro ratione ejus ex quo orti ſumus, quis dubitet? Quapropter iſtis animum advertere Chirurgos decet, ut an facilè vel ægrè curationem admittat ſubjectum corpus, cognoſcant, ſimiliter ac fabri tiliç lignum quàm abietis nodoſos truncos facilius ſubigi ac ſecari norunt. Sunt qui admodum tenera ac ſubtili natura prediti inveniuntur, ut iis vel minima vulnera (quæ aliorum corporibus nihil negotii faceſſerent) lethum adferant, naturarum itaque, iſta diverſiſſima diverſitas ſedulitatem maximam requirit. Quare hæc non minima cauſa eſt, quç me coëgit, ut vulgatis medicamentis relictis, nova quæſiverim: nam, etſi ea uni quandoque ſalubria exiſtant, tamen poſtea vix decimo uſui ſunt: moneo itaque, ut repudiatis iſtis, formulas ſequenti tractatu annotatas recipiatis: habebitis namque calipodium ſingulis calceamentis aptum (quod aiunt.) Nam etiamſi quandoque videbuntur dyſepulotica eſſe vulnera, omnia tamen tandem iſtis remediis noſtris curari cognoſcetis. Ad hæc jubeo Chirurgos præparata medicamenta ſingulis partibus convenientia aſſervare. Empyricorum enim tranſitus ille ad ſimilia mirè medicinam conſpurcavit: ſed boni iſti homines, hoc ſolo ſe defendunt, dum contemptis meis remediis, objiciunt, jam olim antequam ego extitiſſem, vulnera curata eſſe. Eſto ita ſanè: nam vulnera ante me curata eſſe non inficior, hoc tamen dico, meis remediis, in magnis cladibus ac oppugnationibus me (quantum natura ferebat) ex mille non unum ſpe ſua fruſtraſſe, vel perdidiſſe, cùm ipſi interim vix vigeſimum quemque reſtituerent, quare meum inſtitutum cuivis prudenti probari mihi perſuadeo. Volui autem hoc loco iſta commemorare, quò hominibus oſtenderem differentiam verç ac fucatæ medicinæ: nā veræ medicinæ tantus olim honos habitus eſt quantus & jā habetur: falſæ verò tam omnes fuerunt infenſi, quam jam ſunt, ſed non dignoſcunt eam homines: non enim antiquitas hanc illa meliorem facit, alioquin & lolium tritico æquivaleret: unà enim oriuntur, nemo tamen tam ſtupidus eſt, qui lolium quàm triticum malit. Iſta hominibus patefacere mihi propoſitum eſt, ut tandem (cùm æque facile rectum ac falſum addiſcatur) verç medicinç ſtudio flagrare incipiant aliquando.

Cap. 11. *De Vulneribus, quæ Mulieribus menſtruis laborantibus accidunt.*

SYmptomatum magnitudo & varietas, quam hujuſmodi in caſibus accidiſſe memini, admonet de iſtis ſcitu & jucunda & neceſſaria quædam annotate. Vidi cuidam vulneratæ, ſanguinem menſtruum non per conſueta loca, ſed per vulneris ſinum effluxiſſe: alias vidi, quibus Epilepſiæ, convulſiones, aliaque ſymptomata ſupervenirent, neque intermitterent, donec Menſtrua fluere deſinerent, ac uteri anatho pia & katathopia ſedarentur. Quibuſdam phlegmones, cephalalgiæ, dyſpnææ, nauſea accidunt, unde vulneris curatio impeditur ac difficilior redditur: hiſce ergo malis ſi mederi velis, menſtruorum inordinationem prius tollas neceſſe eſt, quo medicamenta ſuas actiones perficere rectius poſſint. Obſervare & illud convenit, mulieribus ſingularem quandam iracundiæ ſpeciem accidere, qua ſi correptç vulnerentur, omnia jam dictis graviora evenire: convulſionibus namque totius corporis corripiuntur: unde uterus moleſtatur quoque ſicque duplex malum: naſcitur quorum utrumque ſua habet gravia ſymptomata: nam convulſionibus paralyſis, uterinis malis matricis ſuffocatio ſuccedit. Sciendum itaque, quoniam iſtiuſmodi mala circa vulnus ferè ſæviunt acerrime, primum omnium de ſedanda matrice & tollendis convulſionibus conſilium quærendum eſſe: quç res autem apud medicos, non qui Doctoris titulo ſuperbiunt (venalis namque eſt,) ſed longo rerum uſu peritos. Remedia hic ſcribere decebat, ſed noſtra lingua difficulter redduntur, & ſingularem tractationem requirunt: hîc igitur negotium

gotium hoc intermittamus. Illud hîc obſervemus potius, jam dicta mala tum hæmorrhagiæ ac phlegmones, ſi concurrant cum memoratis malis, ſi non lethalia, certè curatu difficillima efficere vulnera: itaque ſtudioſè præcavemus prius, vel ſi præcaveri impoſſibile eſt, ne prædictione à ſcopo aberres obſervato.

Cap. 12. *Signa vulnerum, eorumque Significationes.*

SYmptomata omnia vulneribus ſuperventura præcedentibus quibuſdam ſignis cognoſcuntur. Quamobrem chirurgici officii erit, quibuſcunque ſignis apparentibus quid ea præmonſtrent ominari poſſe. Medici enim eſt quidem, vulnus clementer, tuto, ac celeriter curare, quod ſi omnibus ritè adminiſtratis, id non eveniat, argumentum certiſſimum eſt, aliquid mali ſuperventurum eſſe: quod quomodo arte dignoſci poſſit, hoc capite aperiemus. Simiotikin namque medicinæ partem ego ſummum ſecretum exiſtimo, de qua neque medici, neque chirurgi veteres quidquam fide dignum memoriæ prodiderunt, nos quæcunque longa exercitatione experientiaque comprobavimus, ea fideliter depromemus: laudabile namque videtur, neque cuiquam vitio dandum, veterum inventis ſua ſuperaddere velle.

Signa.

Artuum vulnera, quibus ex dolore, phlegmone eſt concitata, ſi circa axillæ articulum (vulnere in brachio exiſtente) vel coxendicem (ſi pes vulneratus ſit) noctu, veſperique ac in mutationibus tempeſtatum: tum ſi Luna nova vel plena fuerit, dolores ac fluxiones augeantur, judicabis ea membra, vulnere clauſo, in tabem abitura.

Similiter vulnere ad glutinationem apto apparente, ſi circa ipſum verſus membrorum extremitates, vel retrò ad articulos tumores fiant, qui paulatim indureſcant, nec digeruntur, ſed glutinato jam vulnere perſiſtunt, id eſt, ſi ſingularis ſit affectus factus, periculum eſt, ne abſceſſus colligatur, vulnere ipſo longè deterior, ex quo ulcus fiat: imò ſyderatio ac caries oſſium, totiúſque membri ſubſequatur. Ichores quoque (ſeu cambium) ſi fluere incipiant, tabes membri certiſſima ſubſequitur, quæ curationem nullam admittit, niſi juſta quantitate ejus quod defluxit, regenerata, alioqui membrum ipſum cæſæ arboris inſtar exareſcit, fitque membrum aridum vocatum.

Vulnera præterea quæ ſomnum impediunt, vigilias ac inquietudines inducunt: item quæ punctionibus aſſiduis moleſtant, maximè ubi ſitis inexhauſta acceſſerit, lethalia ſunt, niſi forſan medicamentorum malignitate id accidat, quod excipio: loquor enim hîc de naturæ impotentia, non de medicorum erroribus. Item ubi oculi convelluntur, ubi lingua balbutiunt, auditúſque depravatus eſt, atque ubi loquuntur tardius, lethale eſt. Sin vulnera humida ſubinde ſint, nec pus generent, nec glutinari pergant, ſed ſubſiſtant (ſi nec cordis palpitatio, nec membrorum debilitas conjungantur: hæc enim lethalia ſunt) certum eſt hoc indicium, ea in Cancrum, Fiſtulam vel aliud ulcus malignum abitura. Sic ubi vulnus ipſum curationem libenter receperit, corpus autem triſtetur, id eſt, ſi vulnus benè, corpus autem malè habeat, ſignum hoc eſt lethale. Phrenitidem in vulneribus ſuperventuram, minantur trux aſpectus, oculorum inverſiones, loquela audax & vehemens, membrorum agilitas, febris, maximus circa caput æſtus, hæc eadem ſigna Maniam, vel aliam aliquam rationalis animæ læſionem, pro ſubjecti varietate, minantur. Stridor autem dentium (niſi id à verminatione fiat) ſi cum mentis abalienatione contingat, minatur lethalem aliquem caſum ſuperventurum. Vbi verò ſpuma circa os apparet, ſpiritus difficulter ducitur, ſtertor adeſt, oculi convelluntur, artus ſpaſmantur, judica vel convulſiones, vel Epilepſiam in propinquo eſſe. Si in ſomnis vulnerati membrorum apprehenſiones ſentiant, niſi ab inſomniis vel terroribus id accidat, puris collectionem oſtendit. Ubi verò tumores ſunt, qui tarde curationem admittunt, oſtendit membrum mox ſenſum amiſſurum eſſe. Quod ſi ventriculi ſupinitas ſuperveniat, vomitus ac nauſea, cum ſiti immodica, ſignum eſt venas ac nervos abſciſſos loco & officio motos eſſe. Hujuſmodi ſigna alia permulta reſtant enumeranda, ſed horum capita enumeraſſe ſufficiat: ſufficiant quoque iſta ad omnia ſymptomata ſuperventura præcognoſcenda, ſed diſcere & experiri, totius hujus conſiderationis fundamenta ſunt.

Cap. 13. *Vulnera deſperata, vel perperam curata, quomodo tractanda ſint.*

QUamvis præſenti tractatu recentia tantum vulnera expedire propoſitum fuerat: tamen cùm inveterata plura occurrant, de iis etiam proprio capite diſſerere placuit. Nam ſi quis tonſorum ac veterinariorum iſtorum artes inſpiciat, mirari ſubeat, quomodo lentiginem, nedum graviora vulnera ipſos curare poſſibile ſit. Iſtis itaque in vulneribus hoc primùm conſiderabimus, an medici errore, à morbo quodam vel ſymptomate vulnus ipſum depravatum ſit: iſti duo enim ſunt depravationis modi: ubi à morbo malum eſt, & Chirurgus id non agnoſcit, ſua imperitia ægrum perdit: ſin abſque morbo, rurſum ſuæ artis incertitudine damnum conciliatur: quod ubi contigerit, erroris cauſam inquire. Si à morbo complicato vulnus depravatum fuerit, ejus curandi rationem ex aliis noſtris Chirurgicis libris addiſces. Potes quoque, ſi placet, alios ſcriptores ac pſeudomedicos inſpicere, in quibus tamen ſpei parum ponendum exiſtimo, quòd effectu rariſſime potiantur, cùm tamen Deus Opt. Max. medicinæ effectum conſtituerit curationem ipſam, quam illi non conſequuntur. Unicum eſt quod hic docere placet, à nullo unquam veterum proditum (cujus quoque gratia præſens caput ſcribere inſtituimus) quodque ex noſtra ſchola primum extitit: unum ſcilicet eſſe medicamentum univerſale, in omnibus iſtis malis, quæ à morbis complicatis oriuntur: ut ſunt, Cancer, Fiſtulæ ac ſimilia. Realgaris ſcilicet ſal, uti Alkali, cujus conficiendi rationem hic docere nolo, ſufficiat meminiſſe, ſi eam deſideras, ſuo loco reperias deſcriptam, quo omne genus Fiſtularum ac Carcinomatum, Phagedenarum, Syreon, tum Fungorum cum vulneribus complicatorum extirpare funditus, tandemque vulnus ipſum cicatrice claudere potes. Cujus remedii inventor primus quia ego extiti, meritò proprio capiti illud commemorare libuit. Gloriari enim non præter decorum poſſum, de mea multiplici rerum experientia, qua omnes qui extiterunt ante me ſuperare me ſcio. Unde non immeritò id juris mihi ſumpſi, omnia ſcil. naturæ ſecreta publicandi. Cogit verò me ad jactantiam ſumma experientia mea, dum Doctores iſtos, Chirurgos ac tonſores nulla experientia, minimo uſu, ſumma infelicitate morbos curare, imò ægros perdere video: multos malleos habent iſti fabri, vim tamen & uſum eorum ignorant, at quid porco margarita prodeſt, cùm nil ſciat quàm vorare? Ego Alchymiam prædico; quæ ſecretas medicinas conficit, quibus omnia mala ſanantur: hanc ipſi cùm ignorent, nec Chymiſtæ, nec Medici dicendi ſunt. Nam aut remedia penes Alchimiſtas ſunt, vel penes Medicos: ſi penes hos, ea ipſi ignorant:

ſi

ſi penes illos, iidem ea non didicerunt: quomodo igitur laudem aliquam merentur iſti homines? Eum ego ſummis laudibus evehendum judicaverim potius, qui naturam eò deducere poteſt, ut ad auxiliandum apta ſit; hoc eſt, ut extractis ſalubribus inutilia ejicere ſciat, tum qui ipſius efficaciam cognoſcit: nam præparatio & ſcientia, id eſt, Chymia & Medicina, ut à ſe invicem ſeparentur, impoſſibile videatur: quod ſi quis ea ſejungere inſtituerit, nil niſi meras tenebras in Medicinam introducet, ac vera ſanè ſtultitia foret, quòd hac ſeparatione omnia medicinæ fundamenta ruerent. Ut autem mearum rationum certitudinem cognoſcatis, non multum laborandum mihi puto: hoc unum moneo, vim remediorum iſtorum pſeudomedicorum inſpicite, quibus vulnera primùm perdunt, ubi jam depravata ſunt, nunc hoc, nunc illo experimento adhibito, miſerè ægros excrucient, tandemque ubi omnia nihil profecerint, omni ſalutis ſpe adempta, ad mortem miſeros adigunt. Sed de complicatis morbis ſatis. Nunc medici errores intueamur. Vulnera à Medico depravantur, remediis inconvenientibus adhibitis, ſectione ſcilicet, uſtione, lotionibus, unctione, medicamentis erodentibus, aliiſque hoc genus peſtiferis artibus, quas tu cum omnibus aliis Chirurgorum venenoſis remediis (quibus ſubinde in deterius abire ſolet malum) rejicies, obſervatis interim cautelis ſecundi tractatus de purgandis & claudendis vulneribus. Sed Deo Opt. Max. (cujus beneficio medicinas haſce inveni) laus ſit in ſempiternum, cui quoque pro iis gratias ago, quacunque tandem ratione eas nactus ſim. Verum quia Iatrochymiſta ſum: utrumque enim ſcio, & Medicinam & chemiam, liceat mihi errores qui committuntur detegere, ac peſtifera remedia iſta, repoſitis in eorum locum ſalubrius rejicere, quod ut faciam lubentius ardens juvandi ſtudium ac prompta voluntas jubent. Sed de iſtis & aliis malis ac depravatis vulneribus curandis, Deo dante, ſecundo hujus operis libro utilia documenta tradam, quibus ad eminuendam iſtorum doctorum ac pſeudomedicorum jactantiam uti poſſitis: plura enim ab illis perperam curata vulnera, & quæ deſperata habebantur, ego perſanavi.

Cap. 14. *Suendorum vulnerum ratio: ac ſuturas non acu ſed medicamentis fieri debere.*

PRodere vero ipſorum & in conſuendis vulneribus ſtultitiam; imò rejicere convenit, itaque rejectis acubus, aliiſque quibus ad rem hanc iſti utuntur, ne pigeat meliora diſcere. Vulnera conſuendi mos antiquus eſt, ut adeo primus ejus author ignoretur, ajunt iſti, firmam hanc rationem videte, ſtultitia tam antiqua eſt quàm prudentia: ergo non rejicienda, quis non rideat? Frigidum argumentum eſt, cùm antiquitate errores excuſantur. Stultitia tam eſt antiqua quàm ſapientia: nihil hoc ad virum ſapientem pertinet, filius an ne ſequatur parentis fatuitatem? Sed pergamus, ſi vulnus conſuas, ſcias ipſam ſuturam inutilem eſſe: quia putreſcit mox & decidit: quod ſi rurſum conſuas, denuò decidit, & cogeris tandem dehiſcere ſinere vulnus ipſum: nam ſemper in idem recidit, ſive ſuturam facias, ſive intermittas, hoc ſaltem intereſt, quòd illa vulgata ratione magis excrucientur ægri, quare ſtultitiam iſtam ex qua malorum tanti acervi oriuntur (quæ omnia jam ſcribere non vacat.) ut dolores, phlegmones, defluxiones ad partem affectam &c. intermittatis quæſo. Ut autem conſuendi meliorem ac certiorem rationem teneatis, iſta vos fundamenta obſervare vellem. Nimirum naturam ipſam tantum quantum ſingulis diebus glutinat ſuopte marte intrinſecus contrahere ac ſuere, ſicque progredi paulatim, donec ad labia & extremitates ipſius vulneris perventum ſit, totumque glutinetur, fabrorum inſtar, qui duos aſſeres glutino jungunt. Cicatricem vero æquè anguſtam facit, ac ſi ſutorio filo conſuiſſes. Memini me interfuiſſe vulnerum curationibus, ubi tonſores audiebam, qui filo ſutorio ac porcinis ſetis vulnus conſuendum eſſe conſulerent, quòd metuendum putarent, ne ſericum filum non ſufficeret; hinc videre liceat ſtupiditatem horum hominum. Sed tu hoc facies, cura ut remediis bonis inſtructus ſis, juxta noſtros canones, quibus obſervatis, nervos, ligamenta, tendones, cutem, carnem, legitimis remediis adhibitis, (ſine errore) naturæ ſuenda ac glutinanda relinques. Hoc niſi feceris, chirurgi nomen nunquam mereberis, ſed ejus qui naturæ adverſari ſtudeat: adeo ut niſi Divino magis quàm tuo auxilio juvarentur ægri, nunquam ſine damno tuo uterentur conſilio tuaque opera. Natura enim ſic comparata eſt, ut jucundam & quæ ſine dolore fiat curationem ipſa deſideret: novit enim talem præſtari poſſe, exhorreſcit verò ad tortorum iſtorum ingreſſum. Hinc ego ſuendi rationem non ſolum ut ab arte alienam, ſed & ut dolores & fluxiones concitantem improbo, & doleo tam inartificioſam operationem inter artis ſecreta numerari: ſed de his idem eſt cum urinarum inſpectione judicium, ubi lucri quàm ſalutis ratio major habetur, quòd ſi non ſpectaretur, facilè ab arte exularent futuræ iſtæ miſerandæ. In quarum locum ſi ſubſtituerentur pulveres glutinatorii ac aquæ collericæ, de quibus ſequenti tractatu diſſeremus, quarum & artificioſa eſt præparatio, & admirabilis efficacia, non vulnera ſolùm, ſed majora quoque mala curarentur facillimè, quæ iſti incurabilia proclamant. Sed errorum ſemper plus quàm verorum canonum extitit, quos ii loquacitate tegunt, ſub qua vulgus artem latere exiſtimat, ſicque tandem in verorum locum falſa ſubſtituuntur remedia.

Cap. 15. *Deligandorum Vulnerum Ratio.*

QUamvis ſecundo tractatu cujuſvis remedii adhibendi rationem, ab initio ad finem uſque curationis, deſcribemus; hîc tamen loci commoditate illecti deligandorum vulnerum modum annotabimus. Deligaturus initio vulnus, primum omnium ipſum Oleo vel Balſamo vel unguento vulnerario tepidis, unà cum his quæ in iis intabuerint, implebis, dein Emplaſtro ſtictico impoſito accuratè deligabis, circa vulneris autem regionem eadem ipſa adhibebis, vel ſi mavis oxyrrhodino ipſum membrum irrigabis. Et iſtud continuabis in novem vel octo dies, prout vulnus ipſum magnum vel parvum extiterit: immutabis autem ſeu iterabis ſingulis XII. horis. Iſtis ritè perfectis, majore cura nil opus eſt, niſi vulnus admodum amplum ſit, vel in quo tendo vel ligamentum aliquod vulneratum, majora ſymptomata minetur: tum enim pro tua induſtria majorem adhibebis diligentiam. Ubi vulnus punctim factum eſt Syphone, oleum aliquod ex prædictis injiciendum erit, vulnuſque ut dictum eſt curandum. Semper autem prima deligatio accuratiſſima eſſe debet, quòd tum neceſſitas maximè poſtulet. Capitis autem vulnera curandi ratio hæc eſt: petiam lineam vel cottum imbue calido oleo vulnerario (à Balſamo autem, id eſt, deſtillatis oleis abſtineto) pòſt herbis ac floribus, qui oleo intabuerunt, imple, impletam in vulneris profunditatem immitte, devitatis tamen menyngibus (quas tangere piaculum eſt) quo facto, emplaſtrum ſuperimpone, ac tandem deliga. Capiti autem ea maximè emplaſtra conveniunt, quæ Gummina & Lythargirum, non autem Reſinam, vel Colophoniam, vel Camphoram recipiunt, hujuſmodi remediis & curandi methodo ferè circa nonum diem vulnera omnia tertia parte ſanantur, nam curam in tres partes diſtingue, initium, medium, & finem. Ubi autem vulneratus jam vires recollegerit, omiſſo oleo, Balſamum ſubſtitues, tanges verò vulnus penna in Balſamum intincta, poſtea emplaſtro impoſito, curam continuabis, donec nervi, articuli, &c. antea nudati

nudati, jam tecti apparuerint. Ultima poſtea deligatura ſubſequetur, quæ ſolis emplaſtris ſticticis abſolvetur ad cicatricem uſque. hæc curandi ratio mihi familiaris eſt, in vulneribus oſſium, nervorum ac ſimilium, in quibus de curatione deſperant alii. Sin vulnera non admodum periculoſa ſint, ſufficiet uno ex prædictis modis, aſſumpto vulneris curationem perficere: nam ſi in iſtis initio ſtatim recta deligatura fiat, commodumque remedium adhibeatur, nil periculi amplius metuendum erit. Superſunt alia remedia, vulnerarii pulveres, potiones vulnerariæ, ſublimata, deſtillata & ſimilia, de quorum uſu ſuis locis copioſè diſſeremus.

Cap. 16. *De quibusdam Morbis qui Vulneribus curatis ſuccedunt.*

VUlnus curare artis eſſe facilè concedo, perfectioris tamen artis opus eſſe affirmo, & vulnus ipſum curare, & ne morbus aliquis curato vulneri superveniat, diætæ legitima ratione præſcripta præcavere poſſe. Exempli cauſa, ſcarificatio vel venæſectio naturæ oppreſſæ ſubvenit, quæ niſi adhibeatur, alii morbi ſuccedunt: ſic in magnis vulneribus, ubi non ſcarificatio ſeu phlebotomia ſed profundiſſ. vulnus ſpectatur, cavendum ne alicui morbo occaſio præbeatur, cavebitur autem, ſi per vulnus ipſum naturam exoneravimus (quemadmodum venæſectione futuros morbos præcavemus) id autem quo pacto fieri debet, pro tua induſtria cognoſces, temporis, loci, occaſionis ſemper habita ratione: fere namque aliàs tumores ac abſceſſus interni fiunt. Notandum etiam, magnam ſanguinis profuſionem aliquando dyſpnæam, quandoque hydropem efficere, alióſque tumores, non raro quoque complexionis ſeu temperaturæ mutationis cauſam exiſtere in ægris, ſuccedunt quandoque etiam vulneribus vertigo, ventriculi imbecillitas, ſimileſque paſſiones à quibus ut ſibi ægri curati caveant, admonebis, ubi diætæ formulam præſcribes. Iſta quamvis ad medicos pertineant, nil tamen de iſtis memoriæ ab ipſis proditum eſt, fruſtráque ipſorum ſcripta conſuluntur. Tu iſta ut præcaveas, & ſcarificatione & phlebotomia, prout ſitûs vulneris expoſtularit, uteris & ad purgandum ſanguinem Aquam Cichoreæ & Camædryos exhibebis: hæ enim omnem ſanguinis noxam tollere aptæ ſunt. Obſervatione præterea dignum eſt, vulnera inflicta, magnorum morborum qui jam generabantur medelam eſſe, maximè ubi magna venarum vaſa aperta fuerint: nam ſi phlebotomia tantopere commendatur, quid prohibet iſta vulnera phlethoræ curam nominare? Ego agreſtem hominem novi, qui cum à multis annis ſurdaſter fuiſſet, tandem cùm caſu in tumultu quodam auris illa cum malæ parte abſciſſa eſſet, auditum recuperavit: ſic debilitate viſus, diuturnas quartanas, quæ nullis remediis obedirent, curatas eſſe, meminimus. Vidi quoque in præliis, quibus peſtes ac febres ardentes ſucceſſerunt, eos qui in prælio vulnus accepiſſent, evaſiſſe, cùm reliqui perirent. Sic eryſipelati obnoxios obſervavimus poſt vulnus acceptum ab hoc malo liberatos eſſe. Quin & Arthritide moleſtatos vidimus, poſt vulnera nil mali aliquot annis ſenſiſſe. Quamobrem medicum tam uſum quàm noxam vulnerum obſervare decet: nam non raro accidit, per ſe peſtiferum, ex accidenti tamen utile ac ſalubre effici.

Cap. 17. *In Vulneribus quid Locorum ratione obſervandum ſit.*

PRæter ea quæ ſuperius commemoravimus loca, genitalium locorum vulnera omnium periculoſiſſima ſunt, quòd ſummis ea doloribus affligant. Iſtorum tamen deligandorum eadem eſt ratio quæ ſuperius dicta eſt, niſi quod ob intenſiſſimos dolores ac phlegmonum vehementiam anodyna ſeu paregorica remedia requirant, conficientur autem ex farina fabarum, in vino & aceto cocta, quam ſubinde recalefactam cataplaſmatis inſtar impones, donec dolor mitigatus remittat, vel loco fabaceæ farinæ lutum furnarium, eodem modo præparatum adhibebis, tum doloris ſedandi, tum defenſionis (quam iſto loco deſiderant maximam) gratia. Quod ſi iſtis dolor non acquieſcat, tum ℞. *fl. camomillæ, verbaſci ana M.* 1. *olei q. ſ. coquantur & fiat cathaplaſma, imponatur calidum.* Si nec iſtis dolor mitegetur, ad Ebulum in vino coctum & cathaplaſmatis forma præparatum, tamquam ad ſacram anchoram confugies. Sin Oſcus (id eſt, ſcrotum) exeat, tum difficulter retinetur, retinetur tamen per terram ſigillatam, non eam vulgatam officinarum, ex quovis luto confectam, ſed nobis ſingulariter notam. Sunt præterea inteſtinorum ac peritonei vulnera, quæ quia glutinationem uti diximus non admittunt, argenteis fiſtulis continenda rurſus erunt, quod ſi præſtari poteſt ut aliquando contingit, ſalus ſperanda eſt, quo pacto autem id fieri debeat, exercitatione, quàm ex ſcriptis diſces melius. Recti quoque inteſtini exitus à vulneribus cauſatus, eodem modo non difficulter ſanatur. In hujuſmodi caſibus miram quandoque chirurgorum ac tonſorum audias jactantiam, qui non iſta ſaltem, ſed & membra, aures, naſum, digitos, &c. triduo ante abſciſſa ſe reſtituere velle gloriantur. Sed quia nugandi tempus habent: non enim aliis occupantur, quis non illis ignoſcat? Verùm cùm minora non curent, de majoribus fabuloſa eos dicere mihi perſuadeo. Ego experientia edoctus, quantam fidem iſta mereantur, ſcio: ſed pergamus. Capite vulnerato ocymum in vino coctum imponitur, magno ſucceſſu, ſimiliter Lavendula, Majorana, Salvia, propter mentis alienationem ac vertiginem, atque ſyncopas adhibentur. Similiter de Pulmonibus, Epate, Splene, ac Renibus ſciendum iſthæc, viſcera Auro potabili ſuſtentari ac nutriri deberè, quod præparatum omnes medici aſſervare debent, quòd nullius pretii medicus ſit, qui illud non habet. Ego quidem & preparationem novi, ipſumque habeo, ſed jam non publicari præſtat, tempus forſan revelabit.

Peroratio primi Tractatus.

Cum hactenus omnia theoremata medicæ artis, quæ extra remediorum formulas chirurgum noviſſe oportet, ac ſine quibus minimum utilitatis ex Reſcriptis ſeu Receptis, quæ vocant, reportaturus eſt medicus, oratione explicuerim, repeti denuo debet quod in proœmio ſcripſimus, memini enim ibi, quomodo aliquando cum perſuaſione ductus putaverim vulgata medicorum theoremata vera ac abſoluta eſſe, ipſam artem faſtidire ceperim. Verum ego tandem, eorum imperfectione cognita, nil prius, nil jucundius habui, quàm hanc ſentinam expurgare, ac medicinam ſuo nitori reſtituere. Sed meum propoſitum dum conſidero, ſentio illud pſeudomedicis iſtis nunquam probatum iri, at contrà dum video nil ſpei in illis cum fructu poni, illos me impedire non patiar. Non inficias eo, præclara eſſe quorundam Germanorum noſtrorum ingenia, quæ ſi huic arti excolendæ invigilarent, non inutilem operam præſtitura forent. Et doleo certè, ea ſtudiis iis corrumpi & frangi, quorum minimus in hominum converſatione uſus exiſtit. Iſti viri ſi uſum Medicinæ accuratius conſiderarent, plus operæ in ea ponerent. Si enim charitatem proximo præcipuè debemus, an ne majus dilectionis opus eſt, quàm ſi proximo id quod ille chariſſimum habet (ſanitatem ſcil.) reſtituamus? Eos ego ad medicinam capeſſendam adhortor, quo eam ex iſtorum Theſſalorum manibus, qui eam tam fœdè conſpurcarunt, tandem eripiant; iſtaq; inutilia ſtudia, nec à Deo nec à natura imperata relinquant, ſed diſcant Chriſtianæ charitati magis conſentanea exercere: quid enim iſta ſtudia (quæ illi humaniora appellant) aliud ſunt niſi vanitas, quorum nec uſus nec fructus ullus, neque in ſeipſos, neque in alios redundat, ſed nil niſi ſonus quidam tibiæ agreſtis ſunt, qui dum auditur aliqua ratione animos afficit, at ubi deſierit, nullius momenti amplius habetur? Sed fucatis ſtudiis ſemper

ſemper invigilamus accuratius, quòd popularem applauſum mereantur. Hinc medicinæ ſtudium tot ſæculis incultum remanſit, quòd nemo ſine contemptu ei vacare poſſet: quin & ipſum Deum Opt. Max. qui divino ore ſuo ægros medico opus habere protulit, ludibrio habent, totamque Evangelii doctrinam contemnunt irriſores iſti. Quamobrem in eam denuo ſententiam devenio, Medicinam non in cujuſvis eruditione ſtabiliendam eſſe, quòd eruditi ferè omnes Cathedram Peſtilentię poſſideant, loquor autem hic de vulgata illa, & fucata ſcholaſtica eruditione. Me interim illud ſcripturæ teſtimonium conſolatur, quod expreſsè innuit Medicum à Deo creatum eſſe, itaq; ego iſtorum blateronum loquax auxilium, non deſidero amplius, ad expurgandam Medicinam, ſed opera perfecta cordatorum hominum, quibus integritas cordi ſit, mihi ſufficiant.

Veruntamen intelligo, quemadmodum plures ſe miniſterio Evangelii immiſcent, & nemo eſt qui non de Deo loqui præſumat, eos tamen qui in vineam vocati ſunt cum fructu eam colere ſolos, reliquos vero Sues & beſtias eſſe, quæ diruta macerie in vineam domini irruerunt, eamque diruerunt, qui ſuo tempore quoque meritas pœnas daturi ſunt. Sic magnum eſſe Medicorum acervum, peritorum autem ac fidelium minimum numerum: nullus enim porcus eſt qui non hanc vineam diruerit. Hinc Apoſtatæ monachi, qui deſidiæ, crapulæ, ſcortationi aſſueti erant, cùm viderent ad faciendam medicinam (vulgaris uſus) præter loquacitatem, artis parum deſiderari, quo ſuo ventri proſpicerent, Medicinæ ſe immiſcuerunt, atque ſic Medicinæ ſacratiſſ. ſcientia, fertilis ager fuit omnibus iis qui laborum pertæſi, otium captabant. Nec verò apoſtatæ ſoli, ſed & carnifices, cæterique ejus farinæ homines, quibus probum virum annumerari pudeat, hanc lucri fœcundam artem captarunt. Iſtis tamen Medicum animo frangi non decet: nam ſi Prophetę pſeudoprophetas, Apoſtoli pſeudoapoſtolos juxta ſe tolerarunt, medicum quoque pſeudomedicos ferre non iniquum erit, ſedulo autem illud dictum Chriſti, Medico obſervandum eſt, cum inquit: Nemo venit ad me, niſi quem traxerit pater meus cœleſtis, eadem namque ratione Medicum à Deo creatum, æger conſulit, quem eò deduxerit Dominus: nam & Medicorum & ægrorum duplex genus exiſtit, juſtorum & injuſtorum, ſui ægri itaque ſuos Medicos quærunt, & viciſſim, interim tamen invicem permixti omnes vivunt, quemadmodum nunquam triticum ſine vicia vel lolio accreviſſe videmus. Sed iſthęc jam ſufficiant, properemus jam itaque ad ſequentem tractatum.

Libri De Vulneribus Tractatus Secundus.

Prooemium.

Charitas proximi jubet, ut qui in publicum quid emittunt, ſcripta ſua, ſine fuco & præſtigiis, ſed certiſſima experientia nixa aliis legenda præbeant, ea quoque obſervata conditione, ne nimia copia luxurient, vel penuria frigeant, ſicuti & agros planè incultos, vel nimium cultos fructum non ferre videmus. Quamobrem, commendandis ſcriptis accommodatiſſimum eſt exceſſum & defectum cavere, quod iſtis non obſervatis, vel inutilia vel peſtifera evadant opera, cujus rei argumentum manifeſtiſſimum ſunt Barbarorum quorundam ſcripta, qui cùm de omnium morborum curationibus à capite ad calcem diſſeruerint, tamen interim nihil egerunt, quàm ut vera cum falſis jungerent, omniaque confunderent: nam cùm non publici commodi, ſed popularis auræ captandæ gratia ſcripſerint, ea operibus ſuis inſeruerunt, quorum ne decimam quidem partem experientia comprobarunt. Sunt qui mihi vitio vertant, quòd non utar authoritatibus ſcholaſticorum medicorum, quaſi verò ob id minus docti viri nomen merear. (Cùm tamen omnes iſti quotquot ſunt, ſive Germani, ſive Itali, non digni ſint, qui corrigiam calceamentorum meorum mihi ſolvant.) Ego vero hoc teſtor, nil me ſcribere, niſi quod Deo teſte advocato, comprobare poſſim, hoc mearum vigiliarum fundamento poſito, mirum quot crabrones irritaverim, volunt ut illorum ſcriptis citatis res comprobem, cùm hoc medio nunquam optato fine potiri queam: quia enim ipſorum libri mendis ſcatent, quomodo non niſi mendacia ſcriberem? vix enim unicum theorema apud illos invenias, quod fuco vel contradictione careat. Atque ut ſcribam quod ſentio, ſic ego judico omnia ipſorum ſcripta, dubiæ conſultationes ſunt, nulla hic demonſtratione, nulla experientia quidquam comprobatur, ac vel cæcus videre queat Avicennæ magnos Canones, Meſuei atque reliquorum Barbarorum commentarios (quos tamen vulgus quaſi ſanctos habet) mendaciorum plurimum, veritatis nimium continere. Multi morborum centurias deſcribunt, cùm tamen vix decuriam viderint, nedum curarint, iſtis ne ego nitar iſtos mihi imitandos proponam: quorum aſſeclas, video ex centum vix decem curare, & conſultationum centuria deſcripta vix quinque ægris prodeſſe poſſe, ac qui una garrulitate ac ſuperbia, quarum fœcundiſſima altrix eſt Italia, nituntur, unde id quoque juris ſibi ſumunt, ut quidvis, quod ad exornandas ſuas nenias facere poſſit, pro vero ac certo ſcribere audeant. Sed dæmone præceptore utuntur, qui cum Rhetor ſit, quomodo non orationis illecebra ipſorum phantaſias exornaret; ſed væ fatuo, qui hæc pro Evangeliis reputat. In omnibus quamobrem ſcriptis non Medicis ſolum, ſed Chronicis atque Hiſtoricis ſumma ac unica virtus eſt veritatis ſtudium, quod ſi non adſit, non ſcripſiſſe præſtiterit, ſed mentiendi occaſio ampla eſt, & vulgus tenebras quàm lucem mavult. De hac difficultate reſcindenda tale meum eſt judicium. Spiritus vivificat, litera interficit, inquit Scriptura. Spiritus & literæ diverſa ratio eſt: Spiritus unicam veritatem continet, hinc qui veritatem ſaltem ſcribit, non literas pingit, ſed veritatem per ſe quidem inviſibilem, ſed quam ſcripto vel voce percipere poſſumus. Litera verò (ſcripturę) eſt cùm quis veritatem non ſcribit, ſed per conſequens mendacium: hinc ſequitur literam, id eſt, mendacium interficere, quare qui ſcribunt, veritatẽ ſcribant, alioqui hominem interficiunt, homicidii verò pœna à Deo conſtituta eſt æternum ſupplicium. Imitandos itaq; nobis proponamus Prophetas & Apoſtolos, qui fœcunda brevitate veritatis fontẽ deſcripſerunt, qui nil niſi quod Divino ore notare juſſi erant, ſcripto prodiderunt: horũ exemplo & nos veritatem, cujus ſimplex eſt oratio, proponamus, nec patiamur inanis gloriæ ſtudio in loquacitatis vitium nos detrudi: nam ſi illi ſummum bonum ſine orationis pigmentis deſcribere potuerunt, nec nobis difficile erit in tenuiori materia idem prę̨ſtare. Non ſum etiam ignarus ejus, quod Chriſtus dicit: Ubi receptus fuero ex hoc mundo, mittam vobis Spiritum ſanctum, qui omnia docebit vos. Qui ſi nos (uti non dubitandum eſt) docebit, certè præter veritatem nil docebit, veritas autem tenui oratione contenta eſt, quę mundo qui pompam ſpectat non ſufficit. Itaque ſi loquacitatem Spiritui ſancto tribui audiveritis, ne credite: nam ſi ſermonis prolixitas veritatem efficeret, fateri cogeremur, Chriſtum non omnia quæ neceſſitas requirebat dixiſſe. Iſta Scripturæ loca eo nomine citavi, ut oſtenderem, Medicinam jam ſola loquacitate ac interficiente litera deſcriptam haberi, ut præter caſum nil certi in ea habeatur amplius. Hanc literam dum à ſpiritu ſeparare conor, ſtultus ab omnibus habeor, nec forſan immeritò: Oceanus enim immenſus eſt, ex quo enatare impoſſibile videatur. Margaritas porcis non projiciendas, neque ſanctum canibus porrigendũ aiunt, ac conſequentiã faciunt: ergo veritas ſcripto non eſt publicanda, bene dicunt: nam

nam ipſi porci ſunt iſta margarita indigni, quorum unicum fundamentum eſt, litera mendax & interficiens, quaſi vero non imitandus nobis eſſet Chriſtus, qui veritatem ab Evangeliſtis ſcribi, ab Apoſtolis univerſo orbi annunciari ac prædicari voluit, cui ſi baptiſati fidem habeamus, ſalvabimur. Itaque ſi porcos ab ovibus ſeparaverimus, porcos nos deterrere non patiemur, quin cęteris veritatem ſcribamus. Sequitur ergo ſecundus operis noſtri tractatus, Medicamenta & remedia continens, quibus omnia vulnera tam cęſim, quàm punctim facta (quantum natura patimur) curare docebimus. Quod ſi noſtras compoſitiones cum veterum reſcriptis quandoq; concordare videritis, nolo vos ea iſthinc exſcripta putare, ſed quia Medicina,à mundi origine uſque, certiſſimo ſemper fundamento innixa eſt, nos illud tenere, cæteros vero fabulis ac fucis, ſi non undique certè pleriſque in locis conſpurcaſſe judicabitis: nam ubi illi, quod tamen rariſſimum eſt, Medicinam incorruptam reliquerunt, nil mirum erit, ſi invicem concordemus. Mihi itaque multiplici experientia exercitato, liceat medicinæ imperfectionem ſarcire, vel aliorum in ea errores notare, tu interim ſequentia remedia & diſce & exerce, poſthabita omni loquacitatis pompa, quæ nihil ad artem facit: Et eris perfectus Medicus.

Vulneratorum Diæta, ſeu victus ratio.

Rerum non naturalium adminiſtrationem indebitam, vulneratis periculoſam eſſe extra dubium omnia eſſe puto, cùm eandem ſanis nedum ægris noxiam eſſe quotidiè experiamur, itaque cùm videamus diætam curare vulnera, victus rationem inconcinnam vulneribus nocere negare non poſſumus, neque tamen vera victus ratio ſine remediis aptis, vel optima remedia abſq; legitima diętæ ratione, quidquam laudè dignũ poſtulabunt, ſed ſemper iſta conjuncta eſſe oportet. Quam pſeudomedici in ptiſana, alica, juſculis diætam obſervant, explodenda eſt, quòd ab iſtis natura integra abhorreat, nedum læſa quãobrem digeſtivę virtutis facultas in pręſcribendo victu inſpicienda erit, ſic ſi ebrius aliquis vulneratus ſit, ante ſobrietatis tempus nil ferè offeres, ſed uſque in tertium & quartum diem, ſola tenui victus ratione, ptiſana ſcilicet, &c. contentus eris. Sobrius vero ſi vulnus acceperit, huic certe euchymis, & plurimi alimenti cibis ſuccurres, quod in eo concoctrix facultas integra adhuc ſit, ebrius vero dupliciter læſus ſit, continui ſcilicet ſolutione, & naturalium facultatum noxa. In victu vero offerendo varietatem captabis, quòd ea ęgris grata ſit, quibus quandoq; gratificari licet paulò deteriore victu, cavendum tamen à carne ſuilla, anſere, anate, & volucribus aquatilibus, &c. quos cibos quivis vulneratis obeſſe novit. Unice autem illud obſervandum erit, ut & ſæpe & modicum offeras, repletionem nimiam, famem ac ſitim caveas. Sitis etènim (ut reliqua taceam) Epatis ratione evenit, quod cùm vulneri alendo ſanguinem mittat, ad attractionem humidi incitatur, quare vulneratis potus non prohibendus, quòd ejus tanta ſit neceſſitas: ſitis enim medicina quędam eſt, & propter medicamenta evenit ferè, neque etiam ſive vehementer ſive leviter vulneratus, quiſquam ad cibum vel potum capiendum cogendus eſt, niſi ubi ventriculus refrixit, vel appetentia ob frigiditatem illam concidit: tum enim victum calidum, ut jus carneum vel avenatum offeres. Pręter jam dicta in uſu alimentorum quędam pauca conſiderantur, ut puta, ætas & natura ægri, ciborum bonitas ac malignitas, temporiſque ratio. In potu autem vulneratis exhibendo accuratior quædam ratio obſervanda erit: nam ſiti quàm fame magis moleſtantur ægri. Epar ſiquidem (ſitis origo) magis, quàm ventriculus (in quo fames reſidet) afficitur: hæmorrhagia enim Epati communicatur maximè non ſic ventriculo: quamvis enim ventriculi actio ferè debilitetur in vulneratis, cui & Epar poſtea conſentit, tamen cùm potus nil admodum in ventriculo commoretur, de ejus offenſa nil metuendum, tum etiam Epar inde juvari certò cognoſcimus: nam potus in vulneris nutritionem alteratus, ab Epate ad vulnus tranſmittitur: quòd ſi potus multum ſanguinis generet, minus damni inde metuemus. Itaque quivis Chirurgus potionum delectum habeat, iis in locis in quibus Medicinam facit. Cæterã quod attinet, ægri membri, ægro quietem imperabis præcipue, & ut ab ambientis aëris mutationibus ſibi caveat monebis: quòd ſi contingat vulnus cum morbo alio, ſcilicet convulſionibus, Epilepſia, colico dolore, complicari, (uti primo tractatu admonuimus) caprinam, in Febribus ova devitabis, & ſimiliter de aliis. Cibos vero condimẽtis, aromatis, deſtillatis cinnamomi ac caryophyllorum aquis condire ac temperare licebit. Quin & carnes ſine aqua in duplici vaſe coquere utile erit, potes ſi placuerit, ad Epatis & ventriculi confortationem carnes cum vino vel aqua, cinnamomo ac caryophyllis eodem modo decoquere. Notandum quoque eſt inter initia humido quàm ſicco victu magis juvari ægros: nam Epati tum temporis potius, quam ventriculo proſpicere oportet. Nec illud ignorandum, in magnis capitis vulneribus potiones fortes, vinum ſublimatum & ſimilia intermittenda eſſe, utendum vero aqua, in qua panis maduerit, mixta cum ſucco cinnamomi.

Alvus aſtricta, urinæ ſuppreſſio, & vomitus, in vulneratis, quomodo curentur.

Vulneratis alvus dura redditur variis de cauſis: quandoque enim natura nimio ſanguine profuſo, ad expulſionem impotens redditur, quandoque conſtipatio ex diuturno decubitu oritur, præterea quoniam appetitus deperditur, atque concoctio vitiatur, pauca excrementa generari manifeſtum eſt, quin & fębres ac phlegmones, quæ ſuperveniunt, excrementa diſſipant. Adhæc & illud patet, in multa ſiti pauca excrementa fieri. His de cauſis ſi alvus adſtricta ſit, ante tertium vel quartum diem nil admodum eam ſolvere laborabis, niſi pectoris quandam anguſtiam ſenſerint ægri, atque tum etiam glande uti ſufficiet, quod ſi glandes nil promoveant, Caſſiæ medullam, electuarium de ſucco roſarum, Diaphænicon vel Benedictam laxativam exhibebis, neque verò planè contemnenda ſunt, apozemata & diluta, ut foliorum ſenæ, polypodii & ſimilium, quorum deſcriptiones ut vulgo notas jam prætereo. Nunquam tamen naturam ad excretionem cogere, Clyſteri vel ſimili aliquo remedio attentabis: neque enim unquam tantum cogendo proficies, quantum natura per ſe efficere poteſt, viribus non plane deſtituta, itaque ne nimium præceps ſis, in alvo movenda moneo. Vomitus præterea vulneratis ſupervenit quandoque, qui quoniam & periculi minimum habet, & ferè ubi natura vires recollegerit, ſolvitur, nullam curationis indicationem propriam habet, verum ne plane ſine remedio ſis, ℞. *fermenti M.* I. *ſucci menthæ cum aceto extracti q. ſ. coquantur in formam cataplaſmatis vel Emplaſtri, calidum imponatur ventriculo, ubi refrixerit eodem ſucco rurſum calefiat, ſinatur per tres horas à paſtu.* Similiter urinæ ſuppreſſio ægris accidit, *quam ut tollas*, ℞. *lap. cancrorum, exhibe in ſucco vel aqua raphani*, quòd ſi non perficiant, ℞. *croci q. ſ. factus ſacculus imponatur inguinibus vel da glandes ſiccatas in pul. redactas in potu, &c.* Verum de iſtis, iſta ſcripſiſſe ſufficiat, quod ea una cum curatione vulneris per ſe abeant.

Secundi Tractatus Paracelſi, de remediis vulnerum, telorum, & Scloppetorum componendis

Cap.

Cap. I. *De compoſitione remediorum præcepta generalia.*

ABſolutis hactenus iis, quę ad cognitionem ac theoriam curandorum vulnerum pertinebant, præſcripta quoque generali diætandi formula, tum quo pacto ſymptomatis vulnerum ſuccurrendum ſit oſtenſo, tempus poſtulare videtur, ut tandem quibus remediis curatio abſolvenda ſit aperiamus, quod priuſquam aggrediamur, hanc generalem componendorum quorumvis remediorum methodum obſervare conveniet. Quemadmodum in homine anima, qua tamen homo, homo eſt, inviſibilis exiſtit, ſic in medicamento, & corpus eſt medicamenti, & ejus veluti anima, quædam actio ſeu energia, quæ etſi ſine corpore non exiſtit, (nam per corpus neceſſario agit) corpus tamen ipſum ad ſanandum nihil conducit, niſi quòd actioni ſubeſt. Verum cùm aliquod corpus neceſſario adſit, videtur cujuſque medicamenti duo corpora conſtituenda eſſe, purum alterum, alterum impurum (hoc illius quaſi ſubictum) in quorum ſeparatione ars componendorum medicamentorum univerſa conſtituta eſt. Separatio autem fit, non ſine corruptione ejus, quod eſt corporis, quam ſubtilis deinde præparatio (ſuo loco dicenda) conſequitur. Obſervandum tamen, quædam medicamenta eſſe, quæ abſque ſeparatione, vel corporis corruptione adhiberi poſtulant, quibus ſingularis quoq; miſtio conveniet. Sunt & tertii generis medicamenta, quę actionem ſuam in alieno corpore melius quàm in proprio perficiunt: horum ergo corpora permutanda erunt. Ultimum genus eſt, eorum quæ per ſe nullam vim vel actionem obtinent, ſubtiliore tamen præparatione adhibita, admirandas facultates nanciſcuntur. Hæc nova videntur, ab antiquitate non recepta, magno damno & dedecore tamen ignorata: dum enim non conſiderant veteres, medicamenta quædam ſeparatione, quædam ſubtiliore præparatione, quædam alienorum corporum inductione actiones meliores habere, imò omnino habere, duorum, trium, pluriumve compoſitione, pueriliter defectum ſuum ſarcire conantur, quod tamen nunquam quiſquam conſequetur, manente eo quod eſt impuro corpore. Generaliſſimum itaque hoc ſit medico in medicamentis conſiderandum, quanam præparationis formula medicamentum ad ſummum actionis ſuæ deduci poſſit, quod qui ignorat, ſubulcus non Medicus habendus eſt. Iſto igitur canone obſervato, notandum deinceps eſt, *Caloris* multas eſſe differentias: *Calor enim eſt Inſtrumentum omnium præparationum*, atque ob id ſingulariter contemplandus. Caloris differentiæ ſunt ignis, ſol, fimus, calidum innatum, &c. differentia autem in actione conſiſtit: nam medicamento aliquo in cucurbita ad ſolem poſito, alia erit ejus vis, quàm ſi vel igne, vel carbonibus, vel in fimo præparatum fuiſſet, & viciſſim. Sic aqua, ſic arena, etſi ambo extrinſeco calore agant, diverſimode tamen agunt: quamobrem ut cuivis medicamento competentem adferas calorem, haſce differentias ſtudioſè notabis, quas veteres medici dum contemnunt, unico calore contenti, omnia permiſcent, ſumma cum imis confundunt: tu cave ſic agas, imò quæ ad ſolem pertinet, ad ſolem præpara: ſic quod in Reverberatorio parari debet, illic præpara. Sunt ex antiquis medicis, qui ab Alchymiſtis edocti, iſthæc non planè intermittunt, ſed quia fundamentis Chemicæ artis deſtituuntur, pauca ſuo loco agunt, nos in præſentiarum quantum ad curationem vulnerum pertinebit, commemorabimus, reliquia ſuis locis non omiſſuri, monentes interim, ut ſtultas pharmacopæorum præparationes abjiciatis.

Cap. 2. *Potiones Vulnerum quomodo parandæ ac corrigendæ.*

VUlnerariarum potionum vis ac facultas ea eſt, ut auxiliante natura, intrinſecus omne vulnus tam cæſim, quàm punctim illatum percurare poſſint. Etſi enim natura per ſe morbos curat, tamen ſi confœderatis medicis auxiliis adjuvetur (auxilia autem naturæ cognata ſint oportet) facilè opus perficiet. Hujuſmodi ergo auxilia potionum forma maximè commendantur: nam cùm natura vegetalia quędam habeat, quæ ſi in alia corpora redigantur & applicentur: vulnera curant, certè nulla meliore forma, quam in potiones redacta actionē perficient: etenim potionem natura ceu alimentum recipit, cui quæ ineſt medicamentoſa vis non reſpuitur à natura etiam. Vulnerariæ iſtæ potiones, quamvis omni ætate in uſu fuerunt, tamen pauci veterum ex legitimis ſimplicibus legitimè eas confecerunt, ſed ferè pro more ſuo ſordide ac oſcitanter pararunt. Sciendum quoque hujuſmodi potiones, non ſolum medicamenta, ſed & alimenta eſſe, itaque eadem ratione licebit cibos vulnerarios parare, ſcilicet ut ea ipſa remedia una cum cibis percoquantur: verum quia tardius diſtribuuntur, & ferè ventriculi aliqua imbecillitas ſubeſt, omittuntur, mihi ſanè non diſplicent, ſi ventriculus eos concoquere poſſit. Varietas potionum vulnerariarum ex ingredientium diverſitate deſumitur, hujus generis ſimplicium ferè centum numero ſunt, quorum v. vel vi. circiter ad unam potionem aſſumuntur, quarum vires in aliud corpus, vinum exempli gratia, traducendæ ſunt, ante omnia tamē delectu opus eſt, quòd alia melius, alia celerius, alia deterius, alia tardius ſuam operationem perficiant. Eſt vero & alius quoque harum potionum uſus, quod ingruentibus malis ea occurrant: conſervant enim naturale temperamentum, omnemque intemperiem corrigunt: adhęc naturam ſic alunt, ut planè nil ipſa præterea deſideret, quod nullo extrinſecus adhibito medicamento quiſquā effecerit, quamobrem hujuſmodi cognoſcendis, & legitimè comparandis, ſedulam operam navabit medicus. Vidi præter inferius notata, mirandos effectus conſecutos eſſe hujuſmodi medicamenta. Belgradi cum eſſem memini me vidiſſe Thracem ſeu Vualachum quendam, qui unico hauſtu exhibito quodvis vulnus curaret, ego tamen cùm ejus periculum facerem pro locorum ac tēmporis varietate non perpetuo valere didici. Sic in Croatia Zygum quendam (vulgo Zyginer) vidimus, qui cujuſdam herbæ ſucco in potu exhibito omnes puncturas, in quibus ſymptomata gravia nulla adhuc eſſent, ſanaret. Stockholmii quoq; in Dania erat matrona quędam nobilis, quæ omnia vulnera (nervorum vulneribus & iis in quibus oſſa fracta eſſent exceptis) tertio hauſtu dato glutinaret, ſed iſtis (quia ferè in ſimplicibus tantùm ac carnoſarum partium vulneribus proſunt) medicus contentus ne eſto, ſed certiora inquirat. Obſervavimus veruntamen exorciſtam ſeu Magum quendam oſſium fracturas ac nervorum vulnera hujuſmodi potionibus curaſſe, ſed ubi rem penitus inſpeximus, non potione, ſed extrinſecus adhibitis remediis (ſuo loco dicendis) id eum effeciſſe cognovimus. Priuſquam autem potionū formulas præſcribo, ſimplicia ex quibus eæ parantur ordine annotare placet, notabo autem ea ſaltem, quorum ope omnis generis vulnera, quocunque tandem modo facta, curare poſſis.

Sanicula alba.
Sanicula ſylveſtris.
Alchimilla.
Dracunculus.
Ophiogloſſon.
Sapo.
Senecta Serpentis.
Trifolium.
Conſolida media.
Telephium.
Paſtinacæ ſativæ alterius herba.
Limonium utrunque.
Mumia.
Sperma ceti.

Noctua.
Terra ſigillata vera.
Rhabarbarum.
Buxi folia.
Cyclamen.
Peryclimenum.
Tuber.
Ariſtolochia.
Agrimonia.
Symphitum.
Perſicaria.
Beta utraque.
Pavonis pennæ.
Polytricum aureum ſive Apuleii.
Lilium convallium, id eſt, Ephemeron non lethale.

Præter commemorata ſimplicia, etſi plura ſunt, ſufficiunt tamen iſta, quin hoc ſcire ſat ſit, inter jam dicta tria eſſe, quorum ſucco epoto, omnia vulnera ac puncturæ curentur. Item duo notata eſſe, quorum utrunque prius aquæ intinctum, ſi vulneri imponatur, ipſum vulnus prius glutinari, quàm herbæ computreſcant. Eſt & unum ex his, quod ter potum vulnera, omniaque vulnerum ſymptomata glutinare, ac tollere efficax eſt: ſed iſta admiranda naturæ cognitio non niſi laboribus comparatur, eſtque ſecretior quàm quæ ſcriptis publicanda ſit. Sunt & ex commemoratis, quædam quæ inteſtinorum vulnera non aliter quàm carnoſarum partium vulnera glutinant. Diſcendum itaque ac experiendum, ſtrenueque laborandum in horum inquiſitione, quod ſi ego iſta omnia tibi communicarem, injurius tibi forem. Sed ad deſcriptiones ac formulas potionum progredior, quibus ſi inſtructus fueris, Medici nomen magno ægrorum commodo tuleris, &c.

Præparandi modus antiquorum, tum recentium.

Solenne fuit antiquis potiones haſce ex vino ad tertias cum remediis cocto parare, ſtulta ac inſulſa ratione, quod ſcilicet guſtus, facultas, & natura vini, hujuſmodi coctura planè deperdatur: quod ut præcaveamus, vinum in cantharum cum remediis imponemus ac commiſſuris vaſis, probè circumlitis in duplici vaſe decoquemus: ſic enim de vini ſubſtantia, ac viribus non ſolum nil perditur, ſed & in illud omnis facultas herbarum decoctarum tranſit. Noſtra hæc præparandi ratio eo nomine gratior eſſe debet, quòd eo modo paratæ potiones, non ut reliquæ tormina ac nauſeam concitent: maximè ſi ex auſteris vinis, qualia Kelhamium Tigurinum, ac Brigantinum ſunt, parentur. Deligendum autem ad hanc decoctionem erit vinum antiquum, album, tenue. Vitandum vero rubrum ac craſſum, quòd alienę facultatis non facilè particeps fiat. Poſſunt vindemiarum tempore, ſine coctura, potiones tales parari, ſi herbæ enumeratæ in muſto deferbuerint, ac poſt tertium menſem, aliæ recentes impoſitæ fuerint, ut vinum omnem eorum qualitatem induat, quod deinde abſque ulteriore præparatione, potionis vulnerariæ loco dari poterit. Contingit quandoque vino nos deſtitui, vel patientes abſtemios eſſe, vel aliàs vino facilè lædi, uti ubi caput graviter vulneratum fuerit, in hujuſmodi caſibus parabuntur potiones ex herbis contuſis & in cantharo, ut dictum eſt, in diplomate coctis: fundunt namque de ſe liquorem qui potionis vulnerariæ loco eſſe poteſt, quia tamen fere ingratus eſt liquor, cinnamomum adjiciemus, tum guſtus commendandi, tum reſtaurandarum virium gratia. Tres jam commemorati modi ſingulares, in omnibus caſibus ſufficere poſſunt, eſt tamen & quartus non minus elegans, cùm herbarum loco ſucci eorum in duplici vaſe, cum aromatis decoquuntur. Simili ratione alimenta vulneratis parabimus, ſi carnes vel pullos ac gallinas, &c. cum aqua quantum ſufficit adjectis herbis vulnerariis in duplici vaſe decoxerimus, vel ſi aqua diſplicuerit, in vino decoques, ac gelatinam parabis: hujuſmodi enim alimenta mirum in modum vulnerum glutinationem adjuvant.

Formulæ Potionum Vulnerariarum.

℞. Saniculæ, Vincæ pervincæ, Centaureæ, Bethonicæ, ana M. 1. Conſolidæ regalis M. ß. Agrimoniæ M. 2. decoquantur ut præſcriptum eſt.

Alia.

℞. Ophiogloſſi M. 3. Alchimillæ M. 2. Vincæ pervincæ minoris M. 1. Periclimeni M. 1. ß. Rhabarbari ℥ 1. Rhapontici ℥ 3. coquantur ut dictum eſt.

Aliud.

℞. Angelicæ ℥ ß. Mummiæ ℥ 1. Spermatis Ceti ʒ 2. glandium ℥ 2. Telephii M. 2. Ciclaminis ℥ 2. Limonii utriuſque ana M. 3. Vini quantum ſufficit, fiat decoctio in duplici vaſe, potes ſi placuerit tertiam partem aquæ aſſumere.

Sunt & alii præparationum modi, ſi herbæ in aquis deſtillatis intabuerint, ac poſtea in duplici vaſe coquantur.

Ut.

℞. Aceti Limonii ſextarium unum, herbarum Limonii M. 1. Diapenſiæ M. ß. Vincæ pervincæ M. ß. fiat decoctio eo quo dictum eſt modo in canthari.

Nobiliſſimæ vero hujus generis potiones arte Chemica parantur, ſimili modo quo oleum arceutidum album conficitur, nimirum ſi iiſdem herbæ vulnerariæ jungantur: eſt namque in baccis juniperi, ſingularis ac ſecretior quædam facultas vulnera reſpiciens, hic modus elegantiſſimus eſt, ſed cùm hîc chemica docere non ſit propoſitum, faciliorem, ac ſimplicem rationem parandi potiones ex baccis juniperi præſcribemus.

Ut.

℞. Baccarum Juniperi contuſarum lib. 2. Limonii utriuſque, periclimeni, radicis Diapenſiæ albæ ana M. ß. Ophiogloſſi M. 1. ß. Symphiti, ariſtolochiæ ana ℥ 5. Perſicariæ ℥ 4. deſtillentur arte chemica, aquæ deſtillatæ rurſus immergantur herbæ dictæ, tum Baccæ Juniperi cum cinnamomo, & fiat decoctio in diplomate vaſe bene occluſo.

Similiter ex floribus vulnerariis cum Spica (uti oleum de Spica) paratur pinguedo quædam quæ parva doſi, tam in cibo, quàm in potu ſumpta, vulneribus prodeſt.

Exempli Cauſa.

℞. fl. ſpicæ M. j. hyperici M. iiij. fl. Verbaſci M. ij. fl. Bethonicæ, centauri minoris, Prunellæ ana M. ß. fiat more ſolito.

Aliud Univerſale.

℞. Rad. Symphiti ℥ ij. ariſtolochiæ ℥ iij. Calami arom: ℥ j. Ireos ℥ ß. herbæ vincæ pervincæ M. iiij. Saniculæ albæ M. ß. pennarum extremitatis caudæ pavonis ℥ ij. Myrrhæ, Maſticis, Thuris, Mummiæ ana ℥ ß. Rhabarbari ʒ vj. coquantur in vino vel aqua deſtillata, vel ſucco Limonii, vel aqua communi, prout neceſſitas poſtulaverit. Hæc de formulis potionum vulnerariarum dicta ſufficiant, quarum etſi apud quoſdam plurimæ aſſerventur, tamen pręparandi inſcitia in uſum non veniunt. Vix enim ullum remedii genus minus uſurpant Chirurgi iſtis potionibus, partim ob negligentiam, partim componendi ac præparandi inſcitiam, cùm tamen tam certa ex iis ſperanda ſit ſalus in puncturis. Doſis harum potionum ex viribus laborantis, tum ea ipſarum vehementia dijudicatur.

Cap. 3.

Cap. 3. *Unguentorum vulnerariorum parandorum ratio.*

VUlneribus curandis, unguenta omni ætate adhibita eſſe experientiâ didicimus: nam unguentorum mentionem apud antiquos fieri audias, cùm omnium reliquorum ne verbo quidem meminerunt remediorum. Iſtorum namque uſus vulgatus, & domeſticus fuit ſemper: antiquitus enim nemo non ea domi ſuæ, ad uſum ſubinde aſſervabat præparata. Illis autem temporibus ea, quæ corpus dabant, duo tantummodo fuêre, Mel ſcilicet & Butyrum: ea autem vulgus, eo nomine præcipue delegerunt, quòd Apes ac Boues omne genus florum ac herbarum exugere & depaſcere viderent, exiſtimantes (nec ſine conſilio) iis varias herbarum facultates communicari. Verum ſucceſſu temporis, cùm ſophiſtica Medicinam quoque invaſiſſet, iſthæc quaſi ruſtica & nimis ſimplicia contemni cœperunt: atque horum loco alia fucata magis, minus tamen utilia ſubſtitui. Ego vero candide hortor medicos, hæc ne contemnant, quæ veteribus in uſu fuerunt, ac pſeudomedicorum iſtorum fucatas compoſitiones, ut ſummas peſtes defugiant. Et ut (quantum in me eſt) veterum compoſitiones in uſum revocentur, ipſorum aliquot reſcripta ſeu formulas in medium adferam, quod ſi non Græcorum, Arabum, Mauritanorum, ac Ægyptiorum utar ingredientibus, non ſtatim ea abiici velim: erunt enim illis, ſi non ſuperiora, ſaltem viribus paria, & talia quæ vulgo ſuccedanea vocantur. Ea autem quæ corpus conſtituunt promiſcue aſſumere licebit, ut pro melle butyrum, & viciſſim, uti occaſio & tempus juſſerint.

Exempla.

Recipe Butyri maialis recentis lib. j. Arnogloſſæ, Limonii utriuſque, Betæ, cum radicibus ana: M. j. Ophiogloſſi M. iij. contundantur & permiſceantur cum Butyro, & inſolentur per menſes aliquot, pòſt percolentur, ac ſerventur ad uſum.

Aliud.

Recipe Butyri maialis lib. iij. Rad. Symphiti majoris lib. j. Ophiogloſſi lib. j. ß. inteſtinorum terræ mundatorum lib. ß. Ariſtolochiæ rec. quartarium unum, contundantur omnia & fiat pulticula, quam vel inſolare, vel in fimo digerere, vel frigido aliquo loco, ad humiditatis ſeparationem reſervare poteris. Hujuſmodi compoſitiones plures paſſim exiſtunt, ſed iſtæ duæ ad quodvis vulneris genus curandum ſufficient: quò autem diutius à putredine tuta ſint unguenta iſta, butyrum aliquoties in aqua ſalſa lavare, vel ſalis modicum toti compoſitioni adjicere conveniet. Licebit etiam ex unico medicamento unguentum parare, ut ex Melle & Ophiogloſſo, vel floribus Hyperici, Butyro & Rad. Ariſtolochiæ, vel Symphiti majoris: in iſtis autem delectus adhibendus pro regionum & cœli varietate. Hactenus antiquitatis monumenta protulimus, ſequitur recentior modus non minus elegans, à nobis primum inventus & uſurpatus. ℞. *radices & herbas ex commemoratis, quæ placuerint, eas adhuc virides contunde in formam pulticulæ, poſtea affunde vini, tantum ut paululum ſupernatet, coque in duplici vaſe cantharo incluſa, per horas decem, dein exemptâ rurſus commiſce, & percola, ac adjectis mellificii apum recentis vel Butyri, quantum ſufficit, mixtisque omnibus imponantur in cantharum, & coquantur ut prius, cocta iterum percolentur, ac prælo exprimantur, denique Alembico indita inſolentur, uſque ad juſtam conſiſtentiam, ac reſerventur ad uſum, & habebis unguentum, in quo confidere poſſis, in ſummis difficultatibus: deligere autem poteris, ut efficaciſſima Rad: Symphiti, Ariſtolochiæ, Ophiogloſſum, Limonium, & inteſtina terræ.*

Admiratione inſuper digna eſt hominum antiquorū induſtria, in indagandis humanæ naturæ conſervantibus remediis: nam ſingulis ſuarum regionum peculiaria ſimplicia in uſum adhibuerunt, hinc quidam Melle & Butyro relictis, Gummina & Reſinam, pro unguentorum corporibus receperunt. Reſinæ autem, cum diverſę ſint, alia aliis magis minuſve placuit. Quamobrem ut horum quoque rationem diverſitatemque cognoſcas, paucas quaſdam formulas exempli gratia deſcribemus.

Reſinarum nobilium apud Germanos duo tantum genera reperiuntur, Laricea & Abiegna, ex Laricea paratur unguentum tale, ut.

Recipe Reſinæ Laricea lib. j. albumina ovorum numero 20. agitentur benè, ac ſubigantur, fiat unguentum colore ſubflavum, cui permiſce pul. Rad. Symphiti majoris ℥ ß. ariſtolochiæ rotundæ ℥ j. farinæ hordei ℥ vj. ſubigantur omnia, & fiat unguentum perfectum in omnia vulnera.

Aliud ex Reſina Abietis.

Recipe Reſinæ abiegnæ lib. j. liqueſiat paulatim, & à ſordibus perpurgetur: poſt adjice medullæ vituli parum, radicis ſymphiti, vel inteſtinorum terræ, tantundem, vel quantum ſufficere videbitur: contundantur omnia, & permiſceantur in mortario calido, & imponantur vulneri.

Alii quibus iſta non ſufficiebant, unguenta parabant ex reſina & cera, cum oleo temperatis, adjectis herbis, ac radicibus, omnibuſque invicem mixtis, ſed iſta quia vulneribus magis proſunt, alium in locum reſervabimus: tum etiam quòd cera ad corpus conſtituendum minimum virium habeat, eam libenter omittimus. Quæ hactenus de iſtis unguentis diximus, non paucos movebunt ſcio: nam hoc mirandum eſt, Medicos minus quàm idiotas curando proficere, ſed pſeudomedici ſunt non Medici, quos ſubtilitas ſeducit, cum ſimplicitate non minus efficere poſſimus: hinc ruſtici felicius curant, quòd ſimplicibus contenti ſint, Medici verò dum ſubtiliora ſcrutantur, ex uno errore in alium prolabuntur, maximè verò in præparatione peccant iſti homines, quæ tamen unica ferè in medicamentis conſideranda venit.

Cap. 4. *De oleis & balſamis vulnera curantibus.*

OLeorum quàm Balſami uſus antiquior, compoſitioque ſimplicior exiſtit: nam Balſami confectio Chemiæ ſingularem peritiam requirit, & ab Alchymiſtis primum inventa eſt. Olea vero vulneraria ab antiquis dudum ante in uſum recepta ſunt: nam cùm quibuſdam unguentorum forma ac mellis, corpus non uſque adeo placeret, de commodiore forma remediis cogitarunt, & an oleum facultates florum, radicum, ac herbarum, ſic quoque combiberet, periculum fecerunt, nec ſine ſucceſſu quidem: nam experientia edocti ſunt, commodius hic quàm illic fieri poſſe, brevique tantum crevit horum oleorum uſus, ut omnia reliqua remedia in deſuetudinem, ac contemptum venirent. Ubi ea in uſum adhibebantur, lavandum prius vulnus erat, pòſt infundendum oleum, ac demum deligandum, hujus curandi rationis Chriſtus in Evangelica parabola, de vulnerato & Samaritano, meminit quoque, magno argumento hujus artis antiquitatis & præſtantiæ. Poſterioribus ſeculis Chemiſtæ cùm deſtillatis oleis, plus quàm ſimplicibus tribuendum putarent, rejectis ſimplicibus, deſtillata pararunt, & ob artificioſam præparationem Balſami nomine appellarunt: Quibus etſi plus virium tribuam quàm ſimplicibus, experientia tamen diuturna didici vulgatam Chemiſtarum deſtillandi rationem, per laterum commix-

commixtionem reprobandam eſſe, & eam uſurpandam, qua ſine omni admixtione aliorum corporum per Retortam deſtillantur: in quo opere perficiendo, accuratè ſpectandum, ut ubi Spiritus progredi, vel color olei in magis rubicundum mutari cœperit deſiſtamus, ne alieno colore, vel ſapore, aut odore ipſum imbuamus. Eadem ratione Chemiſtę in oleo Terebinthinæ extrahendo peccarunt: nam illorum more paratum, calidius eſt, quam ut carnis generationem in vulneribus promovere poſſit. Itaque ſi tu id parare velis, uti de oleis monuimus, deſtillabis, & habebis Balſamum nobiliſſimum pro nervorum vulneribus curandis.

Attentatum quoque idem eſt in Gummi, cera, Reſina, &c. deſtillandis, ſed ſine ſucceſſu. Itaque hujus formæ remediorum, quatuor ſunt differentiæ: oleum ſcilicet ſimplex, & deſtillatum: item Terebinthina ſimplex & deſtillata, nos ſingularum ſpecierum, quaſdam formulas ſelectiores exempli cauſa annotabimus.

Oleum & Terebinthina ſimplex pro vulneribus, quæ & deſtillari poſſunt.

Recipe Corporis, id eſt, olei vel terebinthinæ lib. j. fl. camomillæ, Roſarum rub. prunellæ ana M. j. fl. Hypericonis M. iij. fl. centaureæ, chelidoniæ ana M. ß. mixta omnia ponantur ad ſolem per duos menſes. Hoc oleo ſeu Balſamo mira pręſtantur in vulneribus præter omnem dolorem, ſi placuerit poteris ſequenti anno, eoſdem flores, in eodem oleo denuo macerare, & habebis medicamentum nunquam ſatis laudatum.

Aliud.

Recipe Herbarum Ophiogloſſi, Limonii minoris, Agrimoniæ, Saniculæ ana M. j. fl. Hyperici M. ij. rad. Symphiti M. ß. vermium terreſtrium mundatorum numero 100. olei vel terebinthinæ, quantum ſufficit pro maceratione omnium, ſiſtantur ad ſolem, ad tempus legitimum digeſtionis, & utere. Poſſunt iſtis oleis imponi quoque Mummia, Maſtiche, Thus & Myrrha, ſed in iſtis modus ſervandus eſt (quòd olea flores lubentiſſime recipiant: maximæ verò facultatis ſunt flores Hyperici.) Quidam viride æris, limaturam ferri & ſimilia (quæ tamen ſuis de cauſis mihi diſplicent) injiciunt: ab iſtis ut tibi caveas moneo.

Notare & hoc convenit, ſemina earum plantarum, quæ oleis injiciuntur, ſi contuſa per hyemem calidiore in loco in oleis macerentur, ea multo efficaciora reddere.

Balſami Vulnerarii Formula.

Recipe olei olivarum lib. ß. Terebinthinæ quartar. i. flor. Hyperici quantum ſufficit ad implendum, florum Verbaſci tertiam partem ad fl. Hyperici, Vini albi generoſiſſ. ſextarium unum & ſemis decoquantur ad conſumptionem vini, poſtea ad tempus legitimum inſolentur. Hoc Balſamo nunquam te ſine mirando ſucceſſu uſum tibi perſuadeas. Quemadmodum diverſis temporibus varia remedia inventa ſunt, ſic vernicis præparatio ſingulare remedium humano generi aperuit. Namque ii qui Vernicem parabant, ejus experimentum utile in Mammarum inflammationibus, & aliis ulceribus malignis, fecerunt: atque hinc ulterius progreſſi, enumeratis herbis ac floribus impoſitis, ad vulnerum curationem feliciſſime adhibuerunt hæc, formula quia craſſior, diuturniorem inſolationem requirit: nihilo tamen reliquis deterior eſt, ſi Maſtiche, thure ac Myrrha adjectis digeratur: & ubi aliquandiu in digeſtione perſtiterit, Mumia quoque ei adjiciatur. Obſervandum quoque, Vernicem, ſi ex oleo vulnerario, cum vino, Carabe, ac Maſtiche percoquatur, multò generoſiorem reddi.

Progreſſu quoque temporis, nec iſtis contenti homines, medullas quoque cum dictis herbis permiſtas, ad ſolem in oleoſam quandam formam reducere conati ſunt, quod dum faciunt, alter alteram præfert aliis, tandem experientia edocti, humanam optimam eſſe, poſt hanc cervinam, in harum defectu vitulinam pręferendam didicerunt. Sic & axungiam ſeu pinguedinem animalium, ſimili ratione in olea reſolvere optimo ſucceſſu tentarunt, atque in hoc genere humanam primas tenere, poſt caponis & gallinæ non inutiles eſſe cognoverunt: inter piſces tamen nullius axungiam præter quàm Thymalli utilem repererunt, ex qua præſtantiſſ. oleum vulnerarium parari conſuevit. Vernicem, cujus ſuperius meminimus, ſi ex oleo vel Terebinthina deſtillatis confeceris, nobiliorem experieris, quod & hîc monere placuit. Formulas Balſamorum ac oleorum plures non deſcribo, quòd ſciam me præſtantiſſimas omnium propoſuiſſe, tu ſi alias deſideres: obſervatis ſuperioribus canonibus, facilè neceſſitate poſtulante eas conficies.

Cap. 5. *De vulnerum curatione per Medicamenta expurgantia (vulgo mundificativa dicta.)*

QUandoquidem natura ipſa Balſamum qui vulnera curat, interius in ſe reconditum circumfert, ut nihil præter mundationem, ad vulnus curandum deeſſe videatur: de ea quoque pauca admonere non inutile forſan fuerit. Videmus enim canes lingendo vulnera ſua curare, nulla alia ratione, quàm quòd ea expurgent, quos imitati priſci homines, vulnera ſua, manuum præcipuè, frequenti linctu pulcrè curarunt: verum ſucceſſu temporis delicatiores facti, à linctu abhorruerunt, ac urina vulnera lavare cœperunt: ſicque carnoſa vulnera facilè curavêre: ſed quia fœtorem vulneribus conciliabat, & frequentem deligationem requirebat, pigritia ducti, & hanc reliquerunt, ac ad vinum confugerunt, quod etiamſi non contemnendum eſſet, tamen in magnis vulneribus ſufficere non poterat, tandemque ad aquam ſalſam progreſſi, eam utiliter tum hominibus, tum beſtiis adhibuerunt: verum ne hæc quidem diu duravit etiam, ſed in ejus locum ſucceſſerunt ſequentia mundificativa.

Primum, in vino decoxerunt aliquas herbas vulnerarias, modico ſalis adjecto, eoque decocto, vulnus ipſum lavarunt, tandemque emplaſtri loco favos contuſos impoſuerunt.

Alii aluminata aqua, adjecto pauco atramento, vulnera curarunt. Quidam ſucco plantag. ac Chelidoniæ pauco ſale adjecto vulneribus medicari ſolent: ſunt enim non paucæ herbæ, quæ ſolo ſucco vulnera glutinant. Arabum vulgus ſale cum melle ad vulnera ſananda utitur. Iſtiuſmodi curationes etiamſi tardè fiant, tamen, quia periculo ferè vacant, vulgò gratiores exiſtunt, contempta interim pſeudomedicorum curandi ratione. Sunt & alia, quæ ſecretiore quadam natura vulnera expurgandi prædita ſunt, uti Perſicaria, quæ ſi in aqua lota vulneri imponatur, ipſum ſanat ex inſita ſalis facultate, ſed de ea plura in capite de operationibus cœleſtium dicere animus eſt.

Hujuſmodi vilia remedia videntur, viles tamen operationes non habent, ſed plus iſtis effeceris quandoque, quàm magnificis illis ac prolixis pſeudomedicorum deſcriptionibus. Hujus tamen te meminiſſe volo, hoc capite, notatam curandi rationem in iis tantum vulneribus ſufficere, in quibus nulla graviora ſymptomata ægros moleſtant, vel quæ non nimis magna ſunt, niſi forſan æger optima ſit corporis conſtitutione.

Cap. 6.

Cap. 6. *De Emplaſtris pro vulneribus, & puncturis curandis.*

EMplaſtrorum compoſitio, etſi ferè exotica ſimplicia requirit, nihilo minus tamen præſtantia apud nos fieri poſſunt emplaſtra, quod Divina gratia, ſic regiones omnes totius orbis inter ſe comparatæ ſint, ut altera alterius defectus facile reſtituat, ac compenſet. Horum ergo compoſitionem in præſentiarum docere placuit, quòd etſi jam antea enumeratæ medicamentorum formæ, ad omne vulneris genus tollendum ſufficiant, tamen ſingularem quandam vim contra ingruentia ſymptomata emplaſtris ineſſe cognoverimus. Quoniam verò & noſtratia quædam ſimplicia ſymptomatis non minus occurrunt, ea nos ſingulari libro parvæ Chirurgiæ deſcripſimus: hîc de Emplaſtris ſolum ſticticis locuturi. Inventionem & originem multorum remediorum, uti ad mechanicos artifices ſuperius retulimus, ſic in Emplaſtrorum inventione plurima illis accepta ferimus: namque figuli Lythargiri vires, fabri ferrarii Crocum Martis, ærarii fabri Squammam ęris primum docuerunt, ac hujuſmodi documenta, Experimenta vocarunt. Alchimiſtæ quoque mira iſtis in rebus didicerunt, ac docuerunt, experrique ſunt, ut in Minio ac Ceruſſa, aliiſque quæ hîc ſcribere nil opus eſt. Hos ſecuti philoſophi, qui horum ſimplicium vires deſcribere, & compoſitionem machinari auſi fuerunt: ac primùm quidem ex cera & oleo ſimplicia paraverunt emplaſtra, quibus deinde (quod minimum efficaciæ iis ineſſe perſpicerent) alia, ut Minium, Ceruſſam, rubiginem ferri, Squammam æris, ac Lythargirum, cæteraque ſimilia adjecerunt, cerotaque confecerunt: poſtea cùm ne his quidem contenti eſſent, Gummina & Magnetem, quod attrahendi vi prædita ſcirent, cum ſarcoticis pulveribus: ut Thure, Maſtiche, Myrrha, ſimilibuſque admiſcuerunt, ſicque paulatim progreſſi, ſubinde meliora confecerunt, donec miraculoſas etiam curationes iſtis emplaſtris præſtarent. Verum ſophiſtarum ac pſeudomedicorum malitia hæc quoque tandem corrupta ſunt & adulterata, quorum ut nequitia prodatur, antiquorum emplaſtra conficiendi rationem in publicum proferemus, indigna enim ſunt, quæ diutius lateant: nam medicum à Deo ad ſalutem ægrorum, non pro theſauris reponendis, (quod pſeudomedicis iſtis peculiare eſt) creatum ſcimus. Sed jam ad emplaſtra pergamus.

Vulgatiſſimus emplaſtra conficiendi modus, apud antiquos fuit talis. *Recipe Ceræ lib. j. picis Græcæ quartarium j. colliquatis invicem, & adhuc modice calentibus inſperge pul. rament. lap. Carneolæ, Corallii utriuſque, Magnetis, Molybdenæ ana* ℥ß. *Carabe, Maſtiches, Thuris ana* ʒvj. *Myrrhæ, Mumiæ ana* ℥ß. *poſt adjectis* ℥j. *Terebinthinæ agitentur, dum refrixerint omnia, tandem malaxentur pinguedine thymalli piſcis, ac reponatur ad uſum.* Poteris hoc emplaſtro uti optimo ſucceſſu, non in vulneribus ſolum, ſed etiam in quibuſvis ulceribus malignis.

Aliud.

Recipe Ceræ virgineæ lib. j. picis Græcæ tantundem. Terebinthinæ quartar. j. colliquatis ad ignem inſperge pul. Maſticis ℥iij. *ſuccini* ℥ß. *ſtent ad lentum ignem quarta horæ parte, poſtea adjiciantur pul. Myrrhæ, Thuris ana* ℥ß. *Mummiæ* ℥ij. *Aloës Epaticæ* ℥j. ß. *Camphoræ* ℥ß. *agitentur probe, donec refrigeſcant omnia, tandemque jam dicta pinguedine malaxentur, ac reponantur ad uſum.* Valet mirifice ad puncturas curandas. Aliud quod glandes, tela, ac armorum fragmenta extrahit. *Recipe autem Ceræ lib. j. colophoniæ, picis ſutorum ana quartar. j. liquefactis adjiciuntur Gummi Ammoniaci* ℥. *ij. Bdellii* ℥j. *Magnetis ſubtiliſſimè pulveriſati* ℥v. *ſuccini* ℥iii. *mixta omnia malaxantur cum oleo ovorum, ac reſervantur ad uſum in extremis, tum pro vulneribus perperam curatis glutinandis.* Præter jam dictam rationem, alius eſt emplaſtra conficiendi modus, ſcilicet, cum cerotis alia medicamenta adjiciuntur, eaque in emplaſtra rediguntur: ut ſequitur.

Recipe Ceræ, Lythargiri, olei communis, ana lib. j. fiat Cerotum, cui adjice.

Ammoniaci, Bdellii ana ℥ß. *Galbani oppoponacis ana* ʒ. *vj. diſſolvantur in aceto, ac percolata, rurſus ad juſtam ſpiſſitudinem recoquantur, & cum ceroto, ſuperius unitis ac permixtis injice, pul. Molydbdenæ, Corallii utriuſque, Magnetis ana* ℥j. ß. *Thuris, Maſtiches ana* ℥j. *Terebinthinæ* ℥iii. *olei anethini* ℥ß. *fiat emplaſtrum ſecundum artem.* Vel.

Recipe Oppoponac. quart. j. perpurgetur (ut dictum eſt) ac cum Ceroto miſceatur: tum ℞ *Mummiæ* ℥iij. *Ariſtolochiæ* ℥ij. *Maſtiches, Thuris, Myrrhæ ana* ℥ß. *Terebinthinæ quartar. j. Olei Laurini* ℥j. *Camphoræ* ʒij. *malaxentur oleo camomillæ, & fiat emplaſtrum.* Vel. *Recipe Ammoniaci perpurgati* ℥v. *ſang. draconis* ℥ij. *Colophoniæ* ℥iij. *picis navalis* ℥j. *Thuris, Maſtiches ana* ʒvj. *Myrrhæ* ℥j. *Terebinthinæ* ℥iiij. *malaxentur oleo laurino.*

Hactenus proſecuti ſumus emplaſtrorum, tum inventionis modum, tum duplicem componendi rationem, ea facilitate, tantoque compendio, ut jam cuivis promptum ſit, rejectis erroneis pſeudomedicorum compoſitionibus, alias pręſtantiores excogitare. Ego certe præter dicta emplaſtra, longo uſu hoc quod ſequitur comprobavi efficaciſſimum eſſe.

Recipe Ceræ virgineæ, olei vulnerarii noſtri ana lib. j. ß. Lythargiri auri lib. j. plumbi loti lib. ß. fiat Cerotum, cui adjice Vernicis cum herbis parati (de quo ſupra) lib. ß. Terebinthinæ quartarium j. gummina ac pulveres ſuperiorum deſcriptionum quæcunque placuerint, malaxentur cum Balſamo vulnerario, ac fiat emplaſtrum ſecundum artem. Alia præterea ſtictica emplaſtra, multa experientia comprobavi, quorum deſcriptiones, in ſecundum noſtri operis tractatum de ulceribus reſervabimus, quòd ea non tam vulneribus quàm ulceribus curandis proſint. Decebat quoque emplaſtra pro depravatis, ac perperam curatis vulneribus ſanandis deſcribere: ſed quia de iis copioſe in minori chirurgia diſſeruimus, eò ſtudioſum lectorem ablegamus. Cæterum obſervandum, mala, quæ iſtis non vincuntur remediis, alio modo vincere non poſſibile ſit: namq; ad impoſſibile non extendit medica ars, ut exempli cauſa, latentes tormentarios glandes, latentiaque tela, nec emplaſtris, nec aliis remediis extrahi poſſe ſcimus: ab iſtis ergo abſtinendum. Hæc itaque de emplaſtris dicta ſufficiant: nam de iſtis hoc certò polliceri poſſum, eorum uſu nunquam non optato fine potiri poſſe Medicum. Illud quoque in more poſitum habeo, ut emplaſtrum compoſiturus, prius Lythargiri ſatis magnam copiam cum Vernice ad horas 10. decoquam in maſſam, quæ in pulverem redigi poſſit, ex eaque Cerotum parem, hincque emplaſtra, eo quo meminimus modo.

Cap. 7. *De Pulveribus traumaticis.*

TRaumatici pulveres, olim in uſum recepti ſunt, à ſerpentum exemplo, quos quandoque diſſectos, cùm ſemetipſos rurſum conglutinare herbis quibuſdam homines viderent (quas deinde ab effectu *Serpentarias* vocarunt.) Eas herbas dein in pulverem redactas, ad glutinandas etiam abſciſſas corporis partes uſurpandas putarunt, puerili certè ratione, quòd rem malè diſtinguerent: nam hominis partes, motus, atque vitæ

 principium

principium non ſeorſim obtinent, quemadmodum in reptilium diverſis partibus fieri videmus. Ad hęc ſerpentes ſeipſos vel linctu, vel maſticatis hujuſmodi herbis impoſitis, curare ſuſpicio eſt: mirandis enim virtutibus à natura donati ſunt. Quos etiam ſi Empirici ſtudiosè imitari ſunt conati, operam tamen luſerunt: etenim vivum cum mortuo nullam planè communionem recipit: interim tamen dum in iſtorum inquiſitionem intenti ſunt homines, hoc repererunt Senectæ anguium mirificam quandam vim ineſſe ad vulnerum curationem: ut hinc non dubiam conjecturam facere liceat, ſerpentes magis ſenecta ſua ſe curare, vel aliqua inſita vi, quàm herbis, cùm id ante receptum ſit, naturalem Balſamum vulnera curare. Hoc argumento ducti Empyrici, Senectæ anguium (quod nullas alias hujuſmodi herbas cognoſcerent) ſuendorum vulnerum vim tribuerunt: nec iſtis contenti, alia quoque experimenta fecerunt: ea enim ætate, nullus erat fili & acus uſus in ſuturis faciendis: verum cùm & hanc ſuendi formam recepiſſent, nec ea tamen utilis eſſet, perrexerunt alia, quibus labia vulnerum contrahendi vis eſſet, inquirere, tandemque voti compotes facti, pulveres ac ſuccos tales repererunt, qui vulnerum labia contrahendo ſibi contigua redderent, naturamque in glutinando adjuvarent. Eo autem nomine pulveres iſti potiores ſunt habendi, quòd una opera, ſummum, imum, ac medium vulneris, per eos natura glutinet, quod in potionibus, oleis, unguentis, ac emplaſtris non præſtare poteſt, ſed ſaltem ab imo, & intrinſecus exteriora verſus facere cogitur. Notandum vero, in uſu horum pulverum illud eſt: Quòd etſi eorum operatio velociſſima exiſtat (nulla enim alia remediorum forma citius glutinat) ab iis tamen abſtinendum eſſe, ubi ſymptomata aliqua graviora urſerint, ut puta phlegmone, febris, tumor durus, hæmorrhagia, &c. quòd iſtis ſcilicet actio medicamenti impediatur: vel igitur intermittendi pulveres ſunt, vel iſtis ſymptomatis prius incumbendum. Pulveres iſti in triplici differentia ſunt: vel enim ob ſiccitatem conſtringunt, ut Bolus Armenus: vel alia de cauſa, ut Acacia, id eſt, ſuccus prunorum agreſtium immaturorum: aſtringunt, vel glutinis inſtar conjungunt labia vulnerum, ut Tragachantum. Nec verò baſes ſolum harum compoſitionum conſiderandę veniunt: ſed & alia corrigentia & ingredientia, quæ naturali balſamo nutrimentum ſuppeditant. (Sequuntur formulæ triplices.)

Recipe Boli armeni veri quartarium j. diſſolvatur in aqua Aluminis, quantum ſufficit, deſtilletur, dein alia ſuperfundatur aqua, ac denuo elambicetur, itereturque toties, donec Bolus in oleum degeneret, qui ad Solem dein exiccatus, ac in pulverem redactus miſceatur cum ℥j. Thuris, ʒß. lap. Carneoli ʒij. Mumiæ: omnia in pul. redacta, bis quotidie vulneri inſpergantur, ac emplaſtrum ſticticum ſuperimponatur. Valet ad vulnus ſanandum, & pręcavenda ſymptomata ſupradicta. Oleum jam dictum, quemadmodum, & oleum Saturni, & oleum de croco Martis, ac de ære uſto tantæ ſunt efficaciæ, ut verbis exprimere non poſſim, præcipue in cavendis ſymptomatis.

Alius: *Recipe Acaciæ, ſucci Gallarum immaturarũ ana partes æquales, coquantur ad conſiſtentiam Electuarii, poſt inſperge pul. rad. Symphiti majoris octavam partem, coquantur in aqua aluminis, deniq; ad Solem exiccentur, redigaturque in pulverem.* Hoc pulvere nunquam uteris ſine emplaſtro, quòd de Symptomatis ſuperventuris periculum ſit.

De Tragaganto quod diximus, exempli cauſa, verius diximus: nam in hujuſmodi pulverem redigi non poteſt. Ego non raro & certe optimo ſucceſſu, latomorum lutum linimenti inſtar vulneribus adhibui, lutum autem Ægyptio more paratum eſſe debet, ſcilicet, ut in humore actionem ſuam perficere poſſit. Soleo loco olei lini, oleum traumaticum ex oleo lini paratum, tum loco calcis, Corall. alb. uſtum recipere. Sunt & alii pulveres, qui etſi non admodum artificioſi ſint, tamen quia in aliorum defectu uſurpari poſſunt, aliquas paucas eorum formulas deſcribam: non enim delector copioſis Receptarum deſcriptionibus. *Recipe Thuris, Myrrhæ, Maſticis ana ʒß. Corall. rub. ʒj. aloës Epat. ℥ij. deſcriptionis ſuperioris pul. ad pondus omnium fiat pulvis.* Alius.

Recipe Acaciæ, ſucci Gall. immaturarum, ſucci Saniculæ, ſucci Clematidis, ſucci Ophiogloſſi ana ℥v. exſiccentur ad ſolem, interim dum ſiccatur, adjice Gummi Ammoniaci perpurgati ℥ij. omnia exiccata redigantur in pulverem.

In uſu pulverum horum præſcribenda erit ægris diæta ad ſiccum declinans, cum pauco potu. Cætera ſimplicia, quæ vulnera conſtringunt, quia ferè arte Chemica parantur, ad ſuum locum reſervabimus.

Cap. 8. *De Vulnerum curatione per cœleſtes operationes.*

ARtes quędam Chirurgicæ, à primis Aſtronomiæ cultoribus inventæ ſunt, quibus admiranda (virtute æthereа) in vulneribus præſtabant. Verum eæ poſt obitum antiquorum Magorum ſic deperditæ ſunt, ut vix aliqua veſtigia ſuperſint amplius. Ars autem cœleſtium impreſſionum erat, ut actionem influentem in corpoream aliquam ſubſtantiam deducerent, in qua deinde vigeret. Res exemplo declaretur. Semen Roſæ, virtutem & naturam roſæ obtinet, nec tamen Roſa adhuc eſt, ſed ubi ipſum in terram conjectum germinaverit, tum demum Roſam producit. Eadem ratione cœleſtes quædam virtutes ac actiones exiſtunt, quæ in gemmas, quæ Peantides & Gammahii (alias gemmæ huyæ) vocantur à priſcis Magis ſunt ſeminatæ, hincque ortæ poſtea, non ſecus, ac ſemen quod ex arbore decidit ac regerminat. Hæc illa veterum Ægyptiorum, ac Perſarum Aſtronomia extitit, qua gemmas cœleſtibus virtutibus ornarunt. Neque vero iſta ſtatim adynata reputanda ſunt: namque ſi cœlum peſtem alioſq; morbos nobis immittere credimus, cur non benignitas ejus virtutes nobis communicari ſperemus: Similiter ſi in hominum corpora agit cœlum, cur non in lapides quoque tela ſua torquere putemus? Hujuſmodi cœleſtibus ſpiculis plurimi tanguntur, quæ Magus, qui firmamenti peritiam habet, facile ſi noxia ſint devitabit: vel ſi benigna fuerint, poſito aliquo corpore eidem communicabit, ut jam illud corpus vim illius teli, ſeu influentię plane in ſe obtineat. Hinc repetti ſunt apud Ægyptios lapides, qui geſtati morbos quoſdam efficerent: viciſſim vero alii, qui eoſdem morbos perſanarent. Sic Gemmas Huyas, id eſt, Peantides vidimus, quibus ſagittarii inſculpti eſſent adverſus tela, quibus Enſes adverſus vulnera valuiſſe. Magos etiam lapides, ad curandum febres efficaces reddidiſſe ſcimus: nec contra morbos ſolum, ſed & vulnera, eorumque ſymptomata, hæmarhagiam ſcilicet, Sinoniam, convulſiones ac Epilepſiam, pugnantes feciſſe. Sed ut illa ætate, horum uſus frequens, & authoritas magna fuit, ſic paulatim pſeudo-philoſophorum ſophiſticè adaucta, in deſuetudinem ac contemptum venerunt, aliaque puerilia in horum locum ſunt ſubſtituta.

Lapides autem iſti, qui adhuc extant ab antiquis parati (quòd alius plane jam ſit cœlorum ſitus ac influxus, quàm olim fuerit) non amplius tam ſunt efficaces, quàm tum erant, quamobrem convenit eos de novo præparare.

Extant quidem magni veterum Centones in Medicina, Aſtronomia, rebuſque naturalibus, ſed nil niſi merę nugę ſunt, & verba ſine ratione: in horum locum præſtabat,

præſtabat, hanc artem majoris uſus ac certitudinis ſubſtituere: verum ſurdis fabula.

Ars magica quòd ſecretior eſſet, nec vulgaribus philoſophis cognita, tum quòd non ſolum lapidibus, ſed & verbis hujuſmodi vires mirabiles ingenerabant, Magi, odioſo vocabulo Præſtigiatrix appellari cœpit. Nam imperiti harum rerum homines, qui tamen artis titulum ſibi uſurpabant, ad artificioſas operationes Cruces, ac Exorciſmos addiderunt: hinc deinde vulgus Magicæ artis imperitum, Exorciſmis, characteribus, preculis, ſignaturis, ✕ aliiſque frivolis rebus, eam vim tribuere cœpit. Verum aliter ſe res habet: nam conſtellatio, ſub qua parantur lapides, ac verba, vires inducit, non Exorciſmus. Hoc quoque errore ductæ Sagæ ac Striges, mulieres in eum, in quo adhuc verſantur, errorem inciderunt. Exemplo, Deum naturaliter variis modis, facultates ac operationes rebus concedere docebimus. Quædam terræ naſcentia præparatione adhibita, ad omne morborum genus Catholica remedia effici poſſunt, quæ deinde in ſubſtantia applicantur. Simili modo medica vis ineſt cœlo, quæ & ipſa tripliciter nobis communicatur. Primo per corpora terreſtria, ut Perſicariam vel Gemmas, ut Peantides vel Gammahy. Secundo per verba, vel ſcripta, vel pronunciata, non tamen ſcriptura verbo efficaciam dat, ſicut nec terra Perſicariæ, ſed ſola cœleſtis influentia. Tertio operantur ſydera per Fidem noſtram, ſi cum cœlo ea concordet, nec de Incantatione hîc aliquid ſuſpiceris: naturalis enim cœli hæc eſt actio, diverſa tamen ab actionibus Elementaribus. Sed de omnibus iſtis copioſe in noſtro libro Magico diſſeruimus. Admirari itaque amplius tantopere non debemus, cùm jam naturaliter iſta fieri non negemus ultra, manifeſtum etiam eſt, Carneoli virtutes non à terra ortum ducere, ſed cœlitus implantari, ſic Saphyri, ſic ungulæ Onagri, ſic cornu Monocerotis, plurimorumque aliorum corporum vires ſolummodo cœleſtibus influentiis tribuendæ veniunt. Hinc illa dubitatio diſſolvi poteſt, cur idem remedium in morbo, diverſis corporibus non ſimiliter efficax ſit. Nam non omnes morbi cœleſtes ſunt: itaque ubi Elementares morbi ſunt, Elementaria remedia, ubi cœlitus demiſſi, cœleſtia adhibenda erunt. Patet ex hoc loco etiam, cur cùm tot adverſus peſtem Experimenta habeamus, in pauciſſimis tamen ea proſint. Etenim vel cœlum adeo vehementer, ac quaſi violenter agit, vel remedium eſt, quod contra cœlum non pugnet, ſed tantum agit ſolummodo, quantum ex Elementorum craſi agere natum eſt. Opera igitur danda eſt Chirurgo, ut vires Gemmarum, herbarum, Radicum, ac ſeminum cœlitus infuſas accurate cognoſcat: nec horum ſolum, ſed & characterum ac verborum quoque, iſtis namque & glandes ſcloppetorum latentes, tum telorum ferramenta, quæ nullis aliis remediis cedunt, extrahuntur mirabili plane artificio. Nec quemque deterreat vulgi de iſtis opinio quòd præſtigiatricem, ſuperſtitioſam, ac prohibitam hanc artem proclamat, non inficias eo, exorciſmos, cruces, &c. odium mereri: nam & ego ea ab arte exulare jubeo. Nam in Radicula operationem perfici ſine exorciſmo manifeſtum eſt. De iſtis hæc hactenus publici commodi cauſa admonere placuit: quæ etiamſi paradoxa ſunt vera, ſunt tamen & perfecta: omne enim Perfectum à Deo, à quo omnia ſunt creata, & ſine quo nihil exiſtit.

Cap. 9. *De ſublimatis quibuſdam ac deſtillatis ad vulnerum curationem pertinentibus.*

CHemicam artem ad naturæ defectus ſarciendos inventam eſſe, nemini dubium eſſe putamus. Nam natura etiamſi præſtantiſſima plurima ſuppeditet remedia, quædam tamen produxit imperfecta, ac cruda, quibus perficiendis ſeparatio adhibenda eſt, qua purum ab impuro liberatur, ut tandem vires ſuas perfectè oſtendere poſſit. Hanc artem ſic callere Chirurgum volumus (uti ſutorem rationem atramenti parandi ſcire oportet) quam niſi ſciat, Chirurgi nomen nunquam merebitur. Plurimum namque refert quomodo medicamenta præparentur, utque ad ſummum actionis gradum perducantur: etenim non quemadmodum res eſt, ſed uti eſſe debet (id eſt, perfectiſſ.) uſurpanda venit. Deus enim non vult tam oſcitanter Medicinam tractari, ipſe quidem Remedia creavit, ſed à nobis præparari voluit. Siquidem in labore ac ſudore faciei pane veſci nos juſſit. Itaque ars Chemica non repudianda erit Chirurgo.

Poſito nunc eo, medicamentis præparationem adhibendam eſſe. Notandum, quòd etſi præparationis modi plurimi ſint, duos tamen, Sublimationem ac Deſtillationem ad vulnera curanda ſufficere. Nam etſi Reverberatione, Calcinatione, ac Diſſolutione magna vis medicamentis accedat, Arcana tamen illa, quia ad alias curationes referuntur, alibi ſcribenda ſunt. Paucas harum deſcriptiones hic annotaturus ſum, quòd paucus earum hactenus uſus fuerit, & apud vulgus jejuna experientia. Nam donec Medici, pharmacopæorum præparationibus contenti erunt, nil laude dignum unquam proferent. Et Alchymiſtæ (nam iſti admiranda experiuntur) dum morborum cognitionem ſibi comparaverint, nil ſuis remediis etiam præſtantiſſimis, efficient. Omnino enim conjunctas artes eſſe oportet Medicinam & Chemiam, ſi modo fructum aliquem inde ſperamus. Sequentibus igitur verbis ſedulo animum adverte. Antimonium itaque miranda virtute pollet in ſanandis vulneribus quibus Carcinomata, Fiſtulæ, ac Syreon, &c. complicantur. Cujus ſecretum quia penes me eſt (non enim puto extare in iſtis caſibus, præſtantius, nobilius, certius aliquod remedium) publicare non dubitavi, verum quoniam praxis difficulter ſcripto profertur, moneo ut præparandi modum apud Chemiſtas addiſcas: nam te indignum foret, præmanſum mandere. Videbis illic ex lib. j. parari ℥ ij. olei Antimonii. Recipiunt autem illi Antimonii lib. iij. Salis gemmæ in calcem redacti tantundem, deſtillant per Retortam, in Athanar, id eſt, igne fortiſſimo per 3. dies, & 3. noctes, & prodit oleum rubicundum Antimonii præſtantiſſimum, artis Chemicæ ſecretum nunquam ſatis laudatum, in deſperatis vulneribus. Ab hujus tamen uſu abſtinendum, ubi non complicata fuerint, Carcinomata, Fiſtulæ, &c. Similiter Venerem ſublimatione tantas vires acquirere experti ſumus, ut jam cum Antimonio de præſtantia certare audeat. Ejus præparatio talis eſt: Venus cum Mercurio, in calcem redigitur, calx deinde aquæ fortis aliquantum combibere ſinitur, poſt denuo exiccatus, cum duplo ſalis communis in Reverberatorio ſublimatur, & aſcendet pulvis viridis, levis ac ſubtilis, qui in vulnera inſperſus emplaſtro ſtictico impoſito, omnia vulnera curat, quibuſcunque tandem malis ea gravata ſint. Hujuſmodi virtutes pluribus aliis Metallis, ac Mineralibus inſunt, quæ ſola præparandi ignorantiâ ignorantur: quàm vero Medico turpe ſit, iſta ignorare, quilibet ipſe judicet. Hinc certè medicinæ contemptum originem duxiſſe certum eſt: hinc Medici præſtigiatores ac improbi homines habiti ſunt. Incumbendum igitur omnibus in id eſt, ut ſuæ artis perfectionem ſibi proponant, quam ſtudio, opera, ac ſedulitate ſe comparare poſſe ſibi perſuadeant. Ante omnia verò experientiam comparent, qua ſi deſtituantur, & artem & Artificem contemni ſciant: comparabunt autem eam non in anilibus artibus, ſed in præſtantibus illis, quales de Venere & Antimonio annotatæ jam ſunt, tum in juſto adhibendi modo: nam ridiculū eſt præſentibus nobiliſſimis remediis eorum genuinum uſum ignorare.

Cap.

Cap. 10. *De ſanguine ſiſtendo in vulneratis.*

SAnguinis fluxum prohibiturus, ante omnia ægri complexionem, naturam, venarum ſitum, tempus, horam, iram, vulneris diſpoſitionem, &c. conſiderabit, nam ſi in ſano corpore, quanto magis in ægro hæc contemplanda erunt: ſiquidem quandoq; contingit, ut hujuſmodi fluxum ſiſtere impoſſibile ſit: quod ſi quis eum violenter ſupprimere conetur, ſymptomata aliquod accerſet, hęmorrhagia longè gravius, quamobrem in iſtis caſibus naturalis virtus omnino ſpectanda erit. Commune itaque axioma Medico obſervandum: quòd ſublata cauſa, tollatur effectus. Quare ſi ex *Ira* vel *Venere* hęmorrhagia concitata ſit, cùm in hujuſmodi diſpoſitionibus natura remedia reſpuat. Iracundiam ac appetitum prius ſedare neceſſe habemus. Si motus cauſa, ſit quies, ſit repletio, inanitio imperanda erit, ſicque ſemper contraria diſpoſitio inducenda, quemadmodum ſi cæleſtis conſtellatio in cauſa ſit, eam prius finiri oportet. Niſi enim iſta prius curentur, lethales fieri poſſunt hæmorrhagiæ. Nemo eum curabit, qui ipſe curari non vult: nemo cujuſquam iram ſedabit, niſi ipſa remittat, & ſic de aliis: res exemplo clarior fiet. Ebrius ſi vulnus accipiat, vapores tum magis caput petunt, capitiſque venas replent, & ipſe ſævit magis: Ebrietatem tamen nemo eſt, qui interim curare poſſit. Et per conſequens hæmorrhagiam ab Ebrietate natam curare difficile erit. Iſta Chirurgos obſervare decet, ne impoſſibilia & arti & naturæ polliceantur. Ex dictis colligitur ſanguinem nunquam ſiſtendum, vel ſiſtere attentandum, ubi ex commemoratis cauſis fluxerit: nam hic nec amuleta, nec characteres, nec cauteria, nec deligaturæ quidquam proſunt. Et etiamſi nonnunquam ſiſtatur ſanguis, vel graviora ſymptomata ingruere, vel tabem, aut paralyſin membri ſubſequuturam eſſe ſciendum erit. Si enim in ſanis venæſectio inconcinna, paralyſin, tabem, atrophiā, &c. efficit, an non in vulneribus idem fieri credamus? Vulnere vero ſanguinem profundente, ubi iſta mala non adſunt, ſiſtere ipſum licebit, nec tamen prius, quàm juſtam aliquam ſanguinis copiam profuderit: ea autem quanta eſſe debeat, diuturna experientia te docebit. Et ut ſummatim dicam, quando & quomodo ſanguis ſiſtendus ſit, ſcias, omnem eam menſuram, in medicamento, vulnus curante ſitam eſſe, ſive oleum, ſive unguentum, ſive emplaſtrum, ſive tandem Balſamus illud ſit: nam ipſum ſi legitimum ſit, ſanguinem tum demum fluere prohibet, ubi ejus quantum ſatis eſt profluxerit. Nam omnia quæ hic fiunt ſuo marte ſalubria, quæ coacte, periculoſa putanda ſunt.

Accidit quoque non raro, ubi corpus plethoricum eſt, non prius ſanguinem ſiſti, quàm plenitudo ad vaſa evacuata ſit: item in calidiore temperatura, idem quandoque evenit. His in caſibus, ſupprimere nec difficile, nec periculoſum eſt, quod ſi non ſuccedat, cogere etiam licebit, quòd inter duo mala, mortem ſcilicet & periculum, minus malum deligendum ſit: facilius enim remedium contra ſymptomata, quàm contra mortem reperitur. Ante omnia verò membra calida ſervare, & ambientem frigidum devitare, ſemperque Emplaſtro ſtictico tectum ſervare vulnus convenit: ipſum enim & ſymptomata præcavere, & ſanguinem, ut facilius ſiſtatur, temperare efficax eſt. Notandum quoque ſi caſu varices, aut alioqui intortæ venæ aperiantur, nil admodum de ſiſtendo ſanguine cogitandum eſſe, quòd hujuſmodi evacuatione plurimum pravorum humorum natura deponat. Memoratis conditionibus obſervatis, ſi ars jubeat hæmorrhagiæ occurrere, etiamſi plurima ſanguinem ſiſtentia ad manus ſint, tu tamen ut ſummam ſpem in Stícticis emplaſtris reponas moneo. Cæterum (ut & hoc moneam) in temperatis corporibus, nunquam ſollicitum de iſtis eſſe oportere, cùm natura per ſe ſanguinem utilem reſervet, extra dubium eſſe putamus.

Sequuntur ſimplicia ſanguinem cohibentia.

1 Crocus Martis ſubtiliſſimum: Reverberatus.
2 Æs uſtum inſtar Croci Martis paratum.
3 Farina volatilis inſperſa, ut cum ſanguine mixta obſtruat.
4 Pili leporini, & præcipue ſub cauda.
5 Muſcus craniorum cadaverum.
6 Carneolus ſuſpenſus vel in manu detentus.
7 Cinis Ranarum.
8 Hæmatites lapis.
9 Dyſenterica remedia.
10 Lana ſeu Xylon in putamine nucis alligatum vulneri.

Qui iſtis remediis non cohibetur ſanguis, præcipue vero duobus prioribus, difficulter vel nunquam ſiſtitur: quamobrem tum nil tentandum ulterius, ſed expectandum, donec ultrò fluere deſinat.

Neque interim contemnenda erit cœleſtis operatio, quæ characteribus perficitur, quam in extremis tentare quoque licebit. Obſervandum & illud eſt, ſi dum ſiſtitur ſanguis, ad interiora confluere velle videbitur, ſtatim à propoſito diſcedendum eſſe, ne forſan abſceſſus circa interiora fiant. Hæc hactenus de hæmorrhagia ſiſtenda dicta ſufficiant, quam facile colleticis remediis conſequi licet, etiam conſentiente natura.

Cap. 11. *De ſinonia ſeu fluxu glutinis albi ſiſtendo.*

FLuxus iſte duabus de cauſis in vulneribus accidit: vel enim ægrorum libidine ac inobedientia concitatur, vel Chirurgi errore, tum in medicamentis, tum in deligaturis committitur. Haſce ergo cauſas ſi vel prohibuerimus, vel emendaverimus, fluxus iſte facillimè præcavebitur: ſin jam adſit inſtar ſanguinis fluentis, de quo jam dictum eſt, ſiſtetur: ſi enim commodis remediis adhibitis apta deligatura fiat, facilè natura ad officium redit, ac ad priſtinum ſtatum reducitur: Hinc diſcas licet quæ medicamenta Chirurgici remedii nomen mereantur: nempe ea ſaltem, quæ non ſolum vulnus glutinare, verum & omne genus ſymptomatum ac fluxionum arcere poſſunt. Experimenta ac formulas remediorum, quibus fluxus iſte cohibetur, quia paſſim deſcripta reperiuntur, annotare intermitto, tum quòd plerunque fallacia ſunt, tum quod ego plus ſpei in traumaticis oleis, unguentis, ac emplaſtris ponendum putem. Quod ad cauſas & ſymptomata hujus fluxionis attinet, idem de iis judicium eſt, ac de fluxu ſanguinis: itaque ſimilis conſideratio naturalis potentiæ tibi incumbit. Cætera, quæ ad hunc locum pertinent, alibi copioſius deſcripſimus. Prognoſticon fluxus Sinoniæ, niſi ante ſtatum ſiſtatur, atrophiam, ac paralyſin membri facit. Quod ſuccinctius de hiſce ſcribam, nec operandi modum mihi notum ac familiarem oſtendam, ne mireris: nam res non periculo vacat, ſiquidem enim omnis ſalus in medicamentis ſita eſt illa, ut tibi compares moneo: nam illis omnia effeceris, ſin his deſtituaris, malum ægro conciliabis. Itaque non de ſingularibus experimentis, quę fluxum hunc ſiſtant, ſollicitus ſis, ſed de iis tibi proſpicito, quæ præter hoc, & vulnus ipſum curare queant.

Cap. 12. *De calore, frigore, phlegmone, tumoribus, duritia, decoloratione partis, carne ſupercreſcente, vulnerum ſcilicet ſymptomatis compeſcendis.*

FRequens admodum hactenus facta eſt mentio ſymptomatum, quæ vulneribus ſuperveniunt: ea itaq; quomodo declinanda vel compeſcenda ſint, præſenti capite edocere propoſui. Vulnera ſiquidem placidiſſima, & aſpectu laudabilia, etſi imperitis medicis periculo vacare

vacare credantur, talem tamen ſemper diatheſin obtinent, à qua facilis ac præceps in deteriora lapſus ſit. Etenim univerſali corporis harmonia oblæſa, certe ſpeciales integras manere incredibile eſt: nam exempli cauſa, ſi quis ſympotas plures irritet, is & totum convivium diſſolvit, & compotorum quemque ad iram concitat: ſic gladius tum totius corporis, tum ſingulorum membrorum harmoniam ac temperiem corrumpit: nam & hic, uti in exemplo diximus, ſingulæ partes per ſe fremunt. Sed ut ut ſit, cuique vulneri malitiam conjunctam eſſe, etſi plane aliàs ſymptomatis vacare credatur, putandum eſt. Quia ergo vulneribus ex hujuſmodi agitatione congenita quaſi malitia communicatur, de ea breviter quædam admonere haud inutile fuerit, quo vulneri ab ea cavere poſſitis, hujus itaq; malignitatis, etſi variæ ſint ſpecies, nil tamen artificioſa diſtinctione opus eſt, generaliter ea cognoviſſe ſufficiat. Cognoſcitur autem multa obſervatione ac inſpectione: aliam enim cognitionis formam meliorem nullam ſcripto exprimere poſſum. Symptomatum ſumma genera tria ſunt, ad quæ omnia cætera tanquam ad capita referuntur: Phlegmone, Spaſmus, ac Caro luxurians, ea vero non ſolum per vim illatis vulneribus, ſed & ſtudio factis, ut quæ à Lythotomis in Hernia, ac calculo veſicæ curando fiunt, (quin iſtis maxime propter loci, ac partis naturam ac ſitum) ſuperveniunt. Ad Phlegmonem tanquam ad caput, & calor & frigus referuntur, quibus dein durities ac decoloratio ſubſequuntur, omnibus iſtis unica curatio competit, quę in generalem vulneris ſanationem includenda venit. Curatio horum etſi multifariam ab aliis pertractata fuit, ferè tamen erroribus ſcatet. Noſtra ratio excellentiſſima eſt, quæ per luſquiamum abſolvitur, vel papaver, aut Lolium. Etſi enim Hyoſciamo plurimum tribuam, nil refert tamen ejus loco iſta ſumere, pro conditione ſcilicet & occaſione ægri, ac remediorum. Scio hæc noſtra mitigantia paucis placere, ſed alios ego non curo: experientia enim didici, ſine iſtis non placari naturam.

Nam hujuſmodi in caſibus natura parum admodum, præter quietem, ac doloris ſedationem poſtulat, itaq; ut naturam adjuves, ægro ſomnum procurabis: is enim dolores compeſcit, uti & in ebriis ebrietatem edormiri videmus. Canon curationis hujus eſt, ut membro quies, corpori ſomnus concilietur. Formula vero remedii talis:

Recipe Rad. Hyoſciami quantum ſufficit, digeratur in aceto roſaceo ad Solem, fiat epythema, in eo madeant petiæ lineæ, imponantur loco dolenti tepidæ, donec dolor quieverit. Ego luſquiamum, cujus vires mihi perſpectæ ſunt, maxime commendo, poſſunt qui volunt ejus loco alia anodyna recipere.

Spaſmus inſuper (cujus meminimus) frequentiſſimè vulneribus complicatur, quem per ea quæ nervos confortant pellere poteris, inter quæ primum locum obtinent oleum Terebinthinæ, (quod primò profluit) tum oleum olivarum quibus locus affectus & partes adjacentes perungi ſedulo debent.

Luxuriantis præterea, ſeu ſupercreſcentis carnis memini ſuperius, non quòd ei ſingularem curationem deberi putem, ſed ut aliorum ea in re errorem detegerem: cum enim illa non permanentem diſpoſitionem habeat, ſed ultrò ſive ob medicamenti vim, ſive ob ægri plethoricam conſtitutionem fiat, abeat ac abſumatur, nil opus eſt, eam ſingularibus remediis abſumere, quod tamen pſeudomedici ſtulto propoſito attentant, per Corrodentia medicamenta, quorum cùm maligna natura ſit, actio quoque violenta & naturæ inimica exiſtit. Quidam alumine uſto, alii vitriolo, nonnulli Auripigmento, ſunt qui Mercurio ſublimato ad eam rem utuntur. Sed hoc efficiunt iſti carnifices, ut dum carnem arrodunt, tantam malignitatem vulneri concilient, ut poſtea vel nunquam, vel difficillimè curationem recipiat. Ego de his hoc præceptum do, ut ubi hujuſmodi caro, vel Sireon ortum habuerit in vulneribus, ſive ex plethora, ſive alia de cauſa, juxta receptas hoc libro annotatas, eam tollatis: ſic enim nec dolore, nec periculo ægrum cruciabitis. Cætera ſymptomata vel ſub jam dictas regulas referuntur, vel juxta canones x. & xj. capitum curantur.

Cap. 13. *De Medicamentorum delectu, & adhibendi modo.*

Medicamentorum uſus non ſolum in legitima adhibendi ac deligandi ratione, ſed & in optimorum aptorumque artificioſo delectu conſiſtit, de quo etſi ſæpius hactenus, nunquam tamen ex profeſſo dictum ſit, pauca quædam ſcribere conſtitui.

Obſervabis itaque remediorum profectum, hunc in modum. Si ex impoſito medicamento, dolor ac alia ſymptomata, præter ea quæ vulneribus neceſſario ſuperveniunt, accreſcant, ſtatim illud amovendum ſcias, verum diſtinctione hîc opus eſt: accidit enim frequentiſſime ex inconcinna deligatura, dolores ac ſymptomata excitari: quare tum non medicamentum abjiciendum erit, ſed expectato deligandi juſto tempore (quod ferè xij. horarum eſt,) ligatura emendenda. Dolores enim ſi quid aliud ſtudioſè præcavere Chirurgum decet, ſemper namq; mali quid portendunt.

Sæpius etiam monuimus hactenus, puris generationem, ac fœtorem in vulneribus prohiberi debere, quod certè non niſi per medicamenta fieri poterit. Itaque ſi iſta generari videbimus, medicamenti vim intendendam eſſe conjiciemus: nam pus ac fœtor eo generatur, quòd ipſum medicamentum à malo ſuperetur ac evincatur. Quinetiam ſi in deterius prolabi vulnus videatur, de immutando medicamento cogitandum erit, namque mutationes ejuſmodi ſi fiant in vulneribus, certiſſimum ſunt superventuri ſymptomatis ſignum: hinc niſi medicamentum proſpere agat, mali quid ſuſpicari poſſumus. Quapropter obſervandum, quòd oleis traumaticis confidenter uti liceat, quòd eorum uſum fœliciſſimus in hujuſmodi malis conſequatur ſucceſſus, ſimilis quoque efficacia eſt potionum traumaticarum, maximè ubi eæ ex iis ſimplicibus paratæ fuerint, quę omnia membra reſpiciunt, ac anodyna ſunt. Unguenta operationes quoque non vulgares obtinent, verum in iis deligandi tempus xij. ſcilicet horarum obſervandum erit, ſed viij. horæ quandoque ſufficiunt etiam. Catholicum autem hoc eſto in omnibus remediorum formulis, ut ea quæ vulneri adverſari videbuntur, removeantur, atque ſi refrigeratione vulnus opus habebit, ut refrigerantia ipſi remedio admiſceantur. Nam etiamſi (quod verè dicere poſſum) omnium præſtantiſſima remedia hoc tractatu deſcripta ſint, qualia vix tota Europa inveniatur: tamen tam univerſalia eſſe non poſſunt, quin quandoque vulneri aliquid accidat, quod ipſa compeſcere nequeant: maximè vero in omnibus refrigerantia deſiderari manifeſtum eſt. Quin nec illud negaverim, alios oleis, alios unguentis, alios Emplaſtris, alios potionibus, alios balſamis, alios ſublimatis ac deſtillatis, alios cœleſtibus impreſſionibus magis obedientem naturam obtinere: atque hinc ſingulas ſingulorum naturas ſpectandas eſſe, nec ſtatim pronunciandum iſtis hoc profuit, ergo huic conducet: nam quemadmodum hominum varia temperatura exiſtit, ſic Deus Opt. Max. multa remediorum genera creavit, quibus medicum animum advertere oportet. Idem intelligendum de juſto medicamentorum exhibendorum tempore, tum ægrorum ad perferenda medicamenta diſpoſitione, in quibus omnibus conſideranda morbi cum remedio, tum nutrimenti cum medicamento convenientia ac unitio, uti & puris, fœtoris, ac verminationis generatio prohibita, mirificam in operando fœlicitatem

præſtant,

præſtant. Cætera hanc rem concernentia ſuis locis commodè abſolventur: hîc tria Capita obſervanda. I. Ægri cum medicamento convenientia. II. Deligandi ratio reſpectu excrementi. III. Puris, fœtoris, doloris, ac ſimilium præcautio: iſta tria namque rem totam abſolvunt, ut negotium nulla jam ulteriore declaratione indigeat. Unum reſtat notandum, ſi in profundioribus punctionibus ac vulneribus, pus colligatur, Lavamento illud expurgandum eſſe: patato ſcilicet ex vino, Myrrha, & Sale coctis, ac per ſyringam injectis: injecto autem lavamento, vulneratum membrum pronum æger habebit, ut pus effluere poſſit, ne forſan interiora rodat: verum artificium hoc, experientia artium magiſtra docebit.

Cap. 14. *Salubria ac inſalubria Vulnera, quomodo cognoſcenda ſint.*

QUid caſus ac fortuna in vulneribus poſſint, non alienum eſſe à Chirurgia conſideratione putamus. Fortunæ enim rota, cœleſtibus motibus, ſignis, ac aſtris ſubjecta eſt, ſic, ut omnes ipſorum operationes excipiat, ſive ea à retrogrado, ſive progrediente motu, ſive bonæ ſive malæ imprimatur. Viciſſim nos in terreſtri globo, motu, illi motui adverſo movemur, occurruntq; nobis varia atque diverſa, à quibus alteramur, motus autem iſte alius eſt à vulgari illo Aſtronomorum motu.

Itaque ſi quis vulneratus ſit, ſi mala aliqua fortuna ſuperveniat, vulnus magis infortunatum efficietur: nam quemadmodum ventum morboſis magis noxium videmus quàm ſanis, ſic conſtellationes vulneratis quàm ſanis plus obeſſe judicandum eſt. Vocamus autem hujuſmodi conſtellationum adventum, *Fortunam*, vel *Infortunium*: nam iſta non neceſſariò, ſed quaſi caſu eveniunt, quòd ſcilicet bonum bono, malum malo, vel bonum malo, fortuito jungatur. Itaque vulnera ſub Geminis, Virgine, Capricorno inflicta, deterrima ſunt: minus noxia quæ ſub Tauro & Leone, pòſt ſub Ariete, inde ſub Aquario, Piſcibus ac Cancro accidunt. Omnium verò ſaluberrima ſunt ſub Libra, Scorpione, ac Sagittario accepta.

Sic horæ planetariæ, ſive inæquales quæ vocantur diverſæ ſunt, ſalubritatis reſpectu: nam Solis hora omnium ſaluberrima eſt, poſt Jovis, hinc Veneris, dein Mercurii, poſtea Martis: inſaluberrima autem Lunę ac Saturni horę exiſtunt.

Vulnera verò quæ poſt Novilunium fiunt, ſi ſub Hypochondriis ſint, deteriora ſunt, quàm quæ Luna plena accidunt: quæ verò ſupra diaphragma ſunt, meliora ſunt creſcente, quàm decreſcente Luna. Sic nocturna diurnis, pomeridiana antemeridianis periculoſiora habentur. In menſibus, Martio, Aprili, ac Auguſto malignitas ſumma, Maio ac Julio ſalubritas primaria, reliquis omnibus mediocritas tribuitur. Iſtæ conditiones eo nomine accuratè notandæ ſunt, quòd per eas vulnera etiam placidiſſima, lethalia evadant. Infortunia hæc tamen facilè devitabuntur, legitimo uſu noſtrorum remediorum, quæ præſenti tractatu annotavimus. Sin vulgatis pſeudomedicorum formulis uti pergas, non ſolum non declinabis iſthæc mala, verum majora etiam capiti ægri accerſes. Itaque fortuna ac infortunium ratione temporis quomodo accidat, exemplo diſce. Viator, dum in itinere eſt, malis ſimul ac bonis expoſitus eſt, quę vel nolens, ſi occurrant, recipit, quæ ſi non iter faceret, nunquam occurrerent. Similiter aſtra, tempus, ac motus nobis occurrunt, prout nos ſub iis verſamur ac deprehendimur, unde dolores, ſymptomata, aliaque mala oriuntur: quibus omnibus Chirurgum intentum eſſe oportet, ne res inter ſe confundat, remediaque præſtantiſſima aliàs, contemptui exponat. Non ſolum enim is Medici nomen meretur, qui ſimpliciter curare novit vulnus, ſed is potius, qui omnia, quæ vulneri accidere poſſunt, futura præcavere, vel facta tollere poteſt. Sed iſtis dum vulgus animum non advertit, in facultatem medicam ea relata ſunt, ut jam omnia iſta penes Medicos eſſe, vel ad Medicos pertinere credantur, verùm tantum abeſt, ut hæc cognoſcant iſti Medici, ut nec ſcripto, nec opere Medicos ſe eſſe teſtentur, ut Chirurgos & Tonſores taceam interim.

Cap. 15. *De claudendo Vulnere, ne aperiatur amplius.*

VUlnus ſimplex, quod in carnoſa tantum ſubſtantia conſiſtit, glutinare facillimum eſt, paulò difficilius glutinantur, qua in nervoſis ac oſſeis ſunt partibus. Id verò difficillimum eſt, quæ vulnus comitantur, eique ſuperveniunt, curare ac præcavere poſſe: hinc enim perfecti Medici titulum conſequi licet. Quoniam verò multa hactenus ſymptomatum mentio facta eſt, præſenti loco ea, quæ vulneris ad cicatricem perductionem impediunt, vel conſequuntur, commemorabimus. Artis enim eſt, vulnus ſic claudere poſſe, ne fungi, atrophiæ, vel rupturę ſubſequantur, de quibus malis præcavendis, (quoniam nihil à quoquam hactenus perſcriptum eſt) noſtra ſecreta publici commodi gratia proferemus. Imprimis igitur quędam obſervanda erunt in medicamentorum adminiſtratione, quibus obſervatis nil horum malorum amplius metuendum erit. Ac fungorum generationem quod attinet, ſuperius monuimus, fungorum cauſas in verrucarum radicibus contineri, ex quibus ad aliquot pondo uſque fungos enaſci vidimus, quibus qualis curatio conveniat, & alibi multis in locis, & in Chirurgia minori ſingulari capite pertractavimus. Verum quia & præſenti opere vulnera, & vulnerum ſymptomata curare docemus, de iis regulam quoque præſcribere decet. Itaque ſi vulneratus quiſpiam ſit per vel juxta varices: earum radices lavamento quodam eluere, pòſt pulvillos in eo madefactos imponere, ſicque vulnus deligare conveniet. Parabitur autem lavamentum ex Sale Armoniaco aliquoties per Tartarum ſublimato, ac ſuper Marmore in aquam ſoluto. Nec eſt quod ſalis Armoniaci acrimoniam atque malignitatem hîc verearis: namque ſic paratus omnem acrimoniam deponit, fitque ſingulare hujus mali remedium, quo ſi utaris, optimo ſucceſſu vulnus claudes. Monendi etiam mihi hic veniunt Chirurgi, ut ſubinde ſi occaſio dederit, imò ſemper vulnus inſpiciant, quò certiores fiant, quæ & qualia mala illis ſuccedere poſſint. Nam quod ſæpe hactenus diximus, Medica ars non ſimplici curatione, ſed & præcautione ac prognoſtico abſolvitur.

Frequens & illud eſt, vulneribus glutinatis ea denuo rumpi, iiſque poſtea Carcinomata, Syreon, ac Fiſtulas ſubſequi, ſed hæc facile antequam radices agant, extirpantur, ſi vulnus priuſquam primò deligetur, viridi oleo Vitrioli abluatur: illud enim mali originem per pus expurgat, ac omne genus carcinomatum, Phagedenarum, ac Herpetum radicitus evellit: verum origo mali, aliquanto difficilius diſcernitur, non tamen diutius periti medici judicium defugere poteſt. Viride vero Vitrioli oleum non eſt, cur expaveſcas: ipſum enim unicum eſt, ac ſacrum curandorum carcinomatum, Fiſtularum ac Phagedenarum remedium, id eſt, ſecretum, cujus virtutes qui ignorat, indignus eſt qui Medici titulo gaudeat. Quinetiam vulneribus curatis defluxiones typicæ (id eſt, quæ tempeſtatum ac motus Lunæ ratione periodicè infeſtant) ſuccedunt, quæ niſi deriventur, membri vulnerati atrophiam, paralyſin, forſan etiam arthritin efficiunt. Sed quia hæc mala ſuperventura, manifeſtis ſignis in curatione deprehenduntur (nam ferè pro motu Lunæ

Lunæ creſcunt, ac imminuuntur) ea facile declinabimus, facta evacuatione per pilulas Artheticas: habito perſonæ quoque reſpectu, tum oleo laterino in vulnus infuſo, ſi ſcilicet dolores ſuccreſcant.

Univerſam ſymptomatum rationem (quantum ejus egó experientiâ didici) mihi oratione proſecutus eſſe videor, nihil enim hactenus ſcripto prodidi, quod non diuturno uſu veriſſimum eſſe comprobaverim, præſenti tamen capite præcipuè illud tractavimus, quo ne cicatrix denuò rumpatur præcavendum putamus: nam non raro Chirurgos, ac tonſores monui, iſta ut præcaverent: ſed ferè reſponderunt, ſua parum intereſſe, ſe novo vulnere facto; novum præmium cupidiſſ. expectare: ſicque ſtulte in ſua nequitia gloriabautur.

Cap. 16. *Telorum vulnera quomodo tractanda, & quid à cæteris differant.*

QUamvis abunde hactenus de puncturis dictum à nobis ſit, tamen cum telorum vulnera, hoc quoque ſingulare habeant, ut ob nimiam eorum profunditatem, ima vulneris difficulter ſub viſum ſe proferant: iſti quoque difficultati, quomodo occurrendum ſit, declarare convenit: nam etſi magna vis eſt emplaſtrorum ſticticorum: tamen cùm magna ſit horum diverſitas caſuum, diſtinguere hìc non inutile fuerit, ſiquidem non minimum periculi hinc oriri poſſit.

Itaque ſi ſors tale vulnus offerat, duplici remedio ei ſuccurrendum erit: primò per emplaſtrum ac potionem vulnerariam: deinde per lavamentum per ſyringam injectum, quod ex melle, vino, aqua, alumine & ſale commode parabitur: doſim ſingulorum ingredientum, ſi medicus es, tu pro rei varietate immutabis commode, itaque nil opus eſt, eam multis verbis exprimere. Lavamentum autem toties iterabitur, donec illud purum rurſus effluat, quo abſoluto opere oleum aliquod traumaticum, eodem modo per ſyringam injicere utile erit, tandemque emplaſtro ſtictico deligare. Obſervatione autem digniſſimum eſt, quod lapides aſtacorum (ſive cancrorum fluvialium) poti, mirandam in iſtis efficaciam habeant, nec in iſtis ſolum, ſed in omni etiam inflatione præcavenda. Hac (quam ſcripſimus) methodo in omnibus tum puncturis, tum telorum profundis vulneribus, ſive ea in carnoſa ſubſtantia ſive etiam in oſſium juncturis ſint, progrediendum tibi eſſe memineris. Verum omnia iſta Charactéres juxta cœleſtes influentias confecti, multò facilius curabunt, ſi vel in inteſtina penetraſſent uſque. Decubitus verò in hujuſmodi vulneribus, vel maximè ſpectandus venit: nam ſi membrum ſupinum teneat æger, gurgitem purulentum faciet, qui in prono ſitu non fieret. Itaque ſemper membra vulnerata prona tenenda, hoc eſt, ut fundus ſurſum, labia verò vulneris deorſum ſpectent: namque ſic facilimè curationem recipient, eo tamen dempto, ut ſi Balſamum vel oleum vulnerarium infuderis, ſupinum membri decubitum ægro imperes. Aliud adhuc præter jam dicta in telorum vulneribus (ſupra communium vulnerum ſymptomata) ſymptoma eſt, debilitas ſcilicet vitalium facultatum, quæ in iſtis multo maxima exiſtit: quamobrem accuratiore tum in victu præſcribendo, tum in reſtaurandis viribus, diligentia opus erit, maximè ſi fœtor aliquis, vel principia gangrenę, vulnerisque labiorum decoleratio apparuerint: vel ubi ulceris cum vulnere complicationem metuemus. Quamobrem in ſanguine grumoſo diſſolvendo, ac alvo lenienda ſedulam operam navabis. Quæ porrò ad vulnerum profundorum curationem requiruntur, ex generali vulnerum curandorũ methodo petenda erunt, qua obſervata, omnia vulnerum genera percurabis facile: namque tam perfecta eſt à Deo creata ars Medica, quàm quævis ars alia ſit, verum quod non ſemper fine potitur, non artis, ſed ſubjecti defectu hoc accidit, quemadmodum cum nodoſum lignum enormiter ſecatur, non artis ſed ligni cauſa id accidiſſe dicimus.

Cap. 17. *De telorum ferramentis latentibus extrahendis.*

EXtrahendorum telorum, quæ infixa corporibus intus hærent, duplex eſt modus: unus quidem per attractionem, alter per protruſionem ſeu impulſionem, quæ ambæ indicationes ex telorum forma petuntur: nam ubi teretes ac oblongæ telorum formæ ſunt, per attractionem ea eximuntur: ubi vero hamis prædita tela fuerint, (quæ nunc vulgò barbulata vocantur) quia quo pacto ea retrò extrahantur, nondum inventum eſt, per impulſionem ea protrudere in adverſam partem cogimur, ſimiliter de ſclopetorum glandibus, quæ in oſſa ac oſſium articulationes penetrarunt, extrahendis, cùm nihil adhuc repertum in rerum natura ſit, ferè ad occultas herbarum, ac radicum proprietates recurritur: ſed quia eæ ſaltem valent, ubi extractio non per contrarium nixum impeditur, vulgatam medendi rationem tenere præſtiterit. Nam quæ autor Herbarii de viribus radicum ac herbarum (quæ videlicet ſeras recludant, ac clavos extrahant, tum de gemmis prodidit) fabuloſa ſunt: nam horum omnium attractio ſimilis eſt ei, quę in Herculeo lapide conſpicitur, qui ferrum liberum attrahit quidem, non ſic fixum: itaque hìc diſtinctè loquendum erit. Etenim non inficias eo ſeras iis recluſas eſſe, clavos extractos, aliaque ſimilia perpetrata. Verum hæc arte Magica præſtita ſunt, qua Magnes terreſtris, cum magnete Firmamenti conjunctus fuit, ſicque per eum non iſta ſaltem, ſed & hamata telorum ferramenta retrorſum educta ſunt. Eadem ratione vires attractrices herbis, ac radicibus à Magis implantatæ ſunt, dum ii ſimplicia ea cœleſtibus aſtris ſubjecerunt. Quamobrem perperam ex iſtis concluditur, hoc hujus ſpeciei individuum id præſtitit: ergo omnia iiſdem viribus pollent: nam niſi arte Magica conſtellentur, fruſtra eum effectum ab illis expectabis, quin & hoc obſervandum eſt, conſtellatas hujuſmodi facultates ſucceſſu tẽporis deperditas iri.

Veruntamen ut tandem de educendis hoc genus telorum ferramentis, ac ſcloppetorum glandibus aliquid in medium adferamus. Sciendum unicum reſtare iis de rebus remedium, quod in quibuſdã verbis conſtellatis conſiſtit, quibus præſentibus nullo negotio, omnia telorũ genera duobus digitis ex vulnere eximere licet. Sed Sophiſtarum invidentia hanc artem obſcuravit, ut quam ſub pœna anathematis, ac ignis ſupplicii exercere interdictum eſſet: cùm tamen nullæ plane ſubſint præſtigiæ, nulli exorciſmi, nihil necromanticum, ſed omnia ſint naturalia, ac ex iis rebus quas Deus ad uſum hominum creavit, parata: per quæ Divina miracula palam fiunt; ſed ea eſt Ignorantiæ labes, ut Divina opera Dæmonibus, & viciſſim, aſcribat.

Jam dictum remedium ſi contemnas, ægrum neceſſariò excarnificabis: nam vel circumjacentes partes putrefacere prius oportet, vel ſecare (quo vel retroſum educas vel propellas) neceſſe eſt, vel ipſa tela intus per quædam inſtrumenta confringere (quo per partes eximi poſſit) cogeris, verum quantis iſta doloribus proficiantur, ii ſciunt, qui in horum manus aliquando inciderunt. Ego certè non minus, quam iſti hypocritæ, Divinæ voluntati obedire ſatago, nil tamen deterreor, quin iis quæ illi execranda putant, utar, ut quæ non prohibita eſſe ſciam. Denique ad hujus tractatus concluſionem illud admonendum puto. Si pręſentis tractatus canones obſerventur, ac ejuſdem præſcripta remedia adhibeantur, telorum extractionem plus quàm Chirurgorum inſtrumentis adjuvari, maximè ſi dolores ac phlegmones fieri prohibeantur, quæ tamen

men mala concitantur ab hujuſmodi inſtrumentis,

Peroratio ſecundi Tractatus.

Quod in præſentis tractatus procemio monuimus, eum, ſcilicet, qui ſcripta in publicum emittere velit, ſic de artis quam docet certitudine, veritate, conſtantia, ac perpetuitate ſcribere, ac certum eſſe debere, ut nullum hic dubium, nullam ſpem, vel perſuaſionem dominari, ſed meram veritatem præcellere ſciat. Hoc ipſum ſine jactantiæ nota noſmetipſi de nobis gloriari poſſumus. Etenim quæcunque præſenti hoc noſtro Chirurgico opere prodidimus, omnia ea longo uſu certaque experientia comprobata eſſe, vel eorum quoque teſtimonio, qui noſtra ope adjuti ſunt teſtatum facere poſſemus. Itaque ſcripta noſtra non tam ex noſtra authoritate, quam operum præſtantia fidem merentur, quæ laus, Divina gratia, nunquam ea, quod ſpero, deſtituet, quantumcunque æmuli ac obtrectatores noſtri contra tumultuentur. Namque doctrinam noſtram non quaſi cereo naſo præditam effinximus, ut pro libito eam cuivis torquere liceret, ſed certam ac conſtantem: etenim non quod placeret, ſed quod res ipſa doceret, ſcribendum nobis propoſuimus, quod ea docendi ratio vel maximè Medica, id eſt, certa eſſet: Medicina enim non cerea eſt, non juncea, vel quę loquacitate comparetur, ſed talis, quæ experientia & uſu nitatur ac conſtet, iiſque comprobanda ſit. Quamobrem de experientia, & quod ea fideliter à me ſcriptis mandata ſit, jure gloriari poſſum, nec quiſquam eſt, qui mendacii vel erroris hic nos arguere queat, cum non quà nobis videretur, ſed quà, ars & experientia juberet, omnia direxerimus, quod à paucis aliis obſervari videas. Et quamvis quod vulgo fertur, Margaritas non projiciendas porcis eſſe, nos à ſcribendi munere deterrere poterat; majorem tamen rationem publici commodi habere oportuit: nam etſi eorum qui iſta contemnent, ingens erit numerus, erit tamen aliquis etiam eorum, qui ea amplectentur: etenim quemadmodum ſanitas non omnibus, ſic ars quibuſdam nec competit, nec contingit: non enim qui ſpecioſos oculos, vel aures habet, ſtatim videt vel audit bene: ſed Deus eſt, qui iſthæc bona quibus vult, impertit, qui quibus Medicinam conceſſerit, eos quoque perfectos efficiet: contra qui ſine Divino permiſſu Medicinam ſibi uſurpant, produntur non ita multò poſt. Qui non rogat, non accipit: qui non quærit, non invenit: non pulſanti non aperitur, inquit ſcriptura: itaque ab iis qui non orant, quærunt, pulſant, id quod habent auferetur, hoc eſt, nequitia illorum ultione divina tollitur.

Memoratas ergo ob cauſas ſecretiora, longo uſu tamen & experientia à me comprobata, remedia hoc tractatu publica feci, non ignarus, quoſdam pſeudomedicos, hypocritas, & phariſęos in ſimili ſcripti genere laboraſſe, ac indies adhuc expecto empyricum hujuſmodi ſcriptum ab Empyrico ac hypocrita non vulgati nominis conſarcinatum. Verum illi experimenta ſua mirè paltiant, ac ad multa extendunt, iiſque ſuam hypocriſin celant. Mira ſanè res eſt hypocriſis, quæ non in aliquo mechanico artificio, ſed in ſolis ſcientiis phantaſticis locum habere poteſt: nimirum quòd hic laborum nimium, lucri plurimum ſuppetat. Sic in medicina Empyrici hypocritæ ſunt, qui uno experimento ad omne morbi genus utuntur. Cavendum itaque in omni artium genere ab hypocriſi erit, hæc enim unica omnium artium peſtis eſt, quæ apud plurimos arti prævalet, quemadmodum & Hypocritas ſemper majoris quàm Chriſtum & Apoſtolos habitos eſſe videmus, & ſcortatorem ſcortum publicum ardentius, quàm conjugem amplecti experientia docemur, qui error donec durabit, difficulter vera Medicina clarebit.

Interim lubens fateor, non exotica, ſed domeſtica ferè remedia à nobis prodita eſſe, tamen hoc polliceri poſſum, ad vulnerum, tam cæſim, quàm punctim factorum, tum telorum ac glandium, perfectam curationem nihil hîc deſiderari: niſi forſan tuos proprios defectus, inexperientiam nimirum, experientię ſtultam perſuaſionem, opinionum portenta, nobis aſcribere velis. Sed ab iſtis cavendum tibi eſt, utpote de quibus ſit in extremo judicio ratio reddenda.

Tractatus Tertius. De Morſibus Venenoſis, & oſſium fracturis, aliiſque ad vulnerum Chirurgiam pertinentibus.

Præfatio.

Præter armorum ac telorum plagas, hucuſque pertractatas, aliæ ſuperſunt adhuc unitatis ſolutiones, quæ nullibi rectius quam ſub vulneribus collocantur, nam morſus Canis, cel alterius beſtię, item oſſis fractura, etſi vulnera verè non ſint, tamen aliquid vulneribus ſimile obtinent. Sic quoque ambuſta, cutis excoriationes, atque ſanguis concretus (ſive ex plaga, vel caſu ex alto fiat) partiumque refrigeratio, ad Chirurgiam referuntur. Non ſic gangræna, peſtis, Antrax, Carbunculus, &c. ea enim mala rectius tumorum, ac ulcerum curationem, quàm ad vulnerariam Chirurgiam accommodantur. Quæ itaque præſenti tractatu docebo, ea omnia unà cum punctionibus & vulneribus abſolutiſſimè cognoſci à vulnerario medico, præcipio: nam horum abſolutiorem notitiam, quàm Gangrænæ, Apoſtematum, Carbunculorum, &c. conſequi datur, ut quæ omnia in naturæ poſſibilitate conſtituantur: nam omnia ea quæ extra hanc poſita ſunt, ſuis locis annotabimus. Hic vero ea ſaltem commemoraturi, de quibus aſtantes etiam judicare poſſint, an ad medicinæ poſſibilitatem accedant, nec ne, (hoc eſt, an ſalutaria vel lethalia, curabilia vel curatu impoſſibilia ſint.) Nam in cæteris quibuſdam etiam lethalia quandoque ſalutaria videntur, & viciſſim: nam iis omne malum Medicamentis tolli poſſe falſo perſuaſum eſt, unde poſtea artem contemptui habent Centauri iſti. Verum hic obſervandum, in impoſſibilibus fruſtra laborari: itaque poſſibilitas Medicinæ norma conſtituenda erit, in qua tamen vita & mors æquè dominantur, itaque hanc præcavere, illam conſervare Medici officium erit.

Hoc itaque tertio tractatu Remedia pro affectibus iis, quos commemoravimus ad vulnerariam Medicinam pertinere, ſcribemus: quæ quomodo ad nos pervenerint, oſtendere tempeſtivum videtur: iſthæc enim ulterius clam habere publici commodi cauſa nolui. Remediorum omne genus ab hominibus ſucceſſivè inventum eſſe, ſine dubio eſt: aliud enim caſu, aliud inquiſitione, ac induſtria repertum, ac publicum factum eſt, ad quos duos inventionis modos, *Lumen naturæ* quoque acceſſit, adeo ut & canibus certum fieret, lingendo vulnera eorum curari, ac homines qui hoc Lumen ſuſpicerent, mira in morbis fugandis cognoſcerent. Verum Phariſaici, hypocritæ ac literatores medici, omnia hæc remedia Lumine naturæ rejecto, ad ſe rapuerunt tandem ut jam vulgus nil commodi amplius ſperare poſſet. Quemadmodum Chriſtus in Evangelica parabola vulnerati in Hiericho, idem oſtendere voluit: ibi enim etſi Sacerdos ac Levita etiam miſericordiam exercere potuiſſent, unus tamen Samaritanus præſtitit, cauſa eſt, quòd illis *Lumen naturæ* conceſſum à Deo non erat, huic verò

vero à Deo Opt. Max. donatum, itaque ibi ſalus quærenda ægris, quæ ea à Deo repoſita, id eſt ii ſoli curandi officium præſtare poſſunt, quibus Naturale Lumen datum eſt. Sic ubi Spiritus Domini non eſt, nihil ſpirituale efficitur: nam quæ ſine illo fiunt, Prodigia à Pſeudochriſto ſunt, uti & curationes extra Lumen Naturę factas, à Pſeudomedicis fieri dicimus. Itaque uno verbo dicam, Remedia noſtra per Samaritanos, hoc eſt, veros Medicos ad nos perveniſſe.

Veruntamen hi quandoque in uſu, & adhibendorum remediorum ratione non parum aberrant, ob exercitationis nimirum defectum. Medicinæ enim & diuturnam & diligentem exercitationem requirit: nam remedia non in uno, vel aliquibus, ſed in centum vel pluribus etiam ęgris experta ac comprobata eſſe neceſſe eſt: qua in re ſumma diligentia ac obſervatio requiritur, ut nimirum morbi natura, & ad remedium habilitas & diſpoſitio accurate cognoſcatur, quam naturæ ac morbi cognitionem, qui ſibi comparaverit, jam medici nomen immeritò uſurpabit. Mihi ſane plurima hujuſmodi remedia, à vilibus ac imperitis hominibus communicata ſunt, qui ipſi cùm in adhibendis iis peccaſſent, ſine ſperato fruſtrabantur. Ego verò eorum uſum longa exercitatione edoctus, iis poſtmodum optimo ſucceſſu utebar. Adeo ut non immerito me horum experimentorum Correctorem, ac examinatorem gloriari poſſim, quique eorum legitimum uſum oſtenderim: nam apud Pſeudomedicos, neque exercitio, neque uſu ſatis comprobata extabant: cujuſvis enim remedii comprobatio ſufficientem requirit numerum ægrorum, ii interim re non ſatis cognita, tumido ſpiritu ſcripturiunt, totoſque codices nugis ſuis replent, verum ô miſeram ſcriptionem, quæ ante ſufficientem experientiam prodit, nemo Chronica de factis ſcribit, quæ nondum contigerunt, ſic autores iſti nunquam tantos remediorum cantones comportaſſent, ſi de iis ſaltem quorum uſum cognitum habuere, ſcripſiſſent: ſed ſtulti de rebus futuris ſibi ſcribendum putarunt.

Veruntamen quia diuturna experientia horum loquacitatem uſu longè ſuperat (nil enim verba inania ad ſanandum conferunt) hanc explodere, ac in ejus locum experientiam ſubſtituere æquum videtur. Etſi enim plurimi hoc ægrè ferunt, me meis principiis per veterum autoritates eadem non conciliare, mea parum refert, cùm antea eam mihi rerum experientiam tribuam, qualem nemo veterum habuit. Etiam hoc experientiâ didici ſpeculationes quibus iſti ſe macerant, nil ad Medici perfectionem facere, ſed artem ſolam. Ars autem iſta experientia eſt, non ſpeculatio, quæ ipſa Theoriam præcedit: nam ubi quid expertus fueris, tum demum ejus naturam contemplari conveniet, & poſt hanc iterum experiendum. Hæc vera Empyria eſt, non Chirurgorum ac tonſorum vulgarium, ſed artificioſa. Nam Medici Theoria Experientia eſt, &c. Sequitur jam deſcriptio eorum vulnerum, quæ ſine telis inferuntur, quæ & Diætæ formulam ac curandi rationem continebit.

Diatæ ratio Horum Vulnerum. Demorſorum à Canibus Diatæ ratio.

Victus ratio quam præſcribimus, etſi in omnibus morſibus obſervandum eſt, Canum tamen rabidorum morſus eam accuratiſſimam deſiderant. Summe autem in hac ſpectandum erit, ut Bilis, ſeu Choleræ rabiem attemperemus, ne ea radices agat. Namque ut primum quis à cane demorſus eſt, ſtatim Caninæ rabiei natura occulta quadam vi, Cholerę communicatur, quæ furere incipiens, omne genus Bilioſorum morborum excitat. Verum hîc nil admodum laborandum, quod in Bilioſis alias factitant Medici, ſed ſufficit Frigidam frequenter propinaſſe, ac revomuiſſe, tum à vini potu prohibuiſſe. Neque eſt ut metuas, ne potus altius venenoſam materiam deducat: nam vel jam deducta eſt, antequam diætam præſcriberes, vel nil amplius vereri opus eſt. Exhibebis itaque præter aquam, ſi ita videatur, Cereviſiam, vel potiones paratas ex pomis, prunis ſylveſtribus, vel oxyachanta. Cibus erit Braſſica, muria condita, & omnia refrigerantia, tantâ copiâ oblata, ut revomant.

Utile quoque fuerit folia Roſarum & Senę, ad ſ. q. in ſero lactis incoxiſſe, ac addita pauca Benedicta Laxativa in potu frigidè exhibuiſſe. Nil tamen eſt quod vulgatum Medicorum dictum te remoretur, cum dicunt, Senam Melancholiam educere, ſufficiat tibi ſcire, materiam peccantem in hoc affectu per eam dejici, ſive ea Melancholia eſt, ſive quid aliud. Acetaria quoque cum multo oleo, Acetum roſaceum, in quo conſervæ Roſarum modicum diſſolutum ſit, proſunt maximè ubi ſævit malum. Cavendum etiam unice erit, ab aromatum ac odoramentorum uſu, maximè ubi ea calida fuerint. Ubi febris creſcere inceperit, Acetum roſaceum cum ſucco oxyacanthæ in potu dabis: nam tum de rabie ingruente metus eſt. Sciendum quinetiam eſt, hoc modo vulneratos Caninam plane naturam induere, itaque duram illis medicinam competere: optimum igitur erit eos aliquandiu in frigidam immerſos continere.

Obſervandum præterea, demorſos non omnes rabioſos fieri, ſed aliis quibuſdam morbis corripi aliquos, maximè qui natura Bilioſi non ſunt: intentum ergo medicum eſſe oportet in ægri complexionem, ut qui morbi illi ingruant, diſcernat.

A Serpente, Vipera, lacerta vel alia venenoſa beſtia demorſis, quæ victus ratio præſcribenda.

Venenum beſtiarum, ſive punctione, ſive morſu, caſu vel ira, quod pejus eſt, peſſimum per exorciſmos communicatum, deletur ſi in cibo offerantur ea, quæ cordi, Epati, ac Ventriculo confortandis appropriata ſunt: nam cùm Venena principes maxime partes petant, eas munire, confortare, ad frangendam illorum malitiam neceſſe erit. Quare ubi venenum Cor petere ex ſignis cognoveris, exhibebis Oleum in quo calybs candens aliquoties reſtinctus ſit, ad lib. j. pondus, cum pulver. Corall. rub. ℥. ij. El. de gemmis ℥. ſs. ſingulis vero dieb. quinquies bibet æger, prima vice tepidum, poſtea frigidum.

Potus alias erit Vinum rub. aſtringens calybeatum cum modica Theriaca, ſingulis vero vini hauſtib. ʒß. Corall. rub. admiſcenda, hocque potu utendum, donec ſalutaria ſigna appareant. Quod ſi inter Olei uſum ſitis inexhauſta excruciarit, Lac calidum cum pul. Corall. dabis Laudanum vocatum Arcanum noſtrum, quod omnia iſta ſuperat, ubi mors in propinquo eſt, ſuo capite deſcribemus. Nos, quidquid aliis videatur, Philonium Perſicum dum oleum bibitur, datum, mirifice caput aliaſque principes partes tueri teſtamur. Sciendum etiam, ſitim immenſam, quæ creſcentis & cor petentis veneni certiſſ. argumentum eſt, quia potu reſtinguere non datur, extrinſecus adhibito Epythemate ex aceto Roſaceo cum Camphora, & Sandalis parato, attemperandam eſſe. Quæ ad victus rationem pertinent ultra, ſuo capite annotabuntur, hîc ſcire ſat eſt, Tenuitatem victus primarium ſcopum eſſe.

Fractis oſſibus ac Sanguini concreto qualis diæta conveniat.

Potus & cibus in fracturis indicationem ſingularem non habent, ſaltem hoc cavendum in hoc malo, ne calida victus ratio calores ac febres faciat & augeat: frigidiori ergo diætæ intendendum, quę & modica ſit, & ad roborandas vires comparata.

Grumoſo verò ac intus concreto ſanguini diſſolvendo, cibus convenit, cui aliquid purgantium medicamento-

mentorum adjectum ſit, ut Ptiſana cum Rhabarb. vel rad. Aſclepiadis, aut fol. Senæ, Terebinth. vel Lacca. Sic cibariis Mummiam ac Reon Ponticum utiliter incoquemus. Verum medico prudenti ac provido, moderabitur mali magnitudo, ut præterea ſpecialibus regulis nil opus habeamus.

Ambuſtis, quis victus exhibendus.

Ubi aduſtio lethalis non eſt, nil admodum neceſſe habemus accuratiore diæta ægros macerare. At ubi mortis periculum imminet, ea contemnenda non erit. Itaque extrinſecus imponenda, quæ calorem extra attrahant. Sin malum in tantum auctum eſt, ut ea non ſufficiant, per intreſecus exhibita, is quoque reſtinguendus erit, dabimus itaque ſuccum Sedi cum aqua mixtum, vel ſuccum cancrorum fluvialium extractum cum aqua fl. tiliæ, aut ſimili, &c. Aceto quoque roſaceo, uti dictum eſt, utemur, donec periculi magnitudo imminuta ſit.

Refrigeratorum victus ratio.

Qui ob refrigerationem de gangræna periclitantur, adjuvantur maximopere Roſaceo aceto, & pipere longo, unà cum vino generoſo, in potu datis: & ea conducunt, ſi cibaria iis quoque condiantur. Qui verò jam morti propinqui ſunt, Aqua vitæ cum Theriaca & radice tuſſilaginis contemperatâ, ſunt nutriendi, iiſque in ſatis magna copia utendum. Ubi iſta ad manus non ſunt, Zinziber. Caryophill. Cardamom. Grana Paradiſi, &c. vino incocta, ac calida pota, proderunt maximè, ſi dein ad ſudandum ſe compoſuerint, quo frigus extrà ferri denuo poſſit.

Cap. *De morſu Canis rabidi.*

CAnum morſus triplices ſunt: Rabioſorum, Iratorum, ac Ludentium. Omnium perículoſiſſimi Rabidorum ſunt: nam rabies per morſum ad interiora fertur, ſicque duplex malum junctum eſt. Poſt hos iratorum morſus periculoſi ſunt: nam & ira cum vulnere jungitur quoque, unde venenum exiſtit. Sine inſigni periculo ſunt, qui à ludentibus inferuntur: namque curationem facillime recipiunt. Idem judicium erit de morſibus Luporum, Aprorum, ac ſimilium beſtiarum, verùm omnes ii ad Morſus iratos referendi erunt, eodemque quo canini modo curandi.

Rabidi vero homines efficiuntur, ex morſu rabioſi canis hac ratione. Canis rabioſi omnes cogitationes, omniſque malignitas, dum mordet, ad hominem, atque locum in quem morſum infert, intentæ ſunt: viciſſim homo dum mordetur, metuit, omneſque ſpeculationes ad eundem locum refert: etiam morſus tempore eodem in loco ſunt, ac junguntur canis imaginatio, ac hominis ſpeculatio, atque tum hęc ab illa per contagium inficitur, quemadmodum fumus ſeu exhalatio jucunda à fœtida corrumpitur: nam etſi imaginationes iſtæ tactiles non ſunt, ſunt tamen corporeæ (id eſt, aëreæ uti ventus) atque ſic earum mixtio accidit. Imaginatrix ſeu phantaſtica facultas interim in homine, Magnetica quadam attrahendi virtute pollet, qua alias imaginationes (ut caninas in hoc caſu) ad ſe attrahit, non aliter quàm colorem ac ſonum, quem alter communi ſenſu percepit, alter per viſum ac auditum in ſe recipit, eodemque reponit. Sic præſenti in caſu Imaginatio humana, per vulnus attrahit caninam imaginationem venenatã, atque viciſſim ab ea inficitur, ejuſque naturam induit. Nam quemadmodum aquam multam, pauco croco tingi videmus, ſic hominis totam rationem, à canina phantaſia corrumpi putandum eſt.

Hæc humanæ rabiei origo eſt, quę his ſignis cognoſcitur. Canum inſtar obvios mordent, canina appetentia corripiuntur, aliiſque malis exagitantur, quæ à nulla cauſa intreſeca excitari poſſunt, ſed à ſola iſta quam dixi prava imaginatione. Quamobrem morbus iſte naturalis nullo modo dicendus erit, imò naturæ adverſiſſ. appellandus, neque morbus ſolum, ſed & omnia ejus ſymptomata, calor, phlegmone, intemperies, &c. Quin & ii qui ſuperveniunt morbi, diverſiſſ. ſunt ab iis, qui aliis vulneribus junguntur. Itaque in curandi ratione, tantum à vulgato modo declinabimus, quantum hoc vulneris genus, cum ſuis ſymptomatis, ab aliis evariare videbimus.

Itaque in curanda rabie, primum ſcopum eſſe Bilis evacuationem ſuperiora teſtantur: verum cùm cholera in tantum inficiatur in rabie, ut niſi eam detrahas, ſummum periculum metuendum ſit. Eam non per alvum ſolum, ſed & ſupra vacuare oportebit, quantò valentius: tantò melius: nam hic mediocritas nil promovet. Purgandum verò per ea quę bilem ſolam, eamque potenter trahunt; ut ſunt Rhabarbarum, Colocynthis, Agaricus, ſuccus corticis ſambuci, Eſula, &c.

Interim etiam dum Bilis ex toto vacuatur, parti proſpiciendum quoque erit, quæ affecta eſt. Utiliſſima autem ad hunc ſcopum erunt, ea quæ Paronychiis ſanandis adhibentur: ut ſunt de ſtupefacientium genere Sperniola, Oleum Mandragoræ, &c.

Quibus tantiſper utendum erit, donec dolorem ſedatum eſſe cognoverimus. Vulnus verò ipſum Emplaſtro ſtictico (cui tamen pix Græca admixta non ſit) deligandum. Hiſce tribus remediis, Catartico nimirum, Emplaſtro ſtictico, ac Anodynis quemvis canis rabioſi morbum percurabis; facile Obſervandum tamen, rabiem, quæ difficulter cedit, opiatis exhibitis medicamentis (inter quæ Sulphur vitrioli chemico modo paratum, aliaque multa numerantur) ſedandam atque curandam eſſe, quidquid deblaterent contrà vulgares Practici. Deſcriptiones purgantium, opiatorum, ac ſtupefacientium remediorum, etſi plurimæ annotari poſſent, ſufficit tamen ſimplicia, ex quibus ea componũtur, oſtendiſſe: compoſitionẽ enim uſus ac exercitatio ipſa docebunt.

Iratorum veio canum morſus, ſciendum intrinſecus aſſumptis medicamentis nil opus habere, ſed extrinſecus jam commemoratis facile percurari. Ludentium autem morſus curabis vulneris ſimplicis inſtar; quemadmodum II. Tractatu jam oſtendimus. Catholicum tamen in omnibus canum morſibus eſto, Emplaſtra primum locum in iis curandis obtinere: dein Cholerę rabiem per opiata temperandam eſſe: tum cavendum maximè, ne vulnus ſive morſus, in aliud genus morbi, ut ulcus &c. abeat.

Cap. 2. *De Morſu Serpentis, Viperæ, Lacertæ; ſimiliumque Beſtiarum.*

SIngularem quandam malignitatem obtinere, hoc genus vulnera obſervandum. Quæ omnia in duplici differentia reperiuntur. Nam vel ex ira, cum irritantur, ex Rabie, dum conjurationibus, id eſt Exorciſmis urgentur. Itaque iratarum ſerpentum, ac viperarum morſus, quia ipſis & ira, & venenum à natura implantatum eſt, morſus ſeu vulnus quoque naturale habendum eſt. Verum quod à Conjurationibus ortum habet longè eſt à natura alienum. Etenim nihil quod ſecundum naturam eſt, exorciſmis vincitur: nam natura iis non ſubeſt: ſed id quod conjurationibus cedit, incantatum eſt, & id quod ex incantatione adeſt, Exorciſmis pellitur, Hinc venari licet cauſam, quamobrem quædam viperæ Exorciſmis domentur, quædam non: & cur quidam ſerpentũ domitores, optato fine potiantur, alii minus. Nam exorciſmus unionem ſpirituũ deſiderat, qui ex corpore non pelluntur, niſi per jejunia & preces, id eſt, per Divinam virtutem ac fidem, cui nihil denegatum eſt, ſine qua quæ fiunt conjurationes, exorcisſmi ver non ſunt, ſed inutiles, quibus exorciſta cùm multum tribuat, nihil tamen efficit. Sciendum ergo viperas dum conjurantur, in rabiem agi, non aliter quàm

porci

porci in Evangelio, qui dæmonibus obſeſſi erant, quos eò ablegaverat Chriſtus: nam in viperis dæmones habitant, qui per exorciſmos fatigati, ipſas in rabiem agunt, ac exagitant: ex qua dein venenoſiſſimi morſus oriuntur. Et ut ſummatim dicam, nil conjurationibus domatur, quod dæmone obſeſſo non ſit, vel ut ipſe exorciſta dæmonium habeat oportet: habent autem ſerpentes dæmonia in ſe, quæ tractari ſe patiuntur, non ex vi Exorciſmi, ſed ſpe occaſionis, ad majus malum comparandum.

Itaque obſervandum in rabioſis iſtis morſibus, (cum demorſa pars colorem, figuram, &c. viperæ quæ momordit induat) præter naturalem quandam affectionem adeſſe, à dæmonibus conjuratis inductam, ſic porci illi, qui à dæmonibus obſeſſi in mare ſe præcipitarunt, ſi aliquem momordiſſent, morſum inflixiſſent contra naturam, quemadmodum de ſerpentibus dictum jam eſt. Quin & hoc contradictione vacat, rabioſos canes à dæmonibus exagitari (unde deinde homines demorſi rabiem incurrant: quia enim canibus non raro homines plusquàm pauperibus ac mendicis benefaciunt, ac miſericordes ſunt, non dubitandum eſt, ad ultionem hujus peccati, Deum Opt. Max. canibus dæmonia immittere, hæc etſi capite priore annotanda fuerant, quia tamen illic naturalia tantum tractavimus, hunc in locum reſervare maluimus. Conjecturam itaque de tali dæmonio facere poteris, ſi præſcriptis remediis nil concedat malum. Contingit etiam non raro Lupos inveniri, qui homines ſimul ac jumenta mordeant, lanient, ac devorent, non Luporum more, ſed plane dæmonica ſpecie, ut jam dubium non ſit, à dæmone obſeſſos eſſe: nam & reliqui lupi eos averſantur & fugiunt, quemadmodum & nos à dæmonibus obſeſſos homines devitamus. Etenim cùm venationibus nimium indulgeant homines, animarum etiam ſalute poſthabita, credendum eſt, Divino permiſſu hæc accidere, quare quare in omnibus mediocritas obſervanda, & meliora ſemper priore loco abſolvenda Quæ iſtis in rebus dubitatio alicui ſuccurrere poſſet, hoc argumēto facile tolletur. Etenim cū hominū corpora à dæmonibus obſideri videamus, quis dubitet, beſtiarū, maximè Serpentū, quibus Deus ſuo ore maledixit, à ſpiritibus malis occupari? Itaq; ſtudioſe cavendum ab obſeſſis iſtis animalibus: nam dæmones ea tractabilia, & hominibus morigera faciunt, quo ipſi tandem eorum imperio potiantur. Verum ut de naturalibus tandem iterum loquamur, conſiderandum quomodo venis læſis venenum in corporis intima penetret: nam aperta aliqua vena, per venenoſum hujuſmodi morſum, ſtatim juxta venæ rectitudinem, per contagium intro ſerpit venenum, quod ſi itaque caput ea vena reſpiciat, in cerebrum: ſin pectus, in cor: ſin hypochondria, ad hepar ſtatim venenum fertur, unde periculi magnitudinem dein metiri in promptu eſt. Quare malo huic præcavendo ac curando, utile erit ſtatim per aſſumpta, cor ac principes partes munire ac roborare: Extrinſecus vero vulneri attrahentia, ad oras vero vulneris Defenſiva applicare, veneni inhærentis, ac phlegmones quæ acceſſit gratiâ. Cæterum ubi ea per malignos ſpiritus facta ſunt vulnera, quomodo curanda ſint, hîcā me non docetur, ſed ſaltē ubi naturalia ſunt, quæ experientia didici prodeſſe, propono.

Medicamentum intrò aſſumendum tale eſt: ℞. *Metridatii ℥ij. Theriacæ bonæ ℥i. pul. Coralliorum rubeorum ℥ij. ß. detur quantum neceſſitas poſtulare videbitur: nam vera doſis non niſi experientia addiſcitur.* Quod ſi hæc parum proficiant, dabis aurum Diaphoreticum, vel laudanum, materiam perlatam, vel gemmam diſſolutam: hæc namque ſumma ſunt iſtis malis ſecreta in quibus certam ſalutis ſpem ponere potes.

Exterius vulneri commodiſſimè impones, ℞. *Emplaſtri ſtictici ex Lytargiro, gummi & mumia confecti quartarium j. gummi ℥ij. mixta denuo coquantur in Emplaſtri formam.* Hoc emplaſtrum juxta communen canonem impones, ac deligabis, donec in melius inclinare vulnus videbitur: tum enim ſufficiet ſimplex ſine gummi adjectitio uſurpare. Optimum verò fuerit, celerrimè omnia adhibere, propter celerem veneni motum. Defenſivum quoque remedium, toti membro affecto impoſitum plurimum juvabit, parabitur autem ex fl. Verbaſci, hyperici, Ruta, Roſis, in aceto ad tempus maceratis in Sole, epithema hoc calidū lineis pannis imponetur, donec intēperies, phlegmone, &c. in totū receſſerint.

Quæ à ſpiritibus fiunt vulnera, curandi conſilium apud me nullum invenère adhuc: unum hoc ſcio & moneo, ab exorciſmis abſtinendum eſſe: nam etſi non inſcius ſim, non niſi naturaliter venena tranſire in corpus vulneratum, tamen interim iſta perſuaſio apud paucos exolevit. Itaque Deum propter ſuperſtitionem iſtam, multa dæmonibus concedere credendum eſt. Nam uti Scortatori ſcortum, Aleatori talum, furi occaſionem, prædoni viatorem: ſic Exorciſtæ ſpiritum ſuum offerri divino permiſſu (ad induranda corda infidelium ac flagitioſorū) manifeſtum eſt. Verum iſta opera ſuum quæque artificem judicabunt, ac teſtabuntur in noviſſimo die.

Cap. 3. *De Areanorum, Rubetarum ac ſimilium animalium Venenis.*

PRæter hactenus memoratas beſtias, alia ſuperſunt animalia, quæ etſi vulnus facere non ſufficiant, tamen veneni ſui contractu aliquid huic ſimile efficere poſſunt. Itaque venenorum imprimis natura, ac diverſitas conſideranda, tum in animalibus, tum in terræ naſcentibus, quorum cùm infinitam varietatem exiſtere non inſcius ſim, aliquorum ut Rubetarum ac Araneorum, &c. ut quorum natura mihi perſpectior eſt, deſcribere operæ pretium putavi: nam eorum quorum natura mihi incognita eſt, non meminiſſe præſtiterit, quòd de iis nihil experientia didicerim.

Hoc unicum de venenis pronuntiare poſſum, nemini adhuc eorum naturam exquiſitè cognitam eſſe, adeo ut dicere auſim, experientiâ me didiciſſe aliquod veneni genus exiſtere, à Theriaca invictum. Quid de ipſorum diverſitate dicam? Scorpio veneno inficit, ſed ſui ipſius mali remedium eſt, an vero aliquod huic ſimile invenias. Arſenicum & idem interficit, non tamen ſeipſum curat. Sic Mercurius venenum eſt, multis tamen medicina, ut jam iſta enumerare nil attineat, cùm impoſſibile ſit omnia memorare: quoniam omnibus venenis, quævis alexipharmaca non repugnant. Ego quæ uſu ac experientia addidici, contra Araneorum, Rubetarum, ac Salamandræ venena facere fideliter proponam. Verum Salamandram paulo aliam curationem obtinere puto: nam nullum umquam ab ea demorſum vidi, ſed Chemiſtas quoſdam ſcio, qui cùm tincturam quandam, ad Rubrum ei ineſſe crederent, eam fictili cui canalis ferreus adhærebat incluſam igne urgebant, denique per canalem illum Mercurium infundebant, unde poſtea fœtor, ſeu halitus venenoſiſſimus proſiliens, ſic miſeros illos auriquæſtulos inficiebat, ut quandoque cum facie totum corpus intumeſceret, non raro etiam mors ſubſequeretur. Pro hoc mali genere quod expertus ſum vare, breviter & quantum Chirurgicum negotium patitur, annotabo. Ad hoc caput tanquam ad ſummum genus referendi erant omnes ii morbi, qui in aurifodinis, ac fuſoriis tabernis ob metallorum venenoſam vim, endemii habentur: verum quia ſingulari, & ad hoc deputato libro (de morbo metallico. ſeu ſubterraneo, *Berg kranctheit*) tū in minori Chirurgia, omnia huc pertinentia abſolutiſſimè docuimus, eò diligentem lectorem remittendū putavimus.

Remedia itaque ad Aranei, Rubetæ, ac Salamandræ venena præſtantiſſima ſunt Terra ſigillata, & Solis axungia: hæc in Salamandræ, illa in Araneorū ac Rubetarū venenis, poſterius remediū ſuo capite, id eſt, ſub titulo de Arſenici ac Mercurii veneno tollendo annotatum reperies, hîc

hîc pauca quædam de terra ſigillata obſervanda oſtendemus. Terra Sigillata noſtra, non ea eſt officinarum vulgaris, ex luto albo eloto parata, qua omnes totius Germaniæ ac Italię, imò Europæ officinæ ſcatent: non enim tam copioſa extat vera, ut omnibus ubique ac ſemper eam nanciſci promptum ſit. Nam hæc terra ſubtilis eſt, ac Mineralibus annumerata, metallorum inſtar ſubterraneos ductus, ac venas obtinens, inventu difficilis, cognita paucis, multis prædicata, ea in trociſcos minutiſſimos redacta ſigillo notatur, ac *Terra Sancti Pauli* nominatur: quæ quia etiam jam adulterari cœpit, ex præſcriptis notis cenſenda erit. Bis mihi eam videre licuit, ſemel in Croatia apud Arabem quendam agyrtam: tum apud Siculum quendam rerum Metallicarum peritum, ad Mariam Lauretanam, quæ ſuos ductus, tanquam metallum obtinebat. Sed hanc noſtram paucitas, ac pretium; illius vero copia obſcurarunt, dolendum tamen, quòd neque Germaniæ, neque Italię doctores Medicos, tantum adhuc didiciſſe, ut ſuum lutum, à vera ſphragyde antiquis tantopere prædicata, diſcernere poſſint.

Uſus terrę ſigillatę noſtrę eſt, ut ea cum ſputo in pulticulam redacta, Aranei ac Rubetę veneno imponatur. ſanat ſine periculo, non iſta ſolum, ſed & aliarum venenatarum beſtiarum morſus, ſi initio ſtatim adhibeatur. Axungia ſolis intrinſecus & extrinſecus uſurpatur, ſi Salamandra momordit vel læſit, exhibetur fere in vino diſſoluta bibenda, &c.

Cap. 4. *De oſsium fracturis curandis.*

CAuſas fracturarum oſſium, ſcribere nil admodum referre puto, cum externas ac violentas eas eſſe omnibus manifeſtum ſit: nam quemadmodum calybis ſic & oſſis fractura vehementem cauſam deſiderat. Fracturæ vero origo ea eſt, quod oſſium ſubſtantia inſtar Talci vel Auripigmenti aſſellata ſeu foliata exiſtit, unde ea non per tranſverſum ſolum, ut calybs rumpuntur, ſed & per longitudinem finduntur. Verum de curatione potior nobis ſermo eſt, in qua conſiderandum læſa quoque ſit cutis nec ne: nam ubi ea integra adhuc eſt, accurata operatione opus eſt, ut ſingula iterum ſuum in locum reducantur, quo facto, tum demùm ad ea quæ oſſa conglutinant, progrediendum erit. Sin oſſi fracto vulnus quoque complicetur. Emplaſtris ac Oleis Traumaticis unà cum fracturas glutinantibus medicamentis utendum erit. Conſtitutę ergo jam duplices fracturæ, earumque duplex curatio: ſimplex ſcilicet, & cum vulnere complicata. In omni vero fractura, bis in die deligandum eſſe præcipimus, omninoque ſpleniis ac ferulis abſtinendum, verùm noſtris utendum inſtrumentis, circulo nimirum trochleæ incumbente, (quem modum quoſdam ex diſcipulis noſtris docuimus, aliàs ſcripto explicatu difficilem) quo commodiſſime omnem fracturam repoſitam ſuo legitimo in ſitu conſervabis. Nam hoc Catholicum in fracturis putamus, ſive ſint cum vulnere complicatæ; ſive non; ut ſcilicet quotidie bis ipſa deligetur, (ad evitandum nimirum calorem) loco non moveatur, ferulis non cingatur, &c. Quæ ſi non obſerventur, varia ſubſequuntur mala, phlegmone, putredo; poſt hanc gangręna, non raro etiam mors, pro loci nimirum diverſitate, & morbi magnitudine, auctis & imminutis omnibus. Intemperies itaque omnium maximè præcavenda: nam eam ſubſecuta putredo difficulter ſolvitur, ſed ferè in Fiſtulas ac ulcera profunda, & fœtida abit, præcavebis autem commodiſſimè, ſi dietim bis malum inſpicias, nec tertio die deligaturam intermittas; quod Chirurgorum vulgus factitare ſolet: nam etſi aliquos eo modo curaris, præſtat tamen majoris mali devitandi causâ noſtram methodum ſequi.

Ferulis vero abſtinendum eo nomine præcipimus, quòd iis uti ſine commotione, ac repoſiti oſſis dislocatione non poſſimus. Ad hæc ferularum uſus, fortem deligaturam requirit, faſciarum quoque copia, phlegmones atque intemperiem neceſſario quaſi facit. Quin contingit non raro tumorem ex phlegmone ortum, mane in ſe reſidere, ex quo non poteſt non faſcia laxari, ac os repoſitum dislocari. Itaque propter duo hęc incommoda, intemperiei nimirum phlegmones, ac putredinis concitationem, tum fracturæ dislocationem, (ex qua claudicatio vel intortum membrum ſequitur) ferulas neceſſario rejiciendas putamus. Cætera quod attinet, ſcias, non uſque adeo excellentis artificii eſſe fracturam curare, maximè in juvenibus, in quibus unica Symphiti radix contuſa, cocta & impoſita callum facit: ſic Ariſtolochia, ſerpentaria, ac Traumaticæ herbæ quævis vino incoctæ ac impoſitæ ſufficiunt.

Eſt præterea herba quædam, Herba Sophiæ dicta nobis, quæ tam cruda, quam cocta omnem fracturam ſanat. Idem de noſtris Oleis, Balſamis, Unguentis, Emplaſtris, Traumaticis tibi confidentiſſime polliceri poteris, ſaltem ut præſcriptos canones obſerves: namque natura leviſſimo auxilio adjuta, plurimum per ſe efficit. Duo præterea in fracturis ſtudioſe ſpectanda erunt, nimirum ut vulnus cum fractura complicatum poſt oſſis repoſitionem demum curemus, ſicuti vulnus curandum præcepimus, dein agamus per Symphitum, Ariſtolochiam, &c. uti diximus: ſemper vero mane ac veſperi deligemus. Tum ut Ecchymoſin (de qua capite ſequenti) ſi qua fiat, ex qua Tuſſis, Sternutatio, Punctorius dolor. &c. oriuntur, quam citiſſime ſolvatur, ac ex corpore depellatur. Sciendum quinetiam eſt, naturam in locandis ac reponendis quibuſdam oſſibus, ut coſtis, &c. noſtrâ ope minimum indigere, in aliis, ut artuum, &c. noſtrum accuratum auxilium deſiderare. Symptomatum autem, ut caloris, tumoris, &c. ex quibus putredo, curandorum hæc ratio eſt, ut Oxyrrhodino calido reſtinguantur, ac oleo hyperici, vel florum Verbaſci, (quemadmodum in Oleis vulnerariis docuimus) ac ſimilium tumor diſcutiatur: nam cętera primarii ſcopi, ultro ſecum trahunt, ut de iis multum diſſerere nil opus ſit. Sin, quod ob medicorum imperitiam frequentiſſimum eſt, Ignis ſacer, ulcus cacoëthes, vel fiſtula, &c. ſubſequatur, ſciendum nil ſpei amplius ſupereſſe, ſed vel membrum amputandum vel certiſſimam mortem expectandam eſſe. Denique obſerva, idem plane quod de fractis oſſibus diximus, in comminutis ac contuſis judicium eſſe, niſi quod hîc oſſa libera plane removenda pręcipiunt Chirurgi.

Cap. 5. *De curatione ecchymomatis,*

ECchymoſis ſeu Ecchymoma, cauſas catarcticas habet, ruptionem, contuſionem, caſum ab alto: nam iſtis de cauſis ſanguis extra vaſa effuſus, in parte dolente colligitur, in grumos abit, ac tandem putrefactus, vicinas partes erodit, ac ulcus facit, pro loci natura varium. Itaque Ecchymomatis primarias differentias nos ſtatuimus à partium diverſitate, ut aliud ſit partium internarum, aliud externarum ut artuum, &c. hincque duplex quoque naſcitur curandi ratio, Nos ambas ſeorſim paucis abſolvemus. Sanguis concretus exteriorum partium uti periculo plerumque vacat, ita in interioribus collectus; propter apoſtemata, quæ minatur, ferè mali majoris author eſt, itaque & propter hæc, tum propter impendentes obſtructiones, in omni etiam leviſſima ecchymoſi interna, de diſſolvendo grumo, ſine mora cogitandum eſt. Sciendum quoque in contuſione tam artuum quam viſcerum, ſemper de mundando ac expurgando ſanguine conſilium ineundum eſſe: nam ſemper (niſi forſan admodum juvenibus) majus aliquod malum in propinquo eſt, niſi hoc fiat: ſin

prçſte-

præſtetur, jam omne procul eſt periculum. Itaque ſemper primo grumi diſſolvendi, digerendi: nam iis manentibus, ſi curationem conficere pergas, Ignem ſacrum, putredines, inflammationes, &c. excitabis, malæque medicinæ, quæ ferro perficitur; autor eris.

Diſſolvendorum autem grumorum duplex eſt modus: per interiora remedia alter, alter per extrinſecus admota, tam in interiorum, quàm artuum, ecchymoſi.

Oleum ad Sanguinem concretum in artubus.

Recipe fl. Verbaſci M. j. Fl. Hyperici M. iij. Rad. Aſclepiadis M. ß. Mummiæ ℥ j. olei olivarum recentis lib. ij. Terebenthinæ lib. j. Vini rub. opt. ſextarios duos, coquantur omnia per horas vij. poſt vaſe vitreato probe occluſo macerentur ad ſolem ad tempus, ac exprimantur, & habebis oleum ad hoc malum incomparabile, ſi eo pars affecta ungatur mane & veſperi.

Pulvis ad diſſolvendos Grumos Sanguinis circa interiora collectos.

Recipe Rhabarbari electi ʒ ij. Mummiæ ʒß. Laccæ rub. Spermatis ceti ana ʒ j. Boli Armeni, Terræ ſigillatæ ana ʒ ß. rad. hyrundinariæ ʒ iij. fiat pulvis ſubtilis, exhibeatur ʒ j. in aqua fl. tiliæ vel conſimili. Valet ad ecchymoſin, tam intrinſecam quàm extrinſecam tollendã: nec eſt ut plura remedia requiras, duo hęc nunquã te, etiam in ſummo periculo deſtituent, certo ſcio.

Cap. 6. *Ad Ambuſta ex Lignorum flamma.*

ADuſtionis differentiæ variæ ſunt, atque hinc ejus curandi rationes diverſæ. Nam quemadmodum medicamenta ad ſolem cocta alias vires adipiſcuntur, quàm ad ignem parata: alias ad flammam alias in prunis cocta, utque alia eſt ſuphuris, alia aquæ vitæ, alia lactis, alia mellis flamma in præparandis remediis: ſic aduſtiones à flamma ſimplici, lacte, aqua, pulvere tormentario, ſulphure, metallis, fulmine, fulgure, &c. aliæ ſunt ab iis, quæ à vapore, metalli fuſionibus, aqua ſalis, vitrioli, Aluminis, &c. fiunt, imò omnes à ſe invicem diverſæ putandæ ſunt diverſamque curationem requirunt, quam etiam commodioris doctrinæ gratia, ſuis diſtinctam capitibus proponemus. Et flammæ ſimplicis lignarię curatio quidem talis eſt. Primum omnium calorem, ad exteriora attrahes hoc modo. Recipe Butyri recentis, quantum ſufficit, calefiat, calidiſſimum aquę frigidæ infundatur, ac agitetur, donec nivis inſtar inalbeſcat, poſt abjectã aquã ſervetur ad uſum, in forma unguenti, valet ad omnem aduſtionem ſimplicem à ligno, Lacte, Oleo, Butyro, Reſina, &c. factam. Uſus tempore quotidie bis, ter quaterve, aut pluries locum affectum, eo perunges ſtudebiſque ſemper pinguem ex butyro ſervare partem affectam, nec unquam patieris exiccari, donec plane percurata ſit, hoc unguento quemvis maximum calorem facillimè extrahes: quin ubi aduſtio tanta fuerit, ut ulcera fiant, ſufficiet ſi Emplaſtro ſtictico jungatur, nec opus eſt multum aliis inſudare remediis inquirendis, hoc unico, ſed certiſſimo, tuto contentus eris. Obſervabis tamen in aduſtione per pingues res, ut Oleum, Butyrum, &c. factas, majorem paulò Emplaſtri ſtictici uſum requiri.

Cap. 7. *De aduſtione ex metallis, aquis mineralibus, ac ſimilibus curanda.*

MEtallica ac Mineralia, ſingularem quandam veneni communicandi rationem obtinent, ipſis à propria natura implantatam, atque hinc propriam quoque curandi methodum, quę etſi ad omnia metalla generalis eſt, in particularibus tamen quandam diverſitatem obſervat, nam reſtinctio caloris diverſa eſt, in Mercurio, Sale, Vitriolo, ac Alumine, tum in rubigine, quibus etſi ea, qua ad ſimplicem aduſtionem pręſcripta eſt (priore capite) etiam convenire poſſit, tutior tamen eſt, quam poſt annotabimus. Venenum de quo diximus, metallis peculiare ſimilem quodammodo peſtem adfert, ac Rabioſi canis venenum; itaque non ſolum de calore extrahendo, ſed & de veneno extirpando, cogitandum, namque ipſum quod à Vitriolo, Alumine, Sale, ære, &c. generatur, fere ulcerum, quę cachoëtę vocantur, cauſa exiſtit, non raro quoque lepram faciunt: Lepram non veram quidem, ſed ſpuriam, legitimæ non abſimilem, à quo totius temperatura diſſolvitur. Ad extrahendum autem, ac reſtinguendum calorem, ſeu uſtionem Metallorum, ℞. Adipis ſuillæ, id eſt, lardi quantum ſufficit, liquefiat ac incaleſcat, poſt calidiſſ. infundatur in aquam Solani, agitetur dum conſiſtentiam unguenti nactus fuerit, hoc unguento perunctum malum, ſine aliorum remediorum acceſſione percuratur.

Ubi à Mercurio quis uſtus eſt, locum affectum in lacte calidiſſimo intinctis pannis, vicies vel ultra fovere convenit, ſic ut ubi refrixerit ſemper immutetur, poſt unguento ex Butyro parato calorem extrahere, Emplaſtro de Colophonia, cicatricem facere oportebit. Hic uſtionis modus rarus eſt, contingit tamen ſi Amalgamata quę vocant parentur. Singularia hic affectus ſymptomata habet, Odontalgiam ac Tremorem; quæ abſtinentia à contactu Mercurii, uſu Aquæ vitæ in lotione manuum, tum gargariſatione ſeu oris collutione, cum aqua Lavendulę, ſine negotio curantur: frequentia hæc ſunt iis, qui Cinnabarim parant, Mercurium per deſcenſum pręparant; Metalla ſeparant, aliiſque Metallorum artificibus, &c. Uſtiones porro ab aquis ſalinarum, fontium Aluminis & Vitrioli, quocunque tandem modo eę fiant, periculoſiſſimæ ſunt: niſi enim accuratè empyreuma, id eſt, calor extrahatur, graviſſima ſubſequuntur mala. Nos pro his certiſſimum remedium, ſub unguenti forma proponemus. Habet autem Olei nucum, lib. ſſ. Sævi cervini, lib. j. Butyri præparati uti præcepimus, lib. j. ſſ. miſce, fiat unguentum, utatur quotidie bis mane & veſperi, donec nihil doloris, phlegmones, ac caloris ſuperſit. Denique ſi iſtis non plane cedat.: Balſamo, unguento, vel pulvere traumatico, cicatricem facias, deliges autem medicamenta, quæ maculas quoque fieri prohibent. Hæc remedia iis quoque uſtionibus, quæ tinctoribus accidunt non incommode adhibebis.

Cap. 8. *de Uſtione Pulveris Tormentarii, Salnitri, ſulphuris, & aquæ regalis, curanda.*

ADuſtionis iſta ſpecies, præter cœleſtem uſtionem, longe omnium periculoſiſſima eſt, quemadmodum & ea quæ à vehementibus Chemicorum aquis, ut Mercuriali, Gradatoria, Regali, &c. excitatur: hęc tamen magis ob Corroſionem, quæ à venenorum acrimonia excitatur, quam alia de cauſa gravis eſt. Illa vero multis modis: nam & admodum penetratoria eſt, & reſtinctu difficilis, propter Salnitrum & Sulphur, quorum calor non niſi à ſeipſis conſumi poteſt. Nos de iſtis ſingulari capite diſſerere non infrugiferum putavimus. Itaque ut primum quis à pulvere tormentario uſtus fuerit, utile erit hoc unguento locum paſſum perungere.

Recipe Butyri lib. j. Ol. nucum, Sevi cervini ana lib. ß. Medullæ Tauri quartarium j. liquefacta ac fervida infundantur in aquam Nympheæ ter quaterve, agitentur probe & fiat unguentum, quo ungatur æger,

ubi incaluerit, renovare convenit, donec dolor quieverit, ac denique ut vulnus ſimplex curare.

Sin à Chemicis aquis, uſtio facta ſit, præter hoc, oleis traumaticis, vel ſtictico Emplaſtro, Corrodentem vim frangere enitendũ eſt, tandẽque curare. Ego in hujuſmodi caſibus, ſi quis alius remediorũ varietate abundo, ſed iſtis quæ ſcripſi, vim primariam tribuo, expertus.

Cap. 9. *De Ambuſtis à Fulmine & fulgure, curandis*

MAteria hujus ignis ex qua Firmamentale Sulphur ac Salnitrum eſt: quemadmodum ex terra prodeunt Sulphur ac Salnitrum, ex quibus deinde in unum coactis ſingularis oritur ſubſtantia: ſi cœleſtes materias huic reſpondentes eſſe, omnino putandum eſt: ſi enim pluvia & nix in cœlo generantur, quid prohibet ignem quoque ac Salnitrum illic naſci? Itaque Fulmen ejuſque ignem, cœleſtem quandam compoſitionem eſſe ad exemplum hujus terreſtris, à ſyderibus comparatam pronunciamus. Quamobrem ſciendum, quemadmodum cœlum elementa ſuperat, ſic hujus ignis malignitatem longo poſt ſe ſpatio omnes, reliquas Elementarii ignis uſtiones relinquere. Nam ferè vel præſentaneã mortẽ adfert, vel indubitatam alicujus membri jacturam: quidquid enim contigerit, vel deſtruit totum, vel corrumpit, ignis noſtri exemplo, qui ligna vel omnino in cineres redigit, vel in carbones mutat: nunc uti ex carbone, nedum ex cinere, lignum fieri impoſſibile eſt, ſic hujuſmodi membra vix in priſtinum ſtatum reduci poſſe putandum erit, ne impoſſibilia polliceamur, ac in artis operibus aberremus. Duplex ergo fulminis curatio eſt: nam iis, quæ jam quaſi in carbonem abierunt, omnimoda ablatio, reliquis quæ mediocriter ſe habent, alteratio, ac priſtini ſtatus inductio competit. Hoc interim meminiſſe decet, quandam hujus ignis ſpeciem eſſe, quam extinguere ante Sulphuris & Saltri conſumptionem impoſſibile fit. Ego quæ quinta vice, (pluries enim hujuſmodi caſibus non interfui) expertus ſum, fideliter proponam.

Medicina itaque in hoc malo ſit, quæ antequam empyreuma extrahatur, vehementiſſ. refrigeret: nam niſi ea adhibeatur, urendi nullus finis eſt, quemadmodum hoc ipſum in pulvere tormentario ſæpiſſ. experimur. Reſtinctorii illius medicamenti formula talis eſt: *Recipe Spermatis ranarum, ſucci Sedi, Aſtacorum fluvialium, ana partes æquales, Myrrhæ, Vitrioli modicum, mixta omnia, imponantur membro affecto, donec calor remittat, quo reſtincto, unguentis præſcriptis ad uſtiones, curationem perficito.*

Sin eouſque malum ſævit, ut jam omnia inſtar carbonum uſta ſint, hoc emplaſtro utere: tum pars emortua à ſana abſcedet ac decidet.

Recipe lib. j. Colophoniæ, lib. ß. Picis communis, quartarium j. Ceræ, olei, & Terebinthinæ modicum, malaxetur, & fiat Emplaſtrum, quod impoſitum vivum à mortuo ſeparat: tu dein ad curationem abſolvendam Emplaſtro ſtictico contentus eſto.

Cap. 10. *De Empyreumate à Glandibus tormentariis facto, reſtinguendo.*

EMpyreuma ſive uſtio hæc periculoſa exiſtit multis modis, nam ejus calor diuturnus eſt, & metallicam quandam venenoſitatem comitem habet, tum ex violento ictu difficultatis quid contrahit. His curandis malis primum omnium ad refrigerandum glandem, reſtinguente medicamento utendum erit, cujus etiam uſus erit, quamvis non in corpore amplius glans inhæreat. Hujus generis autem ſunt, Acetum roſaceum, Succi Solani, Nymphea, Sempervivi, &c. ſuccus Aſtacorum, tum Sperneolæ, ſi per ſiryngam injiciantur ſæpius, donec calor reſederit, quo facto, unguentis, balſamis &c. vulneratis, tamquam puncturam ſimplicem curare conveniet: verum tum propter ea, quæ unà cum glandibus penetrarunt, extrahenda, tum aliis multis de cauſis emplaſtrorum Sticticorum uſus contemnendus non erit.

Verum refrigerantium magna ubique copia eſt, ut Limacum, Ranarum, Aſtacorum, inteſtinorum terrę, ſuccus Sperneolarum, & ſimilia. Succi tamen herbarum Nymphea, Solani, Sempervivi potiores habentur, neque contemnendum etiam attramentum ſutorium. Omnium verò pręſtantiſſimum parabis, ex aceto roſaceo, & ſucco Aſtacorum invicem mixtis: horum verò non hîc ſaltem, ſed & in pulveris tormentarii uſtionibus uti licebit. Accidit quinetiam non raro vulneratos perterrefactos aquæ ſe immergere totos, vel frigidâ vulnus fovere, quod ubi factum fuerit, ſufficiet unguento ab ambuſta ſuperius præſcripto curationem perficere. Sciendum denique hanc uſtionis ſpeciem interim lethalem fieri, ſi calor interiora ac principalia membra, ut cerebrum &c. petat, quo in caſu ſalus nulla ſperanda amplius. Sin lethale adhuc malum non eſt, intrinſecus per potiones datas calorem reſtinguere enitendum eſt. Potiones autem in totum refrigeratoriæ ſunto; aqua, lac, zythum, ſuccus pomorum, præcipue vero commendatur aqua prunorum Cypricorum minorum (quę Germani Cepartem vocant) pota à vino autem omnino arcendi erunt ægri.

Cap. 11. *Aurium Tinnitus, viſus Hebetudo ex uſu Tormentorum Bellicorum nata, ut curentur*

MAjorum tormentorum fragor, Campanarum ſonitus, Molendinorum, tumultus, utpote excellentia & vehementoria ſenſibilia audiendi facultatem corrumpunt, quandoque & aurium quendam tinnitum efficiunt: nam auditus organi ſtructura ſubtiliſſima, jucundos tantum, lenes & harmonicos ſonos ſine jactura cepit, à reliquis acutis nimiumque gravibus illæſum vix permanens. Simile de oculis eſt judicium, qui cùm tantum luminis ſaltem requirent, quantum ad diſcutiendas tenebras ſufficit, ab excellenti quoque fulgore, ut Solis & Ignis, &c. facilè deſtruitur. Hinc ignis ſubitus è tormentis erumpens, etſi corporaliter oculos non ſubeat, quia tamen ſubitus ac præfulgidus eſt, eos non poteſt non lædere. His itaque incommodis, quomodo mederi oporteat, paucis aperiam. Ubi aures tinniunt, Auricularum frequentes ſcarificatus fieri, Luna inferiora ſigna percurrente, utile erit. quibus ſi nil perfeceris, cucurbitulas poſt aures appones, quod ſi ne ſic concedit malum, ad venæ ſub lingua ſectionem tamquam ad ultimũ remedium confugiendum erit.

Oculis præterea affectis, conveniet frequens fomentatio ex viciarum vel hordei farina à furfuribus non mundata, ut nimiũ ea in aqua coquatur, & calidus vapor in oculos recipiatur, donec lachrymas fundere deſinant, quo facto in canthum majorem, aliquoties mane guttam Olei laterini immittere haud infrugiferum fuerit.

Cap. 12. *Refrigeratorum Curandi Ratio.*

DUpliciter quis refrigerari poteſt: nam refrigeratio alia eſt ex diuturno uſu frigidarum rerum, ut inambulatione in aqua frigida, quæ non poteſt non conſequenter defluxiones in artus concitare. Alia refrigetio eſt, ex hyemalis frigidi ambientis gelu facta, quæ finita hyeme, fere in manifeſtũ morbũ degenerat. Eſt & tertia ſpecies, quæ effectũ ſuũ ſtatim prodit, ut cũ mors ſtatim eos apprehendit, vel mẽbrum aliquod in totũ perit.

De refrigerationibus, quę vel hyeme, vel mora in aquis frigidis contrahuntur, quæque paulatim in alios morbos abeunt, quia Medicorum potius, quàm Chirurgorũ opera ſanantur, nihil hîc præcipe-

præcipere animus eſt. De ea tamen ſpecie quæ manifeſtum malum ſtatim facit, non tam medicis quàm Chirurgis propria, in præſentiarum quædam docere convenit. Quoniam autem fere iis in locis, quibus morbi frequentius ac peculiariter quaſi fiunt, optima mali remedia habentur, tamen in hoc affectu longe alia ratio eſt. Nam apud Alpinos, Helveticos, & Monticolas, rude hominum genus, hic affectus frequentiſſ. eſt, apud quos tamen nullum adhuc utile reperias remedium, anilia, puerilia, ſtulta omnia ſunt, quæ apud ipſos expiſcari mihi licuit. Ego quæ iis in locis aliquandiu commoratus, expertus ſum, proponam. Membrum ergo extremè refrigeratum, mortuum eſſe dubium non eſt: nam ad priſtinum ſtatum reducere illud impoſſibile eſt, ſed putreſcit ac decidit, quaſi in lepra. Etenim ſine controverſia conſtat, lepras frequentes ob refrigerationem fieri. Quamobrem iſta membra cùm ſui ablationem neceſſario oſtendant, nil in eorum curatione ſudandum erit, ſed omni ſtudio in id incumbendum, ut emortuum à ſano ſeparemus, ne pars ſyncera trahatur: quin hoc tentandum, ut quamprimum ad deperditi reſtitutionem properemus, ſi modo id reſtitui poſſibile ſit: nam in digito vel ſimili membro fruſtra hoc tentari quis ignorat.

Medicamenti autem ejus quo utimur deſcriptio hæc eſt. ℞. *Piperis longi*, *Cardamomi*, *Granorum Paradiſi ana* ℥ *i. Euphorbii* ℥ *ii. Maſtiches*, ℥ *i.* ß. *redigantur in pulverem ac coquantur in Urinæ pueri, vel hominis Ruffi ſextariis duobus, donec octava pars ſuperſit, poſt colentur ac eo quod ſupereſt, membrum refrigeratum, ter quotidie ungatur, & abſcedet mortuum à vivo.* Pòſt per unguenta vulneraria claudatur vulnus. Mira huic unguento calefaciendi vis ineſt: nam eo aliqua parte perunctus, mirum ſi illa die frigus ſentiat. In præcavenda vero refrigeratione, à variis varia uſurpantur, pelles ab aliis, ab aliis coriũ,ſed omnia iſta longe ſuperat, Papyrus complicata, calceamentis ac tibialibus impoſita, omnem aëris inclementiam in extremo gelu arcet, omnes pelles, ac coria antecellit; ſed ne humectetur, cavendum.

Quibus omnimoda refrigeratio ad mortem uſque penetravit, iis Theriacam & Camphoram cum aqua vitę mixtam exhibere, ac in ſtratis componere utile eſt, Zinziber quoque & calamus vino incocta mirifice pota proſunt. Item aqua vitæ, in qua crocus intabuerit. Aromata præmanſa frigus arcent, &c. Præter hæc nil de refrigeratione curanda, vel præcavenda penes me eſt, ſed ſufficient iſta ſine dubio in omni caſu. Notandum denique quandã refrigerationis ſpeciem eſſe,quæ tam periculoſa, quam ipſa eſt, eſſe non cernitur, ſed ea detenti, plerumque per ſomnum extinguuntur. Membra denique refrigerata leproſorum inſtar inſenſibilia efficiuntur, ac magnis refrigerationibus ferè cutanea mala, ſcabies ſcilicet, Pſora, &c. ſuccedunt.

Cap. 13. *De ſingularibus Quibuſdam Chirurgicis obſervationibus.*

Etſi ſumma fide, accuratiſſimaque diligentia, tribus his libris totum vulnerum curandorum negotium tradidimus, tamen quia & alii quidam idem ſtadium decurrerunt, ſua ſinguli placita proponentes, admonendum duximus, noſtrum ſcriptum, & certiſſimis fundamentis niti, & abſolutiſſima experientia contineri. Nã etſi Chirurgorum quædam cautelæ nondum à nobis expreſſę ſunt, tamen nihil de operis perfectione detractum puto, cum uſus, exercitatio ac experientia, quàm ſcripta de iis admoneant rectius. Nam quę ex libris diſcuntur, verarum cautelarum, ſeu obſervationum nomen non merentur, ſed quæ uſu & exercitio comparata ſunt. Ego quę hoc ſeculo certiſſima, optima, nobiliſſima ſunt, ſcripſi, non inſcius poſteriora ſecula plura obſervatura eſſe. Nam hora, dies, annus, ſeculum, nova ſemper produnt, quæ omnia ſcriptis mandari nequeunt, ſed ad obſervationes referuntur. Itaque ſi tu illis noſtram Medicinam applicaveris commode, obſervationum uſum cognoſces. Sic miranda ſæpe vulnera fiunt in cladibus, de quibus nil apud antiquos, vel recentiores ſcriptum invenias, iis particulariter mederi etſi non docuerunt alii, generaliter tamen deſcriptam methodum, tu ſi ſpecialem feceris curandi modum invenies. Nam hic artis uſus eluceſcit, ſi temporis, ægri, & imò omnium particularium ratione habita, medicinam feceris. Quin non raro vidi, adeo miranda vulnera, quæ nulla unquam medici induſtria curari potuiſſent, niſi optima remedia præſto fuiſſent: verum ea eſt naturæ induſtria, ut ſi aptis remediis adjuvetur, ſic omnia diſponat, ut medici diligentiam plurimum ſuperet. Quare ſedula navanda opera in præſtantibus remediis conquirendis, pòſt in experientia ac naturæ cognitione non minus laborandum. Obſervandum etiam, hydropicorum, Ictericorum, Arthritide, ac Podagra laborantium vulnera exiccandæ aquæ, ac ſedandorum tumorum rationem requirere: nam ubi humiditas perſiſtit: numquam ſperaveris vulneris glutinationem. Sic Paralyticorum, ac Podagricorum vulnera, magnam medici induſtriam requirunt: nam pro ſubjecti diverſiſitate evariant. Nunc ſalubria ſunt nunc noxia: nunc curatu facilia, nunc difficilia, quamobrem Medicos peritos in conſilium adhibere tutiſſimum fuerit.

Hactenus omnia quæ ad Chirurgiam pertinent, abſolviſſe mihi videor, tanta quidem diligentia, ut nihil deſiderare poſſis. Nam uſu, exercitatione, experientia, tantum nactus ſum peritiæ, ut plus nemo unquam, pauci tantundem adepturi ſint. Nil ergo te moveant, quæ Doctores bullati contra me eblaterant: nugæ enim ſunt & nęniæ, ac de rebus illis inexpertis, inania verba, quibus nil niſi Doctoris titulum prætendere poſſunt: ſed de his ſatis.

Peroratio.

Abſoluta jam nobis eſt, Divina gratia, vulnerum Chirurgia, non quidem omnibus placitura: ſed eos ego qui meliora ſciunt, ut ea proferant, etiam atque etiam rogo. De meis ego ſcriptis, hoc vere pronunciare poſſum, ſatis ſuperque ea uſu, ac exercitatione comprobata eſſe, & illum qui paria poſſit, videre ut liceat opto. Gloriari ac jactari familiare eſt; & promptum alios præ ſe contemnere: verum ſi rei natura, ac experientię magnitudo penſitentur, illis forſan non minor ero. Unicum hoc ſtudium, Deos teſtor, mihi fuit, damna ęgrorum præcavere, quod dum conor, variis me expono injuriis, verum Phariſæorum ac Hypocritarum iſtorum calumnias nil moror, quibus nil niſi controverſias ſerere propoſitum eſt. Medicis præſenti opere me ſatisfeciſſe perſuaſum habeo. Etſi enim polito, ac arduo dicendi genere uſus non ſum, nil admodum refert, patria, ac vernacula lingua, quæ Helvetica eſt, quàm Rethorico ſtylo uti malui, cùm non linguam ſed artem docere inſtitutum eſſet, tum quod ſufficeret ad experientiam meam, toto orbi proponendam, qua & Medicis & ægrotis innumeris adhuc prodeſſe animus eſt. Rogatos interim Medicos omnes velim, meam in illuſtranda medicina operam, meliorem in partem interpretentur. Ego viciſſim illis omnia fauſta fœliciaque in Practico opere, tum veram veræ Medicinæ cognitionem ex animo precor.

Argumentum

Argumentum in Teophraſti Paracelſi Chirurgiæ Minoris, ſeu Bertheoneæ, Librum De Vulneribus.

Initio per totum librum primum docetur, qua ratione, poteſtate vel auctoritate medicus aut chirurgus vulnerum curam ſuſcipere valeat, & audeat.

In quo ſimul attingitur, qua poteſtate Medico à natura ſit injunctum, ut rectè, juſtè & divine vulnerum cum accidentibus curam ſuſcipiat, eamque vi & poteſtate naturæ fortiter tractet, quo mors & mala futura præveniantur. Ubi ſimul ac uberius explicatur quod natura Medico in manus quaſi ſubminiſtret, quibus modis, rebus ac viis natura depravata ſemel ac læſa reſtitui, reparari ac refocillari queat. Simul quoque tum veterum & recentiorum ſcriptorum ſcripta & doctrinæ examinantur, eorumque ruditas, inſcitiæ, ineptię & errores craſſiſſimi, quibus juniores ſeduxerunt, demonſtrantur: econtra verò ſolido fundamento docetur, quid Medicina, quid non ſit, futiliſtas, quid fundamentum, quid pietas, quid ſeductio, qua Medici hactenus uſi ſunt ſæpiſſime.

Cap. I. *Quid Mumia, hoc eſt, Medicina.*

PRiuſquam attentes mederi, aut medicum profitearis neceſſe omnino eſt, ut primo ſcias, quid id ſit, quod vulnera curat. Quo cognito, tibi fidere potes ipſe ægrumque audacter conſolari. Principio Mumia id, quod omnia vulnera curat, hoc eſt, dulcis Mercurius. Hic enim auſterus & dulcis invicem ſeparantur. Dulcis cognitio à vulneribus: auſteri vero ab ulceribus dependet. Hic enim duo mineralium inſtar in corpore ſe habent. Dulcis itaque is eſt à quo vulnera curantur.

II. Ex eo, quod modò dictum eſt, enucleatius addiſce, quod Mumia ſit liquor, in toto corpore diſperſus per omnia membra ea vi & fortitudine, qua requiritur: diviſus tamen hoc modo, in carne ſecundum naturam carnis, in oſſe ſecundum ejus naturam, in arteriis & ligamentis ſecundum naturam eorundem: in medulla, venis vel cute, prout ipſorum ratio poſtulat. Ex quo ſequitur, Mumiam carnis vulnera carnis, Mumiam ligamentorum vulnera eorundem ſanare. Adeo ut quodlibet membrum ſua propria mumia indigeat. Inde enim promanat contractura ligamentorum & arteriarum, ſi peregrina ſeu aliena mumia curare debeat. Quin & inde cauſatur effervescentia & putreſcentia vulnerum, ſi nimirum alia Mumia in carnem, quam carnis attrahatur. Membrum quodlibet non niſi propria mumia conſervatur & curatur.

III. Hoc dico, naturam corporis, quæ damnum perpeſſa eſt, ſuam ipſius curam ſecum perferre, non aliter ac arbor juvenis vulnerata læſave, quæ ſua ipſius mumia iterum coagulatur, velut alnus & populus. Idem quoque eſt in homine. Quemadmodum enim arbor ſenex coaleſcit, ita quoque ſenum mumia, manca, flaccida & velut arida eſt. Ex quo ſequitur illud; Senum majorem curam, quam juvenum habendam? Plantator ſeu hortulanus, qui arborem plantatam, immiſſa ei fronde, diſſecat ac vulnerat, ille, per eandem herbam vulnus illud conglutinat, & quidem adeo, ut frons & arbor, & extus & intus invicem coaleſcant: Non ſane quod planta, ſeu cortex impoſitus, ejuſdē naturæ ſit, ſed ut ab extrinſecus adveniente aere, eàm præſervet, & Mumiam in ſua humiditate conſervet, ex qua modo dicta ſanatio profluit.

IV. Exemplum hoc vobis proponam, quo propriæ naturæ fidere melius poſſitis. Canē conſiderato, qui lingua lambens vulnera ſua curat, quod lambendo mumia in ſua conſervet humiditate ac in ſuo tēperamento. Quamobrem quoties mumia corrumpi cogitur ob ſiccitatem exterioris aëris, & accidentis, iterum lambit, eoque mumiā tandiu ſuſtentat in ſua temperatura, donec ſanetur. Itidem in ſerpentibus evenit, qui læſi per mumiæ conſervationem rore factam, ad herbas vulnera ſua confricantes, illa curant, aut maſticatis ore nec non attritis earum ſuccis mumiam ſuam ſuſtentant. Pariter & reliqua brutorum genera, quæ vulnerantur, hac via medicamentum recipiunt & curam. Non alias chirurgus vulnera cognoſcere debet, quam, ut ea conſervet in temperata humiditate juxta prædictorum exemplorum demonſtrationem atque tenorem, quodque pro ſuæ mumiæ competentia.

V. Summe vobis cavendum, ne per aliam viam vulnerum curam aggrediamini, prout hactenus contra naturæ conditiones, artem & rationem vos attrahere ſaniem audetis, quæ prorſus mumiæ corruptio, tum vulnerum ſanationis impedimentum exiſtit. Non eſt igitur, quod aliam vobis proponatis imaginationem, quam ab exemplo jam audiſtis, & cane, quem propria natura decet inimicum eſſe vulnerum ſuorum ſaniei puriſque, tum vice verſa hæc ſibi prorſus inimica: hinc fit, ut abſtergat ea lābendo, Similem rationem habere chirurgū decet, ne corpus humanum ejuſmodi naturę contrarietatibus perdat, à quibus accidentia quęvis originem ducunt, ut clamores, vel incendia, frigora, tumores, & ſimilia. Quæ ſtatim atque perceptum fuerit ab initio vulneribus adeſſe, concurrereque, puri cauſa penitus eſt attribuenda: quapropter unà cum ſuis radicibus evellendum & auferendum erit. Ab eo potiſſimum annotato magiſterium, quo natura conſervari poteſt in ſua temperatura melius, ut ipſamet pellat à ſe malum, quod ei nocet. Item conſiderato bovem, cui coſta frangitur, propria natura curari ſolùm. Sic etiam aliud nihil chirurgus, quam, ut arceat accidentia, procurare debet; quæ tantum in temperaturæ defectu ſita ſunt: Nam inter hominem & brutum hoc loco notanda eſt hæc differentia, quod ille ſit accidentibus obnoxius: iſtud vero non, ob Anatomiā. Quod reliquū eſt, natura perficit.

VI. Ubi tamen chirurgus ordinem pervertere naturæ conatus fuerit, ſeipſum ea ſapientiorem exiſtimans, indigereque naturam ſua ſpeculatione, ſtatim in errorem incidit, corrumpit naturam, & ejus conatus impedit ac opus aggreditur quod in mortem uſque naturæ contrarium eſt. Jam incurvationes membrorum, contracturæ, vel indormitiones, aridurę nec non graviora quædam, & futuri caduci, poſt apoſtemata ſunt exſpectanda, non aliunde quam ab incuria chirurgi, vel ignorantia. Verum ſi forraſſis ad inſcitiæ tuæ defenſionem adferas, hominem & canem ſimul non convenire, ut unum in alterius exemplum adduci debeat, cum homo nobilius animal exiſtat. Sic tibi reſpondeto, quod nobilius ſit, Cęſari tribuendum eſt, ſubtiliores in ſe continet humores, ac venas plurimas, quæ cani deficiunt: inde notabis eum tantò meliorem habere Mumiā. Calor ſuę linguæ, vulnera linguæ ſanat, & aurium excremētalis pinguedo, vulnera ſuarū curat auriū, ſic de reliquis. In his omnibus crede ſolum, quodvis à natura productū, in ſe, quo dāna ſua propellere valeat, continere. Sed accidentia quæ præter medicamentorum vires arceri pellive minimè nequeunt, ſub antiquis Mumiis comprehenduntur, evitanda vel expellenda, vulnerum ad refocillationem. Quod ad curam eorum tamen attinet, id omne Mumia per ſeipſam efficit.

VII. Quidquid igitur latius de vulneribus hoc loco habebitur, volo curam eorum per naturæ Mumiam fieri, tum quod ſuperponetur medicamentum, incarnativum nullo modo vocari, ſed bene conſervativum. Quod autem ab externis eſſentiis accidit, ex quibus elementatur, virtutibus medicamentorum elementalium potentiſſime pellendum erit. Animadvertendum igitur antiquorum chirurgorum errorem in eo fuiſſe, quod putarint Ariſtolochiam rotundam, conſolidam majorem, ſerpentinam, &c. procreare carnes, aut, ut creſcerent efficere, cū nullum horum iſtius conditionis exiſtat, nec eſſentię. Idipſum de Maſtice, thure, &c. falſo crediderunt. Intelle-

ctus

ctus eorum hic fuit, ut vulnera ſtomachis ventriculiſve cõparanda forent, jecinoribus, & integri Archei viribus, ac ſi quum herbas, radices, ſemina, panem, caules, &c. quis edit, inde naſcuntur, aut vegetant carnes humanæ: pariter in vulneribus intellexerunt ſtomachum eſſe, qui virtutem haberet medicamenta ſuperpoſita ſecundum Archei conditiones in carnes convertendi, &c.

VIII. Igitur ea, quæ Vulneribus conducunt, incarnativa minime, tanquam illa, quæ carnes creſcere faciunt, appellari, ſed conſervativa nominari debent, quod mumiam conſervent, & attractiva ſunt, quod eandem ad vulnerum locum attrahant, quàm extrinſeca retrorſum egerant elementa, rurſum ad ſe revocant & ad vulnus: cujus exemplum hoc eſto. Quod frigore congelatum eſt, lignum ardore ſolvit: non quod calor ille materiam exhibeat, aut ſit quæ temperat, ſed quod frigus extrahat, & in ſuum temperamentum corpus gelatum rurſum adducat. Hominis membrum gelu rigidum, ſua Mumia privatum eſt. Ut igitur calor Mumiam iterum infert in membrum hoc attractu ſuo, quo quidem cedere gelu cogitur ac ſolvi: non ſecus gelu vulnus comparandum, & medicamentum virtuti ex ligno procedenti per elementum. Pariformiter & in hunc modum ſe diſponere chirurgum decet, in ſui medicamenti virium cognitionem & conjunctionem, quæ ad Mumiam requiruntur.

Cap. 2. *De Vulneribus, & quid ſit Vulnus.*

INitio quid vulnus, & qua via naturæ contrarium exiſtat, etiam qua ratione morbus fore dicatur, probe vobis cognitum ſit oportet. Quum in corpus infertur, aut incutitur vulnus, duæ ſtatim occaſiones infirmitatis adsũt. Nam per ſe vulnus non, at accidens ipsũ eſt morbus. Sciẽdum itaque duas unicuique vulneri contrarietates agnatas eſſe. Corporis videlicet in ſua ſubſtantia ſeparatio, propter quam naturæ curſus impeditur, ideo, quod interna anatomia ſeparata eſt, & corrupta. Altera contrarietas eſt, quæ cum ictu ſimul incidit, ut externorum elementorum, tam repente quidem, ut ab ea cavere poſſibile non ſit. Quapropter accidens illud, quod præter Anatomiæ corruptionem fit, externo chaos attribuendum.

II. Animadverte jam, qua via prior contrarietas naturæ ſit inimica, & quonam pacto fieri poſſit infirmitas aut morbus. Quod vulnus in morbum tranſeat, ex repreſſione ſubſtantiæ, naturæ curſuſque ſui contingit, prout in externis elementis, ubi tale quid eis accidit. Ut in ignis firmamento: ſi fiſſura lata vulneris inſtar in cœlo per tranſverſum fieret, quæ comparatione quadam ita pateret, quî poſſent aſtra cœli ſui circuli curſum perficere? Ab uno labio vulneris ad aliud ſaltatio non admittitur. Non aliàs gradum curſumque ſuum ſiſtere Sol & Luna cogerentur, ſi circulus eorum ſectus foret. Natura ſiquidem integro plurimum gaudet, ruptaque prorſus abhorret. Comparatione prout aſtra cœli ſtare cogerentur, interna pariter aſtra corporis humani ſiſti propter vulnus eſt neceſſum, ut integer naturę curſus perfici nequeat. Et prout per ſtationem aſtrorum in cœlo, ſphęrę corruptio finiſq; fieret, itidem & cordis naturæ caſus foret, exſtinctioque.

III. Cum igitur naturam integram eſſe neceſſario, non diſſectam, non aliqua parte lęſam, nec impeditam in ſuo curſu modo quovis oporteat: inde ſequitur, quoties id nõ fit, curſus naturalis in corpore ſtatio vel repreſſio, quæ morbum infert, vulneri non attribuendum ſed curſui jam retardato. Veluti quum vulnus medio brachio per tranſverſum aut alias illatum eſt: meatus unius partis & venæ curſum ad alteram non habent, neq; tranſitum, quo fit, ut illi membro fiat injuria. Et niſi per Mumiam naturæ curandum inter illa membra, venę, pori, &c. ſimul, ut ante fuerunt, & ex natura coire debent, conjungantur, damnum ſubſequitur, ex quo quidem aridura membri (quæ nihil aliud eſt, quã tranſpoſitio membrorum & curę ſucceſſus pravus) naſcitur, ortumque ſumit. Quodlibet mẽbrum ſiquidem cum alio convenire debet, idque ſolum induſtria naturæ, non ſapientia Chirurgi: quapropter ego non immerito naturam voco medicam: non Chirurgum ipſum dico medicum fore vulnerum. Impoſſibile namque Chirurgo foret ejuſmodi conjunctionem per ſe facere poſſe, cum à natura fieri tantum debeat. Propterea poſſum optimo jure Galenum Præfectum, Avicennam, & alios Principes medicorum inutiles exiſtimare, vocareque medicos, qui nec ſibi, nec aliis talem doctrinam dederint, aut propoſuerint, qua naturam carnis in ſeſe curandi ſe poteſtatem ullam aut induſtriam habere, detegere, vel intelligere potuiſſent unquam.

IV. De contrarietatibus animadverte latius: mox atque datus eſt ictus in vulnus tranſiens, adeſt momento ſimul accidens, ut ovo contingit, cujus cortex aperitur, hoc ab externo ſtatim aëre talem infectionem recipit ut in priorem ſtatum redire nunquam valeat, etſi reſtâ ſubtiliſſimam fiſſuram accepiſſet, quæ quocunque modo poſſet accidere, momentoque poſſibile foret eam conſolidare, nihilominus in perfectam ſuam eſſentiam illud nunquam redit. Latius quicquid ovo huic accidit, ut putrefactio, exſiccatio, vel arefactio, clari vel albuminis, vitellique reſolutio, corticis vaſtatio, &c. hoc omne contingit humano corpori per apertionem vulnere factam. Ita contrarius eſt externus circulus interno, prout eſſentiæ quintæ, quæ quantumvis bona ſit, aut nobilis, ubi minimam fiſſuram Firmamentum conciperet, quicquid eo circulo continetur intrinſecus, id eſt, cœlo ſuam eſſentiam nunquam retineret. Pariformiter omne, quod involutum teſta reperitur, cortice vel pelle, mox atque minimum patuerit includens ab externo ſic inficitur incluſum aëre, ut ibidem integra nunquam eſſentia reperiri valeat amplius.

V. Conſiderate pomum, cui facta ſit inciſio, putreſit hoc non alio, quàm aëre ſolo, qui circulum ejus intravit. Et ſi talis inciſio non accidiſſet, cortex nihilominus poroſa foret ac humida contra pellis naturam; diu conſervari nequit pomum iſtud, quod in id exteriora penetrent elementa. Hac ratione plurimæ corruptiones hominibus accidunt eorum ſanitatis, ubi contrarius circulus humanum, id eſt, pellem penetravit. Eſt igitur Chirurgo maxime neceſſarium, conſideratuque dignum, ab iſtis exemplis, accidentia quævis agnata fore vulneribus, & propterea affectibus eorum eſſe præveniendum, ne poſtmodum erumpant, cauſæque ſimul una cum ſuis accidentibus in locum unum concurrant, optimeque præcavendum. Ut in arbore læſa, Mumia ejuſdem arboris fiſſuram hujuſmodi replet, ac in eam ſe confert, alioqui putreſcit arbor, & areſit eo loco. Verum ſi per ſe repleatur, vulnus hoc ſuum præmunit atque defendit ab externo quovis aëre, ne ſubintret, eoque ſeſe curare poteſt. Simile quidem exemplum habeto: cum arbor ſuo privatur cortice, non defendit eam hic amplius, niſi donec Mumia humectetur: nam, ut non externo conſumetur & exſiccetur aëre, niſi quid ſub cortice reſiſtat, arboris totius mox adeſt corruptio. Non ſecus igitur ac inſenſibilia producta naturaliter homini præ oculis exiſtunt: ſenſibilia pari modo ſibi proponenda putet, ac judicanda, nec non ab inſenſibilium exemplis à natura ſibi prolatis ac præfiguratis, cum ſenſibilibus agendũ oportet corporib⁹. Nec eſt quod curet aut imitetur ineptias, ac mendacia receptorum, ab antiquis & recentib⁹ traditorum Chirurgis, hactenus ad mea tempora perperam fictis gloſſis atque commentis inexperti cujuſvis & inertis auctorum & adductorum, quæ ſuæ potius inſcitiæ teſtimonia ſunt, ac ignorantiæ, quam ſapientiæ.

VI. Quum ergo duo contrarii circuli ſimul concurrũt, externus & internus, inde ſequitur, vulnus fore morbũ, & indigere medicamentis etiã externis, quę ab elemẽtis producũtur: idq; propter momentaneũ illud accidẽs, & agnatum: quod niſi foret, unumquodque vulnus percurãretur

abſq;

abſque hominis adminiculo. Cum tamen infectio talis ab uno in alium circulum intrare valeat, inde colligitur naturæ medicamentum externum in iſtis accidentibus, internę ſubvenire naturæ debere, quod hæc per ſe potens non ſit, infectionem externi circuli propellere: ſed natura, quam exteriora producunt elementa, bene poteſt. Ex his facile colligere poteſtis, intentionem fore meam atque fundamentum, quæ vobis in cura vulnerum propono ſolum, eſſe, quod ratione tantum accidentium adhibentur medicamenta vulneribus, non in auxilium naturę corporis, at in expulſionem eorum, quæ ab externis elementis infecta fuere, ſive per metallum, aut alia mineralia, per aërem, vel hæc omnia ſimul. Quamobrem ad auferendum accidens, latius habetur fundamentum hujus operis in tota chirurgia, non in procreandis arte carnibus: in iſtis Anatomia non alias conſideranda, quam in tollendis membrorum accidentibus. Amplius hoc libro non loquar de accidentibus effectualibus, at ſolum de cauſalibus quæ morbi ſunt ipſamet vulnerum, ut exemplo hoc intelligi poterit. Si vulnus infecto veneno gladio, vel enſe cuiquam inferatur, hoc ipſum inflabitur, ac tumefiet: item Balſamus & naturalis Mumia mox inficitur, impuraque redditur. In eo ſolo conſiſtit ars, ut idem venenum à vulnere tollatur, vulnuſque muniatur interna mumia, prout ſupra de arbore dictum eſt. Et non alias, quàm vulnus à veneno concipit accidens, ab aëris contrarietate ſimiliter poteſt inſici: quapropter vacuum aut apertum ſive detectum relinqui minimè debet, at Mumia ſemper obduci munirique, tum juxta conditionem externarum infectionum, accidens tumoris, caloris, aut alterius contrarietatis arceri ſemper, vel etiam auferri.

Cap. 3. *De Curis Vulnerum.*

PRiusquam aggrediatur curas, probe Chirurgus notum habeat, quodvis elementum Anatomiam integram atque perfectam in ſe continere. Quadruplicia vulnerum inde genera naſcuntur, ut quædam ſubjiciantur igni, alia quidem aquæ, terræ nonnulla, cætera ſubſint aëri. Volo pariter ex ſuo quodlibet elemento curari, ut quæ terræ fuerint attributa, per ea, quæ terra produxit, & ſic de reliquis. Nam uti quadruplicia vulnera, totidem ex adverſo Mumias fore putato. Latius iſtorum elementorum cognitio neceſſaria, quod ad medicinam attinet, ad hunc modum.

Quæcunque in aquam tranſeunt, ex aqua ſumpſerunt originem: item, quod ex terra fuerit, hujus in ſe Mumiam continet: quod vero Thereniabin exhibet, adhæret aëri: pariter quæ ſunt ignis impreſſiones, ignis Mumiam dant. Ad vulnerum cognitionem intelligere nolo vos Melancholiam, Choleram, Phlegma, neque Sanguinem, quod fundamentum hoc mater ſit mendoſorum chirurgorum, & medicorum omnium. Similiter ex elemento terræ quid accipere vos minime volo, in quo elementum ignis operationem ſuam perficit: neque ex elemento aquæ quicquam ſumatis, cui terram ineſſe dicitis (aut videtis:) nam quodvis elementum eſt in ſemeptiſo tantum, & non quatuor ſimul. Vos autem homines ad hunc modum cognoſcitis, ut Aëreos judicetis, à multiloquio, Terreos à multo riſu, Igneos à Veneris voluptatibus, Aqueos à delectationibus ex aqua ſumptis. At quæ qualiſque horum cognitio neceſſaria ſit, à vulneribus, & non à corpore, vel conditionibus vulnerati ſumendam eſſe dico.

Utut hæc ſe habeant, recepta ſumenda ſunt ex temperamento quatuor elementorum, ut receptum unicum in ejuſmodi quadruplicia vulnera poteſtatem habeat. Nam fieri minimè poteſt, ut aliquid abſque ſimili temperamento curari ſanarique valeat. Hoc eſt verum temperamentum, quum virtutes elementorum ſimul in corpus unum rediguntur, ut ex eis unica mixtura, & unica tantum operatio, carens omni contrarietate, ſic ut ibidem unius Mumiæ ſolum natura ſit, ex quatuor tamen procedens. Non prout quis vinum & aquam ſimul confundit, eoque putat, quod cum corpore mixta ſunt, eorum virtutes etiam uniantur, hoc falſum eſt. Aut ſi nenuphar in vino coquerem, ſcolopendriam, mannam, aut lauri baccas, &c. & hac via cuperem corporum atque virtutum eorum ſimul commixtionem, vel potius unionem efficere: falſum etiam foret intentum, quod permixtio quęvis abſque ſubſtantia corporum ſuorum fieri debeat. Quapropter vulnerum curæ nunc & in poſterum aſſumentur, primò, quod ad manum & chirurgiam attinet. Principio medicamentorum præparationes, deinceps vulnerum cognitiones, tandem præparationes vulnerum, & poſtremo vulnerum curæ, poſt unum aliud ponetur: quorum quatuor intellectum ex ſequentibus accipite.

Animadvertite vos medici quotquot eſtis in genere, Doctores, aut quivis alii qualeſcunque fueritis, qui vulnerum artem & curas habere jactabunde paſſimque ſpargitis. Penes vos, eos etiam puto, qui naturam viribus fraudant, atque virtutibus ejus, imo perditùs enervant, ſive textu, vel commentis Academiarum, aut aliis nugis id fiat: præcedentis meæ demonſtrationis finem attigi. Verum latius eſt, quod unus alteri dipteram jam concutiat melius, abſque pileoli rubei, vel magni cujuſvis nominis titulive reſpectu quopiam. Quam Theopraſto menſuram feciſtis antea, nunc eſt, quod eam jam recipiatis. Pugna ſeria centuplicata, non jocoſa dimicatione vobiſcum agere cupio. Si quid honeſti veſtra contineant recepta, vel tota veſtra medicina veri tantillum habeat, prodite contra me nunc in lucem. Serio jam agetur magis, nempe receptis meis, quibus vulnera ſuperantur, & curantur, & veſtris, quibus econtra perduntur, vulnerati funditus.

Sumite primum, & reſarcite ſimul, glauca Galeni conſilia calvaque, nec non aliorum omnium patronorum, quotquot habetis eorum, qui falſa recepta veſtra patrocinati ſunt hactenus; occaſionemque dederunt vobis juxta ſuę doctrinæ tenorem, iſtiuſmodi vos impoſturis alendi. Si quid in Græcorum, Avicennæ, vel aliorum ejus farinæ ſcriptis hominum eſt fundamenti, defendite jam, & ad lucem producite. Si quid etiam utile ſcriptum ſit unquam ex traditionibus veſtris, & induſtria; proferte, videteque vos, qui Schvvollis & Monſpeſſulum ex oppoſito conſtent.

Receptum fide dignum, & conſolatione plenum ad omnia capitis vulnera, corporis, & membrorum omnium, ac ſimilium, exceptis inteſtinorum vulneribus.

℞. *Axungiæ, Butyri ana lib. j. Liquoris Parthenionis, Conſolidæ aureæ, Conſolidæ majoris, ana vertonem j. Serpentariæ, Plantaginis ana vertonem* ß. Omnia commixta ſimul, veteri ſuo loco decoquito ad unguenti vel butyri formam. Huic adde.

Viſci, Lumbricorum ℥. 5. *Medullæ bovis* ℥. 3. *Mumiæ noſtratis* ℥ 4. *ceræ ſatis, ad unguentum.* In unguenti formam reduc. Veſtra volvite revolviteque recepta, videteque num illa ſimul omnia, hoc unicum virtutib. æquare valeant. En pro vobis, flocci vix facio vos.

Aliud.

℞. *Butyri crudi, Mumiæ Medullæ, ana lib.* v. *Ariſtolochiæ rotundæ, Conſolidæ aureæ ana* ℥. v. Simul permiſce, donec liquores & butyrum unum fiant. En iterum, ſi quid valetis, huic audacter unico, veſtris omnibus receptis oculum eruite. Sed ne credatis me vos Helveticis tantum unguentis expeditos velle, quę tamen in conflictibus exercituum, cuncta veſtra pudefecerunt unguenta cum chirurgis veſtris: hoc etiam perlegite.

Aliud,

Aliud.

℞. *Mellis crudi lib. j.* ß. *Succi Parthenionis, Pervincæ, Pirolæ, ſingulorum vertonem j.* ß. inde mixturam facito.

Aliud.

℞. *Mellis crudi lib. vj. Viſci, Conſolidæ majoris lib ij. Croci Martis lib.* ß. & permiſce. Si præſcripta recepta præ manibus acciperetis, quod facile non feceritis ſcio, tum primum intelligeretis ab experientia, quam enormes errores in veſtris receptis hactenus commiſſi ac dimiſſi fuerunt. Etſi fortaſſis illa minus digna vobis viderentur, quam, ut recipere velletis (quæ communis eſt veſtræ farinæ hominum conditio, quo meliora quæque fuerint, ut eo minoris illa faciant) jam altiora vobis proponam, quo ſat ſit, quod contemnatis.

Aliud.

℞. *Terebinthinæ, Olei lini ana lib. iij. Florum æris, Croci Martis, Salis fuſi ana ℥ j. Liquoris Parthenionis ℥ iiij.* Coquantur in ſpiſſitudinem ſatis corpoream. Et quamvis ego receptum hoc non vocem balſamum, ut veſtra conditio eſt, veſtra quotquot habetis balſama colligite, quibus huic uni rurſus oculum eruite, ſi quid poteſtis.

Aliud.

℞. *Terebinthinæ, Mellis cocti, Succi Parthenionis, Serpentariæ ana lib. j.* Coquantur ſimul in ſuam ſpiſſitudinem.

In his meis receptis quærite, ſi corpus unicum ultramarinum inveniatis. Dico plus impoſuiſſe vos hominibus, veſtris illis Ultramarinis, quam probe cum eis egiſſe. Cæterum credite mihi fideliter aſſerenti, Græca & Arabica recepta regiones alias omnes perdite ſeducere.

Aliud receptum, in quo Mumia potentiſſime dominatur, ad omnium vulnerum curam.

℞. *Olei anetini, Lini, ana lib. j. Terebinthinæ lotæ, vertonem j. Carabis triti ℥ j. Colcotharis, Croci Martis, Florum æris ana ℥. ij.* fiat viſcus.

Aliud ſimile.

℞. *Olei ovorum ℥ x. Olei nucum lib. j. Olei lini lib* ß. *Carabis contuſi ℥ ij.* Coquantur in viſcum, & huic adde *viſci Conſolidæ majoris, Lumbricorum ana* ℥ß.

Quid opus eſt, ut multa variaque recepta ponam, cum duo vel tria tantum ad omnia vulnerum genera ſufficiant, ac mihi magis inſciriæ verti poſſet; niſi factum ea de cauſa, ut conſtaret hominibus, quam vilia recepta veſtra, contemptuque digna ſint, & quod minimum inter illa quæ poſui, certo citius omnia, quæ ſcripſiſtis unquam, excellat. Verum chirurgos inter varia capita, ſenſuſque diverſi reperiuntur: uni illitus, huic unguenta, potiones vulnerariæ tertio, quarto frixum, & quinto lixum arridet. Quapropter, ut omnium appetitui per me ſatisfiat, in ſimilibus plura hæc notate recepta, quæ ſequuntur in hunc modum.

Potio quædam vulneraria, quæ ſumentis mane veſperique hauſtum ejus unicum, vulnera quæque perſanat intus & extra.

℞. *De cornibus cervi manipulos ſex, Pirolæ, Conſolidæ aureæ, Ariſtolochiæ, Parthenionis ana M. j. Agrimoniæ, manipulos duos:* pone ſimul omnia in vinum recens & permitte ſic in fimo equino digeri, & renovato, rurſuſque digeri ſic tertio finito per mediam hyemem: ex una ſex menſuras hac ratione conficies.

Alia potio vulneraria priori ſimilis.

℞. *Cerviſiæ recens coctæ menſuras xx. Succi de cornibus cervi menſuram j.* & ſimul digerantur.

Alia.

℞. *Siceræ mellis recens coctæ, menſuras xxx. Serpentinæ, Agrimoniæ ana manipulos iiij. Parthenionis manipulos vj.* &, ut ſupra digerantur.

Alia.

Suprema potio vulneraria eſt, ut ſuccum de cornibus cervi deſtilles, ejuſque liquoris cochlear ſemis in potum adminiſtres, poſtea nihil amplius. Eo potu ſanatur vulnus feliciter. Jam vide tu, quid potioris habeas: hoc adfer.

Emplaſtrum.

℞. *Ceræ mellitæ lib. j. Viſci prædicti vertonem j. Mumiæ ex cruribus ℥ iij. Pulveris Parthenionis, Chelidoniæ ana ℥* j. ß. inde fiat emplaſtrum.

Alia.

℞. *Ceræ mellitæ, Terebinthinæ, Viſci præparati ana lib. j. Olei lini, lib. iij. Lythargyrii præparati, Calaminaris præparati ana lib. j.* Coquantur in emplaſtrum.

Pulveris ad vulnera compoſitio.

Ut his etiam pulveres addam, ob quos nonnulli ſeſe jactabunde plurimum extollunt. ℞. *Croci Martis, Veneris atque Saturni ana ℥ß. Mercurii dulcis drachmam ſemis*, inde fiat pulvis.

Etſi minime neceſſarium, in veſtræ tamen pompæ repreſſionem, operæpretium eſt, varia recepta ponere: cœruleum aut glaucum unum, aliud viride, unum ex lapidibus, aliud ex gummi vel corallis, tertium ex maſtice, &c. Nec ea prætermittere volo, ſed ex tranſmarinis etiam recepta ponere, quamquam iſta centuplicato ſuperentur ab aliis, quæ ſuperius poſui: nihilominus addita non alia de cauſa, quam, ut antiquorum error ſuis in receptis palam ſit, ut infra.

Emplaſtrum cum ultromarinis ad omnia vulnera, nullo prorſus membro corporis excepto.

℞. *Olei olivarum lib. j. Ceræ lib. j.* ß. *Lithargyrii lib. ij.* coquantur in cerotum, cui adde *Thuris, Maſticis, Myrrhæ ana ℥ j.* ß. Commiſceantur, & adjice *minii ℥ iij.* pinſe manibus extrahendo cum ℥. ß. *Camphoræ in oleo anetino, vel ex Verbaſco.*

Aliud.

℞. *Olivarum olei lib. j. Maſticis, Thuris, Myrrhæ, Oppopanacis, Serapini, Storacis, Bdellii ana ℥ j.* Coquantur in formam. poſtmodum accipe *ceræ lib. j. Calaminar. præparati lib* ß. coquantur in cerotum, &c. pinſe cum camphora, prout ſupra.

Aliud.

℞. *Ceræ novæ lib. j. ſalis parthenionis, Mumiæ medullæ, ana* ℥iij. liquefac igne. Jam inſpice recepta ſcribentium veterum, & meæ conditionem ſcriptionis ex oppoſito, ambobus utere modis, & antiquorum ſcribentium ſimplicitatem experieris.

Balſamum.

℞. *Olivarum olei lib.* ß. *Olei de nucibus noſtratibus lib. j.* ß. *Mumiæ de medullis* ℥ 3. *Mumiæ pinguedinis* ℥. 9. *Conſolidæ aureæ, Florum centaureæ ana* ℥15. digerantur ad ſolem. Balſamum hoc altius & excellentius reperies, quam recepta quævis hactenus ſcripta: reliquum hoc ſcite, ſi recepta componere vellem ex tranſmarinis è diverſis regionibus collectis, omnes ſectas veſtras confunderem, libros, pharmacopolas, atque theſauros veſtros, quos ab Adami temporibus hactenus collegiſtis: eo vos redigerem, ut & canes veſtri miſereri cogerentur, quod hactenus tam egregia ſimplicia perperam in recepta compilaſtis: imo, ut muſcæ vobis ſuperſedere dedignarentur, niſi ſuum oletum emitendi cauſa. Verùm niſi tanta neceſſitas urgeret, meque tam ardue ſolliciteque ad hoc moviſſetis, aliquoties velo parvulo dedecus hoc veſtrum tegere voluiſſem, ne tantam in miſeriam prorſum incidiſſetis, ut veſtri tantum miſerandum foret. Ut ad nos redeamus. Dico latius, ſupremum, in quo Mumiam pono maximam & potiſſimam, conſiſtit in ſalibus, ut iſtis acredinem & aſperitatem auferatis, & ſtatim atque dulcedinem receperunt, maxima ſupremaque Mumia facta ſunt. Metalla ſimiliter & Antimonium ſine corroſivis in liquorem adducta, mumias omnes excellunt. Item, ubi Tereniabin à ſpumis atque fecibus ſeparantur, majorem producere mumiam chaos minime poteſt iſtis, quæ dicta ſunt. Et quicquid ex terra in purum viſcum tranſit, hoc ipſum eſt mumia terræ. Item quum Noſtoch in ſpiritum extra ſuum corpus educitur, ignis eſt mumia. Quapropter ad iſta mumiæ quadruplicia genera, ſtolida capita primum acuite veſtra: Beanicas illas veteres conditiones relinquite. Tum demum in Scholam vos conferte, quid tranſmutationes & præparationes exiſtant, addiſcite. Nam in iſtis omnis chirurgiæ ſupremi latet arcani fundamentum.

Declaratio vulnerum ſolum conſiſtit in conjunctione ſuarum partium ad hunc modum, videlicet, ut membra ſimul conjungantur in priſtinum ſtatum, & per hujuſmodi naturæ conjunctionis aptitudinem, venæ ſimul iterum è directo conveniant, nervi, ligamenta, oſſa, carnes ac ſimilia quæque: id ipſum per concavos aſſeres, quod quidem inſtrumentum conjuncta membra ſemel, ſuo dimoveri loco non ſinit. Hoc te docet uſus cum induſtria cognoſcere. Quapropter dicere quidem audeo, ruſticos & quoſvis plebeios negotium iſtud minime decere. Non eſt etiam, quod hoc loco, nomini, vel arti ſuæ quiſquam fidat, ut barbitonſores & balneatores ſolent, quorum pars major hujuſmodi caret induſtria, ſed ineptitudine vulnera dislocant. Nequaquam etiam ſarcienda ſunt, quod vulnerum perditionis initium unum exiſtat futura. Quamobrem aptitudo ſummopere tibi quærenda eſt, ac appetenda vulnerum in conjunctione, ut ignorantia tua vulneratos non perdas.

Præparatio vero vulnerum eſt, dum ſanguis adhuc ab eis profluit, ut ſiſtatur: poſt Mumia ſuperponatur. Nec eſt, quod cures utrum oſſium fragmenta, vel ſimilia manſerint in illis, quæ ferramentis extrahere nullo modo tentes, quod iſta pellendi purgandique munus Mumiæ relinquendum ſit: hæc enim aptius, quam ferra, vel inſtrumenta quævis evellere poſſint, expellit. Verum flavæ tuæ capſulæ hoc ipſum efficiunt, ut ferramentis fodere coactus ſis, & inſtrumentis vulnera depravare: ſuperius rantummodo curare, fundo putrido per te relicto. Quamobrem ego, te merito per aliam viam ducere debeo, quam ea ſit, qua graderis indies: ad hoc movet me tui ruditas ingenii, quæ balneatoribus ac tonſoribus adhæret. Iſti ſeſe tueri non alias norunt, quam eo ſolo videlicet: *Magiſter ego Joannes* (*inquit hic*) *vocor barbitonſor: ille magiſter Vlcericus balneator.* Cura poſtmodum ſequitur in hanc ſententiam, ut medicamentum, quod vulneri ſuperimponis, applicare probe notum habeas. Quod quidem experientia mumiæ conditionum acquiritur, ut in emplaſtris. Nonnulla manent ab exordio primæ ligationis ad finem uſque ſanationis, ut unico ſub emplaſtro curetur vulnus. Talia ſunt ex mumiis fixis emplaſtra, quæ tamen reverberatæ mumiæ ſunt, vigintiquatuor horis duntaxat relinquuntur: & quæ ſunt attractivis commixtæ, duodecim, & hoc omne cum permutatione. Sunt & aliæ Mumiæ quædam ex balſamali Mumia, quæ ſemel adligatæ vulneribus, per tres, vel quatuor ſeptimanas, ſuas retinent vires. Pannis etiam mundiſſimis ligationes quum fiunt, quodque vulnus curari ſanarique poteſt. Aliqui pulveres habentur, qui ſingulis octenis renovari volunt horis, quod ad ſuperpoſitionem attinet. Similiter aliæ Mumiæ ſunt, quarum ſuperius multarum eſt facta mentio, quæ multo citius curant, quam futura fieri queat. Itidem nonnullæ vulnerariæ potiones exiſtunt, quarum hauſtus unus in tertiam aut quartam ſeptimanam operatur, donec ſanetur vulnus, uti Mercurialis fert conditio. Mumiales hujuſcemodi conditiones ex Mercurio poſſunt intelligi, qui poſtquam ſemel cœpit mundificare, per menſem integrum, abſque motu ſupplet. Ab experientia proprietates iſtas depromere debes, quòd ſcriptis perfecte nequeant exponi. Fundamentum namque medicinæ hoc eſt, ut operatio quævis peculiariter uſu, tum experientia diſci debeat. Ex Anatomia pariter quilibet Chirurgus aptus induſtriuſque fieri, ſic ut nullum in toto corpore membrum exiſtat, quod non in mente fixum habeat, quo quum læſum aut ſectum fuerit, connectere ſecundum eandem Anatomiam, per inſtrumentum concavum rite valeat. Alias quicunque chirurgus didicerit, aut rem ipſam intellexerit, medicus nulla ratione dici mereretur, ſed potius carnifex.

Cap. 4. *Cognitio Foditionum aut Confoſſorum Vulnerum, Jaculorum, Ictuum, Caſuum, Contuſionum, &c.*

Latius atq; de vulnerum aliis generibus loquendum eſt, uti de fodicatis, jaculis, aut caſibus factis, idque genus reliquis: quæ quidem ab aliis non alias differunt eſſentia, præter quod confoſſa, vel jaculis icta ſtrictiore ſint orificio, profundiuſque venas & carnes aliis & ſectis vulneribus intrent, quo fit, ut non ita commode curari valeant. Nam accidentis cujuſvis conditio talis eſt, ut circum ſe plurimis cavernis delectetur, & amplis. Quo fit, ut patentia magis compreſſis minore ſollicitudine ſatis indigeant, & illis, quibus orificium ſtrictius extiterit. Et quanto ſupernis magis vulnus aliquod ſtringitur, tanto periculoſius in fundo fuerit judicandum. Quod cum fodicatis & jaculis inflictis evenire ſolet vulneribus, quum inflantur exterius, introque verſum protendit accidens, ad eoſdem lacertos atque venas. Quo fit, ut ad mortem apertis & patentibus proniora exterius ſint. Animadvertendum etiam in ſimilibus, ea

quæ

quæ relicta ſunt a fodicationibus, aut jaculorum ictibus ramenta extrahenda, mox fore, priuſquam tumores & accidentia veniant. Quod niſi fiat, ea proclivia magis ad mortem, quam ad vitam cognoſcenda ſint. Quare ſtatim atque ſignis admodum apparentibus, tale quid ob oculos exſtiterit, aut in dubio relinquenda ſunt inſtrumenta ferrea, Mumiæque munus & officium extrahendi committendum. Quod iſtorum cura quandam aliam aptitudinem habeat, idque ratione duplici: priore quidem, ut juxta jaculum aliud vulnus incidatur. Mumia ſolum in attractionem permixta, manibus vero non extrahatur: quicquid enim hac via per medicinam extrahitur, vitæ nullatenus reluctari poteſt. Simile quid in contuſionibus & caſibus contingere ſolet, ut ibidem etiam alia ſtudio vulnera fiant, vel arte, quo melius accidens in exitum prorumpere valeat, & introrſum ad vitam adimendam non protendatur latius: aut extrinſecus Mumia ſedetur, & expellatur. Nam qualiſcumque fuerit caſus aut contuſio quævis, & quantumvis aſpera durave, glauca vel nigra, per Mumiam à membro deletur ſine inciſione, vel ſaniei quapiam ejectione. Quandoquidem inflationes iſtæ corruptiones minime ſunt, aut corruptæ naturæ, ſed in bonis partibus tumores tantum. Quapropter ita præter amplius accidens abeunt. Si caſum tamen, confoſſum ictum aut ſimile quid, ad internas regiones contingeret penetrare, ut venæ, vel quidpiam aliud ruptum foret, quo regionibus iſtis extranei quid accidiſſet: ibidem adhibenda ſumma cum diligentia tibi cura, ſimili pellendi modo, quo docebitur infra. Ubi vero ob ferrum alias reluctaretur aut hamos, exireque nollet, idipſum non retrograditur, at ultra protrudendum erit ad partes oppoſitas: aut alias putrefactione dilatandum orificium introitus, idque niſi vitæ præjudicium adferat: poſtmodum attractiva Mumia ſuperpoſita, qua tumor ſedatur, & aufertur accidens, attentari poterit, ſi cuſpis alata ferreaque retrocedere poſſit, eo quo ſubintravit. Admonitum etiam te velim, ne quicquam ferramentis coneris agere, membrumque labefactes, niſi fortaſſis extrahendum prope cutim accideret, aut eſſet in aliquo plano, in quo nullum foret periculum arripere: quamvis abſque Mumia raro fieri valeat. Similiter ejuſdem attractivæ Mumiæ natura conditioneque nonnunquam incuſſi corporibus tormentorum, vel bombardarum globuli remanentes, retrorſum attrahuntur, ni forte in alienam regionem deciderent. In quibus animadvertendum eſt, Mumiam in extraneis regionibus non habere poteſtatem aliquam. Quapropter ubi globulus in corpus trajectus ad inteſtina, vel diaphragma ſubtus vel intus advenerit, ab eis locis extrahi nullo modo poteſt. Itidem ſi fiſtulas intrarit, ac deorſum reſederit, in aliam regionem tranſivit. Et quamvis Mumia tam potens foret, ut globulos ad ſe trahere valeret, id fiſtulæ concavitas minime patitur. In iſtis igitur maxima cura diligentiaque videndum, quid & quinam agatur.

Cap. 5. *De prædictorum curis, & eis, quæ requiruntur in ſimilibus.*

ISTorum cura vulnerum proceſſui communium haud abſimilis exiſtit, excepto ſolo, quod Mumia cibari debet attractivis, & ejuſmodi quidem, quæ non attrahunt humores ad ſe, neque liquores, aut ſimilia: ſed quæ metalla ſolum, aut lignum, os &c. trahunt. Nam ſi communia hunc in uſum attractiva ſumantur, fluxiones accurrunt. Quamvis accidere plerumque ſolet, ut globulus aut ferrum in lacertis poſt curam perfectam remaneat, id cauſſante bona Mumia, quæ in accidens nullum decidit, aut irritata vehementer non fuit. Inde poſt multos annos & ſucceſſu temporis per pus & saniem erumpit, exciditque: hoc naturæ tantum eſt relinquendum, & nullatenus aſſumendum. Quod enim à natura curatur, quis emendabit, aut auferet ab ea poteſtatem?

Attractiva quædam habentur, quæ lignorum aut pannorum fragmenta trahunt ad ſe, prout *Aſphaltum & Carabe:* Nonnulla ferrum, ut *Magnes*: alia cuprum, ut *ſtannum, & amethiſti coloratioris*: pleraque plumbum & lapides, ut *Alabaſtrum*: aliqua fruſtula carnium oſſiumque, ut *gummi, therebinthina, & aſphaltum*: quædam alia ſunt omnium attractiva, ut *ſerpentina*. Horum omnium vires attractivæ cum exſiſtant, à chirurgo ſeparari non debent. Nam in operationibus naturæ, poſtquam vulneri ſuperpoſita ſunt, omnia ſimul attrahunt, ut quod extra per ſe, ſtramina lignave trahit, in vulneribus ferrum, plumbum, lapides attrahat, oſſaque: contra quod ferrum duntaxat in vulneribus, omnia quæ ſoluta ſunt in eis, ab ipſis extrahit. Non igitur externas, at potius internas vires atque virtutes chirurgus aſpicere, conſiderareque debet.

Quanquam hæc omnia tibi proponantur, in induſtria, nihilominus multa ſita ſunt ad cognitionem, ut cum globubus in caput ſagittatus fuit, ac ſub cranium decideret, in regiones oculorum, aut quoquo ſit, Mumiam eo loco ſcias applicare. Vel ſi quovis alio corporis loco jaculatio, vel fodicatio fieret, prout indies mirabiliter occurrunt, aptitudine ſola hoc ipſum dijudicare debes ex ſupra poſito fundamento. Verum quod naturali curſui reluctari volet, non attentes.

Receptorum compoſitiones emplaſtris fieri debent, ut cum in fodicatis aut jaculis factis vulneribus aliquid liberi vel ſoluti foret extrahendum: ad emplaſtrorum ſupra ſcriptorum libram unam, attractivorum, quæ jam dicta ſunt, pars octava ſumatur, mixtorum ſimul, aut unius tantum. Item viſcus de botin, abietis, vel de pino attractivorum iſtorum loco ſumi poſſe notandum: qui viſcus ex locuſtis & fructibus extrahitur ad ſpiſſitudinem & formam terebinthinæ.

Cap. 6. *De fundamento quodam ſynoniæ, ſanguiniſque profluentium.*

VT ſupra de Synonia dictum eſt, quod intelligitur, quum ab orificiis vulnerum, jaculationum, aut fodicationum effluit: ille dolor, quem efficit hic fluxus, è frigore naſcitur exterioris aëris, qui Synoniæ ſubſtantiam penetrat: iſta contrarietas alterius elementi (ut ſupra) hoc loco plurimum etiam adverſatur, pariter ubi per medicamentum alteratur. Quapropter adhibenda cura, ne medicamenta Synoniæ ſint amica, vel ad eam inclinata. Nam ſtatim atque vulnus aliquod ſub medicamento pravius redditur, & Synonia ſequitur, infectioni venenoque medicamenti fuerit adſcribendum, quod contra naturæ verum ordinem applicatum ſit. Quare merito hujuſmodi præcepta rejicio; quæ ſimilibus nempe contrariantibus permixta ſunt, & falſo per vulneratorum inobedientiam à chirurgis hactenus excuſata, vel per ſigna contraria, ſimiliaque defenſa.

Ejuſmodi contrarietas in Synonia, quæ ex aëre vel ex medicamento provenire poteſt, via duplici demonſtratur, & apparet: priore quidem, cum Synonia reſolvitur per aërem, & à ſua ſubſtantia tranſmutatur: aut ubi nimium aëre vel ipſo medicamento ſiccatur, ut ea etiam via mutetur à ſubſtantia, non ſecus ac oleum tartari, quod in humiditate ſeipſum plus

plus ſatis reſolvit, ac oleitatem amittit, pariter ex vaſe, cui fuerit impoſitum: aut utriuſque cauſa fieri poteſt, ut exſiccetur atque dureſcat. Sciendum utique hoc loco, exteriores curſus partim extrinſecus humectare, quandoque vero ſiccare, juxta naturæ conditionem tum temporis ibidem exſiſtentem, & partis alterius, Quocunque modo fiat, eſt ſubſtantiæ corruptio, quam eò loci natura pati minime poteſt, ac ſenſualitate ſua tam acuta, quam guſtu linguæ percipitur.

Sanguinis tamen occaſio talis eſt, ut quum in ebullitione fuerit, eum ſiſtere nemo poteſt, ſi per apertionem factam effluat. Totius enim corporis partium omnium conditio talis eſt, ut paroxyſmum ebullitionis habeat. Quo fit, ut cum ſub hujuſmodi paroxyſmo naturæ contrarii quid acciderit, eo loco in quo fuerit paroxyſmus, maximus oriatur morbus. Quapropter, ubi vulnus jaculationis aut fodicationis in venas aut membrum ebullitionis ejuſmodi ſubjectum illatum erit, ſanguis ibidem ſiſti nequit, uſque dum ebullitionis terminus fuerit adimpletus, etſi longe a fine, vel prope tentatum ſit, periculoſum vulnus, aut non exſtiterit, &c. Si tamen ejuſmodi paroxyſmus nullus adſit, opus non eſt ſiſtere ſanguinem, aut retinere, quod per ſeipſum, ubi tempus adfuerit, ceſſet fluere. Verum ſi nimium abundaret, aut diutius æquo flueret; vel occurreret aliud, cujus cauſa plus ſatis effunderetur, tum demum ſanguinis retentiones locum, & ſuas vires habent. Ad hæc non ignorandum ſæpius fieri phlebotomiam, quæ in mortem effluit, quandoque retrorſum in corpus effunditur, nonnunquam contractum cum tumore membrum efficit, atque dolore maximo.. Hoc ipſum accidit ex imperitia phlebotomiæ, quod ſanguinis ebullitionis tempore facta ſit. Quamobrem expeditius eſt, in ſuo curſu conſiderare ſanguinem, quam cælum in ſuis temporibus.

In exemplum adferemus ollam aqua bulliente plenam & coopertam, ſi cooperculum ejus foramen aliquod habuerit; eo quidem effervet, ac tantiſper effluit, quouſque nihil adſit amplius aquæ liquorisve. Non alias in corpore quum ebullitio fuerit, ad vulneris orificium effervet, uſque dum ſanguinis, quid in ebullitionis loco ſit, æque late, ac extenditur. Quod ſi vi reprimatur, aër in modum incendit, inficitque, ut retrorſum actus in corpus, iterum quærat exitum: ut olla prius dicta, ſi cooperculi foramen obſtruatur, in partes & fragmenta rumpitur ac diſſilit. Animadvertendum igitur ne furens iſte ſanguis, quoquo modo ſiſtendus aſſumatur. At ſolum ad hoc apto medicamento & exterius applicato ſedari poteſt illa bullitio, non ſecus ac olla bullientem aquam habens, aquæ frigidæ quum imponitur, ab ebullitione prohibetur. Ex ſanguinis ineptis repreſſionibus error ſequitur, ut ſimilia medicamenta *ſanguinis retentiva* dicta ſint hactenus quæ vulneratos perdiderunt funditus. Ea propter ſiſtendi, vel extinguendi rationem habere chirurgum decet.

Cap. 7. *De cura Synoniæ, ac effluxionis ſanguinis è vulneribus.*

AD Synoniæ curam balſami prius dicti medicamentum, aut aliud aſſumendum eſt, uſque ad libram, unciæ duodecim teſtaculi, & toſti commiſcendæ: quod vulneribus applicatum, Synoniam ex promtu ſiſtit. Notandum etiam quodvis antea poſitorum vulneralium medicamentorum ad Synoniam validum ac potens fore: ſimiliter accidens iſtud ex imperitia chirurgorum procedere. Quare quum vero medicamento quis uſus fuerit, Synonia reprimetur, quæ non alio quam ab inexperto chirurgo ducit originem: non immerito ſuam igitur inſcitiam carpo.

Quod ad ſanguinis repreſſionem attinet, dum ebullit, adminiſtrandus eſt potu laudani puri præparati ſcrupulus unus: eo quidem exſtinguitur ebullitio, & ſanguis una reprimitur. Aut præparati ſeminis de lolio albo uncia ſemis cum lacte canabis detur potanda. Similiter pannis corticum Juſquiami decoctione madidis membro ſuperpoſitis extinguitur ebullitio hæc. Nullo modo repreſſionibus in hujuſmodi ſanguinis fluxionibus utendum. Quod vero fluxionis alterius eſt, carneoli viribus, hæmatitis, uſneæ, & plurium aliorum committo, quæ communia ſunt, quapropter hic minime ponenda.

Cap. 8. De *crurum oſſiumve rupturarum origine.*

UT fracturarum oſſium fundamentum probe cognitum ſit, animadvertendum eſt naturæ nihil accidere poſſe, quod ſibi contrarium ſit extra damnum oſſium. Nam os tantum frangitur abſque nervorum, carnis, & reliquorum præjudicio: quæ conditio naturaque rupturæ cujuſvis oſſium exiſtit, ut illi nullum a primo caſu latius accidens interveniat aliud, quam in ſeſe ruptura fuerit: cujus cura maximopere notanda venit, quod in ejus defectu, quævis accidentia ſita ſunt, ut calores, frigora, tumores, cruditates, puſtulæ, nigri glaucive colores, inſenſibilitas, putrefactiones, fiſtulæ, concavitates, incendia, &c. Quæ quidem ex primo caſu non procedunt, ſed ex accidentibus, incuria vel imperitia chirurgi cauſſatis in hujuſmodi membro.

Fracturarum oſſium conditioni ſimile ponemus exemplum hoc. Non alias intelligendæ, quam ubi quis accinctus gladio ſuper hunc decidens, illæſa vagina frangatur enſis: hoc loco de oſſe pariter intelligendum, ad pellem & carnes comparando, prout vaginæ gladius, cui ſolum adhibendum eſt remedium: ſic & oſſi rupto, non pelli vel carni quidem integris. Nec eſt, quod in his admiretur quiſpiam quod accidentia caſuſque mirabiliter accidant, ut à tonitru nonnunquam arbor dejicitur integro cortice manente. Item ſæpius frangitur os, medullis penitus illæſis. Pariformiter equus pedem caſu perfringit, abſque alio quovis accidente nervorum, alteriuſve damno. Chirurgo notandum eſt igitur, in qualibet oſſium fractura, dolorem omnem caſu provenientem, in ruptura quærendum. Fiſtularum ſiquidem & fragmentorum earum conditio talis exiſtit, ut hujuſmodi quoſvis dolores ad ſe trahant. Quapropter in rupturis oſſium accidentia minime curanda calorum, frigorum, nec alia: medicamenta non conſideranda ſicca nec humida: nam inter curas omnes rupturæ ſimiles facillimæ ſunt, minus curandæ. Quod natura per ſeipſam ordinem ſervet hujus, cumque ejus in medio damnum ſitum ſit, cui nihil accidit mali: quo fit, ut liquores illi membrum ſuſtentantes, oſſis ipſimet exiſtant medici: hoc ad hunc modum intelliges. Oſſi fracto nihil accidere periculi poteſt, ac curari ſanarique neceſſario debet a Mumia corporis, in carne, ligamentis, medullis, &c. exiſtente, cujus in medio ſitum os, & circumſeptum eſt, a quibus omnibus etiam perſanatur: quandoquidem apertum nil, per quod externis accidentibus pateret acceſſus. Quapropter apte riteque ligare, naturæque ſua requies data, certiſſimum in iſtis medicamentum ſunt, & indubia cura.

Si tamen ad ruptutas accedant vulnera, per quæ fragmenta quæpiam apparerent oſſium à fiſtulis ſoluta vel disjuncta, per vulneralia medicamenta ſuperius dicta, fac ut extrahas, & nullo modo per ferramenta, vel alia quævis inſtrumenta fodiendo coneris extrahere: nam vera Mumia, poteſt quicquid eſt naturæ contrarium elicere, tum quæ ſemifiſſuræ ſunt, natura per ſe curat. Hac te cura non obruas, nec oneres,

quod

quod multi perdantur ad hunc modum chirurgorum imperita ſapientia, retardenturque naturales vires, eo quod variis uti ſub illitatibus artibuſque velint, & naturam ſuis inſanis capitibus, quam per ſeipſam exſiſtat, reddere meliorem: quo nedum ſanitatem, ſed membrum etiam & vitam auferunt. Notandum inſuper plurimos jactabundos & glorioſos, brevi tempore fracturas, herbis aut radicibus curare poſſe, capitibus ſuis perſuadere ſubtilibus, quod omne ridiculum, ut ludus puerorum eſt. Membrum ſiquidem, ubi recte probeque rurſus conjunctum, ſuis aptis ad hoc inſtrumentis fuerit, ac in temperatura ſua conſervatum; per Mumiam propriam citius multo curatur, quam herbis omnibus fieri queat.

Cap. 9. *De cura fracturarum oſſium.*

PRincipio fracturas oſſium ut cures, animadverte, concavis ut inſtrumentis membra concludens erigas, ut ſupra de vulneribus diximus, utque ab anteriore poſterioreque partibus & quaqua verſum libere poſſis accedere tangereque. Poſtmodum vulneralibus ligato medicamentis: & ſi promptus in eorum uſu fueris; hoc ſcito, quemlibet nempe viſcum nigræ conſolidæ, ſerpentinæ, & Ariſtolochiæ rotundæ rupturas optime curare, mane veſperique ſuperligatum, non uſque adeo ſtricte; ſingulis vicibus iterum apertis ligaculis; recentem & calidum appoſitum. Nam alia ſane medicamenta, quæ per ſparadrap, rotularia ligacula, vel aliis pannis fiunt, mere futilia ſunt, & membri magis ad perditionem, quam ſublevationem facientia. Quod vero ſi curetur ſub iſtis ligationibus, laudet agat propriam naturam, & ſanam, quæ veneno ſui medici reſiſtere valuit. Sic etiam ligationibus tertio quovis die tantum factis, item ſuffultionibus, compreſſionibus nimiis, ac ſimilibus vanis operationibus accidentium excitantur centenaria. Verum etſi vulnera forent, è quibus oſſa prominerent, erige prout ſupra dictum eſt, ac ad modum vulnerum cura.

Cap. 10. *De diſlocatione juncturarum.*

DOlor, qui diſlocatis juncturis ineſt, non aliunde provenit, quam ex liquore, qui extra ſuam Anatomiam exceſſit, & ex acetoſitate hac membri dolores oriuntur. Nam liquores juncturarum ubi corrumpuntur, in incendium tranſeunt. Pariter Anatomia corporis pati minime poteſt, abſque dolore, membrorum diſlocationes, aut læſiones fieri: quod in ſua ſanitate rectam diſpoſitionem capiat: ejuſque natura talis eſt, ut prout concatenata, nervis, arteriis, venis, &c. juxta hunc ordinem fore maneretque velit, ac debet. à quo ſi perturbetur, dolorem concipit illi ſimilem, qui fit ex vulnere, fodicatione, vel ruptura, &c. Quare juncturarum dolores optime conſiderandi ſunt, quod nonnulli proveniant ex acetoſitate, ſicuti prius dictum eſt: aliqui ex diſlocationibus Anatomiæ: quidam ex veteri creſcentia: reliqui ex Synoniæ corruptione. Ex quibus omnibus tumores membrorum oriri poſſunt, ariduræ poſtmodum & contracturæ, &c. tum etiam internum accidens ex Anatomiæ corruptione. Conſiderandum etiam in iſtis, juncturas peculiariter viribus eſſe dotatas magis, quam fiſtulæ, carnes, aut venæ ſint, maximaſque vires hominis, in veteri creſcentia, nervis, & arteriis exiſtere. Quare dolor maximus oritur, in hujuſmodi juncturis, præſertim ubi Synonia nervique ſimul concurrunt, in quibus vires omnes conſiſtunt. Spaſmi ſimiliumque morborum occaſio eſt, fluxus mineralis ex arſenico, natura cujus & conditio excitare tumores & calores: in illis etiam ſuas vires exercet.

Particularia quædam ad curas iſtas neceſſaria primo ſcire vos decet, ut in diſlocatis hujuſmodi juncturis, iſtas non fore prius medicandas, quam ſuis reſtituræ locis fuerint, eoque redierint, unde exiverant: quod quidem ſcriptu poſſibile non eſt, hoc ſolum ſcribi poteſt, quod ſequitur.

Quicunque juncturas optime ſuo reſtituere loco ſcire cupit, à carnificibus id ipſum addiſcat, etſi tormentaria membrorum diſtractio per carnifices & juncturarum diſlocatio differant, eo, quod illud tardius fiat, iſtud vero momentanee.

Sæpius evenire ſolet, ut per tormentarias iſtas juncturarum diſlocationes, podagrici fluxus adimantur, & aliquando brachiorum contracturæ. Scito quoque juncturarum ſuo loco reſtitutiones manu ſolum & oculis addiſci poſſe, quod in uſu maximo, & in promptitudine conſiſtant.

Contingit etiam ſæpe, diſlocationes ab imperitis chirurgis depravatas, per ſe ipſas ita ſanari, ut concreſcant, & à patientibus non exiſtimentur amplius. Item, ut liquores illi ceſſent, ac ita poſtmodum in ſuum locum redeant.

Item ſæpius evenire ſolet, ut juncturis non diſlocatis, vetus creſcentia, nervique ſimiles dolores concipiant, ut è ſuo loco fore putentur: & ut Synonia quandoque diſcedat, & membrum contractum fiat, non alias, ac ſi diſlocatum eſſet. Eſt igitur, quod chirurgus hæc ſigna probe cognoſcat, ne quando juncturas præſumat reſtituere, quæ minime diſlocatæ ſunt, & hac via diſlocet eas, quod ſæpe contingit, ut poſteriora pejora fiant prioribus.

Cap. 11. *De cura diſlocationum.*

SUo primum loco membrum diſlocatum reſtituito, poſt camomillæ ſucco, vel agrimoniæ ligato. Si tamen infrigidata junctura ſit; oleo ex floribus herbæ flammæ cœli dictæ; mixtæ cum petroleo, cumque maturuerit, in locum reſtitue. Animadvertas etiam, ne facile tereatis reponendum inter, aut extrahendum: nam ſæpe contingere ſolet, ut dolores hujuſcemodi non tranſeant abſque punctionibus, quod junctura contra ſit. Quæ vero ſubductæ ſunt, curantur taxo laterino. Et ſi diſlocatæ non fuerint, viſco de conſolida ſedabis dolorem atque morbum.

Cap. 12. *De his quæ Vulneribus contingere poſſunt, accidentibus.*

ACcidentium origo, contrarietatis & irritationis vulnerum, qua mumiam ſuperant ac vincunt, & accedens malitia, naturæ bonitatem expellit, ab externa eſſentia eſt: quod ad hunc modum intelliges. Duo contraria non poſſunt in uno conſiſtere, quare ſemper unum ab altero diviſum eſſe debet. In exemplum: Quicquid extra ſphæram eſt ignis elementi, reluctatur intrinſeco: tum quod in ea concluſum eſt intus, munduſque peculiaris exiſtit, contra nititur externo reſiſtere: quod quidem homo facit, cum ſphæra minor exiſtat. Et non ſecus ac elementa ſimul in uno cortice ſunt concluſa, pariter & homo. Si cortex elementalis, aut eorum teſta frangeretur, contrarium intraret ad eorum corruptionem. Similiter ubi hominis teſta, pellis ejus nempe, vulnere frangitur, externum accidens exterioris ſphæræ, jam in illum introducit accidens, quod non vulneris loco habendum eſt, ſed, ut infirmitas & morbus.

Quinam hujuſmodi contrarietas accidat corpori, ſic intelliges. Externa mineralia cum internis minime conveniunt, quo fit, ut Mercurius externus internum arripiat, & realgar internum externo reſiſtat, & anachtron ambo ſibi mutuo contraria ſint.

Hoc omne producit impreſſio recedens ab elementis, quæ ſuam operationem perficere nullo modo potuiſſet, niſi corpus fuiſſet apertum: jam unum cum altero pugnat, &c. Statim atque ligamina mineralibus iſtis infecta ſunt, ſequitur inde ſpaſmus, tetanus, incurvatio, & ſynthena. Quum tamen ipſa caro fuerit ab externis infecta, ſequetur tumor & inflatio, ſimiliter oppilatio, calor, & ſtupefactio. Sic de cæteris partibus corporis, quæque juxta ſuam eſſentiam, peculiare ſuum accidens ex infectis venis recipit: unde membro punctiones intrinſecus, & poſtmodum apoſtema ſequuntur, & alia quàm plurima.

Notandum igitur, accidens omne ſolum ex contrarietatibus duarum creaturarum procedere, quum Anatomię duæ ſimul concurrunt, & unam altera concludit. His omnibus chirurgus prævenire debet, eo ſcilicet, ut naturâ in Mumia ſua conſervet per temperaturam: ſic fiet, ut nihil horum incurrat. Si tamen id ab ipſo, vel alio prius neglectum fuerit, accidens quodvis in ſui membri temperaturam adduci debet. Ut ſi veniant ſynthenæ, ligamenta ſolum & arteriæ curanda ſumantur: ſi ex inflatione periculi quid inſtet, ut partes carneæ tantum, ſic de reliquis membris. Ex iſtorum namque neglectu, quinquaginta vel ſexaginta plus minus accidentia poſſunt erumpere, ſemper unum ex alio ſuccedere. Ut inflatio, viginti poteſt accidentia producere, totidem & ſpaſmus. Quapropter in vanum ambas hoc libello non eſt, quod putetur Anatomias ob oculos poſuiſſe me, quæ per unius teſtæ fractionem ſeſe mutuo contingunt.

Ad hæc modo ſequitur, qua via ſimilia refelli queant accidentia, non ſolum ea, quæ ſunt præ manibus, verum etiam illa, quæ ex eis oriri poſſent, ut ventris oppilatio, nec non urinæ, Chronicus morbus, ut Hemoptoica, morbus caducus, paralyſis, cæcitas viſus, ac aliæ ſimiles infirmitates, quæ gignuntur ex prædictis accidentibus. Omnes concludi ſub eo medicamento neceſſum eſt, ut Anatomiæ ſeparentur, & interna ſuperet ac vincat externam, ordine qui ſequitur, & regulis una poſt aliam infra poſitis.

Accidentia per imperitiam chirurgorum occurrentia plus minus ſex & viginti reperiuntur. Ut ſunt, *vulnerum paroxyſmus, ardor, ſtupefactio, tumor vel ſaccus, vermes, putredo, foraminatio, fœtor, ignis perſicus, vel pruina, cancer, conſumptio membri, vel aridura, tremor, contractura, contractio, contorſio, ſpaſmus, tetanus, fiſtula, gluten album, vel Synonia, ſanguinis eruptio, caro putrida, tubercula, verrucæ, fungus, fiſtula puſtuloſa, oppilatio, Hæmoptoica*, &c. quæ omnia proveniunt ex incuria chirurgorum, vel imperitia: hoc loco ſolum adſcripta, ut cum vel priuſquam acciderint, eis præveniatur, aut præſentia jam amoveri queant, non quod natura per ſeipſam hujuſmodi morborum ſit cauſa.

Definitiones accidentium.

1. Vulnerum Paroxyſmus eſt, cum primo caleſcunt admodum, inde poſt in frigus incidunt, febrium inſtar, & hoc alternis diebus vel horis.

2. Ardor eorum eſt, ubi calor oritur in vulnere, qui per totum corpus extenditur: poſtmodum ceſſat, ac determinato ſuo tempore deinceps redit, eſtque præter omne frigus.

3. Stupefactio dicitur, quando vulnus dormire videtur, ac ſi formicæ diſcurrerent in eo.

4. Tumor vel ſaccus eſt, quando vulnus cum calore tumefit, & ubi digito hujuſmodi tumor comprimitur, foſſam admittit remanentem, ut hernia aquoſa. Tumores alii vero non ſunt accidentia.

5. Vermes dicuntur, cum in vulnere naſcuntur vermes incuria chirurgi, vel imperitia qui tale medicamentum adhibet, ut ſimul unà cum vulnere putreſcat, indeque vermes generentur.

6. Putreſcentia dicitur, ubi vulnus putrefit, & curam non admittit amplius.

7. Foraminatio quidem eſt, cum vulnus æquo ſerius curatur, aut retardatur à ſanatione, fluxus introducitur, inde foramen unum fit.

8. Fœtor eſt, quum vulnus ſive ſanetur, aut non, fœtorem concipit, indicium eſt pravi medicamenti, calidæque naturæ.

9. Ignis Perſicus, vel pruina dicitur, ubi vulnus ſub finem calore tumeſceret, glaucum & fuſcum, poſtea nigrum, colores conciperet: poſtremo hoc membrum incenderetur.

10. Cancer eſt, quando vulnera calorem concipiunt, & cum eo ſimul fluxum, qui juxta vulnus foramina produceret, ac circum illud exederet.

11. Conſumptio membri, vel aridura dicitur, quum vulnera perperam curata ſunt, ut liquores per ſuos meatus tranſire nequeant, eos tunc abſumit natura, quo fit, ut areſcant membra.

12. Tremor eſt, ubi membrum unà cum vulnere tremit, etiam poſt ſanationem quieſcere nunquam poteſt.

13. Contractura dicitur, quoties membrum impotens factum eſt, ac debilius, quam, ut aliquid elevare, vel tenere valeat.

14. Contractio dicitur, quoties membrum erectum aut curvum remanet, ut incurvari, vel erigi non poſſit amplius, juxta ſui veram conditionem.

15. Contorſio dicitur, quando membra ſimul in ipſis nervis cum tremore contorquentur, & incurvantur: item os & oculi deformiter invertuntur, atque torquentur.

16, 17. Spaſmus & Tetanus duæ convulſiones vulnerum exiſtunt, & quandoque membrorum ſimul.

18. Fiſtula dicitur, ubi vulnus concluditur ſuperius, excepto foramine parvo, ſed inferius omnino pravum exiſtit.

19. Gluten album, aut Synonia dicitur, quando clarum nervorum effluit, viſcoſum, ut concuſſum albumen ovi.

20. Sanguinis emiſſio dicitur, quum vulnera ſub medicamento vice qualibet emittunt ſanguinem, & nonnihil ſudoris.

21. Caro ſuperflua dicitur, ea quæ creſcit in vulneribus præter neceſſitatem putrida.

22. Tubercula vel verrucæ dicuntur, quoties in vulneribus illa copioſe naſcuntur, iſtis etiam unà cum illis ſanationem admittentibus.

23. Fungus dicitur, quum poſt vulneris ſanationem enaſcuntur verrucæ quædam, & ex eis deinceps tumor in quantitatem duarum, trium aut quatuor librarum excreſcens, ac adhærens non ſecus ac arbori fungus: fætet, ac foraminibus ſcatet.

24. Fiſtula puſtuloſa dicitur ac fit, ubi vulnus repente nimium concluditur, priuſquam fundamentum firmum poſuerit, & ita poſtmodum putreſcit.

25. Oppilatio quidem fit ex debilitate naturæ propter nimiam ſanguinis emiſſionem, ut æger ventris beneficium habere non poſſit, nec urinæ.

26. Hæmoptoica ſanguiniſque ſputatio procedit ex ſanguine congelato, qui retentus fuiſſet intrinſecus, & ab exordio purgatus non foret: ex ore ſuum emunctorium quærit.

Cap. 13. *De Cautionibus, aut præventionibus & curis dictorum accidentium.*

SI vulneribus Paroxyſmus, Ardor, aut Stupefactio fortaſſis incidiſſent, cura talis eſt.

℞. *Calaminaris, Lithargyrii, Minii, ana lib.* ß. *Tutiæ* ℥ij. *Ceræ, Olei mirtillorum ana* ℥ix. Cocta ſimul in cerotum omnia, ſuperpoſitaque, &c. Similiter oleum camphoræ vulneribus illitum mox adimit. Et uncia ß. Mithridaticæ conſervæ pota hoc ipſum efficit.

Pro tumoribus.

℞. *Naſturcii aquatici, Nenupharis, ana* quod ſufficere videbitur, & coque ſimul in aceto roſaceo, calida ſuperpone.

Aliud remedium.

Accipe de furnis argillam aduſtam, & in aceto coctam, etiam ſuperpone.

Aliud.

Accipe melones, quos in aceto coctos etiam ſuperpone. Ictis ſpongia hoc modo cocta, ſuperpoſitaque id ipſum præſtat.

Ad vermes, putreſcentiam, foraminationem, & fœtorem.

℞. *Mellis, lib.* ß. *Aleopatici* ℥j. *Succi chelidoniæ* ℥vj. *Salis communis* ℥ß. Omnibus mixtis & calidis laventur: hęc lotura vermes ac alia quæ ſupra dicta ſunt accidentia pellit.

Aliud remedium.

℞. *Conſolidæ aureæ, conſolidæ rubeæ, ana manipulum unum. Mellis cocti deſpumati lib. ij. Salis gemmæ* ℥ij. *Vini lib. j.* ß. ſimul in loturam coquantur, eaque laventur.

Ad ignem Perſicum, & cancrum.

℞. *Vitrioli* ℥j. *amborum gummi minorum ana* ℥ij. *Ocræ* ℥ß. *Vini & aceti ana lib. j.* cocta calidaque ſuperligentur.

Aliud.

℞. *Lithargyrii lib. j. Aluminis lib.* ß. *Salis* ℥ij. *Thuris* ℥iiij. *Gummi Romani* ℥v. *Vini, aquæ & aceti ana lib. j.* Coquantur ad quartam horæ partem, & calida ſuperponito. Item ſanguis deſtillatus & ſuperpoſitus aufert accidentia dicta.

Ad membrorum conſumptionem, vel ariduram, tremorem, contracturam, & contractionem.

℞. *Galbani lib. j. Terebinthinæ lib. iij. Olei laurini, Olei olivarum ana* ℥ij. fiat oleum quo mane veſperique poteris uti.

Aliud.

℞. *Vulpis adipis, & Taxi ana lib.* ß. *Mumiæ de medullis* ℥iij. fiat unguentum, quo mane & veſperi damna hæc inungantur, & illis medetur optime.

Ad contorſionem, Spaſmum, & Tetanum.

℞. *Sandali maris* ℥j. *Amygdalarum leporum,* ℥ß. *Fiat pulvis, de quo detis* ℨj. *cum aqua Baſiliconis potanda.* Si poſt primum hauſtum redire vellent, adhibe ſecundum. Ad collum ſuſpendes ægro, & in manum dabis, donec optime caleat.

Ad fiſtulas.

℞. *Emplaſtri de Mumia* ℥ij. *Viſci de botin* ℥. ß. *Conſolidæ rubeæ liquorum drachmam j.* Fiat emplaſtrum, quod ſuperpoſitum immotum ad ſex dies maneat. Poſtmodum innovabis, & æque diu relinques.

Aliud.

℞. *Aquæ Galitheni,* ℥iiij. *Olei vitellorum ovorum* ℥j. *Mumiæ liquorum,* ℥vj. fiat oleum quo madidi panni ſuperponantur.

Ad gluten album, vel ſynoniam, ſanguinis emiſſionem, & carnem ſuperfluam.

℞. *Ceroti de Mumia,* ℥iiij. *Olei de ſpica, drachmam unam, Teſticuli, Toſti, ana drachmas iij.* Ex omnibus fiat emplaſtrum.

Ad Tubercula, Verrucas, &c.

Accipe *oleum ardens*, quo locum ſingulis diebus quater inunge: hoc aufert omnia quæque ſimilia naſcuntur in vulneribus.

Ad fungum.

Accipe *Filum arſenicale*, quo fungum abſcindes. Poſtmodum ſiſte ſanguinem, & oleo ardente perunge. Conſumentur hoc oleo verrucæ, fungique omnes ac rami vel radices, è quibus naſcuntur. Et poſt conſumptionem cura ſanaque poros emplaſtro de Mumia. Verum ubi ſanguis nimium abunde profluet, laxa venam retro fungum, & refrigera prout ſupra de ſanguinis repreſſione dictum.

Ad puſtuloſam fiſtulam.

℞. *Liquorum carabis, Aſpalti, Armoniaci ana* ℥. ß. *Ceroti de Mumia* ℥iij Miſce ſimul in emplaſtrum, & applicato. Si valde putridum inferius fuerit vulnus, aperi facque latius orificium ejus, at ubi non, à fundamento ſanatur optime.

Ad oppilationem.

Quilibet vulneratus & oppilatus Serapino purgari debet, aut per Mumiam ultramarinam juxta ſuum pondus in potionibus vulnerariis adminiſtratum. Et ultra dictarum potionum uſum per ſe, ceſſandum non eſt à dictis purgationibus. Nam iſtæ longe præſtantiores exiſtunt omnibus laxativis, eo quod abſque damno tranſeant.

Ad ſputationem ſanguinis, quam Hæmoptoicam vocant.

℞. *Reubarbari, Liquorum de lacca, ana* ℥j. *Mumiæ* ℥ij. Hujus drachmam j. adminiſtrabis potu, quamdiu ſan-

guinem exſpuerit. Et ſi forte ſuppurari nollet, addes Mumiæ ſylveſtris tertiam partem, & ejus tum drachmam ſemis tantum adminiſtrabis.

Et quamvis occurrant accidentia longe plura his, quæ dicta ſunt, indies & nova. Singula ſcribere foret impoſſibile. Quapropter ex prædictis, quod fore commodum, & utile per experientiam & induſtriam tuo putabis uſui, ſelige.

Eſt quod etiam plura fore ſcias recepta, quæ cuique ſcriptu neceſſaria forent accidenti. Verum quod fundamentum eorum antea demonſtratum ſit: ſi forte quid communioribus chirurgis gravius, quam intelligere valeant, erit, aut videbitur: in exemplum aſſumant à fabro recens artem addiſcente, qui ſingulos ictus peculiariter diſcere, quodlibet ferrum & carbonum ſpecies omnes cognoſcere cogitur: quo fit, ut peregrinari, ſeque ad eos, qui norunt, conferre debeat. Itidem Chirurge tu putato, non dormiendum inter hæc tam ardua opera labore ſine tibi, tum præter uſum acquirenda, ut hactenus communioribus mos fuit chirurgis, qui crediderunt, pulvinaribus inſidendo, mollioribuſque decumbendo ſuis ſpeculationibus omnia perſcrutari ſe poſſe. At ego certo vobis affero, licet in diem uſque Judicii ſpeculemini, ſi non videndo & exercendo ſedulo didiceritis omnes, veſtrum nemo pendet obolum, nec valet.

Cap. 14. *De Morborum origine Vulnera ſubſequentium.*

IN his animadvertito, ſæpius contingere, ut in depravata vulnera contra naturæ curſum tam inſcite curata, mors dominium acquirat, per inſiros mortales in corpora & morbos: ut in capitis vulneribus, aut cum venæ capitales aliis aperiuntur membris. Evenire ſæpe ſolet etiam, uti mineralis Anatomia docet, ex hujuſmodi vulneribus morbum lethargicum ſuccedere, caducum, phreneſim, atque maniam, nec non accidentia plurima contra viſum, & auditum, item vertiginem, linguæ guſtus amiſſionem, & quandoque narium odoratum, ac alios hujuſcemodi morbos, antea non conſecutos, at poſtmodum violenter apparentes, & in ſenio potiſſimum perceptos: qui quidem omnes per Mumiæ medicamentum averti poſſunt. Non eſt igitur, quod ægre Doctores ferant, ſi in ſua placita quandoque loquar ea, quæ ſibimet ipſis ad reprehenſionem attribuunt. Quum hujuſmodi volunt infirmitates adſcribere naturæ, tanquam ipſa præter vulnera foret earum occaſio, quod quidem erroneum eſt. Nam idipſum Anatomia docet aperte, per externa ſimiles morbos in ipſam introduci naturam, & violenter id fieri. Sane ſi melius conſiderarent, quinam ſuas Mars impreſſiones invehit, ſanius de his rebus judicarent. Quandoquidem ubi ſuam ille malitiam adimplere cupit, impreſſio gladius ejus exiſtit. Videte quæ ſomnia veſtra, quamque nigriora ſint carbonibus. Quodvis natura productum, ac vitam habens, per Martem læſum, tempeſtatis generationem recipere debet. Vos utique naturam vituperare nulla via debetis, at medicum potius inſcium, & externum accidens, ac perditionem ægroti.

Nec etiam barbitonſores, rudeſve medicos vel chirurgos ægre ferre decet, quod Mumiam extollam contra ſuam imperitiam, artis ac fundamenti veri prorſus ignorantiam. Hoc enim fundamentum exiſtimo verum, & maximam artem, vulnera ſanare nedum, verum etiam ita curare ſanareque, ut accidentia nulla poſtmodum expectanda ſint. Vulnerum ſanatio canibus agnata eſt, ut interim de hominibus taceam. At prædictis morbis & accidentibus præcavere, prævenireque, non eſt agnatæ conditioni tribuendum. Quo fit, ut eos exiſtimare chirurgos minime valeam: qui ſanare vulnera norunt. Sed ii veri chirurgi merito vocandi ſunt, qui: ſanare ſimul & alia damna divertere poſſunt. Sartori chirurgus minime comparari poteſt, qui futuræ ſuæ nullam certitudinem habet, quum diſjungetur, aliam, quam donec filum manſerit integrum: tantiſper & non diutius pollicetur, ejuſque certus fore poteſt. Si medicina chirurgiaque tale foret veteramentarium opus fruſticulatum, & veterum calceorum emendationi ſimile; quemque male habere poſſet, quod contra vos tam avide ſcripſerim ac ſcribam: prout in chirurgia veſtra hactenus exiſtimaſtis.

Et quod adhuc ob accidentia, quorum ſoli vos eſtis occaſio, culpari nolitis peſſimum indicium, & nullius cauſa boni. Si vos Anatomiæ vere periti foretis, experiremini fodicata, jacula, vel alia, ut pulmonis vulnera, medicamentis aliis quam alia vulnera prorſus indigere. Non quod Mumiam hac de cauſa mutem, aut invalidam exiſtimem, ſed, ut Aſthmaticis & ſpiroſis anhelitibus, tuſſi, ſputationi ſanguinis, aut hæmoptoicæ, pectoriſque reſtrictioni, quæ in mortem uſque manere ſolent, præveniatur: ſic etiam quod epati, ſpleni, renibus, &c. poteſt accidere, præcaveatur, ſive ſint apoſtemata, putreſcentiæ, oppilationes, & ſimilia.

Exterioribus membris etiam corporis tremores indies occurrunt, in ſpaſmum incidentiæ faciles, conſumptiones, aut aridturæ, nec non contracturæ. Similiter inteſtinis à ſuo naturali dimotis ordine, variæ cholicæ, lacerationes, & contorſiones oriuntur. Adhuc exiſtimatis omnes de hac medicina minime fore loquendum, vobiſque fas & nefas in jus optimum eſſe prorſus relinquendum, ea de cauſa, quod medicum nomen apud vos exiſtat, aliud vero nihil. Si culinis veſtris per ſolum nomen ſatis foret, peſſime quidem ederent illi, qui ex eis aluntur. Videte jam quid nomen ſit, & quid ars, ſuper quam illud fundamentum eſſe debet.

Sæpius etiam evenire ſolet, ut ex hujuſmodi negligentia, vel imperitia potius febrium variæ ſpecies enaſcantur, item hydropiſis, Paralyſis, Ictericia, ſimileſque morbi, ſæpe talis etiam, qui per annos aliquot latet, poſtmodum erumpit, non ſine miſeria maxima. Cum tamen præ manibus fuerint, ut indies accidere ſolet, in medicinam latius arripiendum, ut hujuſcemodi morbi, qui peculiarem Theoricam & Practicam habent, curari queant: & qua via fieri debeat, ſequentibus jam paragrahis habetur.

Cap. 15. *De Curis Prædictorum & præventionibus.*

SCitote primum, quod ad capitis medicamentum in his attinet, ut quum Lethargicus ad paralyſim accederet in veræ Paralyſis curam non cadere, prout cura continet in vulnerationibus & inciſionibus per quas Paralyſis cura fit integra. Plurimi namque morbi reperiuntur, qui per vulnera tolluntur, omnes illi nempe, qui ex vulneribus occurrunt, uti Lethargicus & Paralyticus, qui ex vulnerum accidentibus proveniunt. Econtra præter accidentia hæc, illos curant vulnera. In Ictericia ſimiliter, quæ curam ex vulneribus recipit, & ſano per vulnus advenit: ſic & caducus per vulnera ceſſat, per quæ poteſt etiam accidere. Non alias de Hypropiſi, nec non aliis morbis corporis evenit. Quapropter hoc loco Medicina debet alia ratione quodammodo, quam aliorum proceſſus morborum habet, conduci tractarique, quæ non ſub ejuſdem receptis poni, prout medici veteres ſcripſerunt, & moderni per illos intelligunt. Fundamentum hoc eſt, ut unicuique medicamento vulne-

vulnerum adminiſtrari mumia debeat, & per idipſum applicari. Ut in Galitheno vires curæ caduci deliteſcunt, verum in iſto non, niſi Galithenum ad eſſentiam ejus acceſſerit. Sic & Paralyſis cura Balſamus eſt de Galbano: ſi tamen ex vulneribus orta mumiæ admiſceri debet ille balſamus, ut is & mumia ſint unum. Pariter in Synthena, Sandalum maris ad mumiam accedere neceſſe eſt. In Spaſmo ac Tetano. Mumia cum Amygdalis unum efficere debet. In pulmonis defectibus Reſinam terræ præparatam, cum ipſa mumia ſimul oportet adminiſtrari. Et in tremoribus manuum, lavendulæ cum mumia liquores.

Talis differentia, qualis de accidentibus antea diximus, intelligenda eſt, excepta mumia tamen, cujuſq; accidentis curæ ſanationiſq. Sed quum accidens hujuſmodi corporalem in morbum tranſmutaretur, medicamentum de Mumia (ſicuti meminimus) ad uſum aſſumendum erit. Non alias quam de cura paragraphorum in morbis demonſtratum, in iſtis etiam intelligendum cum additione Mumiæ in ſubſtantiam unam, juxta proceſſum & ordinem, quem hujuſmodi morborum conditio requirit. Per compoſiti ſimilem in unum concordantiam, iſti, qui cauſantur à vulneribus morbi tolluntur: Et niſi Mumia talis adfuerit, eo loci fruſtra curabitur.

Pati ſane poſſem, chirurgos majorem inter ſeſe diligentiam in ægros adhibere, ne ſimile quid occurreret. Verum quod vulnerati duobus aſſibus vix majore pretio ſanari cupiant, non ita prorſus incuſare poſſum eos, ubi tale contigerit ægris. Nam ob vilem ejuſmodi ſolutionem, medicina vi quadam fore meretrix cogitur, & unicuique ſubjici, qui præ nimia pigritia non poteſt alias alere ſe. Quapropter eos non culpo multum, à quibus id contingit: nam raro vili pretio bonæ merces emuntur. Nec iſta loquor, ut vili medentes redarguam, cum pro tantilla pecunia vix aliud nil præſtare poſſent, etſi ſcirent. Agere ſe fideliter etiam putant, interim & pauca merces hæc illis tota rariſſime perſolvitur. Quare melius igitur, aut altius quid addiſcerent.

Cap. 16. *De Signis Vulnerum ad Mortem, vel ad vitæ retentionem indicia ferentibus.*

CORporis humani conditionem fundatiſſime notam habere chirurgum decet, quo loco morti magis aut minus obnoxium exiſtat, ſi vulnerentur ibidem. Hoc ipſum ab aliis abunde ſatis antea ſcriptum habetur, & optime cognitum, quod cor, cerebrum, veſica, &c. quum vulnus recipiunt, ad mortem id fieri. Quinam tamen iſti ſcripſerint videamus. Alias non, quam ſi hunc in modum ſcripſiſſent, ubi cuiquam truncatum eſt caput, mortuus eſt. Hæc à me dicta ſunt, quod membra ſuperius allegata, & quæ notione communi per ſe clara ſunt, libris non indigeant.

Quod vero ſcitu neceſſarium in his, & non ita communiter notum omnibus, & quæ mortem etiam inducant vulnera, quanquam dicta membra non attingant, animadvertens diligenter notato.

Vulnera nervis plurimum extenſis, lacertis aut muſculis illata, ſunt ad mortem. Ut quum viribus omnibus membrum extenditur, eodem momento vulneratur. Artis digladiatoriæ potiſſimorum arcanorum unum eſt, ut pugiles membris agiliter & facile præter violentiam agitatis aggrediantur.

Non alias fodicatio vel jaculatio, quantumvis exigua. Contractionem hujuſmodi vel ſpaſmum, in ſuris aut alias in carne contingens, mortem infert. Quapropter ſumma diligentia chirurgo ſunt curanda potioribus & ſelectioribus medicamentis.

Similiter in hydropiſi vulnera mortalia ſunt; In quartana vero & Paralyſi, vitam retinere poſſunt.

Ubi cholera ſe receperit in arterias, tremorem & contorſionem excitarit, eoque tempore læſæ fuerint partes illæ mortem admittunt. Et vulnus omne, quod in ebullitionem fuerit illatum. Item omne, quod venas temporum pulſatiles & ſomniferas in paroxyſmo ſecuerit, aut attigerit, mortale judicandum eſt.

Animadvertendum etiam ex medicamentis vulnera plerunque reddi mortalia, potiſſimum ubi calorem ex eis recipiunt, ac ſub eis intumeſcunt, aut indormiſcunt: iſta ſigna ſunt corporis ac vitæ perditionis. Item quum ſæpius emittunt ſanguinem, tremunt, medicamento non convaleſcunt, & poſtmodum in paroxyſmum incidunt, ad mortem tendunt.

Etiam quum alii calores & accidentia concurrunt alia, reſtrictio pectoris vel anhelitus, in ultimum ſignum cognoſcenda ſunt. Signorum ejuſmodi multa quidem exiſtunt, ſatiſque nota: quare plurimis relictis, quæ magis notatu digna videbantur, hoc loco poſuimus. Quæ vero prædictis carent accidentibus & ſignis, curatu facilia ſunt. Notandum tamen, quum accidens aliquod in vulnus minime periculoſum inciderit, ut morbi, qui dicti ſunt, inciperent oriri, ſi per ſe bonum exiſtat, id eſt curatu facile, medicamentum etiam bonum fuerit; eſt quod finis periculoſus expectetur.

Cap. 17. *De Signorum aut regiminis locive cujuſvis animadverſione, medico vel chirurgo perito minime neceſſaria.*

CUm ex regimine cibi & potus caro naſcatur, vel potius nutriatur, oritur quæſtio, ſi differentia ſit, aut unius cibi caro melior exiſtat, quam alterius? ut utrum pulli meliorem carnem efficiant, vel capones ſuillis carnibus hoc loco ſint ſalubriores? Meam percipit ſententiam ad hunc modum. Principio non ignorandum, omne, quod editur à ſtomacho digeri, naturaque in unum finem, etſi mille ciborum varietates, unica tamen omnes caro fiunt. Quare pullorum carnes talem carnem efficiunt, qualem avenæ pultes. Quamvis objiceretur, unum habere nigriorem carnem altero, magis rubeam &c. Hoc ipſum concernit generationem, & non ciborum digeſtionem.

Simile quid à fabris ferrariis adduci poteſt, quorum quilibet peculiare ferrum, equinum cudit, eſtque unum alteri quodque ſimile: ſic etiam, quæ nigra caro natura fuerit, æque ſanabilis erit, atque alia quævis. In eo tamen conditiones carnium differunt, quod ſi homo quid ederit, hoc ipſum caro fit hominis: & ſi porcus comederit, porcina caro futurum eſt: ſi canis, canina. Cum igitur caro naturam imitetur, & in eam tranſmutetur, quid refert quodcunque comederit æger?

Contra ſi quis objiciat, ab accidentibus quæ ex cibo provenire credat, ut in febricitantibus, & loquatur, ſtatim atque porcinas carnes edit, in febrem incidit, aut quoties piſcibus veſcitur, male mox habet. Non eſt, quod ægrotationes ejuſmodi carni vel piſcibus adſcribas, at potius imbecillitati malæque ſtomachi diſpoſitioni, qui non ſemper omne, quod injicitur ei, pati poteſt. Quare hac ratione ſeſe defendit, ac ob ejus irritationem corpus unà cum eo ſimul abhorret. Nam hominis vulnerati plurimum, & exanguis ventriculus nihil appetit. Si tamen quid adminiſtrandum ſit, hoc ipſum tale fore neceſſum eſt, ut maxime debilis æger non abhorreat: ut offæ quædam aqua, butyro pauco, vel pinguedine modica madentes, aut vino: poſt-

poſtmodum jure gallinaceo, deinceps bubulo, vel ex bovinis carnibus, & poſtremo ſi fuerit opus ex ſuillis: uno ſic poſt aliud adminiſtrato, quoad potentior fiat. Ubi jam inſtauratus fuerit ex ſeipſo natura ſic adjuvante, non eſt quod reſpectum vulneris habeas, at exhibe quicquid ferre ſtomachus valuerit.

Optimo poſſum igitur jure dicere, vulnerum non habendum eſſe reſpectum, at ſtomachi per ſeipſum: ne diſturbetur aut deſtruatur vulneribus namque hac via ſubveniri melius poteſt. Quapropter accidentia vulneribus antedictis adſcribito cauſis, & non cibis. Nam eo loci caro, quæ fit ex oleribus, gallinis, avibus aut botulis, talis eſt, qualem natura fore cupit. Hoc tamen obſervare bene poteris, ut cibos tales atque potus adminiſtres, qui ſanguinis & carnis plurimum efficiunt, ut eis naturæ citius ac melius ſubventum ſit. Quod ad carnium ſalubriorem eſum, atque potuum excellentiam attinet, hoc ſcito. Credis ſuillas carnes bubulis inſalubriores: eadem eſt ac leporum ad vulpium carnes comparatio. Qua ratione chirurgus poterit guſtare, porcorum ſuperfluam pinguedinem, & quanto pondere bubulam excedat? Sane ſi talis humiditas in porcinis carnibus non exiſteret, eas, ut ſaluberrimas adminiſtrares, æque ac perdicinas. Quod ſcire de ſuillis carnibus voles: ipſæ quædam in ſua pinguedine proprietates habent, quæ ſtomacho quodammodo contrariæ ſunt eorum, qui cibum hujuſmodi non appetunt. Quamobrem ſtomacho nihil aliud hujus imputandum venit, quam ob appetitus defectum & abhorreſcentiam quandam, vel alicujus cibi nauſeam, & non propter inſalubritatem, vel ciborum noxam.

In vino quidem obſervabis, id ſano homini largius ſumptum nocere poſſe, quanto magis ægro. Si capiti ſano, quanto magis noxium erit vulnerato. Contra conſiderato, virium nihil aquam ſano tribuere, multo minus infirmo. Qua de cauſa medium ſervabis utrinque juxta conditiones infirmorum.

Signorum & locorum nullam rationem etiam habebis, uti de cibis antea dictum. In exemplum. Ubi conflictus millium viginti contingit, fieri minime poteſt, quin mille vulnerentur eodem membro, in quo ſignum idem extiterit eo tempore ac loco. Quid inde? Mille contra vulnerantur alio loco, qui dolores acerbiores patiuntur, moriunturque magis aliis. Quæ tandem hujus occaſio, præterquam de locis corporis habitu, medicamentiſque pravis demonſtratum fuit.

Quiſnam phlebotomiarum determinatam horam præſcribit? quis frigidum aut calidum adminiſtrat? vel condimenta more Monſpelianorum? Certe nemo. Accidere ſolet, ut, qui ſuillis & vitulinis carnibus, item cerviſia vinoque repletus exiſtat, & vulneratus capite, perquam optime ſanetur, quia peritum habet medicum: Alius vacuus atque jejunus in tibia vulnus accipiens moritur; cujus rei cauſæ declaratæ ſuperius extiterunt. Signa, regimina, loci, regionum, corporiſque partes hactenus imperitorum excuſationes medicorum fuerunt. Si hæc, ut vultis contraria forent infirmis, ex mille vix duo ſanarentur. Iſtæ ſunt veſtræ conditiones, ut jam de ſereno cœruleoque cœlo fabulemini, deque rebus altiſſimis duntaxat, & remotiſſimis. Nunc in cœlo hoc habetur: jam ab Occidente procedit illud: tum demum Luna furnatiæ furcæ, vel rutabuli formam habet: poſtmodum Septentrionalis ventus afflat (de longinquis tantum) quæ in abietibus & in patibulis ſunt, ac omnia prorſus impediunt, imo quæ in Hiſpania, ſeptemque Selandiæ montibus exiſtunt, unde longinqui venti prorumpunt: poſtremo de magnete comparationes adferunt. O cœci vos medici, quod in homine vobiſque præ manibus exiſtit, ſi conſpiceretis aut videretis, & quid in medicina, his veſtris peregrinationibus ore factis omnino relictis, cum eo minime pervenire poſſitis, nec ad locos pertingere quos inculpatis: in medicina perciperetis omnia conſiſtere.

Cap. 18. *De Fundamento Quodam Aduſtionum, & gelu.*

QUa ratione ſuas in corpus imprimat propietates aduſtio, notandum venit, quocunque modo fiat: utpote caſum aduſtionis, vel accidens calorem non exiſtere, ſed ſubtilium ſpirituum aſperitas vel acuitas potius corpus deſtruit.

Sal iterum accenſum igneſcit prorſum, & omne, quod ab igne hoc damnatum fit, nitrum efficit, & non eſſentiæ complexio. Sulphur etiam accenſum, aliam ſubſtantiam ad ſe recipit, eſt nihilominus ſulphur hoc ipſum. Quod autem abſumit iſtud, eſt in eo, per accenſionem tamen excitatum. Non alias de aduſtionibus. Quum ignis corpus aliquod arripit aduritque, non externus ignis hoc efficit, quod damnum exiſtit: verum accenditur corpus & quicquid inde ſequitur damni, ſolum ex eo, quod accenſum eſt procedit, ac in accenſionem incidit. Ut lignum carbo per ſeipſum fit. Nam ſulphur corporis, quamvis ipſum exhibeat flammam ob fixam ejus conditionem, accenditur uriturque tamen, eſtque fixus ignis, & eo per externum adducitur, cui tantiſper tantumque reſiſtit, quantiſper & quantum adfuerit ignis.

Quamobrem in cura ſulphur accenſum arripi neceſſum eſt corporis, cum in eo ſanatio conſiſtat. Item ubicunque ſanatio, vel unde ſurgit ejus origo, materia pariter & morbi ſubjectum ejus exiſtit. Et omnia, quæ huic adhibenda ſunt medicamenta, ſolum ad ſuperandum ſulphur corporis ordinari debent.

Aduſtionis differentia duplex: una per flammam, quæ molitur conſumptionem: altera quæ fit bullientibus. Flamma fit ſive lignorum, pulverum, reſinarum, aut pinguedinum. Bullitionibus, ut calidorum oleorum, aquarum bullientium, &c. Præterea reperitur alia naturam habens utriuſque, ut ea, quæ fit liquefactis metallis, & ſimilibus.

Ad hæc animadvertendum, utrum ex ſubſtantia quicquam adhæreat, an non: ut ex pulvere, quod ſulphur, & ſalnitrum poſt ſe, vel ſui conſumptionem accenſione factam, reliquam adhuc pinguedinem relinquant. Similiter oleum peculiare ſuum reſiduum, aliud metallum, aliud reſina, aliud aqua, quodque proprium habet, cognitu neceſſarium: non propter ſanationem, ſed extremos dolores, quos inferunt hujuſmodi reliquiæ.

Salis nitri, ſulphuris, & reſinarum ſpirituum acuitas peculiares dolores edit: nam ibidem eſt ſpiritus ſalis. Ex metallis etiam alios ac ſingulares, quod eo loco ſit Mercurius. Ex aliis adurentibus adhuc alios, quia ſulphur ibidem eſt reſolutum. Hujuſmodi ſulphuris ſeparationibus variantur in membro dolores, uti quibuslibet coloribus peculiariter aqua tingitur, juxta ſuam conditionem atque naturam. Sed hæc omnia medicinam prorſus non concernunt. Nam prout aqua tingitur omni colore per viam unicam, non alias hoc loco per medicinam unicam fit alimentum. Et non ſecus ac aqua flammam & accenſionem in corpore quovis extinguit, medicamentum etiam aduſtionem pellit. Aduſtionum dolores accidentalia ſunt, originem ex igne ducentia: poſtmodum ex aëre quidem exteriore mineralem conditionem acquirentia. Notandum inſuper poſt veneni conceptionem

iſtud

iſtud per meatus, & venas in primum ſuum centrum penetrare, quo mortem inducit.

Jam de Gelu ſciendum, unumquodque calidum, ubi frigore ſuperatum, id eſt, congelatum fuerit, poſtmodum in putrefactionem tranſire. Hac de cauſa lignum & lapides ex gelu nullam putrefactionem accipiunt.

Quæ prius bullivit aqua, frigore ſuperatur in congelationem, immutatur, & ex ea fit alia quædam aqua, putrefactioni plurimum obnoxia. Verum ea, quæ recens frigidaque tranſit in congelationem, ita non corrumpitur, quia nunquam caluit. Sic de cæteris liquoribus intelligendum.

Quanto magis quod à natura caleſit, putrefactionibus obnoxium exiſtit: ut animal aut brutum congelatum, alias ac multo fœdius ejus cadaver putrefactum olet, alio, quod alia via quavis interiit. Non alias de homine, quum ſui corporis aliqua parte congelatur, accidit: quod naturalis calor, qui fuit ablatus, in ſuum cadaver nunquam redit amplius.

Quum igitur membrum aliquod gelu prorſus rigidum fit, ab eo vita ſeparatur, ut ubi tibia congelatur, vita moritur in ea, ſepararique neceſſum eſt à vivo, quod mortuum exiſtit à ſuperiore parte genu videlicet. Iſta congelatio, priuſquam emoriatur membrum, ejus eſt vehemens indormitio; poſtquam à vita ſua decidit. Et non alias ac ignis membrum aliquod ſuperat ac vincit, frigus idipſum etiam efficit. Item, prout aqua fervens etiam ignis ingenti frigore congelantur ac extinguuntur, non ſecus & naturalis calor, quum arripitur ab illo. Extinguitur itaque primo calor, & poſtmodum gelu vincitur. Nam atque membrum ſuo calore privatum eſt, ei nunquam reſtitui poteſt. Cum hoc incipit congelari, calor à carne primo recedit, ob ſuæ humiditatis congelationem, poſtmodum à nervis, & poſtremo quidem à medullis oſſium. Quapropter evenire ſolet, ut caro fruſtatim decidat, alia non corrupta, quod iſtam natura vehementer defenderit. Quandoque medullæ prorſum emoriuntur, unde poſtmodum nulla ſanitas vera ſuccedere poteſt. Item ſæpe contingit etiam, ut gelu tam ſubtile ſit, poroſque penetret in medullas, quas congelat, illæſis aliis partibus: & nonnunquam inteſtina cæteris non tactis.

Ex hujuſmodi congelationibus oriuntur varii morbi, permanentes in mortem uſque, prout Hydropiſis, contracturæ, maniaæ, lepra, &c. juxta membri cujuſpiam arreptionem. In quibus chirurgum decet aliud quærere fundamentum, quo ſimilia curare valeat, & non ut veteres, unica lyra choream ducere ſemper unam, ipſos imitando. Congelationibus igitur iſtis dummodo membrum omnino rigidum non exiſtat, ſed in via, ſuccurrendum eſt.

Cap. 19. *De Curis Amborum aduſtionis videlicet ac gelu: vel congelationis membrorum.*

Curam utriuſque, ſcilicet aduſtionis & congelationis uno ſub medicamento concludam, quod ambæ per conſumptionem in putrefactionem tendunt. Qua de cauſa perquam utilem Anatomiam utrinque fore certum eſt. Communia, quæ paſſim à vulgaribus & aliis medicis remedia ponuntur, huc adducere nolo, nec eorum vix meminiſſe, propter eorum vulgarem uſum abſque utilitate, ut ſunt *florum Tiliæ, Verbaſciique liquores, oleum lini, butyrum & laridum, calida liquefactaque, nec non alia plura.* Similiter ea, quæ ad congelationem uſurpata ſunt remedia, magis quam ad remedium, in depravationem utilia, quod variorum accidentium productiva ſint, in his, quæ per alia facile curari poſſent. Hujus pravi generis unguenta ſunt *Agrippinum, & de Terebinthina,* tum ea, quæ fiunt ex ovis, &c.

Cura quidem earum eſt, ut unius Mumiæ per additionem conſervetur altera, nempe debilitata, hunc in modum qui ſequitur.

℞. *Olei coſti lib. j. Sevi hircini lib. ß. Ceræ ℥ix.* Fiat unguentum, quod ſingulis quaternis horis applicandum eſt, aut ſæpius, quo locus melius humiditatem ſuam retinere valeat.

Aliud remedium.

℞. *Olei ex laganis avium ℥v. Adipis cervi ℥ij. ß. Ceræ, Liquorum ex ovis, ana ℥ iiij.* Miſce ſimul, & utere. Hujuſmodi medicamentum ab initio curæ ſufficiens eſt in finem uſque, nec opus alio, quod in eo mumia conſtituta ſit, qua quidem utraque frigoris congelatio, tum caloris aduſtio curatur.

Concluſio libri primi Bertheoneæ, Chirurgiæque minoris.

Non dubito quin ante dictæ demonſtrationes aliquibus, etſi æquo ſaltem breviores fore videbuntur, illis puto, qui horum non ante nihil cognoverunt. Qui tamen aliquid in hac arte callet, ac medicus appellari ſi debeat, aperte ſatis intelligit omnia. Tum, qui diſcere cupiverit, ex iſtis fundamenti ſatis accipiet.

Secreta quædam hoc loco ſubticere volui, quæ plurimum exiſtimata ſunt, ut in vulneribus capitis ac inteſtinorum, & ſimilibus, quæ curæ periculoſioris exiſtunt: non ob ignorantiam, ſed ex occaſione quadam, ſcilicet, quod medicinæ temerarii nebulones immiſcentur, qui ſeſe præter fundamentum intrudunt, ſive docti, vel indocti fuerint, & ægros æque temere curandos, audacterque ſuſcipiunt, ac ſi plurimum experti forent: quo fit, ut infirmos funditus perdant, & quandoque jugulent. Ut iſtorum capitibus phantaſias non adferam, quibus ex ſeipſis aliud perperam ſomniare poſſent, quod me non intelligerent, captui ſuæ rationis, aut alias quam ſcriberem, occaſionem dare nolo, qua latius ægris quam ſint, ab iſtis perdentur, aut miſerius. Quandoquidem in vulneribus capitis, quæ cerebrum detegunt, vel inteſtinorum, aut alvi, quæ fiſſuram, ſciſſionem, truncationem haberent, qui per inſtrumenta curandum ſit, argenteas teſtas fiſtulaſve, quibus tegi cerebrum, aut excrementorum ductus continuari debeat: idipſum expertum propriumque requirit hominem, & non inſanum ſtolidumve caput, ut illi, qui ſeſe paſſim in medicinam per feneſtras, & non per oſtium intrudunt, poſſident, & qui quodcunque ſomniant, idipſum etiam audent exequi. His igitur quæ ſcripſi feciſſe pro hac parte de Mumia, tum excuſaſſe me ſatis volo.

Theophraſti Paracelſi Bombaſt Utriuſque Medicinæ Doctoris, de Cura Vulnerum, libellus excellentiſſimus.

In vulnerum cura tres habentur viæ, provenientes ex vero fundamento hujus artis, quarum *prima* vulnerariis in potionibus conſiſtit: *ſecunda* quidem in fodicationum emplaſtris: *tertia* verò ſita eſt in Balſamis. Plures viæ reperiuntur, narratu minimè neceſſariæ, cum tres, quæ dictæ ſunt principaliores exiſtant in hac artis parte. Quam igitur earum fueris ingreſſus, fœliciter cedet, quare fictitias alias, miſeraſque fugito vias.

Prima Via.

De potionibus vulnerariis.

UNaquæque potio vulneraria debet accidentia quævis arcere, ne vulneribus incidant. Quamobrem iſtas habere virtutes binas oportet : unam ad ulcera curandum: alteram ad arcendum accidentia.

Ad vulnera curandum, iſtæ ſunt excellentiores herbæ: videlicet, *agrimonia, pyrola, alchimilla, ſerpentinæ omnes, conſolidæ, betonicæ.*

Ad præveniendum accidentibus iſtæ ſunt potiſſimæ, ſcilicet *hirundinaria, meliſſa, veronica, ciclamen, &c.* coquatur ex iſtis vulneraria potio ſecundùm uſum, & in potum adminiſtretur.

Eſt quòd ſcias in his, quantò citius vulnus aliquod curatur, tantò melius ac fœlicius operari te. Et ſi forte non obſtantibus ejuſmodi potionibus accidens inciderit, ad mortem id fieri judicato, vel in diuturnam infirmitatem. Procede ut ſequitur hoc infra poſito capitulo.

Potio vulneraria.

℞. *Pyrolæ manipulos duos, Ciclaminis, Saniculæ ana manipulum unum, Alchimillæ manipulum* ß. Coquantur in duabus menſuris vini, juxta communem uſum. Decoctionem iſtam in potum adminiſtrabis manè veſpetique. Verum herbas à quibus decoctionem elixaſti, ſuper vulnera ligabis, admixto pauco ſale, procedeſque ſecundum ordinem ad vulnera neceſſarium. Hæc potio curat unumquodque vulnus ſectum aut fodicatum. Cave ſolum ne quid alterius admiſcueris medicamenti.

Secunda Via.

De fodicationum emplaſtris.

EſSt quod hunc per fodicationum emplaſtra curandi vulnera modum notetis. Æquum foret cætera vos fictitia relinquere, putaticiaque medicamenta, manentes in vero medendi fundamento, cum tot ſignis demonſtrationibuſque ſufficientiſſimis admoniti ſæpius eſtis, illa non ſine plurimis accidentibus in uſum unquam aſſumpta fuiſſe, contracturis aut morte, ſimilibuſque provenientibus ex eis. Quapropter uſum fodicationum emplaſtrorum tenete, quo vos haudquaquam, nec ægri veſtri ſeducemini.

Emplaſtrorum ejuſmodi conditio talis eſt, ut accidentia quævis auferant applicatione ſecunda, nihil corruptionis accidentalis aut contrarietatis admittant, &c. Quare propter hæc arcana ſua notate compoſitionem eorum, ut eam probè cognoſcatis. Melius eſt unicum hoc medicamentum, quàm ars integra, quam factitatis.

Unumquodque fodicationum emplaſtrum ex quadruplicibus compilari debet, quadruplici ratione. *Prima* quidem ob ſanationem, quæ de cera fit. *Secunda*, ut accidentia quæ vulneribus indies & ſingulis horis incidunt, amoveantur, ſic ut in eis nulla tenus maneant: idipſum fit per gummi. *Tertia*, ut alia quibus vulnera, præter accidentia ſubjecta ſunt, veluti putredini, vermibus, corruptioni carnis, & ſimilibus, auferantur, & hoc per conſolidativa majora, maſticen, myrrham, &c. quicquid per iſta creſcit, optimum eſt ſub eo proceſſu, qui poſitus eſt antea. *Quarta*, ut præſervet à ſpongioſitate carnis, ſcabie, pruritu, aridura, contracturis, & ſimilibus aliis, ut ſequitur, idque per mineralia, prout lithargyrium, marchaſitam, antimonium, calaminarem, & ſimilia. In iſtis quatuor ars vera componendi fodicationum emplaſtra conſiſtit, in quibus etiam cura ſanatióque vera latet. Alia multa reperiuntur, quæ plus nominis quàm artis habent.

Compoſitio fodicationum emplaſtri.

℞. *Ceræ, Lithargyrii ana lib. j. Calaminaris, Colophoniæ, ana* ℥ ii. ß. *Olei communis lib. j.* ß. Liqueſcant igne leni cera, colophonia, & oleum ſimul, poſtea lithargyrium & calaminaris contuſa, tritáque ſubtiliter ſenſim injiciantur ac decoquantur ad emplaſtri juſtam ſpiſſitudinem, incombuſta poſtmodum imponantur gummi hæc, ut ſequitur.

℞. *Oppopanacis, Serapini, Bdellii, Ammoniaci, Galbani ana* ℥ j. ß. *præparatorum tamen, & in aceto coctorum priùs.* Et poſtquam aliis admixta fuerint, addantur iſti pulveres.

℞. *Corallorum alborum & rubeorum, Mumiæ, Myrrhæ, Thuris ana* ℥ ß. *Croci Martis* ʒ ij. His aliis admixtis partem adjice larignæ maſticis, deinceps infunde. Poſtmodum hypericonis oleo, nec non lumbricino cum additione Camphoræ ℥ß. agitato manus inter, & ſerva.

Non eſt quòd excuſationes quæras in deſcriptione hac, neque ut ſumptus fugias, aut multitudinem abhorreas ſimplicium, aut potius adhibe diligentiam in his, quæ te ſecurum faciunt, in omnibus vulneribus capitis, etiam fodicatis ac aliis, quæ minimè curare debes, ſolum relinque medicamento curam: ipſum eſt medicus, tu verò non.

Alia compoſitio fodicationum emplaſtri cujuſdam, ad ulcera cùm vetera, tum recentia, nec non ad vulnera quævis excellentiſſimi.

℞. *Galbani, Oppopanacis, ana* ℥ ij. *Ammoniaci, Bdellii ana* ℥ ij. Terantur omnia minutiſſimè, ponantur per diem & noctem in ollam fictilem & vitreatam, affuſo quidem optimo aceto ex vino facto. Poſtmodum coquantur in eo, ſuavi tamen igne carbonum, ut gummi liqueſcant, quo percepto calida in ſaccum effundantur, & exprimantur, ut ſeparentur à fecibus, quæ ſunt abjiciendæ. Colatura hæc iterum bulliat in olla, tamdiu, donec acetum evaporatum ſit omnino: ſemper agitanda ſunt, ne comburantur. Hoc ſerva mundiſſimè coopertum, ne quid incidat. Poſtea ſume olei olivarum libras duas, ceræ novæ libram ß. quæ in ollam fictilem vitreatam & ſatis magnam ponantur ſuper ignem carbonum, & ſenſim liqueſcant. Injice tandem lithargyrii minutiſſimè triti libram unam & ß. paulatim & ſucceſſivè ſemper agitando, quouſque permixta ſit, & ſpadicei coloris fiat materia, vel in eum incipiat converti. Poſtmodum accipe gummi prius coctum ad quantitatem nucis, & injice qualibet vice tantundem, quouſque intrârint omnia, mixtaque ſint in aliis rebus & colliquata: videndum interim, ne materia plus æquo caleſcens efferveat, cum per ſe valde calida ſit. Poſtremo hæc addes.

℞. *Utriuſque ariſtolochiæ rotundæ, Calaminaris, Myrrhæ, Thuris ana* ℥ j. *Tritis terendis, & injectis affundatur olei laurini* ℥ j. *& ultimò Therebinthinæ puræ* ℥ iiij. coquantur agitando ſumma cum diligentia. Cum ſcire voles, an ſatis cocta ſint, ejus parum in frigidam aquam pones, & ſi non adeò mollis adhæſerit, bene ſe habet, ſin minùs, & adhæreat ipſis digitis, coquatur latiùs, donec optimè cocta ſit materia.

Depone

Depone poſt ab igne, & in magnam pelvim aqua plenam effunde, poſtquam infrigidatum fuerit, ut manibus eam tractare valeas, iitis oleo camomillæ vel roſaceo perunctis, amalgama tribus aut quatuor horis, & mundo vaſe reconditum emplaſtrum hoc ſerva: quinquaginta poſt annos, æquè bonum eſt ac recens, vel anno primo factum.

Vſus.

Iſtius emplaſtri virtutes innumeræ ſunt ad ulcera vetera, nec non recentia, ſiccat, mundificat, carnem bonam producit, conſolidat, ac ſanat unâ ſeptimanâ magis, quàm aliud integro menſe: putrefieri non permittit, aut corrumpi, nec malam carnem excreſcere: nervis truncatis aut contuſis optimum eſt remedium, ferrum, lignum, plumbum & alia de vulneribus attrahit ſuperpoſitum eis tantùm. Venenoſorum animalium curat morſus, ictuſque: matureſcere facit apoſtemata cuncta ſola ſuperpoſitione: contra cancrum, fiſtulam, ignem perſicum &c. eſt excellentiſſimum, & ad mitigandos omnes dolores.

Tertia chirurgiæ via. De Balſamo.

Balſamum aliud nihil eſt, quam medulla Mumiæ; Mumia liquidem eſt balſami corpus, quare medicus utens balſamo hoc, juxta naturam operatur optimè. Verum eſt oleo præparata deſtillatáque vocari balſama, ſed à nullis præterquam imperitis medicis: non continent enim in ſe Mumiam, ex qua ſanatio procedit omnis. Nullam ergo frivolorum oleorum ejuſmodi facio mentionem. Sal etiam balſami naturam habet, non quod balſamum exiſtat, vel mumia, ſed eorum eſt ſuſtentaculum: continet enim vulnus mumiam, cui ſal applicatur in ſua præparatione plenum.

Haud imitandi ſunt, qui dicunt, hîc frigidum, calidum, humidum, aut ibi ſiccum: iſta quidem contra naturam adducuntur in vulnerum curis, cùm accidentia ſunt. Cùm verum aſſumitur medicamentum, iſta non occurrunt. Grave nimis atque damnoſum eſt medicamentum, accidentibus obnoxium, quod eorum curæ contrariæ ſint; contrario modo pariter ſuccedunt. Hujus rei cauſa latet in ſcatulatum variis coloribus.

Deſcriptio Balſami talis eſt.

℞. Mumiam cum æquali pondere mellis, admixtis floribus hypericonis, & aliquo vaſe recluſa vitreo, ponatur in digeſtionem. per ſeptimanas quatuor. Poſtmodum ſervetur hoc digeſtum, quo quidem humectanda ſunt aſſiduè vulnera, donec perſanata ſint.

D. Theophraſti Paracelſi Chirurgia vulnerum, cum recentium, tum veterum, occultorum & manifeſtorum ulcerum, &c.

Cui Libri duo, prior de contracturis; de Apoſtematibus, Syronibus & Nodis alter, acceſſerunt, per interna & externa medicamenta curam eorum veram continentes.

Tractatus primus de recentibus Vulneribus.

Cap. I. *De prima vulnerum aſpectione.*

Apprime neceſſarium, ut in quovis Chirurgo prudentia, tum ars & experientia ſimul conjunctæ ſint, & mox atque vulnus aliquod inſpexerit, ejus optimum judicium faciat curæ finiſque: ne ſeſe temere jactans ab exordio, plus minuſve quam præſtare valeat, pollicetur, vel ex natura queat fieri. Verbum omne ſuum ex poſſibilitate naturæ ponderare debet. Nam ſi, quam ipſa patitur, majora promittat, quo latius progreſſus fuerit, eo res verget in deterius, infamiæque notam incurret non exiguam: ſi vero pauciora nihilominus, quod artis ſuæ nullam habere certitudinem videbitur, dedecori ſibi fuerit adſcribendum. Quapropter utrumque, ſcilicet ars atque natura æqualiter ſibi cognitæ ſore debent, alias earum altera deficiente, quicquid operabitur, fruſtraneum nedum erit, verum etiam in ruinam patientis. Nulla ratione cogi ſe natura permittit, nec in aliam proprietatem, aut qualitatem quam ſibi conſentaneum, verti. Si remediis itaque non congruentibus fuerit uſus, labefactabit eam. Siquidem eſt, quod medicus omnis ipſam, & non ipſa medicos ullo modo ſequatur. Hæc eſt ergo ſumma Chirurgiæ methodus, ut ea medicamenta nota ſint, quæ naturæ maxime conveniunt: quibus etiam cognitis, curas aggredi quivis tuto medicus poterit.

Membrum aliquod ictu ſeparatum à corpore, non poteſt iterum affigi. Quod ſi etiam ullo modo fuerit affixum, in priſtinum locum reſtitui ſine defectu minime poterit: nec id quod ad contracturam alicujus membri, vulneratum. Mortale non eſt in curam cum retentione vitæ ſuſcipiendum, nec omne quod impoſſibile: nam fatuum foret, irriſioneque dignum.

Diſce igitur tu Chirurge; quæ palam ſunt oculo tuo cognoſcere, quo ſcias quid ars & natura valeant; in hiſque progredere.

Et quanquam practica manualis omni ex parte, ſcripturis exprimi non poteſt, ut ſunt vulnerum conclusiones, & ſimilia: nihilominus dexteritate propria per aſſiduam experientiam habitum contrahente, diſcito non contra naturales concluſiones agere, ne monſtri quid excites præter naturam, aut creſcere facias.

Signa, quæ in vulneribus maxime cognoſcenda ſunt.

Ignorare nullo modo Chirurgus debet, quæ bona, quæve mala ſigna vulnerum exiſtant, & quid accidentis immineat; quid illa ſignificent, ut occurrere valeat indies, & obſtare. Quandoquidem ſi corpus ſanum ab accidentibus tutum non ſit, quanto minus ægrum. Hæc ſi non intelligis, ipſum te fallis, perdiſque patientem, cum reſiſtere non poſſis accidentibus, artique fidas quam etiam non calles. En quinam ægros & vulneratos in majus vitæ ſuæ diſcrimen ponat, cum idipſum quod contemnis, vulnere longe periculoſius exiſtat. Contra cum hujuſcemodi prænuncia ſigna malorum & accidentium tibi nota fuerint, viam illis obſtruere facile poteris, laudemque tibi parare non exiguam. Provenit enim ars omnis ab experientia, judicioque præmaturo. Quare volatum ne moliaris, antequam plumæ tibi creverint, hoc eſt, donec optime didiceris. Nihil hoc loco ſuperbia, jactantia, vel arrogantia proſunt, at ipſa vera ſcientia. Hæc ſentina fuit vitiorum omnium, in hac arte nedum, verum etiam in aliis, quod finem exſpectate vix è millibus unus diſciplinæ ſui voluerit, ſed fere ſemper in magiſtros evaſerunt omnes, antequam veri diſcipuli dici mererentur.

Ægrotis ne permiſeris, quod noxium eſſe putes: nam ſolent aliqui petulantia ſua curam applicatam etſi felicem pervertere. Cum igitur obedientia poſſis à multa ſollicitudine curaque ſublevari, coge ſi potes, ut obtemperent. Potius fuerit eos lamentari, quam errorem tuum deplorare te, ſeque ſui ruinam indulgentia tua factam. Evenire ſæpiſſime ſolet, ut ex permiſſione vel minima, quam ipſe Chirurgus noxiam fore non judicavit, maximum oriatur damnum, quo ſibi dedecus etiam, atque merito contemptum conciliat, velut artifex ignarus artis. Tam occulta eſt hominis natura, ut fur aut latro latens

in ea percipi nequeat, qui vel minimam occaſionem quærit, aut ægro vitam, vel tibi famam deprædandi. Quapropter nimium potius quam parum eſto ſollicitus. Cum tot & tam varia ſint accidentia, quæ circumvallant hominem, ut omne vulnus ferme dijudicari mortale magis, quam curabile debeat: nam tempus, natura, complexiones inæquales in deterius, magis, quam in melius vergunt. Quapropter conſidera quicquid operi tuo completiſſime convenit perfectius ordinatius & minori cum defectu fabro, latomo, ſeu lapicidæ quovis. Hoc ergo quod ſequitur Capitulum, lumina cum attentione legas & relegas, quo maximam accidentium partem addiſcas: tum demum opus aggredere. Quid boni malivi tibi ſuccedere poſſit, hic in te cognoſcas oportet: non antea curabis vulnera. Noli donec præ manibus occurrant, exſpectare mala, tumque prius addiſcere, latronique fores, ubi jam intravit, occludere, ſed antea. Sic fiet, ut cum ea jam eminus apparuerint, aut etiam adfuerint, quo reſiſtendum ſit illis notum habeas remedium.

Cap. 2. *Qua via rationeque vulnus curari debeat? Quidnam ſit quod curet, quid perdat? Et quid naturale ſit balſamum in omnibus corporis membris?*

IGnorari minime debet omnibus corporis membris ineſſe balſamum naturale, carnis, venarum, oſſium, &c. quod ipſis innatum ab initio per naturam, vulnera quævis illata ſanat. Hoc eſt: naturale balſamum in carne ſitum, naturaliter carnem, & quod in oſſibus, fracturas eorum. Sic de reliquis membris intelligendum erit, ut pote, quodvis proprium in ſe continere medicamentum, quod ipſum quoquo modo læſum perſanat. Eſt igitur natura ſibimet proprius medicus, qui quod in ipſa deficit, optime reparat.

Hoc loco ſcitu valde neceſſarium eſt, Chirurgum non ſanare vulnera, ſed balſamum in corpore ſitum hoc ipſum efficere. Quicunque crediderit alias, aut ſibi temere ſanationem vulnerum adſcripſerit, ſeſe necnon alios miſerrime ſeducet: cum artis propriæ, vel ejus quod profitetur, nullam cognitionem habeat. Verum tu vulnerarie medice cognoſcas, cuinam in hoc negotio rei ſis aptus, & quid ars ipſa præſtare valeat, eſt quod audias.

Medicinæ manus in læſionibus curandis hoc ſolum eſt officium, ut naturam eo loci defendat ab accidentibus & inimicis externis, intrinſeci balſami; ne per eos inficiatur, aut impediatur, quo minus vires ſuas exercere valeat naturales, at potius in illis auxilio Chirurgi corroboretur. Ubi vulnus jam apertum cura diligenti non tutabitur, certiſſimum eſt, illud operationibus naturæ ſolis nullo modo ſanari poſſe, prout decet.

Quapropter is, qui hoc loco defendere tuerique novit, Chirurgus erit optimus, eaque ratione protector nominandus, quod ab externis elementis contrariis atque reluctantibus illam vindicare novit. Externorum ſiquidem elementorum eſt maxima cura, naturæ defectibus majores adjicere defectus. Hujuſmodi vires elementares inimicæ naturæ, per Chirurgum optimis medicamentis pellendæ ſunt: hac via poterit comite naturali balſamo felici cum ſucceſſu progredi. Nam ubi defenſionibus jam dictis in ſua quiete conſervatur & pace, cumque ligationibus juvatur accommodis, ipſamet operatur, ac ſeſe perfectiſſime ſanat, carnem ac ea, quæ neceſſaria ſunt, pro vulnerum facultate creſcere facit. Verbi gratia, Quidnam id eſt, quod carnes, pinguedinem, adipem, ſanguinem, atque medullas ad incrementum promovet: Non homo, non cibus, aut potus. At ipſa natura vegetativam & augmentativam in ſe facultatem habet, quæ corpus, potu, ciboque mediantibus tamen ſuſtentet: quibus & ipſa conſervatur & roboratur etiam. Simili ratione pluvia terraque lignum minime producunt, ſed arbor ipſa, non ſine ipſis tamen. A ventriculo ſumatur exemplum hoc. Naturale Balſamum eſt id quod ſanat, verum, ut hoc efficiat, indiget alimento, eoque duplici. Prius adminiſtrat cibus & potus: unde ratio victus ordinati (quem *Diætam* vocant) ortum habet: Poſterius exhibet medicamentum vulneribus applicatum, aut ſuperpoſitum, hoc nutrit balſamum, ut eo celerius ac ſolidius ſanet. Eſt igitur unguentum, ut medicamentum balſami conveniens alimentum.

Hoc igitur unicum vulnerario medico reſtat, ut bonum & aptum nutrimentum eligat, quo perfectius ac felicius curet. Si vero hac in re fuerit negligens, aut imperitus potius, vulnera quæcunque praviora fieri, nec non in accidentia quævis incidere permittet. Cum etiam perceperis, fœtorem in vulneribus, facile judicare poteris illa competens non habere nutrimentum, & hac ratione ſuas naturæ balſamum operationes adimplere minime poſſe. Quapropter eſt, quod munda per alimentum conſervantur vulnera, ne quid in illis putridi fœtidique reperiatur.

Purgationis pariter eſt notanda quædam in vulneribus differentia dupliciter apparens. Prior ex eorum putrefactione provenit, altera quidem ex ſui prædicto nutrimento: hoc enim excrementum eſt, illud vero ſanies. Balſamum ſiquidem ab unguento ſuum ſugit alimentum: quod autem ex eo ſupereſt, ſtercora dat, ac immunditiem, ut reliqua ciborum nutrimenta ſolent.

Ex his igitur non eſt ignoranda concluſio Chirurgis; utpote vulnera penes purgationem excrementorum, & non ſaniei fore conſervanda, nec in putrefactionibus Naturæ contrarium eſt medicamentum, quoties vulnera ligaturis fuerint ſuffocata, recentique nutrimento non ſuſtentata. Hujus etiam enormis erroris veſtri, vos inter Chirurgos communiter, uſitati (quem indies abſque judicio vel arte, ſineque ſucceſſu felici committere ſoliti fuiſtis hactenus) eoſque præſertim, quos id vitii delectat, monitos hortatoſque velim, ut abſtineant, ſcilicet à futura vulnerum, & conglutinationibus ovorum albugine factis, quibus naturam ipſam à ſua in alienam, & ei contrariam prorſus qualitatem contorquetis. Hæc medicina veſtra nullibi fundamentum habet. Hoc natura ſolum in ſui ſanationem optat, ut à putrefactione protegatur, & medicamento congruo balſamum ejus nutriatur, ut ſupra, necnon ut excrementa vera penes unamquamque vulnerum à vinculis diſſolutionem inventa ſint.

Hactenus quid illud ſit, quod vulnera ſanat, ample ſatis diximus. Quicquid alias quam auditum eſt, actum cum illis fuerit, efficiet praviora, vel ipſa penitus perdet.

Cap. 3. *De vulneribus, quæ morti ſunt obnoxia, vel non, aut in contracturam ſui membri tendentia.*

QUod ad vulnerum naturam attinet, latius cognoſcenda ſunt illa, quæ mortem inferunt corpori, vel ſuis membris contractionem, & quæ non. Quanquam id cognitu difficilimum eſt, & incertiſſimum plurimis: nihilominus pro vulnerum qualitate, Chirurgus ipſum ſe diſponere debet in auxilium, eo loci potiſſimum, ubi natura ſeſe iuvare conatur, non ut imperitus & ignarus artis eam aggredi.

Cap. 4. *De his, quæ Chirurgo metuenda ſunt in vulneribus, aſtrorum impedimentis, & meta poſſibilitatis, ejuſque termino.*

ETſi plerunque vulnera non ſint aſpectu periculoſa, vel talia non appareant: contrarietates tamen, & accidentia metuenda ſunt. Exempli gratia. Si quod vulnus irato, vel cholera fellis commoto fuerit incuſſum, tale curatu difficilimum erit, ac valde periculoſum. Depravantur enim hoc accidente vulnera ſic, ut nunquam prout æquum foret, curari valeant, quouſque fellis irritatio ſedata ſit omnino, venenumque ſuum deſierit. Siquidem ad choleram nullum aliud remedium adhiberi poteſt melius, quam ut per ſeipſum quieſcere permittatur. Nonnullorum etiam oculi ſuo ſunt infecti veneno, ut aſpectu ſolo vulnus quodvis inficiant: ejus etiam finis eſt exſpectandus. Cum pleno ventre cibo vel potu, quis vulnus accipit; & præſertim ubi ſuillas carnes ediſſet aut ſimile quid, eo minus fit ſanabile. Pariter agnatæ quævis infirmitates, ut epilepſia, puerorumque morbi curam vulnerum impediunt. In accidentibus hujuſmodi cautum eſſe te plurimum oportebit, maxime quod à natura latius progredi minime datum ſit, anteque vulnerationem extiterit. Si pariter ad vulnus acceſſerint infirmitates, *aridura, fiſtula, cancer, foramina, &c.* non prius natura curam admittit, quam hujuſcemodi malorum tollantur genera. Latius igitur agere ſuſcipias, quam ſe naturæ ſcopus extenderit. Nam ex iſtis vulneribus plura naſcuntur, quam vulnerum pericula, nempe morborum & plurimarum ægritudinum: oportebit ergo te cautum in his plurimum exiſtere.

Cœlorum curſus etiam varius, & operationes ejus potentiſſimæ ſuis in nos impreſſionibus efficaciter agunt. Quandoquidem ſi peſtem imprimere cœlum valeat, & vulnus aliquod inficere diverſimode poterit. Ex his colligere debet Chirurgus, ac intelligere, cur ubi cœlum infeliciter fuerit ſuis in aſpectibus diſpoſitum, & ejus cura ſit infelix. Contra cœlum nihil naturaliter opponere poſſumus: quapropter in ſimilibus, infelicitatis iſtiuſmodi finis eſt exſpectandus. Interea tamen aliqua mutatio fieri poteſt, at non efficacior eis, quæ in curis peſtilentialibus nonnunquam viſæ ſunt. Hac de cauſa majus ne ſuſceperis onus, quam valeas vulnerum inimicitias exſequi, ſed mature conſidera, quales & quantæ fuerint. Si medicamento potentiores exſiſtant, impotenti validiorem te vincere poſſe non exiſtimabis. Abſit à te jactantia, potius ea, quæ te præſtare poſſe noſti, poſtremo reſerva, quam ſtatim ab exordio proferas: nam fragile vas, & homo bulla eſt.

Nonnunquam etiam evenire ſolet, ut vulnera miram per ſe naturam ipſa recipiant, non alias quam lignum in ſigno contrario truncatum vermes concipit, argillaque non congruo tempore defoſſa, grillos producit: quod cum in aliquo vulnere perceperis, aliis remediis id evelli vel averti poſſe non credes, quam particularibus arcanis quibuſdam: ut illa ſunt, quæ nonnullis in herbis & ſeminibus latent, ut lignum vermes non concipere nec argillam, grillos penes quæ fuerint, aut creverint. His enim latius in ſimilibus utendum erit, quam communium uſus medicamentorum & curarum habeat. Vulnera ſæpius depravari ſub optimo certoque medicamento vel unguento compertum eſt, ob cœleſtes curſus curam impedientes. Non ſecus ac lignum ſub infelici conſtellatione tonſum, amplius vegetare non poteſt, nec inſitum aut plantatum quid excreſcere: vulneribus itidem (raro licet) contingere tamen aliquando ſolet. Quapropter hujuſmodi cœleſtium curſuum diſciplinam non abhorreas, at potius conare totis viribus eos diſcere: ne videaris aſtantibus ut calcearius, qui totum calceum exſtruere novit præter inverſionem.

Cap. 5. *De vulneribus recentibus, & utraque medicina ſua depravatis, cum eorum demonſtratione, quæ mortalia ſunt, aut ſaltem periculoſa.*

LIgandi vulnera modus non eſt ignorandus, ut non depraventur, & jam depravata juxta ſuam naturam debitis ligaturis involvantur. Recentia vulnera ſummopere tuenda ſunt ab accidentibus, quæ damnum aliquod inferre poſſunt: horum enim contemptu, plurimum depravantur. Cum igitur iſta variis & pravis accidentibus obnoxia ſint, operæpretium fuerit ea declarare.

Conſuetum eſt hactenus iſtorum labia conſui, demum ovorum albumine conſolidari, triduoque ſub iſta ligatura teneri: quod omne depravationis eorum primum eſt exemplar. A ſuturis abſtine prorſus, & juxta ſecundi Tractatus ordinem hujus Libri vulnera per nutrimentum cura, ſic primæ depravationis labem effugies, damnorum in vulneribus radicem potiſſimam. Si tamen ipſa jam depravata repereris, à fœtore corruptioneque repurga, prout in ſecundo tractatu docetur. Jam differentiam habes inter ea, quæ recentia ſunt, & illa quæ depravata, nec non quid cum eis agendum, & qua ratione curanda ſuſcipere debeas. Quod reliquum eſt, utere medicamentis in ſecundo Tractatu deſcriptis, & infra diem & noctem bis liga, ſingulis nempe duodenis horis ordinate conſuetam nulla ratione prætereundo horam. Si diutius exſpectaveris, operatio medicamenti propter nutrimenti conſumptionem evanuerit, & cum ea defenſio ab extrinſecis elementis, inde vulnus detrimentum patitur, ac depravatur. Horam igitur obſerva diligenter in finem uſque. Cum tamen concluſioni propinquum fuerit, poteris vigeſimam in horam tardare, verum huic nimium ne fidas.

Primæ ligaturę depravationem ovorum pultibus & ſutura factam, altera mox inde ſequitur hæc. Reſinis utuntur in altera ligatura, quandoque cera non præparata, ſevo & oleo mixta: nonnunquam æris viridi, maſtice, thure, gummi &c. quæ ob nimium calorem non conveniunt recentibus vulneribus, nec alimentum præbent opportunum. Sugunt igitur ab his vulnera ſuccum valde noxium: quo fit ut nulla ſit operatio naturæ, ſed contra ſeipſam cogatur agere, nunc tumorem, jam corruptionem, tremores cum frigore caloreque, inflammationes, aut puncturas membrorum, & ſimilia. Cum ergo tibi tale vulnus oblatum fuerit, ut prorſus depravatum deſperatumque ſuſcipe curandum, & ſtatim illi, quæ mundificant, applica medicamina. Vulnera quædam aliquibus illata mortalia ſunt, aliquibus non: aliquibus etiam temporibus, non aliis: quæ poſteriora tamen aliquando mortalia fiunt accidentibus. Quapropter fallax eſt admodum judicium, quo conatum eſt quodvis ad mortem aut ad curam vulnus agnoſci poſſe. Quædam tamen illata principalioribus membris, ut cerebro, quibus hoc moliretur exitum, circa regiones cordis, tanquam deſperata poterunt exiſtimari: nam illæſa confinia ſua cor cupit. Vulnera veſicæ pariter, & inteſtinorum, quæ tranſitum excrementorum naturalem effundunt in uterum. Item pulmonis arteriæ, folliſque reſpirationis ejus, quæ cervicem truncant omnino, vulneraque ſicca ad cordis regiones uſque redundantia, cum ſanguine congelato poſſunt ad mortem agnoſci: nec non alia multa propter acceſſum alicujus accidentis mortem alias invehentis, ut in pulmone jecoreque. Splenis etiam periculoſa vulnera, pariter quæ fel aperiunt, ac illa quibus, ut fodicationum ictibus, venæ jecur & ſtomachum interſitæ truncatæ fuerint. Quæ vitæ muſculum confodiunt, in loco vitæ præſertim exiſtentem. Quæ membris extenſis plurimum & expanſis infli-

guntur, hoc eſt, dum quis membrum vi quadam extenderit, ac in eo ſimul vulnus receperit, cum reliquis quæ dicta, mortale, non æque tamen habendum eſt, at minus periculoſum.

Evenire ſolet etiam, ut propter ſitum aut contorſionem corporis, intrinſecus ordo naturalis deformetur, & venæ præter conſuetudinem diſpoſitæ ſint, eo tempore ſi vulnus illatum fuerit, ad mortem judicari poterit. Aliquoties impinguntur vulnera, quæ repentinam inferunt mortem, & alia quæ apoplexiam, aut ſimile quid morbi mortalis, itidem ea mortalia ſunt. Alias ob influentiam in vulnus incidentem, id eſt, ob ſignum aut cœleſte ſydus infortunatum.

Nonnunquam ob nimium timorem: Sæpius ob curæ negligentiam. Et quandoque juxta mortis occaſionem irrumpentis, mortale vulnus efficitur.

Obſervandum etiam eſt, vulnera capitis maniam producere: venarum, viſus & oculorum cœcitatem, cellarum aurium, ſurditatem. Si genitalia lædantur: aut ad mortem, vel in ſterilitatem juxta læſionem accidiſſe putandum eſt. Sunt quædam loca, quæ læſa loquelam etiam impediunt. Vulnera quæ per tranſverſum illata ſunt, cum truncatione venarum, ad contractionem illius membri vergunt. Si hemiplexia in vulnus aliquod inciderit, membrum quodcunque ſit, contractum reddit. Nervus omnis læſus, qui balſamo ſuo privatur contractionem cauſat. Cum vulnus arripit aridura, pariter contractum membrum efficit. Sunt & alia multa variaque vulnerum contractionem cauſantium genera: veluti cum ligamentorum truncatæ radices fuerint, aut earum venæ, totum membrum contrahunt. Variæ contracturarum cauſæ præter eas quæ dictæ ſunt, ac locis illarum contrariæ, nihilominus etiam contracturam adferunt à temporibus, & aliis accidentibus, quarum origo deſcribi non facile poteſt. Eſt enim homo tot involutus miſeriis ex corrupta ſua natura, ut non ſit opus ei temere ſeipſum in illas profundius conjicere (quod plerique male ſani faciunt indies:) nam ipſa pronior in depravationem, quam in emendationem eſt: quo fit ut omnibus iſtis accidentibus reſiſtere non ſit humanarum virium, nec artis. Non enim poteſt Medicus contra impoſſibilitatem ipſius naturæ quicquam adferre, ſed ſolum quod permiſerit adjuvare. Hoc vero Chirurgi fundamentum fore debet. Quanquam aliquoties medio medicamento prævenitur contracturis, aliiſque ſimilibus accidentibus, ubi tamen ipſa natura medicamentum ad curam receperit, alias non curat medicus, ut in ſecundo Tractatu dicetur amplius.

Tumores calido roſarum aceto curabis, rejecto prorſus & abiecto cupreæ capſulæ unguento albo. Poſtquam vulnera mundificata fuerint, curentur unguento fodicationum, in finem uſque.

De glarea vulnerum.

Ex cuprea capſula Chirurgorum oritur alia depravatio vulnerum, utpote glarealis aqua. Statim atque hanc perceperis, capſulam ejicias per feneſtram, & cura fodicationum unguento, & aceto roſarum calido, proſequereque, propter membri calorem, & inflammationem: quibus ablatis, ad mundificationem te convertas, ut ſupra, poſt unguento fodicationum comple, donec ea concluſeris. Hoc certiſſimum habe, vulnerum curam veram nulla putrefactione fieri debere, ſed medicamentis, quæ eam arcent & amovent: ea namque ſanant vulnera, conſolidantque. Quicquid curare debet, proprietatem ſalis in ſe continere neceſſum eſt, quod ut balſamum extrinſecum, putrefactionem arceat: hoc ipſum oportet eſſe temperaturæ naturæ, compoſitum ex eis, in quibus nutrimentum reperitur membri vulnerati verum, tam carnis, quam nervorum, oſſium, &c. Iſto curabis feliciter, alias non.

Cap. 16. *De vulnerum accidentibus à temporibus, & cæleſtium curſibus expreſſis, & aliis incidentiis.*

Manifeſtum eſt influentiis & ſuis impreſſionibus, cœlum varios morbos producere, juxta varia ſua tempora, ſanoſque plurimum inficere, ut iſti tueri ſeſe ab ejus incurſibus minime valeant, at humiliter ſuccumbere cogantur. Cum igitur bene habentes vincat, quanto magis vulneratos. Et veluti febres diverſas in ſanis gignit, in vulneribus etiam eas imprimit, quæ paroxyſmorum temporibus operationes ſuas in vulneribus exercent frigore caloreque ſævientibus, juxta febrium proprietates, quotidianarum vel tertianarum: quæ non recedunt ab hominibus donec ſanata ſint vulnera.

Suo tempore contingit ut peſtilentia ſæviente, morbus hic ſe manifeſtarit in vulneribus ulceris inſtar, & cum frigore caloreque primum inceperit, qua nonnulli correpti fuere, qui tamen alibi per totum corpus nihil præterquam in vulneribus fuerat ortum, ſenſerunt.

Evenit etiam aliquoties inter milites, ut in vulneribus angina ſit orta, non alias quam in lingua ſolet cum ſignis omnibus, & craſſa cutis à vulneribus exierit, prout lingua conſuevit, avelli. Innumerabilia ſunt accidentia ſimilia, quibus eiſdem ordine medicamentiſque obſervatis, ut in ſuis locis aſſuetis, etiam in vulneribus medendum eſt. Eodem namque medicamento quo linguarum anginæ, vulnerum anginæ curatæ ſunt, nec alia via potuiſſent à vulneribus expelli quam eiſdem; quæ contra peſtem aut in aginam applicantur.

Sæpius etiam contingit, ut vulnera ſanguinis profluvium ejecerint, qui verus non fuit ſanguis: hunc nulla medicina ſiſtere potuit. At cum eo tempore dyſenteria ſæviret, in illis regionibus, & excrementa profluentia paniformia forent illis, quæ manabant è vulneribus, exitumque facerent non diſſimilem, imo prout ſeceſſus redirent, in omnibuſque reſponderent, collectum eſt & concluſum, ut idem quod applicatur dyſenteriæ medicamentum, iſtis vulneribus adhiberetur: quod etiam factum eſt. Hæc & ſimilia Chirurgo ſunt optime conſideranda: nam cum ea mihi contigerint, in aliquot vulneratis pluries evenire poſſent, ac pluribus.

Mineralium metallorumque foſſorem vulneratum præ manibus habui curandum, qui tremore maximo ter aut quater quolibet die concuſſus fuit, contractione convulſioneque membri huc atque illuc actus ad quartam horæ partem. Statim atque potandum oleum exhibui, bibitque, melius habuit. Verum ubi liquorem vitrioli hauſiſſet ore, curatus eſt: ſiquidem ſpecies epilepſiæ fuit. Hæc à me tantum dicta ſint ut ſi forte ſimiles amplius ægritudines oriantur, cognoſci queat, plus ibidem uno damno, periculoſa quædam accidentia fore.

In ſimilibus itaque recurrendum eſt ad medicinam intrinſecam, quamvis optime conveniret, ut Chirurgus per ſe talia curare ſciret accidentia præter aliorum auxilium.

Ex adverſo, plerunque per vulnera generantur infirmitates, non tamen ſitum habent in illis, at veræ ſunt infirmitates intrinſecæ, veluti mania, epilepſia, &c. Quæ quidem ægritudines, licet perſanata ſint vulnera, nondum abeunt, at remanent. Qua de re debet alius hoc loco proceſſus, & curandi modus excogitari, quo medicamentum inveniatur prorſus alienum à Receptis, cujus hactenus inter medicos & Chirurgos pauca vel nulla notitia fuit.

Cap. 7. *De morbis occultis in corpore cum vulneribus ſeſe permiſcentibus, è quibus cancri, fiſtulæ, lupi, frigidæ calidæque naſcuntur uredines.*

IN humano corpore latent cauſæ quædam, & corporales infirmitates, è quibus ſucceſſu temporis fiſtulæ, cancri, foramina vulnerum, ulcerationes, uredo frigida vel calida, ferrugo vel lentigo prava, lupus, & id genus ſimilia enaſcuntur. Cum aliquo in loco materia hujuſmodi molitur erumpere, talis etiam patefit morbus, ex quo & vulnere ſimul damnum fit unicum. Inde ſequitur, ut vulnera curam omnem rejiciant, & nullis medicamentis quantumcunque bonis concludi queant: imo potius in accidentia, quæ narravimus, erumpant. Quamvis aliquoties ac ſæpe his occurrant, & vulnera brevi curentur ſpatio, præſertim ubi materia talis recens adhuc fuerit; ac immatura, vel nondum enata. Verum ſi matura ſit, incaſſum occurritur: erumpere neceſſum eſt idipſum, quod præ manibus fuerit. Quandoquidem vulneraria medicamina differunt ab illis quibus damna dicta reſtaurantur, ut ab albo nigrum. Quapropter infirmitatum hujuſcemodi remedia ſunt arripienda, vulneralibus omnino rejectis. Inde facile colligi poterit ejuſmodi notitiam ægritudinum habere neceſſario debere Chirurgum, alias non ſine maximo dedecore manum è tabella (quod aiunt) retrahere cogerur. Hujus negotii fundamentum eſt, ut relictis vulnerum unguentis, ad alia confugiat remedia, quæ dicta ſunt.

Non ignoranda ea, quæ circa putridam & ſuperfluam carnem in vulneribus orientem attinet, eſſe duximus. Nonnunquam in ſpongiæ magnæ quantitatem & ſimilitudinem ſolet emergere, veluti videmus ab arboribus dependere tumores quoſdam inſtar agarici. Ignari Chirurgi ſeparationum aquis fortibus abrodere conati ſunt: alii novacula truncarunt, unde praviora multa, quæ legere quidem horrenda nimis forent, excitarunt: quapropter omittimus, & productorum iſtorum cauſam exponemus. Porri quidam exiſtunt, qui quanto magis truncati fuerint, ac ſæpius, tanto majores turpioreſque renaſcuntur. Non alias faciunt cum eroduntur, corroſivis aquis, quæ quidem remedia porris minime convenientia, quandoque fungos, vel eorum ſimilitudinem referentes tumores excitant. Cum itaque per porros naturaliter hoc demonſtretur, ſpongiæ vulnerum ortum habent ex porrorum fundamento, radiceque: dum hujuſmodi ſanguinis latebræ tactæ fuerint apertæque, poſtmodum ex cruoris hujus malitia ſimile quid oritur monſtri. Contingere poteſt etiam, ut aliquot annis poſtea ſpongiæ tales è concluſis vulneribus enaſcantur, eſt nihilominus earum fons & origo, quæ porrorum, & non alia: ſed vulnerum concluſionem ante correctionem aut compeſcentiam iſtius virulentiæ, poſt curam imperfectam emergunt in formam ſimilem. Nonnunquam in glandulas vel naptam exteverunt, minori quam antea periculo. Eſt igitur Chirurgo ſummè neceſſarium, ut iſtorum accidentium cognitionem habeat, ne quando ſuſcipiat eorum curam, quorum originis & remediorum ignarus inexpertuſque fuerit. Hæc non alia de cauſa protuli, quam ut ægros ac vulneratos admoneam, ab iſtius farinæ putatitiis medicis, qui talia curare præſumunt, mere tamen depravantibus, abſtinendum eſſe, niſi perditum iri cupiant.

Cap. 8. *De vulneribus infectis, & venenato ferro, vel ſimilibus armis incusſis.*

AN arma, quibus vulnera corporibus inflicta ſunt, veneno prius illita fuiſſent, animadvertendum eſt ſumma diligentia. Quanquam & ſceleſtum & ſupplicio dignum eſt facinus, impiis tamen hominibus in uſu quandoque ſcitur exſtitiſſe, videlicet pugiones, gladios, tela & omnis generis arma bellorum, ut veneno linirent, quo præter vulnera dira, dolorem eorum intolerabilem augerent, & aliquando mortem crudelius inferrent. Hujus veneficii varia ſunt genera merito ſubticenda.

Præter ea, quæ in quotidianum uſum veniunt inſtrumenta mechanica, nullo ſtudio, uſibus neceſſariis venena contrahunt eorum quæ ſecuerint: ut falces ex herbarum variarum in pratis (quarum nonnullæ venenum ſuum innatum, & à natura poſſident) ſectionibus, & ferri calore cum etiam venenoſorum animalium, prout ſerpentum, bufonum, & aliorum ſub herbis latentium cruore ſic inficiuntur, ut vulnus aliquod eis contractum inſtrumentis plurimum cauſa veneni ſit periculoſum.

Quamobrem in ſimilibus animadverſio particulariter eſt habenda curationis eorum & curæ vulnerum. Et licet acuitionibus lapide factis nonnihil auferatur iſtius veneni, non omne tamen eximitur hac ratione, vel alia quapiam. Pariter aratrorum ferramenta venenum ex terræ natura concipiunt, vulneraque venenata faciunt.

Ferrum ſiquidem omne recipit in ſe naturam alienam, ut ejus in quod applicatur uſu. Itidem & palæ faciunt hortenſes, falceſque minores, at noxiæ minus prædictis.

Fabrorum lignariorum tamen ſecures, & omne quod in lignum agit inſtrumentum veluti dolabræ, ſimiliaque non recipiunt in ſe hoc uſu venenum, ac potius curabilem naturam acquirunt.

Vitrum autem ex ſui natura venenum eſt, ne niſi fruſtum ejus aut fragmenta maneant in vulnere, non alias. Verum donec in eo manſerint plurimum inficiunt.

Quæ tamen vulnera ligno fiunt eo maxime quod manibus indies teritur, ut fuſi muliercularum, peſſimum venenum accipiunt à manibus: quoniam ſudor liquorque pravus per ligni cuſpidem penetrat, inficitque plurimum.

Lapides necnon alia metalla veneno carent, quod ad vulnerationem attinet. Ferrum quidem aliquando ſuo realgare non omnino repurgatum eſt, unde magis alio puriore nocivius contingit.

Quînam hujuſmodi venena queant extrahi, ſingulatim ſcribere ſuperfluum foret: nam ſecundi Tractatus id recepta perfectiſſime præſtant ex ſua proprietate: fac igitur, ut illa habeat.

Animadvertendum etiam tibi, num vulnerum accidentia procedant ex hujuſmodi venenis, aut non. Siquidem accidere poſſet, ut ex venenis judicarentur, quæ nata forent aliunde, cum iſta venenis aſcriberentur: nam ſigna parum differunt. Quamvis venenatorum armorum ſtudio manifeſtum indicium in vulneribus apparet, utpote calor exurens, inflammatiſſimus tumor, coloris in carne mutatio non conſueta, laterumque punctiones præſertim ex telorum alatis cuſpidibus. Si dolor hujuſmodi nimium preſſerit, infunde frigidum oleum vulnerate, poſt ſuperpoſito fodicationum unguento proſequere: ſic venenum evinces.

Alia tamen inſtrumenta ſolis uſibus venenata, non ita crudeliter vulneribus hominem torquent, niſi forte cruor aut pinguedo bufonis aut araneæ ſimul cum ferro lædente ſubintraſſet in vulnus: tum demum utere medicamentis, quæ tertii Tractatus receptis continentur.

Cap. 9. *De illis depravationibus, quæ propria ſiunt vulneratorum petulantia, veluti ciborum, potuum, & exercitiorum abuſu, tum actu venereo.*

LIcet Chirurgus omnem diligentiam, & ex arte probatiſſima quæque medicamenta vulneribus, adhibeat, ut hac de cauſa nihil ad ſanationem requiratur perfectiſſimam, nihilominus poterit æger ſua petulantia totum hoc opus excellentiſſimum, & naturam ipſam pervertere. Quod ſæpiſſime contingit, ut videlicet ex inordinato ſuo regimine, vulnerati ſui membri ſibi concilient aut ariduram, vel contracturam ægri, vel accidens aliquod in vulnere, quæ non eveniſſent, ubi ſub obedientia Chirurgi ſe continuiſſent: aliquoties etiam ipſi propriam ſuæ mortis cauſam excitant. Hæc non ſine maturo judicio conſiderata ſunt, ut cognoſcatur, uter in his culpandus veniat, æger an medicus. Ægri petulantia naturam irritat, ut non amplius in bonam diſpoſitionem redeat, ad quam prona prius fuerat. Idipſum ex actu Venereo patet, eo nempe ſic vulnus accendi, ut in quodvis accidens incidere pronum ſit, juxta ſitum ejus. Quapropter eſt, quod hoc ex vulnere cognoſcere diſcas, & prævenire. Nam ſæpius contingit ex hoc uſu vulneratis, ut ſibimet in vulnere Perſicum ignem concivérint: qua de cauſa vel totum oportuit membrum aliquoties amputare, vel mortales febres acceſſerunt, aut apoplexia, vel alia morti plurimum obnoxia. Id in his tibi ſumme notandum erit, cum violentum accidens petulantia contractum diligenti cura ſuperare non potueris, ut rabiem hanc quieſcere permittas ac ſedari: tamen diligentiori ſtudio curam interea proſequaris.

Non alias ex inquietudine vulnerati membri, plurima poſſunt accidentia (non ita periculoſa tamen ac illa, quæ ex actu Venereo proveniunt) oriri. Nihilominus ex ea nonnunquam vulnera contrahunt alterationes ad incendium inclinatas, vel febrem vulneralem, aut contracturam, vel cum frigore, tremore, & calore, ſimiliaque multa. Quietem igitur vulneratis impera membri læſi, contemptu hujus quid pejus oriatur.

Ciborum & potuum rationem præſcribe, ne quid edant aut bibant, quod vulneri præjudicium adferat, neve ſe his aut bonis obruant: nam omnis repletio penes infirmos naturam infeſtat: quæ modum, atque menſuram potiſſimum ubi defectus in corpore fuerit, quo melius ei reſiſtere valeat. Contra ſi prædictis obruta ſit, in choleram & irritationem commovetur, juxta quarum naturam per totum corpus diffuſa ſævit: quæ ſævitia tremorum, febrium in vulneribus, aliorumque peſſimorum accidentium eſt potiſſima cauſa.

Ut hæc igitur evitari queant, æquum eſt Chirurgum vulneratorum non aſpicere perſonas, at miſerias & calamitates, quæ ſequuntur inobedientiam eorum.

Ex coitu nonnunquam oriuntur accidentia periculoſiſſima, prout apoplexia, ſubitanea mors, epilepſia, hydropiſis, &c. quæ curam non recipiunt, at in mortem tendunt.

Exquiſitio ciborum & potuum particularium non eſt contemnenda. Nam ſi per cibos & potus ordinatos ad vulnera, curantur vulnerati, ſic etiam potibus & cibis incongruis perduntur: Bono malum enim ſemper eſt promptius propiuſque.

Cap. 10. *De natura & proprietate accidentium, quæ ex ægrorum propria natura & complexione procedunt.*

QUod uno curabilior alius reperitur, aut ad ſanationem tardior apprime Chirurgus conſiderare debet, ne latius quam ipſamet natura valet, progredi conetur. Aptius operi lignum eſt alio, vel iſto nodoſius, durius, aut reluctantius aliud, quaqua verſum arripiatur, attamen cum tempore dolatur omne: ſic etiam cum hominibus. Ex terra quidem ſumus omnes, in qua durum, ineptum, aptum habetur, & molle: quapropter id, quod in ipſa reperitur, illa continent quæ producit. Cum igitur natura talis aut alia ſuis in proprietatibus durior aut mitior occurrit, cedere naturæ Chirurgi probum eſt officium, à ligno ſumentis exemplum, ut ſupra.

Efficit etiam aliquando vulneratorum delicata natura ſua, mortalia fore vulnera, quæ ſanabilia forent in aliis. Eſt enim admiranda penitus in humano genere natura, varieque diſtincta, ut ſumma conſideratione ſit opus; ubi ſingulare corpus oblatum eſt, particulares etiam eſſe curas aſſumendas. Ratio hæc mihi dedit occaſionem, putatitiorum Chirurgorum artem & medicamina rejiciendi, quod in uno corpore fundata ſint, poſtmodum in decem aliis nihil operentur. Hac de cauſa remitto vos ad ſecundi Tractatus recepta, quæ cum habueritis, dolabram quibuſvis aptam lignis poſſidetis, licet in uno quam in altero celerius agentem, ſuo tempore tamen in omnibus. Tarditatis etiam hujuſcemodi cauſa non eſt mutandum medicamentum, at ſolum tempus expectandum.

Videat igitur Chirurgus, & diligentiſſime curet, ſimile medicamentum aſſequi poſſe, quod non uni carni tantum, ſed omni ſit aptum & idoneum, aliaque relinquat; quæ hactenus in Chirurgia tantas attulere tenebras, ut ſemper opus fuerit immutare, nunc in hoc, jam in aliud: nec tamen ad artis perfectionem aut fontem perventum eſt.

Cap. 11. *De vulneribus, quæ poſſunt in mulieribus offerri, ſeſe menſtruis permiſcentibus.*

PRætereundum non eſt, quod in vulneribus mulierum accidere quandoque poteſt, utpote naturalis eruptio per illa menſtruorum profluvii, quo tempore periculoſiſſima concurrunt accidentia, prout epilepſia, vel ſpecies ejus, quæ non prius quam ſit optime ſedata matrix, à patientibus recedunt. Vulnerum inde ſiunt accidentia multa, nempe calores acerrimi, contracturæ, dolores capitis, reſtrictio pectoris, potus & cibi nauſea: quæ omnia curam infelicem atque periculoſam reddunt. Ut hæc tollantur accidentia, neceſſarium eſt, ut menſtrua naturalem exitum faciant, & medicamina tum demum operari feliciter poterunt. Mulieribus etiam agnata peculiaris ineſt cholera, quæ ſi occurrat, multo periculoſior eſt menſtruis: nam ex cholera generantur contracturæ per totum corpus: quibus excitatis commovetur & matrix: concurrunt itaque duæ ſimul infirmitates, quarum utraque particularia ſua producit accidentia, prout contracturas vel paralyſin in manibus pedibuſque, tum ex matricis aſcenſu, ſpecies epilepſiæ. In his notandum eſt, omnes illas infirmitates per vulnera moliri tranſitum: quapropter conſiderandum eſt, qua ratione ſedari mater debeat, & amoveri contractio, tandem curat vulnus. Hujuſmodi concurrentes infirmitates non facile removentur, at plerunque perſeverant in mortem uſque: & ſi remedium aliquod adhiberi poteſt, longo ſucceſſu temporis id ſieri

fieri; viſum eſt, quamobrem ab exordio, vel ante præveniendum erit.

Cap. 12. *De ſignis in vulneribus & vulneratis apparentibus: quid ſignificent, & quid inde ſequatur?*

PRiuſquam accidens aliquod in vulnus incidat, apparet in eo ſignum: eſt itaque Chirurgo neceſſarium, ut à ſignis præcedentibus cognoſcat ſubſequentia, quo vulnera quanto lenius fieri poterit, curet. Si tamen ultra diligentiam contrarii quid præter medicaminis uſum & conſuetudinem eveniat, accidens aliquod exſpectandum eſt. Hoc igitur Capitulo ſignorum tractare ſignificationes & intellectum propoſui: quod in Chirurgia ſummum arcanum exiſtimo, & ipſemet expertus doceo: quodque ſciam neminem diligenter obſervantem ea, quæ deſcribam, fallere poſſe, licet à nullis hactenus Medicis aut Chirurgis prolata ſint. Æquum eſt, ut ſi novi quid in his, quæ Rempublicam juvare queant, ab aliquo ſit expertum, in medium adferatur.

Tumores vulnerum.

Si vulnera quatuor membrorum, ut pote ſcapularum, in juncturis potiſſimum, brachiorumve, necnon coxendicum & crurum tumorem cum dolore concipiant, juxta mutationes temporum aucto vel diminuto, aut ſecundum lunæ quartalia, plenæ præſertim, & novæ, tum ante mediam noctem intendatur acrius, in ariduram tendunt, poſt concluſionem effectum conſecuturam.

Vulnera quæ facile curam admittunt nihilominus tumorem juxta ſe tendentem ad manus vel pedes, aut retrorſum ad juncturas emittunt, qui dureſcat admodum, & convaleſcente vulnere non minuitur, imo dolorem in ſe recipit omnem, indicant ibidem accumulari corruptos humores, qui magis quam ipſa vulnera vicinis membris obſunt, carneſque, nedum & venas, verum etiam oſſa putrefaciunt, fiſtulas & foramina multa producunt, ut inde poſt incurabile damnum oriatur.

Glarealis aqua vulnerum.

Cum viſcoſus liquor ad albumen ovi profluit à vulneribus, indicat accidens periculoſiſſimum, ut membri totius & medullarum exiccatio, cui nemo poterit obſtare, niſi liquor ille juſto pondere fuerit membro prorſum aliqua medendi ratione reſtitutus, alias exiccatur, ut lignum ab arbore ſua truncatum: quod quidem accidens aridura vocatur.

Inquietudo membri vulnerati, patientiſque.

Vulnus omne, quod patienti ſomnum impedit, ac prorſus aufert, ipſum etiam quieſcere nequit, hiſque laterum accedunt punctiones, indicat mortis occaſionem adeſſe, præſertim ubi ſitis intolerabilis patientem cruciet. Verum animadverte ne forte id ab incongruo medicamento proveniat: loquor ſolum hoc loco de naturæ defectibus.

Turbatus intellectus.

Spaſmus in oculo cum apparuerit, lingua balbutiens, & ad interrogata nulla vel aliena ob turbatum intellectum reſponſio, mortem indicant, potiſſimum ſi depravetur auditus.

Mania.

Si torvis intenſiſque homines oculis aſpiciant, alacris tamen eorum ſermo ſit, vox acrior ſolito, & ſi in aſtates accendantur, capitiſque ſit calor maximus, maniam aut furiæ ſpeciem inſtantem ſignificant, juxta qualitatem eorum quæ dicta ſunt.

Si vulnera poſtmodum aquam emittant, ac ab excrementorum ejectione ſui nutrimenti ceſſent, curamque non admittant interim, aut ſanationem, in cancrum, fiſtulam, aut ulcerationem tendunt: vel ſi turbatio concurrat intellectui, cum debilitate membrorum; aut pulſatione cordis, mortem indicant.

Vulnere ſanationem optime recipiente, ſi corpus aggravetur, & eo magis, quo bene ſit vulneri, mortis etiam eſt indicium. Cum vulnerati ſtridorem dentibus edunt, ſuique fiunt immemores, indicant mortis occaſionem adventuram: niſi fortaſſis vermes in eis poſtmodum inveniantur, tum demum ſe res melius habet.

Cùm ore ſpumam ejiciunt, anhelitumque fortiter attrahunt, ac naribus ſtrepitum emittunt, ſpaſmo pariter oculos manus & pedes infeſtante, contractionum; aut epilepſiæ, vel ſubitaneæ mortis eſt indicium, præſertim ubi ſeipſos incurvant, corporaque ſua torquent.

Si repentinus per ſe tractus in vulnere dormiendum inter, aut alias fiat, indicium eſt alicujus graviſſimi caſus vel accidentis, niſi forte per timorem aut horrendum ſomnium excitetur.

Si tumor ad vulnus accedat, qui preſſione facta, foveam retinet, tenuiſque ſit admodum ſanatio carnis, & plurimum tarda, membri talis indormitionis, vel in eo ſenſus amiſſionis eſt indicium.

Ubi ventriculus digeſtivam facultatem amiſerit, ut cibum retinere minime valeat, invaſeritque maxima ſitis, venas & nervos ſectos à proprio loco ſuo fore dimotos, & è directo non convenientes judicabis.

Multo plura dari poſſent indicia, verum hæc potiſſima ſufficiunt, è quibus alia quævis diligentibus innoteſcent: eaque hac de cauſa poſui, ut illis quæ ſignificant, prævenire valeant illi poſterum occurrent. Non enim ſine magna poſſunt experientia cognoſci, ſcriptis quoque doceri complete, nec addiſci. Quapropter diligentia maxima requiritur ejus, qui peritus earum eſſe cupit rerum, quas eminus tanquam è ſpeculo ſcriptura demonſtrat.

Cap. 13. *De vulneribus depravatis.*

ETſi libellum hunc de recentibus vulneribus conſcribere cœperim: quia tamen ea, quæ per imperitiam putatitiorum Chirurgorum depravantur, indies multo plura ſint aliis, breve fundamentum etiam de his ponendum eſſe duxi. Primo conſiderandum erit quid illud ſit, quo vulnus depravatum eſt, an accidens aliquod ſuperveniens, vel imprudentia medici. Quod ſi fuerit accidens, excellentiſſimum remedium habetur ad omnes vulnerum depravationes, ut ad cancrum, fiſtulam, ſimileſque hoc in ſecundo Libro faciam, ut iſta ars recenter inventa, & hactenus nemini collata ſit. Alchimia mater eſt ignorata, nemini collata ſit. Alchimia mater eſt arcanorum in Medicina, quibus deſperati curantur morbi, prout in ſequentibus audietur latius.

Cap. 14. *De ſutura vulnerum, & ejus uſu; deinde quid ſutura vera ſit.*

TAm vetus eſt ſuturæ vulnerum uſus, ut ejus exordium fere nemini cognitum ſit: quid ad rem, ſi veteres uſus manere debeant, ſunt & fatui cum ſtultis veteres: quid ad ſapientem attinet. Si pater tuus aut avus peſſime fecerit, vis propterea fallere decipereque homines? quid ſapienti negotii eſt cum fatuitate patris tui? Hoc à me diſcito. Quamvis aliquo-

quod vulnus conſueris, ipſe perpendas, non diu ſic manere: nam putreſcit, fiuntque poſteriora pejora prioribus, ut omittam ea, quæ ſubſequuntur accidentia periculoſiſſima. Ut igitur meliorem futuram addiſcas, accipe fundamentum hoc. Natura per ſeipſam tantum connectit, ac eo die ſanat, & ita conſequenter in dies uſque ad ſupremum concludit, & melius, ac ſi tu filis cal incum vulnera conſuiſſes. Propter ſuturam enim citius aut melius non ſanantur vulnera, ſed longe deterius ac infelicius. Iſta ſutura tua ſit, acuſque: Bonum fac habeas medicamentum: quod cum habueris, eo conſue. Si hunc uſum rejicias, nemo te merito Chirurgum exiſtimare poterit, ſed inimicum naturæ verum: & niſi Deus hominum quam tu ſanitatem optaret magis, nullus curaretur unquam. Summum naturæ defectuoſæ deſiderium eſt abſque dolore ſuos curari defectus, quod etiam optime fieri poſſe novit, hac de cauſa curandi proceſſum hunc amat. Verum abhorret inflatos utres, Chirurgorumque ſimilium unguenta Nec ſolum ob ruditatem ſuturæ contrarior, at etiam propter incidentia mala, quæ per ipſam introducuntur.

Malum ſane, hominum deliria vocentur artes. Reperiuntur quidem pulveres & aquæ conglutinantes, quæ vulnus quodvis non alias connectunt, ac duos aſſeres optima colla. Hunc uſum ego maximam artem fore dico: nam ipſo mirabiliter curantur vulnera, prout in ſecundo Tractatu de receptis docebitur. Si hæc ars loco ſuturarum veniſſet in uſum, aut manſiſſet hactenus, multa vulnera curata fuiſſent, quæ male ſanata remanſerunt. Verum deſtruentium ſemper, quam reſtaurantium copia major exſtitit, eo, quod ubi loquacitas, ibidem quæri ſolet ars, at inveniri nequaquam. Sic fundamenta ruunt artium, & conſtruuntur abuſus, qui locum earum occupant.

Cap. 15. *De ligaturis primis, mediis, ac poſtremis, ac aliis apprime neceſſariis.*

IN Chirurgia quædam notanda ſunt, ac ab initio uſque ad finem optime conſideranda. Quamvis unumquodque medicamentum eorum, quæ ſecundo Tractatu ſcribuntur, initium, medium, atque finem per ſe complectatur: nihilominus, ut citius curentur, & ab accidentibus tueantur vulnera, potior hic eſt, & convenientior uſus. Ab exordio vulnera curans, oleis, balſamis, & unguentis vulneraribus, imbutiſque ſuis medicamentis ligato floribus, & iſtis impleto vulnera tepidis: tum demum unguenta vulneraria, vel fodicationum ſuperponito, poſtremo circum vulnus olea vulneraria cum ſuis, quæ continent, ligato, ſingulis horis duodenis renovando continuandoque novem, vel ad minimum octo diebus. Hoc meum eſt conſilium, ut fiat in maximis & periculoſiſſimis vulneribus, in quibus nervi truncati ſunt, aut multo pejora quæpiam ſecta, & ubi dubitatur de accidentium incidentiis, aut contracturis: quæ quidem evitantur omnia, ſi ligaturæ primæ tales fuerint, juxta proceſſum hunc obſervatæ. Et ubi vulnera fodicata periculoſaque forent, per ſyringam inſpuantur olea vulneralia ut hujuſmodi latebris evitentur etiam accidentia. Nam principiis non tam diligenter obſtare quis poteſt, ac neceſſarium eſt. Si capiti vero ſint inflicta, linteolum tenue, vel byſſinum velum, oleo vel unguento vulnerali & calido madidum, (balſamo vulnerali nullo modo) ſuperpone vulneri, ſic ut fundum ejus tangat, intacta pia matre tamen aut illæſa: poſtmodum imple ſulcum eo medicamento, quod fit ex herbis & floribus in oleo vulnerari contentis, & prius expreſſis: poſtremo fodicationum unguentum ſuperpone (non tamen ex illis, quæ non ex lithargyriis componuntur, ligatoque, ut ſupra dictum eſt de aliis, donec perceperis patientem habere melius; & roboratum eſſe, quod plerumque fieri ſolet in octo vel novem diebus. Deinceps cum feliciter patienti rem ſuccedere videris, oleo balſamino curabis eum illito pluma leniter, & unguento ſuperpoſito, tamdiu, quouſque nervorum juncturas, aut ſimilia non videris amplius: tum demum fere ſecunda ligatura finem habet. Tertia poſtremaque ligatura fit nudo ſoloque fodicationum unguento, in finem uſque vulnerum, aut curæ. Hæc eſt medendi ratio, & conſilium in periculoſis vulneribus, quæ in oſſa, nervos, arterias, & ſimilia facta ſunt, & de quorum cura deſperatum fore poſſet. Cum tamen ita periculoſa non fuerit, poteris unico tantum medicamento uti, procedereque ſine metu. Maximum eſt hoc negotium, in principio ſcilicet agere mitiſſime cum vulneribus, impoſitis medicamentis, quæ ex fundamento vero compoſita ſunt, & veris etiam ſuperius ab extrinſecis inimicis defendentibus. Sunt præterea quædam alia medicamenta, veluti potiones, & pulveres vulnerum, ſublimata ac deſtillata, quorum uſus infra ſuis capitulis declarabitur.

Cap. 16. *De quibuſdam intrinſecis morbis, quæ ex vulnerum concluſorum curis oriuntur.*

SOlent plerunque poſt vulnerum concluſionem infirmitates periculoſiſſimæ ſequi. Non ſolum igitur in concluſione curandorum vulnerum ars tota conſiſtit, verumetiam præventione quibuſvis accidentibus, quæ ſubſequi poſſent, ordine, regimineque bonis oppoſita. Exemplum ab his, qui minuunt ſanguinem, accipiamus, exitum hunc naturæ præparant in auxilium, per quem ulterius juvari vult: quod niſi fiant, ſequuntur accidentia. Cum in tam levibus ergo hoc ipſum evenire videatur, quanto magis exitu fuerit opus illis, quibus multa fuerunt inflicta vulnera ut infirmitates intrinſecæ, quæ ſubſequi poſſent, evitentur. Induſtria ſumma requiritur, ut cognoſci queat ac intelligi, qua via rationeque hoc loco naturæ præparari debeat exitus, & quo tempore congrue fieri debeat. Animadvertendum eſt etiam, nimiam ſanguinis effuſionem ſæpius pulmonem inficere, quandoque hydropiſin, aut alios tumores excitare, vel aliquoties complexionem in aliam à propria ſua natura qualitatem invertere: qua de cauſa vertigines, ventriculi malæ diſpoſitiones, & ſimilia in aliis membris oriuntur, latius conſideranda, quam hoc loco deſcribi queant. Cum igitur à te curatus quiſpiam receſſerit, hoc regimen ex ordine præſcribere decet, ut damna quævis effugere poſſit. Nonnunquam etiam per vulnera graves curantur infirmitates. Vidi quendam ferme ſurdum à plurimis annis, cui fuit amputata cum fruſto carnis amplo ſatis auricula, hoc vulnere curato ab ea parte melius audivit. Hoc ipſum etiam aliquoties accidit oculis, ut clariores facti recuperarint aciem. Sic & in aliis defectibus ægritudinibuſque evenire ſolet ac poteſt, quarum ſanguis eſt occaſio. Alii fuere, qui dyſenteria ſæpius in anno vexati, medio vulnerum lectorum fodicatorumque longo tempore liberati ſunt. Podagram etiam plurimis annis retardarunt. Quapropter uno plura conſideranda ſunt à Chirurgo. nec non æque ac utilitates, damna cognoſcenda vulnerum. Nam etſi quandoque noxium quid eſſe videtur omnino, tamen alias utile reperitur ex altera parte ſæpius.

Cap. 17.

Cap. 17. *De quibuſdam in particularibus vulneribus, & fodicationibus animadvertendis.*

IN genitalibus & pudendis vulnera plus, quam in aliis partibus doloris inferunt. Eorum ligationis ordo minime differt ab eo, qui de cæteris dictus eſt, ut pote cum obſervatione principii, medii, finiſque ad mitigationem doloris, aut inflationis, tumefactioniſque depreſſionem in illis concurrentium. Iſtud medicamentum confici debet ex farina fabarum in vino & aceto cocta, calidumque ſuperponi, quantum pati valeat æger: & cum refrixerit, iterum ut prius innovatum calidumque ſuperponatur, donec ſedetur dolor: vel fabarum loco farinæ ſumatur ex furnis argilla uſta, præpareturque ut farina, & eodem ſuperponatur modo, quouſque dolor ceſſaverit. Si forte his remediis nollet cedere prorſum, accipe florum chamomillæ manipulum unum, & florum verbaſci vel tapſi barbati tantundem, coquantur in olivarum oleo, donec in modum emplaſtri reducentur, hoc ſuperpone calidum. Rurſus ubi non juverit, ebulum in vino coctum ſuperpone: poſtremum hoc eſt in his remedium.

Inteſtinorum vulnera debent artificioſe connecti cannulis argenteis, modo fieri poſſit. Evenire ſolet etiam, ut ſucceſſus inteſtinum unà cum excrementis exeat, quod eo ſi pervenire poterit, bene eſt. Verum induſtriam id requirit maximam ab omnibus non ſubeundam. Præcipua quæ à Chirurgo notanda conſiderandaque (præter illa quæ de receptis cognoſcenda) ſunt, hactenus aperui. Quæ ſi quis non intellexerit, ſecundi, tertiique Tractatus recepta ſibi ſunt inutilia.

Secundus tractatus Chirurgicæ D. Theophraſti Paracelsi.

De medicamentis, artibus, & receptis, per quæ vulnera, fodicationes, jaculorum ictus, & ſimilia curantur.

Præfatio.

Hoc ſequenti ſecundoque poſt primum Tractatu meo continentur omnia recepta & medicamenta, quibus veriſſime certiſſimeque juxta naturæ verum ordinem quodlibet vulnerum genus, aut fodicationum curatur, & eo, quo pervenire debet ac poteſt, perducitur neglectis prorſus iis, quæ ab aliis ſcripta ſunt. Chirurgiæ fuit hactenus & ſemper verum & certiſſimum fundamentum, at à putatitiis Chirurgis depravatum & falſificatum.

Quod quidem expertus ſum, hoc vobis palam facere poſſum, quo melius, & quinam corrigendi ſint. Lege igitur, addiſceque recepta quæ ſequuntur, quibus fideliter agere cum proximo, non alias, quam ipſe tecum fieri cuperes, ex æquo valeas. Conſidera ſuperbiam, vanam gloriam, pompam, & multiloquium curare minime poſſe, at ſolam artem. Quapropter abjice quicquid arti contrarium, ut perfectus fias in Chirurgia medicus.

Cap. 1. *De abſtinentia, regimine, & ordine, quæ à vulneratis obſervanda ſunt.*

CUm ſanis corporibus inordinatus vivendi modus noceat, quanto magis infirmis. Id ipſum in vulneratis conſiderandum eſt, præſertim quod videamus ordine bono cibi & potus, ac regimine vulnera curari poſſe, pariter, & malo depravari. Servandus eſt igitur, ut in omnibus, & in vulneratis ordo bonus, qui faciat ad ſanitatem, contra quem nihil admittendum erit. Nam ordo malus & medicamentum, licet optimum nihil operari boni poſſunt; nec medicamen cum bono regimine pravum. Inde ſequitur vulneratos cibis & potibus optimis alendos eſſe, juxta ſui tamen ſtomachi digeſtionem. Ordinem & uſum hunc obſervato. Si quiſpiam potus exiſtens vulneratus fuerit, ſine talem in ſecundum vel tertium aut quartum diem ſuperfluum hoc, quod ſumpſit, optime digerere: interea tamen poteris illi offas aqua madidas, & avenæ farina concoctas adminiſtrare, potumque dare decoctionem hordei. At ſi jejunus vel non potus aliquod vulnus receperit, optima quæque ſaniora dabis, quod ejus natura non ſit alterata in digeſtione, prout altera poti, qui duo jam habet vulnera; prius intrinſecum naturam corrumpens, alterum extrinſecum in carne.

Cibus vulneratorum ſæpius mutandus eſt, eorumque varius appetitus exſtinguendus, & non reprimendus, niſi talia forent ab eis deſiderata quæ in omnibus ægritudinibus prohibita ſunt, ut ſuillæ carnes, anſerinæ, aquaticarum avium, &c.

Hoc loco potiſſimum eſt, ut ſæpius & qualibet vice parum cibentur & potentur vulnerati: non obruantur eis ullo modo; nec diu fameant aut ſitiant. Nam eorum ſitis ex jecore procedit, quod à vulnere ſuum cogitur nutrimentum exhibere, quapropter eſt in vulneratis exſtinguenda ſitis: quæ quidem potius quam ſitis medicamentum eſt ad curam excitatum. Eſt ergo potus iſtorum concurrens medicamentum, & in vulnere ſolatium: ſic de cibo judicandum erit.

Præter neceſſitatem edere vel bibere non cogantur, ſive graviter aut leviter vulnerati, niſi foret infrigidatus ventriculus, & hac de cauſa non appeteret cibum, propter digeſtionis in eo defectum: quo percepto, calefaciendi ſtomachi gratia poterit cibus adminiſtrari calidus & potens qualibet vice parum & ſæpius: ut ſunt offæ carnium jure madidæ, vel pultes, quas Germani vocant aduſtas. Non eſt quod larius de cibo vel potu ſcribatur, quam ut reſpectu perſonarum leves atque digeſtibiles adminiſtrentur, ſuis etiam temporibus, utpote cum exigit ipſa natura. In potu plurimum erit animadvertendum, ut adhibeatur ex æquo: nam plus vulnerati ſitiunt quam fament, ob ſanguinis effuſionem (uti ſupra dictum eſt) quam ſitis, & non ita fames ſequitur. Siquidem ex effuſione ſanguinis, jecori ſuum deficit nutrimentum, & non ſtomacho: quapropter ſua ſiti nobis indicat hujuſmodi reſtaurarum cupere defectum. Quod ſtomacho defecit, non eſt ita metuendum, nec tanti momenti hoc loco: citius enim & levius corroboratur ventriculus ipſo jecore. Stomachus omnis hac ratione ſuam digeſtionem amittit, quod ex cibo ſuo jecur ſatiare non poteſt: attamen potum digeſtio parum appetit. Pluris igitur quam ſtomachum jecur facito, quod iſtud vulneri ſuum nutrimentum exhibeat. Et quanto magis in ſe potus habuerit ſanguinis, id eſt, in eum erit potius convertibilis, tanto magis vulnus ad ſanationem promovetur. Quamobrem potiſſimum & optimum juxta regionis commoditatem, quem habere valeas elige potum.

Jubeto vulneratum quieſcere, ne membrum fatiget ægrum, eo melius curabitur.

Et ſi forte quæpiam infirmitates inciderent ut ſupra, ſcias addere vel detrahere: ut ſi contorſiones fierent membrorum, aut epilepſia, vel ſpaſmus accederent, caprinas carnes ne dederis, & ſi febres, ovorum nihil: ſic de cæteris infirmitatibus ad vulnera concurrentibus.

Cap. 2. *De obſtructione alvi, ejectione per os, & urinæ defectu, vulneratis aliquando contingentibus.*

QUod vulneratis alvus obſtruatur, ex ſanguinis effuſione fit potiſſimum, quæ naturam debilitavit magis, quam expellere valeat: *ſecundo*, longa decumbentia id etiam operatur: *tertio*, famis atque ſitis.

ſitis defectus : *quarto*, vulnerum natura calorem concipit, qui ſiccat & conſumit: *quinto* , ſitis indicat obſtructionem alvi ſiccitate cauſatam eſſe.

In his animadvertendum , opus non fore laxationibus, niſi poſt diem tertium, aut paulo diutius, vel ubi cordis attrictionem ſenſerint, quo percepto ſuppoſitoriis imprimis utendum erit : quæ ſi non juverint , caſſia fiſtula detur, aut electuarium ex ſucco roſarum , diatinicon , aut benedicta laxativa , juxta communem uſum.

Non ſunt etiam contemnendæ potiones decoctionum, quæ fiunt ex folliculis ſenæ, polypodio, ſimilibuſque.

Evenire ſolet aliquoties, ut vulnerati per os ejiciant, aut ſaltem ad hoc proni ſint. Cum id contigerit, accipe frumentacii fermenti manipulum unum, cum ſucco mentæ, & aceto contuſum , & in emplaſtrum coctum, ac ſtomacho ſuperpoſitum, teneatur donec refrixerit : poſtmodum calefactum iterum apponatur quoties ederit, ac duabus vel tribus horis poſtea ſuper ventriculi cavitatem relinquatur. Non uſque adeo curandum eſt iſtud accidens, cum non ſit admodum periculoſum , nec in malum finem tendens, ſed ut natura fortificatur, per ſeſe tranſit in nihilum.

Cum autem urina meatum ſiſtit, da patienti cancrorum oculos in aqua vel ſucco raphani tritos in potum, & ſi non juverit , crocus in ſacculo pudendis alligetur extrinſecus, aut glandes edat ſiccas, etiam cum vulnerum cura ceſſat.

Cap. 3. *De præparationibus medicamentorum inſtructio generalis.*

CUivis medico familiariſſimum inter cætera fore debet hoc , ſcilicet , ut cognoſcat , in qua præparatione quodvis potius ac potentius vires ſuas exerit , quicunque idipſum non didicit , ad Medicinam aptus eſſe minime poteſt. Eſt enim differentia maxima calorum coquentium vel dirigentium : calore ſiquidem præparantur omnia, vel ignis, ſolis, fimi, vel naturaliter innato : quæ ſic intellige. Cum aliquod medicamentum in phiala vitrea ſoli fuerit expoſitum , aliam virtutem habet , quam ſi calore digeſtum fuiſſet ignis ligno facti vel fimo : & in hoc poſtremo coctum aliam, quam in ſole vel igne. Diſcrimen eſt etiam inter calorem arenæ & aquæ, licet ambo calorem ab eodem igne recipiant externo, pariter & ſimili modo. Cum igitur conſideratu maxime neceſſarium, ut unumquodque ſit in convenienti ſibi calore præparatum , æquum etiam erit hoc ipſum declarare, quo digeri queat in ſole , quod illi convenit : & in reverberatorio quicquid ab eo præparari debet : ac per ſe teneri , quod ex ſeipſo præparatur : ut vinum in ſuo vaſe , nec non in fimo perfici, quod in eo poteſt emendari quodvis congruo ſuo loco, prout in ſequentibus receptis habetur apertiſſime. Diſcere igitur, quis naturæ ſit ordo cognoſcere ſimul & experiri, quave ratione præparari cupiat, alias quod in ipſa virtutum eſt , ac operationum , perficere non poteſt. Hujuſmodi præparationum tantillam antiqui fecere mentionem , quantam ab Alchimiſtis & admodum ſobrie ſugere potuerunt abſque vero fundamento : quamobrem hoc illo & aliud alio deſtinatunt , ſingula quo non pertinent : inde manifeſte patet eorum ignorantia maxima.

Cap. 4. *De præparationibus vulneralium ciborum & potuum, correctionibus , viribus , & virtutibus eorum.*

TAnta vis atque poteſtas eſt vulneralium potionum, ut auxiliante natura quidem intrinſeca , vulnus quodque fodicatum curet. Etenim ſi natura per ſeipſam proprius ſibi medicus exiſtat, ſolumque hoc unum cupiat, ut ab extrinſeca juvetur ob communem inter ſeſe convenientiam, & ſymboliſationem (quod certiſſimum eſt) externa debet internæ conjungi naturæ. Habet itaque natura quædam corpora , quorum virtutes aliis in corporibus uſurpandæ ſunt, & ex ſimilibus fieri vulnerales potiones debent , ut in ſuum ea recipiat natura cibum : ea ratione ſibi medicamentum aſſocia-tur , ut vulnera curentur naturaliter. Quapropter apprime neceſſarium, ut vulnerum potiones doceantur juxta ſuum ordinem , cum probatiſſima certiſſimaque ſint medicamenta, quibus cum ſectionum , tum fodicationum vulnera curantur omnia. Quamvis potiones vulnerales ſemper in uſu fuerint : in convenientibus tamen compoſitæ partibus & præparationibus vanis ac inutilibus imperitia medicorum exſtiterunt. Sunt itaque veræ potiones vulnerales medicamenta nedum , verumetiam nutrimenta. Pariter & cibi vulnerales fieri poſſunt , hac ratione videlicet, ut eadem , quæ dictas potionum compoſitiones intrant , una cum cibo coquantur & edantur. Verumenimvero quod in ſtomacho tardius digeruntur , non ita celeriter auxilia ſua præbent vulneribus ut potiones: & quia plerumque ventriculus ad digeſtionem eſt indiſpoſitus , omiſſum fuit iſtud medicamentum , ut natura non debilitetur amplius. Si tamen fieri poſſit bona digeſtio , perquam utile fuerit, una cum potionibus exhibere. Variæ ſunt potionum vulneralium decoctiones, quod varia ſint ea ſimiliter. è quibus fiunt , ut centenarium fere numerum impleant: è quibus quinque vel ſex plus vel minus eliguntur, ut in aliud corpus transferantur, ſcilicet in vinum. Quicquid ſit, nonnulla meliora, pejora quædam ; alia ſuis in operationibus tardiora, celeriora ſunt alia , quæ prout à Chirurgis cognita, medicamentum inde ſimile reſultar. Erit igitur maxime neceſſarium imprimis, quæ potiora fuerint cognoſcere, quibus maxima virtus ad prædictas potiones eſt inſita, præparareque juxta naturalem eorum ordinem : hac via poteſt unumquodque vulnus ſectione fodicationeque factum, ad ſanitatem adduci perfectiſſimam. Potiones quæ dictæ ſunt , ac cibi ſimul ſumpti plurimis accidentibus occurrunt, ac futuris alias damnis. Nam in ſuo temperamento conſervant naturam, ut mitis maneat, utque nullam occaſionem inveniat aliquod accidens vel damnum inferendi : ſiquidem omne quod naturam in pace conſervat, efficit etiam , ut ipſa de nutrimento minime conqueratur: quo non deficiente natura , membra ſanantur præter incidentiam pravorum accidentium.Idipſum non ita facile per extrinſeca medicamenta fieri poteſt, velut per intrinſecus adhibita. Quamobrem ad vulnerum potiones & earum parationis ordinem quivis Chirurgus animum ſtudiumque ſumma cum diligentia dirigere deberet, quod potius medicamentum eis reperiri nullum valeat, aut quo evitari melius poſſint accidentia prava. Præter eorum , quæ ponemus ordinem inferius, excellentiſſimas vidi potiones vulnerales, quæ peculiari ſua natura mirabilia curarunt vulnera , naturaliter tamen, & ita ſupra cætera medicamenta, ut merito forent admiranda. Vidi quendam Walachum in civitate quadam, quæ *Alba Græca* nuncupatur, is unico potionis hauſtu patientibus adhibito, vulnera quævis , cum ſecta tum fodicata curabat. Quamvis hæc non omnibus, nec in omnibus locis, neque in vulneribus omnibus valeat aut certa ſit, nihilominus cum ægrotos animadvertiſſem ejus & vulnerum ſitus , percepi quævis ejuſdem generis vulnera hoc modo curari poſſe leviter: quod vero tale vulnus , aut ita ſitum non eſſet, fallebat: eſt in ipſa natura tamen virtus hæc magna. Vidi pariter in Croatia Ægyptium circumvagantem unius herbæ ſuccum ſemel in potum dediſſe vulneratis , & curaſſe quævis fodicata vulnera. Verum quæ in accidens erant prona, curare minime poterat.

Itidem in Stockanima Daniæ vidi potionem vulneralem

ralem apud mulierem nobilem, cujus tribus hauſtibus, præter ea quæ ſectos nervos, & oſſa rupta continerent, alia quævis curabantur vulnera. Cum tamen rariſſime caro ſola ſecetur, non eſt ſimilibus omnino fidendum. Alias dæmonum conjuratorem vidi, qui tribus hauſtibus alicujus potionis vulneralis omnia, tam oſſium, quam nervorem vulnera curavit. Sed cum ejus rei veritatem examinaſſem, didici non curaſſe potiones, at id ſolum quod ſuperpoſuit vulneribus: quod etiam in aliis capitulis & ſuo loco dicetur. Interim quæ potiſſima ſunt, ac principalia fore judicem ad hujuſce modi potiones, inferius enumerabo, quibus indubiam fidem adhibere poteris, ac illis omne genus vulnerum, excepto nullo curare. Pariter, quæ præparari debeant, componique, dicemus infra: numerus eorum hic eſt, *Diapeſia alba. Diapeſia campeſtris. Alchimilla. Serpentaria. Ophiogloſſum. Conſolidæ ſarracenicæ. Baucix flavæ folia. Pirola utraque; Perſicaria. Bleta alba, & rubra, Cauda pavonis. Glandes, Mumia. Sperma ceti. Terra ſigillata vera. Rheubarbarum, libanotis. Aſarum. Agrimcnia. Conſolida major. Polytricon's Apulei. Lilium convallium.* Plura ſunt & multo, quæ hoc loco numerare ſuperfluum eſſet, cum inter ea, quæ ſuperius ponuntur, tria ſint vegetabilia, quorum cujuſvis ſuccus hauſtus quodcunque vulnus ſectum aut fodicatum curat. Etiam duo ſunt inter illa, quæ recenti prius aqua frigida madefacta, vulnerique ſuperpoſita, citius curant, quam herbarum alterutra putreſcat.

Unum eſt adhuc inter eadem, quod ter hauſtum vulnera ſecta nec non fodicata curat, etiam ſi forent periculoſiſſimis accidentibus arrepta: his quidem ablatis illa curat perfectiſſime. Sunt etiam inter prædicta, quæ vulnera curant inteſtinorum, non alias quam carnium. Mirabilis enim eſt natura ſuis in arcanis, quæ quidem addiſcere, necnon experiri, pulchrum eſt & utile: non ſine tamen id labore maximo, ſumma diligentia, nec non experientia multiplici fieri poterit. Jam ergo potiones vulnerales juxta verum ordinem & uſum earum ponam, quas diligenter addiſcito: ut bonus atque perfectus Chirurgus factus, in utlitatem Reipublicæ tuique laudem, artem exercere valeas.

Cap. 5. *De præparationibus antiqnis, & poſtmodum recentioribus vulneralium potionibus.*

ANtiquis hic uſus fuit, ut herbæ vulnerales in vino coquerent, ad conſumptionem tertiæ partis vel medietatis. Iſta præparatio contra naturam eſt, & verum ordinem: quia ſi vinum per ſe bullire ſcias, ut ſupra, frigefierique ſinas, reperies inſipidum liquorem naturæ prorſus contrarium: evaporavit enim quod vinum erat in auras, & remanſit fœtidus aciduſque liquor naturæ penitus inutilis. Quapropter ſi hoc evitare corrigereque velis, ac retinere vinum in ſuis viribus, ad juvandam naturam idoneum, in ſtanneum cantarum aut lagenam poſitum, & pultibus farina factis obſtructum, in aqua bulliat per horam unam, aut ſeſqui, hac ratione ſuas vires non amittit, ſed in ſua natura manet integrum, & in id herbarum virtutes imprimuntur perfectius ac fortius, quam ex uſu veteri. Diligenter igitur quem tibi modum poſui ſerva, ne fœtidum & inſipidum naturæ potum in ſui detrimentum pares. Eſt etiam utiliſſimus uſus, ut in Septembri, cum vinum adhuc recens eſt, à torculari, ſtatim reponatur in dolium. vulneraribus herbis prius impletum, & ita ſimul digerantur per tres menſes, quibus abſolutis abſtrahatur, erit hoc vinum, potio vulneralis utiliſſima, quæ nulla coctione præparatio neve latius indiget: nam eſt jam potus vulneratorum optimus. Uſus vero meus communiter hic eſt, cum vinum adminiſtrari patientibus non potuit, neque debuit, ut herbas vulnerales optime diſſectas & virides in cantarum poſuerim obſtructum pultibus & in aqua fervente coxerim octo horis: inde liquorem habui, potionemque vulneralem, quam patientibus adminiſtravi. Eſt hic potus utiliſſimus illis, quibus vinum bibere non licet, aut in capite vulnerati ſunt, &c. Trium harum quamlibet quocunque modo vulneralem potionem præparaveris juxta proportionum ordinem, utilis erit. Iſte modus etiam non eſt inutilis, ut herbarum vulneralium ſuccos in cantaro ſicut prius audiviſti, coquas in aqua bulliente, fiet ex eis optimus, cui poteris parum aromatum addere, ut reddatur gratior acceptiorque naturæ. Itidem intelligendum erit de cibis vulneralibus. Quicquid cibi voles adhibere patienti, carnes aut gallinas, in cantarum cum aquæ tanta quantitate, quantum juris habere cupis, additis inſuper vulneraribus herbis poſita quæque obturato cantaro coquantur in cacabo fervente aqua pleno, ſuo tempore conveniente. Hic cibus erit vulneratis utiliſſimus ad curam. Poteris etiam aquæ loco ſumere vinum, pro his, quibus non oberit: cibus hic eſt nutriens vulnera præ cæteris omnibus.

Inſtructio quædam ad componendum aliquas vulneratorum potiones.

♃. *Diapenſiæ vel ſaniculæ, pirolæ, centaureæ, betonicæ, ana manipulum unum, conſolidæ regalis m.* ß: *Agrimoniæ m. ij.* coquantur ex ordine prædicto.

Alia potio.

♃. *Dragunculi manip. iij. alchimillæ m. ij. pirolæ minoris m. j. alyſſi. m.* ß. *reubarbari* ʒ. *j. reuponticæ* ʒ. *iij.* & coquantur, ut ſupra.

Alia.

♃. *Angelicæ* ℥ ß. *mumiæ* ℥ *j. ſpermatis ceti* ʒ *ij. conſolidæ ſarracenicæ m. ij. ciclaminis* ℥ *ij. pirolæ utriuſque ana m. iij.* vini quantum ſat eſt: coquantur ut alia. Alio modo præparari poſſunt iſtæ potiones, ut pote, ſi deſtillatas aquas ex vulneraribus herbis acceperis, eaſque ſuis herbis iterum imbiberis, & in clauſo cantaro coxeris, ut ſupra, potiones fient excellentiſſimæ, quarum unum exemplum hoc habe.

♃. *Pirolæ minoris aquæ menſuram j. cui pirolæ m. j. injicias, diapenſiæ m.* ß. *pervincæ tantundem*: coquantur, ut ſupra.

Eſt & alius proceſſus, juxta quem fiunt omnium excellentiſſimæ potiones, in modum, quo paratur album oleum baccarum juniperi vulneraribus herbis adjunctis, & ſimul præparatis omnibus. Hic proceſſus omnium eſt artificioſiſſimus, ac ſubtiliſſimus, præ cæteris etiam eligendus. Nam in juniperis baccis latet peculiaris ad ſananda vulnera virtus, quapropter ſuadeo quibuſvis, ut præparationem hanc addiſcant. At quia per deſtillationis artem fieri debet, quæ hoc loco non docetur, nec eo ponendam eſſe judicavi. Verum qua ratione quævis porio cum prædictis præparari baccis valeat, in exemplum adducam.

♃. *Baccarum juniperi libras ij. optime tritas, pirolæ utriuſque, alyſſi, radices diapenſiæ albæ ana m.* ß. *ophiogloſſi m.* ß. *conſolidæ majoris, ariſtolochiæ rotundæ ana* ʒ. *v. perſicariæ* ʒ. *iiij.* præpara ſecundum artem hujus deſtillationis. Poteris etiam eaſdem aquas ex hujuſmodi deſtillatione provenientes vulneraribus herbis affundere, necnon in cantaro præparare, ſicut antea diximus: nec ſolum è baccis, verum etiam ex cinnamomo, ſimilibuſq; Subtilis alia fieri poteſt præparatio, ſi flores vulnerares

unà

unà cum ſpicæ floribus, non alias quam oleum de ſpica paretur in pinguedinem. Doſis tamen exigua cum cibo vel potu fore debet, in cujus declarationem hoc utemur exemplo.

℞. *Florum ſpicæ m.* j. *florum hypericonis m. iiij. florum taxi m. ij. betonicæ, centauriæ, prunellæ ana m.* ß. præpara ſecundùm uſum de ſpica dictum.

Alius præparationis modus.

℞. *Conſolidæ majoris ℥ii. Ariſtolochiæ rotundæ ℥iij. calami aromatici ℥j. iridis ℥ß. ſaponariæ m.v. drapenſiæ albæ m. ß. herbæ caudæ pavonis ℥ij. myrrhæ, maſticis, thuris, mumiæ ana ℥ß. rheubarbari ℥j.* ß coquantur in vino vel in aquis deſtillatis, vel in ſucco pirolæ, aut in aqua communi, prout commodius fieri poteſt. Hactenus de vulnerarium potionum præparationibus dictum ſit. Multi reperiuntur, qui bona recepta habent, ſi tamen, ut ſupra diximus, præparentur, efficaciora forent, ac magis utilia.

Doſis hujuſcemodi potionum diſcretioni tuæ relinquitur, qua præparationum vires & efficaciam cognoſcere debes ac judicare.

Cap. 6. *De præparationibus unguentorum vulnerarium, quibus in medicamentum efficacius aliis adducuntur.*

UNguenta vulneraria medicamentum ſunt præ ceteris antiquiſſimum, experientiaque probatiſſimum ad vulnera: quod in uſu fuiſſe priuſquam alia forent excogitata, ſcitur. Omnibus hæc ars communis fuit ac familiaris: nam à popularibus inventa, patribuſque familias, & ſuis aſſervata domibus: quod medicamentum compoſitum erat ex eis, quæ cuique ſuis in campis creverunt, & hortis, quæque potuit unuſquiſque ſerere metereque.

Iſtorum unguentorum vulnerarium fundamentum in duobus tantum conſtitutum fuit, ſcilicet in melle, & in butyro, quæ duo vulgus potiſſimum elegit: quia conſiderarunt apes è floribus & herbis plurimas virtutes exſugere: cumque illa multas habeant, & mel habere neceſſum eſſe cogitarunt. Pariter & vaccæ paſcuntur multis herbis & floribus optimis: quapropter & butyrum eaſdem habere virtutes debet. Hac ratione mel & butyrum electa ſunt corpora, quibus medicamentum inderetur. Ex iſtis conſiderationibus ortum eſt, ut medicamenta, quæ in campis creverunt, cum melle butyroque fuerint unita, ſervata, & his poſtmodum curata vulnera. Certiſſimum eſt, veram atque perfectam artem hanc exiſtere, & unguentorum uſum. At ſurrexerunt poſtea ſophiſtæ Medici & Chirurgi, qui contemnentes artem iſtam coram popularibus, ruſticam eam appellantes, alias excogitarunt praviſſimas, & optimas abjecerunt.

Jam ſimilia ponam recepta, ut iterum in uſum redeant. Poterit loco butyri mel, vel in iſtius locum alterum ſubſtitui: hoc eſt, quoties unum reperitur ſcriptum, alterum accipi.

Unguenta cum butyro & melle.

℞. *Butyri de menſe Maio facti, crudi,* non cocti, cui per contuſionem immiſceantur, *utriuſque plantaginis, utriuſque pirolæ. Bletæ cum radicibus ana m. j. dracunculi minoris vel ophiogloſſi m. iij.* Miſceantur omnia tundendo ſimul, ut fiat unguentum, quod ſoli clauſum in vitro poterit exponi menſes aliquot, & poſtmodum ab impuro colari, ſic defecatius reddetur, ac purius.

Aliud.

℞. *Maialis butyri libras iij. radicis conſolidæ majoris viridis lib. j. ophiogloſſi lib. j.* ß. *lumbricorum purgatorum lib.* ß. *ariſtolochiæ rotundæ viridiſque ℥iij.* terantur omnia ſimul in pultes, & poſtea reponantur in locum frigidum, & ſi pinguedinem emittant, poteris eam abjicere: ſoli pariter exponi poteſt, vel in fimo digeri, poſtea ſervari.

Hoc ſervato proceſſu, diverſimode componi poterunt unguenta vulneraria, quæ per ſe potentia ſunt quodvis curare vulnus: addi poteſt etiam parum ſalis, ad humectationem: vel aqua ſalis ablui debent, aut ſalſa.

Unicum potes etiam tantum aſſumere, prout mel & dragunculum, mel & flores hyperici, butyrum & conſolidam majorem, aut plura ſimul ex his, quæ vulnerales inter herbas numerantur. Et quia potior & efficacior una eſt altera, meliores eligito, pro commoditate regionis & loci.

Unguenta quædam ex reſinis.

Poſtquam ex butyro melleque vulgus unguenta vulneraria reperiſſet, alii reſinas ex arboribus fluere conſpicientes cogitarunt ex iſtis alia ſibi conficere. Reſinarum vero diverſa genera ſunt, ut *abietis, laricis, &c. gummique*, juxta cujuſque regionis & loci naturam, ſibi quiſque peculiaria præparavit unguenta. Perfectiſſimæ ſunt artes iſtæ, quarum aliquot recepta ponam, ut unuſquisque ſumere valeat; quod in ſua patria vel habitationis loco creſcit, unguentum quoque præparare.

In Germania reſinarum excellentiſſimarum duo tantum genera producuntur, una abietis, altera laricis: cujus poſterioris dabimus exemplum.

℞. *Reſinæ laricis lib. j. ovorum vitella xx.* contunde ſimul omnia, fiet inde flavum unguentum huic impone *conſolidæ majoris, optime tritæ ℥ß ariſtolochiæ rotundæ contuſæ ℥j. hordei farinæ ʒvj.* contere ſimul omnia, & fiat unguentum, quo curabis vulnera, quæcunque voles.

Aliud ex reſina abietis.

℞. *Reſinæ abietis claræ mundæque lib.* ß. liquefiat ſuaviter igne lentiſſimo, huic injice butyri parum, & miſce fortiter, contere poſtmodum in mortario cum æquali pondere conſolidæ majoris, ut unum inde fiat, quo vulnera curantur.

Unguentum ex cera.

Poſt iſtas artes exorta ſunt unguenta cerea, cum reſinis mixta ſimul & oleo temperata, poſtmodum adjectis vulneralibus herbis earumque radicibus, ut ſupra dictum eſt ſæpius.

Eſt nihilominus inter alias artes minima, quamobrem ejus hoc loco paucam admodum facere mentionem volui.

Cap. 7. *De præparationibus oleorum & balſamorum vulnerarium.*

OLea vulneraria penes antiquos in communi reperta ſunt, & poſtmodum ab Alchimiſtis balſama.

Cum veteres unguentorum vulneralium conſideraſſent virtutes, eademque melli butyroque miſcuerunt, oleo pariter conjunxerunt, experientes utrum unirentur ei prout aliis. Quum & hoc ſibi ſucceſſiſſe feliciter vidiſſent, eo ſic uſi fuerunt oleo.

Primo laverunt vulnera vino, demum inunxerunt oleo, curaruntque. Hujus etiam artis meminit Chriſtus, ubi de Samaritano loquitur in Hiericho vulneratum à latronibus, curante. Quamobrem conjectare licet, artem hanc fore vetuſtiſſimam, & olim priſcis in maximo pretio fuiſſe.

Poſt-

Poſtmodum advenerunt Alchimiſtæ; quæ deſtillata crudis olea præſtare judicantes, ea, quæ crudo prius admiſceri conſueta fuerant, oleo deſtillato non feliciter addiderunt, & alterius uſi loco nomen propter deſtillationem immutarunt, vocaruntque balſama.

Nonnulla quidem eſt inter deſtillatum & crudum oleum differentia. Verum ego ſum expertus oleum deſtillatum non debere hoc eſſe, quod ab Alchimiſtis *laterinum* dicitur; ſed abſque mixtione alterius rei deſtillatum per vas retortum, donec mutari color cœperit a nativo, ſcilicet in rubedinem, quo percepto recipiens amovendum, & in eo reperietur oleum priore colore, nec odore vix immutatum: hoc utere, cum balſamum voles ad vulnera componere.

Terebinthinam pariter, ut oleum nimis deſtillarunt Alchimiſtæ, cui vulnerales herbas impoſuerunt: at errore ſuo hoc etiam non cavit. Nam ubi hæc tam acriter deſtillata eſt, calida ſubtiliſque nimium efficitur, ad promovendam carnem in vulneribus: quapropter ut oleum deſtillari debet, ut in ſuo maneat odore, coloremque rubeum non concipiat.

Latius tentatum fuit, utpote gummi, reſinas, & ceram deſtillare, ſed abſque fructu: quare manet olei terebinthinæque deſtillatorum aut crudorum uſus: e quibus aliquot infra ponemus recepta.

De balſamo crudorum vel deſtillatorum olei cum aliis & terebinthinæ.

℞. *Terebinthinæ lib. j. florum camomillæ, roſarum rubearum, prunellæ ana m. j. florum hypericonis m. iij. florum centauriæ, chelidoniæ ana m.* ß. commiſce ſimul & expone ſoli, ſpacio duorum menſium. Hoc oleo vel balſamo curare poteris vulnera mirabilia ſine dolore. Poteſt etiam anno revoluto hoc exprimi, nec non recentibus imbui floribus, exponi ſoli ſicut prius: admirandæ virtutis eſt balſamum, ſive cum oleo, ſive cum terebinthina compoſitum ſit.

Alia balſami compoſitio.

℞. *Ophioglosſi, pirolæ minoris, agrimoniæ, diapenſiæ, ana m. j. florum hypericonis m. ij. conſolidæ majoris coctæ m.* ß. *lumbricorum purgatorum numero centum.* Affunde corpus, & in ſole digerantur omnia ſuo determinato tempore. Hoc ad omnia vulnera balſamo potes uti feliciter; & ea curare citra dolorem.

Addi poſſunt huic oleo, mumia, maſtix, myrrha, thus, at parum, nam olea balſamaque vulneralia delectantur plurimum herbis & floribus magis, quorum hypericonis hoc loco nobiliſſimus eſt. Addi ſolet etiam gummi, quod fatuum: aliquoties viride æris, æs uſtum, & limatura ferri: ſed minime laudabile eſt.

Earundem etiam herbarum, quibus imbuta ſunt balſama, ſeminibus contritis injectiſque ſi digerantur poſt herbarum digeſtionem, per hyemem in calido, vel in æſtuatio ſervata, olea longe fiunt efficaciora.

Poſtmodum ut artium una poſt aliam orta, vernicis ars reperta fuit ex carabe flavo, cujus artifices in aliquibus damnis corporis experti ſunt, videlicet in uberibus mulierum exulceratis, & aliis pleriſque foraminibus curam ejus felicem, eſſe. Quod cum animadvertiſſent, vernicem herbis & floribus dictis expleverunt, & ut alia balſama ſoli digerenda expoſuerunt. Et quamvis præparatio tarda ſit, ob ejus tamen efficacem operationem, cum in ſectis & fodicatis vulneribus, tum in ulceribus maximopere laudandum eſt balſamum. Adduntur huic vernici cum ad medelam aſſumitur & prius, maſticis ter tantum quantum vernicis fuerit, myrrhæ & thuris ad ejus medietatem. Etiam dum vernix adhuc eſt in digeſtione, debet adjungi mumiæ juxta compoſitionem.

Tentavit poſtea vulgus olei loco terebinthinæque medullas oſſium & pinguedines ex animalibus, in his tamdiu hæſerunt, donec cervinas didicerint inter brutales excellere medullas, quas, aut cavillas (deficientibus aliis) expleverunt herbis, ebrumque floribus, ut ſupra, ſolique digerendas ſimul expoſuerunt, quouſque ſuo tempore vulneraria facta ſint olea. Poſtremo repererunt humanas medullas omnes alias præcellere, magiſque fore utiles. Non alias de pinguedinibus animalium actum eſt, utpote floribus & herbis, cum in olea vulneraria redactæ ſunt, quibus omnia vulnera curata fuerunt. Inter brutorum pinguedines, gallinarum & caponum optimæ compertæ ſunt, verum illas ac omnes alias humana plurimum excellit. Inter piſces non eſt præſtantior ea, quæ a Germanis appellatur *Aeſchenſchmaltz*.

Poteſt etiam ex oleo terebinthinaque deſtillatis per præcedentem additionem ſubtiliſſima vernix fieri, quæ plus alia non deſtilata valeat. Varia ſunt quidem oleorum & balſamorum genera: quorum hic nullam facio mentionem aut paucorum, quod ſciam ea, quæ tibi jam poſui certiſſima fore, quibus te certiorem facere poſſum, ad vulnera quæque fore præſtantiſſima. Poteris ipſe tibi juxta commoditatem regionis, in qua fueris, & ex ordine ſequentis Capituli recepta componere.

Cap. 8. *De curatione vulnerum per ea, quæ munda conſervant illa, ſuaque mundificatione ſanitatem conciliant.*

CUm proprium natura balſamum penes ſe habeat, quo ſua damna reſarcit, & alio non ſit opus; quam ut munda conſerventur vulnera: mundationis ordinem iſtius æquum eſt ut demonſtremus. A cane ſumptum fuit exemplum, qui vulnera ſua quæque, modo lambere poſſit ea, promovet magis ad ſanitatem, quam curet: nam is mundat ſolum, & natura curat. Hoc ipſum imitati homines, manuum vulnera pariter lambentes canum inſtar, experti ſunt in ſeipſis, quod in canibus apparet. Aliqui laverunt lotio, curaruntque: verum quod hoc facile fœtorem vulneribus induxit, & ſæpius iſta repeti debuit ablutio, latius perquiſierunt, ac urinæ loco ſumpſerunt vinum, & quia parum in majoribus vulneribus effecit, ad ſalſam ventum eſt aquam: iſta quidem & laverunt & curarunt vulnera tam hominum, quam brutorum animalium. Communis hic uſus fuit, qui poſtmodum in diſſuetudinem ſucceſſu temporis abiit, aliique mundationum acceſſere modi, quorum aliquot in ſequentibus enarrabo.

Acceperunt herbas vulnerarias, eaſque vino coxerunt vel aqua, ſale juxta libitum addito: decoctione hac ſæpius lavarunt vulnera, favumque mellis contuſum unguenti loco ſuperpoſuerunt.

Alumine ſoluto in aqua cum modica lapidis gagatis, lavarunt & curarunt etiam vulnera. Item ſucco burſæ paſtoris, vel plantaginis, aut aliarum herbarum cum ſale modico lavarunt. Multæ ſunt herbæ ſimiles, quarum ſucci vulnera quævis curant.

Apud Arabes mel & ſal paucum infundere vulneribus communiter uſitatum eſt antea, quo curatum eſt remedio.

Sunt etiam aliæ mundificationes, quibus mirabili-

biliter curantur vulnera, prout ſi perſicaria recenti prius aqua madefacta vulneribus carnis imponatur, illa curat virtute ſalis in ea nuturaliter inſiti.

Sæpius oleo terebinthinæ ſalſo curata ſunt quæ communiora fuerunt vulnera. Nec eſt quod ſimplices artes, quas modo poſui: talis eſt naturæ proprietas, ut per ſeipſam curet, ubi mundificatio ſervata ſit, ac potiſſimum, ne per medicamentum aliquod irrumpat accidens; uti plerunque ſolet imperitia Chirurgorum evenire, quare merito detegendum. Verum alius ordo neceſſarius eſt ad evitandum accidentia, quia communioribus illis, quæ dicta ſunt, minime fieri poteſt: in illis autem, in quibus talia non expectantur, ſimplicioribus uti poteris, ut in ſuperfluas artes putatitiorum Chirurgorum non incidas. Tarde curare melius & bene, quam tardius ſuperfluis artibus depravare, quæ per ſe mala ſunt.

Cap. 9. *De præparationibus vulnerarium unguentorum, & fodicationum, una cum eorum inventionibus, & admirandis operationibus.*

CApitulum hoc peregrina remedia continet, his ignota regionibus: & quia Deus nationum viciſſitudines eſſe voluit, merito quod nobis ab exteris contingere boni poteſt, ac a nobis aliis, deſcribemus. Quapropter fundamentum probatiſſimorum unguentorum habe normam & compoſitionem, quibus arceantur accidentia, quantumvis magna, tolluntur que. Licet leviter ac facile vulnus curari poſſit, ut (quod ad curationem ſolum ejus attinet) opus non foret unguenta ſimilia deſcribere: verum quia damnum vix unquam ſolum eſſe contingit, ſed unum alteri fere ſemper affluit, ea patefacere volui. Poſſunt accidentia rebus quæ noſtris in regionibus creſcunt, evitari: tamen hoc loco tantum fodicationum unguenta proponam. Ab artificibus & mechanicis quædam arcana reperta ſunt, in illis quibus in dies utuntur: ut ærarii fabri ſanguinis fluxum ære aduſto reſtrinxerunt, & fluentia ſiccarunt, vulnera. Ferrarii quidem aduſto ſuo ferro, quod *crocus martis* appellatur, uſi ſunt ad vulnera. Figuli vero lithargyrio argenteo (quod vocant) vel aureo nonnulla ſunt etiam experti. Multa ſunt vulgarium inventa, quæ dicta fuerunt experimenta. Multo plura tamen ab Alchimiſtis varia tentantibus, & in variis rebus hoc loco non deſcribenda, prout minium, ceruſa, ſimiliaque reperta fuêre.

Poſtmodum acceſſerunt Philoſophi, qui rerum vires & naturam ſcrutantes, plura in unum corpus redegerunt, ut oleum & ceram in emplaſtrum cocta, quod cum utile parum fore videretur, adjecerunt, nunc minium, alias ceruſam, lapidem calaminarem, rubiginem ferri, æs uſtum, lythargyrium, &c. quæ ſimul cocta varia cerota facta ſunt, hiſque linteola fuerunt obducta. Deinceps gummi variorum proprietates attractivas, atque magnetis cognoſcentes, cerotis adjunxerunt, eiſque meliora quam antea fuiſſe, quod perciperent, pulverem vulnerarem addiderunt ex maſtice, thure, myrrha, &c. meliora tûm demum extiterunt. Sic ulterius progreſſi, fodicationum unguentorum ordinem certiſſimum & compoſitionem adepti ſunt, eiſque mirabiliter curarunt: horum deſcriptionem ponimus variis, utilibus tamen omnibus modis. Primum hoc modo communiter conſtructum.

♃. *Ceræ lib. j. picis græcæ* ℥iij. liquefiant ambo ſimul, & liquefactis, non nimium tamen calidis injiciatur pulvis hic. ♃. *fruſta carneoli, coralii rubei & albi magnetis, calaminaris lapidis ana* ℥ß. *carabis flavi aut ſuccini, maſticis, thuris, ana* ʒvj. *myrrhæ, mumiæ ana* ℥j. ß. trita minutiſſime liquidis immiſceantur & his jam optime permixtis, injice *terebinthinæ* ℥j. ß. ſpatula ſemper agitato, donec frigeſcat. Poſtremo perunctis oleo piſcium *æſchenſchmaltz*, agitetur, & fiat emplaſtrum.

Aliud.

♃. *Ceræ virgineæ lib. ij. picis græcæ lib. j. terebinthinæ* ℥iij. *liquefiant igne lento, quibus impone tritæ maſticis* ʒiij. *carabis flavi* ℥j. maneant in igne lentiſſimo quartam horæ partem. Poſtmodum accipe ℥ij. *mumiæ, thuris, & myrrhæ ana* ℥ß. *aloepatici* ℥j. ß. trita miſce prædictis, & agita prout in emplaſtro priori, donec frigeſcant. Poſtremo in emplaſtrum agitabis oleo piſcium *æſchenſchmaltz*, addendo, *camphoræ tritæ* ℥ß. hoc fodicata vulnera curabis omnia.

Aliud potentiſſimum, ad extrahendum ferrum, globulos, telorum cuſpides, ac alia quæ remanent in vulneribus, & à præcedentibus elici minime poſſunt.

♃. *Ceræ lib. j. colophoniæ, picis nigræ ana* ℥iij. *liquefactis ſimul ambobus, injice gummi armoniaci* ℥ij. *bdellij* ℥j. *magnetis* ℥v. *carabis flavi* ℥iij. trita miſce liquatis, & in emplaſtrum agita manibus ovorum oleo perunctis: hoc in maximis neceſſitatibus uti poteris ad concludenda vulnera, nec non reſtauranda quæ depravata ſunt.

Alia compoſitio cujus ab exordio mentionem fecimus.

♃. *Olei, ceræ, lythargyrii triti ana lib. j.* liquefiant, & in cerotum coquantur, cui poterunt ea, quæ ſequuntur, addi.

Additio prima.

♃. *Armoniaci, bdellii ana* ℥ß. *galbani, opopanacis ana* ʒvj. ſolvantur in aceto, coquantur, & per pannum colentur, poſtea coquantur in emplaſtrum: hoc admiſce præcedenti ceroto. Poſtquam ſimul juncta fuerint, eis, qui ſequuntur, pulveres addito. *Lapidis calaminaris, coralli rubei & albi, magnetis ana* ℥j. ß. *thuris, maſticis ana* ℥j. *cum permixta fuerint, admiſce terebinthinæ* ℥iij. *& olei anetini* ℥ß. reduc in formam emplaſtri oleo piſcium *æſchenſchmaltz*, vel alio, ſecundum artem.

Additio ſecunda.

♃. *Opopanacis* ℥iij. repurga optime ſicut audiviſti ſuperius, & cum ceroto permiſce. Poſtmodum adde *mumiæ* ℥iij. *ariſtolochiæ rotundæ* ℥ij. *maſticis, thuris, myrræ ana* ℥ß. deinceps addiice *terebinthinæ* ℥ij. *olei laurini* ℥j. *camphoræ* ʒij. reduc in formam cum oleo camomelino.

Additio tertia.

♃. *Armoniaci* ℥v. præparati nempe ſicut prius, *ſanguinis draconis* ℥ij. *colophoniæ* ℥iij. *picis navalis* ℥j. *thuris, maſticis ana* ʒvi. *terebinthinæ* ℥iij. reduc in formam cum oleo laurino. Jam habes compoſitionem fodicationum emplaſtrorum duobus modis, eorum inventionem atque ſucceſſum. Poſtremum tamen hoc melius omnibus antea poſitis, quo citius ac

ac potentius evitantur & amoventur accidentia quævis, diligenter obſervato.

℞. *Ceræ virgineæ lib. j. ß. vulneralis olei tantundem, lithargyrii lib. j. lapidis calaminais lib.* ß. ex iſtis fiat cerotum, cui vernicis lib. ß. adde cum herbis temperatæ, terebinthinæ juxta vulnerum naturam præparatæ ℥iij. & iterum in cerotum coquantur. Poſtmodum adde gummi, nec non præſcriptarum additionum quam volueris, fiat emplaſtrum, & reducatur in formam cum vulnerari balſamo.

Quicquid his emplaſtris elici non poterit, alia nempe violenta via tentari debet: ut ſi globuli plumbei deſcendiſſent, impoſſibile fuerit etiam inſtrumentis eruere. Quapropter impoſſibilia Medicinæ committenda non ſunt. De fodicationum emplaſtris dictum ſit hactenus, quibus quicunque juxta Medicinæ verum ordinem uſus fuerit, non confundetur.

Cap. 10. *De pulveribus quibuſdam, fodicationes & vulnera quævis curantibus.*

SUcceſſu temporis pulveres quidam & ſucci reperti ſunt, & alia, quæ vulnera conglutinarunt, ut ambo latera conjuncta ſint. Et ubi talis fit conjunctio, natura poteſt in toto vulnere facilius operari, quam ubi non: at per alia medicamenta curari debet, ut ſunt vulnerares potiones: unguenta, olea, emplaſtra, &c. Natura quidem non poteſt alibi quam in fundo ſolum operari, in quo connectit indies, donec ad ſupremum deveniat. Fodicationum tamen & vulnerum pulveres connectunt æqualiter ſuperius, inferius, & in medio.

Animadvertendum eſt, ubi vulnerum fodicationum pulveres in uſum venire queant, in his videlicet vulneribus, quæ ſanguinem aut cruorem non emittunt, & calorem nullum neque duritiem habent, ſed mollities in eis naturalis conſpicitur: alias connectere nullo modo poſſunt. Si tamen accidentia jam ſint præ manibus quæ dicta ſunt, ea removere ſcias oportet: antequam utaris pulveribus: etiam dum uſus fueris, provideas, ne via quavis irrumpere valeant: nam in vulneribus calor atque tumor conjuncta rurſum disjungunt. Eſt illa celerrima ferme cura, nihilominus ab accidentibus tutari debet quæ diximus.

Diverſis rationibus proprietatem hanc habent iſti pulveres, aliqui propter naturalem ſiccitatem, ut bolus armenus, qui cuncta per inſitam ariditatem, quibus interjectus fuerit, connectit.

Sunt alia comprimentia quædam præter ſiccitatem, ut ſuccus prunorum ſylveſtrium immaturus. Alia conglutinantia, veluti tragacantum. Juxta horum trium proprietates fiunt omnes pulveres conglutinantes. Ulterius notandum erit, non ſolum conglutinativis utendum, ſed etiam adjungenda eſſe medicamenta naturali balſamo ſuum alimentum exhibentia. Quapropter pulverum uſum juxta proprietatem eorum, quæ dicta ſunt, ponam, & compoſitionem.

℞. *Boli armeni veri* ℥iij. quas in aqua nitri diſſolves, poſtea deſtillatione ſeparabis, & aliam priori ſimilem aquam affundes pulveri, ſeparabiſque ſicut antea: toties id repetendum erit quouſque bolus in oleum convertatur: hoc in ſole ſiccandum eſt in pulverem, cui *thuris* ℥j. *carneoli* ℥ß. *mumiæ.* ʒij. omnia ſimul in pulverem commiſce, quem vulneribus inſperges quovis die bis, & ligabis juxta conſuetudinem, ſuperpoſito fodicationum emplaſtro, quo vulnera præſerventur ab accidentibus.

Alius pulvis.

Succum prunorum immaturorum & ſylveſtrium coquito, quouſque in ſpiſſitudinem electuarii ſit redactus. Gallarum etiam immaturarum tantundem coques, & iſtis conſolidæ majoris contritæ minutim octavam aliorum partem addes, poſtmodum in aluminis aqua pura bullire facito: poſtremo ſimul omnia ſiccato, poſt utere prout moris eſt.

Lapicidarum & fabrorum colla, qua ſub aquis utuntur, quandoque vulnera ligavi, non in forma pulveris, at ſpiſſi liquoris: & fodicationum emplaſtro ſuperpoſito curavi mirabiliter. Verum olei lini loco, vulnerare ſumpſi oleum ex oleo lini cum cæteris compoſitum, pro calce, corallum album in cineres aduſtum. Colla caſeii *Keſſlin*, etiam hoc loco ſumpta vulnera ſejungi non ſinit: noli tamen eo præter fodicationum emplaſtrum uti.

Alius pulvis.

℞. *Thuris, myrrhæ, maſticis ana* ℥ß. *coralli rubei* ʒij. *aloepatici* ℥jß. omnibus permixtis, & in pulverem contritis, alterutrum adde pulverum antea poſitorum, pro media parte prioris.

Alius

℞. *Succorum prunorum ſylveſtrium immaturorum, ſaniculæ vel diapenſiæ, ophiogloſſi ana* ℥v. ſiccentur in ſole, donec ſemi ſicci fuerint, poſtmodum adde *gummi armoniaci præparati* ℥ij. tum ſiccentur in pulverem.

Vulnera conſerventur in ſiccitate, patientibus cibi modicum, & humidi valde parum adminiſtrando.

Reperiuntur & alia conſtrictiva, cum tamen ex Alchimia petenda ſint, infra ſuo loco ponenda.

Cap. 11. *De ſublimatis atque deſtillatis mirabiliter vulnera curantibus.*

QUicunque Alchimiam exercent, utiliſſima repeṙiunt medicamenta, variaque ſcribentum recepta longe ſuperantia. Verum quod morborum proprietates ignorent, parum inde poſſunt emolumenti proferre. Medicinæ ſiquidem Alchimia ſemper conjuncta fore deberet. Antimonium virtutem admirabilem poſſidet in curationibus vulnerum, quibus accidentia corporalia mixta ſunt, ut *fiſtula, cancer, lupus*, &c. In quibus tamen illa non concurrunt, ejus uſu non erit opus, cum in aliis tantum cæteras omnes excellat artes, ut major aut melior non poſſit reperiri: ſalvâ tamen cujuſvis experientiâ dictum. Quapropter ſummè neceſſarium exiſtimo declarationem ejus, tametſi præparatio non facilè ſcriptis addiſci queat, ab Alchimiſtis petenda eſt, ut antimonium reduci poſſit in oleum rubeum, ut ſanguis, & ex lib. j. habeantur ℥ij. vel j. ß.

℞. *Antimonii lib. iij. ſalis gemmæ calcinati tantundem*, & ſimul deſtilla per vas retortum tribus diebus naturalibus, & ſic habebis rubeum oleum, cujus virtutes ad incurabilia deſperataque vulnera ſatis commendari nequeunt. Itidem de ſublimatis cenſendum eſt, ut ſi cuprum vel æs rubeum ſublimaveris, non minores in eo quam in antimonio virtutes erunt. Ut in ſublimationem veniat, prius erit calcinandum, poſtea per ſeparationis aquam diſſolvendum, & coagulandum, in pulveremque ſiccandum, cui duæ partes liquidi ſalis, aut liquefacti ſunt addendæ: poſtmodum ab eis in reverberatorio ſublimetur in viridem pulverem ſubtiliſſimum & levem, quo vulnera cum curare voles, in ea ſpargatur, fodicationum emplaſtro ſuperpoſito.

Cap. 12. *De ſanguine ſiſtendo, nec non eis quæ ad hoc negotium ſunt neceſſaria.*

AD ſanguinis retentionem quædam annotanda veniunt, utpote vulnerum proprietates, complexio corporis, natura hominis, cholera, tempus, hora accidens, & vulneris eſſentia. Nam ſi homini ſano contrarietates & accidentia varia contingant, multò magis vulnerato. Sanitas & infirmitas multis calamitatibus obnoxiæ ſunt. Cum in venas accidens hoc irruerit, non facilè poteſt amoveri: nam ſæpius evenire ſolet, ut ſanguis nulla ratione ſiſti valeat in vulneribus, nec ullis medicamentis, at per ſeipſum ſedari debet. Quamvis aliqui putent vi quadam eum retinere: quod ſi contigerit, aliud accidens longè deterius orietur. Conſiderandum igitur quid natura poſſit, ne præter ipſam aliquid attentetur. Non præterit fluxus, donec ejus amota ſit cauſa: ut ſi præ cholera factus, ea prius ceſſare debet: nam ipsâ durante medicamentum natura nullum recipit. Si ex actu venereo, niſi prorſus extinctus appetitus ille ſit, vanum etiam eſt remedium. Si propter ebrietatem, expectanda eſt completa digeſtio. Si membri fatigatione cauſatus fuerit, quieſcere prius debet. Multi ſunt articuli ſimiles hoc loco non recitandi, ſolùm hoc notandum erit, ut amoveatur cauſa fluxus, tum & ipſe cogitur ceſſare. Si fortè conſtellatione cauſatus foret, ea præterire debet, priuſquam ſanguis retineri queat: ſi cauſæ tales conſumptæ non ſint, fieri poteſt ut vulneratus effuſione moriatur ſanguinis: Namquis juvare poterit eum, qui nolit ipſe? quis etiam ejus choleram ſedare poteſt, qui pacificari non vult? Cauſam ergo ceſſare fluxus neceſſum eſt, alias nequaquam ſiſti poteſt. Ebrietas ad caput aſcendit, & in eo ſævit: ſi contingat potum aliquem recipere vulnus, hujuſmodi ſæviens natura per venas in ſanguinem tranſit, & eo non alias, quàm in capite ſævit. Quis ebrio poteſt ebrietatis ſuæ proprietatem auferre? nemo: pariter ebrium ſanguinem ſedare nemo poterit, ſic de reliquis intelligendum eſt. Hæc à me dicta ſunt, ut Chirurgus in iſtis recta procedat, & non ſuſcipiat quæ ſunt impoſſibilia, verùm ut prudens ea, quæ natura poteſt, intelligat.

Cum igitur ea quæ dicta ſunt, violenter ita prorumpant, ab arte ſiſtendi ſanguinem ceſſare debet Chirurgus, eumque ſolum ſiſtere velle, qui præter dictas occaſiones effluit. Nam his nullum juvare poteſt medicamentum, aduſtio nulla, ligatio, nec corticum nucum ad collum appenſio, nullus character. Et quamvis aliqua ratione ſiſtatur, aliud erumpet accidens, & in ſimilibus communiter ſequuntur ariduræ membrorum, vel contracturæ. Exempli cauſa, venæ ſæpius aperiuntur in brachio, quamobrem contractum redditur, aut aridurum vel moritur is, qui ſuſtinuit. Si tale quid in venarum pacificis laxationibus contingit, quantò magis in aliis? Cùm tamen accidentia talia contigerint, aut apparuerint, poteris permittere ſanguinem effluere pro diſcretione. Siquidem ubi vena quævis aperitur, ſanguinis pondus amittere determinatum oportet eam, antea ſiſtere non eſt utile, donec ad pondus hoc diminutus ſanguis fuerit. Ab experientia propria diſcere te hæc oportebit. Ut à me tamen brevem inſtructionem habeas, qui ſanguinis repreſſiones ex æquo fieri debeant, non cito nimium, vel tardius quam par ſit. Ejus rei verum in eo fundamento conſiſtit, ut medicamentum quo vulnus curari debet, ſanguinem etiam in eo ſiſtat: nec eſt quod utatis alio remedio. Nam medicamentum ex artis fundamento vero compoſitum ſit (ut ſunt *fodicationum emplaſtra, olea, balſama, & emplaſtra vulneraria*, &c.) ſanguinem ſiſtit omnem juſto pondere non tempeſtivè, nec tarde nimis. Potiſſimum arcanum hoc eſt, ut metam juſtam contingere valeat medicamentum. Sæpius etiam accidere ſolet, ut in ſanguine lateat infirmitas: hæc ſi per ſuum quæſierit emunctorium, non ſiſtetur ſanguis, donec repurgatus fuerit. Aliquoties ob calidam complexionem ſævit fluxus; talis poterit aliis quàm fodicationum emplaſtris, aut ſimilibus reprimi: quorum aliqua ponimus inferius: tuæ tamen diſcretioni relinquitur, ſiſtere ſi voles, poteris aut non. Potiùs tamen quam expectare mortem, ſiſtendum eſſe judicamus, ubi medium offertur accidens hoc amovendi. Procurandum præ cæteris, ut membrum ſervetur calidum, nec ullo modo frigeat, neque fodicationum emplaſtro careat: hoc enim ſedantur accidentia, ut retentionem citiùs admittant. Solent etiam aliquæ venæ reliquis eſſe repletiores, ut nervorum inſtar tumeant, hoc loco fluxum liberius patere ſine metu: nam cum eo multum impuritatis effluit.

Fodicationum igitur emplaſtra tibi ſint commendatiſſima etiamſi alia ſcires, quæ ſanguinem ſiſtere poſſunt, eiſque valeres uti: vide tamen, ut non tardiùs aut citiùs æquo feceris. Verùm in illis quibus natura ſana, miris & pura fuerit, ſanguinis ſit per ſe retentio, quæ potiſſima eſt.

Nonnulla ſanguinem ſiſtentia.

Crocus martis optimè reverberatus & ſubtiliſſimus. Æs uſtum, ut crocus præparatum. Farina volatilis inſperſa vulneribus, ut cum ſanguine paſtam efficiat. Pili albi, qui ſub caudis leporum naſcuntur. Uſnea ſuper capita mortuorum creſcens. Carneolus in manu contentus, aut à collo ſuſpenſus. Cinis ex ranis aduſtis.

Ubi hæc ſanguinem non repreſſerint, præſertim, ea, quæ primo deſcripta ſunt, non facilè fieri poterit, donec pro ſuo pondere fluxerit in finem uſque: qui tunc metam attigerit, leviter ſiſtet.

Hactenus de retentione ſanguinis abundè ſatis dictum ſit: quamvis alia reprimentia multa ſint, cùm tamen cauſæ fluxus expectare ſedationem & per ſe neceſſarium ſit, & curſum accidentis, ne pejus quid oriatur, quid multis opus eſt? Fac ut optima quæque medicamenta habeas, ut ſupra diximus, optime ſiſtere poteris illis juxta naturæ deſiderium.

Cap. 13. *De repreſſione glarealis aquæ.*

GLarealis aquæ fluxus oritur ex medicamento naturæ contrario vulneribus applicato, vel ex impertinenti ligatura, vel ex vulneratorum occaſione data: quapropter illis omnibus præveniendum erit accidentibus. Poſtquam tamen inciderint, eodem ordine quo ſanguinis & iſtius aquæ fluxus amovendi ſunt probatis medicamentis in hoc Tractatu poſitis. Hac viâ mitigatur irritata natura, & per ſe glarealem aquam ſiſtit. Non ſunt igitur vulneraria medicamenta, quæ ſolum curant, at illa, quæ pellunt accidentia, præſervant à nimio fluxu, cùm ſanguinis tum glarealis aquæ. Quæ ſimiles virtutes non habent, medicamenta minimè dici poſſunt, nec ea quæ depravant vulnera.

Et quamvis multa quæ glarealem aquam ſiſtere putantur, à nonnullis deſcripta ſint: nihilominus probata non ſunt omnia, nec in omnibus: at in aliquibus, utilia, in aliis vero non: aliquoties conducentia, quandoque non. Cum ergo tam fallacia ſint, neminem ea docere cupio, ſed potiùs quæ certiſſima ſunt, ut *fodicationum emplaſtra, olea vulneraria*, &c. Accidentia quæ per ſanguinis emiſſionem oriuntur, hîc etiam per glarealis aquæ fluxum conſideranda ſunt, ut in iſto prout in illo profluvio juxta naturæ potentiam, & non contra valeas operari. Quæ hoc loco requiruntur, aliis in ſubſe-

ſubſequentibus capitulis reperies. Niſi retineatur, aut à nimio fluxu compeſcatur; aridura, nec non alia ſubſequentur accidentia.

Cap. 14. *De propulſione paroxiſmorum à vulneribus, caloris, frigoris, ſuperfluæ carnis, tumorum, duritiei, nec non coloris præter naturam. Etiam de calculorum ac rupturarum inciſoribus Chirurgis.*

PRæter illa, quæ dicta ſunt, alia cauſantur accidentia. Licet vulnus ex aſpectu judicari poſſet à Chirurgis omnibus, carere quibuſvis accidentibus: eſt nihilominus in ipſa natura propter variarum concordantiam in ea partium contrarietas orta. Nam ubi gladius membrum aliquod in corpore lædit, non ſolum illud, verum etiam alia quæque membra per condolentiam: quapropter ſingulorum accurrit ira; miſceturque vulneribus in vindictam læſionis. Ut ſi quis lapidem jaciat inter multos confabulantes amicos & ſocios, eorum nemo permanet immotus, nec in ſua veteri natura vel temperie: verùm quiſque cupit eorum hoc ipſum ulciſci. Non alias in humano corpore fit, cum ei vulnus incuſſum eſt. Qui poteſt igitur vulnus carere ſuis accidentibus agnatis, etiamſi non accurreret aliud:

Cum igitur ob hujuſmodi commotionem agnata ſit vulneri talis inimicitia, merito ne diutiùs ignoretur, ſuſcepi deſcribendam. Et quamvis varia ſint iſtius originis accidentia: tamen arte levi propulſanda ſunt, alias cum ob iſtorum ignorantiam occurrentium, quis gravioribus medicamentis aliis magis convenientibus uſus fuerit, vulneri novum producet accidens, deteriuſque damnum. Quapropter ab experientia debent agnata, non ex litera cognoſci quæ ſunt accidentia, cum deſcribi proprie nequeant. Remedia tamen quæ his adhiberi poſſunt, brevibus enumerabo. Sunt agnati vulnerum *paroxyſmi, ſpaſmus, caro putrida*, quæ non ſolùm in vulneribus per choleram incuſſis, verumetiam ſtudio vel arte factis, ut ab inciſoribus calculorum, lapidum & rupturarum accidere poſſunt, ob locum, in quo facta ſunt, periculo magis obnoxium. Quo pacto ſimilibus agnatis erit ſuccurrendum accidentibus, infra ponimus.

Paroxyſmus in vulneribus.

Sub vulnerum paroxyſmis concludo calorem præter naturam & frigus. Antea diximus originem, jam ſedationem eorum unico medicamento ponemus, nec horum tantum, at accidentium etiam ex eis orientium, ſunt *durities, color cæruleus*, &c. In juſquiamo latet virtus; qua propulſantur ea, licet etiam in papavere vis mitigativa reperiatur. Mitigativis enim plurimùm delectatur natura, ſine quibus pacificari vel ſedari nequit. Solam iſta requiem appetit à Chirurgo ſibi cieri: quid ergo proprius aut convenientius eſſe poteſt, indormitiva natura? Hæc enim, ut ebrius in ſommum agitur, & non ſecus ac iſte, rurſus ad memoriam redit, illa per membri ſomnum ab irritatione quieſcit, ac poſtmodum expergefacta digeſtionem ſævitiæ ſuæ fecit: ſic tolluntur paroxyſmi vulnerum cum ſuis accidentibus optimè, nec melius.

Remedium vulneribus ſomnum inferens.

℞. *Radices juſquiami*, quas in ſole cum aceto roſaceo digeres, & lintea madida hoc liquore, calidaque vulneribus appones, humectando calefaciendoque; toties iterabis, donec membrum in requiem adductum ſit. Multæ ſimiles aliæ radices inveniuntur: at quia hâc te certiſſimum reddere poſſum; quid multis obruere cupiam? ſat erit ſi unico ſecurus eſſe remedio valeas.

Spaſmus.

Antea ſpaſmi fecimus mentionem, quinam ipſe vulneribus admiſcetur. Hujus expulſio fit per venarum corroborationem. Oleo terebinthinæ vel olivarum ungendæ ſunt venæ; his enim vigorantur.

De carne ſuperflua.

Quod ad carnem ſuperfluam attinet, exceptis accidentibus, peculiaribus non eſt remediis opus: nam ex ſui natura non permanet, ſive ex medicamenti ſuperfluitate naſcatur, ſive ex abundantia ſanguinis. Et quamvis peculiare non adhibeatur ei medicamentum, eo ſolo quo curantur vulnera, conſumitur. Verùm quod ſuperfluam carnem adferam hoc loco, non alia de cauſa factum eſt, quàm quod ſciam, Chirurgos putatitios ejus nullam habere notitiam: eo patet, quia corroſivis auferre conantur. Eorum corroſiva peſſima, ſunt varia, velut *alumen uſtum; vitriolum*, &c. nonnulli ſumunt *arſenicum*, alii *mercurium ſublimatum*; quibus abrodere putant, nec lenioribus auferri poſſe conſiderant. Non animadvertunt etiam ob nimiam ſuam ignorantiam, hujuſcemodi prava medicamenta vulneribus intolerabiles adferre dolores, & varias infirmitates, illaque ſuo ſic inficere veneno, ut natura nihil amplius conſilii vel auxilii pati nec admittere velit. Sic ego te docebo, nempe ut cùm in vulneribus caro ſuperflua ſive ulceroſa, ſive ſanguinolenta creverit, aut alias quovis modo, ſolis medicamentis in iſto Tractatu contentis utaris, illa quidem auferent eam abſque dolore.

Quod ad ipſam duritiem attinet, eiſdem etiam remediis tollitur. Solum id te facere decet, ut optima quæque habeas medicamenta, juxta verum ordinem & fundamentum compoſita; ſic fiet, ut accidentia nulla vulneribus incidant.

Cap. 15. *De medicamentis utilibus & inutilibus.*

NOn ſolum in vulnerum ligationibus aut applicationibus, medicamentorum curæ negotium conſiſtit, ſed etiam & potiſſimùm in eo videlicet, ut Chirurgus cognoſcat, utrum utile medicamentum ſit, aut non: de cujus rei declaratione Capitulum hoc ad inſtructionem ſcribere volui. Primum in uſum & proprietatem aſſumas, ut cum perceperis dolores aut accidentia ſub medicamentis oriri (ſive multis utaris aut paucis) præter communem uſum, ab eis abſtineas, ac de aliis tibi proſpicias, nam quodvis medicamentum inferens dolorem vulneribus, aut permittens, ſtatim abjiciendum eſt, & nullo modo ſuperponendum. Tempus etiam inter ligaturas erit obſervandum ſecundum alimenti vulneris digeſtionem, unam tardiùs aut citiùs altera factam. Eſt communis terminus tamen horarum duodecim: quæ plus minuſve requirunt, illis etiam pro ſua ratione fuerit connivendum. Hæc à me dicta ſunt, quia ſolent ex inordinato ligandi modo plurimi dolores oriri. Cum ex medicamenti defectu non fuerint, facilius accidentibus hujuſcemodi cum diligentia prævenire poteris. Unicum conſideratu maxime dignum, ut ſummopere dolores omnes evites, qui non ſunt ex vulneris agnata natura: nam quacunque ratione ſint alia, nihil boni præſagiunt. Cavendum erit etiam (ut ſæpius antea dictum eſt) à ſanie fœtoreque medicamentis ea propulſantibus, quæ ſi debiliora fuerint, quam vulnerum pravitas, ab iſta vincuntur. Quapropter efficaciora fortioraque ſumito, cùm ea ſigna videris. Sæpius accidere ſolet, ut vulnera

nera mutentur, ac in deterius vergant ſub optimis medicamentis: conſultum erit mutare ſæpius etiam ipſa medicamenta, ſi non, pauca requies erit vulneribus. Hoc ſignum eſt multorum accidentium, ubi medicamentum recedens à vulnere, bonum finem curæ non indicaverit. Olea vulneraria non permittunt accidentia, nec potiones vulneratorum, præſertim ſi conſtiterint ex eis, quæ ſingula membra corpus inquietantia pacificant, & quieſcere faciunt. Unguenta pariter vulneraria ſuam in ligaturis proprietatem habent, ut ſingulis duodenis & octonis nonnunquam horis innoventur. In omnibus tamen medicamentis notandum eſt, ut ea, quæ vulneribus apparent eſſe contraria, mutentur, & eorum loco applicentur alia. Cum etiam refrigerio fuerit opus, aut alio ſimili quovis auxilio, mox adminiſtretur. Quamvis iſta recepta ſint optima probatiſſimaque, nihilominus vix fieri poteſt, quin aliquando ſubvenire neceſſitati ſit opus, non magnis artibus, at ſola refrigeratione. Siquidem vulnerati quandoque naturam pronam habent, unus ad potiones vulnerares, alius ad emplaſtra, & alius ad olea balſamaque pariter vulneraria, quiſpiam alius ad fodicationum emplaſtra, vel ad ſublimata, deſtillataque pronus erit alius. Hæc & ſimilia conſideranda veniunt, non iſta nempe: *hoc medicamento plurimi curati ſunt, ergo & iſte curabitur eo.* Varia ſunt enim genera medicamentorum, & hominum variæ naturæ: quæ quidem omnia perpendenda ſunt. Medicamentorum propriorum adhibendorum & non, erit adhibenda ratio, vulneratorumque proprietatum, atque medicamentorum eſt facienda comparatio, nec non alimenti vulnerum ad illa. Videndum etiam, ut ex vulneribus nulla ſanies; nec fœtor, neque vermes exeant. Quicunque juxta prædictas rationes operatus fuerit Chirurgus, poterit boni quid efficere. Sique plura deſiderantur, aliis ſuis capitulis enarrata ſunt, experientia quoque docet indies. Hæc tria potiſſimè notanda veniunt, ut ſupra, nempe, quod infirmi & medicamenta ſimul conveniant: ut ligatum ſit juxta normam excrementorum: & poſtremò ſecundùm evitationem saniei, fœtoris, dolorum & ſimilium. In his enim potiſſimæ curarum animadverſiones conſiſtunt.

Cum vero fodicata profundaque vulnera ſuis in cavernis aliquam ſaniem congregarint, obveniendum erit hoc modo, ſcilicet, ut myrrha ſaleque vino decoctis atque ſolutis, per ſyringam in fundum uſque vulnerum injectis abluantur & mundificentur. Item patiens tali ſitu jacere cogatur, ut ſanies effluere valeat, & non rodat in profundum. Quæ reliqua ſunt annotanda, docet uſus & experientia.

Cap. 16. *De concluſionibus vulnerum ita fiendis, ut poſt curam nihil oriatur novi, ſed ſolidæ ſint ac permanentes.*

VUlnus omne concluditur: eſt enim ſanandæ carnis ars ipſa facilis admodum, venarum autem & nervorum potiſſime conſideranda. Nam in iſta curarum rotum conſiſtit negotium, quam, qui calluerit, Chirurgus erit, non ille, qui ſimpliciter curare vel concludere vulnera novit. Bonæ vulnerum concluſiones æſtimatione plurima dignæ ſunt, poſt quas nullum ſubſequatur damnum, quod ſæpe ſolet, ut *aridura*, *cicatricum apertura*, *ſpongiæ*, nec non alia multa. Ut ab hujuſmodi tuta ſint accidentibus, quædam arcana ſunt in Chirurgia, quibus curandum inter arcentur.

Ex porris & radicibus eorum ſpongiæ naſcuntur è vulneribus aliquot libras æquantes. Dum curantur vulnera, poſſunt evitari lavamento quodam à prima ligatura ſtatim adhibendo, poſtquam radices porrorum apparuerint, quæ facilè cognoſcuntur. In iſtius loturæ liquore madefiant fila, vulneribuſque imponantur pro porrorum extenſione. Lotura fit ex ſale armoniaco ſæpius à tartaro ſublimato, poſtmodum ſuper marmoreum lapidem reſoluto. Ubicumque hoc uſus fuerit Chirurgus, optimè concludet abſque periculo damnorum ſubſequentium, quibus prævenire maximum arcanum eſt. Accidere poteſt etiam, ut poſt concluſionem vulnera rurſum aperiantur, & per ſe tandem ſuo tempore cancri, fiſtulæ, noli me tangere, vel ferrugines oriantur. His etiam inter curandum prævenire poteſt Chirurgus, præſertim ubi radices adhud tenellæ ſunt atque recentes (alias enim in vulneribus patefactæ fuiſſent) viridi oleo vitrioli cum abluta fuerint vulnera ſtatim à prima ligatura, quæ dicta ſunt evitantur, eorumque radices mortificantur, ac per ſaniem una cum excrementis vulnerum alimenti per purgationem exeunt, ab iſta ſanie non eſt quod terrorem concipias. Hic verus, fiſtulas, & omnia cancrorum luporumque, à radice tollendi genera, nec non alia quæque corrodentia damna, modus eſt optimus, antequam enaſcantur, tam in profundo, quam in plano.

Sæpenumero ſolent etiam aliqui fluxus in juncturis poſt concluſiones oriri, cum dolore maximo, pro mutationibus temporum aucto, vel immunito, vel juxta Lunæ quartalia, poſtmodum aridutæ, membrorumve contracturæ ſequuntur: Iſtis etiam præveniendum erit ſtatim, dum curantur vulnera, ut cum perceperis dictis mutationibus temporum, aut Lunæ, pariter augeri dolores, judicium facias, accidentia talia cum tempore, niſi prævenias, enaſci debere. Quapropter levibus obvenias purgationibus juxta reſpectum perſonarum oportet, ut pillulis artheticis, & ſimilibus: & in vulnera quandoque dolorum præcipue temporibus laterinum oleum calefactum infundatur, & ita poſtmodum ligentur. Non alias cum cæteris accidentibus agas, cùm apparere videris ea, prævenire mox addiſcito,

Cap. 17. *De animadverſionibus peculiaribus in fodicatis vulneribus habendis magis, quam in aliis, & neceſſariis.*

ETſi de fodicicatis vulneribus antea ſatisa mplè dictum ſit, nihilominus, quod aliis tardiùs curantur, & præſertim ubi medicamentum non pertingit fundum, aliqua conſideratu neceſſaria jam repetemus. Quod ſecta fundum vulnera palam faciant, fodicata vero non, periculoſiùs cum iſtis quam cum illis agitur. Quanquam rarò contingere ſoleat, ut in illis oriatur accidens, ubi fodicationum curata ſunt emplaſtris, quæ vetant illa: tamen apprimè notandum eſt, cum remedio majori conſilioque ſit opus quàm alias:

Præter ea quæ de fodicationum emplaſtris dicta ſunt, cum eis adhuc duo maximum in uſum & neceſſarium veniunt: prius, ut potio vulneralis adminiſtretur: poſterius, ut lotura aut lavamentum fiat immiſſionibus per ſyringam toties repetitis, donec clarum atque mundum effluat. Lavamentum hoc fit ex melle, vino, aqua, alumine, ſale, &c. pro diſcretione juxta neceſſitatem ordinatè proportionandum. Poſt hujuſmodi lavamentum immittendum eſt oleum vulnerale per idem inſtrumentum in fundum uſque vulneris, & ligandum emplaſtris quæ diximus. Oculi cancrorum etiam in potum adhibiti maximæ virtutis exiſtunt, efficaciæque mirabilis in fodicatis vulneribus.

Si forte vulnera deorſum fodicata ſint, aut pro

decubitus ratione tendant, imperabis, ut alio modo patiens jaceat, ut lavamenta vel ablutiones prorſus eximi queant: nam per latera ſemper defluunt in fundum, operationeſque medicamentorum impediunt. Fac igitur patiens ita jaceat, ut vulneris fundus in altum ſit erectum, & orificium ejus imum reſpiciat, ni forte balſamum aut oleum immiſſum eſſet. Notandum etiam hoc loco fodicationum emplaſtra curare mitius deorſum, quàm ſurſum verſa.

Eſt etiam aliud accidens in fodicatis vulneribus, ob quod majorem diligentiam requirant quam alia vulnera, nempe quod ex propria ſua natura magis in depravationem tendant aliis. Cura naviter igitur. ut ab eis congelatum ſanguinem expurges, ventris naturalem conſerves mollitiem, & in cibis meliorem ordinem habeas, potiſſimùm ubi jam vulnera fœtorem emittere cœperint putredinis, ac ſi perſicus ignis irruere vellet, ac circum orificium cœruleum & rubeum colorem poneret: cavernoſæ quoque vicinæ partes apparent, ac ſi foramina quædam incidere vellent. Quod reliquum fuerit in fodicatis vulneribus curandis, invenies in aliorum vulnerum curis, juxta hos proceſſus omnes fodicationes curare ſecurè poteris, & abſque dubio: nam Deus creavit completam ex omni parte medicinam, quapropter non eſt (quod ad eam attinet) quod anxiè cures. Niſi fortaſſis impoſſibile quid, ut lignum quod ob multitudinem ramorum nodorumve concurrentium, findi nequit, occurrat. Medicamentum à monſtroſis terretur, cùm non reperit juxta veram naturam formatos homines. In iſtis quidem cùm difficiles, tum dubioſæ curæ ſunt, eo quod propriam naturam deſtructam habeant. Quid cum his igitur poteſt agere Medicina?

Cap. 18. *De cuſpidibus telorum alatis, vulneribus adhuc inhærentibus.*

ALatæ cuſpides jaculorum aut ſagittarum in vulneribus remanentium, vix elici poſſunt, ob hamos in carnem ſe figentes, cum extrahere quis conatur, ni forte maxima fiat induſtria, tali nempe, ut ſi torta ſint in vulnere, dirigantur alæ rurſus æqualiter ad orificium, non alias quàm intrarunt. Verùm ubi dum retrahuntur, infixi jam hami fuerint, hactenus ars nulla reperta fuit, qua valeant elici. Itidem cum globulis bombardarum ſolet accidere, qui vi quadam in juncturas & oſſium cavitates ejaculati ſunt, ac ob ſui contuſionem formæque rotundæ mutationem ita comprimuntur, ut eximi nequeant. Quanquam de radicibus & herbis multa ſcripta reperiuntur, quæ propriis viribus & naturalibus attrahunt: nihilominus iſtorum virtus in illis tantùm operatur, quæ per incurvationem aut intumeſcentiam ſolidam non reluctanrur ejuſcemodi viribus attractivis. Cùm itaque hoc impediat, penes communia medicamenta remanere compertum eſt utilius.

Quòd autem ſeræ fuerint apertæ, vel parietibus evulſi clavi fixiſſimi, vel è vulneribus, à Magis id factum eſt, qui terræ magnetem cum firmamenri magnete reduxerunt, in eandem ſimilitudinem, & hac arte clavos è parietibus extraxerunt, peſſulaque forium retraxerunt, aut elevarunt, ſeraſque per attractionem aperuerunt juxta magnetis præparationem. Similibus etiam viribus magneticis extractæ jaculorum & ſagittarum ſunt alatæ cuſpides. Nonnullas etiam radices ac herbas Magi præpararunt, quæ prius ex ſe virtutem habeant attractivam, & poſtmodum ubi cum ſyderibus cœleſtibus in ſimilitudinem convenerunr, non alias attraxerunt, quam de magnete ſupra diximus. Ex eo nullo modo ſequitur unamquamque herbam aut radicem, nec magnetem quemlibet id efficere, ſed ea tantùm, quæ conſtellata ſunt: & iſta cum tempore pereunt, moriuntur, ac rediguntur ad nihilum, cùm in omnibus rebus mors exiſtat.

Sunt etiam verba quædam conſtellata, quibus ea, quæ prædicta ſunt, extrahuntur, duobus digitis tantum admotis. Artes iſtæ naturales exiſtunt, certæ, probatæque, nec non incantationis omnis aut diabolicæ ſuperſtitionis expertes, ad hominum uſum & utilitatem datæ.

Cum ignoratæ fuerint artes hujuſmodi, & medicamentis fieri debet extractio, vicinæ partes omnes putrefaciendæ ſunt, quouſque latus admodum pateat exitus: aut inciſio fienda, vel protruſione ſunt ad alteram partem oppoſitam eximenda.

In Tertium Tractatum Chirurgiæ Recentium Vulnerum, Doctoris Theophraſti Paracelſi.

Præfatio.

ALia ratione, quam armis in humana corpora ſæpius infliguntur vulnera, eiſdem ſubjecta medicamentis. Nam etſi canis morſus armis non fiat, vulnus tamen efficit: ſic de reliquis morbibus, & infectionibus extrinſecis. Itidem oſſium rupturæ, vulnera carnis etſi non ſint, oſſium vulnera tamen exiſtunt, hac ratione ſub Chirurgia comprehenſa. Sic etiam adustiones quocunque modo factæ, ſunt vulnera pellis. Et congelatus in corpore ſanguis, caſu vel percuſſione factus, & gelu frigoreque maximo damnum excitatum, ad Chirurgiam pertinent. Horum omnium unà cum ſectis & fodicatis vulneribus intelligentiam habere debet Chirurgus; ut cognoſcat ea, quæ poſſit in ſimilibus, & quæ non: poſſibilia quæque, necnon impoſſibilia: quid ad Chirurgiam pertinet, quid vero non: quid mortale, quid non: quid ad vitam conducat, & quid non, &c. Tandem opus eſt impoſſibile quodque relinquere, & poſſibile quodvis in ſua potentia conſervare curareque, ne fiat impoſſibile: nam ad iſtud nulla medicina reperitur, at ſolum ad illud, poſſibile nempe. In poſſibili namque mors etiam continetur, ut in impoſſibili: in poſſibili tamen amobilis, eo ſcilicet, ut conſervetur, ne fiat impoſſibile.

Hoc itaque Tractatu docetur de vulneribus, quæ aliis quàm armis infliguntur, & nihilominus ad Chirurgiam pertinent, quæ quidem indiget uſu maximo, diuturnoque tempore. Hujus artis quòdlibet experimentum in uno patiente ſolum comprobatum fore non debet, at in aliquot centenis diligentia maxima, nec non animadverſione ad naturales proprietates. Tum demum his uſibus continuis dicitur cognoſci natura, nec priùs operari poteſt Chirurgus, aut ſeipſum talem agnoſcere. Apud inutiles & nullius aut minimæ ſaltem æſtimationis homines, experimenta nonnulla reperiuntur, præter verum ordinem ab eis uſitata: quorum Chirurgus uſu longiſſimo cum experientia corrector & examinator fore deberet, ut in verum uſum redirent, juxta ſui tenoris potentiam & vires. Nam ſpeculationes Chirurgorum non efficiunt, at artes, quæ pariter ſpeculationes non exiſtunt, ſed experimenta manu reperta. Hæc poſtmodum ſequitur contemplatio, quæ proprie dicitur ad naturam animadverſio, quinam ea ſi utendum. Poſtremò venit experientia ſimilium artium, & hæc eſt vera magiſtra, non ipſe tonſor aut balneator, nec eorum collegæ. Theorica Chirurgi fore debet experientia. Jam ponemus curam eorum vulnerum, quæ fiunt abſque armis, cum regimine, &c.

Cap. 1. *De ordine cibi & potus vulneratis adhibendorum ſimilibus, & primò de canum rabidorum morſibus, &c.*

PRimum ad canum rabioſorum morſus hoc eſto remedium, ut videlicet fel & cholera ſuperentur, ne vincant naturam: quandoquidem ut canis rabidus momorderit, inde mox ille morſus unitur cum felle choleraque, tum demum ſæviunt, ac omne quod ex eis oriri potuit accidens, promovent in eſſe, deque minimo maximum excitant. Non eſt opus hoc loco multis conſiderationibus, prout in felle & cholera, ſolum bibatur aqua frigida continuo, tamque magnis hauſtibus, ut iterum per os ejiciatur. Cavendum eſt & abſtinendum à vino. Cerviſia tamen, quæ parum lupuli virium habeat, uti patiens poterit. Præ cæteris autem potionibus illæ, quæ fient ex oxiacanta, & prunulis ſylveſtribus, aut pomis optimæ ſunt.

Itidem & frigidis cibandi ſunt: ut braſſicis albis contuſis, & acetoſis ita per ſe confectis, ut in Germania ſolent, & ita copiosè, ut etiam evomant. Et ubi voles potum optimum adhibere, coquas follicula ſenæ, & folia roſarum in lacte ſero ſuo privato, & huic decoctioni benedictæ laxativæ parum admiſcebis, & frigidam bibat, ut moderate purget. Non eſt quod verba medicorum communium cures, dicentium, *ſenæ folia melancholiam purgare*: hoc loco debitam purgant materiam. Poterunt ei lactucæ cum aceto & oleo dari comedendæ, roſarum etiam electuarium cum aceto mixtum in potum adhiberi, cum acriter agitari patiens videbitur.

Summopere cavendum eſt, ne quid cum aromatibus conditum edatur, aut ea per ſe, nihil quod bene redoleat, aut calidum ſit. Nullum fiat fumigium. Si calor admodum exceſſerit, ut in rabiem incidatur, potus adhibeatur ex aceto roſaceo cum ſucco oxiacanta mixto continuus. Hæc omnia fiant juxta conditiones patientis.

Conſiderandum eſt etiam hoc loco, tales infirmitates in caninam tendere naturam: qua de re miti regimine non eſt opus, ut ſupra diximus. Patientes in aquam jacere frigidam, bonum erit.

Ubi tamen in aliam complexionem hujuſmodi canum tenderent morſus, ut cum choleræ parum ſunt obnoxii patientes, iſtorum eſſe debet mitius regimen. Non in rabiem incidunt omnes, quos rabidi canes momorderunt, ſed in aliud accidens juxta cujuſque naturam. Notanda ſunt igitur ſigna, quibus in quod accidens unuſquiſque poſſit incidere, demonſtratur, & ex eo indicio regimen erit ordinandum.

Cap. 2. *De regimine vulneratorum à morſibus anguium, ſerpentum, viperarum, lacertarum, & aliorum venenati generis animalium.*

INter venenatos morſus periculoſi magis exiſtunt illi, qui per choleram fiunt, aliis, qui caſu: periculoſiſſimi verò, qui ex incantationibus. In his omnibus remedium eſt, ut in cibum adminiſtrentur ea, quæ ſtomachum, jecur, & cor tuentur atque præſervant. Nam venena mox tendunt ad cor: non enim cupiunt ſolum in membrum læſum imprimi, ſed ex ſua proprietate nobiliſſimum hominis membrum invadere, quod quidem hac ratione præ cæteris præſervandum eſt.

In defenſionem cordis, aliorumque membrorum principalium, ſtatim atque perceperis venenum ad cor tendere, olivarum oleum, in qua calybs candens aliquoties priùs extinguatur, & cui pro qualibet librâ, corallorum rubeorum & minutiſſime contuſorum ℥j. fuerint additæ, nec non ſpecierum de gemmis ℥j. calidum in potum hauſtumque primùm adminiſtrentur, aliis verò vicibus frigidum, hoc ipſum detur potandum, quinquies ad minimum uno die. Poſtmodum ſit potus ejus vinum rubeum calybis, ſicut oleum, extinctione præparatum, cui theriacæ parum admiſceatur, & pro quolibet hauſtu ℥ß. coralli rubei pulverizati. Continuetur hic potus, donec ſignum appareat evidens.

Si tamen inter potandum oleum ſitis invadat nimium patientem, detur interpoſitis vicibus calidum lac mixtum pulvere coralli. Eſt etiam philonium perſicum poſtremæ huic potioni mixtum, per quàm utile, ſæpius poſt olei hauſtus potum, in membrorum capitalium defenſionem: contradicant licet omnes, quotquot ſunt medici.

Nihilominus ubi ſitis non naturalis intervenerit, non eſt neceſſarium, ut omnino ſatietur: eſt tamen indicium veriſſimum, venenum cordi proximum fieri. Quapropter utile fuerit hujuſmodi ſitim extingui hoc modo, nempe, ut exterius applicetur aqua roſacea cum camphora ſandaloque mixta.

Quod ad cibum attinet, juxta infirmitatis exigentiam gubernetur cibis digeſtibilibus & paucis admodum. Reliquum in medicamento ſitum eſt, ut in ſuo capitulo dicetur.

Cap. 3. *De regimine ſervando in rupturis oſſium, & in ſanguine congelato intrinſecus.*

IN rupturis oſſium non eſt ciborum & potuum cura peculiaris habenda, niſi quod eis uti, quæ refrigerent oporteat, ut præ calore non incidant in febres ægri: nutritivis & optimis quibuſque moderate cibentur, &c.

Eorum tamen quibus ſanguis intrinſecus eſt congelatus, cibus atque potus purgantibus commiſceri debent, ut hordei decoctio cum pauco rheubarbaro, vel radicibus hirundinariæ, cùm ſenæ folliculis, aut therebinthina modica, vel cum pauca lacca. Et in cibis mumia, vel reupontica coqui debet. Hic ordo ſimul cum pertinentibus medicamentis obſervandus erit, juxta magis aut minus, pro neceſſitatis exigentia.

Cap. 4. *De diæta regimineque pro his qui patiuntur aduſtiones.*

IN communioribus aduſtionibus diæta minimè fuerit opus, at in illis tantùm, quæ mortem inferre poſſunt. In iſtis regimen optimum erit medicamentum: quo ab internis ad exteriora calor aduſtionis attrahi valeat. Verum ſi nimium penetrarit, externis remediis omnino retrahi non poteſt, quapropter intrinſecus etiam refrigeriis & extinctionibus opus erit.

Extinctiones internæ fiunt ſedi ſucco aquæ permixto, aut cucurbitarum ſucco mixta cum tiliarum florum aquâ per pannum expreſsa: & acetum roſaceum cibis admixtum plurimum prodeſt: & alia quæ ſupra poſita ſunt. Non diutiùs tamen his utendum erit, quàm ſummè neceſſarium fore videbitur.

Cap. 5. *De regimine eorum qui frigore congelati ſunt.*

HIs qui frigore ſunt ita congelati, ut ad interiora gelu penetret, acetum roſaceum pipere longo, vinoque mixtum in potum adhibeatur: eiſque cibus condiendus eſt, plus minuſve juxta frigoris intenſio-

tenſionem. Iis verò, qui in mortem uſque gelati ſunt, ardens aqua theriaca mixta, radicibuſque tuſſilaginis detur potanda non modice. Hæc ſi haberi nequeat, zingiber vel caryophilli, cardamomum & grana paradiſi coquantur ſimul, & adminiſtrentur calida, poſtmodum ſudent.

Cap. 6. *De curis morſuum à venenoſis animalibus externè factorum, rupturarum oſſium, aduſtionum omnium quibuſvis artificibus accidentium.*

De morſibus canum rabioſorum, & aliis.

MOrſus canum in tres ſpecies dividuntur: aut rabioſi, vel cholerici, vel communes exiſtunt. Omnium rabioſi peſſimi: nam rabioſa natura ſimul cum ipſo morſu naturam hominis inficit, ut eam rabiendi mordendique proprietatem inducat. Poſtea cholerae morſus eſt, cum canes irritati mordent: ſecundum hîc malignitatis locum obtinet, eo quod cholera cum morſu remanet in vulnere. Poſtremò qui fit à canibus non iratis, at ſubito motu, minus omnium periculoſus, cum facilius curabilis exiſtit. Luporum etiam & porcorum ſylveſtrium ac ſimilium animalium, non alias quam canum ſunt curandi morſus: non tamen ſub rabidis, aut cholericis comprehendendi.

Conſiderandum ulterius, quanam ratione fiat, ut morſus canum rabioſorum, hominem eo vulnere poſſit etiam rabioſum efficere: quod ita contingit. Cum canis mordet, eo momento ſuam naturam integre fixam habet in hominem, & eo loco potiſſimùm, in quem arripit. Mox atque ſubitam læſionem homo ſentit, retrogreſſus totam ſpeculationem habet in morſu, & ita conveniunt in unum ambæ phantaſiæ momentaneæ, ut ſpeculatio hominis imaginatione canis inficiatur, non alias quam ubi duo fumi, redolens unus, & fœtens alter, ſimul commiſcentur. Nam licet imaginationes non ſint ſenſibiles, corporales tamen exiſtunt, ut venti, miſcentur etiam ut iſti, vel fumi.

Habet hominis phantaſia vires attractivas magneti ſimiles, quibus alias phantaſias ad ſe trahit, non ſecus ac quis ab alio quid audiat aut videat, hoc ipſum ab iſtius phantaſia trahitur in phantaſiam alterius, ut ſit in iſta prout in alia: hoc loco pariter attrahit homo ſuâ phantaſiâ canis conditiones, quarum attractionibus inficitur, ac in naturam caninam tranſmutatur: ut croco tingitur aqua, pariter & hominis ratio, maculatur à canis rabioſa natura, corrumpiturque, ut conditiones in homine ſimiles fiant illis, quæ caninæ ſunt. Evenire namque ſolet, ut homo talis rabioſus etiam fiat, & in homines irruat ut canis, ſtomachumque ſimilem acquirat, & in eo modo conditionatum, ut canum inſtar foret, iſtorumque proprietates complures, quæ ex ſua natura ſibi minimè contingere poſſunt, at ſolùm ex imaginationibus antea dictis. Quapropter non ſunt iſti morbi mortales at naturæ maximè contrarii. Et cum rabioſos homines morſus canum efficiunt, eorum eſt rabies canum rabiei ſimilis, omnibus conditionibus & proprietatibus. Accidentia quævis etiam ut calores, tumores, paroxyſmi, nec non ſimilia, concurrentia, non ſunt communibus ſimilia, nec infirmitates accedentes cum aliis conveniunt. In iſtis igitur nullo modo, prout in vulneribus, operari debet Chirurgus: at eorum in cura primùm hoc ſit, nempe ut fel & cholera purgentur accerrimè, ne dominentur, cholera potiſſimùm: nam hoc loco ſic inficitur, ut niſi repreſſa, hominem interimat ejus virulentia. Purgatio talis fieri debet, quæ fel & choleram tantùm purgent, ſive coloquintida, vel agarico, eſula, ſucco ex ſambuci corticibus, rheubarbaro, ſimilibuſque conſtet: quanto violentiùs, tanto meliùs infernè, ſuperneque pellendum erit abſque reſpectu.

Inter purgandum exterius etiam refrigerandum eſt, illis quæ vermem interimunt, ut ſtupefactivis, ranarum cruore, oleo mandragoræ, ſimilibuſque, donec dolor ceſſet omnis. Ligentur vulnera morſuum hujuſmodi fodicationum emplaſtris, ſine pice Græca tamen compoſitis.

His tribus remediis, utpote purgationibus intrinſecis, refrigerationibus externis, & fodicationum emplaſtris, poteris omnes canum rabioſorum curare morſus. Et ſi his ceſſare nollet rabies, opiatis utendum erit juxta conſuetudinem eorum. Ab his nullius dimoveri te ſuaſionibus permittas: nam per illa ſedatur optime rabies. Inter quæ potiſſimum & optimum eſt ſulphur à vitriolo per toſtionem & præparationem deprompt am: poteris etiam aliis uti notiſſimis. Varia purgationum, refrigerationum, & opiatorum deſcribi recepta poſſent: verùm hoc loco non neceſſaria, tantùm illa, quibus fiunt, ut ſupra, compoſitionem ex uſu diſcere debes, & induſtriâ tuâ ſucceſſu temporis acquiſita.

Reliqui morſus canum ut cholera facti, medicamentis internis aut purgationibus non indigent, ſed externis, ut ſuperius narratum eſt: communes verò morſus medicamentis in ſecundo Tractatu poſitis ad vulnera. Hactenus de canum ſit morſibus dictum: ſolum hoc reſtat, ut admoneamus eos, qui curam iſtorum agent, niſi medicamentis præſcriptis utantur, ſubſequi facile hæreditarias infirmitates, aut perpetuas poſſe, velut internas corruptiones, aut ulcera manantia crurium, &c. Curam igitur adhibete, ne ſimile contingat vobis & patientibus.

Cap. 7. *De morſibus anguium, ſerpentum, lacertarum, & ſimilium inſectorum animalium.*

UT naturaliter de venenatis morſibus loquamur, ubi jam venenum in carnem hominis introductum eſt, aperiuntur venæ, & hoc ipſum in ſe recipiunt. Eſt quidem veneni proprietas, ut per venarum conductus fluat uſque ad earum originem: ut ſi capitis & cerebri venas corripiat, capiti periculum infert: ſi jecoris iſti: ſi cordis, etiam iſti: ſic de reliquis. In eo loco periculum eſt mortis metuendum, quapropter internis medicamentis utendum erit, ad cor & reliqua interna membra tuendum, & cum eis externis attractivis, ad retrahendum, atque defenſivis ad exterius membrum tumoribus & veneno in eo jam exiſtente vindicandum.

Præſervativum internum hoc eſto, videlicet, ut ſumantur *mithridati* ℥ij. *theriacæ* ℥j. quibus immixta ſit ℥i. ß. *corâlli rubei*, & pro neceſſitate patientibus adhibeatur: nam doſis adminiſtrationis non bene deſcribi poteſt: experiendo igitur addiſce per te hoc ipſum cognoſcere. Si hoc etiam non juverit, penes me non eſt melius quærendum.

Medicamentum ſupra vulnus applicandum eſt, ut fodicationum emplaſtum hoc, quod ex *lythargyrio, gummi, & mumia* compoſitum eſt, & ad hujus ℥iij. addas quatuor *gummi ſingul.* ℥j. coquas omnia ſimul, & liquefacias, poſtmodum ſuper vulnera liges, ut moris eſt. Animadverte cum vulnera melius habere cœperint, ut mox inde fodicationum emplaſtris illa cures in finem uſque. Fac in iſtis ut velociſſimus exiſtas, ob veneni velocitatem.

Defenſivum ad membrum ungendum, & vulneri ſuperponendum eſt, ut accipias flores taxi, rutæ, flores hypericonis & roſarum, quæ ponantur in aceto bono

no ad digerendum in ſole ſuo tempore. Hoc aceto madefacta linteola, calefactaque ſæpius imponantur aut ſuperponantur membro, donec tumor & calor inflammatus abeat. Aliorum damnorum veneno bufonum, aranearum, ſalamandrarum illatorum optimum remedium eſt, ut ſumatur vera terra ſigillata, (non illa pharmacopolarum argilla) ſaliva in pultem conteratur, & morſibus dictorum animalium ſuperponatur: hæc venenum adimit.

Cap. 8. *De cura rupturarum oſſium.*

CUm talis oſſium ruptura facta fuerit, ut pellis aperta non ſit, eo loci fieri debet induſtrioſa conjunctio, ut unumquodque ſuum locum proprium occupet. Poſtmodum utendum erit ſuis medicamentis. At ſi in ſimilibus rupturis aliquod vulnus apertum interveniat, fodicationum emplaſtris & oleis vulnerariis, ut ad vulnera dictum eſt, utere, tum ſupra hæc eis, quæ ad rupturam idonea ſunt.

Rupturæ bis quovis die curandæ ſunt, compreſſæ tamen & extenſæ ferreis annulis, juxta Chirurgorum expertorum uſum. Hoc inſtrumento poteſt omnis ruptura curari, præter motionem conjunctionis: quod excellentiſſimum eſt in rupturarum curis. Et niſi diligentiâ ſummâ curentur, metuendum eſt, ne peſſima ſubſequantur accidentia, præſertim in teneris complexionibus, quæ faciliùs aliis inflammantur. Et ex inflammationibus putrefactiones oriuntur, iſtas mox totius membri deſtructio ſequitur, & ſæpe mors ipſa, juxta locum & accidens. Erit igitur ſummè cavendum ab inflammationibus maximè quod putrefactiones ex eis provenientes amoveri non poſſint, ac foramina generent, fiſtulas, & fœtores maximos eiſdem in locis. Liga ſingulis diebus mundiſſimis pannis bis, ita ſecurus eris ab accidentibus.

Amotione comprimentium aſſularum disjungitur commiſſura partium, alias diſligando fieri minimè poteſt, & præter hujuſmodi ſolutiones etiam fit. Nam ſi ligare voles in aſſeribus, comprimere debebis acerrimè, panniſque ſuffulcire, quibus operationibus oportet neceſſariò tumores oriri, nec non paroxyſmos. Et ut moris eſt iſtiuſmodi tumefactiones mane diminuuntur, & per conſequens laxantur ligacula, quo fit ut etiam diſnectantur quæ conjuncta fuerant: & priuſquam ea comprimas, accidit quod evitare putas. Hac de cauſa non potes rupturam, ut æquum eſſet, curare, ſed potius inflammas ad putrefactionem, aut inflectis ut ſemper curvum os maneat. Licet aliquoties inopinate cures unicum, non ſemper tibi tamen ita ſuccedit. Eſt ars curandi rupturas oſſium certiſſima, nec niſi propter Chirurgorum ignorantiam fallax.

Ad rupturas oſſium curandas, herba quædam *Sophia* nomine dicta, Sclavoniis optime nota, cum lacte cocta præ cæteris omnibus eſt præſtantiſſima. Summe neceſſarium foret eam ab omnibus communiter plantari, ut cutæ multæ relevarentur à malis accidentibus.

Alia cura præter eas habetur, ut rupturam poſtquam in ferreis annulis fuerit, optime vulneraribus oleis inungas circumquaque. Poſtmodum hanc decoctionem ſuperponas. Accipe *conſolidæ majoris libras duas*, *ariſtolochiæ rotundæ lib. j.* coque ſimul in vino, & aqua, poſt in pultes contundantur, & exprimatur aquâ; materiæ tantum addito calidæ vernicis, ut fiat in modum emplaſtri. Calidum hoc ac pati patiens valeat, ſuperponatur. Fiat id in die ligatura talis, & ita curabitur omnis ruptura oſſium.

Communis eſt etiam & certiſſima cura, quæ fit unctionibus ad rupturas, oleis vulnerariibus vel ſimilibus balſamis, aut fodicationum emplaſtris. Quapropter non eſt neceſſarium hìc adducere multa Recepta, quæ potius ad perditionem quàm ad ſanitatem faciunt.

Cap. 9. *De cura coagulati ſanguinis, qua pelli poteſt.*

COagulationes ſanguinis vario modo fieri poſſunt; *ut truſionibus, caſibus, percuſſionibus*, &c. vel in corpore, vel in membris. Cùm aliquod membrum gravi nimium percuſſione contuſum fuerit, impoſſibile eſt, ut in eo fiat iterum naturalis unio læſi cum circumſtantibus, quia mortem in ſe recipit à percuſſione vel truſione: quapropter auferendum erit ſeparatione prius, quod mortuum eſt, ut à reliquo vitam recipiat.

At ſi percuſſionibus, truſionibus, aut caſu coagulationes intra corpus contigerint ſanguinis, mox in putrefactionem tranſeunt: nam ibidem ac in membris extrinſecis tamdiu reſiſtere non poteſt, ob internum calorem in corpore, ſic in deterius pronum eſt, ut quicquid in eo læſum fuerit, mox in putrefactionem agitur. Quamobrem celerius adhibendum eſt remedium eo loci, quàm in extrinſecis, ad internorum defenſionem principalium membrorum, quæ facilè tali ſanguine mortificari poſſunt. Nam vitæ radices intrinſecus exiſtunt, extrinſecus rami. Quapropter magis metuendæ ſunt internæ quam læſiones externæ: hac ratione citiùs illis, quam iſtis obveniendum erit, & abſque mora.

Sunt itaque duæ conditiones remediorum pro coagulationibus. Externarum, hoc eſt, percuſſionum vel contuſionum remedium, ut locum oleo laterino perungas, poſtea liges cum aceto roſaceo. Non eſt, quod cœruleum colorem auferre cures, at reſolvere, tum abeunt per ſe colores. Inter cœtera quæque præſtantiſſimum oleum ad omnia externa membra contuſa fractaque, hypericonis exſiſtit, ac utiliſſimum. Itidem & olea vulneraria, balſama, & ex fodicationum emplaſtris tracta, ſunt in uſum, qui dictus eſt, utilia.

Ad coagulatum ſanguinem intrinſecus, multa recepta poſſunt adferri. Sunt aliqua tamen corpora præſtantiſſima è quibus omnia conſtant remedia, quorum ego tibi ſeligam potiſſima, nempe *rheubarbarum, ſperma ceti, laccam, carbones tiliarum arborum, aſtrucium, vel brancam urſinam, aquam peoniæ, aquam endiviæ, bolum armenum, terram ſigillatam, hirundinariam, reuponticam, lapatium majus, aquam valerianæ, aquam florum tiliæ, mumiam, diagridium, agaricum, ſcolopendriam, yſopum, aquam cardui Mariæ, ſal gemmæ.*

Non ignorandum eſt, omnes purgationes aut laxationes coagulatum ſanguinem pellere, cum aliud remedium haberi nequit. Locus etiam caſus, aut contuſionis, jungi debet prædictis medicamentis ad exteriora membra poſitis, ad mitigandum. Poteris etiam clyſteriis uti, juxta neceſſitatem. Manna pariter eſt excellentiſſimum hoc loco remedium. Animadverte ne priuſquam ad maturitatem pervenias, acribus utaris medicamentis, at à mitioribus incipias.

Cap. 10. *De combuſtionibus, ignito ligno, aqua, melle, vel oleo calidis, aut pinguedine factis.*

HOc capitulo ponam communiora quædam remedia, quibus vulgares uti poterunt.

Accipe *butyrum*, liquefac, & ita calidiſſimum effundes in aquam frigidam, cochleari tamdiu agitabis, donec ut nix albeſcat. Poſtmodum ab aqua ſeparabis, & emplaſtrum ex eo factum aduſtionibus appones,

nes: hoc inflammationes extrahit. Si damnum majus fuerit, ut unico ſuperetur, alia multa poſt unum ſtatim aliud emplaſtrum ſuperpones, donec totum incendium extractum ſit, atque tumor ſubſederit. Hoc ipſum ex larido poteris conficere: prout butyrum præparato. Jam aliquot aduſtionum capitula ponam, & remedia, quibus latiùs inſtruėris.

Cap. 11. *De aduſtionibus, quæ liquefactis calidiſve metallis, ſale, aut vitriolo coquendis fiunt.*

ADuſtiones metallicæ peculiarem extinctionem requirunt apud fuſores & alios metallarios: aliam ſalium, vitrioli, & aluminum coctores. Similiter cum eis, quæ fiunt ex mineralibus, ut torrendo, liquando, evaporando, necnon illis, quæ ſub montibus igne ſubterraneo foſſoribus metallorum aliquoties accidunt, & eis, qui cinnabarim & minium, ac ſimilia conficiunt.

Primò commune fit unguentum omnibus aduſtionibus utile, hoc modo: ℞. *Nucum oleum, ſevum cervinum*, & liquefac ſimul, inunge combuſtas partes: hoc unguento metallicæ combuſtiones curari poſſunt: & quæ ligno factas curant, eas quæ metallis fiunt & curant, & econtra. Verum ſub curæ finem poſt extractionem incendii, curabis medicamentis vulnerum, aut *ſiccis pulveribus, aut croco Martis, vel croco Veneris.* Si vero ſalium aduſtiones vitrioli & aluminum his extingui non poſſent, *aqua ex ſquamulis ranarum viridibus aquæ ſupernatantibus utere.* Nam quodvis remedium extrahi ſe non permittit, niſi priùs extinguatur eo loco, in quo quidem exiſtit, ut quod fulgurum ictibus, aut ſub montibus vel coquendo cinnabarim, factum fuerit, inveteratumque. Verùm ubi mox à principio remedium adhibetur prædictis medicamentis juvari poteſt: ſi non, profundiùs indies fixum retrahi ſe non patitur: quod ab initio tamen amotu facillimum erat. Cave ne impertinentibus extinctionibus utaris ab exordio, ſed vide ut ſimul ſemper inflammationes extrahas, & niſi juvet, optimis & potiſſimis opus hoc exequere: poſtmodum ſi curam admittere nollet, vulnerum curato medicamentis. Fodicationum etiam emplaſtra combuſtionum extrahunt incendia: verùm ordo ſupra poſitus eſt optimus. Alia multa reperiuntur extinguentia extrahentiaque, ſed ob eorum levitatem relinquere volui, & ſolùm ea, quæ communiter omnibus aduſtionibus utilia ſunt, ponere.

Cap. 12. *De incendiis à bombardico pulvere, ſulphure, nitroque factis, & ſimilibus.*

ANimadvertendum eſt in aduſtionibus à pulvere bombardico factis, aut eis, quibus ineſt ſulphur, aut nitrum, ignem ad interiora penetrantem fore non leviter extinguibilem. Quapropter ubi quæ propoſita ſunt remedia non juvarent ab initio, his quæ ſequuntur utere: tandem poſt extinctionem incendii, cura medicamentis, ut ſupra.

Similia remedia fiunt ex eis, quæ ſunt humida per ſe: hoc eſt, naturam habent aqueam, ut *ſempervivum, cancri, nenuphar, & linum paluſtre.* Horum tuſorum accipe ſuccum, & eo lava partes aduſtas, quarum incendia facilè non extinguuntur: nam ex propria natura vincunt aduſtiones.

Cap. 13. *De extinctionibus & extractionibus incendiorum à globulis bombardicis ortorum, & aliis pulvere tormentorum incuſſis.*

AD extrahendum incendium à globulis cauſatum nota remedium, hoc ſcilicet: *Lithargyrium in aceto coque tamdiu, donec in ſal convertatur, ſed primo debet acetum præparari cum alcali. Poſtmodum ſal iſtud lithargyrii ſolvatur in aquam, hanc ſucco permiſce cancrorum.* Iſte liquor in momento qualecunque ſit incendium tollit. Cum igitur à globulis incendium auferre voles, hunc liquorem immitte per ſyringam in vulnus, ut globulum attingat, quem ubi contigerit, mox cum dolore ceſſat incendium.

Quod ad vulneris oculum aut orificium attinet, ſi patiatur incendium, medicamentis utilibus hoc ipſum extrahito: quo quidem extracto, nullum in oculo damnum aut accidens metuendum eſt. Verùm ſi forte neglectum fuiſſet quod jam diximus, vide ut alia medicamenta, quæ veniunt in uſum, accipias.

Cap. 14. *De congelationibus in aqua, vel in ſicco contingentibus.*

MEmbrorum congelationes duplicia damna ſecum adferunt, ut *paroxyſmos & tumefactiones.* Paroxyſmi ſucceſſu temporis naſcuntur magis indies aucti: verum tumores in putrefactionem incidunt. Hoc medicamentum certò certius expertus ſum. Oleum urinæ, quod in proprio ſale ſuo conſervatur, congelationibus in aqua natis, & ſimilibus, omnem paroxyſmum aufert.

Quod inflationes concernit, atque tumores, hoc penes me certiſſimum eſt experimentum. Urina perungantur aut laventur optime, poſtmodum fodicationum emplaſtris ligentur aut conſervari poterunt, præſertim ubi mox ab initio remedium hoc fiat. Si tamen caro mortificata ſit, poſt illa, quæ dicta ſunt, fodicationum emplaſtris, aut ſimilibus aliis vulneraribus medicamentis erit mundificandum. Animadvertendum etiam, ubi gelu tenderet ad interiora cor verſus, ut patientibus theriacam, & aquam ardentem in potum ambas commixtas adminiſtres, ut calor in membro congelato reſtauretur. Quicquid oleo prædicto fuerit unctum ante mortificationem, abſque damno reſtitui poteſt integrum.

Johannis Munnicks, Doctor. & Profeſſor. Medici, de Vulneribus, Liber.

Cap. I. *Quid Vulnus, quæ ſint illius Differentiæ, Cauſæ, Diagnoſtica.*

I. VUlnus ex communi omnium conſenſu nihil aliud eſt, quam *ſolutio continui* ſeu *continuitatis.* Sed ut melius innoteſcat natura Vulneris, videndum eſt, qualis-nam ſit hæc continui ſolutio, ad quam pro cognitione Vulneris nos tranſmittunt Veteres. Enimverò *ſolutio continui*, quæ quibuſdam *ſoluta unitas* vel *unitatis diviſio* dicitur, eſt *ſeparatio ab invicem partium alicujus membri*, cui ſeparationi contraria eſt unio, & continuitas. Sed cum contrariorum eadem ſit ratio & diſciplina, ſi viderimus, quid ſit hæc partium unitas, ex hac quoque palam fiet, quid erit unitatis ſolutio. *Unio* autem, ſive *Unitas partium* dicitur *conſtitutio ſecundùm naturam*, atque *natura-*

turalis compaginatio ſeu conjunctio. Quum ergò Unio ſit conſtitutio naturalis, ſolutio hujus unitatis erit habitus præter naturam; unde ſequitur, quod ſit morbus. Equidem non omnis continui ſolutio Vulnus eſt: idem namquè dici poteſt de Ulcere, atquè Fractura.

II. Hinc alii ſtrictius definiunt Vulnus, *Solutionem continui in carne cæſim factam:* quo dicto nec Contuſio, nec Punctio, nec Morſus alicujus Animalis inter Vulnera numerari poteſt; quibus tamen affectibus Vulnerum nomen jam dudum inditum fuit. Unde & nos per Vulnus intelligimus omnem continui ſolutionem, tam cæſim, quam punctim, ſivè per contuſionem factam, non ſolum carnis, ſed nervorum, venarum, arteriarum, aliarumquè mollium partium. Idquè definimus, quod ſit *Solutio continui recens, cruenta, in parte molli, extrinſecus incidens, ſive ab externo quodam inſtrumento inflicta.* Atquè hæc Vulneris definitio ſanè perfecta eſt; quippe quæ optimè ejus naturam explicat, neque magis, neque minus comprehendit; nec non ab Ulcere, & Fractura manifeſtè illud diſtinguit.

III. Sed quum Vulnus dicatur continui ſolutio in parte molli, tam cæſim, quam punctim, & contuſim facta; modo dicendum, quid unaquæquè harum continui ſolutionum ſpecies ſit.

Inciſio eſt plaga, ſive Vulnus cæſim illatum inſtrumento longioris aciei, ut enſe, cultro, ſimilivè.

Punctio eſt partis alicujus mollioris perforatio à re acuta, ut ſagitta, pugione, mucrone; aut ab alicujus animalis morſu, ictuvè facta.

Contuſio eſt partis carnoſæ ſolutio continui interna, integra manente cute, quæ fit ab inſtrumento gravi ac retuſo; ut ſi quis membrum aliquod in lapidem impinget, aut ligno fortiter percutiat.

Differentiæ porrò Vulnerum permultæ ſunt. Enimverò differunt quædam reſpectu partium vulneratarum, unde alia ſunt in carne, alia in tendine, alia in nervo, alia in vena, alia in arteria, alia in capite, alia in collo, alia in thorace, &c.

Quædam differunt ratione Vulneris eſſentiæ, unde vulnera alia ſimplicia ſunt, alia compoſita. Simplicia dicuntur, quæ cutem duntaxat carniſquè portionem occupant, ſine ulla partis deperditione. At compoſita ſunt, quandò & cutem & carnem cum ſubſtantiæ amiſſione invadunt.

Alia differunt ratione periculi & ſecuritatis, vel impedimenti remanſuri; & ſic quædam lethalia, quædam non lethalia, quædam nullum adferunt poſt ſanationem impedimentum, quædam membra poſt ſanationem vel impedita, vel debilitata, vel deturpata relinquunt.

Alia differunt reſpectu inſtrumentorum vulnerantium; & hac ratione quædam cæſim inflicta ſunt, quædam punctim, quædam cum inſtrumentis ſecantibus, quædam diſcerpentibus, quædam contundentibus, & ſic porrò.

Deniquè differunt Vulnera juxta quantitatem, quo pacto quædam magna ſunt, quædam parva, quædam mediocria, quædam altè penetrantia & profunda, quædam lata & ſuperficiaria, &c.

IV. De *Cauſis Vulnerum* multa dicere opus non eſt. Eæ namquè ſunt omnia illa, quæ extrinſecus advenientia continuum ſolvere ac dividere poſſunt, incidendo, pungendo, rumpendo, contundendo, perforando. Sic vulneris cæſim facti cauſæ ſunt omnia inſtrumenta, quæ incidendi vim habent, ut enſis, culter, vitrum, &c. Puncturæ cauſæ ſunt quæcunquè acuta, ut ſagittæ, acus, dentes animalium. Rumpunt quæcunquè partem mollem diſtendunt, & in partes contrarias divellunt, ut gravioris ponderis elevatio vel geſtatio, caſus, percuſſio, vociferatio. Contundunt gravia, dura, ac retuſa, ut lapis, lignum, plumbum, &c. Perforant ferrum ignitum, globi plumbei è ſclopetis emiſſi, &c.

V. Quoad *Diagnoſin:* Vulnus ipſum per ſe ſenſibus manifeſtum eſt, nec Signis, quibus cognoſcatur, opus habet. Verum etſi ſenſui pateſcat, quis in cute locus ſit vulneratus; ſi equidem vulnus ad interiora penetret, quæ intus partes vulneratæ ſint, haud ita obvium eſt. Enimverò vulnera omnia quæ corpus noſtrum lædunt, aut ſunt externa & in partibus continentibus, aut interna ac penetrantia. Si externa ſunt, judicium de iis viſu & tactu fieri ſolet ac poteſt: ſin verò interna & penetrantia; ea quidem ſunt aut in capite, aut in thorace, aut in inferiore ventre, unà cum partium contentarum læſione, aut ſine earum læſione.

Si Vulnus in cavitatem aliquam penetret, nec partes quæ ibi continentur offendat; ea penetratio dignoſcitur ſpecillo ferreo, aut plumbeo, vel tenui cereâ candelâ, partes autem internæ nullo modo offenſæ videntur, quum nullum grave ſymptoma ſeſe prodat. At ſi penetrando præcipuam quandam partem contentam læſerit vulnerans inſtrumentum, ejus læſionis ſigna breviter nunc exhibebimus.

Quod ſi Vulnus igitur in Caput penetraverit, atquè Cranium fregerit, (id quod viſu & tactu judicare debet Cheirurgus) vel Menynges læduntur, vel ipſum Cerebrum offenditur.

Membranarum Cerebri læſarum ſigna ſunt, maximi ac extremi dolores qui repentè ſuperveniunt, nauſeæ, vomitiones, nec non ſanguinis per aures, oculos, nareſquè effluxus; inſuper mentis accedit alienatio, præcipuè ſi punctim vulnus inflictum fuerit. Interdum tamen læſum Pericranium eadem ſymptomata parit. Quod ſi Cerebrum in ſua ſubſtantia læſum ſit, omnia hæc accidentia augentur, magis intenditur febris, atquè non rarò mutus fit Patiens, omniquè loquendi facultate prorſus deſtituitur.

Quum verò in Thoracem penetret Vulnus, plerumquè offendit aut Pulmonem, aut Cor, aut Pericardium, aut Diaphragma, aut Vaſa quæcunquè. At Thoracem penetrare cognoſcitur ſpecillo, viſu, tactu, quumquè aër è vulnere exeat, aut quum Æger medicamentorum vulneri impoſitorum ſaporem ore percipiat.

Atqui Pulmonem læſum eſſe judicamus, quando tum è vulnere, tum ex ore egeritur tenuis, ſpumoſuſque cruor; nec non ſonora, premens, ac difficilis eſt reſpiratio.

Quum verò lædantur vel ipſum Cor, vel magna in thorace Vaſa, immodicus fit ſanguinis fluxus, qui totam mox implet capacitatem, extremitates refrigerantur, ſudorquè frigidus erumpit, certus mortis nuntius & index.

Quod ſi Diaphragma continui ſolutionem recipiat, magna ſpirandi difficultas, acuta febris, aliaquè gravia accedere ſolent ſymptomata.

Quum autem in Ventrem Inferiorem Vulnus penetret, (id quod ſpecillo, viſu, tactu, & vaporibus exhalantibus judicamus) offendit aut Jecur, aut Lienem, aut Ventriculum, aut Inteſtina, aut Renes, aut Vaſa majora, aut Veſicam Urinariam, aut Uterum, ſi patiens ſit mulier.

Ventriculus ſi vulneratus ſit, chylus per vulnus exit, hinc perpetuus vomitus conſequitur, tandem ſingultus, animi deliquium, aliaquè plura ſuperveniunt, accidentia.

Inteſtina vulnerata eſſe cognoſcimus, quum per ipſum vulnus quoquè exeant excrementa, vel magis minuſvè craſſa ac fœtentia, prout aut craſſum aut tenue læſum ſit Inteſtinum. Cæterarum porrò partium vulneratarum ſigna ex antedictis nunc abundè innoteſcent, & ſuis locis tradentur.

Cap. 2. *De Vulnerum Prognoſticis.*

I. SEd priuſquam Vulneris Curam aggrediatur Medicus, omninò de *Prognoſticis* ſollicitus eſſe debet. Viz. præcognoſcendum, ſit ne ſanabile vulnus, vel inſanabile. Si ſanabile, an curatu facile ſit, an verò difficile, atque integra & priſtina ſanitas an Ægrotanti reſtitui queat, vel an ſanatus membri alicujus ſit paſſurus actionem læſam. Atqui inſanabile ſi ſit vulnus, an lethale ſit, & ad mortem vergat, an verò in ulcus curatu arduum ſit degeneraturum.

II. Primò itaquè diligenter expendendum *quæ Vulnera ſint lethalia, quæ non.* Etenim quæſtio hæc magni momenti eſt; atque diligenter & accuratè Medico penſitanda, ac cognoſcenda. Namquè cum in judiciis & foro vita nonnullorum ob vulnera aliis inflicta periclitet, & à Judicibus Medicorum ſententia hac de re requiratur, diligens danda opera, ut talem de Vulneris natura ſententiam ferat Medicus, qua innocens non condemnetur, nec reus abſolvatur.

III. Idcirco hîc notandum, non omne vulnus, quod mors ſequitur, dicendum eſſe lethale; ſed id ſolum, quod ſuapte naturâ mortem adfert. Atquè hoc ſenſu Vulnerum quędam lethalia dicuntur, quædam indifferentia; quod aliquandò lethalia ſint, aliquandò non, pro Medentis induſtria, Ægri natura, conſtitutione, ætate, robore, & obedientia, pro temporis ratione, regionum qualitate, &c. Lethalium igitur alia abſolutè, ſeu ex neceſſitate lethalia ſunt, quod omninò ſemper Ægrum interimant; alia non neceſſariò, ſed ut plurimum occidunt.

IV. *Vulnera ex neceſſitate lethalia* ſunt ea, quæ omnem medelam effugientia brevi temporis ſpatio vitam adimunt, uti ex Juriſconſultis notat Farinac. *de homicid. quæſt* 126. *num.* 5. *Lethalia ut plurimum* ſunt, quorum curatio difficilis eſt, & ſæpius male ſuccedit, non quod ſemper interficiant, adnotante ex ipſis Juriſconſultis Barboſ. *in Collect. Doct. tit.* 12. *cap.* 18. *num.* 7. *tom.* 2. Nam poteſt quidem vulnus eſſe ſecundum plurimum lethale ex ſua natura, & tamen vulneratus convaleſcere; quemadmodum etiam aliqui morbi, tametſi lethales videantur ſuâ naturâ, nonnunquam curantur.

V. Sunt autem lethalia vulnera judicanda, primò & pręcipue *ex natura partis vulneratæ,* dehinc ex vulneris qualitate, ex ejuſdem quantitate, ætate patientis, ſexu, temporis conſtitutione, loci conditione, ſtatu ipſius vulnerati, qualitate inſtrumentorum vulnerantium, accidentibus plerumquè vulneribus ſupervenire conſuetis, aliiſquè nonnullis conditionibus ab extra accedentibus. At, ceu dixi, *natura ipſius partis vulneratæ præcipua cauſa eſt periculi & ſecuritatis vulnerum.* Cætera enim omnia per accidens ad id concurrunt, uti palam eſt; cum hæc, ſiquidem vulnera ex partis vulneratæ natura ſint lethalia, faciant ad mortis accelerationem aut retardationem: aut ſi lethalia non ſint, poſſint ea reddere minoris vel majoris ſecuritatis, faciſioris aut difficilioris curationis, ex. gr. vulnus ſimplex in parte carnoſa omnem ſecuritatem, quantum ex ſe eſt, ſolet promittere; quale eſſet vulnus in carnoſa parte brachii. Quod ſi id ipſum vulnus magnum ſit, ſi accedat aëris conſtitutio contagioſa, ſi ęger ſit debilis, ſenex, aut valetudinarius, ſi arma fuerint venenata; hoc ipſum vulnus, quod aliàs tutum erat, evadet dubium, & lethale.

VI. Hinc ſapienter dictum eſt ab Hippocrate *lib.* 2. *prædict.* quod ex omnibus vulneribus contingit homines mori: quod idem monent Valleſius *comm.* 5. *Epid. text.* 16. Pareus *Chirur.* 8. *cap.* 4. aliiquè. Quia poteſt vulnus eſſe ſalutare, & tamen vulneratus vel ob morboſum corporis habitum, vel ob occultam quandam læſorum circumſtantiumquè corporum cacoëthiam decedere, vel aliis accidentariis ex cauſis. Unde etiam ſi, quoad magnitudinem, vulnuſculum nullo modo conſideretur, ita ut neque vulneris nomine dignetur; reſpectu tamen partis lęſæ poteſt eſſe abſolutè lethale: ex. gr. ſi cor attigerit, aut ſi ad internas alias nobiliores partes penetraverit, aut ſi acus in nervoſam particulam profundius adacta ſit; quale exemplum habemus apud Hippocratem *libr.* 5. *Epidem. text.* 44. ſutoris ſolearum veteramentariarum, qui acu ſeſe pupugit juxtà genu, & tertiò à vulnere die mortuus eſt; ſic etiam Ariſto apud eundem Hipp. *libr.* 7. *Epidem. text.* 97. ex vulnere digiti pedis, ſuccedente gangrænâ mortuus eſt, quod fortè nervoſam partem læſiſſet. Conjung. Foreſtus *libr.* 6. *obſerv.* 49. 50. Hildanus *Cent.* 1. *obſerv.* 21. *Cent.* 5. *obſerv.* 2. 85. Quæ exempla ſatis declarant, vulnus aliquandò eſſe quidem reſpectu magnitudinis parvum, ſed partis vulneratę ratione maximum, quia mortem facilimè accerſit.

VII. Ergò partis natura præ cæteris omnibus vulnerum conditionibus venit conſideranda; juxta quam lethalia vulnera Hippocrates ſeptem pronunciat *Sect.* 6. *Aphor.* 18. Cui perſecta eſt veſica, aut cerebrum, aut cor, aut ſeptum tranſverſum, aut aliquod ex inteſtinis tenuibus, aut ventriculus, aut hepar, lethale. Hunc tamen Aphoriſmum tum limitat; tum ampliat *in Coacis Aphor.* 509. *in Cod. Fœſii* dum inquit: Ex vulnere ferè mors contingit, ſi cui vulneratum fuerit cerebrum, aut ſpinalis medulla, aut jecur, aut ſeptum tranſverſum, vel cor, aut veſica, aut quædam grandis vena. Mors quoquè ſubit, ſi in arteriam & pulmonem inſignes valdè plagæ inflictæ fuerint, ità ut percuſſo pulmone, minor ſit, qui per os prodit ſpiritus, quam qui per vulnus excidit. Intereunt verò, quibus nervi interiores, ſive tenuis aliquis, ſive craſſus vulnus acceperit, ſi plagâ tranſverſa fuerit, & magna: quod ſi parva & tecta, nonnulli periculo eximuntur. Minimè autem ab his vulneribus mors impendet, quæ in corporis partes, in quibus hęc non ſunt, aut ab his quam longiſſimè abſunt, infliguntur. Etiam C. Celſus *lib.* 5. *cap.* 26. ſententiam Hippocratis ad hunc modum expreſſit. Servari non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui jecinoris portæ, cui in ſpina medulla percuſſa eſt, cuiquè aut pulmo medius, aut jejunum, aut tenuius inteſtinum, ventriculus, aut renes vulnerati ſunt, cuivè circa fauces grandes venæ, vel arteriæ præciſæ ſunt. Vix autem ad ſanitatem perveniunt, quibus ulla parte pulmo, aut jecinoris craſſum, aut membrana quæ continet cerebrum, aut lien, aut vulva, aut veſica, aut ullum inteſtinum, aut ſeptum tranſverſum vulneratum eſt. Hi quoquè in pręcipiti ſunt, in quibus uſquè ad grandes, intuſquè conditas venas, in alis vel poplitibus mucro deſedit. Periculoſa etiam vulnera ſunt, ubicunquè venæ majores ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione ſanguinis poſſunt. Idquè evenit non in alis tantum, atquè poplitibus, ſed etiam in his venis, quæ ad anum, teſticuloſquè perveniunt. Pręter hæc malum vulnus eſt, quodcunquè in alis, vel feminibus, vel inanibus locis vel in articulis, vel inter digitos eſt. Item quodcunquè muſculum, aut nervum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginem læſit. Sed partium harum vulnera ordine nunc conſideremus, & quæ vel abſolutè vel ſimpliciter lethalia ſint, quæ non, videamus.

VIII. Igitur inter lethalia referri debent *Vulnera Cerebri*; at non omnia. Vidit namquè ipſe Galenus hujuſmodi vulnera curata, uti refert *comm. in Hipp. Aphor.* 18. *ſect.* 6. & *libr.* 8. *de uſu part. cap.* 10. Exempla quoq; habentur apud Valleriolam *libr.* 4. *obſ.* 10. *lib.* 5. *obſ.* 9. *libr.* 6. *obſerv.* 4. Hildanum *Cent.* 4. *Obſ.* 1. 2. 3. Et longum catalogum illorum, qui vulnera cerebri ſanata viderunt, recenſet Joh. Andr. à Cruce, *de Vul-*

ner. lib. 1. *tract.* 2. *cap.* 14. *de cerebro ſauciato.* Imò obſervatum fuit, particulâ cerebri amiſsâ, Ægrum nihilominus convaluiſſe; cujus rei variç hiſtoriæ notatæ ſunt à Nicolao Maſſa, Carpo, Fallopio, Chriſt. à Vega, Franciſco Arcæo, Horatio Augenio, Petro de Marchettis, aliiſquè præſtantiſſimis practicis. Sunt quoquè notatu dignç hiſtoriæ de periculoſiſſimis cerebri vulneribus, quæ extant apud Cabrolium *Obſ.* 16. 22. 34. Henricum Petreum, Matthiam Glandorpium, Sennertum, Diemerbroeckium *in Anatome - Corporis Humani.*

At non ſolum Vulnera Cerebri parvi facienda non ſunt; ſed nec leviſſima Capitis Vulnera unquam negligenda, uti cum Hippocrate monent Horatius Augenius *lib.* 9. *Epiſt.* 3. Aquapendens *Oper. Cheirurg. libr.* 2. *cap.* 15. Et ex Juriſconſultis Farinaccus *quæſt.* 126. 127. Habent enim capitis vulnera quid peculiare, ac omninò diverſum à pleriſquè aliis vulneribus; quum partium aliarum vulnera, etiamſi non contemnendæ ſint magnitudinis, negligi tutius poſſint, quam leviſſima capitis.

IX. Quoad *Spinalis Medullæ Vulnera*; cùm Spinæ Medulla in partibus ſub cerebro ſitis, cerebri vices gerat, & cum cerebro ſubſtantiam, membranaſquè communes habeat, haud ſecus ac cerebri vulnera: Ea Spinalis Medullæ lethalia meritò pronunciantur; in primis ſi ſuperior ejus pars vulneretur: qua læſa, ſpirituum animalium in totum corpus influxus tollitur, hinc omnium capiti ſubjectarum partium ſenſus, motuſquè aboletur, adeoque & cæteræ omnes actiones ſilent, & brevi pallida mors ſequitur.

X. *Cordis Vulnera* quoquè inter lethalia, non ſine ratione, recenſentur ab Hippocrate: namquè ea abſolutè vel ex neceſſitate ſemper Ægrum interimunt. Et licet nonnulli cum iis per exiguum tempus vixerint, nunquam tamen ſanari potuerunt: imò plerique eo ipſo ferè momento, quo vulnus in ventriculos penetrat, tanquam fulmine icti, concidunt, quod ſemel nobis videre contigit, 4. Octobris 1680. Si tamen vulnus admodum exile in ventriculos penetret, tum interdum, etſi raro, accidit, hominem tam ſubitò non corruiſſe, ſed paucas horas ſupervixiſſe. Ità vidit Paræus virum in corde vulneratum per ducentos paſſus cucurriſſe. Meminit Schenkius *Obſerv. Medic. lib.* 2. ſtudioſi, qui vulnus punctim per utrumquè venrriculum recepit, & tamen plateç longæ ſpatium curſu confecit, ac mente ſanus ferè per horam vixit. Jonſtonus, Henricus ab Heers, Tulpius, & plures alii, varia referunt exempla eorum, qui corde vulnerato aliquot horas, imò diem unum & alterum vixerunt. Hoc & nos obſervavimus in quodam Juris ſtudioſo; qui 1688. 9. Julii octavâ circiter veſpertinâ enſe vulneratus fuit in ſiniſtro thoracis latere juxta papillam, penetrante vulnere inter quartam & quintam coſtam. Hoc poſtquam inflictum fuit, difficulter admodum ſpiravit, ac cruor immodicè profluxit, adeò ut animo fermè deficeret; & Cheirurgus foramen protinùs occludere cogeretur. Quo facto augebatur in horâs ſumma ſpirandi difficultas, ut tandem, 11. Julii, horâ ante meridiem undecimâ expiraverit. Vocati à Nob. Ampliſſ. Prætore ac Judicibus cadaver aperuimus; & vidimus ſiniſtram thoracis partem ſanguine fermè repletam, atquè penetraſſe gladium per pericardium in ſiniſtrum cordis thalamum, qui prope mucronem penitus perfoſſus fuit. Quod verò inflicto hoc lethali vulnere, ultrà triginta octo horas ſupervixerit Patiens, factum fuit quoniam ſingulis cordis conſtrictionibus, mucrone ad baſin aſcendente, ventriculi iſtius vulnera ità fuerunt occluſa, ut nil niſi perquam exigua cruoris portio emanaverit; unde nec Patiens tam ſubitò extingui neceſſe habuerit. Fernelius *Patholog. libr.* 5. *cap.* 12. dicit: „Vulnera cordi „ inflicta, quç non altè in ventriculos penetrant, non „ protinus interimunt. In quodam, qui ſenſim contabeſcens & liqueſcens, de medio tandem ſublatus eſt, „ tria ulcera in corde reperi non parum cava & ſordida, multo ante jam tempore contracta. Simile quid de cordis ulcere refert Petrus de Marchettis *Obſerv. Chirurg.* 47. de quodam, qui paulatim longo temporis tractu omninò emaciatus, tandem obiit; in cujus diſſecto cadavere invenit magnum ulcus, quod non ſolum cordis capſulam, verum etiam ſubſtantiç cordis magnam partem exederat, uſquè dum tandem penetraſſet in ſiniſtri ventriculi cavitatem, çgrumque ſic occidiſſet. Sed oppidò rarum eſt exemplum, quod habet Cl. Diemerbroeckius *Anat. libr.* 2. *cap.* 6. cujuſdam viri robuſti in corde vulnerati, vulnere penetrante in ſuperiorem partem dextri ventriculi, ſupra valvulas tricuſpides, prope ingreſſum venæ cavæ; qui tamen ultrà novem dies ſupervixit. At quoniam anguſtum admodum erat vulnus, & ſuprà valvulas inflictum, hinc factum fuit, quod in cordis conſtrictione totus, qui in dextrum venrriculum è cava profluxerat, ſanguis, propter valvularum tricuſpidum impedimenta, per vulnus expelli non potuerit, ſed maxima ejus pars per arteriam pneumonicam, quæ vulnere multò laxior erat, in pulmonem fuerit propulſa, atquè inde porrò ad ſiniſtrum ventriculum, & arteriam aortam, ità ut non niſi pauxillum ſingulis pulſibus è vulnere in pericardium & thoracis cavitatem expelli potuerit, unde etiam vires tardius collapſæ ſunt. Hiſtoria quoquè perquam rara militis, qui in corde ſaucius vitam ultrà quindecim dies ſuſtentavit, habetur apud Sennertum *Prax. libr.* 5. *part.* 4. *cap.* 3.

Verumenimverò vulnera in cordis cavitatem penetrantia non ſolum abſolutè, & ex neceſſitate lethalia ſunt; ſed & vulnera, ſi Cordis Subſtantiam Muſculoſam tantum attingant, omnem quoque medelam effugiunt, atque Patienti vitam adimunt; quia quamcunque Cordis partem quomodocunque attigerit vulnus, coaleſcere, ob continuum ejus motum, non poteſt; unde & inflammatio, aliàque gravia ſymptomata ſuperveniunt, quæ neceſſariò hominem, ſi non ſubitò, ſaltem non multò poſt interficiunt. Audite de Cordis Vulnuſculis non penetrantibus, lethalibus equidem, hiſtoriam, quam Paulus Zacchias *Quæſt. Med - Legal. libr.* 5. *titul.* 2. *quæſt.* 2. ità deſcribit: „ Maniacus quidam Sacerdos, cùm furore ductus ſe primum caſtraſſet, imò univerſum penem cum ſcroto & teſtibus „ abſcidiſſet, in eodem furore perſiſtens, acubus quibuſdam fortibus pectus ſub ſiniſtra mammilla ſibi „ transfodit, tandemque poſt nonnullos dies, quinque „ nimirum aut ſex, ab hiſce vulnuſculis illatis vitam, „ quam oderat, facilè amiſit. Aperto cadavere, acus „ omnes ad Cordis Subſtantiam penetraſſe repertæ, „ cum quibus tamen potuit per nonnullos dies ſupervivere. Igitur quomodocunque ſit, quod aut eâdem horâ, ac momento, vel ſubſequenti die, vel etiam poſt duos, treſve, aut plures dies, qualecunque Cordis Vulnus interficiat; ea concluſio rata ac firma maneat, quod *Cordis Vulnera, ſive in ventriculos uſquè penetrent ſine non, neceſſariò Ægrum interimant.*

XI. Non minori jure *Pulmonis Vulnera* inter lethalia refert Hippocrates *in Coacis Prænotionibus.* At verò tam abſolutè quæcunquè Pulmonis Vulnera pronunciari nequeunt lethalia, ac ſi nullum huic viſceri inflictum vulnus unquam curetur: quapropter ipſe Hip. addit limitationem; ſi viz, vulnus ſit magnum, ut Pulmone ſauciato minus ſpiritus per os prodeat, quam è vulnere excidat; atquè ſi vel vas ſanguineum magnum, vel aſperæ arteriæ ramus lædatur. Enimverò omnia pulmonis Vulnera lethalia ſemper non eſſe, docuit nonnunquam experientia, qua conſtat, nonnullos per totum thoracem & pulmonem fuiſſe perfoſſos,

foſſos, & nihilominus convaluiſſe. Videantur Hildanus *Cent.* 2. *Obſer.* 32. *Cent.* 3. *Obſ.* 36. *Cent.* 1. *Epiſt.* 52. Sennertus *prax. libr.* 5. *part.* 4. *cap.* 3. Valleriola *libr.* 4. *obſ.* 10. Nicolaus Maſſa, Franciſcus Arcæus, Fallopius, Foreſtus, Tulpius, & alii.

Ea igitur Pulmonis Vulnera abſolutè lethalia non ſunt, in quibus ſaltem Pulmonis ſubſtantia, non verò magna vaſa læſa ſunt; neque illa, quæ non adeò magna ſunt, ut nec reſpirationem graviter lædant, nec alia quæcunquè gravia accerſant ſymptomata.

E contrario ſi magna ſint Pulmonis Vulnera, & non ſolum Pulmonis ſubſtantia, ſed & magna in eo vaſa vulnerentur, Ea pronunciare licet ex neceſſitate lethalia, utpote in quibus ſanguis, ſpiritusquè vitalis profunditur & diſſipatur; vel à copia cruoris extrà vaſa effuſi pulmo ac cor opprimuntur, & homo ſuffocatur.

Inſuper mortem plerumquè adferunt ea Pulmonis Vulnera, in quibus exulcerari incipit veſiculoſa ejus ſubſtantia, atquè Phthiſis excitatur: vel in quibus ſanguis in thoracis capacitatem effuſus, ibi putreſcere incipit, & vel Febrem, vel Empyema excitat. Sed quæritur hîc, *nonne tale Pulmonis Vulnus, cui Phthiſis ſuccedit quæ poſtea mortem Ægro adfert, dicendum ſit abſolutè & ex neceſſitate lethale, & an tali in caſu Reus non teneatur de homicidio?* Quidam ex Juriſconſultis cenſent, vulnus non eſſe dicendum ex neceſſitate lethale, ſi accidentia remittant, ſi Vulneratus melius habuerit, ſi poſt triduum è lecto ſurrexerit, & ambulaverit, licet deinde ex recidiva mortuus fuerit; adeoquè Vulnerans jam ultrà non teneri de occiſo, tanquam ſi non præſumatur ex vulnere mortuus. Damhoud. *in Enchirid. rer. crimin. cap.* 77. *n.* 10. Menoch. *de arbitr. caſ.* 275. *num.* 9. Farinaccus *de homicid. quæſt.* 126. 127. Sed nos quod ſpectat, ſententiam hanc omninò improbamus, eâ ratione ducti, quod malignæ ægritudines, & ipſa quoquè maligna & necantia vulnera aliquandò remittant; imo & hoc habeant proprium, teſte Galeno, quod remittere videantur, ac dehinc repentè recrudeſcant, hominemquè è medio, quaſi inopinatò, tollant. Difficultatem verò auget id, quod ipſimet Juriſconſulti ex recidiva conjecturam deſumant, vulnus fuiſſe lethale, & Vulneratum ejus culpâ deceſſiſſe ob recidivam. Farinac. *loc. cit. quæſt.* 127. *num.* 77. quę è directo contraria videntur iis, quæ circa hanc conjecturam ex ipſorum ſententia ſuperius allata ſunt. Haud ſecus de Vulnere Pulmonis, cui Phthiſis ſuccedit judicandum puto: viz. abſolutè id eſſe lethale, & Vulnerantem teneri de homicidio, licet poſt longam hebdomadarum ſeriem demum Vulneratus moriatur. Phthiſis quidem, non Vulnus, proxima mortis cauſa eſt; at Vulnus mortis cauſa remota. Et quod in ſano corpore ſe habet, ut cauſa remota, eſt ipſa occaſio mortis: dum namquè conſtat, accidentia ex ipſo vulnere originem habuiſſe, & ſemper uſquè ad mortem perſeveraſſe, ex vulnere præſumi debet mortuus vulneratus.

XII. *Aſperæ Arteriæ Vulnera* non lethalia eſſe, verum ſanari poſſe, docet Laryngotomia. Ea nimirum ſanantur, quæ magna non ſunt, & in quibus membranæ ſaltem, quibus Tracheæ cartilagines connectuntur, vulnerantur. Scenkius *Obſerv. Medic. libr.* 2. At annulli cartilaginei ſi vulnerentur, ob duritiem pars coaleſcere nequit. Hippocrat. *libr.* 6. *Aphor.* 19. *libr.* 7. *Aphor.* 28. Galenus 5. *meth. med. cap.* 7. Hæc igitur vulnera haud ineptè lethalia cenſentur. Equidem non ſubitam, ſed lentam mortem adferre ſolent; dum vel ab aëre per vulnus confertim ingrediente pulmones alterantur & debilitantur, vel calloſa quædam ſubſtantia vulneri ſuccreſcit, quę ſpiritum ſenſim inter-

cipiendo tandem hominem jugulat, ità ad octodecim hebdomadas vulnere tali laborantem vidit Barbette, antequam moreretur.

XIII. *Diaphragmatis Vulnera* inter lethalia quoquè recenſet Hippocrates. Diſtinguit equidem Galenus *libr.* 5. *meth. med. cap.* 9. inter ea, quæ Diaphragmatis parti tendinoſæ, & quæ carnoſæ infliguntur; atquè illa ſtatuit eſſe lethalia, hæc ſanabilia. Scribit porrò *comm. in Hipp. Aphor.* 18. *ſect.* 6. nervoſę Diaphragmatis partis vulnera non ſemper lethalia, ſed magna ſolum: planè enim gravia tum ſuperveniunt ſymptomata, delirium puta, difficilis reſpiratio, febris, convulſio, ſingultus, riſus ſardonius, ut ridendo Ægri moriantur.

XIV. Haud ſecus *Ventriculi Vulnera* inter lethalia numerantur; & meritò, quia in parte hac magis membranoſa ægerrimè ſanantur; ac ſi infligantur Superiori ejus Orificio, quod Stomachus nuncupatur, ob nervorum ei inſertorum copiam, convulſionibus & ſingultibus continuis Ægrum occidunt: ſin verò Ventriculi Fundo infligantur, ingeſta alimenta mox effluunt in abdominis cavitatem, illic alia viſcera brevi corruptura.

Verum etſi uſus & ratio illud Hippocratis effatum confirment, hanc tamen regulam interdum, quamvis raro, exceptionem admiſiſſe, & ſubinde Vulnus Ventriculi ſanatum fuiſſe, obſervatum fuit; cujus curationis hiſtorias ſibi viſas deſcribunt Fallopius *de cap. vuln. cap.* 12. Cornax *in Epiſtol. Reſponſ. ad. D. Ægidium Hartogh.* Julius Alexandrinus *annot. ad cap.* 4. *lib.* 6. *Therap. Galeni.* Diemerbroeckius *Anat. lib.* 1. *cap.* 6. & ex aliis collegit Scenkius *Obſ. Med. lib.* 3. Sunt quoquè admirandæ illæ hiſtoriæ, quæ de duobus Cultrivoris referuntur: quarum alteram deſcribunt Bernhardus Suevus *in tract. de inſp. vuln.* Crollius *in præfat. Baſilicæ Chymicæ.* Sennertus *prax. lib.* 1. *part.* 1. *ſect.* 1. *cap.* 15. & *lib.* 5. *part.* 4. *cap.* 3. de Ruſtico Bohemo, qui 1602. Pragæ cultrum novem pollicum longitudinis deglutiit; qui poſt ſeptem hebdomadas è ventriculo exciſus, & Æger ſanitati reſtitutus fuit. Alteram ſibi ipſis viſam enarrant Georgius Lothus, & Rutgerus Hempſingh *in peculiari germanico tractatu.* de juvene duos & viginti annos nato, qui Regiomontii in Pruſſia 1635. cultrum longitudine duas tranſverſas palmas excedentem, deorſum deſcendente manubrio, caſu deglutiit; qui poſt ſextam heddomadam à Cheirurgo exciſus, Ægerque intra menſem ſanatus fuit. Culter hic poſtea à Daniele Beckero, Medico Dantiſcano, D. Othoni Heurnio, quondam Lugduni in Batavis Medicinæ Profeſſori, donatus, ibidem inter alia rara in Theatro Anatomico aſſervatur.

Ex allatis igitur hiſtoriis haud immeritò concludimus, Vulnera Ventriculi Fundo inflicta non abſolutè ſeu ex neceſſitate, verum ſimpliciter lethalia eſſe dicenda; ſed quæ Superius ejus Orificium ſeu Stomachum penetrant, omnem medelam effugere, adeoquè neceſſariò & ſemper Ægrum interimere. Eo namquè graviter afflicto, ob maximum cum cerebro & corde conſenſum, lethalia plerumquè excitari ſolent ſymptomata.

XV. Ejuſdem naturæ ſunt *Inteſtinorum Vulnera*, quæ ab Hippocrate inter lethalia quoquè referuntur. Sunt tamen periculoſiora Vulnera Tenuium, quam Craſſorum Inteſtinorum; ob ſubſtantiam illorum membranoſam magis, minuſque carnoſam.

XVI. Succedunt *Hepatis Vulnera*, quę inter lethalia etiam non ſine ratione enumerat Hippocr. *libr.* 1. *de morbis* & *libr.* 6. *aphor.* 18. propterea quod copioſa hæmorrhagia citius Ægrum occidat, quam

ſiſti

ſiſti medicamentis poſſit; & ſi forte ſiſtatur, tamen ulcus poſt vulnus relictum tam raro & difficile ſanetur, ut ex tribus millibus ea parte vulneratis vix unus aut alter evadat, & inter miracula fere habendi ſint, qui ſervati ex iis fuerunt. Equidem tradit Paulus Ægineta *lib.* 6. *cap.* 28. vulnerato Hepate, abſciſsâque ejus parte, hominem ſervari poſſe. Et Hiſpanum Juvenem, cui magna Hepatis portio per ilei dextri vulnus erumpebat, ſanatum fuiſſe refert Corn. Gemma *Coſmocritic. lib.* 1. *cap.* 6. Et Nobilem poſt inflictum circa Hepatis regionem vulnus, ac particulâ ex ejus ſubſtantia abſciſsâ, extractâque, ſanum evaſiſſe, ſcribit Bertinus *Med. lib.* 13. *cap.* 7. Idem obſervarunt Hildanus *Cent.* 2. *Obſ.* 34. Matthias Glandorpius *in Spec. Chirurg. Obſerv.* 34. Sed hæc ſunt naturæ miracula, qualia in curationibus aliquando contingere, olim Averroës tradidit.

XVII. *Lienis Vulnera* eodem ferè modo ſe habent, ut Hepatis; atquè lethalia ſemper obſervantur.

XVIII. De *Renum Vulneribus* quæritur, ſintne Ea lethalia? Reſp. profunda Renum Vulnera abſolutè & ex neceſſitate eſſe lethalia, atquè ex centum ità vulneratis vix unum ſanitatem recuperare. Quæ quidem lethalitas non procedit à Renum nobilitate aut præſtantia; ſed à ſymptomatum ſyndrome; uti à magna hæmorrhagia, vaſorum diſſectione, urinæ obſtructione, ejuſvè continuo effluxu, inflammatione, dolore, & quidem præcipuè abſceſſu, ac exulceratione ob acris ſeri tranſitum vix curabili, aliiſquè, quæ Ægrorum vires ad mortem uſquè conterunt. Renes quippè licet non ſint partes principes, ſunt tamen tales, quarum uſu carere non poſſumus; quo ſublato, vel graviter ſaltem impedito, vita tollitur. Contigit quidem nonnullos Renibus vulneratos aliquamdiu ſupervixiſſe, & minus peritis ſanatos viſos fuiſſe, ſed tandem tamen ſuperſtites abſceſſus Ægros è medio ſuſtuliſſe. Sic Fallopius, Corn. Gemma, Dodonæus, Foreſtus, Valleriola, aliiquè, varia referunt Renibus vulneratorum exempla, qui aliquot annos ſupervixerunt; tandem verò ex iſtis vulneribus mortui ſunt. Quod autem alii citius, alii tardius fatis cedant, fit prout illa vulnera magis minuſvè profunda, & ſymptomata majora vel minora fuerint.

XIX. Inſuper in catalogo vulnerum lethalium apud Hippocratem reperiuntur *Veſicæ Urinariæ Vulnera.* Diſtinctione tamen hìc opus eſt. Nam quod Collo Veſicæ infligitur vulnus ſanari poſſe, docet Litothomia. At Fundo ejus vulnerato, atquè penitus perfoſſo, ire ſolet Patiens, unde redire negant quenquam.

XX. Tandem occurrunt & *Venarum, Arteriarumquè Majorum Vulnera*, quæ ſæpius ſunt lethalia. Namquè cum ligaturâ conſtringi nequeant, cruore immodicè effuſo, vires ſubitò dejiciuntur, & Patiens plerumquè extinguitur. Equidem cum Chirurgus alius meliùs alio vulnus claudere poſſit, cauſa mortis in Vulnerantem non ſemper conjicienda.

Vulnera Nervorum Majorum ferè incurabilia ſunt, quandoquè lethalia.

Vulnera Venenatis Inſtrumentis aut *Animalibus* inflicta ferè ſemper lethalia ſunt.

XXI. Atquè hæc ſunt vulnera, quæ Hippocrates lethalia eſſe rectè ſcribit. Quorum tamen, ceu dixi, quædam ſunt abſolutè vel omninò lethalia, quædam ſimpliciter lethalia. Abſolutè vel ex neceſſitate lethalia Farinaceus, *tit. de homicid. quæſt.* 125. definit, quę non requirunt curam & conſilium Medicorum; ſed ſunt talia, è quibus Vulneratus ſtatim moritur, *hoc eſt*, ob quæ, quamvis omni arte & induſtria curentur, Æger nihilominus moritur. Lethalia ſimpliciter, *id eſt*, non omninò mortalia, vel ad mortem certa, idem Farinaceus deſcribit, ex quibus Vulneratus non ſtatim moritur, & ex quibus quandoquè etiam non moritur.

XXII. Quæ igitur vulnera ſimpliciter tantum lethalia ſint, *hoc eſt*, è quibus etſi aliqui interdum convaleſcant, hic vel ille tamen ex iis revera mortuus dici poſſit, ex ſuperioribus abundè patet. Hoc equidem addendum, *ex eventu maximè judicari, an vulnus actu lethale fuerit.* Nam etſi robuſtus aliquis, aut aliàs exactè ſanus ex vulnere convaluerit; tamen non neceſſarium eſt, ut ex ſimili vulnere ſenex, puer, vel debilis quiſpiam convaleſcat: ſed licet ille à ſimili vulnere ſanatus fuerit, hic ex eo neceſſariò mori poteſt. Enimverò ex præcedenti ſtatu Vulnerati vulnus accipitur conjecturâ majoris aut minoris periculi: vulnera namquè quæ fiunt in corporibus morboſis; cacochymicis, convaleſcentibus, valetudinariis, magis abſquè dubio periculoſa ſunt; & idcircò non malè Juriſconſulti voluerunt, Vulnerantem infirmum, ſi ille decedat, teneri de homicidio, etiam vulnere non exiſtente mortali. Nam quamvis vulnus per ſe non mortale poſſit fieri lethale ex corporis vulnerati impuritate, videtur tamen Vulnerans dediſſe proximam cauſam mortis, ut in caſu quo Manardus *libr.* 6. *Epiſt. Medic.* 1. in quo cum ſupervenerit Vulnerato, duobus vulneribus læſo non quidem mortaliter, ut ipſe probat, Eryſipelas, ob corporis impuritatem mortuus eſt die quarto decimo; cumquè unuſquiſque huic periculo ſubjici poſſit, non videtur ullo modo Vulnerans excuſandus, præſertim ſi deliberato animo occidendi vulneraſſe conſtet, ſi lethalibus non exiſtentibus vulneribus, Vulneratus ex corporis impuritate decedat, ex qua tamen abſquè inflictis vulneribus non deceſſiſſet: qui enim cauſam damni dat, damnum feciſſe videtur; at Juriſconſultis hæc decidenda relinquimus.

XXIII. Inſuper quęritur hìc, *an vulnus, quod ex ſua natura nequaquam lethale ſit, poſſit incuria Medentis, vel ipſiuſmet Vulnerati, & per accidens, fieri lethale?* Res hæc videtur magni momenti, quia etiamſi quando vulnus eſt abſolute & ex ſua natura lethale, non excuſatur Vulnerans ex malo regimine, aut ex negligentia & imperitia Medicorum, ſed omninò de homicidio tenetur; quòd dominetur præſumptio, Vulneratum ex vulnere deceſſiſſe. At verò ſi vulnus fuerit ambiguum tam ad ſanitatem, quàm ad mortem, & Vulneratus non adhibuerit Medicum; aut adhibuerit Imperitum; aut ſi ſuâ ipſius negligentiâ & inobedientiâ mortuus fuerit, tunc Vulnerans de homicidio non tenetur, cum ſuâ ipſius culpâ præſumatur mortuus. Semper enim præſumptio militat, quod vulnere non exiſtente ex neceſſitate lethali, Vulneratus ex vulnere non deceſſerit; quoniam mortis præſumptio ex vulnere ſumi debet non ſimpliciter ex vulnere, ſed ex aliis quamplurimis, quæ vulneri conjungi conſueverunt. Sunt autem hæc reducenda vel ad Medicum, vel ad Ægrotum, vel ad Externa.

XXIV. Quoad Medicum, vel Chirurgum; vulnus non lethale aliquandò occidit, ſi ex ignorantia Ille non noverit vulneris qualitatem, ut in caſu, de quo Langius; ubi Cheirurgus curaturus ſauciatum in capite Equitem cum cranii fractura, vulneris exiguitati fiſus, cranii fracturæ, nullo modo medicatus eſt, unde Vulneratus eum ob errorem è medio ſublatus, aliàs forſan non periturus. Haud abſimilem caſum citat Foreſtus *lib.* 6. *oberv.* 2. de vulnere non lethali, ex quo tamen Æger Medici culpâ interiit. Idem quoquè antè biennium à nobis viſum fuit in Ruſtico, qui vulneratus in ſiniſtro thoracis latere, hinc difficulter ſpirans, à Medico ac Cheirurgo ut Pleuriticus

curatus,

curatus, vulnere ferè neglecto, obiit. Namquè eadem ratione, ſi Medicus neſciat opportuna adhibere remedia, aut adhibeat contraria, Ægrum perimit.

XXV. Quoad Ægrotum; manifeſtum eſt, ejus culpâ id ipſum ſuccedere poſſe, ut ſi Medicum non adhibuerit, aut adhibuerit Imperitum; cum paria ſint, Medicum non adhibere, aut adhibere Imperitum. Farinaceus *de homicid. quæſt.* 120. *ſect.* 4. *num.* 76. Imò præſtat Medicum non habere, quam Inexpertum habere. Roder. à Caſtro *Med. Polit. lib.* 1. *cap.* 7. Si item medicamenta opportuna ſibi adhiberi non permiſerit, aut quicquam moliri circa ſe renuerit, quod erat ad ſanitatem neceſſarium: ſi contrà Medicorum ſententiam aëri ſeſe expoſuerit: aut ſi quomodocunquè in uſu ſex rerum nonnaturalium inſigniter peccaverit. Equidem non quilibet error Vulnerati hac in re culpari poteſt, ſed debet eſſe notabilis. Farinac. *loc. cit. quæſt.* 126. *num.* 25. Et eo inſignior, quo magis leve ac tutum vulnus à peritioribus judicatum fuerit: tunc enim oportet, ut talis ſit negligentia, & tales ſint errores in victu & medela, ut evidenter conſtet, ex eorum vitio Ægrum deceſſiſſe. At tunc quidem debent periti Medici de erratis hiſce judicare, ac nominatim determinare, quod hic error cum hoc vulnere, tametſi non eſſet mortale, potuerit mortem accerſere.

Inſuper ex mala corporis Vulnerati conſtitutione, vulnuſcula aliquandò nullius momenti, & è quibus plurimi convaleſcunt, nonnullis poſſunt eſſe lethalia: ſic de Philæ puero ſcribit Hipp. *libr.* 7. *Epidem.* quod ex ſola oſſis denudatione in fronte, uno die febre ſuperveniente, & oſſe livore contracto, mortuus fuerit. Idem refert Theodori cujuſdam puerum ex oſſis denudatione nullius penè momenti, die vigeſimo tertio mortuum eſſe. Et magnæ navis Præfectum quendam, cum anchorâ manus dextræ indicem & os colliſiſſet, inflammatione ac convulſione ſuperveniente, decimo tertio die vitam cum morte commutaſſe. Telephanem quoquè ex Harpeli liberta filium, plagam in pedis pollice accepiſſe, ex eâquè inflammationem, vehementemquè dolorem conſecutum fuiſſe, quo remittente, Ægrum in convulſionem incidiſſe & tertio die mortem obiiſſe. Refert Foreſtus *lib.* 6. *Obſ. Chirurg.* 50. Conſulem quendam Alcmarinum, cum pedes more ipſi conſueto lavaret, & callum ſub pedis planta cultello abradere & abſcindere ſtuderet, ſe vulneraſſe & ſtatim ſubſequente ſpaſmo extinctum fuiſſe. *Et Obſerv.* 49. quendam tibiam ad rem duram alliſiſſe, ipſamquè cum contuſione & vulnere læſiſſe, quem deinde ſuperveniens gangræna ſuſtulit. Hildanus quoquè *Cent.* 5. *Obſ.* 2. duo recenſet exempla, unum de Operario, qui ſpinâ pedem punxit; alterum de Fœmina, quæ ſpinâ apicem indicis dextri vulneravit, qui ambo ſuperveniente gangrænâ mortui ſunt. Joh. Matthęus *quæſt.* 27. ſcribit, quendam graſſatorem in humero haud adeò profundè vulneratum, mortuum fuiſſe: alium quoquè in Comitatu Oldenburgico in media femoris regione cultello leviter vulneratum, confeſtim interiiſſe. Et Horatius Augenius *tom.* 1. *libr.* 9. *epiſt.* 2. plures eorum recenſet hiſtorias, qui ex parvo & levi vulnere perierunt. Atquè hujus rei exempla alibi etiam paſſim nota ſunt, in primis apud Jobum Meekeranum *in Obſervationibus Chirurgicis.*

Tanti igitur faciendus morboſus corporis apparatus in vulneribus, ut non ſolum in mediocribus, ſed & in minimis maxima ejus ratio ſit habenda, cum facilè ex ejus culpa poſſit minimum vulnus, & ſalutare alioquin, pravitatem contrahere, ex qua deinceps Ægrum perire facillimum eſt.

XXVI. Quoad Externa; multa ſunt, quæ mortem ex non lethali vulnere adferre poſſunt: viz. ipſa armorum qualitas, aër externus, regio, temporis conſtitutio, & alia, de quibus abundè nunc dictum fuit.

Enimverò ſi gladius, vel telum, aut quodcunquè quo vulnus inflictum eſt, inſtrumentum ſit venenatum, leve etiam vulnuſculum mortem adferre poteſt.

Dein aëris conſtitutio, ac loci proprietas hîc peculiarem vim habent. Sic capitis vulnera, quæ in multis locis lethalia non ſunt, in aliis obſervantur lethalia. Scribit Vidus Vidius *libr.* 6. *de curat. morbor. cap.* 90. Florentiæ vulnera capitis pleriſquè eſſe lethalia, & cauſam refert in aërem frigidum tenuem; Piſis verò, & Lugduni paucos ex iis interire cum cœlum ibi ſit craſſius. Amatus Luſitanus *Cent.* 5. *Curat.* 100. inquit, Florentiæ & Bononię capitis vulnera eſſe periculoſa, non ità Raguſę. Et Ambroſius Paræus teſtatur, Lutetiæ quàm Avenioni capitis vulnera eſſe difficiliora. Et ſic de cæteris. Quæ utrum ejus momenti exiſtimanda ſint, ut reum ab homicidio excuſare queant, non leviter dubitandum: illud certum eſt, non eſſe hæc talis ponderis, ut promiſcuè in quocunquè leviſſimo vulnere mortis cauſa eſſe poſſint: in mediocribus tamen vulneribus multum cooperari haud dubitandum, ex quibus Juriſconſulti cætera decidere poſſunt, quę ad id negotium facere videntur.

Cap. 3. *De Vulnerum Curatione in genere.*

I. IN quolibet morbo curando prima Indicatio ab ipſius Affectus eſſentia deſumi ſolet, quæ præcipit & oſtendit *Contrarium per ſuum Contrarium eſſe tollendum.* Et hoc eſt, quod innuere videtur Galenus, quum *libr. de Artis Conſtitutione* ſic inquit: „ quare generaliſſimus curandorum ſcopus erit, contraria contrariis remedia eſſe, & particularibus particularia contraria.

II. Vulnus ergò, cum ſit *Solutio Continui*, indicat *Unitionem*, ſicut quælibet alia continui ſolutio. Etenim hæc ſoluta unitas partes, quæ ſejunctæ ſunt, uniendas eſſe præcipit, quatenus quidem Vulnus ſimplex eſt. Si verò alii affectus, ſeu morbi, ſeu cauſæ, ſeu ſymptomata vulneri conjungantur, tot dantur Indicationes, quot ea ſunt, quæ ità affectum compoſitum conſtituunt.

III. Sin aliquid de ſubſtantia carnis amiſſum ſit, duplex datur Indicatio; ſcilicet id quod diviſum eſt, uniendum; quod deeſt, regenerandum. Si cutis & caro contuſæ ſint, quod contuſum eſt in pus mutandum, ut abſcedat. Et ità de reliquis affectibus, quę vulneri conjunguntur, ſeſe res habet.

IV. Hæc verò Unio, quæ eſt prima & generalis Vulnerum Curandorum Indicatio, ſolius naturæ opus eſt; hujuſquè unius operâ partes vulneratæ ut & fractæ, disjunctę iterum coaleſcunt & conglutinantur. Cum autem ad id medium quoddam, & quaſi gluten requiratur, utitur natura ipsâ materiâ, quâ partes nutriuntur, ſanguine ſcilicet, continuò in partem propulſo; qui in poris parietum & labiorum vulneris hærens, in ſubſtantiam parti vulneratæ ſimilem mutatur: atq; ità ejus ceu naturalis cujuſdam balſami, beneficio, quæ disjuncta erant coaleſcunt, & ex duobus unum fit, haud ſecus ac taleolæ arbori inſertæ cum eadem arctiſſimè uniuntur. Atquè hoc quidem opus etſi ſolius naturę ſit; Medicus tamen hac in re naturæ miniſter eſt, ac niſi Medicus naturę ſubſidio veniat, ipſa in multis fine ſuo fruſtratur, nec conglutinationem moliri poteſt.

V. Ea autem quę Medico hac in re agenda ſunt, ad quatuor capita reduxit Galenus *Art. Med. cap.* 90. ubi ſic inquit: „coaleſcere facit ea, quæ invicem diſtant, & priſtinam unitatem reſtituit ipſa Natura; noſtrum verò opus eſt, applicare extrema diſtantium „partium, atquè in unum coacta conſervare, & tertio hoc

„hoc cadavere, ne quid labiis vulneratis incidat, & „quarto ipſam partis ſubſtantiam ſalubrem conſer- „vare.

VI. Atquè ità in Vulnerum Curatione quatuor à Galeno recenſentur Medici officia, idquè haud immeritò: namquè ut Medicus ſuum finem ac intentionem, *hoc eſt*, ſolutæ unitatis unionem, conſequatur, laborandum 1. Ut omnia ſymptomata vulneri ſupervenientia, quæquè unitionem impedire poſſunt, tollantur. 2. Ne quid extranei in vulnere & inter labia ejus hæreat, vel relinquatur. 3. Ut dehiſcentes vulnerum partes conjungantur, conjunctæquè ità ſerventur. 4. Ut partis vulneratæ temperies & robur conſervetur.

Cap. 4. *De Vulnerum Symptomatibus.*

I. PRimam itaquè Indicationem in Vulneribus curandis diximus, *Accidentium ſive Symptomatum Correctionem*, quæ admodum neceſſaria eſt, cum nullo pacto vulnera perfectè curari ac ſanari queant, niſi Symptomata, quæ ea conſequuntur, abigantur & profligentur, ſuntquè aliquandò tam magna, ut ad ſe totam trahant curationem: inter quæ primò numeratur *ingens Sanguinis Profuſio*, quæ non ſolum vires dejicit, atquè vitam interdum homini eripit, ſed & curationem impedit. Quamdiu namquè ſanguinis fluxus continuatur, in curatione nihil proficitur. Accidit autem Hæmorrhagia vulneratis arteriis aut venis, vel majoribus vel minoribus.

II. Igitur Vulnere inflicto, ſi modicè ſanguis fluat, permittendum ut tantum effluat, quantum commodum videbitur. Quod ſi immodicè cruor profluat, ut vires dejiciat, quamprimum ſiſtatur. Eum in finem omnia ea præſtanda ſunt, quæ motum ejus impedire ac inhibere poſſunt.

III. Impeditur ſanguinis fluxus, ſi convenientibus remediis & deligatione orificium vulneris occludatur. Occluditur verò vulneris orificium, vel labiorum vulnerati vaſis conjunctione, vel orificii obſtructione. Conjunguntur vulneris labia, vel digitis orificium vulneris tamdiu comprimendo, quouſquè ſanguis grumeſcat, ac ità ipſe vaſis orificium obſtruat; vel faſciis vulneris orificia invicem adducendo. Sed tutiſſimum eſt, operam dare, ut orificium vaſis ſanguinem fundentis obſtruatur *Linteo Carpto*. Vel ejus loco vulnus impleatur *Fungo iſto Orbiculari*, quem *Crepitum Lupi*, vulgò (*Bovyſt* appellant.

IV. Equidem ſi huic ſoli fidere non libeat, fiat Pulvis Adſtringens, qui excipiatur Albumine Ovi, atquè cum linteo carpto vel ſtupa cannabina vulneri imponatur. Galenus *libr. 5. meth. med. cap.* 4. hoc medicamentum ad ſanguinem ſiſtendum præ reliquis commendat, & omnium quę noverit optimum eſſe ſcribit:

℞. *Thuris* ℥j. *Aloës* ℥iß. *M.F. Pulvis, qui Miſceatur cum Ovi Albumine, & pilis leporinis, vel ſtupâ cannabina excipiatur, ſicquè vaſi læſo, totique vulneri imponatur.*

Poſſunt & alii Pulveres Adſtringentes eum in finem præſcribi. v. gr.

℞. *Boli Armeni* ℥ij. *Farinæ Volatilis* ℥ß. *Maſtichis, Thuris, Cap. Mort. Vitrioli an.* ʒj. *M. E. Pulvis, Albumine Ovi excipiendus.*

℞. *Gallarum* ℥ij. *Boli Armeni* ʒij. *Terræ Lemniæ* ʒiij. *Vitrioli Cyprei* ʒß. *Aluminis Crudi* ʒj. *M. F. Pulvis.*

Hildanus *libr. de Gangræna & Sphacelo cap.* 19. ſuum pulverem valdè extollit, cujus deſcriptionem dedimus *libr.* 1. *cap.* 17. *pag.* 106.

Hiſce ità vulneri impoſitis conveniens ſuperinjicienda ligatura. Nequè ab uſu horum medicamentorum deſiſtendum, donec caro quæ gignitur, circa vas ità ſit producta, ut ejus orificium claudat. Hoc enim niſi ſiat, ſemper metuenda eſt hæmorrhagia.

V. Quod ſi nec hiſce ſiſtatur ſanguinis effluxus, *Cauſticis* nonnulli utuntur, quæ cruſtam inducunt, cujus beneficio vaſis orificium occludunt. Quo in caſu quidam laudant *Liquorem Stypticum*, momentaneâ coagulatione miraculosè ſanguinem ſiſtentem, quem tradidimus quoquè *libr.* 1. *cap.* 17. *pag.* 106.

Si ne ſic quidem ſanguinis fluxus ſiſti poſſit, admoveatur *Cauterium Actuale.* Sed de hiſce latior erit dicendi occaſio, ubi de Vulneribus Arteriarum & Venarum ſumus dicturi.

VI. Non raro quoquè vulneribus ſupervenit *Inflammatio*, vel quum parum ſanguinis profluxerit, quod ſcribit Hippocrates *lib. de Ulceribus*: „Si ſtatim pro „valetudine ſanguis plus minuſvè à plaga fluxerit, & „ipſum vulnus, & quæ juxta ſunt, minus inflam- „matione premuntur; vel ratione partis læſæ, ut ait Celſus *lib. 5. cap.* 26. ſic vulneribus partium nervoſarum ut plurimum Inflammatio accedit, cum ob dolorem ſanguinis ad partem affectam affluxus concitetur.

Si ergò ſanguis non ſatis fluxerit, atquè Inflammatio metuatur, vel jam adſit, Vena ſecanda, & pro viribus Ægrotantis ſanguis evacuandus: quamprimum namquè ei occurrendum, cum vulnus ſanari nequeat, niſi Inflammatio tollatur.

VII. Sæpiſſimè etiam *Dolor* vehemens vulneribus accidit. Etſi enim nullum fere vulnus ſit ſine dolore, equidem non raro ille tolerabilis eſt: interdum verò planè vehemens, id quod fit maximè cum nervi, parteſquè nervoſæ vulneratæ ſint. Hic quamprimum ſedari debet, cum excitet vigilias, vires dejiciat; nec non humorum in partem affectam affluxus, inflammationis, febris, gangrænæ, cauſa ſit.

Sed quum non ſemper eandem ob cauſam Dolor accidat, ſi medicamenta acria nimis, & calida illum produxerint, mutentur illicò. Si externum aliquid vulneri inhæreat, aut turunda nimis longa vel craſſa ſit, aut oſſis fragmentum vicinas partes pungat, extrahatur. Si à puris recenti copia Dolor proveniat, liber exitus ipſi detur. Inflammatio ſi Doloris cauſa ſit, Venâ Sectâ, imponatur hoc vel ſimile Cataplaſma:

℞. *Herb. Malvæ, Althææ, Violariæ, Flor. Sambuci, Camomillæ an.* Mj. *Coctis in Aqua Pura ad mollitiem, & contuſis adde, Farinæ Hordei* ℥iß. *Fabarum, Lini an.* ℥j. *Pulv. Croci* ʒß. *M.F. Cataplaſma.*

VIII. Inter Symptomata quæ vulneribus accidere ſolent, obſervatur & *Pruritus*, qui etſi leve videatur ſymptoma, tamen quia hoc etiam Ægrotantem torquet, & ſi partem ſcalpat, vel inter dormiendum fricet, periculum eſt, ne immodicè è vulnere profluat cruor, vel doloroſa accedat partis excoriatio, vel humorum ad partem affectam concitetur fluxus; ideo removendus, præſertim quum à ſaniei acrimonia ut plurimum procedat. Igitur pars affecta Aquâ tepidâ perfundatur ac abluatur; vel potius calidum applicetur Fomentum, identidem renovandum, ut apertis poris materia pruritum excitans diſcuti facilius, ac evacuari poſſit: vel illinatur *Unguentum Nutritum*, aut *Album Camphoratum*, aut ſimile.

IX. Inſigne etiam, & periculoſum Symptoma ſæpè vulneribus accidit, *Convulſio* ſeu *Motus Convulſivus*; qui hîc fit vel à nervorum punctura, eorumquè ingenti dolore; vel ab acri humore aut vapore partem nervoſam vellicante: ad quem expellendum inſurgens natura, irregularem ſpirituum in nervos influxum, ceu eorundem exploſionem excitat, hinc & partium contractionem ſpaſmodicam ciet. Sunt autem ſatis periculoſæ Convulſiones in Vulneribus. Hippocr. *Sect.* 5. *Aphor.* 2. 3.

Qua ratione verò Spaſmodicæ Affectiones ſint curandæ, non hujus loci eſt indagare. In Convulſione tamen vulneri ſuperveniente hoc Unguentum laudat Barbette.

℞. *Olei Limacum, Lumbricorum, Seſamini an.* ℥j. *Ping. Vulpis, Arietis an.* ℥ß. *Butyri Inſulſi* ʒvj. *Spir. Vini*

Vini ℥iij. *Coq. ad Spiritus Vini conſumptionem, add. Olei Spicæ, Roſmarini, Succini an.* ʒij. *Miſceantur.*

Ad hæc *Balſamus Sulphuris, Balſamus Peruvianus, Oleum Terebinthinæ, Oleum Petræ, Oleum Philoſophorum*, & ſimilia valdè commendantur.

Si ab ingenti Dolore accedat Convulſio, ejus cauſa tollenda. Verum à Nervi, Partiſvè Nervoſæ Punctura aut Morſu Convulſis quomodo ſit ſuccurrendum, in ſequentibus, de nervis tendinibuſquè punctim vel cæſim vulneratis, exponemus.

X. Interdum & *Caro* in vulneribus luxuriat *Fungoſa*, & ultrà modum excreſcit; quę efficit, ut cicatrix vel turpis fiat, vel nulla. Accidit autem hoc Medentis negligentiâ, qui minus quàm par eſt, ſiccantia medicamenta adhibuit. Quod ergò ſuperfluum eſt, tollendum ut vulnus cicatrice claudi queat. Eſtquè hoc opus Medici, qui medicamentis fortiter ſiccantibus, detergentibus, ac ſi opus ſit, etiam nonnihil erodentibus carnem ſuperfluam abſumit. Eum in finem inſpergatur *Pulvis Rad. Iridis Florentinæ*, vel *Pulvis ex æq. part. Ochræ & Sabinæ*, vel *Alumen Uſtum*, vel *Mercurius Præcipitatus Ruber.* Quidam ſequentia commendant:

℞. *Aluminis Crudi, Viridis Æris an.* ʒij. *Coq. in Vini* ℥xviij. *ad quartæ partis conſumptionem, colat. add. Camphoræ* ʒj. *Miſceantur.*

℞. *Gallarum, Balauſtiæ, Thuris, Myrrhæ, Aluminis Uſti an.* ʒj. *Ceruſſæ, Æruginis, ſanguinis Draconis an.* ʒß. *M. F. Pulvis.*

XI. *Febris*, quæ frequenter admodum vulneribus accidit, plerumquè *Symptomatica* eſt, adeoquè nec ità metuenda; quippe quæ rarò peculiarem ſui curationem requirit.

Cap. 5. *De Rebus Alienis è Vulnere eximendis.*

I. Deinde ut Vulnus ritè curetur, animadvertendum, *ne quid extraneum illud ingrediatur* atq; ideo quando *Pili* circa vulnus ſunt, ii tondendi, vel radendi, vulnere prius molli linteo vel filamentis repleto, quoniam intra id ſi incidant, atquè non extrahantur, glutinationem impediunt. Nonnunquam etiam intrà vulnus reperiuntur ſanguinis grumi, pili, oſſis particula aſpera & pungens, calx, arena, terra, vel telum aliquod, ut ſagitta, vel mucro vel ſpina, vel arundo, vel globulus plumbeus, vel ſimile.

II. Ex hiſce *ſi quid intrà vulneris labia hæreat, ejus glutinationem impedit, adeoquè id totum extrahendum.* Quod ut fiat, vulnus, niſi ſatis hiet, dilatandum, quantum opus fuerit, modo ne magnæ arterię aut venæ, nervi, tendineſvè ſecentur. Atquè ſi adſit *Sanguis in grumos concretus*, is expreſſione, ſuctione, aliovè modo auferri debet: ita enim & minus puris generabitur; & ſymptomatum copia minor notabitur. At verò quamdiu hæmorrhagiæ metus eſt, cruor omnis ex vulnere eximi non debet.

III. Quum verò *Pili* vel *Calx*, vel *Arena*, vel *Terra* vel quid ſimile intrà vulnus reperiatur, Vino Calido id abluendum, & abſtergendum.

Oſſicula fracta mobilia ſi ſint in vulnere, prima in deligatione eximantur, niſi hæmorrhagia inhibuerit; ſi verò aliis oſſibus adhuc adhęreant, naturæ conatus expectandus, & videndum an ea iterum cum reliquo oſſe unitura, an ſeparatura ſint.

IV. Sin *Vitrum fractum, Spina, Feſtuca, Sagitta, Globus Plumbeus*, vel aliud genus armorum, quo vulnus inflictum eſt, ei inhæreat, leniter ac jucundè vel digitis, vel volſellâ, vel forcipe, ſimilivè inſtrumento, prout res poſtulare videtur, apprehendi & evelli debet. Sed priuſquam extractionem hanc tentet Cheirurgus, videndum an Æger, extracto tali alieno corpore, vivere poſſit, ne Is mortem Patienti acceerſiſſe dicatur.

V. Modum verò *Globulos Plumbeos* extrahendi quod ſpectat, primum perpendere oportet, num globulus tam altè carni inſederit, ut oppoſitæ parti magis ſit vicinus, & per cutem, aut ſubjectam quoquè carnem exterius tangatur: ſolet enim ad tactum apparere ex duritie & figura, tuncquè incidere partem oppoſitam oportet, & globulum ità recipere. Quòd ſi tam altè non inſederit, ut exitus ejus ex parte oppoſita commodè haberi nequeat, tunc ſpecillo per vulneris foramen, & globuli ingreſſum tentetur, globuloquè reperto utcunquè longum ſit ſpatium, tantanda ejus extractio forcipe, vel volſellâ, quæ ferratâ extremitate eundem apprehendit, vel inſtrumento apud Hildanum *Cent.* 1. *Obſ.* 88. depicto.

Quod ſi globulus ſpecillo non obſervetur, uti non rarò evenit in vulnere profundiſſimo, membrum ità collocandum, ut ſuo pondere ſimul cum pure exire is poſſit. Hoc ſi non fiat, vulnus curetur, expectetquè Cheirurgus, donec circa cutem ſeſe manifeſtet globulus; quod non rarò poſt longam annorum ſeriem demum fieri ſolet. Et ſcribit Schenckius *Obſervat. Medic. lib.* 5. Juvenem quendam æneo tormento ictum excepiſſe tribus ſub ventriculo digitis, globulo in viſcera adacto; eumquè paucos cis dies, emiſſo per anum globulo, nullaquè noxâ ullo in viſcere relicta, ſanatum fuiſſe. Simile exemplum refert Paræus, de milite, qui nono poſt inflictum vulnus die glandem per anum excrevit, & planè intrà tres dehinc hebdomadas convaluit. De globulo plumbeo menſes ſex, nullo ſuperveniente ſymptomate, inter cranium & craſſam menyngem detento, exemplum ſingulare habet Hildanus *Cent.* 2. *Obſerv.* 2. Idem *Cent.* 3. *Obſerv.* 67. ſcribit, globulum plumbeum, ictu ſclopeti in vacuum veſicæ immiſſum, triginta poſt annos calculosâ materiâ, ovi molem adæquante, obductum inventum fuiſſe. Atqui audite Eundem, quum *Cent.* 1. *Obſ.* 88. ità inquit: „ Non rarò globuli plumbei ſclopeto projecti per multos annos in parte aliqua corporis ſine dolore, aut alio aliquo incommodo deliteſcere poſſunt. Eſt tamen officium rationalis Chirurgi extrahere quicquid extraneum eſt in vulneribus, nec idcircò ullo modo in iis relinquendus eſt globulus; donec enim vel minima etiamnum feſtuca, aut oſſis fracti ſquamma; vel ſimile quid extraneum parti inhæſerit, vulnus incurabile exiſtit. Globulus verò, ſi nonnunquam ob peculiarem plumbi facultatem in corpore remaneat, longam & difficilem reddit curationem, propterea quod ægrè carne obduci poſſit globulus. Præterea ſi globulus in partem aliquam nervoſam projectus fuerit, & nervum vel tendinem, vel membranam compreſſerit, maximos excitabit dolores; hinc varia & prava accidentia. Si circa ventris alicujus regionem lateat globulus, metuendum, ne temporis ſucceſſu in ventrem ipſum penetret, & de novo morbum excitet: mutat enim ſitum & locum propter pondus. Si remanſerit globulus ſubter vaſe quodam, & callosâ ſubſtantiâ fuerit obductus, periculum eſt ne comprimat adjacentia vaſa & membri extenuationem ac interitum producat. Hactenus ille.

VI. Eodem ferè modo extrahuntur *Sagittæ*. Et licet inter Chriſtianos milites hodiè non uſurpentur tela, Medici tamen, ac Cheirurgi intereſt ſcire, qua methodo in corpus immiſſa extrahi debeant. Hæc ritè extrahere ſatis difficilis eſt operatio, oriturquè illa difficultas ex loco potiſſimum, in quem in corpus immiſſa penetraverunt. Modum equidem quæcunquè tela è corpore extrahendi accuratè tradit Celſus *lib.* 7. *cap.* 5. „ Omne autem telum extrahitur, aut ab ea parte qua venit, aut ab ea in quam tetendit. Illic viam qua redeat, ipſum ſibi fecit. Hic à ſcalpello accipit. Nam contrà mucronem caro inciditur. Sed ſi non altè telum inſedit, & in ſumma carne eſt, aut certè magnas venas & loca nervoſa non tranſiit, nihil melius eſt, quam qua venit, id evellere. Si verò plus eſt, per quod telo revertendum, quam quod perrumpendum eſt: jamquè venas nervoſquè id tranſiit, commodius eſt aperire quod ſupereſt, itaquè

„ extrahere. Nam & propius petitur, & tutius evel-
„ litur, & in majore membro ſi medium mucro tran-
„ ſiit, facilius ſaneſcit quod pervium eſt, quia utrin-
„ que medicamento fovetur. Sed ſi retrò telum re-
„ cipiendum eſt, amplienda ſcalpello plaga eſt, quo fa-
„ cilius id ſequatur, quoque minor oriatur inflam-
„ matio: quæ major fit, ſi ab illo ipſo telo dum re-
„ dit, corpus laniatur. &c.

Hoc modo igitur extrahitur telum; vel manibus, ſi foras promineat, & in ſola carne infixum ſit; vel volſellâ, cum profundius inhæreat; vel aliis inſtrumentis, cujuſmodi ſunt forcipes longæ, denticulatæ, rectæ, incurvæ, extremâ parte latæ, rotundæ, quibus recentiores Cheirurgi varia nomina à figura indiderunt, & Roſtrum Corvinum, Ciconeæ, Anatis, Anſeris appellarunt, quorum icones habentur apud Joh. Andr. à Cruce, & Ambr. Paræum. Sed de telorum extractione plura videantur apud Celſum *loco citato*, & Paulum Æginetam *libr. 6. cap.* 88.

VII. Si vero Oſſis fruſtulum, vel Spina vel Feſtuca, vel quid ſimile carni inhæſerit; quod nec manu, nec inſtrumentis extrahi poſſit; id medicamentis hac vi præditis extrahendum multi volunt, qualia dicuntur *Dictamnus, Gummi Galbanum, Sagapœnum, Pix, Axungia Leporis, Mus Vivus diſſectus, Muſcæ Vulgares, Stercus Anſeris, Magnes, Fermentum Acre, Emplaſtrum Opodeltoch*, & plura alia; è quibus præparantur Emplaſtra, quæ videri poſſunt apud Fallopium, Peccettum, Sennertum, Barbette, alioſque. Sed talia, utpote parvi momenti, & forſan nullius utilitatis, lubenter negligimus.

VIII. Atqui cum nulla arte telum, vel quicquid armorum eſt, è vulnere extrahi poſſit, totum negotium naturæ committendum, quæ non rarò miracula hîc præſtat, & præter naturam corpori immiſſa, per vias quaſcunque poteſt, expellit. Cujus rei hiſtoriæ paſſim occurrunt. Sic Hippocrates *libr. 5. Epidem.* cuidam, qui juxta inguen ſagittâ percuſſus fuerat, cuſpidem poſt ſex annos eduxit: Et Hildanus cuidam cultrum, qui ſpinæ dorſi infixus erat, poſt biennium extraxit *Cent.* 1. *Obſerv.* 61. Simile quid ſe vidiſſe refert Sennertus *prax. libr.* 5. *part.* 4. *cap.* 5.

Cap. 6. *Modus exponitur, quo Vulneris Labia ſint conjungenda, conjunctaque ſervanda.*

I. Tertium, quod in Vulnerum Curatione neceſſarium pronuntiavimus, eſt, *ut diviſa ac disjuncta vulneris labia ad ſe invicem adducantur, adductaque conſerventur*, quo poſſit natura, mediante naturali quodam balſamo, eadem arctiſſimè unire, haud ſecus ac taleolas arbori inſertas cum eâdem coaleſcere videmus.

II. Fit autem *Adductio* hæc vel *Deligaturâ* vel *Suturâ*, vel *Glutine*, vel *Inſtrumento Comprimente*: his omnibus vel ſimul, vel ſeparatim uti poſſumus. Deligatura, Sutura, & Inſtrumentum Comprimens, ſunt materiæ antiquitus inventæ; Glutinum verò, ſeu Gluten eſt materia à poſterioribus excogitata.

III. *Deligaturam* ſeu *Faſciationem* quod ſpectat; ea nonnunquam ſufficit in vulneribus artuum ſecundum longitudinem factis, & non admodum profundis; atque ubi ſperamus, ſolâ deligaturâ vel faſciatione vulneris labia conjungi poſſe, non temerè inſtituenda eſt ſutura. Sit autem faſcia linea, nec dura nimis, nec mollis, cujus latitudo ea eſſe debet, ut ſemel injecta non vulnus tantum, ſed & utrinque aliquid ad oras ejus comprehendat. At longius ſi fuerit vulnus, melius anguſtâ & ſtrictâ faſciâ, *hoc eſt*, trium circiter digitorum, deligatio perficitur. At ligatura hæc nec nimis laxa ſit, nec nimis arcta: ſi enim laxior ſit, non continet adducta vulneris labia; ſin ſtrictior, dolorem, humorum affluxum atque inflammationem parit. Terminus ergò aſtrictionis bona erit Ægri tolerantia. Sed ut facilior fiat labiorum in magnis vulneribus adductio, adhibeantur inſuper *Splenia* utrinque labia comprimentia.

IV. Alterum inſtrumentum quo vulneris labia adducuntur, adductaque conſervantur, eſt *Sutura*; quæ per *Acum* fieri ſolet. Optimum foret, Cheirurgum acu nunquam indigere: ſic enim Æger à dolore, vulnus ab inflammatione, ipſeque Cheirurgus a variis moleſtiis liberaretur. Equidem res nonnunquam exigit, potiſſimum in vulneribus tranſverſim inflictis: aut cum faſciationem locus affectus non patitur; aut ubi particula nondum à ſuo continente ſeparata eſt, ſed per tenuem adhuc cutis portionem eidem adhæret.

V. Ad Suturam igitur ritè inſtituendam opus habemus *Acu Triangulari* cujus cuſpis nonnihil incurva ſit; *Filo cerâ oblito*; & *Canali* extremâ parte *Feneſtrato*, cui vulneris labium innitatur, ne in hanc aut illam partem, dum acus adigitur, commoveatur.

VI. Fit autem Sutura hoc modo: in medio vulneris acu duplex filum ceratum trahente, ſi vulnus ſit magnum, vulneris labia transfiguntur, & facto nodo, filum paulò ſupra nodum reſecatur. Hæc ſuturæ ſpecies uſu venire poteſt in vulneribus ſuperficiariis, quæ cutem non excedunt; eaque *interſciſſa* vocatur, quod poſt ſingulos punctos, facto nodo filum abſcinditur.

VII. Sed interdum Suturam inſtituimus, cum acum unam pluresve in carne relinquimus, iiſque filum circumglomeramus, haud ſecus ac mulieres acus in veſtibus fixas aſſervare ſolent, & ita conſuevit fieri in labiis leporinis, aut admodum profundis vulneribus.

VIII. Quandoque pellionum more, acum cum filo ſæpius traducimus & circumvolvimus; qualis ſutura debetur vulneratis inteſtinis, abdomini, & partibus pendulis.

IX. Interim verò notandum, ne nimis rara, nec nimis crebra ſit ſutura: etenim nimis rara non continet; nimis crebra dolores & inflammationes parit. Igitur tale intervallum inter unum & alterum punctum intercedat, ut cutis ducentem quaſi ſubſequatur, & oræ ipſæ ex toto ſe contingant, exceptâ parte exiguâ, turundæ inſerendæ inſerviente, ut puri ſuperfluo exitus detur.

X. Atqui Faſciatio ubi non ſufficit, & Sutura non neceſſaria eſt, conveniens valdè *Glutinum* ſeu *Emplaſtrum Glutinatorium*; idque adhibetur in vulneribus faciei, ad evitandam deformitatem, quam alioquin puncturæ acus adferre ſolent. Inſuper & Glutini uſus eſt in tranſverſis, & magnis, ſive longis vulneribus.

XI. Quondam fiebant Emplaſtra Glutinatoria ex pannis lineis triangularibus per habenas adductis: viz. lintea comparabantur valida, æqualia, mollia, quadrangularis, triangularis, vel alterius figuræ, prout vulneris ſitus, & membri, cui applicari debebant, natura requirebat, quæ in parte, qua vulnus reſpiciunt, complicabantur, aut ſuebantur ſubtiliter, & fila per latitudinem eorum aliquoties trajiciebantur. Iſtis linteis annectebantur anſulæ è filo duplicato vel multiplicato, & contorto, cerâ oblito, eâ diſtantiâ, quam ſuturæ habere ſolent, aut etiam minore. Linteis iſtis inducebatur Glutinum è medicamentis adſtringentibus & viſcoſis compoſitum: quæ hoc modo Glutine inducta & anſulis ſuis inſtructa, duo utrinque ad latera vulneris, pollicis diſtantiâ, ità apponebantur, ut anſulæ ſibi rectè reſponderent, & tamdiu relinquebantur, donec glutine ſiccato lintea cuti firmiter adhærerent. Linteis cuti jam arctè adhærentibus, anſulæ ſeu fila mutuo colligebantur, & conſtringebantur, ut vulneris labia ritè unirentur. Videantur Joh. Andr. à Cruce *lib.* 2. *tract.* 2. Paræus *libr.* 10. *cap.* 26. Guillemæus *Tab.* 6.

XII. Su-

XII. Suturam verò per Glutinum applicandi modum peculiarem habet Cæſar Magatus; viz. Ceratum aliquod extendit ſuper linteum, dein ex linteo hoc tot partes longitudine digitum æquantes, vel etiam longiores, latitudine autem ligulam adſtrictoriam; in extremitatibus verò paulò latiores, quot puncturæ in vulnere requiri videntur, abſcindit; primamque in vulneris medio applicat, ità tamen, ut uni ſaltem lateri vulneris dimidiâ ſui parte adhæreat, aliqua libera ſit. Huic è latere oppoſito aliam applicat; atquè ità per vices procedit, unam in dextra, alteram in ſiniſtra parte applicando: poſteà partes quæ liberæ ſunt, nec dum cuti adhærent, unam quidem dextrâ, alteram ſiniſtrâ manu apprehendit, & utramquè verſus labium oppoſitum contrahit, donec labia ad mutuum contactum adducantur. Hinc utramque portionem, quam manu continet, labio oppoſito, cui non adhæret, applicat, utquè rectè omni ex parte adhæreant, curioſè ſtudet, ſicquè in reliquis procedit, ità ut inter unam & alteram tantum ſit intervallum, quantum aliàs inter acus puncturas ſolet intercedere.

Et ſanè ſufficiunt nunc pro Glutine, Emplaſtra digiti minimi latitudine, cuti pertinaciter adhærentia; quæ adeò validè vulneri conglutinantur, ut nec ſanguis, nec alia quævis humiditas Ea ſolvere queat. Quem in finem ſæpè uſurpatur *Emplaſtrum Stitticum Crollii*, vel aliud quoddam Glutinatorium, cujus formulæ variæ ex viriis auctoribus peti poſſunt; hîc tamen meritò excellit *Emplaſtrum Diapalma* ritè præparatum.

XIII. Hildanus *libr. de Gangræna & Sphacelo cap.* 19. Glutinum ad labia vulneris applicat, ità tamen ut labia minimè attingat, ſed ſpatium minimi ferè digiti ſit inter labia vulneris & emplaſtrum. Poſtero die emplaſtro ſiccato, & tenaciter cuti adhærenti, acum filo trajectam inſerit, ſicquè vulneris labia haud ſecus conjungit, ac ſi ipſam cutem & carnem perforaſſet. Glutini autem, quo utitur, deſcriptio hæc eſt:

℞. Farinæ volatilis ℥j. *Pulv. Roſar. Rubr. Maſtichis, Thuris, Sang. Draconis, Gum. Tragacanth. an.* ʒij. *M. F. Pulvis ſubtilis, cui adde Albumen unius Ovi, Aquæ Roſaceæ q. ſ. ut mellis ſpiſſitudinem acquirat, ità relinquatur per noctem, & ſi altero die nimis ſpiſſum ſit Glutinum, iterum affunde Aquam Roſarum, aut Plantaginis, ac dein utere.*

XIV. Inſuper prætermittere hîc non debemus *Inſtrumenta* quæ *comprimendo* venæ arteriæquè læſæ orificia, ad earundem conſolidationem non parum juvant; ſive ea ex ligno, ſive ex ferro, ſive ex ære, ſive ex alia quavis materia conficiantur, quorum icones apud Scultetum, alioſquè paſſim licet videre.

XV. Deniquè circa vulnerum deligationem indagandum, an vulnus ſimplex & unicum ſit, an verò duplicatum. Accidit namquè interdum, ut licet in cute unum ſit vulnus, in muſculis tamen ſub cute duo ſint, vel tria vulnera. Hoc enim ſi fiat, & Cheirurgus unum ſaltem vulnus curet, reliquum, quod latet, negligat, pus in altero colligitur, atquè dolorem, inflammationem, febrem, aliaquè gravia excitat ſymptomata; cujus rei hiſtorias notavit Hildanus *Cent.* 3. *Obſerv.* 84. 85. ubi etiam docet, qua ratione ſinus ille latens poſſit aperiri, ac inſtrumenta ad eam rem idonea depicta exhibet.

Cap. 7. *De Medicamentis ad Vulnera Curanda neceſſariis, & Partis Vulneratæ ſubſtantia ſalubri conſervanda.*

I. Atquè hæc Cheirurgi officia ſunt, quæ circà Vulnerum Curationem præſtare debet: ipſa verò partium vulneratarum unio & coalitus opus Naturæ eſt; quæ non rarò ſine ulla medicamentorum ope (quod præcipuè in vulneribus internis accidit) ea, quæ disjuncta ſunt, glutinat.

II. Fit autem Unio hæc & Coalitus alicujus Glutinis interventu, cujus Materia nulla alia eſſe poteſt, quam eadem, ex qua nutriuntur ipſæ partes; ſcilicet Sanguis ſanus, qui ad partes nutritionis gratiâ delatus in parietibus vulneris, nec non poroſitatibus & tubulis carnium hinc inde roris inſtar reſudans à naturali partis calore elaboratur, & excoquitur, viſcidiorquè redditur ac denſatur, ut neceſſariò per eum coëant, quæ diſtabant partes.

III. Cum igitur Natura ſit efficiens cauſa conglutinationis, Sanguis materia; duo hæc ut rectè ſe habeant neceſſe eſt. Et quoad prius; duo ſunt in ſanando vulnere Naturæ officia. Primum ut laudabile pus generet. Alterum ut ea, quæ disjuncta ſunt, conglutinet. Namquè licet Galenus ejus rei expreſſam mentionem non faciat, cum de vulneribus curandis in genere agat; tamen Rhaſes, Avicenna, & Celſus, pus ex vulnere jam ad ſanitatem ſpectante fluere; primòquè pus movendum hinc purgandum & implendum, tandemquè cicatrice vulnus claudendum docent. Atquè felix experientia iſtam curandi rationem probavit; & medicamenta, quæ eò fine applicantur, *Digeſtiva* vulgò nuncupantur.

IV. Medicus enim hac in re Naturæ ſuccurrere debet, Medicamenta admovendo Digeſtiva, poſtea Sarcotica ſeu Glutinantia. In praxi equidem hîc diſcrepare videntur Auctores; dum alii, Suppurantibus ſeu Digeſtivis neglectis, mox Siccantia adhibent, Balſama ſcilicet vel Naturalia, vel Artificialia, quibus & vulnus illinunt, quæquè in profundum inſtillant, & per turundas imponunt; alii Pus Moventia ſeu Digeſtiva præmittunt. Et ſanè αὐτοψία docuit, utramquè curandi rationem, finem ſuum aſſequi. Non tamen ſine diſcrimine utraquè Medicamenta uſurpanda videntur. Digeſtiva enim ſi incautè & nimis diu adhibeantur in ulcus ſordidum non rarò degenerat vulnus. Itaquè tutiſſimum puto, non ſemper uni medicamento confidere, ſed pro affectæ partis temperaturâ ea componere, & Digeſtiva Sarcoticis ac Glutinantibus miſcere; cùm experientia teſtetur; talia longè felicius, quàm mera Suppurantia uſurpati.

V. Parantur autem Digeſtiva ſeu Pus Moventia è *Vitellis Ovorum, Melle, Communi Terebinthina, Gum. Elemi, Oleo Roſarum, Farina Tritici, Hordei, &c.* v. gr.

℞. Therebinthinæ, Mellis an. ℥j. *Vitellum unius Ovi, Farinæ Hordei q. ſ. M. F. Digeſtivum.*

℞. Olei Roſarum ℥ij. *Ceræ Citrinæ* ℥ß. *Thuris, Maſtichis an.* ʒj. *Vitellum unius Ovi, Butyri Inſulſi q. ſ. Miſceantur.*

VI. Ubi deterſum eſt vulnus, & laudabile pus apparet, proximum eſt, ut quod vulneratum & disjunctum eſt, carne repleatur, ac conglutinetur. Atqui abundè deterſum & mundificatum vulnus eſſe conſtat, quod colore rubro appareant infectæ partes carnoſæ, nervoſæ verò albæ ac ſplendentes, oſſa itidem candida vel ſubrubra. Tunc autem Sarcotica appellata Medicamenta imponantur. Ea tamen minus ſcitè ita dici manifeſtum eſt, cùm re verâ carnem non gignant, ſed tantum impedimenta removeant; temperando viz. acrimoniam puris acidam, & abſumendo omnem humiditatem, quæ inter agglutinanda ora poſſit eſſe impedimento, quo minus vulneris labia inter ſe uniri ac coaleſcere queant.

VII. Sunt verò Sarcotica dicta Medicamenta varia. v. gr. *Radix Ariſtolochiæ Rotundæ, Conſolidæ Majoris, Sanicula, Centaurium, Hypericum, Pimpinella, Plantago; Semen Fœnigræci, Lini; Thus, Aloës, Bolus, Colophonia, Reſina Pini, Gummi Elemi, Maſtix, Myrrha, Sarcocolla, Styrax, Therebinthina, Cera, Ceruſſa, Lapis Calaminaris, Lythargyrum, Plumbum Uſtum; Oleum Hyperici, Laurinum; Unguentum Aureum, Baſilicon; Balſamum Peruvianum, Sulphuris; Mel Roſarum*, & plura alia, è quibus compoſita varia pro re nata parari ſolent.

Injectio hæc carnis generationem egregiè promovet, & cava, ſinuoſaque vulnera replet;

℞. Balſami Sulphuris Therebinthinati ʒij. *Olei Hyperici*

perici, Camomillæ, Styracis Liquidæ an. ʒiß. Mellis Roſacei ℥ij. Lactis Dulcis vel Vini Albi Gallici q. ſ. Miſceatur pro Injectione.

Alii ſequentia laudant,

♃. Therebinthinæ, Gummi Elemi an. ℥iß. Ping. Caſtrati ℥ij. Porci antiq. ℥j. Liquefiant ad ignem, & Miſceantur.

♃. Reſinæ, Ceræ, Therebinthinæ, Olei Roſarum an. ℥ij. Thuris, Maſtichis, Myrrhæ an. ʒij. M. F. S. A. Unguentum.

Aquapendens *Operat. Cheirurg. part. 2. libr. 2. cap. 7.* tanquam medicamentum præſtantiſſimum, in primis ad partium nervoſarum vulnera, commendat id quod ſequitur: additque, ſe ab Hiſpano quodam Sacerdote ejus deſcriptionem accepiſſe; qui retulit, in Hiſpania non licere hoc medicamentum componere, quod homines medicamenti viribus confiſi, facile digladientur, inquè arenam deſcendant. Eſt autem hoc;

♃. Olei Vetuſtiſſimi ℥iv. Therebinthinæ claræ ℥viij. Frumenti integri ℥iß. Florum Hyperici ℥ij. Rad. Valerianæ, Cardui bened. an. ℥j. Thuris pulveriſati ℥ij.

Radices & Herbæ craſſo modo contundantur, in ollam ponantur, & tantum Vini Albi ſuperaffundatur, ut omnia in Vino ſubmergantur, atque per biduum factâ infuſione, Oleum & Frumentum adjiciantur, omniaquè coquantur ad Vini conſumptionem: mox factâ forti expreſſione addatur Thus ac Therebinthina, & iterum parum ſinantur bullire, atquè in vaſe vitreo ſerventur.

Sanat vulnera, ut aiunt, ſpatio viginti quatuor horarum. Modus autem utendi hic eſt: „ Vulnere prius Vi„no Albo frigido abluto; ſtatim totum vulnus inunga„tur Oleo hoc calente: quod ſi hoc commodè fieri „nequeat, per ſiphonem intrà vulnus immittatur, & con„feſtim vulneris labia ad mutuum contactum adducan„tur deligaturâ, aut ſuturâ, aut glutine; deinde partes „adjacentes eodem quoque inunganturt Oleo; at ſuprà „vulneris labia jam reducta linteum imponatur hoc „Oleo madens, & ſuper hoc aliud vino nigro imbu„tum atque expreſſum; mox alia lintea ſicca; dein „faſciâ circumligetur.

Et plura hujuſmodi Olea, Unguenta, & Balſama Vulneraria ex Sennerto, Cæſare Magato, Peccetto, aliiſque actoribus peti poſſunt; inter quæ tamen haud infimam laudem merentur *Unguentum Baſilicon*, *Balſamum Sulphuris Therebinthinatum* vel *Succinatum*, nec non *Balſamum Peruvianum*.

Inſuper Emplaſtra Sarcotica dicta varia à Chirurgiæ ſcriptoribus proponuntur; ſed quoniam Ea in curandis vulneribus operculi vicem tantum præbere poſſunt, hinc operæ pretium non exiſtimavi ullas eorum formulas hîc exhibere.

VIII. Ubi vulnus carne repletum fuerit, cicatrice claudendum, cutis, ſeu ejus loco cicatrix, generanda, ejuſque beneficio ſoluta continuitas plane unienda. Atqui ut in gignenda carne Natura eſt opifex, materiam Sanguis ſuppeditat; ità quoque in producenda cicatrice accidit. Medicus namque impedimenta tantum removet, Medicamenta imponendo magis Siccantia, quæ idcirco Epulotica ſeu Cicatricem Inducentia dicuntur. Talia ſunt *Radix Conſolidæ, Mirrha, Maſtix, Sarcocolla, Lapis Calaminaris, Lythargyrum, Minium, Plumbum Uſtum, Tutia, Unguentum de Tutia, Album Camphoratum, Diapompholigos, Deſiccativum Rubrum, &c. Emplaſtrum Diapalma, Gryſeum, Opodeltoch, de Minio, &c.* In quibus eligendis partis affectæ temperatura & ſtructura probe conſideranda eſt.

Barbette hoc habet Emplaſtrum,

♃. Empl. Diapalmæ, Gryſei, Diapompholigos an. ℥j. Gummi Elemi ʒij. Sacchari Saturni ʒß. Ceræ q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum.

Sed inter Epulotica dicta medicamenta palmam facilè præripit *Mercurii Amalgama*, quippe quod, juſto tempore uſurpatum, citius cicatricem inducit; cujus hæc eſt deſcriptio:

♃. Plumbi ℥j. liquefacto adde Argenti Vivi ℥j. Effunde ſuper chartam. Deia exſiccatum, pulveriſatum, Emplaſtro Diapompholigos, vel ſimili miſceatur, ac uſurpetur.

IX. Externis hiſce remediis *Interna* quædam, *Vulneraria* dicta, jungemus, quæ in vulnerum curatione non parum prodeſſe obſervantur. Sunt autem ea leviter Adſtringentia ac Detergentia, adeoquè puris laudabilis generationem promoventia, hinc vulnus mundificantia & conſolidantia: qualia dicuntur *Radix Conſolidæ, Gentianæ, Ariſtolochiæ, Zedoariæ, Biſtortæ; Pyrola, Sanicula, Alchimilla, Bugula, Plantago, Millefolium, Artemiſia, Agrimonia, Vinca per Vinca, Piloſella, Virga Aurea: Dictamnus, Centaurium Minus, Oculi Cancrorum, &c.* Ex quib. varia, pro partis affectæ ſtructurâ & temperaturâ, præpaparantur Compoſita, imprimis Potiones Vulnerariæ.

X. Equidem de Potionibus Vulnerariis diſſentiunt Practici. Nonnulli eas quidem admittunt in vulneratis iis partibus, ad quas ejuſmodi potiones pertingunt, quales ſunt Gula, Ventriculus, Inteſtina, Renes, Veſica Urinaria, tuncquè ſunt loco Topicorum Medicamentorum: in partibus verò vulneratis externis, eas prorſus rejiciunt, utpote ad quas ob ſitus diſtantiam penetrare poſſe non credunt.

E contrario Joh. Manardus Potiones ejuſmodi ad vulnera nova & antiqua utiles eſſe, ſeque eas non ſemel expertum, atquè curaſſe iis ſolis peſſima & deſperata ulcera, teſtatur. Eaſdem uſurparunt & alii, non ſolum Empirici, ſed quoquè doctiſſimi Medici ac Cheirurgi, ut Guido, Joh. de Vigo, Nicolaus Maſſa, Joh. Tagaultius, Johan. Andr. à Cruce, Fallopius, Matthiolus *comment. in Dioſcor.* Ambr. Paræus, Aquapendens, Ludov. Septalius, & plures, quos experientia, docuit, Potiones haſce ad vulnera curanda maximè utiles eſſe. Ideoquè experientiæ refragari, & medicamenta longo uſu probata rejicere, aut negligere, nefas ſit. Etenim *præſtat ea quæ fiunt: quomodo fiant, quærere; quam, quod fiant, negare.* Galen. *5. de loc. aff. c. 3.* Et ſanè cum ſanguine, ceu vehiculo, arteriarum ductu particulas Vulnerariorum Medicamentorum ad quarumcunquè partium vulnera pervenire poſſe, haud dubitandum; ubi, acrimoniam Puris acidam temperando, hinc & detergendo ac mundificando, eorum conſolidationem non parum juvare queunt.

XI. Non tamen uſurpandæ iſtiuſmodi Potiones in principio, & ubi nihil periculi in vulnere eſt, atquè ad integram ſanationem ſola Topica ſufficiunt; ſed tum in primis, quum, ob vitioſam partis conſtitutionem, curationem vulnera non facilè ſuſcipiunt; hinc non ſolum in vulneribus, ſed & ulceribus ac fiſtulis feliciter uſurpantur. Qua de re Ambr. Paræus ſic ſcribit: „ natura tali potione adjuta planè mira feciſſe, mihi „non rarò viſa eſt in carioſorum oſſium correctione, „& ulcerum conſolidatione. Hæ namquè potiones etſi „humores noxios per alvum non expurgent; valdè ta„men efficaces ſunt detergendis ulceribus, & ab omni „excrementitiorum humorum colluvie vindicandis, ſan„guini defæcando, & ab ichoribus, omniquè impu„ritate repurgando, fractis oſſibus agglutinandis, & „nervis unioni reſtituendis. Hæc Medicamenta admi„rabili & propè divinâ vi ſuâ ſic ſanguinem expurgant „ut ex eo, tanquam ex materia apta & laudabili, ca„ro, & quævis alia ſubſtantia promptè reſtitui & re„poni poſſit, & pars priſtinę unioni reddi. Et Matthio„lus *comment. in libr. 4. Dioſcorid.* ait; ejuſmodi po„tionibus vidi ego cùm thoracis, tum inteſtinorum „vulnera ſanari, quæ lethalia, & nullo prorſus auxi„lio curari poſſe cenſebantur. Plura de Decocto Vulnerario, dequè ejus uſu ac abuſu, videantur apud Hildanum *in Obſervatione ſingulari de Vulnere Sclopeti graviſſimo, Operi ſuo poſt Tractatum de Ambuſtionibus inſerta, pag. mihi & libr. de Ichore & Meliceria Celſi cap. 7.*

XII. Hujuſmodi verò Decocti Vulnerarii variæ occurrunt formulæ. v. gr. ♃. Rad.

℞. *Rad. Conſolidæ Maj. Ariſtolochiæ Rotund. an.* ℥vj. *Herb. Bugulæ rec.* Mij. *Pyrolæ, Saniculæ, Alchymillæ an.* Mj. *Coq. in Aquæ Comm. part.* ij. *Vini Rubri part.* j. *ad* ℥xxx. *Colatura detur uſui.*

℞. *Herb. Alchimillæ, Saniculæ, Artemiſiæ, Conſolid. Saracen. Hederæ terreſtr. an.* Mj. *Vini Albi Gallici* ℔ij. *Coq. in vaſe clauſo, & colentur.*

℞. *Raſuræ Ligni Guajaci* ℥iv. *Rad. Salſæparillæ* ℥iß. *Santali Citrini* ℥ß. *Contuſa macerentur per noctem in Aquæ Puræ* ℥LXX. *dein ſ. a. coq. add. Herb. Pyrolæ, Saniculæ, Fragariæ, Summ. Hyperici an.* Mj. *F. S. A. Decoctio ad* ℥xxxx.

Barbette ſequens extollit;

℞. *Rad. Ariſtolochiæ Rot.* ℥iß. *Cyclaminis, Herb. Prunellæ, Geranii Robbert. an.* Mj. *Sabinæ* ʒiij. *Mumiæ, Galangæ an.* ʒij. *Oculor. Cancror.* ℥ß. *Contuſa & Conſciſſa coq. in Vino Rubro ad* ℔iij. *colaturæ add. Syrupi de Symphito Fern.* ℥iv. *Miſceantur.*

Alii laudant Decoctum D. Freydachii. viz.

℞. *Rad. Conſolidæ Maj.* ℥ij. *Herb. Saniculæ, Pyrolæ, Ambroſianæ, Meliſſæ, Veronicæ, Artemiſiæ, Hyperici, Cent. min. an.* Mj. *Ocul. Cancror. Pulv.* ʒj. *Coq. in Cereviſiæ melioris notæ* ℔vij. *ad* ℔ivß. *Colatura uſurpetur.*

Nonnulli extollunt ſequentia;

℞. *Ocul. Cancror. crud. pulv.* ℥j. *Aceti Vini fortiſſ.* ℥iv. *Digerantur ſimul, atque bis terve quotidiè Vulneratus ſumat circiter unum cochlear.*

℞. *Ocul. Cancror. crud. pulv. Rad. Zedoariæ an.* ℥ß. *Herb. Saniculæ virid.* Mij. *Coq in Vini Rhenani* ℔ij. *Aquæ Puræ* ℔j. *dein colentur. Bibat Patiens mane & veſperi* ℥v. *aut circiter.*

Vel quotidiè exhibeatur Vulnerato *pulvis ex Oculorum Cancrorum* ʒß. *vel* ℈ij.

XIII. Cæterum ut partis vulneratæ ſubſtantia ſalubris conſervetur, rerum quoque nonnaturalium uſus conveniens ſit temperaturæ Vulnerati in genere, & in ſpecie parti læſæ accommodatus. *Aër* nec frigidus ſit, nec calidus valde; verum *temperatus* potius, ſeu *tepidus*. *Cibus & Potus* tales ſint, è quibus ſanguis generetur laudabilis, quique pravis ſymptomatibus occaſionem præbere nequeant. *Quies* Vulneratis convenit, in primis parti vulneratæ. Recta præterea inſtituatur *Somni & Vigiliarum* ratio. *Animi* quoque *Motus nimii* ſunt vitandi, *Ira* præſertim, uti id exemplis confirmat Hildanus *Cent.* 1. *Obſerv.* 17. 18. Et Fallopius *tract. de Vulner. in genere cap.* 16. ait: „ quandoque in vulneribus puerorum noxia quædam „ eſſe concedenda, ne fiat fletus, qui maxime nocet puerulis vulneratis, & ne alia pejora ſuccedant incommoda. Inſuper & *Veneris uſus* nocet Vulneratis: *Alvus* autem ſi non reſpondeat, aperta ſervetur Clyſtere potius, quam Medicamento exhibito Purgante.

Denique ſi ſanguis in corpore Vulnerati abundet, ut metuatur ejus ad vulnus defluxus, hinc & varia metuenda ſint accidentia, *Venæſectio* ut inſtituatur, niſi antea cruor multum fluxerit, ſummopere neceſſarium erit.

Cap. 8. *De Particulari Vulnerum Curatione & primùm de Vulnere Carnis ſimplici, & profundo.*

I. IGitur in genere de Vulnerum Curatione, nec non de Methodo, qua eorum ſymptomata aut impediri aut moderari debeant, abunde dictum fuit: nunc geſtit animus, quonam ordine ad ſpecialem uniuſcujuſquè vulneris curationem ſit procedendum, exponere. At vulnera, quæ externas duntaxat corporis partes occupant, ſunt aut in cute, aut carne, cum vel ſine contuſione, aut in carne cum continuitatis ſolutione in venis, arteriis, aut nervis, partibuſvè, nervoſis: de hiſce primum; deinde de partium compoſitarum (capitis puta, thoracis, abdominis, &c.) vulneribus agere conſtitui.

II. Communiter autem per *Carnem* intelligitur Cuticula, Cutis, Pinguedo, Panniculus Carnoſus, ac ſubjecta Muſculorum Caro. Eſtq; hujuſmodi *Carnis Vulnus*, quod incidendo contingit, aut ſimplex & ſine ſubſtantiæ deperditione, aut cum deperditione vel amiſſione ſubſtantiæ. Atqui quod ſimplex eſt, & abſq; ſubſtantiæ amiſſione, aliud eſt in ſuperficie, & in ſummo reſidens, aliud profundum: aliud magnum, aliud parvum, aliud mediocre. Quod verò eſt cum ſubſtantiæ deperditione, aliud eſt cum ſolius cutis, aliud cum ſubjectæ quoquè carnis amiſſione.

III. Vulnus verò cuti duntaxat & carni inflictum, ſi leve ſit & ſimplex, curari non rarò ſolet naturæ ipſius beneficio, ſolâ adhibitâ ligaturâ, aut levi quopiam impoſito remedio. Enimverò cum in ſimplici vulnere ſuperficialis tantum adſit diviſio, hinc Medici intentio ſimplex & unica eſſe ſolet; viz. id quod diviſum eſt, reuniri debet. Sed priuſquam hoc fiat, ſi quid extraneum inter vulneris labia hæreat, ut ſanguinis grumi, pili, pulvis, vel quid ſimile, id in primis removendum; nec non immodicus cruoris effluxus, ſi adſit, cohibendus. Quo ſupreſſo, atquè deterſo, mundatoquè vulnere, labia ad ſe invicem adducenda, ſimulquè unienda, & unita ſervanda; nec non petiæ ex linteo diſcerpto, *Balſamo Peruviano*, aut *Italico*, ſimilivè ſeu naturali ſeu artificiali, imbutæ imponendæ, ac ſuperponendum *Emplaſtrum Diapalmaum*, vel *Defenſivum*, vel *Opodeltoch*, ut poſſit natura, mediante naturali partis læſæ nutrimento, disjuncta vulneris labia denuò reunire.

IV. Sed Vulnus Carnis quum profundum ſit, citra ſubſtantiæ amiſſionem, tunc in primis animadvertendum, quo ſpectet vulneris orificium, ejuſque fundum. Si deorsùm ſpectet orificium, ſic ut ſanies liberè effluere poſſit, decenti ligaturâ, & ſuturâ quoquè, ſi opus fuerit, admotis inſuper ſarcoticis ac glutinantibus, facillimè curam ſuſcipit.

Si verò ſurſum ſpectet vulneris orificium, deorſumque fundum, atquè in cavitate ejus ſanies detineatur, tum videndum, utrum partem vulneratam commodò ſitu ità collocare queamus, ut deorſum orificium ſurſumque fundum ſpectet, adeoque liberè exeat purulenta materies: tunc enim expulſivâ ligaturâ, nec non convenientibus impoſitis medicamentis, citò curabitur, nec novâ opus erit ſectione.

Atqui niſi deorſum ſpectet vulneris orificium, neque conveniente ſitu & figurâ pars vulnerata ità collocari poſſit, ut orificium vulneris deorſum, ejuſdemque fundum ſurſum tendat, ac ſanies in fundo contineatur, ibidem apertio facienda, ut Puri exitus detur: vel tota cavitas, *hoc eſt*, ab orificio ad fundum uſque ſecanda. Factâ ſectione pro primo apparatu petiæ ex linteo diſcerpto immittendæ, ſanguiniſque fluxus ſiſtendus; dein conveniente Digeſtivo vulnus detergendum, hinc Medicamentis utendum Sarcoticis & vim conglutinandi habentibus, tandemque Epuloticis ſeu cicatricem inducentibus.

V. Interim ſi vulnus profundum ſit & anguſtum, adeoque inciſione dilatandum, cavendum ne nervi, aut venæ arteriævè majores lædantur: aliter petiis immiſſis craſſioribus curandum, ut vulneris orificium non conſolidetur, niſi benè deterſum, & carne impletum fuerit; quo facto paulatim eſt imminuenda, tandemque relinquenda petia, & vulnus impoſito Emplaſtro ad cicatricem perducendum. Vel quum dilatare anguſtum vulnus inciſione non audeat Cheirurgus ob vicina vaſa majora, & ob ſubjectas nervoſas tendinoſaſque partes, vulneri immittatur *Medulla Sambuci*, aut *Turunda ex Radice Gentianæ*, vel *Spongia præparata*, qua intumeſcente & vulnus ex voto Medentis ampliatur.

Preparari autem Spongia ad vulnera dilatanda ità ſolet:

℞. *Spongiam novam, Ceræ flavæ q. ſ. Ceræ liquefactæ immittatur Spongia, quæ dein inter duo linteamina Oleo madefacta in torculari exprimatur, hinc exſiccetur, & uſui ſerviatur.*

Cap. 9.

Cap. 9. *De Vulnere Carnis Compoſito, ſeu Cavo, & cum Subſtantiæ deperditione.*

I. S*Implici Carnis Vulneri, Cavum* ſuccedit; viz. tum illud, in quo aliqua adeſt ſubſtantię deperditio; ut cutis, eique ſubjectę carnis muſculoſæ; tum id, in quo etſi nulla adſit ſubſtantiæ deperditio, atque ex ſimplici inciſione factum fuerit, equidem labia vulneris ob ejus magnitudinem, & nimiam inter ſe diſtantiam ad mutuum contactum adduci in fundo nequeunt, atque ideo cavitas ibidem remaneat: quę ut impleatur, utque disjunctæ partes ſimul uniantur, nova carnis generatione opus eſt. Enimverò in hujuſmodi vulnere cum duo ſuccurrant, ſcilicet *Unitatis Diviſio*, & *Cavitas*; ideo duplex ejus curationis ſcopus erit. Quod namque divitùm eſt, *Unionem*, & cavitas *Repletionem* deſiderat. At quum partes à ſe invicem diviſæ hîc uniri nequeant, niſi prius impleatur cavitas; ideo prima Indicatio Curativa erit, novam carnem generare, dehinc cavitatem replere.

II. Quia verò in tali vulnere materia quædam præter naturam ſemper continetur, quam pars læſa expellere nequit; idcirco hæc prius digerenda erit, & detergenda. Quem in finem Digeſtiva & Detergentia ſimul miſceantur; ita tamen, ut Digeſtiva primum; deinde Detergentia prævaleant: utendum verò Digeſtivis, quouſque bonum Pus appareat, *hoc eſt*, quod ſit album, leve, æquale, & minimè fœtidum: tunc enim ſi Digeſtivis porrò uteremur, in ſordidum Ulcus hujuſmodi vulnus commutatur.

III. Conveniens autem Digeſtivum ſeu Suppurationem movens Medicamentum paratur ex *Therebinthina*, *Melle*, & *Ovi Vitello*. At ſi Digeſtiva ac Detergentia miſcere cupimus, hoc vel ſimile conficiatur;

℞. *Mellis Comm.* ℥ iß. *Therebinthinæ* ℥ j. *Farinæ Hordei* ʒ ij. *Pulv. Aloës, Myrrhæ an.* ℈ ij. *Croci gr.* xv. *Vitellis duorum Ovorum, Spir. Vini* ℥ ß. *Fiat ex his S. A. Digeſtivum.*

Suas quoquè laudes hic meretur *Mundificativum ex Apio.*

Verumenimverò anguſtum ſi ſit vulnus ſimulque profundum, *Injectio* conducit *ex Vino Gallico, vel Spiritu Vini, cum Pulvere Myrrhæ & Aloës.* Vel.

℞. *Herb. Malvæ, Violariæ, Artemiſiæ, Summ. Hyperici, Centaur. min. Flor. Camomillæ an.* Mj. *Coq. in Aqua Pura, ad* ℥ xvj. *colat. add. Mellis Roſaccei* ℥ ij. *Spir. Vini* ℥ iij. *Miſceantur pro Injectione.*

IV. Poſtquam vulnus abundè deterſum, & ritè mundatum eſt, imponenda ſunt Sarcotica ſeu carnem gignentia: quæ quidem carnem non generant, ſed carnis gignendæ impedimenta tollunt, ut dictum ſupra, *cap.* 7. Talia ſunt *Unguentum Baſilicon*, *Unguentum Aureum, Balſamum Peruvianum, Balſamum Sulphuris*, &c. quæ vel ſola, vel inter ſe & cum aliis mixta utiliter uſurpari ſolent.

Impoſitis Sarcoticis ſurperponendum *Emplaſtrum Diapalma*, vel ſimile, tum ad detinenda impoſita medicamenta, tum ad vulnus ab aëre frigido defendendum. Alii Emplaſtri loco utuntur *linteis expreſſis in Vino Calido, vel Fomento conveniente*, ad partem vulneratam corroborandam.

V. Vulnere carne ferè repleto ab uſu Sarcoticorum deſiſtendum; & cicatrix inducenda impoſitis Epuloticis, *hoc eſt*, Medicamentis Exſiccantibus & leviter Adſtringentibus: qualia ſunt *Unguentum de Tutiâ*; *de Ceruſſa, Diapompholigos, Emplaſtrum Gryſeum, de Minio*, & alia ſuperius expoſita.

VI. Cęterum etſi carnis generatio ſit naturæ opus, tamen non rarò ex Medentis negligentia ſupercreſcens Caro in vulneribus enaſcitur: quando non, uti decet, Exſiccantia Medicamenta appoſuit, & diu nimis Sarcoticis fuit uſus. Quamobrem cum caro ad juſtam magnitudinem & altitudinem excreverit, imponenda *Carpia Sicca*. Sin nihilominus ultrò excreſcat, abſumenda eſt eo modo, ut *cap.* 7. expoſuimus.

Cap. 10. *De Vulneribus Vaſorum*, hoc eſt, *Venarum & Arteriarum.*

I. V*Enarum & Arteriarum Majorum Vulnera* totam ad ſe trahunt Curationem, idquè non vulneris ratione, quòd facilè uniri poteſt; ſed ob gravius ſymptoma, quod nunquam non iſtiuſmodi vulneribus ſupervenit: viz. ſanguinis profuſionem, quæ animi deliquia, atquè ſimilia excitare ſolet accidentia. Sed cum ſanguis fluat vel ex venis, vel ex arteriis, & quidem nunc majoribus, nunc minoribus; qui è venis profluit cruor, craſſior eſt, nigrior, obſcurior, atquè ſine pulſu æqualiter effluit; qui verò ex arteriis prodit, tenuior apparet, ſpumoſior, & coccinei coloris, nec non cum pulſatione exilit. Si majus vas ſit apertum, majore copiâ & impetu ſanguis profunditur; minore autem, ſi minus vas ſit vulneratum. Inſuper ab Anatomes Perito è ſede, locoquè vulneris haud difficulter cognoſcitur, num ſit in parte, per quam venæ & arteriæ, vel majores, vel minores tranſeunt.

II. Horum verò Vaſorum Vulnerum Curatio dirigenda eſt, & ad immodicum cruoris effluxum cohibendum, & ad apertum vas occludendum. Atquè hinc, etſi vulnus vaſis nondum coaluerit, ut ſanguinis fluxus prohibeatur, omnia ea ſunt facienda quæ ejus motum impedire ac inhibere poſſunt. Impeditur ſanguinis fluxus, ſi convenientibus remediis, & deligatione orificium vulneris occludatur, ut *cap.* 4. abundè docuimus.

III. Quoad aperti vaſis occluſionem; ea fieri poteſt, vel labiorum ſimul adductione & conjunctione, vel orificii obſtructione. Adducuntur labia nonnunquam ſuâ ſponte, interdum Medici operâ. Spontaneo motu ad ſe invicem accedunt, quando ob nimiam ſanguinis profuſionem tunicæ vaſorum concidunt, ſicquè labium ſuper labium cadit. Medicus verò id facit manuum operâ; viz. vel digitis vulneris labia & vaſis orificium eouſquè comprimendo, ac detinendo, ut ſanguis grumeſcat, atquè vas vulneratum obſtruat; vel faſciis liquore adſtringente madefactis, & aliquoties ſupra vulnus revolutis, vulneris labia comprimendo; vel ſuturâ vulneris labia ſimul adducendo.

IV. At ſi non ſperamus hęmorrhagiam ſedari poſſe, adducendo ad mutuum contactum vulneris labia, vel digitis, vel deligaturâ, vel ſuturâ, *Vas Vulneratum filo vinciatur*: volſellâ ſeu alio quopiam adunco inſtrumento vas apprehendatur, paululum elevetur, dein filum undiquè obvolvatur, & ſtringatur. Quo facto Sarcoticum ac Sanguinem ſiſtens Medicamentum imponendum, & vincula non removenda, donec ex ſe cadant, atquè apertum vas penitus occluſum ſit. Sed hic ſanguinem ſiſtendi modus in primis locum habet in Arteriarum vulneribus.

Sin verò apertum vas vinculo ligari nequeat; ob Venæ Arteriævè profundiorem ſitum, tunc integrum vas obliquè præcidendum; ut hoc modo vaſis diſſecti extremis retractis, & ſub carne abſconditis, hinc & occluſis, ſanguis ſupprimatur.

V. Scultetus *in Armament. Chirurg. Tab.* 18. *Fig.* 4. deſcribit atquè depingit Inſtrumentum ad Carpi Arteriam, conſultò aut fortuitò apertam, comprimendam; idquè in Arteriarum Carpi Vulneribus utiliſſimum eſſe, ait, *in explicatione Tab. Ultim. pag. mihi* ubi etiam refert Paravii ſuo tempore fuiſſe exercitatiſſimum Arteriotomum; qui ex conſilio Medicorum Arteriam in Carpo nonnunquam incidebat, factaquè ſanguinis evacuatione hoc inſtrumento vulnus itâ comprimebat, ut ne gutta quidem ſanguinis citrà Cheirurgi voluntatem profunderetur, nequè ullum ex compreſſione ſymptoma eveniret. At qua ratione hoc ſuò inſtrumento vulneratam in Carpo Arteriam compreſſit, ſanguinemquè ſuppreſſit, videri poteſt *poſt Armamenta*

ment. Chir. Obſerv. 89. Inſuper & alia inſtrumenta nunc paſſim habentur, quæ vulneratam in Carpo Arteriam tuto comprimere, hinc & curare queunt.

VI. Atque hi omnes ſanguinem ſupprimendi modi præcipuè in vulneribus abſque ſubſtantię deperditione, & ab inſtrumento incidente factis conveniunt. Verum ſi portio quædam ſubſtantiæ ipſius vaſis ſit deperdita, tunc vulneris labia ad invicem ducenda non ſunt; ſed obſtruendo vaſis aperturam, ſiſtenda ſanguinis profuſio. Hæc autem obſtructio fit per ſanguinem intus concretum: digitus enim fiſſuræ imponitur, ac tamdiu detinetur, donec circa digitum ſanguis concreſcat. Quo facto, prudenter digitus auferendus, &, ſi opus videatur, alia medicamenta imponenda; ſin minus, relinquendus eſt grumus, donec ſponte decidat. Et hoc fuit conſilium Leonardi Botalli, uti refert Illutris Satrapa Hooffdius *in Hiſtoria Batava libr.* 19. vulneratam venam jugularem in collo Celſiſſimi Principis Auriaci Gulielmi Primi, impoſito ſupra eam digito obturatam, atque ſanguinis ex eadem fluxum inhibitum fuiſſe.

VII. Niſi hoc modo ſuccedat, extrinſecus vaſis orificium obſtruendum; vel reducendo vulneris partes carnoſas; aut cutem ſuprà vulneris oſculum, quod cum fieri poſſit, optimum eſt, quoniam haud difficulter ea conglutinantur. At ſi vulneris figura hoc non patitur, ſicco linteo diſcerpto vulnus implendum, aliiſve conglutinantibus medicamentis utendum.

VIII. Sin verò nec his auxiliis ſanguis ſiſti poſſit, ut quando magna vaſis portio eſt ablata, ad Cruſtam vel Eſcharam Inducentia eſt deveniendum. Quę tamen curatio admodum tuta non eſt: nam ſi forſan contingat, ut, priuſquam ſanguinis profuſio ſiſtatur, cruſta cadat, augetur utique hęmorrhagia; quod ex vaſis uſtione amplius factũ ſit orificiũ. Quapropter hujuſmodi remediis non utendum, niſi reliqua fruſtrà fuerint experta. Efficiunt verò cruſtam aut Ferramenta Candentia, aut Cauſtica Medicamenta, quibus, præter vim erodendi, facultas adſtringendi ſit conjuncta.

IX. Inductâ eſcarâ, quam citiſſimè carnis generationi danda opera, ut priuſquam cruſta cadat, vas carne occluſum ſit. Hinc eſcaræ caſus feſtinandus non eſt, quoniam majus fieret ſanguinis profluvium; verum curandum potius, ut diutius adhæreat.

Cap. II. *De Vulneribus Nervorum, & Nervoſarum Partium.*

I. V*Ulneribus nervorum* etiam *ea* quæ *tendinum* ſunt comprehendimus, eo quod in Curatione nullum occurrat diſcrimen. Sunt verò *Nervorum* vel *Tendinum Vulnera, duplicia*; viz. *Punctura* aut *Inciſio*, prout inſtrumentum vulnerans punctim, vel cæſim vulnus infert.

II. Cognoſcitur autem Nervum vel Tendinem eſſe vulneratum, ex loci vulnerati conſideratione, & ex Anatome, quæ quibus mēbris Nervi, Tendineſve inſerantur docet: dein ex dolore vehementi, qui ſtatim poſt inflictum vulnus *Ægrum* infeſtat, quemque pulſatio, inflammatio, convulſio, & ſimilia plura ſequuntur accidentia; niſi nervus tranſverſim totus ſit diſſectus. Enimverò habent nervi ſenſum exquiſitiſſimum, & propterea iis vulneratis ſtatim in parte vulneratâ gravia hæc ſymptomata oriuntur; quod fibrillis quibuſdam in nervo diſſectis, reliquæ, integræ adhuc, tanto magis patiantur à tenſione continua, per vehementiorem ſpirituum animalium influxum producta. Inſuper Nervum vel Tendinem *Punctim* vulneratum eſſe, cognoſcitur ex ipſo Teli genere, & vulneris conditione; ſi nimirum id anguſtum ſit, & nihilominus gravis mox ſubſequatur dolor, atque hinc pulſatio, inflammatio, febris, convulſio &c.

Atqui ſi Nervus vel Tendo non punctim, ſed *Cæſim* vulneratus ſit, indagandum, an ſecundum longitudinem, an verò per tranſverſum, & quidem an Nervus vel totus diſſectus, vel ex parte tantum vulneratus ſit, & quantum cutis ſuperjacentis ſit diviſum; cum hujuſmodi horum vulnerum differentiæ non parum curationem varient. Si itaque Nervus ſit cæſim vulneratus, verum non totus diſſectus, ſymptomata haud ità gravia ſunt, ac ſi punctim vulneretur. Si ſecundum longitudinem Nervus vel Tendo ſit vulneratus, convulſionis metus tantus non eſt, cum fibræ non ita afficiantur. Sin totus diſſectus ſit, equidem tantum periculum non adfert, nec ullus convulſionis metus eſt: aliud tamen incurabile malum ſubſequitur, partis ſcilicet, cui nervus vel tendo inſeritur, debilitas in ſenſu & motu; cum ſpiritus animales eam in partem amplius deferri nequeant.

III. Cæterum omnia Nervorum vulnera quanquam ſint periculoſa, Punctura tamen periculoſior eſt, quam Sectio. Tendinum vulnera minus periculoſa ſunt, quam Nervorum. Vulneri ſuperveniens Convulſio, lethale, ait Hipp. *Aphor.* 2. *Sect.* 5. quod potiſſimum de Partium Nervoſarum vulneribus intelligendum cenſemus.

IV. Quoad *Curandi Methodum*: in omni Nervorum atque Tendinum vulnere, cum dolor valdè affligat, & inflammatio immineat, danda opera, ut dolor leniatur, ac inflammatio prohibeatur, quem in finem *Venæ ſectio* adeo conducit, ut ab ea oporteat Medicum vulnerum horum curationem ſemper auſpicari.

Specialis verò Curatio ab aliorum vulnerum curatione differt, propterea quod alia conſolidari debeant; hæc verò dilatari; quorum eſſentia conſideranda eſt, & ſpecies. Nam inciſus omninò ſi Nervus fuerit, minora toti corpori infert ſymptomata; quam ſi aliqua tantum ex parte ſectus ſit; ſed adfert impotentiam, membrum actione privans. Si inciſio in longum fuerit, minus incommodi parit, quàm quum in tranſverſum. At punctio omnium deterrima eſt, ob extremum dolorem, nec non graviſſima ac periculoſiſſima accidentia; quibus promptè ac diligenter occurrendum eſt.

V. Igitur Nervus vel Tendo ſi *punctim* vulneratus fuerit, conſiderandum num *Punctura* ſit cæca, vel aperta. *Cæca* fieri ſolet ab acu, ſagitta, pugione, aut ſimili inſtrumento: quo in caſu cutis incidenda eſt, vulnuſque dilatandum ad ſubjectum uſque nervum vel tendinem, ut ſanies exire, & medicamentorum particulæ ad puncturam penetrare queant.

At Punctura ſi Cæca non ſit, verum *Aperta*; patens tale vulnus ſervandum, &, ſi opus ſit, latius quoque incidendum: hinc imponenda medicamenta ſiccantia, calida, tenuium partium, ut nervus punctus roboretur, dolor mitigetur, qualia ſunt *Terebinthina*, *Cera*, *Gummi Elemi*, *Tacamahaca*, *Caranna*, *Opobalſamum*, *Balſamum Copaivæ*, *Balſamum Peruvianum*, *Balſamum Sulphuris*, *Spiritus Vini*, *Oleum Therebinthinæ*, *Oleum Ceræ*, *Oleum Succini*; & ſimilia: etenim in partium nervoſarum vulneribus; ubi nervus vel tendo eſt denudatus, nec Unguentum, nec Oleum pingue unquam admovendum; quippe quod vehementem mox excitare ſolet inflammationem.

Fallopius inter omnia medicamenta principem locum *Euphorbium* tenere ait, idque in Nervi Tendiniſve Punctura *Sacram Anchoram* appellat.

Galenus piſcatoribus, qui continuo à ſpinis piſcium pungebantur, ſingulare excogitavit remedium; viz. *Therebinthinam*, quam calidam in Puncturam inſtillabat. Et ſanè pręſtantiſſimum ac præſentaneum remedium eſt *Oleum Therebinthinæ*; quod nervo aut tendini denudato actu calidum ſit admovendum, ut ipſius particulæ in majori motu poſitę facilius & altiùs penetrent: inſuper imponenda petia hoc vel ſimili Digeſtivo illita,

℞. *Terebinthinæ* ℥iß. *Mellis*, *Unguenti Baſiliconis*, *Olei Therebinthinæ an.* ʒiij. *Pulv. Myrrhæ* ʒiß. *Vitellum unius Ovi*, *M. F. S. A. Digeſtivum.*

Scultetus *poſt Armam. Chir. Obſ.* 64. in Nervi Punctura vehementer extollit id quod ſequitur;

℞. *Therebinthinæ* ℥ß. *Pulv. Euphorbii* ℈i. *Ceræ parum M. F. Unguentum.*

VI. Notandum ergò, nulla medicamenta nervo vel tendini vulnerato eſſe admovenda, niſi actu calida, imò & fervida nonnunquam. Et ſi in nervi, tendiniſvè punctura, impoſitis dictis medicamentis, dolor non ſedetur, quin exacerbetur potius, cum affectæ partis inflammatione, labiorum vulneris tumore, & ſeroſæ, tenuis, atquè virulentæ ſanici exudatione, *Spiritus Vini* vel *Oleum Therebinthinæ fervens* inſtillandum, eoquè imbuto linteo ſpatulæ extremo alligato aliquoties contingenda non modo vulneris ſuperficies, ſed & ima ejus pars. Hoc enim, ceu Cauterio, inuſto nervo vel tendine, ſenſus adimitur, proindequè dolor ſedatur. Hac methodo Ambr. Paræus Carolum Nonum Galliæ Regem (cui loco venæ Nervus fuit punctus) curavit: *inſtillato* ſcilicet *in vulnus fervente Oleo Therebinthinæ cum Spiritu Vini, & applicito ſuper totum brachium Emplaſtro Diapalmæ in Aceto & Oleo Roſaceo diſſoluto, obvolutâ inſuper faſciâ expulſivâ, quæ à carpo ducto initio, in ſummum humeri articulum deſinebat.*

VII. Ad *Dolorem* ſedandum, *Cataplaſma ex Mica Panis, Lacte, & Croci tantillo*, parti affectæ utiliter applicetur. Vel,

℞. *Micæ Panis Albi* ℔ß. *Farinæ Althææ* ℥iß. *Flor. Camomillæ, Anethi an.* Miß. *Coq. in Lacte Dulci ad mollitiem, & dein contund. pro Cataplaſmate.*

Quum autem Dolor non tantum, ſed magna inſuper adſit *Inflammatio*, uti non raro contingit, hoc vel ſimile applicetur:

℞. *Micæ Panis Albi* ℔j. *Farinæ Hordei* ℥ij. *Foli. Scordii, Rutæ, Flor. Sambuci an.* ℥j. *Summ. Abſynthii* ℥ß. *Fiat Pulvis, ex eoquè cum ſ. q. Vini Gallici vel Lactis Dulcis S. A Cataplaſma.*

Dolor verò ſi vehemens ſit, & Inflammatio inſignis, adeoque *Convulſio* imminere videatur, Nervus omninò ſecandus eſt, quo ea impediatur. Nec refert, ſi ex eo membrum futurum ſit paralyticum: ſatius enim eſt, motum alicujus partis perire, quam totum hominem.

VIII. Denique in Nervi Tendiniſvè Punctura quoquè animadvertendum, ut vulnus non conglutinetur, priuſquam optimè fuerit purgatum, quod ex doloris ſedatione, aliorumquè ſymptomatum imminutione dignoſcitur. Interim tamen induſtrius ſit Cheirurgus in ambiente frigido aëre arcendo, quandoquidem ille *acidum acre* in ſe continet, cujus ratione nervis ſit inimicus, Hipp. *Aphor.* 18. *ſect.* 5.

Notatu digna porrò Nervi Puncturæ exempla videantur apud Jobum Meekeranum *Obſerv. Cheirurg. cap.*62.

IX. Haud ſecus procedendum, ſi Nervus vel Tendo *Cæſim* vulneratus fuerit. At ſi totus ſit inciſus, ſuadet M. A. Severinus *Efficacis Chirurg. lib.* 2. *cap.* 123. ut Nervus, & præſertim Tendo diſciſſus. conſuatur Hoc tamen minimè admittendum, quoniam ſi ſuendo pungeretur, eadem ſymptomata acciderent, quæ aliàs in Nervorum Punctura oriri ſolent. Idem affirmat Petrus de Marchettis *Obſerv. Chirurg.* 63. ubi addit, ſe obſervaſſe, incautè nervos, aut tendines à quibuſdam Barbitonſoribus fuiſſe conſutos, ſecutâ convulſione, & morte Ægrotantium.

Cap. 12. *De Vulnere cum Contuſione.*

I. CÆterum differunt vulnera non ſolum partium læſarum ratione; ſed & inſtrumenti, quo vulnus infligitur, conditio vulneris aliquam adfert differentiam. Etenim vulnera alia inſtrumentis infliguntur acutis, alia obtuſis; quod non parum curationem variat. Atquè ideò quum de vulneribus punctim aut cæſim inflictis hactenus dictum ſit, nunc ut de iiſdem obtuſis inſtrumentis illatis agamus, ordo hujus Tractatus expoſtulare videtur.

II. Solutæ igitur Unitatis illa ſpecies, quam inſtrumenta obtuſa in parte molli efficiunt, *Contuſio* apellatur. Fit autem *Contuſio in Vulneribus*, quando telum aut inſtrumentum, quo vulnus infligitur, non ſolum incidendi & ſecandi, ſed quoquè contundendi vim habet: id quod fit, quum iſtiuſmodi vulnerans inſtrumentum retuſum ſit, aut grave; quo modo & ſine vulnere, & cum vulnere mollis pars contundi, & quaſi comminui poteſt.

III. Cognoſcitur autem Vulnus cum Contuſione ex inſtrumento, quo vulnus inflictum fuit; ſi ſcilicet obtuſum, & grave id fuerit: dein ex dolore, & livido partis leſæ colore. Atquè tale vulnus periculoſius, & difficilius curatu eſt, quam quod eſt ſine contuſione: præſertim quod pars contuſa, & ſanguis ex dilaceratis vaſis effuſus ſi putreſcere incipiat, Gangræna non raro oriatur.

IV. Atqui in vulneris hujus Curatione cum duo occurrant, Vulnus nimirum, & Contuſio: hinc Intentiones Curativæ duæ ſunt, quarum Altera ad Vulnus, Altera ad Contuſionem ſpectat. Enimverò cum id quod contuſum eſt, in integrum reſtitui nequeat, & ſanguis è vaſis effuſus in parte contuſa hæreat, adeoquè facilè corrumpatur; danda opera, ut utrumque vel diſcutiatur, vel potius in Pus mutetur, docente id Hippocrate *Libr. de Ulceribus*: „ Si quid carnis colliſum, attritumquè à Telo fuerit, ità curandum eſt, ut quam celerrimè ſuppuretur: nam & minus inflammatione præhenditur, & neceſſe eſt colliſam detritamquè à Telo carnem in Pus converſam tabeſcere, deinde novam creari. Duæ igitur Indicationes in Contuſo Vulnere Curando nobis ab Hippocrate proponuntur; ſuppuratio nimirum; & novæ carnis generatio. Quibus ſcopis ut ſimul ſatisfiat, vulneri cum petiis immittatur hoc, vel ſimile Digeſtivũ;

℞. *Terebinthinæ* ℥iß. *Mellis*, *Unguenti Baſiliconis, Olei Roſacei an.* ℥ß. *Pulv. Croci* ℈j. *Vitellum unius Ovi. M. F. S. A. Digeſtivum.*

Partes verò Contuſæ dolorem lenientibus, ác leviter reſolventibus inungendæ. v. gr.

℞. *Olei Roſarum, Camomillæ, Trifolii Odorati an.* ℥ß. *Ceræ* ʒj. *Miſceantur pro Litu.*

At magna ſi ſit Contuſio, inſuper admoveatur Fomentum:

℞. *Herb. Malvæ, Althææ, Rutæ, Artemiſiæ, Scordii, Abſynthii, Flor. Camomillæ, Meliloti an. Mj. Coq. in ſ. q. Cereviſiæ Tenuis ad* ℥xxx. *Colatura ſit pro Fotu.*

Vel, quoniam quæ contuſa ſunt quam citiſſimè ſuppurari debent, ejus loco calidè imponatur, & identidem renovetur Cataplaſma:

℞. *Rad. Lilior. Albor. rec.* ℥iij. *Fol. Malvæ, Althææ, Flor. Camomillæ, Meliloti an. Mj. Caricarum pinguium* No. viij. *Coctis in Aqua Pura ad mollitiem, & minutim contuſis, add. Farinæ Hordei, Sem. Lini an.* ℥iß. *Unguenti Baſiliconis* ℥ii. *Pulv. Croci* ʒß. *Vitellos duorum Ovorum. M. F. S. A. Cataplaſma.*

V. Vulnere abundè ſuppurato, ad Detergentia deveniendum: qualia ſunt *Unguentum Baſilicon, Unguentum Aureum, Unguentum Apoſtolorum, Mel Roſaceum*, & ſimila; quibus penicilli, ſive turundæ ex filamentis factæ imbuendæ, & vulneri immittendæ, ac deſuper ſicca linamenta, vel aridæ ſtupæ imponendæ, & contentivâ faſciâ continendæ. Purgato verò, ac deterſo vulnere, impoſitis Sarcoticis vulnus carne implendum; quod facilius conſequemur, turundas indies imminuendo: hinc ad cicatricem perducendum.

VI. Equidem non ſemper Contuſioni adeſt Vulnus, ſed effunditur quandoquè ſanguis, integrâ manente cute, in ſpatia partium, unde oritur Affectus, qui

ἐκχυ-

ἐκχύμωμα & ἐκχύμωσις appellatur; Latini *Effuſionem*, *Suffuſionē*, *Sugillationem* verterunt. Eſt autem *Ecchymoſis* nihil aliud, quam *Cruoris in vicina ſpatia, ob vaſorum apertionem Effuſio*, ſi nimirum, cute illæsâ, vaſa ob contuſionem lacera ſanguinem effundant. Etſi verò ſæpius pars in tumorem non attollitur, ſed ità ſanguis in ſpatia partium ſeſe inſinuat, ut nullus tumor appareat; interdum tamen pars intumeſcit ſi extravaſati cruoris copia major ſit: imo interdum tanta in copia ſanguis effunditur, ut ſub cute inter muſculos collectus ſinum efficiat, atquè partem in tumorem attollat; hinc Inflammationis, & tandem Gangrænæ cauſa evadat. At quam periculoſæ ſint magnæ Contuſiones, & quam facilè in Gangrænam degenerent, exemplo docet Hildanus *Cent.* 2. *Obſerv.* 85.

VII. Itaque factâ contuſione, ſanguinis in locum affectum fluxus præcavendus, ne Inflammatio excitetur: id optimè fiet per *Venæſectionem*. Qua de cauſa Galenus jubet, ut in caſu ab alto, & percuſſionibus, mox vena aperiatur. Deinde Parti Contuſæ applicetur *Spiritus Vini*, vel *ſimplex*, vel *Camphoratus*, aut illinatur *Oleum Ceræ*; ac ſuperponatur *Emplaſtrum de Cumino*, vel *Emplaſtrum de Spermate Cœti*, cujus hæc eſt deſcriptio:

♃. *Ceræ Albæ* ℥iv. *Spermatis Cœti* ℥ij. *Gummi Galbani in Aceto ſoluti* ʒj. *Fiat ex his S. A. Emplaſtrum.*

At Contuſio ſi magna ſit, Emplaſtri loco, calidè applicetur Fomentum, identidemquè renovetur:

♃. *Fol. Malvæ*, *Althææ*, *Rutæ*, *Artemiſiæ*, *Calamenthæ*, *Scordii*, *Dictamni*, *Flor. Roſar. Rubr. an.* Mj. *Camomillæ* Mij. *Sem. Cumini* ʒvj. *Inciſa & contuſa coq. in Cereviſia Tenui, vel Vino Gallico ad* ℔iij. *pro Fomento.*

VIII. Hiſce verò ſi nulla fiat Reſolutio, ſive Contuſio non ſit valdè magna, locus affectus incidendus, dein detergendus, tandemquè more aliorum abſceſſuum curandus. Cum autem Suppurationis notæ adſint, utpote cum locus affectus nonnihil intumeſcat, ad tactum mollis appareat, dolor quidam pulſatilis & rubedo circum apparere incipiat, promovenda eſt Suppuratio. Facta Suppuratione, Abſceſſus aperiendus, dein Ulcus purgandum, & detergendum, hinc carne implendum, tandemquè cicatrice claudendum.

Cap. 13. *De Vulneribus Morſu Animalium illatis, aliiſque Venenatis.*

I. AD Vulnera cum Contuſione pertinent *ea*, quæ *animalium morſu* inferuntur. Sunt autem *Hæc* vel *Venenata*, vel *Veneni Expertia*. Enimverò accidit interdum, ut homo à cane, ſimia, equo, aſino, aliiſvè animalibus non rabidis, vel etiam ab alio homine mordeatur. Nihilominus tamen omnem feræ morſum quoddam virus habere ſcribit, C. Celſus *libr.* 5. *cap.* 27. Id quod de feris, iratis præſertim, facilè negari non poteſt. Et quamvis nulla omninò virulentia ſit in vulnere morſu animalis inflicto; contuſio equidem, quæ omnia vulnera periculoſiora & curatu difficiliora reddit, vulnera hæc graviora facit. Nam cum animalium dentes non ità acuti ſint, ut gladius, vel culter, vel aliud armorum genus, dum vulnerant, ſimul contundunt.

II. Quam periculoſa autem ſint Vulnera etiam Hominis Morſu illata, docet Jobus Meekeranus *Obſerv. Chirurg. cap.* 64. exemplo cujuſdam furis, qui lictorem morſu in pollice dextræ manus ità excepit, ut in plures particulas os comminutum, & mors ſequuta fuerit. Affirmat idem tribus exemplis Hildanus *Cent.* 1. *Obſ.* 84. 85. Quorum primum eſt Mercatoris, inter pocula morſu alterius in apice dextri indicis vulnerati; cui ex morſu tota manus fuit inflammata, & gangræna ſequuta, cum convulſionibus, febre ardente, ſyncope, & maxima inquietudine. Alterum eſt de Medico, à phrenetica, cum incautè, linguæ explorandæ gratiâ, digitum in os mulieris immitteret, demorſo; cui vehemens dolor non ſolum in digito; ſed & toto in brachio ſtatim exortus fuit. Tertium eſt viri, ab alio furioſo ad primam pollicis articulationem graviter morſi; cui itidem dolor vehemens per totum brachium mox exortus eſt, febriſquè ſequuta, & ſyncope. Haud abſimilem hiſtoriam recenſet Matthias Glandorpius *in Speculo Cheirurg. Obſ.* 49. de viro, qui dentibus alterius irati in pollice circa primum articulum ſauciatus fuit; unde dolor maximus, totius manus inflammatio, febris, corporis inquietudo, lypothymiæ frequentes, & intenſus capitis dolor exortus eſt. Et ſanè vulnera hæc periculoſa ſunt, tum ex ſe propter Contuſionem, tum quod Saliva iratorum animalium Venenati aliquid conjunctum habeat; & eò magis periculoſa ſunt, ſi partes nervoſæ mordeantur.

III. Igitur cum in Vulnere Morſu Animalium illato adſit Contuſio, nunc major, nunc minor, prout dentes animalis ſunt magis minuſvè acuti, & ex contuſione magnus inferatur dolor, præſertim quum virulentia quædam morſui adſit, ideo diverſam Curationem hujuſmodi vulnera ab aliis requirunt; atquè tum Contuſionis, tum Malignitatis, tum Doloris habenda eſt ratio. Quapropter ſanguis primum diligenter è vulnere exprimendus, idquè abluendum *Aceto acerrimo*, vel potius *Spiritu Vini*, aut *ſimplici*, aut *Camphorato*, ſeu *Spiritu Vini in quo diſſoluta Theriaca*: hinc imponendum hoc vel ſimile Digeſtivum;

♃. *Unguenti Baſiliconis* ℥j. *Mellis*, *Therebinthinæ an.* ℥ß. *Theriaces*, *Olei Scorpionum an.* ʒvj. *Vitellum unius Ovi. Miſceantur pro Digeſtivo.*

Interim ad Malignitatis Virus per corporis habitum expellendum, & ſymptomata graviora præcavenda, Mixturâ continuò utatur Patiens Sudoriferâ & Alexipharmacâ, ex *Aqua Meliſſæ*, *Cardui benedicti*; *Confectione Hyacinthorum*, *Sale Abſinthii*, *Oculis Cancrorum*, &c. At à Venæſectione, & Purgatione; quas multi hîc nimis temerè proponunt; omninò abſtinendum.

Ad Inflammationis & Doloris ſedationem admoveatur Cataplaſma: v. gr.

♃. *Farinæ Avenaceæ*, vulgò (*Haver-gort*,) ℥xij. *Pulv. Fol. Rutæ*, *Scordii*, *Flor. Sambuci an.* ʒvj. *Coctis in Cereviſia Tenui ad pultis conſiſtentiam add. Butiri rec.* ℥ij. *aut* ℥iij. *M. F. Cataplaſma.*

Dolore ſedato, morſuquè probè digeſto, vulneri imponatur Mundificativum. v. g.

♃. *Mellis* ℥ij. *Therebinthinæ* ℥j. *Theriaces*, *Farinæ Hordei an.* ʒv. *Pulv. Aloës*, *Myrrhæ*, *Ariſtoloch. Rot. an.* ʒj. *Croci gr.* xv. *Spir. Vini* ℥j. *Vitellum unius Ovi. M. S. A. pro Mundificativo.*

Deterſo tandem, & mundificato vulnere, carne id replendum, & cicatrice claudendum, ut aliàs fieri ſolet.

Sin Gangræna imminere videatur, pars affecta ſcarificanda, & porrò tractanda, ut *Lib.* 1. docuimus.

IV. Denique & peculiarem requirunt Curationem *Vulnera Venenata*; ſive Venenum globis, ſagittis, telis, aut quocunquè armorum genere, ſive animalium, ut canis vel lupi rabidi, vel alterius venenoſi morſu, ſive ictu ſcorpionis, aſpidis, vel aliûs venenati inſecti inferatur.

V. Hujuſmodi autem Venenata Vulnera ab aliis minus venenatis, haud ità difficulter dignoſcuntur. Si namquè ab animalibus Venenoſis inflicta ſint, ex Ægri relatione innoteſcunt. Verum à globulo plumbeo, vel telo, vel alio armorum genere ſi vulneratus ſit Patiens cognoſcitur id ex eo, quod in loco vulnerato ſenſus doloris & punctionis major ſit, partis vulneratæ color naturalis mutetur, & in lividum ac nigrum degeneret, moxquè ſymptomata præter rationem vulneris gravia ſequantur; viz. toto

toto in corpore nunc ardor, nunc obſtupeſcentia, & præcordiorum anguſtia, interdum & tremor ac lypothimia percipiatur. Quamprimum enim Venenum per venas & nervos receptum eſt, ſeſe in ſanguinem & ſpiritus diffundit, quibus infeſtum admodum eſt; unde gravia hæc excitantur ſymptomata. Quæ quidem Generalia Venenati Vulneris Signa ſunt; quibus tamen plurima alia pro Veneni cujuſquè natura accedunt Symptomata.

VI. Cæterum omne vulnus, quod venenato armorum genere, vel a venenoſo animali inflictum eſt, longè gravius & periculoſius eſt, quàm quod veneno caret, adeo ut vulnus etiam exiguum venenatum mortem adferre poſſit, cùm magna etiamnum vulnera aliàs ſanari queant.

VII. Quoad *Indicationes Curativas:* vulnus, quatenus vulnus, quomodo curandum ſit, nunc abundè expoſuimus. Sed ſi ſpectetur ut venenatum, danda opera ne altius in ſanguinem & ſpiritus penetret Venenum; dein ut ejus vis infringatur Alexipharmacis.

Primum ergò attendendum, an telum venenatum adhuc intra vulnus hæreat: omnis ſiquidem fruſtrà tentatur curatio, niſi id extrahatur; atquè ideo, ut manus operâ quamprimum eximatur, laborandum.

Deinceps Venenum ipſum extrahendum, & ad exteriora evocandum. In quem finem Veteres adhibebant *Suctiones* & qui id præſtabant *Pſylli* appellabantur, exiſtimabantque, eos proprietatem quandam habere Venenum Suctione extrahendi, eidemquè reſiſtendi; cum tamen id ſaltem audaciâ præſtarent. De hiſce Celſus *libr.* 5. *cap.* 27. ita ſcribit: „ Si ne id quidem eſt, homo adhibendus eſt, qui vulnus exugat. Nequè hercules „ ſcientiam præcipuam habent hi qui Pſylli nominan„ tur, ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Nam vene„ num ſerpentis, ut quædam etiam venatoria venena, „ quibus Galli præcipuè utuntur, non guſtu, ſed in „ vulnere nocent. Et *paulo poſt*: „ Ergò quiſquis e„ xemplum Pſylli ſecutus, id vulnus exuxerit, & ipſe „ tutus erit, & tutum hominem præſtabit. Illud, ne „ intereat, ante debebit attendere, ne quod in gin„ givis, palatove, aliavè parte oris ulcus habeat. Hic „ modus, Venenum è vulneribus & ictibus venenatis educendi, in India Orientali nunc etiamnum familiaris eſt, ut ſæpius mihi narravit Nob. ac Illuſtr. D. D. van Rheede tot Draakeſtein, oculatus teſtis; ubi hoc curationis genere multi victum & amictum ſibi quærunt: viz. ex ictibus, morſibuſvè ſerpentum, aut aliorum venenoſorum animalium venenum Suctione extrahendo; dum interim ore identidem colluto ac deterſo *Limonum Succo* ſeſe præmunire, ac tutos reddere norunt ad acrimoniam & malignitatem exucti veneni.

VIII. Alii Venenum è vulneribus venenatis, præſertim è morſibus ictibuſvè venenoſorum animalium, extrahunt *Cucurbitulis*, quæ eo potentius operantur, ſi profundiores adhibeantur Scarificationes. Amotis Cucurbitulis Gallinam vel Columbam vivam deplumato podice, vel per medium ſectam, vulneri imponunt.

Alii, ſi locus affectus nervoſus non ſit, in venenatis vulneribus, carnem undiquè exſcindunt, vel partem læſam abſcindunt. Et refert Galenus, vinitorem quendam, à Vipera morſum, confeſtim læſum digitum falce abſcidiſſe, atquè ità omne periculum evitaſſe, ac evaſiſſe.

IX. Abluere quoquè vulnus utile erit *Aceto acerrimo*, aut *Spitu Vini ſimplici*, vel *Camphorato*, aut *Aquâ contra Gangrænam*, aut *Spiritu Vini in quo Theriaca diſſoluta*.

Nonnulli, ſi vulnus non ſit in parte nervoſa, ceu efficaciſſimum remedium, laudant *Actuale Cauterium*, quod vi ignis & Venenum abſumere, & ne ad interiora penetret prohibere valet: atqui curandum, ut citò decidat cruſta; quod niſi fiat, ſcalpello ſeparanda, nec ulcus ſtatim conglutinandum, at diu apertum ſervandum, tandemque ſenſim curandum. Ipſi autem vulneri imponunt *Capam cum Sale*, vel *Allium Sylveſtre*, vel *Rutam cum Theriaca aut Stercore Columbino contuſam*, vel tale Emplaſtrum;

℞. *Caparum coctarum* ℥iij. *Theriaces* ℥ß. *Stercoris Caprilli* ℥j. *Pulv. Rad. Angelicæ* ʒiß. *Olei Scorpionum* ℥iß. *Mellis & Ceræ q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum aut Cataplaſma.*

Barbette ex Guidone proponit, & laudat hoc, quod ſequitur:

℞. *Gummi Galbani, Sagapœni, Opoponacis, Myrrhæ, Aſæ Fœtidæ, Piperis, Sulphuris an.* ʒvj. *Stercoris Columbini. Anatis an.* ℥j. *Mumiæ* ℥ß. *Pulv. Rad. Conſolid. maj.* ʒiij. *Olei Hypericonis q. ſ. M. F. S. A. Emplaſtrum.*

X. Interea dum hæc fiunt, & quidem ſtatim accepto vulnere, exhibenda ſunt Antidota, quæ Veneno reſiſtunt, idq; per latum cutis ſpiraculum, excitato ſudore, expellunt; qualia ſunt *Theriaca, Mithridatium, Diaſcordium, Confectio Hyacinthorum, Lapis Bezaar, Cornu Cervi, Antimonium Diaphoreticū, Bezoardicū Minerale, Unicornu, &c.* At Venæſectio, & Purgatio nocet ſūmoperè.

Atque hæc in genere ſufficiunt de Vulneribus Venenatis. In ſpecie de Morſu Canis Rabidi, & de variorum animalium venenoſorum, Viperæ puta, Scorpionis, Aranei, Apis, Muſcæ, &c. Morſibus, Ictibuſve agere, animus non eſt. De quibus videri poſſunt C. Celſus *libr.* 5. *cap.* 27. Sennertus *Prax. libr.* 1. *part.* 2. *cap.* 16. & *libr.* 6. *part.* 8. Hildanus *Cent.* 2. *Obſ.* 98. & plures alii.

Cap. 14. *De Vulneribus Sclopetorum.*

I. INſuper ad Contuſa Vulnera non ſine ratione referuntur *ea*, quæ *Sclopetis* infliguntur. Etenim Vulnus à Glande Sclopetorum factum non ſimplex eſt vulnus, ſive ſimplex continui ſolutio; ſed eſt vulnus cum contuſione, & laceratione plerumque muſculorum, vaſorum, partium nervoſarum, ac non rarò quoquè cum oſſium fractura conjunctum.

II. Igitur Vulnera Sclopetorum Globis inflicta differunt à Vulneribus Acuto Telo illatis, partium, quas Globus pertranſiit, contuſione & dilaceratione. Equidem differunt hujuſmodi vulnera inter ſe; quod alia magna ſint, alia parva; alia profunda, alia minus profunda; interdum globus ex ſclopeto emiſſus partem pertranſierit, interdum in parte adhuc hæreat; interdum ſolus globus in corpus penetraverit: interdum armaturam, vel alias res, per quas tranſiit, ſecum in corpus rapuerit.

III. Signa, quibus hæc vulnera in genere cognoſcuntur, tradere opus non eſt; cùm ſufficiat, cognitum habere, aliquem à globo è bombarda emiſſo vulneratum eſſe. Quæ autem partes vulneratæ ſint, vel ſtilo immiſſo explorandum, vel è partium ſitu, per Anatomen noto cognoſcendum.

IV. At Sclopetorum Vulnera, quoniam inſignem conjunctam habent contuſionem, ſunt longè periculoſiora, quàm ea, quæ Gladio aut Telo infliguntur. Atquè ideo ex quibus vulneribus Gladio illatis, multi ſanantur, puta ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, &c. ex iiſdem Sclopetorum Glande factis rarò quis convaleſcit. Sed quanquam hæc vulnera ſint periculoſiora vulneribus inſtrumento acuto inflictis; non tamen facilè Æger deſerendus, cum hîc natura ſæpè miracula faciat, & eos, qui ſepulturæ tradendi videbantur, convaluiſſe obſervatum ſit. Cujuſmodi hiſtoriæ paſſim notæ ſunt, ac ſingularem iſtiuſmodi Obſervationem & Curationem operibus ſuis quoquè ſubjicit Fabritius Hildanus *poſt Librum de Combuſtionibus pag. mihi* 935. *ad* 949. in qua multa lectu digna narrantur.

Cæterum quo plures partes & nobiliores ſunt vulneratæ, contuſæ, & dilaceratæ, ac in primis ſi oſſa ſimul fracta & comminuta ſint, eo vulnus eſt periculoſius, & curatu difficilius.

Impo-

V. Indicationes Curativas horum vulnerum quod ſpectat: eæ tres ſunt. Prima eſt, Globi, ſi adhuc parti vulneratæ inhæreat, Extractio. Secunda, contuſæ carnis in Pus mutatio. Tertia, quæ reliquis vulneribus communis eſt, ut vulnus carne impleatur, ac porrò cicatrice claudatur.

VI. Primum ergò quæcunquè extranea in vulnere fuerint, ut indumentorum fruſtula, globi, oſſium fragmenta ſeparata & pungentia, ac alia quæ conſervari nequeunt, ut ſanguis extravaſatus, caro contuſa ac lacera, pus, & ſimilia, ſi abſquè maximo dolore fieri poteſt, extrahenda; & hoc faciendum vel digitis, vel volſellis, aut tenaculis, aut forcipibus denticulatis ac roſtri inſtar aduncis, aliiſvè ſimilibus inſtrumentis, uti Cap. 5. latius expoſuimus.

VII. Deinde curetur, ut id quod contuſum eſt in Pus mutetur, & à carne ſana, partibuſque ſanis ſeparetur. Atqui cum contuſæ partes facilè putreſcant, & hinc gangrænæ periculum immineat, vulgata illa in aliis vulneribus Digeſtiva & Suppurantia hîc ſimpliciter locum non habent; præſertim ſi partes nervoſæ contuſæ ſint, quæ hujuſmodi humida & pinguia non tolerant, ſed ſicciora requirunt. Hinc in Sclopetorum Vulneribus à multis laudatur hoc *Oleum Catellorum*; cui mira vis eſt dolorem ſedandi, & ſuppurandi, ſi calidum vulneri inſtilletur.

℞. *Olei Violarum* vel *Liliorum Alborum* ℔iiij. *in eo coquantur Catelli duo nuper nati, ad oſſium diſſolutionem addendo interim, Lumbricorum terreſtr. in Vino lotor.* ℔j. *Coq. ſimul, & ſine forti expreſſione colentur. In colatura liquefiant, Therebinthinæ Venet.* ℥iij. *Spiritus Vini* ℥j. *Miſceantur.*

Utilia ſunt & hæc;

℞. *Olei Sem. Lini, Liliorum Alborum an.* ℥iij. *Unguenti Baſiliconis* ℥j. *Miſceantur.* A. *Therebinthinæ* ℥iiij. *Thuris, Maſtichis an.* ʒiij. *Myrrhæ* ʒj. *Olei Hypericonis* ℥ij. *Vitellos duorũ Ovorũ. Pulv. Croci* ℈i. *Miſceantur S. A.*

Barbette in Sclopetorum Vulneribus ſequens extollit:

℞. *Therebinthinæ, Galbani, Picis Liquidæ an.* ℥ij. *Maſtichis, Thuris, Nitri, Salis Armoniaci an.* ℥j. *Aluminis* ʒß. *Viridis Æris, Vitrioli Albi, Camphoræ, Pulv. Lumbricorum an.* ʒj. *Olei Lini, Roſarum an.* ℥ij. *Olei Lumbricorum, Therebinthinæ an.* ʒj. *M. F. S. A. Mundificativum.*

Interim hîc laudandum non videtur conſilium Jouberti, Quercetani, aliorumquè, qui Sclopetorum Vulneribus per aliquot primos dies imponi volunt *Mercurium Præcipitatum Rubrum cum Axungia Porci, aliavè Pinguedine mixtum.* Mercurius namquè Præcipitatus, præterquam quod contuſioni non proſit, parti vulneratę gangrænoſam conſtitutionem addet. Hinc aliquod ex propoſitis Digeſtivis potius uſurpetur; vel poſt tertiam, quartam, aut quintam deligationem; haud inutile erit hoc:

℞. *Therebinthinæ Venet.* ℥iiij. *Olei Roſarum* ℥j. *Mellis Roſacei* ℥iij. *Pulv. Myrrhæ, Aloës, Maſtichis, Ariſtoloch. Rot. an.* ʒiß. *Farinæ Hordei* ʒiij. *Vitellos duorum Ovorum. Fiat ex his S. A. Digeſtivum.*

Inſuper parti ſanæ dolorem ſedandum cogimur quandoquè imponere Anodynum Cataplaſma. v. g.

℞. *Herb. Malvæ, Althææ, Hyperici, Abſynthii, Flor. Camomillæ, Meliloti an.* Mß. *Coctis in Lacte Vaccino ad mollitiem, & minutim contuſis, add. Farinæ Althææ, Fabarum an.* ℥iß. *M. F. Cataplaſma.*

Circa applicationem verò medicamentorum & hoc monendum, nè turundæ ſint nimis craſſæ, ut ſaniei exitum prohibeant, & ſic inflammationem, aliaquè gravia inducant ſymptomata; vel ne nimis longæ ſint, ut pungant; vel duræ nimis, ut lacerent. Adhæc ſi globus totum membrum penetraverit, ut vulnus utraquè parte pateat, utriquè foramini turunda immittatur. In principio etiam una deligatio quovis die ſufficit: vulnera enim Sclopeto inflicta rarò ante diem tertium aut quartum pus exhibent: deinceps puris copia aut acrimonia ſatis ſemel, an bis, tervè de die deligatio ſit inſtituenda, determinabit.

VIII. Poſtquam abundè digeſtum eſt vulnus, atquè id quod contuſum eſt, maxima ex parte, in pus mutatum, vulnus abſtergendum, carne implendum, ac cicatrice claudendum. Et quidem ubi vulnus purum fuerit, neceſſaria omninò eſt carnis generatio; cùm contuſa caro in pus mutetur, & vulnus omninò cavum fiat.

Ad Abſtergentia verò quòd attinet; Ea mitiora vel fortiora eſſe debent, prout major vel minor Puris copia adeſt, & vulnus vel purius vel ſordidius eſt; quem in finem conducunt *Unguentum Aureum, Apoſtolorum*, & alia in ſuperioribus propoſita. Quædam autem Vulnerum Sclopetorum Globis inflictorum exempla, lectu digna, videri poſſunt apud Scultetum *poſt Armament. Chirurg. Obſer.* 27. 53. 58. 94.

IX. Sed in Sclopetorum Vulneribus non rarò contingit, ut *Facies Pulvere Pyrio comburatur, & nigris maculis inficiatur.* Et quidem, exploſâ bombardâ, duobus modis per pulverem pyrium Facies læditur, atquè aduritur: nimirum, aut à pulveris flamma, ſi prope hominem accendatur, vultumque contingat; aut citrà flammam ab ipſo pulvere, qui dum in Faciem è ſclopeto proſpergitur, cutem per vim trajicit, nigraſque maculas ac vibices producit, ut adeò fœdum in modum Facies deformetur: ſi namque grana hujus pulveris integra profundè cuti inhæreant, & non eximantur, maculas iſtiuſmodi pariunt nigricantes & lividas.

X. Quum igitur Facies à pulveris pyrii flammâ aduratur, nihilque pulveris cutem trajecerit, omnes jam factæ veſiculæ forfice ſunt incidendæ, ut acris humor effluat. Sed cum tali in caſu Oculi plerumquè afficiantur, pluriumque interſit Oculorum, ſumma Viſui conſervando adhibenda eſt diligentia: quare ſępius *Lac Muliebre, vel Vaccinum recens ac tepidum* Oculis inſtilletur, eoque linteamina duplicata vel triplicata imbuentur, Oculiſque imponantur. Loco lactis recentis ac tepidi, Oculis inſtillari & admoveri poteſt *Aqua Roſacea, in qua tantillum Seminis Cydoniorum & Fœnigræci maceratum eſt.* Dolor verò ſi admodum vehemens ſit, imponatur inter duo linteamina hoc, vel ſimile Cataplaſma:

℞. *Pulpæ Pomorum Acidul. repurg.* ℥iiij. *Coq. in ſ. q. Aquæ Roſarum & Fœniculi, dein conter. & add. Mucilag. Sem. Fœnigræci* ℥iß. *Lapid. Hæmatitid. præp.* ʒiß. *Albumen unius Ovi. Fiat ex his S. A. Cataplaſma.*

Partibus verò Faciei ambuſtis admoveatur Unguentum dolorem leniens, cutem combuſtione induratam emolliens, ac cicatrices impediens. Quem in finem Hildanus *in Tract. de Sclopetaria Curatione cap.* 34 hoc commendat.

℞. *Gummi Elemi puriſſimi* ʒj. *Olei Ovorum, Amygdalar. Dulc. Ping. Urſinæ, Humanæ an.* ℥ß. *Mucilag. Sem. Cydonior. in Aq. Roſ. extract.* ʒij. *M. S. A. pro Linimento, quo tota Facies illinatur.*

Scultetus *poſt Armament. Chirurg. Obſerv.* 33. ſequens valde laudat:

℞. *Butyri rec. ſæpius liquefacti, & in Aq. Sperniolæ loti* ℥iij. *Olei è Vitellis Ovor.* ℥j. *Miſceantur pro Linimento.*

XI. Si verò pulvis ſclopetarius cuti infixus fuerit, is confeſtim acu, aliovè acuminato inſtrumento, quantum fieri poterit eximendus; quodquè hoc modo auferri nequeat, id ſpongiâ Aquâ calidâ imbutâ eluendum, neque deſiſtendum, niſi omni omninò pulvere exterſo; dein Facies aliquo ex ſupraſcriptis Linimentis inungenda. At vehemens ſi urgeat dolor, linteum *Aquâ Roſaceâ & Plantaginis, in qua tantillum Seminis Cydoniorum & Fœnigræci ſit maceratum*, imbutum calidè prius imponendum.

Nitratus item Pulvis Oculis inſperſus diligenter quoquè parvâ ſpongiâ Lacte calido madefactâ eluendus; dein

dein acquieſcendum, omnique alio, vel aciculæ, vel cæterorum inſtrumentorum uſu, cui extra oculos locus eſt, ſuperſedendum, ne patiens de viſus, vel Cheirurgus de exiſtimationis diſcrimine laboret. Etenim pulvis hic ſi Pupillæ fuerit infixus, Vulneratus de viſu ut plurimum periclitatur.

Cap. 15. *De Partium Compoſitarum Vulneribus.*

& 1. *De Vulneribus Capitis.*

I. VUlnerari poteſt *caput* pluribus modis: vel enim tantum Cutis afficitur; vel Cutis & Pericranium; vel cum his etiam Cranium, &c.

Vulnera quæ ſunt in Cranio, vel totum Cranium penetrant, vel non: quæ penetrant, vel ſunt cum Craſſæ Menyngis læſione, vel ſine ea: ſi læditur Craſſa Menynx, Ea vel ſola vulneratur, vel ſimul cum Tenui Menynge, nonnunquam & incluſo quoquè Cerebro.

II. Species verò Solutæ Unitatis, quæ in Cute & Pericranio fieri poſſunt, ſunt *Inciſio*, *Punctio*, *Contuſio.* At in Cranio quinquè recenſeri ſolent; viz. *Fiſſura, Contuſio, Depreſſio, Sedes Teli, & Contrafiſſura.*

III. *Fiſſura* ſeu *Rima* eſt *diviſio quædam continui in Cranio tenuis & ſubtilis, quæ utplurimum habet circumpoſitum os colliſum & contuſum.* Accidit autem Fiſſura, cum ab inſtrumento gravi ac contundente, ut lapide, ligno, caſu ab alto, & in rem duram impulſu, Cranium ita læditur, ut vaſis teſtacei in modum findatur, ſeu rimam contrahat. Et ſemper quidem à re gravi & contundente Rima provenit; nonnunquam tamen ſimul ab incidente & acuta, ut gladio acuto ſimul & gravi. Atqui ex Fiſſuris aliæ utramquè cranii laminam non penetrant, aliæ totum cranium penetrant; ubi ſcilicet utraquè lamina ad craſſam uſquè menyngem finditur: cui Fiſſuræ interdum & hoc accidit, quod menynx ab interna calvaria ſeparatur, unde vaſa divulſa ſanguinem effundunt, qui ſub cranio collectus, niſi via ipſi ad exitum patefiat, Ægrotanti extremum diem adfert. Vel ubi utraquè cranii lamina ad menyngem uſquè finditur, non rarò cranii fruſtula abſcedunt, quæ menyngem comprimunt, pungunt, & variis modis afficiunt, unde gravia, imo lethalia ſuccedunt accidentia. Equidem externa cranii tabula finditur quandoquè, illęſâ internâ. Vel interna Rimam ſeu Fiſſuram contrahit, tabulâ externâ manente integrâ, cujus rei exempla citant Fallopius *in libr. Hippocr. de Vulner. Capitis cap.* 13. Scultetus *poſt Armament. Chirurg. Obſ.* 14. Tulpius *Obſ. Med. libr.* 1. *cap.* 2. Atquè in interna hac cranii lamina, externâ remanente integrâ, Fiſſura oriri poteſt, quando exterior lamina tantum contunditur in ſe ipſam cedendo, inferior verò lamina cùm duriſſima ſit, cùmquè propter ſummam ejus duritiem in ſe cedere non poſſit, Rimam contrahit.

IV. Secunda ſolutæ unitatis in Cranio ſpcies eſt *Contuſio* ſeu *Colliſio*, cum ſine rima & fiſſura, ab irruente & illiſo extrinſecus violenter, aut obſtante aliquo duro & obtuſo corpore, os itá contunditur, ut, etſi externa ejus facies ad ſenſum permaneat integra: in profundo tamen ſit continui ſolutio, dum intus deprimitur, & in ſe cogitur Cranium; ut idem ferè ei contingat, quod carnibus, dum à re dura & gravi læduntur, accidere ſolet.

V. Tertia differentia eſt *Depreſſio* ſeu *Introceſſio*, cum finditur Cranium, ſed non, ut in ſimplici fiſſura, in ſuo loco manet; verum intrò cedit: id quod fit ex validis obtuſorum telorum, lapidum, fuſtium ictibus, vel capitis ex lapſu ad rem duram obtuſam vehementiore alliſione. Equidem deprimitur interdum Cranium ſine rima & fiſſura, quod in puerorum capitibus, quorum oſſa ſunt molliora, ferè accidit. In adultis verò Rimam introcedendo plerumquè contrahit: quorum enim oſſa ſunt duriora, in iis vix deprimi poteſt Cranium, quin ſimul frangatur.

VI. Quarta eſt *Sedes, Seſſio, Veſtigium,* cum à Telo Acuto Cranium læditur, ita ut aciei Teli impreſſum veſtigium, & ſedes, qua parte Telum inſedit, manifeſtè appareat.

VII. Quinta & Ultima ſolutæ unitatis in Cranio Differentia vulgò cenſetur *Contrafiſſura*, qua findi Cranium dicitur in parte oppoſita illi, in qua ictus fit. Hanc Hippocrates videtur deſcribere *lib. de Vulneribus Capitis*; cum ſic ait: „ os ſub vulnere „ frangitur alia capitis parte, quàm qua vulnus eſt, & „ os nudatum eſt. Atquè ex hoc Hippocratis loco plurimi de hac Fiſſuræ ſpecie non dubitarunt: eamquè Nic. Fontanus *annot. in cap.* 1. *Epitom. Veſalii*, etiam confirmare nititur exemplo pueri, qui è muro quindecim pedes alto ceciderat, in quo Fractura cum multis Fiſſuris mox deprehenſa fuit circa Muſculum Temporalem; ſed ſecto poſt mortem Cranio, adhuc duæ aliæ Contrafiſſuræ in latere oppoſito repertę ſunt. Equidem haſce Contrafiſſuras Fallopius *de Vulneribus Capitis*, *cap.* 13. Galenus, Paulus Ægineta, & plures alii ſtrenuè negant: quibus & nos calculum noſtrum addimus. Enimvero Fiſſura in Cranio contingens ſe non extendit ulterius, quàm per unum os, & ad proximam ſuturam ſiſtitur.

Quantum ad citata Hippocratis verba: ille non loquitur ibi de Contrafiſſura, ſed docet, interdum pus ſub cranio alia parte colligi, quam quæ os fractum eſt: aut ſaltem non dicit in parte oppoſita ſemper Cranium frangi, ſed alio loco, quam quo vulnus eſt, oſquè nudatum fuit; & addit, non ſcire poſſe Medicum, ubinam malum hæreat, & quanam parte vulneratus ſit Æger: cum tamen facilè id ſciri poſſet, ſi in contraria parte ſemper læſio eſſet.

VIII. *Diagnoſtica Vulnerum Capitis Signa* quod ſpectat: Ea quæ partibus Cranio ſuperpoſitis accidunt, & *Cutis*, *Carniſque Vulnera* dicuntur, vel ipſo intuitu, vel ſaltem ſpecilli indagine patefiunt. At *Pericranium* ſi ſimul vulneretur, graviora accedunt ſymptomata, præſertim quum incautè de Barbitonſore pinguia admoveantur medicamenta; qualia ſunt dolor vehemens, capitis totius inflammatio, febris continua, ſopor, &c. Cæterarum verò partium læſiones non ità facilè innoteſcunt; eæquè petuntur primum ab affectis ſeu ſymptomatibus, quæ plagæ ſupervenire ſtatim ſolent. Ipſa Calvaria cùm oſſea planè ſit, ſenſuſquè per ſe expers, neque dolorem, neque aliud grave ſymptoma excitare poteſt; ſed tantum ex Menyngum & Cerebri compreſſione; punctura, lancinatione, mala accidentia oboriri ſolent: de quibus C. Celſus *libr.* 8. *cap.* „ 4. pertuſâ calvariâ, protinus requirendum eſt, num bi„ lem is homo vomuerit, num oculi ejus obcæcati „ ſint, num obmutuerit, num per nares aureſvè ſan„ guis ei effluxerit, num conciderit, num ſine ſenſu „ quaſi dormiens jacuerit? Hæc enim non, niſi oſſe fracto, eveniunt. Quibus addi poteſt oculorum rubedo, vertigo tenebricoſa. Augetur ſuſpicio, ſi Æger in percuſſionis actu ſtridorem quaſi fracti oſſis perceperit. De his etiam loquitur Hippocrates *Sect.* 6. *Aphor.* 50. *Sect.* 7. *Aphor.* 14. 24. 58.

Verum Signa hæç etſi propria, equidem inſeparabilia ſemper non ſunt: atquè accidere poteſt, ut fracto etiamnum Cranio nihil iſtorum appareat; ſi ſcilicet fractura ſit parva, & caput robuſtum. Teſtatur quoquè Paręus, ex enumeratorum ſignorum abſentia non uſquè adeò firmiter illęſam eſſe calvariã pronunciari poſſe, dum multis Cranium fractum fuiſſe fatetur, quibus nihil tale ab ictu ſupervenerit. Memorabile exemplum narratur ab Hildano *Cent.* 5. *Obſerv.* 24. de ruſtico in capite vulnerato, cum fractura cranii, & læſione atquè effluxu cerebri ſubſtantiæ; in quo viro nihil planè illorum ſigno-

ſignorum, quæ auctores requirunt, apparuit, toto morbi decurſu, præter ſymptomaticâ febriculâ, quæ brevi ceſſavit.

Equidem horum ſymptomatum quædam ut plurimum ſtatim invadunt; viz. ſubitus in terram lapſus, vertigo, oculorum caligo, vomitus bilioſus, ſanguinis è naribus, auribuſvè, aut ore fluxus, aphonia; quędam poſtmodum ſuperveniunt, aut convulſio, febris, delirium, ſopor, paralyſis.

IX. Adhæc Signa quoquè deſumenda ſunt ab omnibus iis, quæ ad contuſionem efficiendam concurrunt. Percunctandum igitur, num facta ſit percuſſio lapide, ligno, aut ferro, & num levi vel ponderoſo, aſpero vel leni, vehementer aut leviter, num Patiens ſit juvenis vel ſenex robuſtus vel debilis, num habuerit caput ſanum, an malè diſpoſitum, &c.

X. Veruntamen ipſe Senſus, fideliſſimus teſtis, Fracturas detegit, & hîc Hippocrates jubet, ut Medicus, priuſquam aliquid tentetur, quo Ægrum & adſtantes ſibi confidentiores reddat, primò capillos conſideret. Si enim hi Telo ſunt diſſecti, & ipſo in vulnere continentur, oſſis denudati & læſi ſignum id eſſe docet. At certior explorandi modus eſt, qui fit per ſpecillum.

C. Celſus ſpecillo contentus non eſt, & licet nec minima Rima appareat; tamen ſi ex Teli vel Ictus conditione, & ſupervenientibus ſymptomatibus de Cranii Fractura ſuſpicio ſit, oſſi atramentum ſcriptorium inducere jubet & poſtea os radere. Quod enim fiſſum eſt, quia nigrum colorem in ſe recepit, nigrum manet, reliquum verò raſurâ album fit, & naturalem colorem acquirit. Atquè repertam hoc modo Fiſſuram porrò radere ſecundum profunditatem oportet: ſi enim raſione omnis nigredo eximatur, indicio eſt Fiſſuram minorem eſſe; ſin deleri nequeat, profundius penetrat.

Quidam pręter hæc ſigna, etiam his utuntur: ſumunt *Thuris*, *Ceræ*, *Ladani an.* ℥ij. *Therebinthinæ*, *Aceti*, *Farinæ Fabarum an.* ℥j. Hæc mixta imponunt capiti deraſo, in loco contuſo, & ſequenti die auferunt: ſicquè medicamentum in una parte magis quam in alia ſiccarum appareat; ibi os fractum ſubeſſe dicunt.

Alii volunt, ut Patiens in una extremitate filū dentib⁹ apprehendat, in altero extremo manu teneat, idq; baculo vel digito percutiatur: hinc ſi Æger in aliqua capitis parte dolorem ſentiat, ibi os fractum eſſe putant.

Nonnulli ſuadent, ut Æger dentibus amygdalum vel nucem frangat, & ubi dolor ſentitur, ibi os fractum cenſent. Sed incerta eſſe ultima hæc ſigna, exemplo docet Sculterus *poſt. Armament. Chir. Obſ.* 19. Scribit quoquè Paræus, etſi utrumquè ſæpius tentaverit, horum tamen ſignorum veritatem experientiâ non potuiſſe comprobare.

Inſuper Calvaria interdum non frangitur in loco contuſo, ſed in parte vicina; & talis Fractura in principio cognoſci non poteſt, verum in progreſſu ex accidentibus, ut ſunt bilis vomitus, vertigo, obcæcatio, &c. demum conſtat. Hiſce enim præſentibus, ſi in loco, ubi cutis diſciſſa eſt, Fractura non appareat, alia in parte conſiderandum, num locus ſit mollis, num tumeat, num doleat: hæc ubi apparuerint, cutis protinus incidenda, ſub qua os fractum non rarò reperitur.

XI. Quoad *Prognoſin*: quæ vulnera etſi per ſe periculoſa non ſint, præcipuè cuti & panniculo carnoſo inflicta, nemoque ex iis, ſi rectè tractentur, moriatur; tamen nec illud male dicitur, *nullum Capitis Vulnus contemnendum eſſe*, quod monuit Hippocrates, *in proœmio libr. de Vulner. Capitis.* Atque ideò in iis curandis, quam in aliarum partium cutaneis, & non profundis vulneribus, plus diligentiæ adhibendum; cum, ſi quid negligatur, magnum ſæpè accerſatur periculum.

XII. Si Cranium quocunquè modo læſum ſit, periculo non vacat, nec vulnus contemni debet; etiam ubi omnia bene ſe habere videntur: ſcribitque Paræus, & à veteribus proditum, & experientiâ confirmatum eſſe, in Cranii Fractura neminem extra periculum poſitum cenſeri debere, niſi poſt centeſimum diem. Minus tamen periculi eſt, ſi externa ſaltem tabula læſa ſit; & minus adhuc, ſi inciſa ſolum: contuſio verò majus conjunctum habet periculum.

Si verò utraquè lamina diviſa ſit, totaquè aperta calvaria, majus adeſt periculum: minus, ſi ſit Sedes Teli, aut lata & ampla Fiſſura: majus, ſi Fiſſura ſit anguſta: adhuc majus, ſi ſit Contuſio & Rima ſimul; ac imprimis ſi Rima illa ſit anguſta: maximum periculum eſt, ſi Rima ſit in alia parte ab ea, quæ ictum excepit.

Augetur periculum, ſi præter Cranium & Craſſa Menynx, ac præſertim ſi ſimul Tenuis Menynx, & ipſum Cerebrum læſa ſunt: & quo vulnus profundius penetrat, eo periculoſius eſt.

Inſuper & hîc conſideranda ſunt aëris ambientis, regionis, ipſius vulneris conditio, aliaque accidentia. Atque hinc æſtate capitis vulnera ſunt periculoſiora; ob imminentis inflammationis metum: hyeme quidem etiam ob frigus: quod tamen aëre igne temperato facilè evitari poteſt. Etiam in humida regione capite vulnerati plus periclitantur, quam in ſicca.

XIII. Cæterum in occultis Rimis & Contuſionibus ſummè periculoſum, ſi inter duas cranii tabulas diploë compreſſa ſit, ſanguiniſquè aliquid effundat; qui eo loci putreſcens oſſis corruptionem adfert; ut interdum non ſolum aliquot poſt acceptum ictum hebdomadibus, ſed & menſibus, nihil mali ſuſpicans Æger moriatur; cujus rei notabile exemplum habet Petrus Pavius *in comment. ad Hipp. de Vulner. Capit.* de quodam, poculo ſtanneo in capite percuſſo, in quo nulla fiſſura deprehenſa fuit; & vulnere conſolidato Æger benè ſe habere putans, poſt decimum menſem inter deambulandum vertigine correptus concidit, neque diu poſt obiit. Aperto Cranio deprehenſum eſt, os in loco ictus planè corruptum fuiſſe: & Menyngem in conſenſum traxiſſe. Haud abſimilem hiſtoriam refert Scultetus *poſt Armament. Chirurg. Obſ.* 7. cujuſdam ruſtici, qui ab aliis pugnis exceptus, validè in nudo capite percuſſus fuit, crebroſque ac vehementes ictus ſuſtinuit; quod tamen magni non æſtimavit; & per aliquot dies conſueta munia obiit; quamvis dolores non parvos ex percuſſione ſenſerit. Quid fit? ingraveſcentibus poſtmodum ſymptomatibus, ruſticus hic centeſimo demum die, ob intermiſſum trepani uſum ivit unde redire negant quenquam.

XIV. Porrò vulnera in media capitis parte periculoſiſſima cenſentur; in occipitio contrà ſeſe res habet; in parte anteriore, *hoc eſt*, in fronte medio modo ſe habent. Item quæ ad Suturas fiunt plagę ſunt periculoſæ, cum propter Cranii eo loci imbecillitatem, tum propter Craſſam Menyngem, quæ fibris ibi annectitur.

XV. Igitur Capitis Vulnerum Differentiis, Diagnoſticis, & Prognoſticis abundè expoſitis, ordo nos ducit ad eorundem Curationem, tum generalem, tum ſpecialem. Enimverò varia & diverſimoda quum ſint capitis vulnera, diverſæ quoquè erunt illorum Curationes; quas ſingulatim deſcribere oportet, initium ducendo à *Simplici Capitis Contuſione*. Eſt autem *Contuſio* interna alicujus partis ſolutio continui, & colliſio; cute plerumquè manente integrâ, quæ fit à re gravi, dura, & obtuſa; quam ſequitur ἐκχύμωσις & ἐκχύμωμα, *ſanguinis* ſcilicet *ſub cutem effuſio*. Hæc in Capite fit, cum vel fuſte, vel aliâ re obtusâ id percutitur, vel ex caſu rei duræ ac non acutæ allidirur, &c; cute plerumquè integrâ, exigua ſubcutanea vaſcula aperiuntur, ſanguiſquè ex iis effunditur; unde *Tumor mollis, lividus abſquè magno dolore* excitatur. Qui ſi ritè tractetur, omni vacat periculo. At ſi vel *Pericranium* vel *Cranium* afficiatur, vel ſi *Muſculi Temporales* contundatur, non rarò gravia, imò & lethalia quandoquè ſuccedunt ſymptomata, puta delirium, paralyſis, convul-

ſio, &c. qualia exempla habet Glandorpius *in Spec. Chirur. cap.* 10. 11. 12.

XVI. Ut autem *Curetur Simplex Capitis Contuſio*, humorum affluxus eſt prohibendus, dolor ſi adſit mitigandus, & ſanguis ſub cutem effuſus evacuandus. Eum in finem nonnulli Repellentia & Adſtringentia adhibere ſolent, locumque affectum *Oleo Roſaceo* inungunt; deinde *Ovi Albumen benè conquaſſatum, vel ſolum, vel Aquâ & Aceto Roſarum mixtum, & ſtupâ exceptum* imponunt, & iſtiuſmodi plura applicant. Sed ut ut fatear, non video quo jure talia prodeſſe poſſunt; quandoquidem poros obſtruendo, hinc exhalationem impediendo, humorem extravaſatum in parte affecta detinent magis, quapropter Diſcutientia & Reſolventia, ſimulque partem affectam Roborantia potius uſurpentur. Et quidē, ſi Contuſio magna ſit, calidè admoveatur hoc, vel ſimile Fomentū, ac identidem renovetur:

℞. *Fol. Betonicæ* Mij. *Roſmarini, Majoranæ, Menthæ, Rutæ*; *Flor. Anethi, Camomillæ an.* Mj. *Roſar. Rubr. Stæchad. Arab. an.* Mß. *Bacc. Lauri, Juniperi an.* ℥ß. *Sem. Cumini* ʒiij. *Vini Gallici* ℔iiij. *Coq. S. A. in Diplomate, pro Fomento.*

Foreſtus *Lib.* 9. *Obſ.* 32. laudat Cataplaſma Helidei, quod mirū in modū humiditatē in contuſionib⁹ diſcutere ait;

℞. *Herb. Abſynthii, Betonicæ, Flor. Camomillæ, Roſar. Rubr. an.* Mj. *Coctis ad mollitiem, & dein contuſis, add. Farinæ Fabarum* ℥iij. *Olei Roſacei, Vini Nigri ſtiptici an. q. ſ. M. F. S. A. Cataplaſma.*

Jacobus à Roonhuyſen ad omnes capitis contuſiones hoc ſuum Emplaſtrum admodum extollit:

℞. *Ceræ Flavæ, Emplaſtri Diachalciteos an.* ℔ß. *Olei Myrtillorum, Roſarum an.* ℥iij. *Laurini* ℥ij. *Pulv. Myrtillorum* ʒij. *Sem. Cumini* ʒvj. *Fiat ex hiſce Emplaſtrum.*

Si Contuſio nimis magna non ſit, mox ab ictu locus affectus inungatur *Oleo Ceræ*, ac imponatur *Emplaſtrum è Cumino*, aut *de Spermate Cœti*, vel, ſi affluxus humorum metuitur, *Emplaſtrum Defenſivum*. Et ſanè hoc modo Contuſiones ingentes, quæ pueris ex caſu contingunt, non rarò ſanantur. Loco olei ceræ utitur nonnunquam Foreſtus *Oleo Aniſi*.

XVII. Si verò ob ſanguinis extrà vaſcula effuſi copiam, in totum diſcuti nequeat, & ſuppuratio impediri non poſſit, tumor ſtatim incidendus, & contentus intus humor educendus, ne pericranium eique ſubjectū cranium corrumpat; uti obſervavit Scultetus *poſt Armam. Chir. Obſ.* 16. in puero, qui ex capitis contuſione, tribus menſibus, inſtante novilunio, convulſionibus vexatus fuit: à quibus tamen, capitis ſectione ad cranium uſq; factâ, & evacuatâ materia ibidem hærente, nec non cranio nigro ac aſpero debitè deraſo, curatus fuit. Sed & magna Capitis Contuſio in prima curatione non rarò aperiri debet, cum ſubjectum Cranium nonnunquā fractum ſit, ejuſque fragmenta Craſſam Menyngē vellicent, atque ideò eximenda; cujus rei notatu dignum deſcribit exemplum Jobus Meekeranus *Obſerv. Chirurg. cap.* 1.

XVIII. At verò vulneratur quandoque Caput ſimpliciter, *hoc eſt*, cranio manente integro: viz. *ubi ſolummodo cutis, panniculus carnoſus, muſculi, nonnunquam, & pericranium læditur.* Quò in caſu indagandum, quouſque tale vulnus penetret. Si namque ſola Cutis ſi læſa, nulla alia Curandi ratio eſt, quam quæ cæteris cutaneis debetur vulneribus. Nimirum ſanguis, ſi vehementer fluat, ſiſtendus; capilli circa vulnus abradendi, & vulneris labia unienda, unitaque ſervanda aut ſutura aut potius medicamento agglutinante. Reliqua autem capitis vulnera, quæ ſunt cum Pericranii læſione, totò non conſuuntur, nec agglutinantur; ſed per carnis generationem curari debent.

XIX. Cum igitur primâ læſionis horâ ad Vulneratum, ex ſola Pericranii inciſione, vocatus fuerit Medicus, vulnus ſtatim carpiâ ſiccâ impleatur, quo ſanguinis fluxus comprimatur, ac disjuncta teneantur vulneris labia; capiti verò mappis laneis imponatur Fomentum in Contuſionis Curatione propoſitum;

Vel,

℞. *Herb. Betonicæ* Mij. *Roſmarini, Majoranæ, Menthæ an.* Mj. *Flor. Camomillæ, Stæchad. Arab. an.* Mß. *Bacc. Juniperi* ℥ß. *Vini Albi* ℔iij. *Coq. S. A. in Diplomate, pro Fomento.*

Altero die, ſanguine cohibito, capilliſque in ambitu deraſis, vulneri imponantur petiæ Digeſtivo *ex Therebinthina, Ovi Vitello, ac Mellis Roſacei & Spiritus Vini tantillo*, illitæ, deſuper applicandum *Emplaſtrum Diapalma*, vel ſimile, & ſuperponendum Fomentum: atquè ita pergendum, donec Pus appareat bonum; quod eſt album, & non fœtidum. Quo apparente, pro vulneris mundificatione Digeſtivo aliquod *Detergens* admiſceatur, donec omninò deterſum ac mundatum fuerit, tuncquè carnis generationi ſtudeat Cheirurgus, quapropter Unguentum Baſilicon, Balſamum Peruvianum, ſimilevè Sarcoticum, filamentis aridis inductum, apponat, deſuper Emplaſtrum, deinde Fomentum, convenientemquè faſciam. Atquè hiſce utendum ad perfectam uſque carnis generationem; hinc vulnus cicatrice obducendum.

Hiſtoria vulneris, in quo capitis cutis ad Pericranium uſque divulſa erat, ſic ut tota ab occipitis initio in frontem & faciem dependeret, curati habetur apud Paræum *libr.* 10. *cap.* 15. Haud abſimile exemplum citat Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 16. pueri ſeptē annorum, cui capitis cutis urſi unguibus cum Pericranio, ad ſuturam uſque lambdoidalem diſcerpta erat, ſuccreſcente in ejus locum alio tegmine, priori analogo, cum capillis.

XX. Quod ſi detectum ſit Cranium, atquè ab aëre ambiente vel alteretur tantum, vel etiam nigreſcat undique tunc abradendum vel ad coloris mutationem, vel donec ſanguis ex eo dimanet: oſſi verò deraſo *Sicca carpia* imponenda, ac vulnus porrò, ut artis eſt, tractandum.

At Cutis & Pericranii vulnus ſi ſit cum Contuſione, & valdè anguſtum, inciſione dilatandum eſt; ſique poſt vulneris dilatationem Inſtrumenti Sedes in Cranio appareat, Scalpris abradatur.

XXI. Sed quum vulneratur Cranium ipſum; vel læditur ab inſtrumento incidente aut perforante, idque fieri non poteſt, niſi cum vulnere ipſius cutis; vel ab inſtrumento contundente, & hoc fieri ſolet aliquandò ſine cutis vulnere, nonnunquam cum ejus apertione. Prætereà Fractura ſeu Rima vel totum apprehendit, frangitquè Cranium, vel deſinit in aliqua Cranii parte.

XXII. Si igitur Medicus ad curandum vulnus capitis, cum denudatione Cranii fuerit vocatus, quamprimum capillos abradat, & oſſis ſtatum vel ſtilo exploratorio, vel oculis, vel utriſque ſimul quam diligentiſſimè perquirat; ſiquè Fracturam vel Rimam invenerit, aut ex antecedentibus & præſentibus ſymptomatibus fracturæ ſuſpicionem habuerit, aut ſaltem de fractura dubitaverit, vulnus ſtatim in formam crucis aut trianguli dilatet, ut denudatum Cranium neceſſarias manuum operationes per Scalpra aut Terebram admittere poſſit.

XXIII. Vulnere ſatis dilatato, Cheirurgus quam primum ejus labia & ipſum Pericranium, vel obtuſo aliquo inſtrumento, vel unguibus à Cranio ſeparet, ſuper os filamenta arida ponat, ac reliquum vulnus carpiâ ſiccâ impleat; non ſolum ut ſanguinis fluxus ſiſtatur; verum etiam ne vulnus concidat, utquè in proximum diem abundè pateat. Atqui Rima, ſi tunc appareat, Scalptis Cranium abradendum, donec Rima ſi penitus deleta ſit, oſquè ſub ea album & ſanum appareat; quod certiſſimum ſignum eſt, Rimam non penetraſſe.

Oſſi deraſo, filamenta arida ſunt imponenda, labiiſquè Digeſtivum, vel Sarcoticum aliquod Unguentum;

tum, deſuper Fomentum, & conveniens Faſcia.

XXIV. Quod ſi Medicus, dum ſic Scalpris operatur inveniat Rimam Cranii utramquè laminam penetrare, eamquè gravia comitentur Symptomata, quæ collectam inter Cranium & Craſſam Menyngem materiam arguunt, remotis ſcalpris, mox Trepano Cranium eſt perforandum, juxta Hippocratem *text.* 2. *de Vulner. Capit.* „ poſtquam ſcalpro os deraſeris, ſi tibi „ exigere ſectionem videtur, ſecare debes, neque „ pati, ut res tertium diem excedat, priuſquam ſeces, ſed intrà id ſpatium ſecabis. Ab initio enim neglectâ perforatione, propter compreſſionem, aut punctionem Menyngum ab oſſiculis factam, augetur dolor, & membranæ inflammatione corripiuntur: hinc febris, delirium, vomitus, ſpaſmus, paralyſis, aliaquè accidentia, imò & mors ipſa, celerrimè ſupervenire conſuevere Hildanus *Cent.* 4. *Obſ.* 4.

Nonnulla circa Capitis Vulnera, cum Cranii Fractura obſervanda, magni momenti, & notatu dignisſima, habet Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 15. ubi inter cætera docet, ſi Rima, vel Sedes Inſtrumenti deſcenderit ad Diploën, omninò deveniendum eſſe ad Terebrationem, nullo licet alio præſente ſymptomate. Quod idem affirmat Scultetus *Obſer.* 2.

XXV. Sin plaga in Sutura cōtigerit, quæritur, *an Cranium in ipſa Sutura liceat perforare*? Hildanus negat, atq; varias pro ſua ſententia adfert rationes *in Epiſtola à Joh. Fredr. Werdenburgio M.D. poſt Obſ.* 8. *Cent.* 2. inſerta. Joh. Baptiſta Corteſius *comm. in Hipp. de Vulner. Capit.* inquit: „ caſu ità expoſtulante verendum non „ eſt, ad perforationem ſupra Suturam devenire: ma„ jus enim incommodum accidit Vulneratis ex dilatatio„ ne atquè ſectione cutis, & Pericranii à ſubjecto oſ„ ſe ſeparatione, quam ex operatione in ſuturarum regio„ ne. Huic adſtipulatur Jacobus Berengarius *de Cranii Fractura cap.* 36. ubi teſtatur, ſe aliquoties operationem hanc feciſſe, eique ex voto ſemper ſucceſſiſſe. „ Nec eſt (porrò inquit) tam grande periculum in „ commiſſuris operari, ſicut aliqui dicunt: videmus e„ nim cauteria fieri in commiſſuris: & tamen nullum ſequitur nocumentum.

E contrario Cæſar Magatus *de rara Vulner. Medicat. Lib.* 2. *Cap.* 33. ait: „ ſi Rima ad Suturas facta fuerit, „ os perforare oportet utraque ex parte ſuturæ, in ſutu„ ra verò fugienda eſt terebratio, ſicut & abraſio, Fallopius quoq; *in Hipp. de Vulner. Capit. cap.* 19. vult, ut prope ſuturas Craniū trepano perforetur, non in ſuturis.

Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 16. non tantum vult ab hac perforatione ſupra ſuturas cavendum eſſe, ſed etiam juxta ipſas, utpote perniciosâ. Quinimo ſi vulnus fuerit inflictum ſupra ſuturas, cum levi earundē labe, lethale plerumquè eſſe ait.

Joh. de Vigo *Pract. part.* 2. *libr.* 1. inquit: „ ſi „ percuſſio ſupra commiſſuram evenire contigerit, dico „ utramquè partem oſſis eſſe perforandam; viz. in dex„ tra & ſiniſtra parte commiſſuræ, & hujuſmodi in„ ſtrumento ſemper commiſſuram intactam relinquen„ do. Et ſanè ſi plaga ad Suturam contingat, ſic ut Cranium ibidem deprimatur, & quandoque etiam findatur adeoquè, & Trepano particula oſſis exſcindenda ſit; nunquam in ſutura, verum ab utraquè parte juxta ſuturam Cranium erit perforandum, ne Craſſa Menynx, quæ ipſis commiſſuris inhæret, laceretur.

XXVI. Quando igitur ictûs ratione, ex inſtrumenti qualitate, & ſupervenientibus ſymptomatibus, certum eſt, Fiſſuram penetrare, tunc magnâ ſanè diligentiâ explorandum, *an Rima ſit ſatis lata pro evacuatione materiæ, quæ per ipſam ad Craſſam Menyngem deflu-xit, nec ne*? non ſatis lata Cheirurgiam per *Trepanum* inſtituendam expetit, quo per factum in Cranio foramen exire poſſit & evacuari tum ſanguis, tum ſanies, quæ præter naturam ſub eo continetur. Igitur, deraſis capillis, cutis unà cum Pericranio Novaculâ eſt, incidenda (niſi à vulnere diviſa fuerit) in formam crucis aut trianguli. Hoc facto, Pericranium à ſubjecto Cranio unguibus, aut *Separatoriò* inſtrumento diducendum: ne verò vulneris labia iterum ad ſe invicem accedant, & nudatum os tegant, impoſitis plumaceolis diducta ſunt ſervanda. Hinc altero die, ſituato ut decet Ægro, miniſtrorum unus caput teneat quàm firmiſſimè, ne vacillet; tum Cranium aperiendum, & Trepano prope Rimam, in loco decliviore, pro faciliore exitu materiæ ſupra Craſſam Menyngem collectæ, perforandum. Primò nimirum adhibendus *modiolus mas*, in cujus medio *clavus* eſt, & debitè circumvolvendus, donec tale Cranio impreſſerit veſtigium, ut ei modiolus fœmina firmiter inſiſtere poſſit. Dein remoto mare, Trepani vertibulo *modiolus fœmina* dictus eſt adaptandus, qui fortiter & æqualiter quoquè circumvolvendus, & per intervalla ab oſſe auferendus, tum ut ſcobs è crenis modioli auferri poſſit; tum ut queamus examinare: quouſque penetraverit inſtrumentum. Signum autem certiſſimum, ad Diploën ſeu Meditullium nos perveniſſe, ſanguis præbet ex ejus arteriolis læſis erumpens; unde jam valde prudenter, & ſuſpensâ manu perforatio eſt continuanda, ne craſſa menynx à demergente modiolo offendatur. Ubi vacillare incipit oſſiculum, non ſolùm cautius & mitius terebra comprimatur, verum etiam ſæpius eximatur, ad conjectandum, quantum oſſis perforandi adhuc ſuperſit; quum autem undique æqualiter modiolum penetraſſe *ſpecillo lato* cognoverimus, tentandum eſt, an blanda vi oſſiculum *volſellâ* auferre poſſimus. Quo facto, foraminis in ambitu aſperitas læviganda *Lenticulari* inſtrumento. Atqui, ut ſanies exire commodè poſſit, *Decuſſorio* dicto eſt deprimenda craſſa menynx, Ægerquè interea clauſis ore & naribus ſpiritum contineat, ſic ut materia inter Cranium & Menyngem profundius contenta egredi poſſit.

Hiſce ità peractis, ſupra Craſſam Menyngem per foramen dimittatur linteolum ex ſerico rubro, vel lineo albo, inſtar orbis rotundum, filo alligatum, ut extrahi poſſit, & *Melle Roſaceo, additâ tertiâ vel quartâ parte Spiritus Vini*, immerſum; ut membranam mundam ſervet, eamque ob pulſationem ab alliſione oſſis defendat. Linteo immiſſi, foramini globulus ex aridis filamentis inſerendus, ne pus in vulnere genitum ad Menyngem deſcendat: oſſi denudato linamenta arida, at labiis Digeſtivo quodam illita adhibenda; tandem conveniens faſcia ſuperliganda.

Alii loco Mellis Roſacei cum Spiritu Vini craſſæ menyngi cum linteolo imponunt *Balſamum Peruvianum*, quod hoc in caſu valdè laudant.

XXVII. At Fiſſura ſi hiat ità, ut pus per eam liberè poſſit expurgari, neque perforatione Cranii, neque dilatatione vulneris per ſcalpellum opus eſt: unde eos animadverſione & reprehenſione dignos meritò judicat Chalmetæus, qui non tantum in parva Cranii Fiſſura, verum etiam in maxima Rima ſatis audacter modiolum adhibent, quo errore curatio in longum tempus protrahitur, cum ſummo Ægrotantis damno, & Medici famæ detrimento.

XXVIII. Cum verò Cranium ſub Muſculo Temporali Rimam contraxerit, haud ſecus procedendum, modò inciſio in Muſculo Temporali fiat ad ductum fibrarum. Ita Petrus Pavius *comm. in Hipp. de Vulner. Capitis*, ſi neceſſitas expoſtulet, etiam Tempora dividere, & Ægrum omni ope non deſtituere, jubet: refertquè ſe vidiſſe alâ molę puero ità contuſum Tempus dextrum, ut aliquot pertuſi oſſis fragmenta per vulnus eximerentur; nihil tamen incommodi toto curationis tempore patiente puero; imo Tempora aperiri manu Cheirurgi non ſemel vidiſſe abſque ullo ſymptomate. Sed duo hîc monet: primum, ut non niſi ſumma ... urgente

urgente neceſſitate Tempora dividantur: deinde ut novacula ſemper ſecundum ductum fibrarum Muſculi Temporalis ducatur.

Exemplum vulneris capitis in Muſculo Temporali cũ Rima Cranii latiſſima, & Durę Matris Inflamatione, curati, videre eſt apud Scultetum *poſt Armam. Chir. Obſ.* 3.

XXIX. Sin Punctura ſeu Sedes Inſtrumenti ſit in Cranio, eaquè non penetrans utramquè laminam, Cranium abradendum, quouſquè Punctura penetret, uti in Cranii Fiſſura Capillari & non penetrante fieri ſolet: vel *Terebrâ Triformi* Punctura amplietur & deleatur ejus veſtigium Calvariæ impreſſum. Quum verò utramque perforet laminam, Cranium aperiatur Modiolis, adhibendo ipſi puncto clavum modioli maris, donec veſtigium aderit, cui modiolus fœmina inſiſtere poſſit.

XXX. Interdum quoquè accidit, ut Cranium, integrâ manente cute, patiatur Depreſſionem, nonnunquam ſimplicem & citrà Rimam, interdum cum Rima ſeu Fiſſura. Depreſſio citrà Fracturam in ſolis pueris contingit; at in adultis Introceſſio vix unquam ſit ſine Fiſſura propter ſummam Cranii duritiem.

Igitur Cranium in pueris ſub illæſis integumentis ſi depreſſum ſit, ità ut tangentibus vel intuentibus Fovea mediocris, quam nulla prava ſequuntur ſymptomata, appareat, ab omni Cheirurgia abſtineatur: at capilli circa depreſſionem tantum abradantur, & Fomentum aliquod Cephalicum calidè cum pannis laneis applicetur, identidemque renovetur; quô ſolo in pueris ſimplex Cranii Depreſſio, ſine Rima, plerumquè curari ſolet. Hac de re Cæſar Magatus *de rara Vulnerum Medicatione lib.* 2. *cap.* 19. ſic loquitur: „ Compertum eſt etiam experientiâ, non ſemper ad oſ„ ſis introceſſionem ſequi prava ſymptomata. Habui ego „ præ manibus puellam, annum circiter ſeptimum a„ gentem, cui ex caſu in frontem os effatu digna quan„ titate introceſſit, & nullum omninò ſupervenit ſym„ ptoma. Habui etiam puerum, annum circiter de„ cimum agentem, cui ex caſu in ſynciput verſus la„ tera os introceſſit ad unguis minoris digiti quanti„ tatem, & nullum ſupervenit ſymptoma. Adultum „ etiam vidi ab oſſis introceſſione in fronte conva„ luiſſe, licet minimè elevatum fuerit os depreſſum „ & fovea remanſerit. Quo fit, ut exiſtimem non ſu„ pervenire mala ſymptomata, niſi compreſſioni ad„ junctum ſit aliquid, quod membranam pungat, aut „ quando etiam ſanguis ſupra membranam effuſus ſit, „ aut compreſſio fuerit inſignis, ità ut cerebrum com„ primatur. Haud ſecus Petrus de Marchettis *Obſerv. Chir.* 8. refert, ſe puerum ſeptem annorum curaſſe, cum inſigni depreſſione in fronte, quam attollere non potuit; ſed Rimam, quæ aderat, Scalpro Deraſorio dilatavit, & cætera lege artis peregit. Et *Obſ.* 9. ſcribit de quadam puella, quæ in poſtica capitis parte inſignem oſſis depreſſionem paſſa eſt, & tamen ſanata fuit, ſuperſtite inſigni foveâ, ſine ullâ noxâ. *Non proinde*, ait, *metuendum admodum pueris hoc modo contuſis, ob mollitiem ipſius Cranii.* At rarius eſt, quod habet Scultetus *poſt Armament. Chir. Obſ.* 37. de introceſſione Cranii minimè fiſſi in ancillâ triginta annorum, ejuſdemq; curatione, nullis ſupervenientib° ſymptomatib°.

XXXI. Enimverò in adultioribus hujuſmodi depreſſiones ſub integrâ cute rariſſimè ſine Fiſſura in Cranio reperiuntur. Atqui diſſectâ cute, ſi Rima in exteriore Cranii lamina non appareat, timendum erit, ne interior tabula patiatur Fiſſuram, per quam materia ad Menyngem quidem deſcendere, ſed iterum per eam evacuari minimè poſſit. Qualem Fracturam obſervavit Scultetus in milite, qui ob Depreſſionem Cranii ſecundo die mortuus eſt. Quoties igitur in adultorum capitibus talis apparet Fovea, ſtatim cutis Scalpello in trianguli, vel crucis formam incidenda, Pericranium à cranio ſeparandum, ac vulnus hians carpiâ ſiccâ ſervandum, non ſolum ut Medicus certior fiat, an fiſſum vel depreſſum ſit Cranium, verum etiam ut, re exigente, Trepano commodè perforari id poſſit. Quod ut plurimum ad latus depreſſionis fieri ſolet. Nonnunquam duobus in locis Modiolis Cranium excidendum eſt, dein foraminum interſtitium ſerrulâ auferendum, ut oſſicula, quæ interdum ab interna Cranii tabula ſeparantur, & aculei inſtar Craſſam Menyngem pungunt; volſellâ eximi queant. Teſtatur Marchette *Obſ.* 5. quod viginti intra dies quatuor molitus ſit perforationes, ob gravia permanentia ſymptomata, ſcilicet paralyſin linguæ & brachii ſiniſtri; atquè in quarta perforatione impegerit modiolo in oſſis fruſtulũ, membranas & cerebrũ pungens: quo educto, non diu poſt motum linguæ & brachii Patiens receperit.

XXXII. Idem Marchette *Obſ.* 14. quæſtionem movet; ſcilicet, *num Craſſam Menyngem liceat ſecare, quo exitus pateat purulentæ materiæ, ſupra Piam Matrem & Cerebrum collectæ?* & tandem concludit; quandò certò conſtat, materiam inter Menynges eſſe collectam, tum tutò poſſe deveniri ad hanc operationem, utcunquè periculi non expectem, cum alioquin, nullo adhibito remedio, certa mors immineat, atquè ex Celſo præſtet anceps experiri remedium, quàm nullum, impiumquè ſit relinquere *Ægrum* remediis deſtitutum.

Coiter *in Obſ. Anatom. & Chir.* de hac quæſtione ſic ſcribit: „ Niſi metuerem reprehenſionem & calum„ nias, in gravibus & periculoſis capitis vulneribus, „ ubi vel contuſionis cerebri, vel vaſis perrupti ſub „ membrana, manifeſta haberem ſigna, auderem du„ ram cerebri membranam perſcindere: etenim ut in „ omnium, ſic in horum vulnerum curatione præci„ puum eſt, perficere, ut vulnera optimè expurgentur, „ nam omne quod tangitur à putrido, putreſcit.

Fallopius *in libr. Hipp. de Vuln. Capit. cap.* 43. aperire Menyngem, & materiei exitum dare ſuadet, licet fateatur, ſe nunquam feciſſe.

Paræus quoquè vult, ſi conjectura ſit puris concluſi, ſcalpello eſſe aperiendam Craſſam Menyngem; idquè in multis Ægris ſe fortunâ variâ feciſſe inquit *libr.* 10. *cap.* 21. Hinc ut concludendum omninò videatur, Craſſam Menyngem, ſi neceſſitas id poſtulet, potius aperiendam eſſe, quam permittendum, ut Æger ſine auxilio moriatur. Cujus rei hiſtoria habetur apud Glandorpium, *in Speculo Chirurgiæ Obſ.* 4. de quodam pugili, cui cum graviter in capite vulnerato tertio die gravia ſymptomata ſupervenirent, ut ſuſpicio eſſet, materiam ſub Cranio collectam eſſe, Cranium apertum eſt; verum nihil effluxit, ſed Dura Mater in tumorem elata in conſpectum venit; quæ cum ſcalpello incurvato, ne ipſum Cerebrum læderetur, aperiretur, maxima copia ſaniei effluxit, quæ non inter Cranium & Duram Matrem, ſed inter Duram & Piam Matrem latuerat; qua evacuatâ, & idoneis adhibitis medicamentis Æger ſanitatem recuperavit.

XXXIII. Veruntamen quum tam alte penetret capitis vulnus, ut & Craſſa Menynx lædatur, adeoquè ſanguis copioſè profundatur, & dolor in parte hac membranoſa valdè urgeat; os, niſi antea ex vulnere pateat, ſtatim aperiendum, fragmenta Cranii fracti, ſi adſint, eximenda, hinc membrana detegenda, eique imponenda, ad cohibendam cruoris profuſionem *carpia ſicca*. At in ſecunda deligatione imponatur *Mel* vel *Syrupus Roſarum, cui vel tertia vel dimidia pars Spiritus Vini mixtus eſt*: aut ejus loco applicetur *Balſamum Peruvianum*. Quorum medicamentorum applicatione Dura Mater læſa uniri ſolet per carnis, aut ſubſtantiæ ei analogæ generationem. Hoc in caſu Joh. Andr. à Cruce ſequens laudat;

℞. *Olei Therebinthinæ, Spiritus Vini, Syrupi de Roſis Siccis an.* ℥j. *Miſceantur.*

XXXIV Sed Tenuis Menynx ſeu Pia Mater, quoniam

quoniam tenuis omninò eſt, & cerebro prorſus adhæret, vulnerari nequit ſine Cerebri ipſius læſione. Atquè hujuſmodi capitis vulnera; in quibus non ſolum Cranium & Craſſa Menynx; ſed ſimul Tenuis Menynx & Cerebrum læſa obſervantur, valde periculoſa ſunt; & quò profundius penetrant, eò periculoſiora meritò haberi ſolent. Equidem in Cerebri ſubſtantia abſceſſum fieri poſſe, vel quemquam Cerebri portione abſciſsâ poſſe convaleſcere, ſuperius Cap. 2. abundè probavi: idquè Paræus *libr.* 10. *cap.* 23. auctoritate veterum; ac propriâ experientiâ quoquè affirmat. Videatur etiam Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 1. 2. 3. 4. 5.

Itaquè in hujuſmodi vulneribus curandis abſtinendum omnimò ab Oleoſis & Pinguibus, ob quę Craſſa Menynx facilè inflammationem, & Cerebri Subſtantia putredinem concipere ſolet. Verum, ceu diximus, admoveantur *Mel* vel *Syrupus Roſarum*, *cui tertia circiter pars Spiritûs Vini, vel Aquæ Theriacalis, vel Aquæ contrà Gangrænam admiſceatur.* Etiã conducit *Balſamum Peruvianum*, ſi cum plumaceolis tepidè imponatur.

Interim dum vulnus ſolvitur, & medicamenta mutantur, multi ſartaginem ignitam ſuprà caput Patientis ſuſpendunt; ad aëris frigus temperandum; verum id æſtivo tempore minimè neceſſarium eſt: hybernâ tempeſtate cubiculi aër ab exſtructo foco calefactus ſit, & ſubindè linteum calefacere, ac loco vulnerato imponere ſufficiat.

XXXV. Porrò ex vulneratis cerebri membranis interdum Caro quædam Mollis & Fungoſa pullulat, quę idcircò *Fungus Cerebri* appellatur. Ut enim per arborum cortices humor quidam vitioſus quandoquè exſtillat, qui in Fungum concreſcit; ità ſi Cerebri Membranæ vulnerentur; humor exudans in mollem ac carnoſam ſubſtantiam, quæ Fungi inſtar eſt, mutatur, ac brevi temporis ſpatio magnum ſæpè incrementum ſumit, ut ſuprâ cranium & cutem nonnunquam emineat;

Sunt verò hi Cerebri Fungi periculoſi, & non rarò lethales; cum ob vitioſi humoris ad cerebrum affluxum proveniant, tandemquè putreſcentes gangrænam minentur. Atque hinc quamprimum tollendi, & abſumendi Siccantibus Medicamentis. Acriora namquè hìc vitanda. Exciſio autem quæ ferro fit; ut & ligaturâ ac filo ſerico, adeò tuta non eſt; cum gravia ſupervenire ſoleant ſymptomata. Si tamen nimium increſcat Fungus, filo ſerico arctius ad radicem ligandus, ut decidat; reliquum medicamentis ſiccantibus abſumendum. Quem in finem Paręus inſpergit hunc Pulverem:

℞. *Sabinæ* ℥ij. *Ochræ* ℥j. *M. F. Pulvis.*

Sed hoc in caſu utiliter aliquandò uſurpatum vidimus *Pulverem ex Scœnantho & Spica Nardi.* Quo remedio Petrus Marchettis ſæpius iſtiuſmodi Fungos etiam ſanavit, quodque proindè tanquam Arcanum proponit *Obſ. Chir.* 6.

Cap. 16. *De Vulneribus Faciei.*

I. **F***Aciei Vulnera* Nihil ab aliorum vulnerum curatione differunt, niſi quod Faciei forma & pulchritudo conſervanda ſit, dandaquè in primis opera, ne relinquatur cicatrix: id quod fiet, ſi vulneris labia aut ſuturâ, aut deligaturâ, aut glutinante medicamento ritè colligentur, ac inter ſe uniantur. Sutura verò in faciei vulneribus prudenter facienda eſt, nec magna carnis cutiſquè craſſities capienda: illa namquè per ſe ſatis uniuntur, quòd cutis carni ſic adhæreſcat, ut alterum alteri facilè conglutinetur & coaleſcat. Quod ſi Emplaſtrum Glutinans per ſe ſatis fuerit efficax, eo utendũ. Etenim Faciei Vulnera per Suturam curari non debent, ſi aliter fieri poteſt, ne cicatrices eam deformem reddant: ſin minus, cõmunis uſurpanda erit Sutura, & puncta punctis propius adjungenda.

Sed quum magnum ſit, ac profundum vulnus, multumquè à ſe diſtent ejus labia; nec Glutinis, nec vulgaris Suturæ vix ullus uſus eſt. Quare acubus utendum triangularibus vel quadrangularibus, quò in carnem promptius & facilius ſubeant, filum cerâ obductum ducentibus: hiſquè vulneris labia tranſmittere, &, quoad vulnus perfectè agglutinatum fuerit, acus in eo relinquere oportet, ſæpius circa eaſdem filum glomerando; haud ſecus ac mulieres acus veſtibus infixas aſſervare ſolent.

II. Cæterum ad Vulnera Faciei referri ſolent Vulnera Frontis, Superciliorum, Palpebrarum, Genarum &c. Atque in *Fronte* ſi Vulnus inflictum ſit, idque *cum oſſis læſione*, tum decori non eſt ſtudendum, ſed ſecuritati, quia periculoſum eſt vulnus, & curari debet ſine ſuturis; vel aliis inſtrumentis, quæ poſſunt vulneris labia unire; quin imò vulnus apertum ſervare oportet, os deradere, & porrò eam adhibere curationem, quæ fieri ſolet in Vulneribus Capitis cum Cranii Fractura vel Depreſſione. At quum Frontis Vulnus ſit *ſine oſſis læſione*, quantum fieri poteſt, venuſtati eſt attendendum, idque curandum ut Vulnus Capitis Simplex, *hoc eſt*, ſine Cranii, Menyngum; & Cerebri læſione.

III. Haud ſecus procedendum ſi Vulnus in *Supercilio* contingat ſecundum *longitudinem.* Si verò *tranſverſim* fiat; vulnus hoc, niſi diligenter curetur, ſequitur Caſus Supercilii, adeoquè & Palpebræ ſuper Oculum: unde, quantum poſſibile, exactè tale vulnus eſt glutinandum. In quo caſu à Suturis, & quidem profundioribus abſtinendum non eſt, ut labiorum ſuperficies ad amuſſim ſe mutuo contingant. Quod ſi vulnus hoc ſit cum deperditione ſubſtantiæ; cautè admodum procedendum, ne relinquatur cicatrix ità dura, ut ſurſum retrahat Palpebram; & impediat, quo minus ea oculum tegat.

IV. Verum *Palpebra* ſi vulnerata ſit, abſquè ulla Oculi offenſione, non magnoperè quidem metuendum; cum non difficulter hujuſmodi vulnus ſanetur. Quum tamen viciniarum oculi partium vulnera, ob materiæ affluxum; cæcitatem aliquandò induxiſſe obſervatum ſit, Palpebrarum Vulnera parvi facere non ſemper debemus. Refert Fabritius Hildanus *Cent.* 5. *Obſ.* 17. Quendam vulnus exiguum acie pugionis ad radicem Frontis, & quidem in ipſam Palpebram Superiorem accepiſſe; idquè ab initio, ob ſui exiguitatem, neglectum fuiſſe: at paulò poſt; exortus eſt dolor graviſſimus totius capitis, cum tanta Oculi intumeſcentia; ut ad ovi circiter magnitudinem extrà orbitam ſuam prominerct, cum corneæ tunicæ ruptura, humorum oculi effluxu. Hildanus medicamentis tum internis, tum externis Ægrum quidem reſtituit; viſum tamen, ob membranarum rupturam, & humorum deperditionem, nunquam recuperavit. Idem *Cent.* 6. *Obſ.* 6. ſcribit, puero cuidam quatuor annorum, jactu bacilli ex una parte acuti, vulnus ad Palpebram Superiorem ſiniſtram inflictum fuiſſe. Cecidit mox in terram puer, cibumquè indigeſtum evomuit, nec quicquam cibi & potus in tertium diem uſquè retinere potuit. Accedens Barbitonſor fruſtulum pinguedinis extrà vulnus propendens reperit, quod filo ſerico ligatum poſt dies aliquot forfice abſcidit, vulnuſquè quindecim intrà dies, nullis immiſſis turundis, cicatrice obduxit. Menſibus aliquot elapſis, puerum hunc cæcum eſſe altero oculo obſervatum fuit; interim tamen extimæ omnes oculi partes illæſæ erant, imò ne motus quidem depravatus fuit: quibus Hildanus ſuſpicatur, vulnus hoc inter cranium & oculum ad nervum opticum uſquè penetraſſe; unde ille vel læſus fuit, vel à materia aliqua cruda eò confluente compreſſus, aut obſtructus.

V. Igitur Palpebræ Vulnus ſi ſit ſimplici inciſione

factum, & quidem *tranſverſum*, conſui non poteſt, quoniam muſculi orbicularis fibręſunt inciſę, unde ſuturę non tenent, niſi ſubjecta membrana ſimul conſuatur; quod fieri non debet, quoniam oculi bulbum filum attingeret, ipſumque offenderet, & inflammaret. Quapropter hòc in caſu Suturâ Siccâ, *hoc eſt*, Emplaſtro Glutinatorio magis utendum eſt.

Quod ſi vulnus per *longitudinem* Palpebræ fiat, neque per ſubjectam membranam penetret, Suturâ uti poſſumus, & ſæpè debemus; quæ fiat acu, & filo tenuiſſimo, cerâ oblito. Sive aut Sutura fiat, ſive imponatur Glutinatorium Emplaſtrum, & ità labia adducantur, adductaquè ſerventur, medicamentum imponendum eſt, quod citiſſimè poſſit Palpebram glutinare; quale eſt *Balſamum Sulphuris*, aut *Peruvianum*, ſimilevè.

VI. Palpebrarum Vulnera ſequuntur proximè *Vulnera Genarum*; de quibus Fabritius ab Aquapendente *Oper. Chir. part.* 2. *libr.* 2. *cap.* 31. ità ſcribit: „ In Genarum Vulneribus illud peculiare obſervavi, talia vulnera eſſe obnoxia ſanguinis profuſioni, propter venas & arterias ſurſum per genas excurrentes; quę ſanguinis profuſio vulneris glutinationem impedit, adeoquè illi primum eſt occurrendum medicamentis, & modis, in vulneribus venatum propoſitis, poſtea labiis adducendis, & vulneri glutinando incumbendum eſt. In hujuſmodi vulnere illud non eſt ignorandum, ſcilicet non oportere vulneratum maſticare, neque loqui, neque buccas inflare, neque ridere, neque flere, neque inclinato corpore ſtare, neque ſpiritus cohibitione uti. Memini nàq; juvenem quendam in gena vulneratum, inflatâ buccâ, focum accendere voluiſſe, & ſtatim tanta copia ſanguinis profuſa eſt, ut ferè perierit.

„ Hæc Genarum Vulnera aliquandò adeò profunda fiunt, propter muſculos & multam pinguedinem, quæ oſſi ſuperſtant: ut cum non poſſint labia in profundo exactè committi, neceſſarium ſit ſinum quendam intercedere; & ſic vulnus ſimplex in compoſitum degenerat, ut carnis generatione indigeat. Quod ubi accidit, omnino venuſtati cicatricis eſt attendendum, quia gena eſt pars ſpectatiſſima; unde in propoſito caſu, primò labiis glutinô adductis, opportunum fuerit foramen in parte inferna parare, quod immiſsâ turundâ apertum ſervetur, ut inde profunda pars vulneris expurgetur; quod eſt efficiendum, quandò vulnus genæ in barbam deſinit, unde cicatrix ex adventu barbæ occultatur. At ſi vulnus totum extrà barbam ſit, vel labia vulneris non ſunt adamuſſim anſulis adſtringenda, ſed quatenus amplectenda, ut per ipſa ſanies poſſit exire, potiſſimum id præſtandum eſt circa partem infernam: Aut, quod melius eſt, oportet faſciis ita vulnus ligare & comprimere, ut ſinus vitetur, & ità generatio, collectioquè ſaniei.

Si autem tota Gena fuerit diſſecta, uti nonnunquam contingit, quoniam ab interna parte tegumentum apponere haud poſſumus, & continuâ humiditate os ſcatet; optimum eſt, medicamentum, quod palato arridet, vulneri quoquè per os admovere; quale eſt *Mel Roſarum, vel ſimplex, vel cui tantillum Spiritus Vini, aut Tinctura Saturni admixtum eſt.*

Exemplum vulneris Faciei propè naſum inflicti in quo vaginæ gladii vinculum relictum fuit, tandem poſt quatuor annos extractum, nec non ejuſdem curatio, videri poteſt apud Hildanum *Cent.* 3. *Obſ.* 24.

VII. Cæterum & hoc in Genarum Vulneribus obſervandum; quotieſcunquè vulnera prope Aures contingunt, viz. eo loci, ubi ſuperior ductus ſalivalis excurrit, exiguum quoddam remanere foraminulum, per quod, potiſſimum ubi manducare ſolent Patientes, magna limpidæ aquæ ſeu humoris ſalivalis copia continuò extillat; qui fluxus non rarò per plures menſes durat, ac magnas Medenti parit moleſtias. Solet verò Curari hujuſmodi ſalivalis humoris per exiguum hoc, & merè fiſtuloſum foraminulum, ſtillicidium, per impoſita Medicamenta valenter Exſiccantia & Conſtringentia, inter quæ laudem meretur *Pulvis Oſſis Sepiæ*, qui foramini inſperſus, & Digeſtivo mixtus, non rarò moleſtum hoc ſymptoma tollit.

Sed nonnunquam hoc lymphæ profluvium, ut cohibeatur, Acria & Exedentia requirit, quibus, ceu Potentiali Cauterio, fiſtuloſum hoc foraminulum eroditur & ampliatur, hinc denuò conſolidatur, occluditur, adeoquè limpidi humoris continuum ſtillicidium coërcetur. Quo in caſu aliquandò uſurpavimus *turundam exiguam, ex Mercurio Præcipitato Rubro cum Spiritu Vitrioli ſubactam*, quę aperturę ductus ſalivalis immiſſa, tamquam Corroſivum, indurata ac calloſa ejus latera erodendo undiquè abſtulit, & paucos intrà dies moleſtam hanc fiſtulam penitus ſanavit.

Cap. 17. *De Vulneribus Oculorum.*

I. *Oculorum Vulnera* ad ſenſum ſatis patent. Ea verò ſpernenda non ſunt, ſiquidem propter partis læſæ nobilitatem & ſtructuram, ſenſumquè exquiſitum, quæ in aliis partibus parva ſunt, in Oculis magna meritò cenſentur. Enimverò facilè concitantur defluxiones, hinc dolores acerbiſſimi, inflammationeſquè accedunt. Adhæc cæcitatis periculum ex quovis, tametſi exiguo, Oculi vulnere imminet, cum propter continuas defluxiones, tum propter aquei humoris effuſionem.

Alterum Oculis vulneratis imminet periculum, ex collectione materiæ purulentæ, qua humores inficiuntur, tunicæquè eroduntur. Quamobrem vulnera hęc ità tractanda ſunt, ut omni ſtudio occurratur fluxioni, & quamprimum agglutinentur citrà puris generationem.

II. Atque ideò ſimplex quum ſit Oculi Vulnus, ut tantum Cornea vel Conjunctiva Tunica incidatur, vulnus tamen non penetret, & ſine humoris effluxu, Curatur inciſionem glutinando, dolorem leniendo, ac inflammationem cohibendo. Quapropter abluendus Oculus *Lacte recenti tepido*, cui & *Aqua Roſacea* addi poteſt; dein admoveatur *Aqua Roſacea, in qua maceratum eſt Semen Cydoniorum & Fœnigræci.* Diligenter interim oportebit inſpicere, an aliquid corporis ferientis relictum ſit, nec ne, ut particula ferri, aut vitri, feſtuca, vel ſimile. Namquè ſi particula quædam relicta ſit, auſpicanda eſt cura ab extractione illius, modo appareat quod præter naturam inhæret.

Scribit Fabritius Hildanus, *Cent.* 4. *Obſ.* 6. de fabro ferrario, cui fruſtulum ſcorię, cum impetu in oculum proſiliens, ipſi profundius infixum fuit. Expertus hic Cheirurgus poſt aliquot dies vocatus, ex inferiore parte pupillæ, ubi iris apparet, ſcoriam reperit: ſed quamvis omnem diligentiam adhiberet, & extractionem tentaret, oleum tamen & operam perdidit; unde & totum negotium naturæ, impoſitiſquè medicamentis committere coactus fuit. Igitur corpore purgato, Collyrium Anodynum & nonnihil Repellens applicuit, Venam in brachio ſecavit, Cucurbitulaſque ſcapulis impoſuit; at fruſtraneo eventu: etenim dolor & infixa ſcoria remanſerunt. Tandem hoc ſacculo applicato penitus convaluit Æger:

℞. *Rad. Althææ minutim inciſ. & contuſ.* ℥j. *Fol. Betonicæ, Euphraſiæ, Flor. Camomillæ, Meliloti an.* M ß. *Roſar. Rubr.* Mj. *Seminis Fœnigræci* ℥ß.

Inciſa & contuſa dentur in ſacculis ejus magnitudinis, ut totum oculum tegere poſſint; hoſq. ſacculos in Lacte Dulci tepido maceratos identidē Oculo Affecto applicuit. Idem refert *Cent.* 4. *Obſ.* 18. puerum quendam liquefactum plumbum imprudenter & nimis velociter in aquam

in aquam frigidam projeciſſe, idquè eo impetu in altum reſiliiſſe, ut non ſolum pileo, verum etiam oculo ſiniſtro infigeretur. Parens accurrit, puerumquè ſtatim ad Hildanum deduxit; qui cum oculum inſpexiſſet, granum unum plumbi ad lentis ferè magnitudinem palpebræ ſuperiori, ubi crines erumpunt, alterum tunicæ adnatæ infixum reperit, adeò profundè, ut volſellis vix extrahi poſſit. Tandem extracto plumbo, oculo Collyrium Anodynum & Repellens inſtillavit atquè applicuit; oculumquè faſciâ clauſit, ſicquè paucos intra dies Patiens convaluit. Et *Obſ.* 21. narrat, ruſticum quendam, cum chalybem emeret, & fruſtum ad fruſtum allideret, ſcintillam ipſi in illam corneæ tunicæ partem, ubi iris conſpicitur, proſiliiſſe, eiquè membranæ firmiter inhæſiſſe, maximo cum dolore. Quum verò adſtantes per plures dies omnem adhibuiſſent diligentiam, dolores quinetiam, ac inflammationes vehementer auctæ fuiſſent, Fabritius corpore purgato, ac inſtitutâ Phlebotomiâ, inſtrumentis ſcoriam extrahere tantavit; ſed adeo exigua fuit, ut extrahere iiſdem non potuerit. Quapropter beneficcio ſacculi, cujus ſtatim mentio facta eſt, extrahere illam conſtituit; ſed fruſtrà. Tandem aliud remedium excogitavit: interim enim dum Hildanus ambabus manibus palpebras aperit, alter Magnetem oculo, quam proximè Æger id ferre potuit, admovet. Id cum aliquoties feciſſent, tandem ſcoria ex oculo in lapidem proſiliit. Deinceps applicato Collyrio Anodyno brevi convaluit. Denique *Cent.* 5. *Obſ.* 15. vulneris oculi ſiniſtri graviſſimi, cum corneæ tunicæ ruptura, & aquei humoris effluxu, hiſtoriam quoquè deſcribit.

Vulnus interno oculi cantho inflictum manubrio flabelli, cujus, ſuborto poſt tres menſes tumore, ex palato fracta portio educta eſt, & tamen ſanatum, videre eſt apud Petrum de Marchettis *Obſ. Chir.* 23. Graviſſimi quoquè vulneris oculi, cum infixo fuſi aculeo, curati, exemplum adfert Scultetus *poſt Armam. Chir. Obſ.* 20.

III. Itaquè eductis ex oculo vulnerato peregrinis corpuſculis, curandum, ut quamprimum vulnus glutinetur. Sed quoniam pars eſt acutiſſimi ſenſus, tractanda erit medicamentis minimè acribus, ac iis, quæ ſpecificè oculis conducunt, quæquè vim habent dolorem leniendi, & inflammationem arcendi. Quem in finem oculo inſtilletur & admoveatur hoc, vel ſimile Collyrium;

℞. *Aq. Roſarum, Plantaginis, Chelidonii maj. an.* ℥j. *Vini Rubri Adſtringentis* ℥ß. *Troch. Alb. Rhaſis ſubt. pulv.* ℈ij. *Tutiæ præp.* ʒß. *Sacchar. Saturni* gr. v. *Miſceantur.*

Foras verò applicetur Anodynum Cataplaſma. v. gr.

℞. *Pulpæ Pomorum repurg.* ℥vj. *Coq. in Aqua Roſarum & Fœniculi ad mollitiem, dein conter. & add. Mucilag. Sem. Fœnigræci* ℥ij. *Pulv. Cort. Granatorum, Lapid. Hæmatit. præp. an.* ʒij. *Croci* ℈j. *Albumina duorum Ovorum. Lactis Dulcis rec. q. ſ. M. F. Cataplaſma inter duo linteamina Oculo calidè applicandum.*

Ab Oleoſis & Pinguibus omnibus abſtinendum in oculorum vulneribus; quippe quæ facilè in partibus membranoſis excitant inflammationem.

At Detergentibus & Sarcoticis quum opus ſit, præſcribatur hoc modo.

℞. *Aq. Roſarum* ℥iij. *Mellis Deſpumati* ʒiij. *Pulv. Aloës* ʒß. *Miſceantur pro Collyrio.*

Interim maximâ diligentiâ ſervandi ſunt Ægri, ne lumen videant, nequè maneant in loco valdè calido, ob dolorem & inflammationem.

Obſervandum præterea, ut uno oculo vulnerato, ambos faſciâ obvelemus: nam ſi ſanus oculus maneat apertus, Patiens eundem ſæpè movet, eodemquè videt. Atqui motus ille externus oculi ſani vix contingit, quin ſimul moveatur oculus vulneratus. Inſuper quum ſanus oculus occluſus non ſit, viſu multa objecta continuò attingit, id quod fieri nequit, quin ſimul motus de novo producatur in fibrillis nervi optici, atquè ne minima quidem fibrilla nervi opitici in oculo ſano moveri poteſt, quin eodem tempore moveatur etiam fibrilla ejuſdem ordinis in nervo optico oculi læſi; cum naturâ comparatum ſit, non poſſe unum oculum vel extrinſecus vel intrinſecus moveri, quin alter ſimiliter moveatur: quantum autem motus ſanationi contrarietur, & quam facilè dolorem ac inflammationem excitet, is haud difficulter conjiciet, qui aliquandò expertus eſt, quo cum dolore, ac quanto cum emolumento manus aut pes inflammatus, vel vulneratus de loco in locum moveatur.

IV. Quod ſi majus ſit vulnus, & Corneam Tunicam penetret, hinc & effluat Aqueus Humor; globoſa tunica cornea mox corrugatur, ac in ſe concidit, adeoquè viſus deperditio ſuccedit, uti non ſemel in praxi obſervavimus.

Hoc in caſu oculo vulnerato cum linteis imponatur Collyrium Adſtringens & Emplaſticum. v. g.

℞. *Albuminis Ovi* ℥j. *Aquæ Roſarum* ℥iß. *ſimul agitentur & conquaſſentur, add. Pulv. Boli Armeni* ʒß. *Miſceantur.*

Dein cum nullus ſuperſit inflammationis metus, imponatur hoc vel ſimile.

℞. *Aq. Roſarum* ℥ij. *Chelidonii maj.* ℥j. *Pulv. Troch. Alb. Rhaſis* ʒj. *Tutiæ præpar.* ʒß. *Camphoræ, Sacchar. Saturni an.* gr. iv. *Miſceantur pro Collyrio*; cui, re exigente, addi poſſunt *Myrrha, & Sarcocolla lacte nutrita.*

Sin adhuc majus & profundius ſit oculi vulnus, ſic ut omnes Humores elabantur, ad inflammationem, & dolorem ſedandum, ſi adſint, ea conducunt, quæ nunc propoſuimus: reliqua intentio erit vulnus carne implere, & quam citiſſimè cicatricem obducere, quia in hujuſmodi vulnere ſemper deperdita eſt viſio. Hinc decori incumbendum; quod fiet, ſi oculum amiſſum compenſemus oculo vitreo picto: qui aliquandò ità ſimilis apparet ſano, ut etiam peritis videatur verus oculus. Tales arte factos vitreos oculos in muſæo noſtro ſervamus.

V. At ſi cum oculi globo etiam Palpebra vulnerata ſit, cavendum, ne inter curandum Palpebra cum oculi globo conglutinetur, ſicquè impediatur motus ipſius oculi. Ad id evitandum, danda erit opera, ut Æger quotidiè inter deligandum aperiat oculum, & in partem oppoſitam volvere tentet, &, ſi poſſit, volvat.

Cap. 18. *De Naſi Vulneribus.*

I. NAſus ubi vulneratur, vel cutis tantum inciditur, vel unà cum cute oſſa & catilagines læduntur, potiſſimum in parte inferiore; quo in loco quandoquè tam vehementer vulneratur cartilago, ut Naſi Globus, & portio Pinnæ amputetur, ac decidat.

II. Si Cutis tantum ſauciatur, ſive in ſuperna, ſive in inferna parte, vulneris labia ad ſe invicem adducenda non ſunt per Suturam, verum per Glutinatoria Emplaſtra, ut cicatricis veſtigia evitentur.

Quòd ſi factum ſit Naſi Vulnus in parte ſuperiore, cum Oſſis Fractura, prima intentio eſt, Fracturam conformare, dein Vulnus unire. Immiſsâ, igitur in nares ſpatulæ caudâ, vel idoneo intruſo bacillo, ſtupis, bombace, vel linteo obvoluto, depreſſa oſſa nativæ ſedi & figuræ ſunt reſtituenda; dein vulneris labia ad mutuum contactum Emplaſtris Glutinatoriis adducenda; nec non naribus immittendi tubuli,

non quidem exactè rotundi, ſed quodammodo lati & depreſſi, quorum beneficio oſſa naſi ſuo in ſitu contineantur, & exitus ſaniei, ac inſpirationi exſpirationiquè via pateat: tandem conveniens injicienda ligatura, quæ non nimium premat, ne ſimus reddatur naſus.

Vulnus Naſi cum Oſſis Fractura, idquè à Sculteto curatum, videre eſt *poſt Armam. Chir. Obſ.* 22. Refert quoquè Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 26. hiſtoriam graviſſimæ Naſi Contuſionis, cum Oſſis Fractura & Comminutione, feliciter ſanatæ.

III. Quum verò particula Naſi abſciſſa ſit, nunquam reunitur, etiamſi vel recentiſſimum ſit vulnus: eadem ſi adhuc illi cohæreat, acus ope eidem jungatur. Etenim ima Naſi pars, cum ſit cartilaginea, quaſſari quidem, deprimi, & contorqueri poteſt; at non frangi, ut ſuperior, quæ oſſea eſt.

Itaquè Naſi portio ſi omninò abſciſſa fuerit, adeoquè nullo pacto poſſit reſtaurari, deperdita illa particula fabricetur ex laminis argenteis, naturali naſi colore pictis. At ex brachii cute nares denuò efformandas eſſe, docuit Taliacotius, qui de hujuſmodi curatione magnum volumen orbi erudito exhibuit.

Cap. 19. *De Vulneribus Labiorum, Aurium, & Linguæ.*

I. *Labia* quum ſauciantur, ut plurimum per longitudinem reſcinduntur. Et hujuſmodi Labii Vulnus ſi ſit abſquè ulla ſubſtantiæ deperditione, ejus labra diligenter ſunt conſuenda, decenterquè adaptanda; ut nulla adſit eminentia, omniſque deformitas vitetur; ac vulnus porrò per primam intentionem curandum, conglutinandum.

II. In inſtituenda verò hac Sutura, nonnulli eâ utuntur, quæ fit acu per utramquè labii diviſi partem tranſmiſſa, factô deindè punctô, quale ſuturæ generis in aliis partibus vulneratis plerumquè inſtitui ſolet: ſed oportet acum à labii diviſione longius tranſmittere, quo valentius teneat filum, & non abrumpatur. Vel ob fili facilem eroſionem, & deformem cicatricem, potius una, duæ, treſvè acus per utramquè labii diviſi partem ſunt tranſmittendæ, & in carne relinquendæ, filum ſæpius circa eaſdem glomerando, uti in curandis leporinis labiis fieri ſolet.

Factâ diviſi labii adductione, & per Suturam ad mutuum contactum conjunctione, imponatur fotus linteum *Ovi Albumine* madefactum, ſimilevè Exſiccans Glutinatorium; intus verò adhibeatur *Mel Roſarum, vel ſimplex, vel cui Spiritus Vini aut Tincturæ Saturni tantillum admixtum ſit*: etiam infixæ ſerventur acus, quouſquè facta ſit labiorum proba conglutinatio; quod circa finem ſecundæ hebdomadæ plerumquè contingit, quo tempore licet acus auferre.

Vincula in hiſce partibus, ubi opus fuerit, tantum ad medicamenta continenda conveniunt. Etenim vulnera labiorum, ut & Aurium Externarum, plus boni ab acu, quam à ligaturis expectant.

Cæterum in ſutura adhibenda, & poſt ipſam adhibitam, omninò ab omni labii motu eſt abſtinendum, qui vel mandendo, vel loquendo, vel ridendo fit; quod impoſſibile ſit tunc vulneris labra conjungere, aut conjuncta ſervare.

De iſtiuſmodi vulneribus Chalmæteus *Enchir. Chirurg. lib.* 2. *cap* 18. ſic loquitur: „ Labiorum Vulne„ra ſuturam decentem requirunt, ac appoſitionem „eorum, quæ glutinant, atque ob frequens ſputum, „ quod humectat, diligentius eſt exſiccandum & ad„ ſtringendum: Ligaturam hujuſmodi vulnera non ad„ mittunt, niſi ad medicamenta, quæ apponuntur, „ retinenda.

III. Non rarò quoque vulneratur *Auris Externa*, ſive omninò abſcindatur, ſive aliqua ejus portio ſaucietur.

Si externa Auris ità abſcindatur, ut portio inciſa conjuncta ſit ſanæ, hanc Suturâ cum ſana conjungere oportet; quæ fit filo continuato, & acu tranſmiſsâ per utrumquè labium; dein ſupra vulnus revolutâ, rurſus ex eodem latere tranſmiſsâ & revolutâ, quouſquè tota ſutura facta ſit; in qua facienda, ſubjectam cartilaginem evitare oportet, quia puncta inflammatur, alitervè malè afficitur.

Aliquandò tamen ubi Externæ Auris portio ità abſcinditur, ut reliquæ ſit conjuncta, à Sutura abſtinere poſſumus, atque ità vitare doloris ac inflammationis occaſionem; & ad vulneris labia ad mutuum contactum adducenda ſæpè Emplaſtra ſufficiunt Glutinatoria.

Quibus verò Auris tota penitus abſciſſa ſit, iis nihil aliud reſtat, niſi ut infortunii ſui deformitatem curâ palliativâ quantum quidem poſſibile, ſuppleant, & autem mutilatam ex papyro craſſiore, vel corio picto reſarciant.

IV. Porrò *Lingua* etſi intrà os conſiſtat, dentium ſepto munita, atque ab injuriis omnibus tuta ſatis videatur, accidit tamen quandoque eam vulnerari: quoniam ubi genæ & buccæ inciduntur & perforantur, ſolet quoque Lingua nonnunquam ſauciari; imò dentibus ſæpè propriis reſcindi, uti in Epilepſia, aut Caſu graviore non rarò contingit. Atque hæc vulnera ſunt vel cum abſciſſione Linguæ ferè totius, vel alicujus ejuſdem portionis.

Subſtantiæ jactura reſarciri nequit, quia pars omnis à corpore vivente, à quo vitam ducebat, diſtracta & avulſa vivere deſinit. Paræus tamen mentionem facit cujuſdam, cui inſignis linguæ portio erat ablata; qui nihilominus ope lignei inſtrumenti, quod ore detinebat, voces edebat articulatas. Sic factitiis ligneis cruribus utimur ad incedendum, & ex ferro fit inſtrumentum brachio applicandum, quo in manus defectu, apprehenſio quadantenus exerceri poteſt.

V. Quod ſi Linguæ portio abſcindatur, ità tamen ut corpori linguæ adhuc cohæreat, vitanda eſt omnimoda ejus abſciſſio. „ Quod præceptum, inquit „Aquapendens *Oper. Chir. part.* 2. *libr.* 2. *cap.* „ 4. perpetuum eſſe volo, non modo in lingua, ſed „ in omnibus faciei partibus, naſo, digitis, & hu„ juſmodi, quoniam ſæpè præter Medicorum ſpem „ partes agglutinantur, quæ mens non concipit glutinari poſſe.

Ubi igitur diſſectio Linguæ contigerit, vulneris labia ad ſe invicem ſunt ducenda; atqui alia nulla datur via ea adducendi, adductaque ſervandi, quam per Suturam, idquè propter ſitum partis vulneratæ, & continuò affluentem humiditatem. Sed quoniam Lingua propter ſalivalem humorem lubrica eſt, & ex manibus facilè elabitur, à ſolerti miniſtro arctè continenda; interim acu, ut decet, conſuatur, ac injectis nodis filum juxta nodum ſecetur: nam ſi longius relinquatur, inter maſticandum in dentium interſtitiis implicatur, & lacerantur puncta.

Adductis labiis, quoniam ſitus linguæ, atque humiditas ſalivalis impedimento ſunt ne partem vulneratam, uti decet, tegere queamus, ſatis erit, ſi Patiens ore contineat Agglutinantia, quæ palato haud valde ingrata ſunt.

Linguæ v. gr. adhibeatur *Syrupus de Roſis Siccis*, aut *Mel Roſarum, vel ſimplex, vel cui admixta Tinctura Saturni*, atquè identidem os colluat Æger hoc vel ſimili Gargariſmate:

℞. *Aq. Plantaginis* ℥vj *Mellis. Roſacei* ℥iß. *Tinct. Saturni* ʒiß. *vel* ʒij. *Miſceantur.*

Vel:

℞. *Fol.*

℞. Fol. Liguſtri, Plantaginis, Quercus, Flor. Roſarum Rubr. an. Mj. Balauſtiæ, Cort. Granatorum an. ℨij. Coq. in Aqua Pura ad ℥xx. Colat. add. Mellis Roſarum ℥iij. Miſceantur.

Si verò à re pungente ſaucia, alitervè tranſfoſſa fuerit Lingua, adeoquè nec labia diſſideant, nec portio quædam abſciſſa ſit, ſatis erit parti læſę admovere *Mel Roſarum, cui Spiritus Vini aut Tincturæ Saturni tantillum* additum ſit; reliquum *Saliva* glutinare ſolet. Interea abſtineat Patiens ab omni locutione, & maſticatione forti, ut vulneratum hoc organum quieſcat.

Linguæ Vulnus tranſverſim factum, ejuſdemque Curatio, habetur apud Hildanum *Cent.* 1. *Obſ.* 28. Raram quoque hiſtoriam linguæ, ex malè curato ſclopeti vulnere, partibus ſubjectis arctè coaleſcentis, cum impedita locutione, periculoſâ & peritâ ſectione ſeparatæ, ac reſtitutæ, habet Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 32.

Cap. 20. *De Vulneribus Cervicis, Colli, Gutturis, Vaſorum Jugularium, & Medullæ Spinalis.*

I. Faciei Vulneribus ſuccedunt *Vulnera Colli & cervicis.* Dicitur autem *Collum* ea pars, quæ capiti proximè ſubjacet, & faciem inter pectuſquè collocatur: figurâ rotundum; ità dictum, quod caput ſeu columna ſuſtentet. Hoc quum pluribus ex partibus componitur, plures in eo contingunt vulnerum ſpecies, prout hæ vel illæ in Collo exiſtentes partes ſaucientur; quales præter *Cutem*, eiquè ſubjectos *Muſculos*, ſunt *Arteria Aſpera, Gula, Venæ Jugulares, Spinæ Medulla, &c.*

II. Hinc fit, ut ex Vulneribus hiſcè alia ſint inſanabilia, alia difficulter, & non niſi maximo cum vitæ periculo ſanentur; atquè ex iis quæ ſanantur, alia fandi potentiam demant, vel perpetuò lædant; alia partis vulneratæ motum vitient, prout ex dictis partibus una vel plures, & magis vel minus fuerint læſæ: attamen quæ citrà læſionem ſunt dictarum partium, atquè in cute & carne duntaxat, nullum adferunt periculum. Nam, ut ait Aquapendens *Oper. Chir. part.* „ 2. *lib.* 2. *cap.* 35. Generaliter nullum colli vulnus „ periculoſum eſt, etiamſi totum collum pertranſeat „ ab una ad alteram partem, niſi aliqua prædictarum „ partium vulneretur: in quo caſu vel vulnus eſt mor- „ tale, vel periculoſum.

III. Igitur ſimplex ſi ſit Colli Vulnus, primùm cruoris profuſio erit cohibenda, dein ſutura abhibenda, ac porrò per primam intentionem, ut ſimplex carnis vulnus, id curandum.

Quod ſi Vulnera Colli punctim inflicta fuerint, nec ſtatim mortem adferant, pro ſigno habendum eſſe vult Marchette *Obſ.* 37. Venas Jugulares & Arterias Carotides illæſas eſſe. Qui propterea iſtiuſmodi vulnera hoc modo curare ſolet: viz. turundam immittit breviſſimam, & non craſſam, integumenta haud excedentem, *Ovi Albumine* imbutam, ſuperjecto linteolo duplicato per totum collum, quoquè *Ovi Albumine Bolo Armeno & Sanguine Draconis* intincto: omni deniquè arte prohibere ſtudet putis generationem, utpote quod venas & arterias corrodit; cum mortis præſenti periculo. Duobus tribuſvè elapſis diebus, turundam removet, applicatquè linteolum *Cerato ex Cerusâ* inductum, ſicquè octò vel decem dierum ſpatio vulnera hæc ſanare conſuevit.

Quod ſi vulnus trajiciat totum Collum, utrinquè imponit turundam breviſſimam eodem modo. Obſervavit præterea, hæc vulnera ſpecillo nunquam eſſe tentanda, ne lædantur venæ vel arteriæ, cum ſummo vitæ periculo.

IV. Sed & *Oeſophagus, & Arteria Aſpera* in Collo nonnunquam vulnerantur. Et quidem *Oeſophagus* ſi vulneretur, ſanguis ſcreando per os rejicitur, & cibus potuſquè per inflictum vulnus exit. Verum *Arteriæ Aſperæ Vulnera* innoteſcunt ex ſitu, & aſſidua cruoris per os cum tuſſi rejectione, voce vel abolitâ vel imminutâ, nec non aëris per vulnus exitu in exſpiratione, & ingreſſu in inſpiratione, præſertim ſi ore naribuſquè occluſis Patiens reſpirare tentet.

V. Hujuſmodi Aſperæ Arteriæ Vulnus, quoniam exanguis Ea eſt, & in continuo ob reſpirationem, locutionem, & deglutitionem exiſtit motu, ſummè periculoſum, & non rarò lethale eſt. Exemplum tamen vulneris Aſperæ ſanati, lectu dignum, habet Tulpius *Obſ. Medic. libr.* 1. *cap.* 50.

Idem pronunciare licet de Oeſophagi Vulnere: præſertim quod hæ partes rariſſimè ſaucientur, niſi ſimul vulnerentur venæ jugulares, aut arteriæ carotides, aut nervi vel recurrentes vel paris vagi, unde ingens ſanguinis mox accidit profuſio, & graviſſima alia ſuperveniunt ſymptomata. Experientiâ nihilominus compertum eſt, nonnullos ex Gulæ vulnere ſupervixiſſe: & citat Schenkius *Obſ. Medic. libr.* 3. hiſtoriam vulneris in collo, per quod alimenta egrediebantur, ſanati. Inſuper Gulæ vulnera ſanabilia quandoquè eſſe, exemplo probat Pigræus *Prax. Cheir. lib.* 4. *cap.* 12. ubi etiam docet, ſuturâ validâ & tenaci iſtiuſmodi vulneris labia eſſe adducenda, præcipitquè ut reſupino collo Patientes bibant, & liquidum alimentum ſumant, ſic ut præcaveatur, ne per vulnus cibus potuſvè egrediatur.

VI. Igitur perſciſſa penitus ſi ſit Aſpera Arteria, quamvis deſperatus ſit caſus; quoniam tamen multum refert, num Ægrotans loqui poſſit, diligenter conſuendum erit vulnus, ac deinceps tegumento idoneo tegendum, ut inſpiratus aër per vulnus exire nequeat: quo facto, niſi magna cruoris profuſio ſimul adfuerit, amiſſam loquendi poteſtatem Patiens recuperabit, reſquè ſuas diſponere poterit. At ſi penitus diſciſſa non ſit, aliqua conglutinationis ſpes eſt, atquè ideò vulnus conſuendum, ejuſquè labia ad mutuum contactum adducenda; hinc imponendum medicamentum, quod ita valet glutinare, ne ſanguis & ſanies in aſperam arteriam cum periculo ſuffocationis illabantur. Eum in finem Aquapendens *Oper. Chir. part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 36. hoc commendat Digeſtivum.

℞. Terebinthinæ lotæ ℥j. Pulv. Maſtiches ʒiß. Olei Hiperici ʒiij. Albumina cum Vitellis Ovorum quot ſufficiunt ad efficiendum Unguentum.

Ut verò facilior fiat conſolidatio, in ore continenda erunt, quæ agglutinandi vim habent; cujuſmodi ſunt, quæ liquari poſſunt, quò paulatim liquefacta in aſperam ferantur, ut *Saccharum Althææ*, vel *Tabellæ ex Specie Diatragacantha, &c.* vel *Linctus ex Melle Roſaceo, Syrupo Althææ, de Symphito cum Specie Diatragacanth, &c.* vel *Gargariſma ex Radice Conſolidæ, Tormentillæ, Foliis Plantaginis, Quercûs, Saniculæ, & ſimilibus decoctis*; *addito colaturæ Melle Roſaceo, aut Syrupo de Roſis Sccis.*

Si autem Vulnus cum deperditione ſubſtantiæ Aſperæ Arteriæ contigerit, quoniam nullus poteſt eſſe ſanationis locus, niſi Chriſtiana pietas aliter ſuaderet, facto Prognoſtico foret diſcedendum. Huic ergò vulneri latum linteum denſo medicamento illitum applicandum eſt, ne tam linteum, quàm medicamentum ad aſperæ arteriæ cavitatem, dum ſpiritum ducit Patiens, moveatur: atquè in ore contineat, quæ hujus partis vulneribus conducere nunc diximus.

VII. Pari ratione curandum erit Oeſophagi Vulnus. Erunt quoque hîc paulatim deglutienda idonea medicamenta, quæ ſenſim, & tanquam aqua per parietem

tietem defluens, ad partem affectam perveniunt, quod facilè ſ pino ſitu aſſequimur, cujuſmodi eſt Electuarium ex *Conſerva Roſarum Rubrarum*, *Specie Diatragacanthæ*, *Bolo Armeno*, *Terra Sigillata*, *Syrupo de Symphyto*, *&c.* Huc inſuper faciunt Linctus, Gargariſmata, & cetera nunc laudata, quorum particulæ ſenſim deſcendentes perfundere, & tandem conſolidare valent partem vulnetatam. Utquè vulneris conglutinatio ſuccedat eò facilius, Patiens nihil eorum, quæ deglutitu difficilia ſunt, devoret; ac omni ratione vomitum præcavere ſtudeat, utpote quò violenter nimis agitatur gula.

VIII. Cæterum Colli Vulnera ſi magis à lateribus fiant, quandoquidem ibi excurrunt *Venæ Jugulares* & *Arteriæ Carotides*, ideò, læſis iſts vaſis, lethalis non rarò fit ſanguinis profuſio. Exiguum verò colli vaſis inflictum vulnus, ſi Cheirurgus tempeſtivè accedat, non tarò curatur. Etenim *Internæ Jugulares venæ* vel *Arteriæ Carotides* ſi fuerint vulneratæ, in maximo periculo verſatur Patiens, ob nimiam ſanguinis profuſionem, cui ſuccurri non poteſt earum conſtrictione, eo quod Jugulum conſtringi non patiatur citra periculum ſtrangulatus & ſuffocationis: quod ſi non conſtringatur, immedicabilis ſuccedit hæmorrhagia.

IX. Quum igitur Vaſa hæc Jugularia fuerint ſaucia, omni ratione occurrendum ſanguinis profluvio. Sed cautè admodum hæc vulnera erunt tractanda, nec in detergendis grumis, aut vulnere mundificando, nimis diligentes eſſe oportebit. Et ſi medicamentis, in ſuperioribus abundè propoſitis, Cheirurgus ſanguinem ſiſtere nequeat, mox hamulo vulneratum vas apprehendere debet, & attollere, deinde partes utrinquè filo ligare, totumquè vas tranſverſim præſcindere; ſi forſan cruoris profuſio cohiberi, & ità Æger ſervari poſſit.

Nonnulli vulnerata Vaſa Jugularia obſtruere norunt, digito vas apertum aliquamdiu comprimendo, donec ibidem ſanguis concreſcat, atquè concretus vulneris orificium obſtruat, adeoquè amplius non permittat cruorem profluere. Et habet Chalmæteus *Enchir. Chir. libr.* 2. *cap.* 19. exemplum cujuſdam, in Vena Jugulari Externa vulnerati, qui famulorum operâ, viciſſim vulneri digitum per tres dies admoventium, evaſit. Atquè haud abſimili modo vulneratam jugularem venam in collo Celſiſſimi Arauſionum Principis Gullielmi Primi, obturatam, ſanguiniſquè ex eadem fluxum inhibitum fuiſſe, ſuperius de Venarum & Arteriarum Vulneribus narravimus.

X. Atqui Collum ſi in parte poſtica, ſeu Cervice vulneretur, nonnunquam læditur *Spinæ Medulla*; ſive punctim aut cæſim ea ſauciatur, ſive tota per tranſverſum diſcinditur. Hoc ſi contingat oboritur convulſio vel paralyſis in partibus plagæ ſubjectis, nec non urinæ & alvi fæcum citra voluntatem excretio, aut omnimoda ſuppreſſio. De hoc vulnere Hippocrates 2. *prædict.* ità inquit: „ ſi Spinalis Medulla aut ex caſu aut „ ex alia quapiam cauſa externa, aut ſua ſponte laborarit, & crurum impotentiam facit, ut ne tactum quidem percipiat Æger, & ventris, & veſicæ „ adeo ut primis quidem diebus ſtercus aut urina non „ niſi coactè reddatur. Quod ſi morbus invaluerit, & „ ſtercus & urina, Ægro inſcio, prodit, tandemquè non longo poſt intervallo perit. Addit Celſus *lib.* 5. *cap.* 26. „ ſervari non poteſt, qui in Spinæ Medulla percuſſus eſt. Et refert Tulpius *Obſ. Medic. libr.* 3. *cap.* 24. hujuſmodi Spinalis Medullæ vulneris exemplum, quod tertio die mortem attulit.

XI. Quia verò ſuccurrendum eſt miſeris Ægrotantibus, eadem hîc erunt imponenda, quæ in vulneribus nervorum nervoſarumquè partium. Atquè hinc admoveatur *Oleum Therebinthinæ actu calidum*, vel *Balſamum Peruvianum*, vel *Oleum Ceræ*, vel quod ſequitur;

♃. *Spir Vini* ℥ij. *Mellis Roſarum* ℥j. *Pulv. Aloës, Myrrhæ an.* ʒj. *Miſceantur.*

Et ſuperponatur Digeſtivum. v. gr.

♃. *Mellis, Therebinthinæ Venet. an.* ℥ß. *Theriacæ* ʒij. *Vitellum unius Ovi. Pulv. Myrrhæ* ʒß. *M. F. Digeſtivum.*

Interim in hujuſmodi vulneribus curandum, ut ſanies effluxum habeat, ne retenta dolores, inflammationes, & graviora alia excitet ſymptomata. Atquè ideò ſi ſatis patens non ſit vulnus, erit dilatandum, ut ichor expurgari poſſit: ſi verò vicinæ partes non permittant, ut vulnus dilatetur, plerumquè deſperatus eſt caſus. De vulneribus hiſce Joh. de Vigo ſic inquit: „ quæ vulnera ipſius medullæ eodem modo „ tractanda ſunt, ſicuti vulnera cerebri, quare ſemper Medicus debet eadem ratione curare, & vulnera ſpinalis medullæ, & vulnera cerebri.

Cap. 21. *De Vulneribus Thoracis, & Partium intus Contentarum.*

I. *Thoracis Vulnera* alia ſunt *non Penetrantia*, in quibus ſcilicet membrana pleura adhuc integra eſt; alia *Penetrantia*, in quibus non ſolum thoracis muſculi, ſed & pleura perforatur, ità ut vulnus in ipſam penetret Thoracis cavitatem.

Penetrantia Vulnera rurſum ſunt, vel ſine partium in Thorace contentarum, vel cum earundem læſione; puta pulmonis, pericardii, cordis, diaphragmatis, venæ cavæ, arteriæ aortæ, &c.

II. Simplex ſi ſit, Thoracis Vulnus, nequè in cavitatem ejus penetret, & alius nullus conjungatur affectus, nihil peculiare ad ſui curationem deſiderat, præter reliqua vulnera.

Si autem detecta ſit Coſta, ea abradenda eſt ad meditullium uſquè, dein vulnus ut ſimplex conſiderandum. Quum verò fracta ſit, ea ſuum in locum reſtituenda, ac porrò curanda, ut de Fracturis ſumus dicturi.

III. At profundius cum ſit vulnus, diligenter indagandum, an penetret uſquè in thoracis cavitatem, an non. In thoracis cavitatem penetraſſe inſtrumentum vulnerans, indicat aër per vulnus exiens; qui potiſſimum deprehenditur, ſi vulneris orificio tenuis admoveatur cerea candela, aut lana tenuiter carpta vel goſſypium eidem imponatur: ſæpius namquè candela extinguitur, vel ſaltem flamma ejus nutare videtur, & lana vel goſſypium quaſi vento agitari conſpicitur. Verum hic aëris è vulnere thoracis egreſſus in primis obſervatur, quoties Ægri tuſſiunt, vel ore naribuſquè occluſis vehementer conantur exſpirare.

Sed hæc per aërem egredientem exploratio fallere poteſt, ſi vulnus obliquum vel tortuoſum ſit; aut muſculi thoracis ſitu Patientis ab eo, quem habebat dum vulnus accepit, varient, atque vulneris aperturam tegant; vel plagæ orificium, ob non immiſſam turundam, ſit conglutinatum: tum enim aër egredi non poteſt, imò nec ſpecillum vel ſtilus intromitti. Ideoquè Ægrum, dum vulnus explorandum eſt, eo ſitu collocare oportet in quo erat, cum inflictum fuit.

In penetrantibus quoquè & amplis thoracis vulneribus reſpiratio interdum læditur, & voce Æger privatur vulnere patente; eô tamen occluſô redit vox, & reſpiratio liberius peragitur. Inſuper dum ſanguis in pectore congeritur, & alia accedunt; viz. febris tuſſis moleſta, ſputum cruentum, lateris dolor, pondus & gravitas circa coſtas nothas, &c. Et ſi contentæ intus materiæ, aut contentæ alicujus partis vulneratæ adſint indicia, certiſſimum erit vulnus penetrare, tametſi ipſum aſſequi ſpecillo non liceat. Partium verò thoracis

thoracis contentarum vulnera quibus ut plurimum innoteſcant Cap. I. diximus.

IV. Cæterum quæ in Thoracis anteriore parte, atque à lateribus contingunt vulnera, neque ad interiora penetrant, ex ſe omni periculo vacant, etiamſi ſecundum propriam eſſentiam ſint magna. At quæ in Thoracis parte poſtica fiunt, magis ſunt periculoſa, quia plures ibi, majoreſque adſunt nervi & tendines: periculoſiora redduntur, ſi dorſi medulla vulneretur, propter gravia, imò & lethalia accidentia.

Quæ verò intra Pectoris cavum penetrant, nullum licet ex contentis viſceribus lædatur; longè periculoſiora ſunt: quod aër externus per vulnus non alteratus ingrediatur, internaſque partes offendat; hinc dolor, tuſſis, inflammatio, febris, & cætera procedant ſymptomata.

Adhuc tamen periculoſiora cenſenda ſunt, ſi inſuper ſanguis in Thoracis cavitatem fuerit effuſus, qui ibidem putreſcere, & graviſſima excitare accidentia potis eſt.

Sed periculoſiſſima ſunt, ſi quæ ex contentis partibus fuerint ſauciæ, quapropter haud abs re inquit Galenus 4. *Meth. 6.* „ vulnus, quod intra thoracem „ vel peritonæum penetrat, non parvum periculum „ adfert, præcipuè ſi quid internorum unà ſit vulne„ratum. Equidem de vulnerum contentarum in thorace partium prognoſticis in ſpecie Cap. 2. abundè egi.

V. Quoad *Curandi Methodum*: hujuſmodi vulnus non diſſimilem quidem poſtulat curam à reliquis vulneribus in parte carnoſa exiſtentibus; ſi nempe in thoracis cavitatem haud penetret. At ſi penetret in pectoris cavum, fueritque citra contentarum partium læſionem, neque in thorace materia quæpiam contineatur, vulnus quamprimum eſt occludendum, ut aëris externi ingreſſus prohibeatur; hinc protinus conglutinandum.

VI. Si verò contineri intus materiam ſuſpicemur, per dies aliquot vulneris orificium patens eſt ſervandum, ut expurgari ea poſſit; & ſi ob plagæ aperturam minus patentem probè effluere nequeat, ſcalpello plaga eſt dilatanda: utque faciliùs profluat, ſupra vulnus Vulneratus decumbat. Inſuper, niſi vulnus per ſe ſatis pateſcat, plagæ intra oſculum immittatur tubulus argenteus vel plumbeus, per quem ſanguis, aliavè contenta materies commodè expurgari queat. Deinceps vulnus liberè erit occludendum. At vulnerum in thoracis cavitatem penetrantium veram & ſuccinctam curandi methodum tradit Petrus de Marchettis *Obſ. Chir.* 41.

VII. Haud ſecus raciocinatur Fabritius Hildanus *Cent.* 3. *Obſ.* 37. Vulnera pectoris, ſi ſa„num eſt corpus, vulnuſque recenter inflictum, ne„que ſanguis aut pus ullum in pectore collectum, vul„nus ut diu apertum maneat, minimè opus eſt. In „ cacochymicis verò corporibus alia ratio eſt; in iis „ enim vulnerum & ulcerum pectoris conſolidatio, „ donec natura ſe probè exoneraverit, minimè acce„leranda eſt. Scultetus quoque *in Armam. Chir. Tab.* 37. monet, ne vulnus thoracis penetrans unquam conſuatur, aut per primam intentionem curetur, ne materiæ, quæ in thoracis cavitatem effuſa eſt cum Ægrotantis periculo præcludatur exitus: vult autem, ut primò immittatur turunda filo alligata, ad apertum vulnus ſervandum. Quod ſi materies intrà thoracem collecta fuerit craſſa, atque ad exitum per plagam inepta, illa attenuetur injectis per aliquot dies *Lavacris ex Decoctione Hordei, Paſſularum, addito Melle Roſaceo*, ac vulneri immittatur cannula, ut pus, injectaque decoctio ſenſim denuò expurgetur. At plura huc ſpectantia idem habet *poſt Armam. Chir Obſ.* 42. 43. 59.

VIII. At tamen ſcribit Joh. de Vigo *libr.* 3. *tract.* 1. *cap.* 10. controverſum inter Chirurgos eſſe, de penetrantium thoracis vulnerum conſolidatione. Quibuſdam enim videri ejuſmodi vulnera quamprimum claudenda, & cicatrice obducenda eſſe, ne aër frigidus in cor ſubeat, ac ſpiritus vitales exiliant & diſſipentur. Alii è contrario cenſent, talia vulnera diutius aperta eſſe ſervanda; imò ſi per ſe non ſatis pateant, Chirurgiâ amplificanda, quò ſanguini in thoracis ſpatium effuſo exitus pateat, alioquin cunctando putredinem contracturo, unde febris incrementum, ſinus fiſtuloſus, aliaque periculoſa accidentia.

Priorem ſententiam amplectitur Theodoricus *libr.* 2. *cap.* 16. ubi in quacunque parte thoracis fiat vulnus, in continenti labia conjungi vult.

Poſteriori ſubſcribunt Joh. de Vigo *loco citato* Brunus *Chir. Mag. lib.* 1. *cap.* 4. Rolandus *lib.* 3. *cap.* 19. Lanfrancus *tract.* 2. *cap.* 5. Gulielmus de Saliceto *libr.* 2. *cap.* 12. Rogerius *cap.* 23. Chalmæteus *in Encheiridio Chirurgico*. Item Paræus de hac quæſtione ſic inquit: „ Prior quidem ſententia ratione & veritate „ nititur, modo nihil aut parum ſanguinis in thora„cis capacitatem effuſum: Poſterior verò locum ha„bet, cum magna vis ſanguinis in thoracis ſpatium ſe effudit. Atque hiſtoriâ utramque ſententiam comprobat, docetque vulnus thoracis penetrans ad duos treſvè dies apertum eſſe ſervandum: at cum animadvertimus Ægrum nullo, aut ſaltem exiguo dolore vexari, nullo pondere diaphragma premi, ſpirandi libertatem adeſſe, adeoque detrahi periculum, quam citiſſimè fieri poterit, ad cicatricem vulnus perduci vult. Eadem diſtinctione utitur Pigræus *Prax. Chirurg. libr.* 4. *cap.* 14. ubi inquit: ſi parva ſanguinis „ copia in thorace fuerit contenta, eam diſſipari & „ evacuari tuſſiendo & ſcreando.

Si ergò certa contentæ in thorace materiæ indicia ſeſe offerant, materia illa ut educatur poſtulat. Educitur autem per tres vias: vel per vulneris orificium, vel per os tuſſiendo, vel nonnunquam per urinæ viam. Rarum eſt, pus ex thoracis vulnere, in cavitatem ejus effuſum, per alvum expurgari, quod ſe obſervaſſe ſcribit Marchette *Obſ.* 43. At rariùs, coſtæ fractæ fragmentum per anum fuiſſe excretum, quod ſe vidiſſe nobis narravit Cl. Diemerbroekius in collegio ſuo Chirurgico, cum ſub ejus auſpiciis quondam Medicinæ ſtudio operam darem, atque ipſum illud coſtæ fragmentum quoque exhibuit.

IX. Curandum igitur, ne præproperè, & priuſquam materia fuerit expurgata, vulneris orificium occludatur: verum apertum id ſervandum, beneficio turundarum, ſic ut non facilè externus aër ingredi queat. At ſi copioſa materies intus contineatur, periculum eſt, ne ſuo contactu partibus contentis malè afficiat; in primis quum inter unam & alteram inſpectionem nimis longum tempus intercedat. Quapropter utile eſt inſtrumentum, quod & apertum ſervat foramen, & materiæ exitum continuò præbet; quale eſt cannula plumbea, vel argentea, aut linteum cerâ albâ oblitum & in cannulæ formam redactum.

X. Sed notandum in vulneribus thoracis tum turundæ, tum cannulæ filum ſemper alligandum eſſe ſatis longum; ne ea, ob perpetuum thoracis in reſpiratione motum, incidat in pectoris cavitatem, mortiſque cauſa fiat. Tale exemplum refert Hildanus *Cent.* 1. *Obſ.* 46. cujuſdam, qui duas turundas in cavitatem thoracis delapſas poſt tres menſes tuſſi rejecit. Et *Cent.* 3. *Obſ.* 36. aliam narrat hiſtoriam de quodam in pectore vulnerato, qui duas turundas ſatis longas ultrà biennium ſecum geſtavit, à quibus tandem, ne gry quidem alteratis, caſu potius, quam arte fuit liberatus, atque ità ſanitati reſtitutus. Tulpius quoque *Obſ. Med. libr.* 2. *c.* 15. meminit cujuſdam nobilis Dani qui poſt menſem ſextum turundam, in thoracis cavitatem per Chirurgi imprudentiam delapſam, per os excreavit. Rarum etiã eſt, quod ha-

habet Pigræus *Prax. Chir. libr.* 4. *cap.* 14. de milite, qui ſclopetro in thorace vulneratus, tribus quatuorvè à ſanatione menſibus, per arteriam aſperam ſatis craſſum, tribuſquè ad minimum digitis longum, coſtæ fragmentum excrevit, atque ab eo tempore nullum amplius incommodum perſenſit.

XI. Inſuper circa turundæ aut cannulæ uſum in vulneribus thoracis notandum, eas oblinendas eſſe medicamento Digeſtivo. Etiam ne nimis longæ ſint turundæ, ut pulmonem lædant.

Impoſitâ hoc modo cannulâ, fiat tegumentum, quod injurias aëris, ambientis arceat. Et ſupra plagam Patiens plerumque decumbat, quò materies proprio pondere ad vulnus feratur. Per intervalla quoque ore naribuſquè occluſis ſpiritus comprimatur, quò palmo intumeſcat, diaphragma contrahatur, ſicque ad vulnus contenta materia exprimatur.

XII. Sed materies hæc ut facilius educatur, & partim etiam abſumatur, nonnulli detergentes & exſiccantes liquores per vulnus in thoracis cavitatem quotidiè immittere ſolent: quales ſunt, *Hydromel* & *Aqua Hordei*, cum *Melle Roſaceo*; aut Decoctio leviter abſtergens & attenuans, ex *Agrimonia*, *Veronica*, *Hyperico*, *Radice Ariſtolochiæ Rotundæ*, *&c.* addito *Melle Roſaceo*, nonnunquam & *Spiritu Vini*. Quibus ſiphonis ope in thoracem injectis, obturatoquè vulnere, jubent ut Patiens modo in hoc, modo in iſtud latus ſeſe volvat, quò materia ab omnibus partibus eluatur, hinc per plagæ aperturam unà cum injectione educatur: obſervandum interea, ne quid lotionis intra thoracem maneat, eò quod ipſa ob admixtam purulentam materiam corrumpatur, & prava invehat ſymptomata. Atque hoc modo procedunt, donec materia amplius per vulnus non exeat, & nulla appareant contentæ materiæ ſigna, Jubent præterea, ut Patiens tuſſiat, quò materies fortius expellatur ad vulnus, & per os quoquè portio ejus educatur.

Monet etiam Scultetus *in Armam. Chir. Tab.* 37. in vulneribus thoracis cum parva pulmonis & diaphragmatis ad partem carnoſam inciſione, ut non ſolum promoveatur materiæ per vulnus ex ſe latum, aut ſcalpello dilatatum, aut per novum foramen, aut per urinarias vias excluſio; verum etiam, ut per ſiphonem in thoracem infundatur 1. Decoctum vaſa ſanguinem fundentia conſtringens, 2. materiam craſſam attenuans, 3. internum vulnus detergens, 4. illud conſolidans.

Si verò ob plagæ anguſtiam contentæ materiæ non ità pateat exitus, congruâ ſectione vulnus eſt dilatandum. At ſi vulnus ſit in ſuperiore pectoris parte, potius in imo thoracis loco, viz. inter ſeptimam & octavam coſtam apertio eſt facienda.

Purulentæ materiæ qualitas etiam exploranda immiſſo ſpecillo; idquè illicò extractum ſi nigrum ſit vel fiat, Ægrotum vix evaſurum indicat.

XIII. Atqui ubi receſſerint ſymptomata, detrahendus tubulus, quumquè materia minui incipiat, lenſim turunda imminuenda, & carnis generationi incumbendum, ut foramen claudatur: ſi enim vulnus fiat inveteratum, evadit fiſtuloſum, & non, aut ſaltem difficulter glutinari poteſt.

Foras verò applicetur medicamentum vulneri idoneum; viz. exſiccans, ſimulquè carnem gignens, ac conſolidans. v. gr.

℞. *Therebinthinæ Venet.* ℥j. *Mellis Roſacei, Olei Hypericonis an.* ℥ß. *Miſceantur.*

Alii in hujuſmodi vulneribus iſtud laudant;

℞. *Reſinæ Pini claræ & odoræ* ℥xij. *Therebinthinæ, Olei Laurini an.* ℥ij. *Gummi Elemi* ℥iij *Reſinæ & Gummi ad ignem liqueſcant, dein addantur Oleum & Therebinthina, parum bulliant, donec Unguenti craſſitiem acquirant, tandemquè colentur.*

Interim à tuſſi, quantum fieri poteſt, Æger abſtineat. Enimverò totus thorax quum exagitetur tuſſi, fieri nequit, quin vulneratæ partes denuò lacerentur, adeoquè conſolidatio impediatur. Si tamen tuſſis infeſtet, eò quod ad pulmonem pars contentæ materiæ tranſmittatur, in ore contineat quæ vim habent leniendi, attenuandi, expectorandi; cujuſmodi ſunt *Syrupi varii Pectorales*, aliaquè pro Arteriæ Aſperæ & Oeſophagi vulneribus laudata. Hîc quoque conducit Decoctum Pectorale, quod ſimul Vulnerarium fieri poteſt, v. gr.

℞. *Rad. Conſolidæ Maj. Liquiritiæ raſæ an.* ℥j. *Ariſtolochiæ Rot.* ʒv. *Herb. Tuſſilaginis, Capill. Ven. Fragariæ, Saniculæ an. Mj. Caricarum, Paſſular. Enucleatar. an.* ℥ij. *Coq. in Aqua Hordei ad.* ℥xxx. *Sumat Patiens ter quatervè* ℥iij. *Vel* ℥iiij. *quotidiè.*

XIV. Sin *interna aliqua pars fuerit ſaucia*, quantum ad apparens vulnus attinet, eadem omninò curatio convenit; adeoque nec opus eſt, ut aliquod, præter hæc quæ propoſuimus, medicamentum plagæ immittatur. Attamen in *Pulmonis Vulneribus* danda opera, ut primum ſanguinis profuſio, quæ ob inſignia hujus viſceris vaſa accidere ſolet, ſiſtatur, & inflammatio, cui pars hæc obnoxia eſt prohibeatur, tamdemque vulnus conglutinetur: ſanguis verò, qui in thoracis cavitatem effuſus eſt, evacuetur. Itaque ut inflammatio prohibeatur, niſi nimiâ cruoris profuſione vires ſint dejectæ, *Vena ſecetur.* Si vulnus ſit anguſtum, hinc ut exitus extravaſato ſanguini non pateat, ſcalpello ampliandum. In operatione verò Æger vehementer exſpiret, quo pulmo collabatur. Deinde medicamenta adhibenda adſtringentia & emplaſtica: ſive ea ſint, quæ in cavitatem thoracis infunduntur; ſive interna, quæ ore ſumuntur. Talia ſunt *Bolus Armenus, Terra Sigillata, Thus, Maſtix, Balauſtia, Gummi Arabicum, Tragacantha, &c.* ex quibus injectiones, pulveres, & ſimilia præparari poſſunt. Sed ut pulvis Pulmoni Vulnerato applicetur, jubendum ut Æger ſpiritum ducat, quo veſiculoſum hoc viſcus infletur, aëremque eò uſque contineat, ut vulnus pulvere ſit conſperſum. Interna autem & quæ per os ſunt exhibenda, alibi ac præſertim Cap. 7. expoſuimus.

Quum verò quædam Pulmonis pars è vulnere emineat, & liveſcere ac nigreſcere incipiat, atque ità corruptionis notas exhibeat, ea ferro eſt abſcindenda, uti ex variis Cheirurgiæ ſcriptoribus in præcedentibus notavimus.

Diaphragma quum in parte carnoſa ſit vulneratum, eædem ſunt indicationes curativæ. At *tendinoſa pars ſi vulneretur*, vulnus lethale eſt.

Cap. 22. *De Vulneribus Abdominis, & Internarum Partium.*

I. Vulneribus Thoracis ſuccedunt *Abdominis Vulnera.* Per *Abdomen* autem intelligimus totum illud ſpatium, quod à coſtis ſpuriis, lumbis, & oſſibus innominatis comprehenditur: conſtans cuticulâ, cute, adipe, membranâ carnoſâ decem muſculis: quibus partibus peritonæum ſubjacet, includens viſcera in infimo ventre contenta.

Hinc varia exiſtunt *Abdominis Vulnera* Aut enim ſunt non *Penetrantia*, quum exteriores ſaucientur partes; cutis puta, pinguedo, membrana carnoſa, hiſquè ſubjecti muſculi, intacto peritonæo: aut ſunt *Penetrantia*, ubi peritonæum quoquè vulneratur. Cæterum penetrantia Abdominis vulnera ſunt, aut *cum*, aut *ſine* partium internarum læſione. Vulnus penetrans cum læſione partium internarum, tot habet differentias, quot ſunt partes in infimo ventre contentæ:

tæ: unde alia vulnera ſunt cum læſione jecoris, vel lienis, ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, renum, &c. Rurſus vulnera Abdominis penetrantia ſunt quandoquè cum omenti ac inteſtinorum exitu, nonnunquam citrà eum.

II. An autem vulnus penetret in Abdominis cavitatem, an non penetret, indagandum. Penetrans vulnus à non penetrante dignoſcitur immiſſione ſtili vel cereæ candelæ: ſi enim multa portio ingreditur, ſignum eſt plagam penetrare. Advertendum tamen, ne decipiamur: nam fieri poteſt, ut foramine exiſtente obliquo, retorto, aut à ſuperjacentibus partibus occluſo, minima ſtili vel cereæ candelæ portio in ventrem ingrediatur, tametſi penetret vulnus: & è contrario, multa ſtili aut candelæ portio obliquè inter muſculos progrediatur, etiamſi plaga non ſit penetrans.

Addunt nonnulli: ſi vinum intrà orificium vulneris immittatur, in penetrante id ingredi in ventris cavitatem, in non penetrante retrò egredi per plagam. Sed hunc explorandi modum haud immeritò rejicit Cæſar Magatus *libr. 2. cap. 69.*

Certius verò penetrantis vulneris indicium eſt, ſi inteſtinum aut omentum exeat. Quinimò ſi plagæ magnitudo conferatur cum vulnerante inſtrumento, non raro conjecturâ aſſequi poſſumus, vulnus num penetret, nec ne.

III. At non ſatis eſt, dignoſcere plagam penetrare, ſed inſuper noſſe oportet, num aliqua contentarum partium ſit ſaucia; id quod petendum ex Celſo *libr. 5. cap. 26.*

Sic *Hepar Vulneratum* indicare ut plurimum ſolent, vulnus in dextro hypochondrio ad coſtas nothas, copioſi ſanguinis per vulnus exitus, vomitus blioſus, cruentæ dejectiones, acerbi dolores & punctiones in partibus vicinis & propinquis, febris. Quod ſi hujuſmodi vulnus profundius ſit, parit animi deliquium, ſudorem frigidum, ac mortem brevi infert.

Lienem Vulneratum ſignificant, vulnus in hypochondrio ſiniſtro penetrans ſub coſtis nothis, copioſi ſanguinis nigricantis per plagam effluxus: ſitis, febris nonnunquam & reſpiratio lædi ſolet, affecto per conſenſum diaphragmate.

Ventriculum Vulneratum eſſe ſuſpicamur, ſi abdomen ſit ſaucium è regione ventriculi; ſi præſertim ſingultus accedat, & cibus potuſquè aſſumptus vomitu rejiciatur. Et quandoquidem ità læſus ventriculus nec appetere cibum, nec continere, nec fermentare ritè poteſt: interdum crudus cibus & potus: interdum ſemidigeſtus chylus per vulnus exit. Inſuper animi deliquium frequenter Vulneratum corripit, potiſſimum ſi ſuperius ejus orificium ſeu ſtomachus ſaucietur, unde & frigidi erumpunt ſudores, aliaquè gravia, imò lethalia plerumquè accedunt ſymptomata.

Eadem ferè eveniunt, ſi *Vulneretur Tenue Inteſtinum*: exit namquè per vulnus nondum perfectus chylus, hypochondria tenduntur ac vomitus non raro accedit. Deniquè & maximi ventris cruciatus Vulneratum corripiunt, ut plurimum cum febre ſatis valida. At *Craſſum Inteſtinum*, ſi *Vulneretur* egrediuntur per vulneris orificium fæces, vel ſaltem ſtercoris odor inter deligandum percipitur, cruentaquè per alvum dejiciuntur.

Renes Vulneratos eſſe exiſtimamus ex loco affecto, præſertim quum urina cruenta ſit, & difficulter reddatur, dolorquè gravis partem affectam affligat, qui ad inguina teſticuloſquè ſæpè extenditur; cumquè latum ſit vulnus, aquoſus cruor per id egrediatur.

Sin *Veſica Urinaria ſit Vulnerata*, urina per plagam exit, eaquè reddi ſolet cruenta: pecten tenditur, dolorquè, dolent & ilia, nec non febris ut plurimum accedit.

Venam Cavam aut *Aortam Arteriam hic Vulneratam* conjectamus ex inſigni ſanguinis profuſione, quam ſtatim mors ſequitur.

Summatim quæ pars in infimo ventre ſit ſaucia, conjicimus primum ex ſitu partis, deinde ex actione læſa, deniquè ab excreto.

IV. Cæterum vulnera Abdominis non penetrantia, ſi ritè curentur, abſquè ullo ſunt periculo; niſi ſint valdè magna. Periculoſiora tamen meritò cenſentur, quæ in media abdominis parte, quam quæ in lateribus ſunt, propter concurrentes ibidem loci abdominis muſculorum tendines.

At penetrans abdominis vulnus, licet non lædantur partes internæ, periculoſius tamen eſt; præſertim magnum ſi ſit, & profundum, eò quod inteſtina facilè excidant, quæ difficulter poſtea ſuo loco reſtituuntur. Etiam anguſta hujuſmodi vulnera, ſi inteſtina excidant, periculo non vacant. Niſi enim id quod excidit ſtatim in ſuum locum reponatur, intumeſcit ac inflatur, ut poſtea per anguſtum foramen reſtitui nequeat; hinc ab aere externo alteratur, corrumpitur, & malum ſæpius evadit lethale.

De vulneribus verò Abdominis penetrantibus, cum contentarum intus partium læſione, quid judicandum ſit Cap. 2. abundè diximus.

V. Vulnera porrò Abdominis *non Penetrantia* eandem requirunt Curandi methodum, quam reliquarum carnoſarum partium vulnera.

Si verò *Penetrent, citra tamen egreſſum vel læſionem internarum partium, ac citrà ſubſtantiæ deperditionem*, quamprimum ſunt glutinanda: viz. disjuncta vulneris labia manuum opera adducenda, adductaquè ſervanda idoneâ ſuturâ. Glutine ſiquidem in talibus vulneribus uti non poſſumus, eò quod peritonæum, utpote exanguis membrana, mutuò agglutinari nequeat; quo dehiſcente, in poſterum inteſtina excidere ſolent. Id ergò ne contingat, ita vulnus erit conſuendum, ut hinc inde muſculis agglutinetur peritonæum. Ita quoquè Guido de Cauliaco, Fallopius *tom. 2. tract. 7. cap. 17.* & plerique alii docent: viz. vulnera in Abdominis cavitatem penetrantia, abſquè læſione internarum partium, nullo modo aperta eſſe ſervanda, ſed protinus conſuenda & agglutinanda.

VI. At *Inteſtinum ſi ſit Vulneratum*, tamdiu vulnus apertum ſervari volunt nonnulli, quouſquè conglutinatum ſit inteſtinum, tumquè vulnus conſuere jubent. Lanfrancus *Chir. Magn. tract. 2. cap. 7.* Rolandus *lib. 3. cap. 26.* Guilielmus de Saliceto *libr. 2. cap. 15.* Rogerius *libr. 3. cap. 29.*

Chalmæteus *Enchir. Chir. libr. 2. cap. 23.* omnia Abdominis vulnera unienda & conſuenda eſſe vult. Nequè ex ſanguine in infimi ventris cavitatem effuſo magnum damnum imminere inquit, ſic illic quoquè retineatur, cum natura ipſum in inguina tranſmittet, atquè tumorem excitabit, qui curabitur ut abſceſſus.

Atqui vulnus abdominis penetrans, citrà tamen læſionem vel egreſſum contentarum partium, ſi ob anguſtiam ejus ſuturâ non egeat, glutinatio medicamentis, in ſuperioribus abundè propoſitis, quamprimum adjuvanda: dein conveniente faſciaturâ vinciendum, ità tamen, ut dolorem non inferat.

VII. Sed in Curatione *Penetrantium Vulnerum abſquè internarum partium læſione, verùm cum exitu Inteſtini aut omenti*, non alium præceptorem imitari neceſſum eſt, quam Galenum, qui *libr. 6. Method. Med. cap. 4.* hujuſmodi vulneris Curam ità deſcribit:
„Primum itaquè id agendum eſt, ut inteſtina, quæ
„exciderunt, in ſuum recondantur locum. 2. Ut vul-
„nus conſuatur. 3. Ut medicamentum apponatur. 4. Ut

Ut proſpiciamus, ne præſtantior quæpiam pars ſimul afficiatur.

VIII. Quoad primum: ſi mediocre fuerit vulnus, & *recens exciderit Inteſtinum*; manibus & digitis impellendo eſt recondendum: id quod difficulter non rarò peragitur, quoniam per exiguum vulnus paulatim, & multum exit, inflatur, intumeſcit, ventoquè replctur. Quo in caſu prolapſum inteſtinum Fotu calido, ex *Abſynthio*, *Scordio*, *Ruta*, *Malva*, *Floribus Camomillæ*, *Meliloti*, *Semine Cumini*, *ſimilibuſquè in Cereviſia aut Vino decoctis*, continuò foveatur, ſi forſan flatus ità diſcuti poſſint.

Diſſipatis flatibus tentanda erit Inteſtini reductio, quæ ut facilius ſuccedat, oportebit Patientem ità decumbere, ut plaga ſurſum ſpectet, & contenta intus inteſtina contrariam in partem ferantur.

Quod ſi nec hoc modo inflatio ceſſerit, adeoquè reponi nequeat Inteſtinum, vulnus tantum ampliandum, quantum ad inteſtini repoſitionem opus eſt. Quod ut dextrè fiat, vulneri digitum imponat Chirurgus, ne fortè inteſtinum ferro attingatur: vel utatur ſcalpello incurvo, alterâ tantum parte aciem habente, in cujus extremo adſit globulus, ne inteſtinum mucrone ſaucietur. Factâ idoneâ ſectione introducatur inteſtinum, vulnus conſuatur, ac conveniens medicamentum apponatur. At ne præſtantior pars ſimul afficiatur, animadvertere oportet, priuſquam fiat reſtitutio, num ſanguine fædatum ſit, aut aliâ re conſpurcatum inteſtinum, vel ipſi adhæreat peregrinum aliquod corpuſculum, tunc enim prius ſedulò ab omni ſorde, & peregrinis corpuſculis eſt abluendum.

IX. Verum *Omentum ſi extrà labatur*, nondum tamen fuerit refrigeratum, nequè colorem mutaverit, quamprimum intromittendum, cum citiſſimè ab aëre alteretur & corrumpatur. Sed ſi refrigeratum, hinc & alteratum fuerit, ex Hippocratis præcepto *Aphor.* 58. *Sect.* 6. ligabitur ea parte, quæ calidæ parti eſt proxima, portioquè corrupta amputabitur. Ligari autem Omentum hîc debet, ne ipſius vaſa aperta cruorem intrà abdominis cavitatem effundant: qualem caſum deſcribit Marchiette *Obſ.* 51.

X. Alter ſcopus eſt *Vulnus Conſuere*, ne Inteſtinum vel Omentum denuò prorumpat. Collocetur igitur, ac decumbat Patiens in partem plagæ oppoſitam, ut eò minus ad aperturam impetum faciant inteſtina. Interim miniſter manibus apprehendat vulneris labia, & Chirurgo tantam porrigat vulneris partem, quanta ad conſuendum eſt neceſſaria. Dein conſuatur vulnus eô modô, ut quoniam peritonæum peritonæo non agglutinatur, tamen agglutinetur muſculis; idq è aſſequi poterimus, ſi inter conſuendum hinc inde peritonæum muſculis ipſis adducatur: ſcilicet acus, duplicatum filum ceratum ducens, primum ab externa vulneris parte ità trajiciatur, ut & cutis & muſculi & peritonæum ſimul trajiciantur; ex oppoſito verò à parte interna vulneris, intacto peritonæo, muſculi cum cute trajiciendi: ab eadem parte ſemidigiti interſtitio extrinſecus poſtmodum infigatur acus ſic; ut partes continentes omnes ſimul cum peritonæo trajiciantur; ſed in oppoſita parte ab internis extrinſecus infigenda acus, ut, intacto peritonæo, cætera infimi ventris integumenta trajiciantur, & ſic deinceps, donec tot injecta fuerint puncta, quot erunt neceſſaria. At quoniam puncta hæc non leve onus ſuſtinent, ne ab ipſis ſcindatur caro, procul à vulneris ore ferè per digitum ſunt injicienda.

Hunc ſuendi modum comprobavit ac explicavit Galenus *Meth. Med. libr.* 6. *cap.* 6. Et ſanè alium nullum licet reperire, quô agglutinari muſculis queat peritonæum: ſi namquè communi uti velimus ſuturâ, ità ſcilicet, ut vel utraquè ex parte peritonæum trajiciamus, vel intactum omninò relinquamus, id non conglutinabitur; atquè ſic poſt ſanationem vulneris omentum aut inteſtina prorumperent, & inemendabilis herniæ cauſa eſſent.

Si verò hujuſmodi vulnus fuerit cum deperditione ſubſtantiæ, uti contingit, ſi ſclopeto infligatur, nequaquam ejus labia ſunt adducenda; ſiquidem curari id oportet, ſicut vulnus cavum, per carnis generationem.

XI. Si tamen *Inteſtina ſint Vulnerata*, priuſquam introducantur, idoneâ ſuturâ, ut ait Celſus *libr.* 8. ſunt conſuenda. Quod ſi fuerint ſaucia, verum extrà vulnus non prociderint, ampliore reddito vulnere, eadem extrahere oportet, modo commodè fieri poſſit; atquè conſuere eô prorſus modô, quo pelles conſui ſolent.

De Vulneratorum Inteſtinorum Curatione diligenter quoquè agit Galenus *lib.* 6. *Meth. Med. cap.* 4. ubi docet vulneratum inteſtinum primò, ſi fieri queat, eſſe conſuendum. 2. applicanda ei medicamenta. 3. ſi prolapſum quoquè ſit, ſuum in locum reponendum. 4. curandum, ne fæces in tranſitu ipſi noceant: tandemque abdominis vulnus claudendum.

Primum ergò ſi vulnus amplum ſit, & vulneratum inteſtinum prolapſum, mox id ſuendum, & priſtinæ ſedi reſtituendum. Niſi enim hoc ſtatim fiat, ab aëre ambiente alteratur, ac lividum evadit, omniſquè curationis ſpes præciditur. Quod ſi prolapſum non ſit, paulatim & placidè foras trahendum, deinde vulneris labia ſimul adducenda, & adducta conſuenda acu ſubtili, brevi, ac rotundâ, & filo lineo, forti, æquali, ceraquè oblinito, eô fermè modô, quo pelliones pelles, & mulieres linteamina vulgò conſuere ſolent. Factâ ſuturâ, vulneratum inteſtinum abluatur *Lacte recenti calido*, ſeu potius *Vino*, vel *ſimplici*, vel *in quo Roſæ*; *Chamæmelum*, *Abſynthium*, *Scordium*, *& ſimilia ſunt decocta*; eiquè illinatur *Balſamum Sulphuris Therebinthinatum*, vel *Peruvianum*, vel aliud quodvis Sarcoticum ac Glutinans Balſamum ſeu Oleum: nec non modicè inſpergatur Conſolidans Pulvis. v. gr.

℞. *Aloës*, *Maſtichis*, *Thuris*, *Mumiæ*, *Sanguinis Draconis an.* ℨj. *M. F. Pulvis ſubtilis.*

His factis, inteſtinum paulatim & leniter in naturalem locum eſt reducendum; dein abdominis vulnus conſuendum, ac porrò ut artis eſt curandum. Sed peractâ, vulnerati inteſtini ſuturâ, filum ne abſcindatur; verum utraquè ejus extremitas extrà plagam propendeat, ut ſuo tempore extrahi poſſit.

Interim ut faciliùs Inteſtinorum Vulnus conſolidetur, Medicamenta uſurpanda conſolidantia. Et quidem ſi plaga in Tenue inciderit Inteſtinum, exhibendum quoquè *Decoctum ex Radicibus Conſolidæ, Tormentillæ, Herbis Pyrola, Sanicula, Plantagine, Hyperico. & ſimilibus, in Aqua Pura vel Chalybeata decoctis*: nec non *Electuarium ex Conſerva Roſarum Rubrarum*, *Bolo Armeno*, *Terra Lemnia*, *Gummi Arabico*, *Tragacantha*, *Syrupo de Simphito*, *&c.* Quum verò Craſſum Inteſtinum ſit ſaucium, ano per fiſtulam injiciatur *Vinum Rubrum Adſtringens*, vel laudatum nunc *Decoctum Vulnerarium*; vel *Clyſter* fiat *ex Lacte Dulci cum Therebinthina Veneta, Ovi Vitello diſſoluta, addito Melle Roſaceo, &c.*

Atqui *Inteſtinorum Vulnus ſi fuerit cum ſubſtantiæ defectu*, ut contingit, quando ictus ſclopeto infligitur, aggredi curam non debemus niſi coacti, & cum prognoſtico; caſus enim plerumquè eſt deſperatus.

Cæterum non poſſum hîc non meminiſſe admirandæ hiſtoriæ cujuſdam adoleſcentis, enſe paulò ſupra umbilicum vulnerati, de quo refert Hildanus *Cent.* 5. *Obſ.* 74. quod non tantum magnam con-

concreti, nigricantiſquè & putreſcentis, ſanguinis copiam per alvum excreverit; (non obſcurum vulneratorum inteſtinorum argumentum) verum etiam circa anni finem ab accepto vulnere, alvum exoneraturus, inflicti enſis extremum apicem excluſerit.

XXII. *Ventriculi Vulnera* probè ſunt conſideranda, an penetrent intrà cavitatem ejus, nec ne, & in qua ejus parte ſint; *hoc eſt*, an in orificio, vel in fundo. Quibus perſpectis, *ſi Ventriculi Vulnus penetrans non* ſit conſuatur plaga Abdomini illata, & protinus curetur, atquè Ventriculi Vulnus naturæ beneficio relinquatur.

Si penetret, quamvis tunc ut plurimum lethale ſit; non tamen ſine medela Æger eſt relinquendus, cum præſtet anceps experiri remedium, quam nullum, & multa præter Medentis opinionem eveniant.

Quum igitur *Telo Scindente Vulnus inflictum ſit Ventriculi Fundo*, & totus promineat Ventriculus, vulnus conſuendum eſt eô prorſus modo, quô ſaucia Inteſtina conſui ſolent; hinc conſuatur Abdomen, ac eadem porrò inſtituatur curatio, ac in vulneratis inteſtinis. Si verò non promineat Ventriculus, vel parvum ſit vulnus, ac anguſto & perforante inſtrumento factum, adeoquè conſui nec poſſit, neque opus ſit, vulnus abdominis ità conſuendum, ut in vulneris inferiore parte relinquatur orificium, quò pus expurgari poſſit, atquè intra hoc orificium immittenda turunda, quę intrà ventriculi vulnus nequaquam ingredi debet, ſed ut ſaltem ad id perveniat ſufficit; eaquè inungatur *Balſamo Sulphuris*, vel *Peruviano*, vel *Unguento Aureo*, vel *Baſilicone*, vel ſi digerendum plus ſit,

℞. *Therebinthinæ Venet.* ℥ ß. *Olei Hypericonis* ℥j. *Vitellum unius Ovi. Miſceatur pro Digeſtivo.*

Alii hîc laudant hoc Linimentum;

℞. *Olei Maſtichini, Abietini an.* ℥j. *Thuris* ʒij. *Pulv. Rad. Tormentillæ, Conſolidæ an.* ʒj. *Croci* ℈j. *Lumbricorum Terreſtr.* N°. v. *Vini Albi* ℥ij. *Coq. ad Vini conſumptionem, dein colentur pro Linimento.*

Sed plurimum ad hujuſmodi vulnerum conſolidationem juvant aſſumpta, eò quod longam in ventriculo moram trahant; hinc & Decocta, & Electuaria in Vulneratis Inteſtinis laudata apprimè hîc conducunt. Enimvero in pharmacis ore ſumendis, nec non in victu, præcipua curationis pars conſiſtit: quapropter parcè admodum comedere debet Patiens, ne ex cibi copia diſtendatur ventriculus, verum corrugatus maneat, ſicquè facilius vulnus uniatur ac conglutinetur.

Si autem hujuſmodi Vulnus ſit *cum ſubſtantiæ amiſſione*, deſperatus plerumquè eſt caſus. Uti & quum *in orificio Ventriculi ſuperiore ſeu Stomacho* plaga contigerit. At vulnus thoracis penetrans per ſeptum tranſverſum in ventriculi fundum, ejuſdemquè curatio, videri poteſt apud Scultetum *poſt Armam. Chir. Obſ.* 47.

XIII. *Hepatis & Lienis Vulnera* licet ut plurimum ſint lethalia, parva tamen & ſuperficiaria aliquandò ſanari ſolent, atquè ideò Æger non eſt derelinquendus. Si ergò magnum ſit Abdominis vulnus, & per id viſcera hæc erumpant, quamprimum intromittenda, ne ab aëre alterentur, dein vulnus conſuendum, & in inferiore ejus parte orificium relinquendum, in quod turunda, ſupraſcriptis medicamentis inuncta, immittenda, & glutinatio naturæ committenda. Interea decumbat Vulneratus, quò diutius citrà moleſtiam poteſt, ſuprà partem vulneratam, quò facilius ad plagam materia feratur.

Cæterum ſollicitos non eſſe oportet, ne inflammatio accedat, atquè ideò revulſioni potiſſimum ſtudendum, tum per *Venæſectionem* in brachio, tum per *Clyſteres Lenientes & Abſtergentes* ſubindè injectos.

Hîc quoquè locum habent *Decocta Vulneraria & Conglutinantia.* Et ſi pus per urinæ viam Medicus obſervet, *Diuretica* iſtiuſmodi Decoctis addantur.

XIV. Si *Renes Vulnerentur*, attendendum, num effluat per plagam purum lotium, vel ſanguis ſeroſus: quoniam ſi non exeat talis materies, quin potius purus effundatur cruor, hujuſmodi vulnus ad ipſam Renum cavitatem non penetrare; verum ſuperficietenus, *hoc eſt*, in parenchymate tantum Organa hæc ſaucia eſſe indicio eſt. Quo in caſu infundatur intrà vulnus conſolidans aliquod medicamentum; puta *Oleum Therebinthinæ calidum*, vel *Balſamum Sulphuris Therebinthinatum*, vel *Balſamum Peruvianum* vel *Unguentum Sanctum*, ab inſigni effectu ità appellatum, quod Joh. Andr. à Cruce *in ſua Chirurgia* ità deſcribit:

℞. *Reſinæ Pini claræ & odoræ* ℥xij. *Therebinthinæ, Olei Laurini an.* ℥ij. *Gummi Elemi* ℥ix. *Fiat ex his S. A. Unguentum.*

Hôc factô Abdominis plaga conſuatur, ac porrò conſolidetur, & Vulnus Renis naturæ relinquatur.

Atqui profundius quum ſit Renum Vulnus; ſic ut urina pura vel ſanguis ſeroſus egrediatur, tunc Abdominis plaga non conſuatur, ſed intrà eam per ſiphonem injiciatur *calidum Vinum Rubrum Adſtringens*, vel *abſtergens & conſolidans Injectio, ex Radice Conſolidæ, Tormentillæ, Herbis, Plantagine, Alchymillâ, Hypericô, Roſis Rubris, Balauſtiâ, in Aquâ Ferratâ vel Vinô Rubrô Adſtringente decoctis, additis Melle Roſaceô & tantillô Spiritûs Vini*; ac dein vulneri imponatur aliquod Conſolidans Balſamum vel Unguentum, idquè quotidiè ſemel vel bis renovetur, uſquè dum vulnus ſanatum ſit.

Patiens interim utatur *Decocto Vulnerario ſimul & Diuretico, ex Radicibus Conſolidæ, Ariſtolochiæ Rotundæ, Glycyrrhyzæ, Herbis Althæâ, Malva, Alchymilla, Sanicula, Hyperico, Fructibus Alkekengi, & ſimilibus, in Aqua Pura vel Ferrata decoctis, addito Syrupo Papaveris Rhæados vel Althææ Fernelii.* Pro potu ordinario bibat *Ptiſanam* vel *Emulſionem ex Hordeo Mundato, Semine Melonum, Cucumeris, &c.*

Quod ſi in hujuſmodi vulneribus ſupprimatur urina, ob ſanguinem grumefactum urinæ viam obſtruentem ac obturantem, ſumat Patiens mane & veſperi decem aut duodecim harum Pilularum;

℞. *Therebinthinæ Venet. ad conſiſt. pilular. coct.* ℥j. *Pulv. Troch. Alkekengi* ʒij. *Oculorum Cancrorum Crud. Cretæ an.* ʒj. *F. S. A. Pilulæ magnitudinis Cicerum.*

XV. Quoad *Veſicæ Urinariæ Vulnera*: Ea *quæ Fundo ejus ſunt inflicta* rarò ſanantur, præſertim cum urina in abdominis cavitatem continuò effluat. Quæ verò *in Collo ſeu Cervice ſunt* curari ſolent, haud ſecus ac vulnera pro extrahendis calculis à Lithotomis facta: & quidem pro eorum curatione eædem habendæ ſunt indicationes, ac in vulneribus Renum.

Cap. 23. *De Vulneribus Articulorum.*

I. SEd & in brachiis & cruribus, præter ea quæ in parte carnoſa contingunt, occurrunt *Articulorum Vulnera*; quæ peculiarem requirunt curandi methodum.

II. Eſt autem *Articulus*, ex Galeno *lib. de oſſibus in principio*, oſſium compoſitio ad voluntarium motum com-

parata. Quæ compoſitio fit ex duobus oſſibus, nec non ex ligamentis, tum orbiculari, tum tereti, oſſa hæc ità alligantibus, ut ſe mutuò contingant. Inſuper profundiores obtinet partes hæc conjunctio: etenim ſunt in Articulo tendines, ligamenta, venæ, arteriæ, nervi, &c. Hinc & hujuſmodi vulnera non modò curatu difficilia, ſed quoquè periculoſa, imò lethalia nonnunquam obſervantur. Adhuc tamen periculoſiora ſunt, ſi *Luxatio* adſit. Nequè enim ſine vitæ periculo Articulus tum reponi poteſt, ob dolores hujuſmodi vulnera perpetuò comitantes. Quapropter Prognoſtico ſe munire debet Medicus, ne apud vulgum malè audiat: aliàs enim ſi Articulum reponat, iſquè repoſitus maneat, mortem adfert Ægrotanti, videturquè non rarò ad exiguum vulnus mors ſequuta. Verum de hiſce *Libr.* 5. latius ſumus dicturi.

III. Cæterum horum vulnerum alia ad Articuli cavitatem pertingunt, alia non. Quæ eouſquè non perveniunt, dici poſſunt *Vulnera ſupra Articulos facta*, quoniam ad ipſam oſſium conjunctionem non penetrant: in quibus tamen ſi Tendines aut Nervi vulnerentur, curari debent vulnera nervorum, nervoſarumquè partium: ſin Venæ aut Arteriæ ſaucientur, oportet talia vulnera tractare ut *ſuo loco* dictum eſt.

IV. Sola autem ea cenſenda ſunt *Articulorum Vulnera*, quæ ad Articuli cavitatem deſcendunt, in quibus adeò conjunctionis ligamenta inciduntur. Hæc vulnera ut curentur, ab externi aëris injuriis probè ſunt defendenda; aëris quippe acrimonia acida vulneratis articulorum partibus nervoſis ſummoperè nocet. Labia quoquè vulneris ad ſe invicem adducenda quidem, non tamen penitus, ſi profundior plaga ſit, ſaniei, quæ tenuis ſimul & acris hîc colligitur, exitus continuò pateat: deinceps eadem imponenda, quæ in nervorum, partiumque nervoſarum vulneribus conducere ſuo loco docuimus; inſuper & ſuperponatur, ac identidem renovetur Fomentatio calida, ex Abſinthio, Ruta, Scordio, Artemiſia, floribus Sambuci, Camomillæ, Roſis Rubris, &c. in Cerevifia aut Vino decoctis; vel ejus loco admoveatur Cataplaſma. v. gr.

℞. Pulv. Fol. Rutæ, Scordii, Flor. Camomillæ, Sambuci an. ℥j. Coctis in Cerevifia ad pultis conſiſtentiam add. Farinæ Sem. Lini, Fœni græci an. ℥iß. althææ ℥ß. Pulv. Croci ʒß. M. F. S. A. Cataplaſma.

Multum quoque refert, quod membrum ritè collocetur, ut ejus actio conſervetur, nec non dolor & humorum affluxus præcaveatur: propterea & Vena ſecanda, & totum corpus diligenter evacuandum, ut de nervorum, nervoſarumque partium vulneribus abundè dictum fuit.

V. Si ergò antica Humeri pars fuerit ſaucia, alæ complicatum aliquoties linteum ſubjiciatur, & aliquo involvatur, quod cubitum ſuſtineat, & caput humeri altiùs impellat: proprio enim pondere deorſum tractum humeri caput facit, ut vulnus tardius ſanetur. At ima pars quum vulnerata ſit, ſimulac coaluit plaga imperandum Ægro, ut brachium huc & illuc per intervalla moveat, ne, inducta cicatrice, læſio in motu contingat, quaſi obligato per cicatricem articulo; vel ipſo in articulo callus gignatur, liberum humeri motum in poſterum impediturus. Hiſtoriam verò vulneris ſclopeti in articulatione humeri cum ſcapula, ſanati; decem annos incolumi Ægro; à quibus oborto in eadem parte tumore, totum acromium corruptum volſellâ eductum fuit, tradit Marchetto obſerv. 40.

VI. Sin Cubiti articulo inflictum ſit vulnus, brachium in æquo extenſum ſervandum, neque inflexum nimis; illa enim figura contractionem, ſanato vulnere, ſolet impedire; hæc liberam extenſionem; quocirca mediâ collocandum figurâ, quæ angulum obtuſum refert.

VII. At in Manu vulneratis Carpo, Digitorumque articulis, manus ſemiflexa eſt continenda, atquè digiti non extendendi, ne inductâ cicatrice, rigidum permaneat hoc organum. Hiſtoriam quoque lectu dignam juvenis, cui morſu equi fuerit detruncatum tertium pollicis internodium, cum evulſione tendinis muſculi id flectentis, hocque ex voto ſanatum, refert Marchette obſerv. 62.

VIII. Sed Femoris articulus quum ſit ſaucius, ſupinus Æger decumbat, & idoneis pulvillis ac deligationibus caput iſtius oſſis ſuo in acetabulo contineatur; & dum cicatrix inducitur, Ægro imperandum, ut interdum huc atquè illuc femur moveat, ne, inductâ cicatrice, motus læſio accidat.

Genu vulneratum rectâ figurâ eſt extendendum, & ità collocandum, ut claudicatio evitetur. Atque ſic de cæteris vulneratis articulis erit dicendum.

Hactenus Municks in Chirurgiâ ad Praxin hodiernam adornata. Jam ad Cautiones in Sanationibus Vulnerum & Ulcerum adhibendas, ex Celeberrimò Caſare Magato, Medicò Italô, properabimus, poſtquam paucula recenſenrimus ſuper globulorum extractione, & remediis quibuſdam vulnerariis generalibus.

De Globulorum extractione.

Si globulus oſſi impactus fuerit, quàm commodiſſimè fieri poterit, elevatorii apice in ipſum defixa extrahetur. Quòd ſi tam citò avelli nequeat, relinquendus eſt per aliquot dies, ſic enim per carnium ſuppurationem foramen grandius fiet, & os globulum minus arctè conſtringet; Neceſſarium interea fuerit illum ſingulis diebus movere; & ſi fortè nimis adhæreat extremum remedium in variarum oſſis partium terebratione per trepanum pyramidalem, poſitum erit, ut ſic elevatorium intromitti poſſit, quo & blandè concutiatur & extrahatur: Si verò globulus parvus ſit atque medio tibiæ oſſi, aut coſtæ, aut ſterno, aut cuipiam è cranii oſſibus, defixus, terebrandum foret prædictum os, trepano ſic poſito ut ipſius cavitatis medium globulus occupet, ut ſic unà cum oſſis fruſtulo auferatur. Quòd globulus articulationis cujuſpiam v. g. tibiæ cum femore, medium penetret, quàm blandè fieri poterit, ab una parte femur ab alia tibia trahetur, ut ſic ligamenta & tendines, qui articulationem conſtringunt dilatentur, ſic ſpatium inter oſſa ſit laxius, ita ut parvo adhibito forcipe cujus extrema in cochlearis formam ſint excavata, facilè apprehendatur & extrahatur; ſed ſi metus ſit ne ſic nimius procreetur dolor, curandum genu flectatur, ſic enim oſſa magis ad invicem accedentia, globulum & comprimunt & ad extra propellunt, unde ſimplici facta inciſione facilè excutitur. Verùm ſi globulus vi ſua os quaſi contriverit & in plures particulas diſcerpſerit, interque illas vel permanſerit, vel ulteriùs progreſſus ponè ipſas tantùm conſtiterit, tutiſſimum fuerit vulnus dilatare quantùm pars affecta permiſerit, ſive per ſui ingreſſum, ſive per exitum, ſi adfuerit; eodemque momento adhibitis digitis, vel alio inſtrumento apto exquirendæ veniunt particulæ oſſis à ſuo toto ſeparatæ, eademque via globulus, ſi in vulnere remanſerit, ut omnia, quàm blandè fieri poterit, eximantur; & ſi grandiores aliquæ reperiantur ſchidiæ, quæ aut toti ſuo, aut perioſtio, aut ligamentis adhæreant, vi non ſunt eximendæ, ne ſic magnus dolor & etiam convulſio acceſſatur; è contra oportet eas toti ſuo reaptare; ſæpius enim natura eas foràs eliminat ſine ullo dolore, in ipſo ſuppurationis negotio, aut per ſe ſeparantur,

tur, dum novæ excreſcunt carnes quæ ipſas ad exteriora propellunt; aut in ſubſequentibus, parti readunantur, eique ſuſtinendæ inſerviunt.

De extractione globuli plumbei per ſex annos circa linguam hærentis; & loquelam gravem facientis hiſtoriam ſcribit *Celeberr. Jobus à Meek'ren* quam hic legere commodum fuerit.

Operatio eſt Chirurgica & nota, balbutientium linguam ponderum appropriatorum ope deprimere, quo tardius loqui adſueſcant.

Actio contraria nobis in Noſocomio noſtro obvenit. *Franciſcus Wouters*, miles, antè ſexennium globulum ſclopetarium linguâ receperat, vulnere à nucha ad locum dictum penetrante, unde gravis ipſi adeò loquela, ut non niſi longo tempore ſententiam aliquam proferre valeret.

Hujus (ſiquidem poſſibile) quo curatio inſtitueretur, præmiſsâ purgatione commodâ, venæſectioneque inſtitutâ largiore, ſiniſtra manu, linteo munita (quo firmior certiorque apprehenſio) linguam apprehendimus, mox eo loco ubi globulus hærebat, dextrâ ſcil. linguæ parte, eâque ad poſtica vergente ſectionem inſtituimus, foramine facto, cyſtique, cui incluſus globulus, diſſectâ, beneficio inſtrumenti incurvati, commodi, ſenſim globum extraximus.

Sanguinis ad fluxum cohibendum, vulneriſque ad mundificationem collutio hæc præſcripta.

℞. Fol Plantaginis, Agrimoniæ, Violar. Acetoſæ an. M. j. Flor. Roſat. rubr. M. ß. Balauſt. ʒij. Nuc. Gallar. ʒß. Coquantur in Aq. hord. Colat. ℥v. adde Mell. Roſ. ℥j. Ol. Vitriol. g. 4. M.

Collutione inſtitutâ linctus hic uſurpatus.

℞. Syrup. de Symph. Fernel. ℥j. Violar. Mell. Roſar. an. ℥ß M. F. Linctus.

Et horum ſolo uſu ſex ſeptemve dierum ſpatio integrè æger hic curatus, debitaque gratiarum actione habitâ, diſceſſit.

De facili Curatione Vulnerum ſimplicium.

Modum facilem curandi ſimplicia vulnera hîc apponere mihi liceat, ad Medicinæ Tytones erudiendos, qui ſequens eſt à me pluries feliciter expertus. Vulnera igitur mane & veſperi vinô albô generoſô prius mundifico, poſtea oleum hypericonis vulneri appono, & ſic hôc facili remedio ſimplicia vulnera cito certâque methodô ſana reddo. Et elapſis diebus vulnus ſimplex ſanatum vidi ſolâ inſperſione pulveris tabaci. *Ex communicatione Viri Præclariſſ. Dom. Joſephi Lanzoni.*

Joſephi Lanzoni Med. Ferrar. Remedia Varia experta ad vulnera ſimplicia ſananda.

Primò; Solum vinum calidè appoſitum pluries expertus fui multæ eſſe efficaciæ ad vulnera ſimplicia curanda. Secundò, Pulvere tabaci inſperſo militem vulnera ſanare retulit expertus. Tertiò, Aquam vitæ, oleum Hipperic., oleum vitell. ovorum, oleum Terebinth., & oleum Abietinum multæ eſſe efficaciæ ad vulnera conſolidanda probavi ſæpe in Praxi Medica facienda; imò aquam communem non ſolùm ſanguinem ſiſtere, ſed etiam vulnera ſimplicia quoque conſolidare experientia me docuit. Quartò, ſequenti unguento fæliciter multi utuntur Chirurgi; nempe.

℞. Terebinthinæ lotæ in aq. ſalviæ ℥ß. Mellis roſat. ſimpl. ℥iij. Farin. hord. ʒij. Aloës ſuccotrin. ʒiij. Pulv. ſang. dracon. in lacrima ʒj. m. f. Unguentum S. A. Quintò, Balſamum ſulphuris ad vulnera ſananda commendant multi ſic edocti à Mart. Rulando; hocque probavit miles, & ſanatus eſt.

Sextò, Pulverem vitrioli romani rubificati non tantùm hæmorragias ſiſtere, ſed etiam vulnera conſolidare, expertus nuper fui in Adoleſcente, ab alio in brachio dextro vulnerato. Septimò; Herbam millefolium dictam contuſam cum vino generoſo appoſitam brevi curaſſe vulnus, Chirurgus Amicus meus fidè dignus mihi retulit; quod etiam in Ruſtico ego fæliciter expertus nuper fui.

Joſephi Lanzoni Obſervatio de remedio ad Vulnera ad Dominum Doctorem J. Jac. Mangetum Amicum Colendiſſimum.

Primos duos tomos Bibliothecæ tuæ Practicæ diligentiſſimè collectæ, ac utiliſſimè publici juris factæ, rite accepi; & quia ab humaniſſimis tuis mihi ſcripſeris, intellexi nunc quartum tomum ſub typo exiſtere, antequam ad umbilicum perducatur egregium tale opus; mihi liceat tibi tranſmittere ſequentem formulam Balſami, qui intrà hor. 24. omnia ſimplicia vulnera ſanat.

℞. Olei Veteris olivar. ℥iij. Terebinth. Venet. ℥v. Flor. Hiperic. ℥iß. Thuris elect. ℥j. Sang. dracon. in lacrim. ʒiij. Ol. Abietini ℥j. Flor. Nicotian. pug. ij. M. omnia hæc ſimul, ſuperinfundendo tantùm Vini Malvatici, ut omnia ſubmergantur; & ſtent per triduum in infuſione; poſtea coquantur ad vini conſumptionem, inde forti facta S. A. expreſſione, reponatur Balſam. in Vaſe ad uſum.

Ad faciliter incarnanda Vulnera, & Ulcera.

℞. Pulv. Maſticis, Myrrhæ, Incenſ. an. ℈j. Ol. Terebinth. Ceræ, ex vitel ovor. an. ℈ij. Unguent. de Betonic. ℥iij. Spir. Vini optim. ℥j. M. F. S. A. Unguentum.

Obſervatio de Obſervatione circa vulnera capitis.

Obſervatum fuit, inquit *Clariſſ. Dn. Joh. Jacob. Waldſchmidius in not. ad Barbet. Chirurg.*, omnes in capite graviter vulneratos, ſi lumen, vel candelam ferre non potuerunt, fuiſſe mortuos; quod idem ego pluries expertus fui, imò hoc tanquam ſigno lætalitatis ipſius vulneris nunc utor. *Ex ejuſdem Viri Clariſſ. communicatione.*

Præclariſſimi Viri, D. Dioniſii Andreæ Sancaſſani, Comachii Medici Primarii, Aphoriſmorum ex operibus Celeberrimi Cæſaris Magati collectorum, Centuriæ tres: Quibus quicquid prædictus Magatus in curâ Vulnerum & Ulcerum; ſecundùm propriam ſibi methodum tradit, compendiô explicatur.

CENTURIA PRIMA CHIRURGICA.

Aphoriſmus.

I. QUiſquis ſibi gloriam ſanati vulneris adſcribere volet, decipiet & ſe ipſum, & eos qui illi confidunt; commonſtrando ſe, ſi Chirurgiam exercet, parum in hâc arte verſatum.

II. Si exactus habeatur calculus, conſtabit quod in vulnerum curâ & Chirurgus non magis confert, quàm Medicus, Phyſicus dictus, omnis alterius morbi, tam externi, quàm interni, ſanationi facit.

III. Natura eſt vera morborum medicatrix, ut ſapienter ſentiebat Hippocrates. Illud autem nunquam melius obſervari poteſt quàm in vulnerum curâ.

IV. Maximæ ſunt naturæ vires, quando iis auxilium ſubjungitur, nec debilitantur à Chirurgis aut Medi-

Medicis remedia inidonea adhibentibus. Utinam hoc aliquando, ipſi intellexerint, ea namque ratione omitterent plura remedia, ſæpiùs quæ ſunt ipsô morbô magis nocua. Curæ multò meliùs ſuccederent ſi illi qui iis vacant indoctiores eſſent, & proprio emolumento minùs quam vulneratorum ipſis commiſſorum commodo, intenderent.

V. In iis vulneribus quibus pars aliaqua interior affecta fuit, Chirurgus nullatenus ſibi proponit efficacius quid admovere. Attendere debet ad ea quæ ipſius oculis ſubjiciuntur, & reminiſci quòd ipſa Natura viſcerum curæ præeſt; dum Ars nihil in iis vulneratis conficere valet.

VI. In vulnerum curâ Chirurgi officium, in eô poſitum eſt ut Naturam tueatur contra accidentia imminentia, atque impediat corruptionem balſami ab ipsâ adhibendi.

VII. Quicumque vulnera curare intendet, omiſſis aliis pluribus indicationibus, debebit unice duobus inſiſtere: ſcilicet caloris naturalis conſervationi, & omnium quæ ejuſmodi intentioni officere poſſunt, remotioni.

VIII. Satis erit ſi calor naturalis per quem vulnerum cura perfici poteſt, ſit validus: Ex eôque evenit quòd etiam in manibus eorum qui quotidie remedia renovant, contra quàm deceret, vulnera ſæpe ſanentur.

IX. Virtus quâ vulnera ſanantur minimè remedio adhibito includitur; Sed in eô quòd idem vulnus bene coopertum detineatur.

X. Non autem omne tegumentum aptum erit defendendo ac corroborando calori natulari partis vulneratæ: Verum debet illud ea arte confici quæ arcere valeat aëris injurias ab iis partibus quæ propriô tegumentô per inflictum vulnus fuere ſpoliatæ. Tegumentum autem illud artificiale gravius eſſe minimè debet.

XI. Aer quantumvis calidus calore ipſo naturali ſemper eſt frigidior. Ejus impreſſiones minoris non ſunt momenti, & malum quòd inde oriri poteſt perniciofius eſt quàm concipere queas. Irrident hoc multi, & tamen nihil certius eſt.

XII. Pomum in aliquâ ſui parte inciſum, non aliâ de causâ putreſcit niſi quia Aer interiora ejus penetrat. Idem etiam in vulneribus evenit.

XIII. Citò ſanantur oſſium fracturæ, ſi carnes non fuerint vulneratæ, quia aër ad illas minime pervenire poteſt. Verùm non ita facilè ſanantur ſi ipſis adjunctum fuerit vulnus.

XIV. Si oſſis alicujus luxationi adjungatur vulnus, illud in proprium locum non reducetur ſine periculô convulſionis, hocque tantùm propterea quòd aër ſe in partem affectam inſinuat. Chirurgus itaque talem articuli repoſitionem recuſet; & ſi timeat ad id ſe coactum iri, potiùs quàm illud peragat, quantociùs fugiat.

XV. Aer cujuſcumque demùm fuerit conditionis, omnibus prorsùs vulneribus eſt infenſiſſimus; non exceptô etiam aëre æſtivô calidô.

XVI. In vulneribus graviſſimis poterunt interponi quatuordecim, viginti, & etiam plures dies inter vulneratorum medicationes, & hoc feliciſſinè ſuccedet.

XVII. Quis non videt nihil magis calorem naturalem partium vulneratarum foturum eſſe, quàm ſi illæ probè cooperiantur? Sic etenim ab aëris injuriis defendetur, & eò minùs evaporabit, quò rariùs medicationes adhibebuntur.

XVIII. Chirurgus dum cooperta continebit vulnera, non propterea erit ſpectator otioſus: Omnia enim obſervabit, & omnibus providebit. Attendat autem præcipuè ad expurgationem excrementorum, nec permittat ut illa in vulneribus accumulentur.

Ipſius itaque erit officii ut ſtatim ac ea formantur, continuò foras exeant, idque ſine remediorum applicatione.

XIX. Verus Chirurgus faciliùs cognoſcet ſtatum alicujus vulneris, ſine interiori ejus inſpectione, quàm alius qui illud ipſum duabus vicibus de die medicatur, faſciaſque involventes ſolvit.

XX. In primâ vulneris medicatione cognoſcet facilè peritus Chirurgus, ſi adventura ſint accidentia aliqua exitioſa, & quare.

XXI. Si vulnus fuerit ſine febre, ſine dolore, ſine partis affectæ gravitate ac tenſione, & ſi excrementa facilè exeant, ſanatio quàm commodè ſuccedet. Infeliciter verò ſi ea omnia adſint.

XXII. Illis ipſis qui vulnera frequentiùs medicantur, ſuperveniunt caſus ſiniſtri quos non prævidèrunt; imò etiam ſæpiùs quàm iis qui rariùs ipſa retegunt.

XXIII. Status vulneris certiùs ex pulsû dignoſcetur, quàm ex ejùs retecti inſpectione. Chirurgo perito ne quidem minima alteratio occulta erit.

XXIV. Omnis vulneris alteratio, quamtumvis parva, corpus totum alterat. Verum non omnis corporis alteratio, etiamſi intenſior, partem vulneratam alterat.

XXV. In omni vulnere qui calorem naturalem in proprium ſtatum reſtituere valebit, nullatenùs opus habebit aliô remediô pro ejus cura.

XXVI. Si provideatur temperamento ac vigori partis vulneratæ, non accumulabuntur excrementa, quæ requirunt affectatam illam diligentiam, & nocivam curioſitatem, propter quam ſingulis deligatur diebus.

XXVII. Qui nondum ſunt aſſueti methodo quâ rariores fiunt medicationes, & propterea in eâ obſervandâ aliquid timebunt ſiniſtri, poterunt aliquando vulnus retegere, illudque curſim oculis ſuis perluſtrare; hic enim parum procreabitur mali, dummodô Chirurgus ſe circonſpectum ac promptum exhibeat.

XXVIII. Si omnia vulnera unô & eôdem modô contegantur, inde neceſſariò ſubſequentur errores pernicioſi, & quandoque lethales.

XXIX. Tegumentum bene conſtitutum fovet ac corroborat naturalem calorem, à cujus efficaciâ in parte vulneratâ peragi poſſunt illa omnia quæ à variorum remediorum facultatibus exquiruntur.

XXX. Optimum vulneris tegumentum erit ſemper ipſa cutis, quâ partes ſubjectæ ſine magnô ſuô damnô carere minimè poſſunt.

XXXI. Si ſupra vulnus retrahatur cutis, etiamſi ea ſit omninò prope ſeparata & ſublivida, illa tamen adhærebit & reagglutinabitur etiam in ſenibus. Sub hôc tegumentô, aut etiam aliô artificiali, non accumulabitur excrementorum pars major quàm vigeſimâ eorum quæ accumularentur ſi ſingulis diebus medicationes adhiberentur: Illud autem eâ fit ratione, quòd natura impedimentis irritantibus minus laceſſatur.

XXXII. Si in vulnere tota reſecetur cutis, quæ jam maximâ ſui parte eſt ſeparata; & ea prorsùs denudentur carnes ſubjectæ; vulnus inde evadet & magis doloroſum, ac etiam ſordidius: Illudque eò magis eveniet ſi medicatio adhibeatur ſecundùm Galenicam methodum: Unde etiam cicatrix difficillimè inducetur.

XXXIII. In Puſtulis doloroſis, ſi illæ acû perforatæ, leviter comprimantur, ſicque intactâ aliàs cute, puri exitus detur, iteratâ, etiam in id, ſi opus fuerit, puſtularum perforatione, multò promptiùs illæ ſanabuntur, quàm ſi apertio major fieret, cutiſ-

cutiſque reſecaretur. Unde evidentiſſimè manifeſtatur & aëris malignitas, & tegumenti naturalis efficacitas; cui propterea deficienti ſupplendum omnino venit per tegumentum aliquod artificiale.

XXXIV. Si quando arbori alicui ſylveſtri ſurculus de alia arbore cultâ reſectus inſeritur, ex aëre liberè incurrente, ac penetrante, non mediocris advenit noxa, & ut illa præcaveatur, tegumentis & faſciatione apta aër excluditur. Quis non credat illum ipſum aërem ſenſibilibus carnium vulneratarum partibus, arboribuſque multò mollioribus, non parum infenſum eſſe debere?

XXXV. Dum quotidie vulnera faſciationibus ſuis ſpoliantur, commoventur, manibus tractantur, deteigentur, & alia ſimilia peraguntur, dolor inducitur ſatis vehemens, ac fluxionibus excitandis non parum aptus; unde poſtea procedunt inflammationes &c.

XXXVI. Quando vulnus aliquod retegitur, quod per longum tempus tectum fuerit, illud ita mundum reperitur, ut nulli medicamentò abſtergenti id æquè benè mundificare liceat.

XXXVII. Si vulnus è quô excrementa magnâ copiâ exeunt, religetur rariùs, videbis quòd ſic eadem excrementa, multò minori quantitate, omni habitâ juſtâ proportione, generabuntur. Quid igitur illa producit magis quàm medicatio frequens?

XXXVIII. Dum calefit aër ambiens, pro præſervandis vulneribus ab ejus inſultibus, in idque adhibentur panni calidi aliæque diligentiæ; ſic ſanè obtineri nequit quod obtinetur quando vulnus probè tectum conſervatur. Si etenim vulnus tegumentis ſuis ſpolietur, ſubitò frigeſcit: Quandoquidem omnis aëris calor, quâcunque demum arte inductus, ſi cum calore naturali comparetur, in multis deficit gradibus.

XXXIX. Quando exſolvendum venit aliquod vulnus ante tempus, conſiderari debet an damnum quod ab aëris incurſibus inducendum eſt, penſandum veniat cum aliô aliquô majoris ponderis emolumentô

XL. Cùm vulnera probè cooperta continentur, oſſa minimè exfoliantur, aut minùs ac prompriùs ſaltem deſquamantur, quàm ſi ſingulis diebus medicarentur.

XLI. Si probè coopertum fuerit vulnus, minima erit purulentiæ quantitas; illaque partim viam ſibi faciet ſenſibilem per emiſſaria ſibi à Chirurgô parata; partim verò in habitum inſenſibilem reſolvetur.

XLII. Dum vulnera probè cooperta medicantur, in iis purulentia non enaſcitur viſcoſa, qualis reperitur cùm Galenicè tractantur, ubi manuum & remediorum abſterſio requiritur.

XLIII. Si cui mundities in curandô vulnere placeat, illi minimè denegabitur, quin partes tegumentorum humidiores removeat, illiſque alias ſicciores ſubſtituat. Dummodo in hôc peragendô vulnus non omnino retegatur.

XLIV. Vapores qui ex vulnere elevantur, ſi retineantur, offenſam non parient tantam, quanta adveniret, ſi aëri illud exponeretur. Nec aliquacunque demùm cautio eam noxam præcavere poteſt.

XLV. Quando vulneri adjungitur aliquod ſymptoma quod illud religare cogat, inſanum ſe præberet qui illud non faceret. Ea autem cura coacta dici debet, dum quando vulnus coopertum detineri poteſt, cura eſt regularis.

XLVI. Illi etiam ipſi qui vulgari modô vulnera curant, ſæpius coguntur contra ſuam methodum procedere, ac medicationem aliquorum ex iis non parum differre; cum verbi gratiâ hæmorrhagiam aliquam metuunt &c. Itaque nulla eſt regula quæ ſuam non patiatur exceptionem.

XLVII. Minimè intereſt ſi ſub tegumentô aptô diſpereat vis medicamentorum: Illa etenim æquiparanda non venit vi ipſius tegumenti, quæ ſæ è longè excedit cujuſcumque medicamenti vim.

XLVIII. Superatô inflammationis periculô, tegumentum non æquè ut antea eſt neceſſarium. Tunc itaque Chirurgus, ut aliquid agere videatur, poteſt ſemel aut bis vulnus religare; dummodo ab aëris injuriis illud quàm diligenter defendat.

XLIX. Quorundam erronea, imò ridicula eſt opinio, qui credunt per longum tempus vulnera aperta detineri debere: Dum ſcilicet reputant illa ſufficienter expurgari minime poſſe, ſi purulentia copioſiſſima inde non exeat.

L. In vulneribus, linamenta quæ introducuntur, ſunt corpora extranea, quæ pars vulnerata facilè ferre non poteſt: ſiquidem ipſi nullatenùs ſunt naturalia.

LI. Linamenta quæ in vulnera inducuntur, id mali procreant quòd partem vulneratam diſtendendo eam comprimant, ſicque fluxionem in ipſam attrahant. Præterea dum adimplent partem vulneratam, vulnerati crumenam non parum deplent.

LII. Omiſſis linamentis, non ſic tamen minùs apertum erit vulneris orificium: imò ſic faciliùs remotô ejuſmodi obſtaculô, purulentia ſibi viam faciet.

LIII. Linamenta quæ in vulnera introducuntur, ipſa pejoris faciunt conditionis. Hoc autem aliqui aſtris imputant, quorum culpa, ſi ita dicere licet, non alia eſt, quàm quòd forſan vulneratis, per ſuum defluvium inſpirent, ut ſe manibus committant tam imprudentibus.

LIV. Vanus eſt admodùm timor ille quem ſibi faciunt quidam Chirurgi; ſcilicet quòd ſi linamenta in vulnera ſibi commiſſa non inducant, eorundem orificium neceſſariò obturandum veniat; ante carnium, quæ in fundô enaſci debent, procreationem. Caro etenim prompriùs multò in vulneris fundô; ubi calor vividior eſt, quàm in ipſius orificio generatur.

LV. Ex eô quòd ſanantur vulnera in quæ linamenta introducuntur, non aliud concludi poteſt, quàm ſanationes quandoque fieri etiam malè curatis morbis. Natura etiam ſæpe medicantium errores corrigit, quando nimiùm non impeditur.

LVI. Verùm, nonne ſaltem ad introducenda medicamenta neceſſaria, commoda erunt linamenta? Minimè: Jam etenim ſupradictum fuit, ſanationem perfici poſſe ſine remediis inductis, & ea ſola tantùm adhiberi debere quorum vis per minimum temporis ſpatium ſit perduratura.

LVII. In vulnerum curâ, dum raro medicamenta adhibentur, mirandum ſe præbet naturæ artificium ſingulare: Tunc etenim illa ſenſim vulnerum cavitates replet, illaque conglutinat, relinquendo interea orificium ſufficiens pro excrementorum expurgatione, donec adimpleta ſit omnimò cavitas; nec ampliùs ſuperſit aliquid quod expurgari debeat.

LVIII. In vulnerum curatione, omnino attendendum venit ut ea emiſſaria apta habeant: Hoc eſt ut ſit ipſis via recta ac larga imò per declivia, aperta, per quam exire poſſint purulentiæ. Illud autem Chirurgi prudentiam & induſtriam exigit.

LIX. Si ille qui vulneravit viam non fecerit ſufficientem excrementorum in vulnere inflictô generandorum emiſſioni; neceſſarium erit illam ſectionibus oportunis dilatare, in idque etiam oſſa, ſi opus fuerit, diſcindere: Arte etenim debet id confici aptum exigentiis. Imò ſi iſtiuſmodi ſectiones non ſufficiant; vulnus novum, ſi illud magis è re fuerit; parandum venit.

LX. Aperiendum eſt vulneribus emiſſarium, ſi illud deficiat; Foveaturque interim ac reparetur calor

Partis affectæ. Tunc nolente etiam ipsô Chirurgô ſanabitur vulnus.

LXI. Multùm intereſt ut probè faſcientur vulnera. In ipsô autem principiô ſummè opus eſt à faſciationibus abſtinere ſtrictioribus; illudque imprimis ſi grandiora fuerint vulnera.

LXII. Faſciationes non debent inſervire niſi ad continendum ſupra vulnus tegumentum, quod fuerit ipſi impoſitum proportionaliter ad neceſſitatem.

LXIII. In ſimplici vulnere adhiberi poterit agglutinans faſciatio.

LXIV. In grandioribus vulneribus, ſi ea faſciatio quæ primò laxa fuerat facta, conſtrictior evadat, ratione tumoris in principiô accreſcentis; non exolvetur ipſa ſubitò: Sed ſuffecerit ſi hic atque illic faſciatio pauliſper reſecta laxetur.

LXV. Diſcuſſo tumore qui vulneri ſe adjunxerat, ſi faſciatio ſic nimiùm relaxata videatur, poterit ea conſui ubi fuerat priùs reſecta, aliam ipſi rursùs circumvolvendo.

LXVI. Neceſſarium prorsùs eſt non delinquere in vulnerum faſciatione ſtrictiori, ac præcipuè in capitis vulneribus; ne ſcilicet in ea incurratur funeſta ſymptomata, quæ inde enaſci poſſunt.

LXVII. Faſciatione confectâ ſatius fuerit ejus extrema conſuere, quàm nodô continere. Nam per nodum excitatur dolor, qui ſummâ curâ ſemper averti debet.

LXVIII. Quando approximanda venient vulneris labia, ac reunita conſervanda erunt, ſatius erit fibulas cum glutine adhibere, quàm agglutinativâ uti faſciatione.

LXIX. Multis de rationibus cogi quis poteſt vulnerum faſciationes ante tempus ad id deſtinatum exſolvere, quarum præcipuæ ſunt neceſſitas operationis alicujus in iis peragendæ, & materia, ſeu corpus aliquod, quod inde extrahi debeat.

LXX. Hæmorrhagia immoderata, gangræna, inflammatio, & pejoris notæ purulentæ, Chirurgum cogunt vulnera exſolvere: Ut & etiam ſi caro nimiùm excreſcat, ſi humiditas copioſior fuerit. Ab una â etenim parte exſiccandum venit vulnus; ac ab alia conſumendum illud quod nimium eſt.

LXXI. Si corpora extranea fuerint è vulnere extrahenda, tunc exſolvendum eſt vulnus. Obſervandum autem quòd ſi eô probè coopertô detentô, purulentia in magna quantitate exeat, ſignum certum inde peti poſſit, corpus extraneum inibi adeſſe, quod ſui extractionem requirat. Unde eô extractô ac foràs rejectô, ſtatim ceſſabit ejuſmodi purulentiæ copia.

LXXII. Dolor aliquando cogit vulnus exſolvere. Verùm ſi doloris illius cauſa fuerit aër ipſe, cui vulnus nimiùm expoſitum fuerit. Tunc remedium erit in ipsâ faſciatione, per quam dolor proculdubio ceſſabit.

LXXIII. Ante tempus exſolvetur vulnus, ſi ſic purulentiis contentis commodior aperienda ſit via. Eapropter ab initiô neceſſarium eſt quandoque in eum finem illud retegere, bis aut ter, ac, quamvis rariùs, etiam quater. Quò minùs autem hoc fiet tantò hoc fuerit vulneri utilius.

LXXIV. Pruritus & fætor è purulentiis contentis emanans, cogunt etiam ipſi quandoque vulnera retegere. Raro autem illud evenit perito Chirurgo, qui diligenter cavet ut purulentiæ ſenſim per emiſſaria ipſis parata exeant.

LXXV. Exſolvetur vulnus, ſi in eô generentur vermes qui carnes corrodant. Rariſſimè autem ejuſmodi inſecta generabuntur, ſi vulnus probe tectum fuerit

LXXVI. Si nihil occurrat quod vulnus ante tempus exſolvere cogat: Non priùs illud religabitur, quàm cum cavitas fuerit carne repleta, ac cicatriſatio jam proxima.

LXXVII. Si quando retegetur vulnus, illud non fuerit omnino carnibus repleum, ejuſmodi retectio non erit multùm damnoſa; ac ſatis erit ſi ſit prope repletum, quandoquidem difficillimum eſt noſſe proprium momentum quô talis repletio perfici debet.

LXXVIII. Error non committetur gravis ſi vulnus cavum priùs quàm omnino carnibus repletum ſit retegatur: Commodiùs etenim replebitur, quando poſt ejuſmodi retectionem, excrementis inde eliminandis emiſſarium aptum parabitur.

LXXIX. In juvenibus & adultis boni temperamenti, carnes in vulneribus citiùs multò excreſcent, quàm in ſenibus, aut iis quorum habitudo fuerit mala.

LXXX. Vulnera ſimplicia, ſi probè curentur, intra octiduum ſanantur. Vulnuſcula autem parvi momenti, intra biduum, aut triduum.

LXXXI. Vulnera grandia carnibus inflicta, ſi non adſit contuſio, intra quatuordecim dies carne replentur. Sin contuſa fuerint non replebuntur niſi poſt viginti dies: Imò viginti quatuor requirentur, ſi os fuerit affectum, nec exfoliari debeat.

LXXXII. Si vulnus inflictum fuerit cum totali oſſis fractura; tum, ſecundùm oſſis fracti magnitudinem aut qualitatem, ejuſmodi vulnus carne non replebitur ante diem trigeſimam, imò etiam trigeſimam quintam, ac quadrageſimam.

LXXXIII. Si in vulnere oſſis ſeparatio fieri debeat, qualiſcumque demùm ſupputatio fiat, certiſſimum eſt, quod illud carnibus nunquam replebitur, priùs quàm os jam mortuum ſeparatum fuerit, ac foràs rejectum.

LXXXIV. Ut vulnus aliquod lethale pronuncietur, oportet ut illud proximè accedat ad maximam amplitudinem in omni ſenſû. Morientur autem vulnerati promptiùs aut tardiùs, prout eorum vulnera ad ejuſmodi extremam magnitudinem longiùs, aut propiùs accedent.

LXXXV. Vulnera minimè occidunt per ſe ipſa: Verùm mors advenit per ea quæ ipſis ſuperadjunguntur, aut quæ iiſdem adnectuntur. Sic v. g. ſi vulneri ſuperveniat convulſio, ſyncope, hæmorrhagia immodica, aliaque ſimilia, mors eſt inevitabilis, ac brevi vulneratum è vivis tollet.

LXXXVI. Etiamſi in vulneribus criſes non ſuperveniant, perinde tamen non minùs attendendum ad dies decretorias dictas. Habent etenim ejuſmodi dies quod ſui obſervationem mereatur pro prognoſi feliciter dirigendâ.

LXXXVII. Si diebus criticis, nulla adveniat in vulnere mala mutatio, & Symptomata quæ ſupervenerant, tunc miteſcunt, cura poteſt credi propè infallibilis.

LXXXVIII. Vulnera graviſſima, ſi bene tecta curentur, non erit ſemper infauſtum ſignum ſi nulla ipſis ſuperveniat tumefactio, ut voluit Hippocrates.

LXXXIX. Nihil mali vulneribus accedere poterit, quod non ſubodoratus ſit peritus Chirurgus. Ille etenim propriâ experientiâ cauſam videbit quæ ejuſmodi ſymptomata parere eſt parata.

XC. In primâ vulnerum medicatione applicari ſolet ſtuppa albumine ovi bene agitatô imbuta. Illud remedium adhiberi debet rariùs, & amoveri ex quô dolor ejus applicatione inductus perſentitur.

XCI. Albuminis ovi agitati applicatio, è re fuerit ubi aderit hæmorrhagia, per ejuſmodi medicamentum inhibenda. Illi ipſi tamen cohibitioni meliùs inſervient digiti comprimentes. Dummodo lacerata non ſit arteria, vel ſecta.

XCII. In omnibus recentibus vulneribus, exceptis

tis iis abdominis, utile fuerit ſi ſanguis fluat, quantum ſufficerit pro præveniendô inflammationis periculô.

XCIII. Malum eſt vulnera conſuere dum ex iis effluit ſanguis. Quandoquidem is intra illa hac ratione cohibitus coagulatur, ac in purulentiam abit; unde non tantùm impeditur parietum vulneris agglutinatio; ſed etiam inflammatio producitur.

XCIV. Si vulnus occurrat cavum, ubi cohibitus fuerit ſanguis, & extranea corpora extracta; aſſumatur cum ſpatula remedium aptum,eô que ad candelæ calorem liquefactô, attingantur vulneris labia, parumque etiam in ejuſdem fundum inſtilletur. Poſtea orificio imponantur filamenta iſtô ipsô remediô impraegnata; tandemque fiat idoneum tegumentum; additis petiis, compreſſis, & faſciationibus neceſſariis.

XCV. Si vulnus non fuerit de graviorum genere, omitti poterunt filamenta. Dum interim medicans Chirurgus omnino cavebit ne tegumenta adhibita illud vulnus nimium onerent, & illâ faſciatione commodâ probè contineantur.

XCVI. Poſtquam medicatum fuerit vulnus, collocabitur pars vulnerata in ſitû idoneô, qui dolorem minimè inducat, & in quô vulneris orificium ſit declivius, ad minimum eâ parte, unde purulentias exituras ſperamus.

XCVII. Vulgò medicantur vulnera tertiô, aut quartô quôque die. Interea vera ac legitima medicationis methodus in eô poſita eſt, ut vulnus coopertum probè contineatur, donec conjectari liceat, quòd illud carne propè repletum ſit.

XCVIII. Si vulneratus poſt vulgarem medicationem adhibitam, nobis incurrerit. Conſiderandum erit primô locô, quantum temporis vulnus aëri expoſitum fuerit. Si autem ejuſmodi expoſitio non advenerit quàm à triduô, aut quatriduô; ſupputatio pro medicatione ſubſequente fieri debet, quaſi ſi ipsô illô die vulneratus fuiſſet patiens curæ noſtræ commiſſus.

XCIX. Si advocatus fueris ad vulneratum, cui priori die applicatæ fuerint ſtuppæ albumine ovi &c. imbutæ; illæ relinqui debebunt ad quartam uſque diem, dum modo nihil manû operandum illic veniat. Quòd ſi vulneratus per longum tempus malè curatus ſit, corrigetur vitium inde inductum per raras medicationes in poſterum adhibitas.

C. Si vulnus ejus fuerit conditionis, in quâ orificium eſt ſtrictius, quàm ut per illud poſſint emitti purulentiæ: Ac prætereà os ſit affectum; aut viſcus aliquod retectum; ita ut cum tegumentô naturali ei mederi minimè liceat. Melius ac utilius erit curam cum linamentis, aliiſque corporibus tubulatis, in id introductis aggredi, & medicationes ad tertium quemque diem differre.

CENTURIA SECUNDA, PHARMACEUTICA.

Aphoriſmus Primus.

MEdicamentorum applicatio non eſt abſolutè neceſſaria in vulnerum curatione; illaque utilia propriè non ſunt niſi ad decus quoddam politicum.

II. Vis vulnerum ſanatrix in medicamentis minimè poſita eſt; ſed in eô quòd probè contecta teneantur, & vulneratus quietus maneat.

III. Medicamentis etiam contrariis, ſaneſcunt vulnera in ſubjectis robuſtis. Solum autem digeſtivum lotum omnibus ſatisfacit indicationibus, quas ſibi proponere poteſt Chirurgus in vulneribus & ſimplicibus & cavis.

IV. Per applicationem ſolius primi medicamenti poterit incarnari, ac cicatriſari vulnus etiam cavum; dum modò in eô pauca generata fuerint excrementa.

V. Non medicamentis, ſed ſoli calori naturali conceſſum eſt, ſuppurationes facere, agglutinare, carnes generare, corpora extranea foras exturbare, partemque excrementorum digerere, partem inſenſibiliter foràs è vulneribus eliminare.

VI. Solius naturæ opus ſemper fuit, & ſemper erit carnium generatio, in vulneribus. Carnes etenim procreantur ex ſanguine; quale autem erit medicamentum; quod ipſum in carnes convertere queat?

VII. Si cicatrix eſſet opus medicamentorum, eorum favore poſſet cicatriſari vulnus, antequam carne foret repletum; ipſiſque mediantibus cicatrix denſari ac ad fundum uſque vulneris extendi poſſet.

VIII. Unicô cum medicamentô agglutinari poſſunt vulnera ſimplicia, & carne repleri vulnera cava, dum modò illud medicamentum inſerviat pro tegumentô, caloríque naturali reparando ſit idoneum.

IX. Datô quôcunque demùm medicamentô dummodò illud venenoſum non fuerit ac mordax; ſed bonæ conſiſtentiæ, aut quod ad eam facilè reduci poſſit: Ejus operâ agglutinari poteſt omne vulnus ſimplex, & carnibus repleri omne vulnus cavum.

X. Sine ullô cujuſcunque demùm generis medicamentô, curari poteſt omne vulnus: Verùm non ſine accuratâ diligentiâ ejus qui curat. Modus itaque curandi omnibus, quæ ars ſubminiſtrare poteſt, prævalet medicamentis.

XI. In vulnerum curatione ridiculum eſt medicationes ſingulis diebus iterare, cum tantùm in finem; ut remedia applicentur, vulneraque mundentur: Aëris etenim injuriæ majorem multò noxam ſic inferent, quàm quæ compenſari poſſit per adjumentum ex ejuſmodi affectatâ medicandi oſtentatione adveniens.

XII. Si medicamentorum vi vulnerum curam attentare volueris, opus erit, illa ſubinde mutare. Nociva autem hæc diligentia omitti commodè poteſt, totumque opus naturæ providentiæ committi.

XIII. Ut vulneris labia ſtent probè approximata, adhibetur faſciatio agglutinativa, aut etiam ſutura vera. Verùm commodior erit ſutura ſicca, de quâ vide ſuô locô.

XIV. Gluten, cujus operâ perficitur ſutura ſicca, prævalet omninò ſuturæ veræ; tum ratione doloris, cui ſic commodè parcitur; tum ratione cicatricis, quæ ſic pulchrior eſt; quòd præcipuè requiritur in faciei cicatricibus.

XV. In linguæ vulneribus, ſaliva erit prô medicamentô exquiſitô. Veteres linguam vulneratam conſuebant; ſed hoc omitti poteſt.

XVI. In omnibus vulneribus, in quibus glutini nullus erit locus, ſutura adhiberi poterit. Talia ſunt naſi, labiorum, inteſtinorum, aurium, profundaque etiam alia vulnera, quorum oræ ad invicem adduci nequibunt.

XVII. Ut glutem vulneris labia ad ſe invicem adducere queat, ac in tali ſtatû ea detinere, neceſſarium eſt ut ſit tenaciſſimum, ac tantæ vis, ut cùm parti agglutinatum fuerit, in illâ ſuturæ vices ſuppleat, ac immotum perſiſtere poſſit ad finem uſque curæ.

XVIII. Inter varias utilitates, quæ ex uſu glutinis referri poſſunt, hæc ſanè præcipua fuerit, quòd in ejus adhibitione non opus eſt vulnerum faſcias deli-

deligare tertiò aut quartò die poſtquam fuerint accepta, immò etiam citiùs in faciei vulneribus, ut ſuturarum fila reſcindantur.

XIX. Pro glutinis confectione, adhibentur ſecundùm Magatum, lachrimæ abietinæ unciæ quatuor; liquoris ulmi unciæ tres, reſinæ pini, picis græcæ ac navalis, & ceræ ana uncia una; gummi ammoniaci, tacamahacæ, maſtiches ana drachmæ decem; ſarcocollæ, ſanguinis draconis in lacrimis, gummi juniperi & hederæ ana drachmæ ſex; rad. conſolidæ majoris, ariſtolochiæ rodundæ, biſtortæ, tormentillæ ana drachmæ duæ. Gummi in igne fundantur, cum paucâ abietinâ lactimâ; hinc ab igne ſummota alembico immittantur, quô in Mariæ Balneum immiſſô, aquoſa humiditas ejus calore tota abſtrahatur. Adjungantur poſtea pulveres, ac de novô extrahatur omnis humiditas. Sic tandem obtinebitur materia non parum tenax, quam calor corporis minimè liquefacere poteſt, ſed potiùs ſolidiorem ac tenaciorem reddit.

XX. Simplicitas medicamentorum quæ tantopere eſt cordi Medicis ſapientibus, locum etiam habebit in glutinis præparatione, ſi attendatur ad ea detrimenta quæ emanant à vaſtis compoſitionibus.

XXI. Magis proculdubio nocebit applicatio medicamenti facta alicui vulneri, ſi ſic introducatur aër, quàm totalis abſtinentia à medicamentô.

XXII. Si vulnera contineantur cooperta, iiſque ſingulis diebus minimè applicentur medicamenta; illa non erunt ſine medelâ: Quantumvis etenim vis remedii primò applicati deperdatur, reſtabit tegumentum, cujus virtus multò ſanè prævalet efficacitati medicamentorum etiam ſelectiorum.

XXIII. Vulnera poſſunt quidem carere tot medicamentis quæ in illis curandis adhibentur: verùm non itidem auxiliis opportunis, quæ genuina eorundem remedia dici merentur.

XXIV. In vulneribus hepatis, pulmonis, ac ſimilium partium, medicamenta concludi ac inſinuari minimè queunt; ſed tantùm auxilia opportuna, & convenientia adminiſtrari.

XXV. In vulneribus, non tantùm minùs ſalutaria exiſtimantur medicamenta appoſita, quàm auxilia prædicta, quia iis non donantur virtutibus quæ ipſis tribuuntur; ſed præcipuè propterea quòd in ejuſcemodi medicamentorum applicatione deliganda veniant vulnera, ſicque aëri patefacienda ſint.

XXVI. Si cui tamen prorſùs arrideant medicamenta, conſentimus quòd iis utatur, dummodò in eorum applicatione vulnera nec retegat, nec deliget.

XXVII. In internis vulneribus quis medicamenta non reprobabit, ſi pro illorum adhibitione partes vulneratæ aëri veniant exponendæ.

XXVIII. In vulneribus internis, clyſteriorum ac potionum uſus conceditur, quia certum eſt quòd ejuſcemodi medicamentorum ſubſtantia ad ipſa vulnera minimè perveniet.

XXIX. Soli naturæ, ſine ullo medicamentorum adjuvamine, committitur vulneratorum viſcerum ſanatio, quam itidem non minùs feliciter perficiet in vulneribus externis.

XXX. Excrementa è vulneribus emanantia, nullatenùs illa retegere; aut medicamenta applicare cogunt: Dummodò etenim eorum exitui conveniens paretur via, natura ipſa foràs amandabit.

XXXI. Medicamenta quæ in vulnera introducuntur, ſunt ſemper corpora extranea, quæ quantumvis exquiſitæ fuerint conditionis, foràs ejici debent.

XXXII. Olea, ut & medicamenta omnia unctuoſa, vulnerum agglutinationi, cùm maximè officiant, omitti prorſùs debent, nec de eâ aſſertione ullus dubitare debet.

XXXIII. Omne medicamentum ab ipsâ naturâ eſt alienum, ac propterea cùm in vulnera inſtillatur, ibi potioris non eſt conditionis quàm ipſa excrementa.

XXXIV. Antiquior vulnerum ſanandorum methodus, non peragebatur per medicamenta, ſed per ſuctionem. Cato etenim, cùm ipſi tranſeundum foret per loca deſerta, valdè periculoſa, Pſyllos ſecum deducebat, quibus vulnera à ſerpentibus inflicta exſugerentur.

XXXV. Homines delicatiores redditi, ſuctioni vulnerum ſubſtituerunt eorumdem balneationem ex urinâ; unde ventum ad balneationem ex vinô, ex aquâ marinâ, poſtea ex aquâ aluminoſâ, vitriolatâ, & ſimilibus. Quæ omnia bona erunt, dummodo in illorum uſu natura in ſuô non interturbetur opere.

XXXVI. Aqua fontana pura, à multis adhibetur pro curâ vulnerum, etiam graviſſimorum. Inde autem producuntur ſanationes non ſuperſtitioſæ, ſed legitimæ, quia ſcilicet per ejuſcemodi applicationem, Natura, quæ eſt vera vulnerum medicatrix, in ſuô non interturbatur opere.

XXXVII. Canes vulnera ſua ſanant, dummodò ea lambere queant: Ipſorum etenim ſaliva balſamus eſt, cui vix alius aliquis æquiparari poteſt, pro vulneribus contra aëris inſultus defendendis.

XXXVIII. Unguentum Armarium, celebre remedium, non eapropter proficit quòd illud ingrediatur uſnea, ſeu muſcus ſuper craniô humanô excreſcens, ut vulgò reputatur; ſed quia impedit quò minùs ii qui ipsô utuntur, medicamenta vulneribus apponant.

XXXIX. Balſami ſympatici dicti, ſunt puri manuum luſus in vulnerum curatione. Nam dum iis inungitur vulnerum circumferentia, minimè emolumentum aliquod inde advenit; ſed tantùm ex eô quòd tunc nihil in vulnera ipſa introducatur.

XL. Si remedia quæ ab agirtis adhibentur, quorumque chirurgos pudet, efficacia aliquando videntur in vulnerum curatione, id ſanè non provenit à virtute aliquâ reali quam poſſideant; ſed inde tantùm quòd qui iis utuntur, turundis omnibus rejectis rariùs vulnera medicantur: Unde Natura in balſami ſui verè efficacis usû non interturbatur.

XLI. Unuſquiſque particulare aliquod remedium vulnerarium poſſidet. Nullum autem ex iis proficiet, niſi quod fuerit innocentius, ac vulnerum ſanationi minùs contrarium.

XLII. Ille poſſidebit remedium vulnerarium pretioſum, qui illud ejus conditionis habebit, quod ſi quicquid boni ab ipsô ſperatur efficere nequeat, non producet hoc omne mali quod à medicamentis inducitur.

XLIII. Etiamſi adhiberetur in vulneribus medicamentum aliquod oppoſitum indicationibus ab ipsô partis vulneratæ ſtatû deductis, Natura facilè ſupplebit medicantis errori, dummodò turundæ prorſùs omittantur, & medicationes rariùs fiant.

XLIV. Si turundis omiſſis, vulnera quartô quôque tantum die medicentur, omnia medicamenta, tam ſimplicia, quàm compoſita, quæ pro eorum curatione in libris reperiuntur, erunt efficacia.

XLV. In vulnerum conglutinatione facient bulbi piſtati, ſi ſecundùm Plinii mentem quintô tantùm quôque die renovabuntur; cumque hâc cautelâ

ſi non minus proficient, ſi ex Damonis mente muſcus aquaticus ipſis adjungatur.

XLVI. Si in Bonæ Spei Promontoriô ſanantur vulnera per inſtillatum aliquod ſebum ex pecudibus extractum; maximè patet illud ſic fieri, quia tale medicamentum non eſt nocivum; non autem quòd habeat in ſe efficaciam aliquam realem.

XLVII. Brigantinorum montium incolæ ſolâ terebenthinâ; & Tridentini, ſolô abiegnô oleô vulnera curant; quia hæc medicamenta nihil in ſe continent quô Naturæ balſamus deſtrui ac corrumpi queat.

XLVIII. Laudatur taurinum gluten ſolutum, ac in vulnera cæſim facta calide inſtillatum: Verùm Plinius è quô tale depromitur medicamentum, advertit quòd non debet removeri ante triduum, & in eô tota ejus vis ſita eſt.

XLIX. Quandoquidem à tegumentô quicquid boni à medicamentis in vulneribus adhibitis, ſperatur, procedit; ſuffecerit pro famâ aliquâ iiſdem medicamentis conſervanda, ſi orificio vulnerum imponantur plumaceoli aliquô illorum imbuti.

L. Si medicamentum quod vulneri applicatur fuerit naturæ amicum, ac caloris naturalis vigorandi capax, tegumentum ſanationem perficiet.

LI. Obſervate, admonet Fallopius, ne in vulnera decidant olea, aut unctuoſæ materiæ; quia eorum agglutinationem impediunt. Galenus ac Celſus illa habent tanquam corpora extranea; & quidni etiam nos.

LII. Dum vulnerum circumferentia oleô roſatô innungitur, ſummopere attendendum, addit idem Fallopius, ne ejus quidem guttula in vulnus ipſum dilabatur. Cui igitur bonô tot in vulnera inſtillantur materiæ, quas minime opus eſt hic rurſus enumeremus.

LIII. Omne remedium à Naturâ alienum eſt, adeoque nihil magis urget, poſtquam aliquod ex iis in vulnus inſtillatum fuerit, quàm ut citiſſimè illud cum excrementis extrudatur.

LIV. Quamcumque demùm poſſideat virtutem medicamentum quod vulneri applicatur, ſi debeat illud per plurium dierum ſpatium inibi permanere, deperdet eam, tum per calorem naturalem partis ipſius, tum per abundantiam excrementorum de vulnere prodeuntium.

LV. Unuſquiſque poteſt ſibi fabricare remedium aliquod ſpecificum pro vulneribus, ac eô mediante illa ſanare, dummodo illud medicamentum adhibeatur cum hiſce conditionibus; quòd ſcilicet non inſtilletur in vulnera, nec in ejus adhibitione turundæ in uſû ſint; imò medicationes rariùs fiant.

LVI. In vulneribus cavis ac profundis, quorum labia ad ſe invicem adduci nequeunt, non è re fuerit permittere ut vacuum aëre impleatur; multò minùs ut quiſquiliis quibusdam irritantibus, compleatur: tunc itaque ſatiùs erit remedium aliquod ſimplex ac minimè nocivum inſtillare, quale fuerit v. g. balſamum Samaritanum.

LVII. Inter remedia ſimplicia ac minimè nocua, excellit ſanè in vulnerum curâ aqua fontana pura, quam Palazius non parum celebravit.

LVIII. Oineleon ac Hydreleon ſunt duæ compoſitiones quæ optimè ſuccedunt in vulneribus. Primum paratur ex vinô & oleô, alterum ex oleô & aquâ. Eorum virtus in hôc tota eſt; quòd ſint innocua, & quòd opus Naturæ non interturbent; prò quô ſatis eſt ſi vulnus probè coopertum detineatur.

LIX. Exinde conſtare poteſt quòd medicamenta in vulnera inſtillata nullius ſint utilitatis; quia ſcilicet eorum plurima etiam à ſclopetis confecta, ſine iſtiuſmodi inſtillatione quotidie ſanentur.

LX. In ſclopetorum vulneribus ſatis eſt in primâ medicatione, eorum orificio linteum terebinthinâ, aut digeſtivô lotô, imbutum imponere; additiſque compreſſis vulnus deligare eâ faſciatione quæ retentiva dicitur. Poſteaque partem in ſitû congruô collocare, ut excrementa commodè effluant; nec dolor excitetur. Hôc peractô, vulnus intactum relinqui poteſt ad uſque diem 14. ſi nullum ſupervenerit ſymptoma quod illud citiùs religare cogat.

LXI. In vulneribus applicationes omnes exteriores permitti poſſunt, & etiam emplaſtra emollientia, carnibus remolliendis apta: Verùm multivaria eorum compoſitio unicè erit ad pompam, & eô magis innocuum fuerit remedium quô ſimplicius.

LXII. Si in vulnerum ſanatione adhibeantur medicamenta è regionibus longinquis petita, hoc potiùs ad pompam fiet, quàm quòd inde ſperari debeat majus aliquod ſubſidium. Exteriùs nòn magis proderunt quàm medicamenta noſtra inquilina: Interiùs non minùs nocebunt.

LXIII. Natura, inquit Fallopius, non poteſt opus ſuum perficere, niſi removeantur impedimenta. Medicamenta autem quæ ut ipſi ſubveniatur, impenduntur, ac in vulnera introducuntur, præcipuè ſi compoſita fuerint; illius ſunt ſortis; eòque magis ſi in ipſorum uſurpatione turundæ adhibeantur.

LXIV. Natura, ex ejuſdem Fallopii mente, eſt ipſa quæ ſanat, ac ſi illud non facit, propterea hoc evenit quia in opere ſuô, per mali vim, vel per medicamenta præpeditur. Per accidens tantùm vulnera à Chirurgô ſanantur, quæ ab ipsâ Naturâ ab ipſis non interturbatâ meliùs ſanarentur.

LXV. Quot reperiuntur vulnera, ſubjungit Fallopius, quæ ſine medicamentis ſanantur? Nònne quotidie videmus curationes in brutis peractas, ſine ullâ ejuſmodi applicatione?

LXVI. Si medicamenta vim poſſiderent quæ ipſis tribuitur, illa præcipuè in cicatriſantibus manifeſtaretur, & cicatriſatio unô ac eôdem tempore in amplô vulnere per omnes ſui partes generaretur; ſi modò à tali medicamentô omnes attingerentur. Verùm cicatriſatio fit, primò in marginibus vulneris, nòn autem in ejuſdem mediô, quô tamen non minùs pervenit remedium.

LXVII. Carnium generatio in vulneribus cavis; nullatenus eſt remediorum effectus, & hallucinantur quicunque arbitrantur illam ab ipſis proficiſci: Hæc generatio merum eſt Naturæ opus, ut & totius corporis laudabilis habitudinis.

LXVIII. Suppurantia medicamenta unicè agunt per temperamenti partis vulneratæ deſtructionem: Suppuratio legitima eſt caloris naturalis opus; & inde nihil ſeparatur quàm quòd neceſſariò ſeparari debet.

LXIX. Si fiat comparatio utilitatis ac noxæ medicamentorum abſtergentium ac abluentium in vulneribus, conſtabit ſanè de majori noxâ quàm utilitate. Ipſa natura quæ novit rationem excludendorum corporum extraneorum, durorum & etiam partibus infixorum, non minùs commodè, ſine aliquô ſubſidiô externô, excludet recrementa quantumvis vulneri affixa.

LXX. Injectiones medicamentorum frequentiùs adhibentur, propter ignorantiam mali quod inde procreatur. Illæ etenim diſtendunt & aggravant partem vulneratam, introducunt aërem, & quod de iis reſtat in vulnere eſt corpus extraneum ipſi inimicum.

LXXI. In pectoris vulneribus, curæ fiunt difficiliores per injectiones adhibitas; ſic enim ſuppurationes augeſcunt, vulneraque ordinariò redduntur fiſtuloſa.

LXXII. Quando injectiones omnino creduntur neceſſariæ, tum quia materia ſuppurata nimiùm eſt tenax, craſſa ac calida; tum quia in vulnere concluditur ſanguis coagulatus, & horumce omnium excluſio per ſe non perficitur: Tunc attendendum num ſatius ſit, tertiô tantùm quôque die, quàm frequentiùs eas uſurpare, ut ſic vulneratus rariùs per hanc curam patiatur, & vulnus aëri ambienti minùs patulum fiat.

LXXIII. Quamprimùm deferbuerit materia, rariùs fiunt injectiones, & tandem ab iis omnino abſtinebitur. Experientia ipſa demonſtrabit, quòd poſtquam fuerint omiſſæ, ſuppuratio parcior fiet, & cura multò citiùs peragetur.

LXXIV. Quicunque circonſpectus fuerit in injectionum uſurpatione, minùs nocebit vulneribus; quique ab iis prorsùs abſtinebit in iis curandis multò citiùs proficiet.

LXXV. In vulneribus inſerviunt defenſiva parti applicata ad ſolam oſtentationem medicantis, qui ex ignorantiâ peccat, ſi non noverit verum humorum motum, & ex malitiâ, ſi hôc ipſi notô minimè illa tamen adhibeat.

LXXVI. Medicamenta non ſunt neceſſaria, niſi propter ſymptomata vulnera concomitantia, aut ea conſequentia. Natura per eorum præſentiam exigit auxilia ab illis qui ipſa ſuppeditare poſſunt.

LXXVII. Inflammatio peſſimum eſt ſymptoma in vulneribus, & ſæpe mortale: eâ permanente illa reuniri aut incarnari minimè queunt. Remedia autem oleoſa in ammationi, magnô vulneratorum malô conſervandæ, apta omnino ſunt.

LXXVIII. Satiùs ſemper fuerit inflammationem præcavere, quàm opus habere, de remediis, poſtquam orta fuerit, ei arcendæ aptis cogitare. Illa autem præcavetur, ſi ſanguis liberiùs ex parte vulnerata effluxerit: Si verò inflammatio adveniat, ſanguis ex venâ neceſſariò educendus.

LXXIX. Dolor in vulneribus alterum eſt peſſimum ſymptoma, ac præcipuè in tendinum ac nervorum vulneribus. Verùm hic anodyna medicamenta non tam proſunt, quàm ea medicandi methodus quæ omnes turundas excludit.

LXXX. Omni medicamento locali præcellet in vulneribus, medicantis attentio in dolore mitigandô, & propterea cavendo ne materiæ ſuppuratæ detineantur, & turundæ adhibeantur: Dum interim pars vulnerata in ſitû idoneô collocatur.

LXXXI. Si dolor ex eô procreatus fuerit quòd vulnus aëri expoſitus ſit, ex eô ille ceſſabit quòd pars vulnerata probè tegatur: Si verò exinde ortùs ſit quòd corpora extranea in illô retenta fuerint, remedium erit in ipſorum excluſione, dummodò poſſibilis ſit.

LXXXII. Qui pro dolore ſedando partem vulneratam emplaſtris contegere voluerit, videat ne illa ipſi vulneri imponat, ne onere ſuô ipſum aggravent: Verùm ea commodiùs circùm vulnus componet. Eadem cautio in inflammatione adhibenda venit.

LXXXIII. Carnes quæ vulneribus accreſcunt, abſumi debent ope medicamentorum, quæ ſine dolore agere nequeunt. Si autem rarò vulnera medicantur, rariſſimè iſtiuſmodi carnes procreantur. Hippocrates autor eſt quod illæ per victum parciſſimum abſumi queunt: Verùm ſi hoc non ſatis ſit ad remedia confugiendum, inter quæ ſimpliciora, minusque doloris excitantia, ſeligi debent.

LXXXIV. In vulneribus non minùs creditur proficuus remediorum internorum, quàm externorum uſus. Verùm æquè ſine illis ac ſine his vulnera curari poſſunt.

LXXXV. Si corpus vulneratum ſanum fuerit, neceſſaria non erunt purgantia, quæ prorsùs videntur utilia, ſi idem corpus fuerit pravis repletum humoribus. Oportet itaque ad ſtatum corporis probè attendere.

LXXXVI. Multi in omni vulnerum ſpecie, quantumvis etiam ſimplice, purgantibus utuntur medicamentis, eò adducti Hippocratis ac Galeni autoritate, qui ea uſurparunt. Hoc tamen tutò non fit.

LXXXVII. Medicamenta purgantia minimè de corpore detrahunt humores pravos; ſed ſæpius quod in iis bonum eſt corrumpunt, ſanguinem commovendo. Quæ omnia vulneratis non parum nocent.

LXXXVIII. Pro evacuandis vulneratis, in quibus humores pravi adſunt, purgantibus medicamentis per os aſſumptis prævalent clyſteria, ipſaque etiam diæta. Hâc etenim ultima ratione, evacuari corpora per accidens dici poſſunt, & obtinetur finis ab ipſô Hippocrate deſignatus.

LXXXIX. Ex quô conceperis non dari purgantia quæ hunc aut illum humorem electivè educant, facillimè noſces quàm fruſtrà vexati fuerint vulnerati per eorum ineptùm uſum.

XC. Sufficiet ſi attendatur ad incommoda quæ à medicamentis purgantibus excitantur, in hominibus aliàs verè ſanis, ut eorundem inſinuetur neceſſaria omiſſio; idque eò magis quòd non deficiunt pro tali fine adipiſcendô ſecuriora.

XCI. Alterantium medicamentorum uſus non parum ſemper fuit celebratus in omnibus morbis, indeque etiam neceſſarius reputatus in vulneribus; dum ſcilicet hâc ratione fluxiones quæ pertimentur cohiberi poſſe creduntur, ipſis incraſſatis & ad motum inidoneis factis.

XCII. Si diligenter attendatur ad falſas antiquorum Medicinæ profeſſorum ideas, obſervabitur procul dubiô quòd ſine ullâ tot ſyruporum refrigerantium ac adſtringentium exhibitione, vulnera commodè ſanabuntur, & ſic vulnerati à tot nauſeoſis potionibus liberabuntur.

XCIII. In vulneribus in quibus inflammatio pertimetur, aut putredo ac corruptio partis vulneratæ; ubi etiam aderit pravorum humorum copia, diſpendioſa potiùs quàm utilia erunt illa remedia quæ vulgò vocantur cordialia.

XCIV. Quòd cor præſervari queat in vulneratis, à pravâ aliqua corruptione per epithemata ac linimenta exteriùs ipſius regioni applicata, perſuaderi iis poterit qui Artis minimè ſunt gnari, idque non ſine magnô conſcientiæ morſû.

XCV. Quicunque vulneratis exhibet potiones, ſub eô titulô quòd ſic facilitatur ipſorum ſanatio, miſerè hallucinatur, ſicque manifeſtat quòd viam minimè noſcit per quam ejuſmodi potiones ad partem læſam pervenire poſſunt.

XCVI. Non poteſt ineptius quid excogitari, quàm quod aliqui dicunt, iſtud medicamentum ad lienem, illud ad hepar, aliud pulmonem vulneratum, ut & ad alia viſcera læſa, pro iis conſolidandis, rectà pergere.

XCVII. Si aliquando paucæ unciæ iſtiuſmodi potionum accederent ad viſcus vulneratum, conſolida-

lida-

lidationem potiùs impedirent quàm promoverent; hæcque veritas manifeſta eſt cuicunque mens eſt ſana.

XCVIII. Permagnum ſanè foret illud ingenium quod excogitare poſſet præparationem remedii compoſiti, per cujus uſurpationem foràs extruderentur corpora extranea ipsô vulnerationis tempore in vulnus inducta.

XCIX. Poſſumus, inquit Fallopius, pro corporibus extraneis educendis uſurpare medicamenta ſimplicia; ſed illa cùm minimè proficiunt, adhibentur quandoque remedia compoſita, quæ tum proficere videntur, cùm natura vegetior, illa, per ſe etiam ſine ullô medicamentorum auxiliô, exturbat, propter incommodum quod ab iis inducitur. Hoc idem facit poſtquam ſanata fuerint vulnera.

C. In oſſium fracturis, qui ſpem facit pro agglutinatione eorum, in remediis per os exhibitis, vel hallucinatus à ſuis magiſtris alios decipit, vel ſic ſibi honorem parare arbitratur. Sic aliquibus bene ceſſit quòd perſuaſerint ſuis ægris, ſe ſecretum poſſidere medicamentum, cujus vi pus per vias urinarias deturbari poſſet; alias etenim urinas opertas ditinendo, alias minimè, ſic varietatem in illarum diaphaneitate ac craſſitie inducebant, ſuæ aſſertionis probationi, ut credebant, idoneam.

CENTURIA TERTIA DIÆTETICA.

Aphoriſmus Primus.

IN gravibus, imò & graviſſimis vulneribus, ſanatio eò faciliùs procedit, quo is cui eorum cura committetur, magis ad medicationis methodum, quàm ad remedia in id adhibenda, attendet. Ut autem ſucceſſus ſperatus commodiùs ac ſecuriùs obtineatur, neceſſaria eſt diæta exquiſita.

II. Si eadem omnibus vulneratis diæta præſcriberetur, pauci inter illos levamen inde perciperent. Multi periculum ſic incurrerent, alii utilitate ex probâ ac ſpeciali diætæ methodô certò adventurâ minimè fruerentur.

III. Homo ſanus, ex hôc ipsô ſanitatem amittit quòd vulneratus fuerit, debet itaque vulnerationis momentô rationem diætæ ſuæ prorsùs mutare, ac propterea pluribus rebus quæ illi priùs adjumento erant carere.

IV. Malum quod vulnerato per vulnus inflictum advenit, ut plurimùm pendet à circulatione ſucci vitalis impeditâ in aliquâ corporis parte. Itaque diætam exercere debebit, quæ ipſis occaſionem non præbeat impetuoſioris motûs in aliis partibus.

V. In vulneratis etiam ut plurimùm impeditur inſenſibilis tranſpiratio: Unde neceſſarium erit ejuſmodi impedimento providere.

VI. Quicquid in graviter vulneratô accelerabit ſuccorum motum, & perſpirationem inſenſibilem impediet, omnino nocebit. Sex autem res quæ non-naturales vocantur, ſi malè adminiſtrentur, ejuſmodi effectus producere poſſunt.

VII. Res non-naturales ſub certâ methodô non adhibitæ, ſanorum ſtatum perturbare valent, multò magis vulneratorum.

VIII. Si noſcatur quomodo ſex rebus non-naturalibus utebatur vulneratus antequam vulnus illi inflictum fuiſſet, inde non parum lucis acquiretur pro præſcribendâ diætæ methodô ipſius curæ magis apta.

IX. Attentio quam adhibebit Medicus in præſcribendâ diætâ, erit ſemper multò magis proficua, quàm ejuſdem in commutandis vulneratorum remediis ſollicitudo.

X. Quòd Aër externus vulneribus tegumentô naturali privatis ſit nocivus, res eſt quæ ſupponi potiùs debet, quàm probari.

XI. Multum facere poteſt pro promptâ, aut tardiori vulneris ſanatione, temperatura aëris, ante, aut poſt vulnerationem inſpirati, tum propter illa quæ per tale vehiculum in ſanguinem inducuntur, tum propter illa quæ ſecundùm ejuſdem temperiem faciliùs, aut difficiliùs perſpirantur.

XII. Attendi debet in curâ vulneratorum ad anni tempeſtatem. Hybernô tempore, quô ambiens frigidius eſt, tardiores erunt curationes, quàm ubi temperata fuerit tempeſtas, & moderatus calor loci in quô medicationes fiunt.

XIII. Qui noverit quomodò ex alteratione ambientis alteretur perſpiratio inſenſibilis & quomodò ex hujus alteratione alterentur vitales ſucci, noſcet etiam quâ ratione una tempeſtas alteri prævaleat in vulneratorum curatione.

XIV. Si aëris conſtitutio fuerit inordinata, malè inde habebunt vulnerati, quia ſic ſuccorum vitalium alterationes cum iiſdem inordinationibus procedent.

XV. Maximè erit vulneratis nociva conſtitutio aëris humida; illa etenim non parum facit ad putredinis generationem, quæ periculoſa reddit vulnera, ac curationem eorum longiùs multò producit.

XVI. Plures laudant aëris frigiditatem in vulneratis, quaſi ſic humores ad motum minùs prompti evaderent, atque vaſa per quæ fluunt ſtringerentur. Verùm cùm ejuſmodi aër omnino ſit vulneribus infenſus, affectæ parti ille minimè nocere non poterit ſi ipſi fuerit expoſita.

XVII. Aër calidus videtur frigidô conducibilior in vulneribus: Verùm ſi in calore excedat nocivus omnino erit, quia humores nimiùm fundet, ac vaſa laxabit. Eò autem erit nocentior, quò magis ad partem vulneratam accedet.

XVIII. Tempeſtas vulneratis accommodatior verna foret, tanquam magis temperata: Verùm cùm quis alium vulnerare intendit, tempeſtatem minimè ſeligit ac obſervat.

XIX. Provideri equidem poteſt de aëre qui à vulneratô inſpirari debet, ut ſi non optimus, minùs ſaltem nocivus fiat; non itidem de eô cui partes vulneratæ exponuntur.

XX. Vulneratis procurari debet aër apertus, liber, ac temperatus: Si enim infectus inſpiretur, nocivus erit, quantumvis vulnera benè tecta contineantur.

XXI. In Noſocomiis ubi aër expirationibus morbificis imprægnatur, vulnerati poſtquam à Chirurgis fuere ſanati, in Medicorum manus ſæpe incidunt, febribus malignis, ac etiam mortalibus impliciti.

XXII. Ambientis conſideratio non parum valet ad vulnerum curam, quando debent ſub tegumentô contineri, & medicationes rariùs fieri.

XXIII. Tegumentum vulneris aliud omninò erit hibernô tempore, quàm æſtivô: Illud etenim quòd ſatis fuerit æſtivô tempore, hibernô minimè ſufficerit, quodque hibernô tempore partem non aggravat, æſtivô eidem eſt intolerabile.

XXIV. Quando vagantur Epidemicæ Conſtitutiones, ſicque ſtrages non parvæ introducuntur; certum ſit quòd fomes mali eſt in aëre. Tunc itaque ſedulè cuſtodiri debent vulnerati, & attentiùs prohiberi aëris appulſus ad partem vulneratam.

XXV. Conſtitutiones repertæ ſunt in quibus vulnera facillimè fiebant verminoſa. Illud autem ex eô procedebat, quòd ſingulis diebus illa aëri exponebantur;

Si itaque ejuſmodi verminationis ſeminium in aëre continebatur, ut probabile eſt, ſatiùs multò fuiſſet illum ab ipſis diligentiùs arcere.

XXVI. In vulnerum cura multi ad aërem parum attendunt, dum interim inde curæ magis, quàm ab aliâ quâcunque causâ, difficiliores evadunt, ſi ille à partibus affectis non arceatur.

XXVII. Illi qui poſt oſſium fracturas aut gravia vulnera ſanata, perſentiunt dolores in temporum variationibus, ſatis comprobant quòd aër ſit penetrantiſſimus, & in vulneribus omnino pertimeſcendus.

XXVIII. In capitis vulneribus minimè dici poteſt quantùm aër ipſa inveſtiens ſit nocivus: Sic etenim fungi in durâ matre pronaſcuntur, & lethalia redduntur illa vulnera quæ aliàs curabilia fuiſſent.

XXIX. In vulneratis articulis aër multa procurat mala; is etenim cùm non parum noceat in omnibus vulneribus profundioribus, in illis quæ nervos ac membranas attingunt aut oſſa detegunt, peſſima ſymptomata, ac mortem ipſam, in minùs cautis accerſit.

XXX. Quòd aër inſpiratus vulneratis non æquè noceat ac ille quô immediatè ambiuntur partes vulneratæ, facilè ex eô conjicere licet, quòd qui inſpiratus eſt ad locum affectum non perveniat, non niſi ab illis omnibus quæ nocere valebant ſpoliatus.

XXXI. Generalis eſt ſententia, quòd cognoſci debeant, quantùm ſit poſſibile, veræ ac legitimæ victûs regulæ; quia iis ignotis multæ calamitates induci poſſunt. Præcipiendæ itaque veniunt in vulneratis, tanquam res maximi momenti.

XXXII. Victûs regulæ, quæ cibum ac potum reſpiciunt, inſerviunt pro ſanis à morbis præſervandis; ſed non itidem à vulneribus præſervare poſſunt. Verum tamen eſt quòd per accidens, ex crapulâ ac ebrietate vulnera advenire queunt.

XXXIII. Diæta in vulneratis ad præſervationem facit, dum ſcilicet ea arcet mala quæ ab illegitima victûs ratione procurarentur.

XXXIV. Raræ vulnerum curationes ac turundarum abſtinentia, non liberant à victus ratione ſtrictâ in gravioribus vulneribus: Verùm in ſimplicioribus aliquid ampliùs concedi poteſt, ſed ſemper cum timore.

XXXV. Inter eos qui methodô ab ordinariâ ac uſuali diverſâ in vulneribus utuntur, non ſunt admittendi illi de quibus Fonſeca mentionem habet, qui ſcilicet ſanationem per balſamica peragunt, ſine ulla diætæ regularum conſideratione.

XXXVI. Sobrietas ac temperantia vulneratis unicè debent commendari: Crapula etenim & intemperantia, etiam in remiſſiore gradû vulneratis lethales fieri poſſunt.

XXXVII. In omnibus vulneribus, idque magis in recentibus, quàm vetuſtioribus, utiliſſimum eſt aquam bibere, & paucô cibô uti. Illud admonet Hippocrates in permultis operum ſuorum locis.

XXXVIII. Vulneratos tibi commiſſos fame affligé, iiſque aquam bibendam porrige, ait Hippocrates, ut innoteſcat quanti ſit momenti victus parciſſimus. Idem ſentiunt & Celſus & Galenus.

XXXIX. In omnibus prorsùs vulneribus Galenus ſtrictiorem victûs rationem commendat, & arbitratur quòd illa diæta purgantis medicamenti vices gerat, dum ſic per accidens corpus evacuatur.

XL. Fames, inquit Celſus, ac maxima in cibis abſtinentia, quantùm ſcilicet ea tolerari poteſt, vulneratis in tutâ conditione collocandis non parum faciet, id autem præcipuè eſt neceſſarium in vulnerationis initiis.

XLI. Ut magis conſtet quantùm ſit momentoſum abſtinentia in vulneribus, attendi debet ad præceptum Celſi, quô injungit ut in vulneribus oculorum nihil exhibeatur cibi, imò ſi fieri poſſit, nequidem aqua præbeatur.

XLII. Quando in vulneribus ſuccreſcunt carnes ſuperfluæ, per abſtinentiam poſſunt conſumi, inquit Hippocrates. Omnes autem norunt quanti ſit laboris ac doloris, ejuſmodi carnes per medicamenta abſumere.

XLIII. Quicunque attenderit ad id quod etiam in corpore verè ſanô, dum graviùs vulneratur, advenit, facilè percipiet neceſſitatem cibi in principiis, minuendi, ac vulnerato abſtinentiam præſcribendi.

XLIV. In gravioribus vulneribus interrumpitur fluidorum motus in affectis partibus, nec ſanguis per arterias adveniens à venis ad centrum efferri poteſt: Pro terea enaſcuntur tumores ac inflammationes, niſi ejuſdem ſanguinis copia & motus minuantur; quod commodè per abſtinentiam perficitur.

XLV. Etiamſi tranſpiratio inſenſibilis in vulneribus dolorem intenſum procreantibus, minuatur, fluidaque difficiliùs circuitiones ſuas abſolvant; ciborum parcimonia illam liberiorem facit, & fluidorum circulum adjuvat.

XLVI. Quandoquidem ex eô quòd vulneratus movere ſe nequeat, ſic magnô pro perſpiratione juvamentô privatur: Per ciborum parcimoniam, dum ejuſmodi perſpirationis materia minuitur, ſic non parvum levamen vulneratis procuratur.

XLVII. Qui novit quinam cibi faciliùs digeruntur, ac perſpirationem non impediunt, novit exinde eos, quibus in nutriendis vulneratis ſuæ curæ commiſſis uti debeat.

XLVIII. Dum cibi corrumpuntur, exinde perſpiratio impeditur, ac propterea nutriri debebunt vulnerati cibis corruptioni minùs obnoxiis, & facilis digeſtionis, iiſque paucis.

XLIX. Vinum purum & ſpirituoſum vulneratis eſt nocivum; quandoquidem particulis ſuis volatilibus potens eſt tumultus in vitalia fluida inducere, ac per ipſum in eorundem maſſam dum acidum deportatur, ſic acorem contrahit balſamus quô in reuniendis vulneribus utitur Natura.

L. Aqua eſt vulneratorum potus commendabilior. Hippocrates poſt aquam acetum deprædicat: Verùm illud intelligi debet de acetô copioſiori aquâ temperatô. Sic enim inſervit acetum pro ſapore aliquô in aquam inducendô, eique promptiùs in omnes humani corporis canaliculos convehendæ, atque ſic humectationi & refrigerio procurandis.

LI. In vulneribus, præcipuè capitis, non minùs nocent vigiliæ continuæ, quàm protractiores ſomni.

LII. Si vigiliæ exceſſerint, metus eſt ne inflammationem ac convulſionem inducant, quibus vulneratis nihil periculoſius.

LIII. Somnus immoderatus imminentis eſt lethargi, aut aliûs alicujus comatoſi affectûs, præludium, ac propterea vulnerato maximè nocivus.

LIV. Somnus ac vigiliæ immoderatæ malæ ſunt ſortis in vulneratis, & tanquam occaſiones mali, & tanquam ejuſdem ſigna: Somnus equidem protractior, quia caput vaporibus ac humiditatibus replet; vigiliæ verò, quia totum corpus excalefaciunt, ac præcipuè cerebrum, dum ſpiritus in motus concitatiores agunt.

LV. Vulnerato non proderit ſi ſtatim poſt aſſumptum cibum dormierit: Sic etenim caput fumis oppletur, humoreſque difficiliùs perſpirant.

LVI. Illi qui in medicando turundis utuntur, vulneratis noctes doloribus acerbas procurant, cùmque

que eâ ratione ſomnus arceatur, inde mala non pauca advocantur.

LVII. Quando turundis omiſſis rariores fiunt medicationes vulneratorum, vigiliæ minimè inducuntur, per quas cùm difficilis reddatur perſpiratio, iidem vulnerati malè ſe habent.

LVIII. Placidior eſt ſanguinis circulatio tempore ſomni, ut & in vigiliâ quæ conſequitur ſomnum neceſſarium. In vulneratis autem hæc circulatio perturbata quàm maximè nocet.

LIX. Cùm videmus multa animalia per ſomnum pingueſcere, inde ſatis arguitur quòd ille ſucci nutritii edulcorationi faciat: Hic autem ſuccus, eſt idem ipſe balſamus quô Natura in ſanandis vulneribus utitur.

LX. Dum rarò medicationes vulneribus adhibentur, ſi ſomnus vigiliis fuerit proportionatus, lætus curationi eorundem ſucceſſus ſperari poteſt.

LXI. In gravioribus vulneribus, atque etiam magis in graviſſimis, in quibus medicationes rarò, & turundis omiſſis, adhibentur, partis affectæ motus ſalutarem effectum procurare nequit.

LXII. Rariores medicationes hoc habent ſingulare, quòd ſic ſuaviùs quieſcant vulnerati, ac propterea eorundem ſanatio promptior evadat.

LXIII. Motus humores commovet, ſique vehementior fuerit fluxiones in partem vulneratam accerſet.

LXIV. Inter ea quæ Naturam perturbare queunt, illô tempore quô vulnerum reunioni allaborat, primum locum tenet partis vulneratæ motus.

LXV. Motus non æquè nocebit iis qui in capite aut brachiis fuerunt vulnerati, quàm iis qui vulnera in femoribus aut tibiis accepêre.

LXVI. Inter remedia vulneratis maximè idonea Celſus quietem recenſet: Unde credibile eſt illum noviſſe mala quæ à frequentioribus medicationibus procedunt.

LXVII. Multa ſunt beneficia quæ in ſanis per totiûs corporis motum procurantur; ſic etenim deficiens perſpiratio reparatur: Verùm in vulneratis eadem perſpiratio reparatur per arctam victûs rationem, aut per frictiones in partibus minimè vulneratis peractas.

LXVIII. Si poſt inſitiones in plantis factas, requiratur quies ut non moriantur; quis non videt pro reunione carnium ſeparatarum vitandam omnino eſſe quotidianam illarum commotionem.

LXIX. Si medicationes rariùs adhibeantur in vulneratis, idque turundis omnibus rejectis, hoc inde beneficium procurabitur, quòd non erunt obligati quieti, ut ita dicamus, violentæ; qualis eſt ea quam facit longior in lectô mora ad quàm communis cogit curatio.

LXX. Ex eô etiam in vulneratis quies debet motui præferri; quia ſic facilior redditur perſpiratio, cujus libertas ac abundantia omni arte debet procurari.

LXXI. Multùm in vulneratis intereſt ut non retineantur infimi ventris expurgationes, ut & urinæ evacuationes: Verùm multò magis attendendum, quòd ſi illæ non procedant naturaliter, remediis non provocentur, quando ſic ut plurimùm totum corpus exagitatur.

LXXII. Medicamenta ſolutiva, levioribus etiam minimè exceptis, impreſſionem ſemper aliquam faciunt in fluidis. Iis itaque præferri debent clyſteres, aut ſuppoſitoria, ut contra omnem perturbationem fiamus tuti.

LXXIII. Quod maximè momentoſum eſt in vulneribus, in eô exiſtit ut purulentiæ in iis non detineantur, dum raræ medicationes adhibentur; ac propterea earum evacuationi via paretur. Is autem qui in curationibus vulnerum turundis utitur; purulentias potiùs includit, quàm expurgat.

LXXIV. Si in vulneratis methodus adhibeatur Magati, eorum ſtatus parum recedet ab eô in quô erant cùm ſani degebant ante vulnerationem: Illud fuit in causâ; ut quidam ex iis venerem tentare auſi ſint, quòd impunè illis minimè ceſſit.

LXXV. Expurgatio univerſalis per inſenſibilem tranſpirationem æque neceſſaria eſt vulneratis ac non vulneratis. Ubi illa impeditur ſemper aliquid mali patientibus adveniet.

LXXVI. Minimè credibile eſt, aut explicatu facile, quot mala ſeculis præteritis, in vulneratos fuerint inducta; ac præcipuè in vulneribus capitis, dum iis medicamenta exhibebantur purgantia, cum eâ intentione ut per illa expurgarentur hi aut illi humores, juxta Veterum doctrinam.

LXXVII. Si ſanus erat ille qui vulneratus fuit, antequam vulnus acciperet, perſiſtet in eô ipsô ſtatû in totô ſuô corpore, præterquàm in parte affectâ; cui providebitur dum excrementorum in illâ generatorum evacuatio non præpedietur.

LXXVIII. Si in vulneratis nihil expurgaretur, quàm quod expurgandum venit, prompta omninò & tuta ipſorum eſſet curatio.

LXXIX. Difficiles & longæ fiunt omnes vulneratorum curationes, dum in iis ſingulis diebus medicationes adhibentur, quandoquidem ſic detinentur illæ materiæ quæ expurgari deberent, & expurgantur ea quæ conſervare ſatius eſſet. Turundæ effectum primum producunt; & alterum à remediis ſuppurantibus inducitur.

LXXX. Quandoquidem in vulneribus per raras medicationes, turundis omiſſis, purulentiæ vigeſimam partem non excedunt earum quæ in medicationibus quotidianis, ac turundis adhibitis evacuantur; concludi minimè debet quòd per primam methodum detineatur id quod expurgari deberet: Verùm potiùs quòd per alteram expurgatur id cujus detentio ſatior multò fuiſſet.

LXXXI. Ubi aliquis de ſe prædicaret, quòd ſecretum poſſideret medicamentum, cujus vi purulentiæ per urinas deturbarentur, ac ab ejus exhibitione vulnera munda, & pauciſſimis purulentiis inquinata oſtenderet: Sciendum totum ſecretum in eo eſſe, quòd ille medicationes adhibeat rariores, ac omiſſis turundis.

LXXXII. Omnis prorſus materia, aut corpus extraneum in vulnere contentum occaſionem præbet copioſæ purulentiarum expurgationi: Illis itaque providebit vel Natura ipſa, vel Chirurgi manus: Verùm ut plurimùm ſatius eſt ejuſmodi operationes Naturæ committere, ſi præcipuè hæ materiæ, aut corpora extranea magnæ fuerint fixitatis, aut profundiùs occultata, ſenſibuſque minimè occurrentia, ac difficilis extractionis.

LXXXIII. Sanguis qui copioſiùs ex aliquô vulnere diffluit, reprimi ac coerceri debet; interea tamen utile fuerit, ſi ille ad certam menſuram effundatur, dummodo vulnus in unum è tribus ventribus non penetret: Sic enim prævenitur & inflammatio & tumefactio, quæ aliàs ſupervenire ſolent.

LXXXIV. Si de vulnere recenti parcus exciderit ſanguis, utile fuerit ipſi exitum parare per venam ſcalpellô apertam: Quò magis etenim ejus minuetur maſſa, eò magis providebitur interruptioni ipſius circulationis in partibus vulneratis.

LXXXV. Ut

LXXXV. Ut determinari poſſit quantitas ſanguinis, quæ ex aliquô vulnere effluere poteſt, aut ea quæ illius occaſione è venâ educenda venit; attendendum erit ad vulnerati ætatem, temperamentum, anni tempeſtatem, ut & ad vulneris naturam.

LXXXVI. Dum vulnerum medicationes rariores, ac ſine turundis perficiuntur, concoctiones faciliores evadunt, ac per conſequens commodius expurgantur ea quæ expurgari debent, & retinentur quæ retinenda veniunt: Sic etenim corpus parum recedit ab eô ſtatû, in quô ſanitatis ſuæ tempore verſabatur.

LXXXVII. Si vulneratus ſingulis diebus alvum exoneret; ſi urinam potui proportionatam eiiciat; ſi ſputaverit, ac mucum ſolitô modô è nasô emiſerit; concludi poteſt quòd ipſius corpus eſt in ſtatû ad ſanitatem proximô. Quandoquidem autem hæc omnia ſic ſuccedunt, quando vulnera ſecundùm Magati methodum curantur, facilè inde conſtat ejuſdem illius methodi utilitas.

LXXXVIII. Si vulnerato febris advenerit aut aliud aliquod pravum accidens, non longè à verô aberrabitur, ſi pronuncietur aliquid retineri quod expurgandum erat, ſive id ſenſibile, ſive inſenſibile fuerit.

LXXXIX. Victus tenuis, qui vulnerato præſcribitur, talis non præſcribitur quaſi vulneratus infirmus foret, ſed quia cùm motûs libertate privetur, periculum eſſet, ne in pleniori victû multa retinerentur excrementa, quæ expurgari deberent.

XC. Sudor univerſalis minimè prodeſt vulnerato, ſi præter vulnus, quod eſt malum particulare, non afficiatur aliâ aliquâ infirmitate, quæ exigat expurgationem illam generalem per cutis cribrum; aut transpiratio priùs non fuerit retenta: aut fermentum aliquod febrile in maſſam humoralem ſe non inſinuaverit, vel in ea progenitum ſit.

XCI. Animi pathemata vulneratorum ſtatum non parum alterant: Propterea maximi intereſt ea reprimere, quandoquidem non tantùm in ſpiritus, ſed etiam in totam humorum maſſam vehementer agunt.

XCII. Multi ex vulneribus, per ſe minimè lethalibus, mortui ſunt; alii quidem præ metû, quem ipſis incuſſit lethalitas, quam vulnus ſuum locum convehere arbitrati ſunt; alii præ irâ, quâ in vulneratores ſuos exarſerunt.

XCIII. Longè à vulneratô eliminari debent & metus & iracundia; prior etenim ſanguinis motum cohibet; altera verò nimiùm eundem promovet. Propterea per illa ſi non accerſatur mors, ſaltem ſymptomata producentur periculoſa.

XCIV. Magni eſt momenti animi tranquillitas, omni curâ libera, pro vitâ ſanâ: Non parum etiam ad hoc idem facit, ſi dolor aliquis corpori non procuretur: Dum autem medicationes ſunt raræ, & à turundis abſtinetur in curâ vulneratorum, illud perficitur, quod ipſis eſt neceſſarium; quia ſic in ſuavi degunt tranquillitate animi, & doloribus non affliguntur.

XCV. Qui medicationes ſecundùm Magati methodum adhibet, operam dabit ut tranquillus ſit vulnerati ſui animus; ac propterea ſi impatienter ille ferat, quòd ejusmodi medicationes ſint raræ, debebit contrarium ipſi perſuadere rationibus ex ejus maximâ utilitate petitis.

XCVI. Medicantes illi, qui per ſcurriles jocos arbitrantur ſe poſſe tranquillitatem inducere in vulneratorum animum, non minùs hallucinantur quàm ſi quiſpe[t] vultûs ac habitûs gravitatem idem ſe obtinere poſſe opinantur. Priores etenim agitant vulneratum præ metû, quòd in mimum potiùs quàm Chirurgum inciderit. Poſteriores verò eundem melancholicum faciunt, ac dubium ſuper curationis ſucceſſû, ex occaſione gravitatis præmemoratæ.

XCVII. Chirurgus, qui vehementiùs deprædicat curationes à ſe factas, qui pro ſui confidentiâ procurandâ, faciliorem pollicetur ægri ſui ſanationem; ſuſpectum ſe facit minoris peritiæ. Sic etiam perturbantur vulnerati, ſi ſe dubitantem præbeat Chirurgus, ſi medicamenta frequentiùs commutet, ſi non prævideri[t] ea, quæ patienti ſuo adveniunt: Hæc omnia illorum animum agitant, & curantium honorem minuunt.

XCVIII. Pro varietate animorum, debet ſe gerere Chirurgus ad tranquillitatem iis procurandam, & eos omnes bonâ ſpe connutriendos. Aliis ſatis erit ſe vitum prudentem præbere; aliis facetia aliqua temporiùs & cum gratiâ intermiſta probabitur. Res feliciter & ex ſententiâ cum omnibus minimè geretur à Chirurgô, qui idem ſemper ſe exhibebit; verùm potiùs ab illô, qui omnium genio ſe accommodare noverit.

XCIX. Inter ea, quæ tranquillitatem in vulneratorum animum inducunt, præcipuum erit, eum ingenuitate medicationes ſuas adhibere, & de propriâ curandi methodô peritè diſſerere. Præ omnibus autem aliis, neceſſarium erit Chirurgo, qui rarioribus utitur medicationibus, quique turundas omnes rejicit, ſui excelſiorem paulò opinionem apud omnium animos procurare. Hæc ipſi ſuccedent cum admiratione eorum omnium, qui poſtea videbunt laudabiles ſuæ methodi effectus.

C. Vulnerati ſuper Chirurgorum vultû legunt quid de ipſorum vitâ aut morte ſentiant: unde non parum intereſt illum ſic componere, ut fiduciam curantis ſemper ingerat, vulneratusque videat ſe in manibus ejus eſſe qui artem ſuam verè poſſidet. Sic enim obediens erit, & ſine nimiâ ſanationis ſpe devitabit metum vehementiorem & omnem deſperationem. In his ſita eſt animi tranquillitas vulneratis tantopere momentoſa, & quæ rarò admodum conciliatur, ſi medicationes aliâ adhibeantur ratione, quàm eâ quam famoſiſſimus edocet Magatus.

Præclariſſimi Viri Dioniſii Andreæ Sancaſſani, Comacchii Medici Primarii, Aphoriſmorum ex Operibus Celeberrimi Cæſaris Magati, collectorum Centuria alia, ſeu quarta, quâ quicquid prædictus Magati in curâ Vulnerum & Ulcerum, ſecundùm propriam ſibi methodum tradit, compendiô rurſus explicatur, & in Appendicem trium priorum Centuriarum præbetur.

Aphoriſmus primus.

QUandoquidem Natura, Vulnerum non minùs, quàm Sinuum ac Ulcerum vera eſt Medicatrix; Chirurgus illorum omnium curæ aſſidens, adhibebit remedia; vel eidem naturæ corroborandæ idonea, unde malum vincere poſſit; vel illi fini prorsùs contraria.

II. Ille qui pro curandis Ulceribus ac Sinubus, impendet res Naturæ vigorandæ aptas, faciet curam quæ Sympatica dici meretur. Sic ut è contrà Antipatica vocari poteſt ea, pro quâ medicamenta contraria adhibentur.

III. Om-

III. Omnibus probè ſupputatis magis proficuum erit vulneratis, curam quam diximus Sympaticam ſibi proponere, quàm aliam ipſi oppoſitam. Illa etenim per unum ac ſimplex tegumentum reparat calorem naturalem, in hiſce occaſionibus deperditum: Unde pendet iſtius curæ ratio eſſentialis.

IV. Si vulnera per methodum Sympaticam curentur, non opus erit multis medicamentis, & ea omni die renovare. Calor etenim naturalis corroboratus, excrementa concoquet, illa foràs protrudet; Vulnus mundabit, incarnabit, ac optimè cicatriſabit.

V. Methodo curandi Sympaticæ, præpoſita fuit à Galenô Antipatica. In eô autem non parum aberravit, quòd ſic neglexerit indicationem quæ deſumitur à caloris naturalis offenſâ, ac unicè cogitaverit de liberandis vulneribus à ſuis excrementis; parum de eorundem generatione præveniendâ ſollicitus.

VI. Inutiles itaque fuerunt Galeni ſollicitudines in applicandis ac renovandis vulnerum remediis; & prorſùs imaginatia fuit tranſitio quam ab unâ indicatione ad aliam faciebat; ſiquidem medicamenta externa ab ipsô inventa, nociva potius quàm proficua illis ſunt.

VII. Si remedia abſtergendis vulnerum aut ulcerum purulentiis, aut excrementis eorundem deſiccandis apta eſſe debeant; neceſſarium foret ea ſeligere, modò validiora, modò mitiora, ſecundùm conditionem purulentiarum.

VIII. Dum medicamentis abſtergentibus vulnera curantur, in iis excrementa ſemper reperiuntur; ac propterea continuò remedia ipſis infundenda erunt.

IX. Remedia abſtergentia minimè ſunt neceſſaria in vulneribus; quandoquidem etiamſi craſſior fuerit purulentia, ſine ejuſcemodi applicationibus ſanantur vulnera interna, ut & etiam incarnantur ſinus notabiles atque admodùm purulenti; imò ulcera profundiora commodè cicatriſantur.

X. Multi dum laborioſiùs in ulcerum viſcidis excrementis educendis ſe defatigant, ea per remedia abſtergentia, quæ in id adhibent, multò putridiora faciunt; imò etiam ſæpiùs profundiora; cauſam horumce accidentium alii prorſus occaſioni, quàm quæ vera eſt, tribuendo.

XI. In vulneribus, ſi carnes fuerint humidæ, minime neceſſarium erit medicamenta deſiccantia ipſis applicare. Callus quô oſſa facta conglutinantur, principio mollis eſt, & poſtea maximam acquirit ſiccitatem, ac duritiem; dum ſcilicet calor naturalis ſenſim abſumit humidum ſuperfluum quod inibi aderat.

XII. Si forent remedia quæ per unam aut alteram ſeptimanam, imò per menſem retinere poſſent propriam virtutem; illa commode vulneribus applicarentur, & inibi cooperta detinerentur; talia etenim remedia commodè per ſui ſuper parte affectâ moram agerent.

XIII. Pro vulneribus mundificandis requiritur calor naturalis robuſtus: Ut autem talis fiat ejuſcemodi calor, qui priùs debilis erat, nihil prævalebit tegumento apto, ac raris medicationibus; quæ ſanè decantatiſſimis etiam remediis præferri debent.

XIV. Dum vulnus ſæpiùs retegitur, calor naturalis debilitatur: Calore autem naturali debilitatô, purulentiarum proventus augetur, illæque tardiùs exeunt; unde pronaſcuntur alia mala, quæ ſanationem faciunt difficiliorem.

XV. Etiamſi darentur remedia, virtutes de iis decantatas poſſidentia, non minùs tamen ipſis prævalebit cura Sympatica, tanquam vulneribus multò utilior.

XVI. Sympatica cura non minùs facit pro vulneribus, quàm pro ſinubus ac ulceribus ſanandis: In hiſce etenim omnibus quatenus partes affectas ab aëris incurſibus tuetur; ſanationem illarum optimè promovet.

XVII. Ulcera non pauca, quæ fuere reputata incurabilia, ac innumeris remediis rebellia ſunt viſa; per curam ſympaticam ſanata fuere.

XVIII. Qui receptarum ac ſecretorum remediorum inquiſitionem faciunt anxiam, rariùs, & tantùm ex caſu, eorum fauſtos vident effectus, ab illis à quibus ipſa acceperunt promiſſos. Secretorum maximum in hôc ſitum eſt, ut nulli ipſorum fidatur.

XIX. Remedium exquiſitiſſimum ſæpiſſime fuerit, medicamenta nulla, ac præcipuè compoſita, in vulneribus adhibere. Quicunque in hôc articulô fuerit intelligens, ſuſcipere poteſt curam cujuſcumque vulneris, etiam contumacioris.

XX. Multò meliùs procedet ulceris curatio, ſi id tectum teneatur, & ſi ſingulis diebus medicamenta ipſi non adhibeantur; quàm ſi omni die nunc hôc, nunc illô remediô ſanatio tentetur: Sic etenim multò pejus habebit.

XXI. In ulcerum; ut & ægritudinum internarum ac externarum plurium curâ; mirum in modum ſuccedent res ſimplices, ordinariæ ac viles; idque multò felicius fiet quàm per medicamenta compoſita & extranea; quorum ſanè uſus promiſſis minimè reſpondet.

XXII. Bene dictum fuit, quòd medicatio vulnerum verè idonea minimè ſita eſt in multorum remediorum ſecretorum poſſeſſione; ſed in curandi methodô, quæ ſemper amat pauca, experta, ac ſimpliciſſima remedia.

XXIII. Qui animô ſollicitô ulceribus multa remedia applicat, idem facit ac Pater ille qui ſcorpionem filio ſuo pro pane exhibet. Calor naturalis qui unicè reſtaurari debet, per remedia deſtruitur, docente Celeberrimô Magatô.

XXIIV. Remedia quæ in vulnerum curatione adhibentur, ſunt ut plurimùm Naturæ contraria: Dumque eam & debilitant, & vexant, hoſtilia omnino ſe demonſtrant. Calorem etenim naturalem nunquam adjuvant; quin potiùs eundem prorsùs, per ſui frequentem applicationem opprimunt.

XXV. Dum frequentes medicationes ulceribus applicantur, aër partis affectæ temperamentum perturbat: Cùm eadem probè tecta contineantur, calor naturalis vegetior ſemper reddetur, ſicque faciet quicquid pro ſanatione neceſſarium eſt.

XXVI. Abſceſſus, qui ſunt ſinus exitû privati; poſtquam fuerint aperti, carne intra octo aut decem dies complebuntur, ſi modò oſſa minime ſint corrupta. Verùm intra totum id tempus, quantumcunque grandes fuerint, ſemel, aut bis ad ſummum retegi debent.

XXVII. Sinus, qui ſunt ulcera tegumentô ſuô naturali cooperta; ſanantur ſine remediis: Illudque feliciter admodùm ſuccedit, ſi poſt inciſos abſceſſus cooperti contineantur, & medicationes raræ ſint.

XXVIII. Dum aperiuntur abſceſſus, inciſio debet fieri grandior, ac in locô decliviori. Primâ poſtea die turunda inducatur, pro orificiô dilatandô ac purulentiarum exitu facilitandô.

XXIX. Poſtquam amota fuerit turunda primô inducta, atque purulentiæ per expreſſionem evacuatæ, ſatis erit ſi abſceſſus orificiô imponantur filamenta digeſtivô probè inprægnata, parſque affecta in eô contineatur ſitû in quô apertura decliviorem occupet locum; tuncque patiens per quinque aut plures dies immedicatus relinquatur.

XXX.

XXX. Poſt inciſum ac expurgatum abſceſſum, è re fuerit faſciationem adhibere expulſivam, dummodo inflammationis reliquiæ minimè adſint. Aliàs enim ſtrictior ligatura phlegmonem continuò excitaret.

XXXI. Sinus, in quibus medicationes ratò adhibentur, paucam evomunt purulentiam, & citò carnibus replentur. At verò ſi omni die medicationes fiant, multæ materiæ ex illis exibunt, & vix intra menſes ſanabuntur.

XXXII. Difficilis fit ſinuum curatio per abundantiam materiarum quæ ex ipſis exeunt, & illa abundantia præcipuam ſui habet cauſam in medicationibus frequentioribus: Illæ etenim per aëris inductionem, ac irritationem quam producunt, partem corrumpunt, ac peſſimi propterea ſunt effectus.

XXXIII. Cura ſimpatica feliciter ſuccedit in ſinubus, quia ſic partes diviſæ ſub propriò ſuò tegumentô, ſcilicet cute, continentur. Hæc autem cura ſtrictæ ligaturæ faciliùs ſe accommodat, quàm illi quæ cum aliis medicamentis perficitur. Unio autem commodiùs procedit ſub tegumentis naturalibus, quàm ſub artificialibus; verùm tempus in id neceſſarium ipſi concedendum eſt.

XXXIV. Contra doctrinam celebriorum magiſtrorum, & Græcorum & Latinorum, faciunt illi Chirurgi, qui omni die ſinubus ac ulceribus medicationes applicant; illi etenim quartô, aut quintô tantùm quoque die ipſas adhibebant. Moderni etiam aliqui idem docent, dum credunt remedium ſic faciliùs operaturum, dum tamen effectus optatus unicè pendet ex eô quòd ſic pars affecta rariùs detegatur.

XXXV. Dum coopertum detinetur vulnus, cum aliquô remedô minimè corroſivô, vigoratur calor naturalis, & in eum ſtatum deducitur qui ſanationi conveniens eſt.

XXXVI. Si ulcus rariùs retegatur, medicamentiſque non irritetur, excrementa in minori quantitate generabuntur, pars meliùs enutrietur, & ad ſanationem optatam diſponetur.

XXXVII. In ulceribus antiquis, ac corporibus cacochimis, præter curam internam, aliquando neceſſaria eſt cura externa. Debet etenim caro corrupta, ſi adſit, ex iis ſeparari; debet os abradi, ac lævigari quando opus eſt. Unô verbô vetus ulcus debet reduci in recens ulcus, antequam ejus curam per raras medicationes ſuſceperis.

XXXVIII. Remediis omnibus externis prævalebit in ulceribus, aliàs curabilibus, diæta, ac totius corporis expurgatio: Verùm cuilibet licitum non eſt duos hoſce articulos ita dirigere; ut vulneratis, aut ulceroſis, juvamento, potiùs quàm damno ſint. Quando ſic omnia perficiuntur, parum intereſt ſi rariùs retegantur partes affectæ, ac medicamenta iis applicentur.

XXXIX. Si in ulceribus cum variis accidentibus complicatis, unde purulentiæ peſſimæ conditionis exeunt, & quæ remediis compluribus adhibitis ſunt rebellia; efficax tamen eſt rarior medicatio, & abſtinentia à remediis compoſitis: talis curationis methodus multò magis erit proficua in vulneribus, etiam graviſſimis.

XL. Non datur itaque remedium quod in vulneribus, ſinubus, & ulceribus curandis æquiparandum veniat medicationibus raris. Hæc autem Chirurgiæ pars ante celeberrimum Magatum, ad perfectionem neceſſariam minimè fuerat deducta.

XLI. Si Spagirici ac Chimici poſſent in curâ vulnerum, perficere per remedia ab iis tantopere decantata, quicquid pollicentur; mendacii arguerent Paracelſum, Patriarcham ſuum, autorem aphoriſmi primi, primæ harumce quatuor Centuriarum.

XLII. Balſama per deſtillationem confecta, præterquàm quòd in vulnerum curatione nihil ſunt quàm manuum jocus; nociva etiam declarantur ab Hartmannô Chimicô ſuperioris ſortis. Sunt enim illi ſuſpecta, tum propter nimiam penetrationem, tum propter empyreuma quod ipſis inter deſtillandum adjungitur. Optima erit hæc animadverſio pro refrænandâ Spagiricorum immoderatâ in ſuis pollicitationibus jactantiâ.

XLIII. Si quis non noverit falſitatem elogii quod de ſuô emplaſtrô Stipticô prædicat Crollius; quòd ſcilicet mirabile ſit in curâ vulnerum, quòdque infinitæ ſint ejus virtutes: nec ſub lunari globô, illô quid efficacius reperiri queat: ut de horumce omnium falſitate convincatur, probationem faciat iſtiuſmodi remedii, atque conſideret quòd ſit è triginta quatuor ingredientibus compoſitum.

XLIV. Unguentum ſympaticum ſtellatum Paracelſi, compoſitio eſt omnium inſaniſſima; tum ſi conſideretur compoſitio ipſa, tum methodus quâ remedium applicatur. Crollius perſuadere ſatagit quòd tale medicamentum è ſtellarum influxû ſuas habet vires: Verùm quicumque ſanô eſt animô talia deridet deliramenta.

XLV. Futilia permulta de unguentô Stellatô enarrat Crollius; v. g. quòd ipsâ die, quâ applicatur, Venus à patiente non venit exercenda; quòd vulnus minimè conſuendum ſit; quòd ſuffecerit omni die ipſum religare poſt appoſitam compreſſam urinâ patientis madidam &c. Hâc adhibitâ methodô, etiam exulante balſamô, ſanabitur vulnus; ſcilicet nihil compertum habemus de hujuſce balſami vi: an fuerit ipſius balſami naturalis adjutoria; an deſtructiva? Quod ultimum forſan pertimeſcendum.

XLVI. Chimici dum in ſuis præparationibus remediorum florem ſublimatum pollicentur, in vulneratorum gratiam; deberent hermeticè ſigillare quod nimis volatile in ſuis continetur pollicitationibus, ne citiùs evolans, in praxi tota earum vis deperdita reperiretur.

XLVII. Chimiſtarum, ut & remediorum ab ipſis confectorum infirmitas, pro vulneribus ſanandis, non aliunde meliùs manifeſtatur, quàm ex iis quæ de unguentô ſtellatô annotat Crollius. Ille etenim naturæ injuriam facit, dum curam quæ iſti ſoli debetur, rebus quàm maximè ridiculis aſſignat.

XLVIII. Non ſufficit dicere, quòd Chimia dicere ac facere poſſit, imò dicat & faciat; experientia & ratio in vulnerum curâ pro naturâ militant, cujus ope ea peragitur cura, dummodò remedia maximô etiam artificiô parata, ipſius operationi non noceant.

XLIX. Qui norunt quicquid Naturæ unicè opus eſt in vulnerum curâ, ſubrident quoties vident Spagiricos, ſe cum ſuis alembicis defatigantes, ut ſaltem cum illâ aliquid cooperari queant. Quicunque etenim communi hominum ſensû præditus eſt, iſtorum præparationibus parum, aut nihil dabit.

L. In vulneribus in quibus de aliquô malô conficiendô agitur, rejici non debent medicamenta ſpagirica. Verùm omittenda veniunt ea quorum ope arbitrantur Chimici ſe curas peragere poſſe, quæ ſolius naturæ ſunt opera.

LI. Scribit Hartmannus quòd ex oleis hyperic. Lumbricor. terebinth. & maſtich. æqualibus partibus commiſtis conficitur balſamus intra viginti quatuor horas vulnera ſanans, idque eadem facilitate quâ ſui collegæ alia pollicentur.

LII. Etiamſi Chimiſtæ ac Empyrici curationem vulnerum intra viginti quatuor horas, per ſuorum remediorum applicationem polliceantur; illud difficillimè ſuccedet, etiam in leviſſimis; nunquam verò in gravioribus.

Balſa-

LIII. Balſamus vulnerarius Felic. Vurtzii, etiam viridi æris tinctus, ut docet Hartmannus, quicquid autoritatis acquiſierat deperdit ex quô conſideratur ejus compoſitio. Idem dici poteſt de ſimilibus aliis remediis à Paulô Barbette, Dolcô, Ettmullerô, & aliis recentioribus propoſitis.

LIV. Hartmannus nunquam vulnera medicatus eſt, aliàs minimè dixiſſet ea ad fundum uſque ſuis balſamis eſſe adimplenda, adſpersô cancrorum pulvere, (ridiculô medicamentô) ut ſcilicet vulnus ſic in ſuperficie non priùs incarnetur quàm in fundô.

LV. Cerumen aurium cum oleô nucum conſtituit balſamum in vulneribus, in quo Natura Spagiricam exercuiſſet, ſi quod de tali aſſeritur balſamô mera non foret futilitas, ab Hartmannô propoſita, & ab Ettmullerô rurſus deprædicata.

LVI. Oleum ceræ proponitur à Beguinô tanquam magnum in ſanandis vulneribus medicamentum, paucaque alia remedia in talem uſum exhibet, quia forſan meliùs quàm alii ſubodoratus eſt eorumdem inefficaciam in malô cujus ſanatio eſt merum naturæ opus.

LVII. In gravioribus vulneribus vires pollicitas minimè exſerit unguentum armarium. Nihil aliud efficit quàm Naturæ operandi libertatem concedere. Idem dicendum de pulveribus ac balſamis ſympaticis, quæ tantopere fuere deprædicata.

LVIII. Optimè dicebat Poterius, magnus Spagiricus. Si poſſumus vulnera ſanare cum paucis ac facillimis medicamentis, quid adhibebimus multa, malè ſecura, & ſæpe malô ipsô pejora? Si experientia ac ratio, non verò opinio, artem conſtituunt, quare nos Chimici contrarium faciemus?

LIX. Quòd Chirurgus doctus ac prudens ſit ſimplex Naturæ miniſter, qui eam unice ſequi debeat in vulnerum curatione, docet Petrus Joh. Faber. Cui proinde bono tot balſama compoſita proponit.

LX. Impietatis accuſari meretur Spagirica, dum in vulnerum curâ proponit balſama ex carne humanâ, ac ſpiritus & tincturas è ſanguine humanô. Si etenim ſecundùm eam caro vitulina eſt utilis, quare carnem hominis ſani exigit?

LXI. Dum in capitis vulneribus pauca vult balſama Faber, commonſtrat ſe caput habere: Capitis etenim vulnera, non ſecùs ac alia omnia, remedia tanquam corpora extranea, ac ſibi inimica perſentiunt.

LXII. Cura vulnerum, aliarumque ægritudinum per tranſplantationem, phrenesis eſt quam contraxere Chimiſtæ ex ſuorum furnorum ardore.

LXIII. Quia perſicaria folia hebet maculis ſanguineis tincta; quia hypericum folia habet perforata; quia gentiana cruciata radices habet in modum crucis inciſas; quia millefolium folia ſua habet quaſi diſcerpta; quia ulmus transfoſſa ac foraminata gerit folia: Hæc ſimplicia erunt optima remedia in vulneribus humanis. Hoc eſt Chimiſtarum deliramentum à Crolliô expoſitum.

LXIV. Quid in causâ eſt, inquit Crollius, cur omnes plantæ quæ reſinas effundunt, ſunt vulneribus ſalutares? Quandoquidem, reſpondet, earum truncus minimè offenditur, ubi ferrô attingitur. Quid ridiculius?

LXV. Furnorum fumus Paracelſo mentis lumen obtenebrat, quandoquidem non videt, quòd etiamſi ſuis ſenarentur remediis vulnera, id non effici ex eorum virtute imaginaria; ſed quia in illorum uſu vulnera operta continebantur, ſicque natura ſola, à cauſis externis minimè interrupta illa ſanabat.

LXVI. Chimiſtæ illi, qui dum vulneratis ſuis, tincturas è ſanguine humanô paratas propinant, ſanationem ſic tutam ac promptam ſibi promittunt, debent facultatem poſſidere, commeatum remedio præbendi, ut rectâ ad partem vulneratam progrediatur, nec in viâ impediatur.

LXVII. Nunquam aliquis reperietur finis balſamorum, aut aliorum remediorum præparationibus, pro ſanandis vulneribus, ſi chimiſtæ ab iſtis operibus non deſiſtant, ac diſcant omnem ipſorum præparationum ſucceſſum ab eô pendere, quòd in illarum applicatione à curandis prorſus abſtineant.

LXVIII. Bonetus multa affert vulneraria remedia, à quibus abſtinere poterat. Inter ea reperitur balſamus Samaritanus D. de Bernitz, compoſitus è multis ac variis rebus, quique nihil poſſidet boni quàm ſolum nomen. Nec noviſſe datur, quare Samaritani nomen Emplaſtro vulnerario quod deſcribit concedat; ſiquidem illud minimè eſt præparatio ſinceri alicujus Medici.

LXIX. Secreta quædam remedia Philoſophica, à Chimiſtis pro vulneribus decantata, non magis proficiunt quàm vulnerariæ potiones, quæ nihil boni efficiunt.

LXX. Arbitratur Ettmullerus quòd imperfecta ſit ac claudicet praxis Medica, idque duabus de cauſis; ex penuria ſcilicet experimentorum chimicorum, & ex defectû obſervationum anatomicarum. Verùm in vulnerum curâ nihil proficiunt illa, & hæ tantùm adjuvant ſi ſobriè admittantur.

LXXI. Illi qui ſingulis diebus vulnera medicantur, idque cum unguentis ac oleis uſitatis, habent pro re certâ, imô certiſſimâ, quòd ſint quædam clymata, ac regiones in quibus facillimè ſanantur vulnera capitis, dum in aliis eadem lethalia ut plurimùm exiſtunt. Quædam ubi peſſimè ſe habent qui in tibiis vulnerantur, dum in aliis eadem vulnera facillimè ſanantur.

LXXII. Quòd Pariſiis vulnera capitis difficiliùs quàm in Ditione Avenionenſi curarentur, quòdque contrarium prorſùs eveniat in tibiarum vulneribus, jam dudum à Guid. de Cauliacô fuit obſervatum.

LXXIII. Aſſerit Fallopius, quòd clymata urbium Neapolis, Vicentiæ, ac Florentiæ, ſint vulneribus capitis lethalia. Poſt Fallopium eandem obſervationem pro verâ pronunciavit Magatus.

LXXIV. Quòd Bononia, in Italiâ, ſit omnino funeſta iis qui in capite fuere vulnerati, ſcripſit Amatus Luſitanus, ac ex eodem tranſcripſit Ettmullerus: Verum quidem eſt de parte urbis meridionali; ac minimè de ſeptentionali, ubi aër craſſior exiſtit; quia ejus ſitus eſt humilior, longiùſque à monte diſtat.

LXXV. Civitas Ferrarienſis reputatur à Quercetano vulneribus capitis infenſa. Eam tamen ab ejuſmodi offensâ liberat Fallopius, qui eam conſiderat tanquam locum humidum, cujus aër craſſior noceat potiùs vulneribus tibiarum.

LXXVI. Reſpectû habitô ad aëris craſſitiem, duæ præcipuæ Civitates, Venetiæ, & Patavium, conſiderantur à Fallopiô tanquam vulneribus capitis propitiæ, & vulneribus tibiarum infenſæ.

LXXVII. Aër Romanus, hybernô tempore, & veſperi, & æſtivô, matutinis horis, nocivus eſt iis qui in capite fuere vulnerati, ſi hiſce horis medicationes adhibeantur, magis quàm omnibus aliis, propter frigidatem quâ tunc perfunditur. Id obſervavit Alexander Petronius, in ſuô de Romanorum Victû librô. Poſt eum Georgius Baglivus aſſerit, quòd Romæ ulcera ac vulnera pedum ſunt difficilis admodùm curationis, præcipuè ſi unctuoſa in iis adhibentur medicamenta: Quòdque è contrà facilè ſanantur in capite vulnerati. Contrarium docet Ettmullerus; & omnes iſti in contrarietatibus ſuis verum dicent ſi attendatur ad aëris varietatem quæ in variis hujuſce magnæ urbis ſitibus reperitur.

LXXVIII. Qui dicunt in vulneribus capitis aërem eſſe nocivum propter occultam quandam ſui proprietatem, neſciunt quid dicant. Fallopius dicit aërem ſubtiliorem vulneribus capitis eſſe infenſum, ſed non ita

ita ut propter hoc ſolum accidat, quærendamque eſſe ejuſce eventus aliam rationem, quam nos in aliô ſanè conſtitutam non credimus, quàm in malis medicationibus.

LXXIX. Fallopius ſcribit quòd Florentiæ, ac Vicentiæ ſanaverit vulnera capitis, etiam lethaliſſima, nullô habitô ad harumce urbium aërem reſpectû, ſed quòd in medicationibus maximè circonſpectus fuerit.

LXXX. Si probè tecta contineantur vulnera capitis ac tibiarum, ceſſabit omnis illa diverſitas clymatum, quæ ipſis tantopere contraria reputatur. Verùm tamen ubi aër fuerit ſubtilior ac penetrantior, opus erit caput defendere cum tegumentis proportionatis, advertendo ne in exceſſum delabamur: Quandoquidem ſi gravius fuerit pondus, ac calor intenſior, inde occidi poſſunt qui in capite ſunt vulnerati, etiam in illis locis in quibus aër eſt maximè propitius.

LXXXI. Illi qui vulnera ſingulis diebus medicantur, idque cum medicamentis unctuoſis, facilè imputabunt aëris offenſæ quod ſuæ debetur culpæ, quâ impreſſione aëris admiſsâ tota pars vulnerata ſuccique vicini commoventur ac turbantur.

LXXXII. Aër, in locis humilioribus, paluſtribus & humidis, eſt inſtar aquæ, & aqua inſtar cæni: qui illum reſpiratione haurit, parum tranſpirat, & tranſpirationis materia convertitur in ichorem, quô inundantur ductus viſcerum ac glandularum, & inſpiſſantur ſucci vitales; unde parcior fit ſpirituum generatio, fibræque laxantur.

LXXXIII. In capitis vulneribus, non erit nocivus aër craſſior, quia minùs poſſidet elaſticitatis, ſuccos minùs movet, aut calorem minùs evaporare ſinit. Infenſus verò erit vulneribus tibiarum, quia præterquàm quòd fluida lentiori circulationi apta facit, compreſſione ſuâ ſuper parte vulneratâ, tranſpirationem impediet, & acidum augebit.

LXXXIV. In locis altis ac montoſis, aër quamvis à partibus elaſticis magis liber, ſubtilior ac ſiccior exiſtit; unde qui eum reſpiratione haurit, bene tranſpirat, ſufficitque illiùs elaſticitas conſervando motui liquorum vitalium; unde ſpiritus agiliores, fibræque in debitâ tenſione continentur.

LXXXV. Quomodo aër ſubtilior infenſus ſit vulneribus capitis, explicari poteſt per obſervationem à Boilæô relatam. Poſſidebat ſcilicet ille medicamentum quod dum in vaſe probè obturatô detinebatur, coagulatum cernebatur: Vaſe verò apertô, aëre que ipſum ſubintrante, ſubitò diſſolvebatur. Quis etenim non videt ſimile quid in vulneribus capitis ab aëre ſubtiliori peragi poſſe.

LXXXVI. Aër ſubtilior tibiarum vulneribus eſt propitius, quia eô imbutus, ſanguinem poſſidet, qui faciliùs per venas à partibus inferioribus ad centrum regreditur; nativus ſcilicet calor robuſtior eſt, fibræque ſunt meliùs conſtitutæ.

LXXXVII. Pro aſſignandâ verâ ratione offenſæ aëris in vulneribus variarum corporis partium, non opus eſt recurrere ad varias materias per aërem ſparſas; nam illius motus ac compreſſio ſunt veræ horum effectuum cauſæ.

LXXXVIII. Aër Maltenſis, Neapolitanô jam melior non eſt, ut ex eô faciliùs illic vulnera capitis, quàm hic ſanari debeant. Interea tamen ne quidem de centum unus in manibus Maltenſium Chirurgorum moritur, ut tradit Severinus, dum Neapoli vix è centum unus evadit.

LXXXIX. Nullus Autor de ſorte vulneratorum Divionis Mediolanenſis ſcripſit. Quòd autem illius aër ſit bonus aut malus, iis ipſis, ſecundùm bonam aut malam medicationum methodum, aſſerit Septalius, qui habet omnes capite vulneratos in magnô Hoſpitali occubuiſſe, donec ad methodum Galenicam deventum eſſet.

XC. Facilè percipi poteſt, quòd ſi modò bene coopertum detineatur vulnus aliquod capitis, aut tibiarum, aër quantumvis ſubtilis aut craſſus fuerit nihil mali efficiet, unde corruit tota doctrina, de offensâ, aut inoffensâ aëris in clymatibus variis.

XCI. Rumlerus non parum ſapienter dicebat, quòd difficultas quæ in ſanandis vulneribus capitis Florentiæ occurrebat, non tam ab aëris ſubtilitate pendebat, quam ab inſufficientiâ Chirurgorum, qui in iis ſanandis doctiores ac diligentiores videri volebant.

XCII. Qui vidit effectum ex introductione aëris in ampullam enatum, in quâ contineatur liquor aliquis limpidus ac tranſparens, qui ſtatim ac removetur obturamentum totus conturbatur, ac in fumum denſum, continuò de ampullâ exeuntem, convertitur, unde huic liquori aquæ fumantis nomen fuit inditum: Ille noſcet quàm bene fuerit vulnera probè cooperta detinere.

XCIII. Nulla eſt corporis pars, quæ, etiam æſtivô tempore, non ſit calidior ipsô aëre, idque eò magis, quòd ſuô tegumentô naturali privabitur. Aër itaque, cujuſcunque demùm clymatis non poteſt quàm nocere vulneribus, dum calorem naturalem conculcat, penes quem eſt illa ſanatio.

XCIV. In capitis vulneribus, oportebit illa ab aëre craſsô defendere, quia iis adjuvamento eſſe nequit, quamvis minùs quàm ſubtilior noceat.

XCV. In tibiarum vulneribus, ſi frequentiùs retegantur, medicamentaque unctuoſa adhibeantur, malè ſic procedetur in aëre craſsô, nec bene etiam in ſubtiliori. Clyma in eô eſt beneficum, quòd artis erroribus celandis faciat, dum iiſdem emendandis inſufficiens eſt.

XCVI. Qui in vulneribus capitis, aut tibiarum, juvamentum ex aëre ſibi pollicetur, ac propterea ea frequentibus illius incurſionibus exponit, fatuitatis cujuſdam ſpeciei meritò argui poteſt.

XCVII. Aër locorum maritimorum, eo quòd ſale ſit omnino gravidus, ac humidarum exhalationum plenus, non minùs nocivus aut proficuus erit vulneratis, pro ratione medicationum, quæ bene, aut malè à Chirurgis adhibebuntur.

XCVIII. Vulnerato bonum erit aërem ſubtiliorem reſpiratione haurire, ſed non permittere ut ille vulnus ipſum circumcingat, ac directè ambiat: Quandoquidem aër per reſpirationem modificatur, ac corrigitur, quod non item evenit in eô qui in vulnus incurrit.

XCIX. In vulneribus brachiorum, pectoris, aut infimi ventris, nemo unquam cogitavit de partialitate clymatis, (liceat hôc uti verbô) pro hiſce partibus; ſed earum fortuna tota repoſita fuit in methodo medendi. Quidni idem erit judicium de vulneribus capitis & tibiarum?

C. Optimè itaque à Magatô fuit concluſum, ac centum poſt eum annis, à Dnô. Belloſte, quòd omnis clymatis partialitas ceſſat, quando vulnera capitis & tibiarum eâ curantur methodô, quæ pro baſi habet illa ab aëris injuriâ defendere, ratò medicari, & à turundis abſtinere.

Obſervaniones quædam.

Experientiſſimi Chirurgi, D. Jacobi Peregrini Nouvoletti, ſuper Methodô Magatianâ, à Clariſſ. D. D. Sancaſſanô, in Aphoriſmis jam allatis, traditâ: Ex Illius ad Hunc, doctiſſimâ Epiſtolâ exſcripta.

UT aliquatenus reſpondeam honori, mihi à Clariſſ. Virô conceſſo, mentem meam aperiam ſuper

per quæſtione propoſita; *quomodo canes lambendo propria vulnera, illa ſanent, etiamſi ab aëris incurſibus minimè defendantur?* Super hac quæſtione libere ac ingenuè dicam, quòd aër non ſit ſolus infenſus vulneribus, & conſequenter quòd non tam periculoſum ſit ea frequenter, præ aëris metû, retegere, ut affirmat Magatus; mihique propterea appareat quòd ſit alia aliqua cauſa quæ aëre ipſô vulneribus multò magis noceat: Excipiendo intereà aërem actualiter frigidum, quem pro venenô habeo; ut etiam aërem variè in certis clymatibus infectum. Dico itaque quòd laudem mereatur vulnerum rara medicatio, non quòd illa ſic ab aëris inſultibus defendantur, ſed quia quotidianæ medicationes impediunt eorum reunionem, quæ majori ex parte, ut arbitror, conſiſtit, in quibuſdam filamentis, ut plurimùm à Chirurgis pro purulentiâ viſcidâ habitis, dum non aliud reverâ ſunt quàm filamenta ſubtiliſſima, quibus utitur natura pro reuniendis partibus diviſis: Exinde etenim patet, quòd quando Chirurgi ſingulis diebus ſtillant medicamenta in vulnera à ſe priùs diligenter abſterſa, deſtruunt ſtamina à Naturâ inchoata. Ego itaque à famoſiſſimi Magati partibus ſtans, non ſolùm ſimplicibus utor medicamentis, balſamô ſcilicet Samaritanô, cui parum camphoræ adjungo; medicationes rariùs adhibeo, & turundas omnes excludo. Rursùs maximi facio tegumentum artificiale, ubi deficit naturale, & vulnera quàm rariſſimè poſſum deligo ac retego. Ex hiſce quatuor cautionibus, ſcilicet abſtinentiâ à turundis, rarioribus medicationibus, compoſitorum medicamentorum excluſione, & tegumentô cum magnâ accuratione adhibendô: Canis; ut ad quæſtionem tuam tandem deveniam, primam ac tertiam in uſum revocat; ſecundam verò ac quartam prorsùs negligit: Singulis etenim momentis medicatur vulnera ſua, quæ minimè cooperta habet: Unde non parum dubia fit nociva aëris qualitas; quandoquidem canis, dum ſe ab illius inſultibus minimè defendit, vulnera propria non minùs ſanat. Concludendum itaque venit, non aërem ſolum eſſe vulneribus infeſtum, quando frequenter pro remediorum applicatione, reteguntur. Hic audio Te opponentem, quòd canis frequentibus vulnerum ſuorum lambitibus, perpetuo diſrumpit ſtamina pro eorundem reunione à Naturâ parata; unde mirum quomodo ſanari queant. Verùm reſpondeo, quòd aliud ſit ſanatio prompta ac bona; aliud ſanatio mala, & tarda: Quod idem eſt ac ſi cum Magatô dicerem, aliam eſſe curationem quæ fit per viam ſympaticam; aliam quæ per viam antipaticam peragitur. Si autem experientia doceat quòd per utramque methodum ſanantur vulnera; inde concludi debet, aut quòd utraque ſit bona, aut quòd ſaltem una alterâ tantùm melior exiſtat. Animalia bruta ſine medicamentis revera ſanantur, ſed non ſine alterâ ex methodis ſuprà allatis. Ipſe canis dum propriam ſalivam in ſui ſanationem lambendo impendit, remediô utitur ſympaticô, cum fructû, quod nemo negaverit. Verùm illa cura eſt procul dubiô tardior quàm ſi vulnus coopertum interea foret, & aliud etiam aliquod remedium uſurparetur. Ego id plùs quàm decies ac decies obſervavi, & illud idem obſervant Profeſſores illi, qui in medicandis vulneribus, aërem conſiderant, dummodò frigidus non fuerit, tanquam rem indifferentem, dum ab eodem qualiſcumque demùm conditionis ſit, prorsùs abhorrent Magati Diſcipuli. Liceat tamen mihi dicere, quòd quando canis propria lambit vulnera, ſic facit ut liberentur à purulentiis ac corporibus extraneis, quòdque ſi diligenter cooperta detinerentur, corruptiones in iis facillimè enaſcerentur propter purulentias in illis accumulatas, ac impactas ab ipſis pilis: quibus animal veſtitur: Sapienter itaque ſe gerit canis, ſi ita loqui liceat, dum propria lambit vulnera, ſiquidem eâ ratione removet impedimenta quæ illorum ſanationi officerent: Quod eſt abſolutæ neceſſitatis in omnibus brutorum vulneribus. Verum etenim equidem eſt quòd Natura eſt vulnerum medicatrix; at veriſſimum etiam quòd pro ejuſmodi operatione ab ipsâ obtinendâ, removenda veniant à Chirurgô impedimenta, quæ illorum reunioni obſtare poſſunt. Canis proinde vices eximii gerit Chirurgi, & in eâ actione, ſcientiâ homini aliquatenus ſuperiorem ſe oſtendit; quandoquidem ſic amovet impedimenta, quibus ſublatis Natura commodè reunionem ac ſanationem ſibi commiſſam peragit. Addo propterea, quòd canis propria vulnera ſanabit, quantumvis aëri ambienti patentia, dummodo linguâ ſuâ utatur; & tanquam inſtrumentô, quô amovet impedimenta, & tanquam re calore naturæ ſuæ homogeneô, donatâ: Eâ etenim ratione fotus eſt paratus, cujus utilitas tantopere à famoſô commendatur Magatô, ut patet ex Aphoriſmis quos ex ejus Operibus exſcripſiſti. Ex iis quæ hactenus à me fuere allata, nollem ſanè concluderetur, me aërem prorsùs vulneribus innoxium pronunciare, ſed tantùm pro certò habere, minùs mali ab eô effici, quàm ſi præ metû ipſius introductionis, impedimenta verè infenſa in illis detinerentur. Obſervandum præterea, quòd cùm lingua canis non ſit ut ea cati aſpera; ſed lævis ac humidiſſima, per ejus actionem non diſrumpentur omnia ſtamina à Naturâ medicatrice pro reunione vulneris parata.

Ex iis quæ in cane vulneratô eveniunt, manifeſtum fit, quòd aër non ſit illud quod præcipuam facit difficultatem in vulnerum ſanatione, ſed potiùs eorum manus qui ſingulis diebus ipſa medicantur, ac remedia inidonea apponunt & immittunt: Applicatio etenim iſtorum remediorum quæ fit ſingulis diebus, inſervit tantùm deſtruendo interno remedio, quòd non malè Naturæ Balſami nomine inſignietur. Utinam aliquando attendatur ad magnum malum quod ex frequentioribus producitur medicationibus, propter rationes jam allatas.

In malis naſcentibus, ſeu tumoribus, qui ſunt frequentes in hôc quem incolo aëre maritimô; quique tam laborioſæ fuerunt curæ prædeceſſoribus meis, methodum adhibeo non minus ſuavem eâ quâ in vulneratis utor. Abſtineo, quantùm poſſibile, ab irritantibus, quæ priùs multò ægrorum damnô uſurpabantur: Aquam dulcem calidam, ac etiam fervidam, ſi cauteriſatione humidâ opus ſit; potiùs appono; pompam remediorum compoſitorum excludo, ac in ſimplicioribus & innocentioribus me contineo. Si agatur de ſuppuratione accelerandâ, id cùm ſimplice butyrô recenti perago, & poſtquam illius beneficiô tumores fuere aperti, illos quàm minimè fieri poteſt, turundis aut medicamentis frequentioribus irrito; eâdemque etiam ipsâ methodô in ulceribus abſtergendis utor: In his etenim, ut & ſinibus, remedium prædictum uſurpo, etiam quando de carnibus inducendis, & ipsâ cicatriſatione agitur; impedimenta quæ reunioni obſtant, primò manu, aut remediis amovendo. Unô verbô illud curæ mihi eſt: ut opus Naturæ non interrumpam.

Hæc eſt praxis mea, Reverendiſſime Domine; cujus explicationi ſubjungere liceat, cùm omni obſervantiâ Tibi debitâ; quòd ægerrime ſubſcribere poſſim illis tuis Aphoriſmis, in quibus aſſeris, per quatuordecim, viginti, & plures etiam dies, abſtineri poſſe à vulnerum medicatione, ſufficereque ut quartô, aut quintô quôque die ſinus & ulcera retegantur: Illa etenim medicationum raritas, quæ tanto-

pere à Te venit commendata, ſuas habet difficultates, quas paucis hîc indicabo.

Primò dum Chirurgus ſic aget, reputabitur munditiei parum ſollicitus, cujus patientes, præcipuè ſi fuerint alicujus nominis, ac delicatuli; illique etiam omnes qui ipſis adſiſtunt, tantopere ſunt amantes. Secundò hîc non percipietur quicquid mali vulneribus evenire poteſt: imò Chirurgus cum ſuis faſciationibus expulſivis, ac attentione ad excluſionem purulentiarum per eaſdem promovendam, ſeipſum aliquando infamabit, ac ægrum malè habebit. Quod præcipuè eveniet in initiis, ubi purulentiæ ſunt copioſiores, eòque magis ſi corpora aliqua extranea in vulneribus reſtiterint. Unde concedendum venit quòd ſaltem hiſce in caſibus ſit abſolutè neceſſarium penicillos & faſcias frequentiùs commutare, quando ſcilicet purulentiis onuſta apparent: Multùm etenim intereſt ut ille qui medicatur non videatur homo ſordidus ac ſpurcus. Præterquàm quòd in redibile quam tùm ſublevatum ſe credat patiens poſtquam amotus fuit ab ejus partibus vulneratis apparatus ille fætens, cujus odorem ægerrimè habebat: illudque præprimis locum habet in ſubjectis cacochimis ac impuris. In caſibus præmemoratis, dum non parum laudo frequentiorem tegumentorum commutationem; non interim credo quòd iidem renovanda veniant remedia, quorum virtus non ea eſt quæ deprædicari ſolet, ſæpiusque ſunt damnoſa, præprimis ſi compoſita fuerint. Unde Chirurgos quàm maximè hortor ut medicamenis non tam fidant, quàm probæ medicandi methodô: à quâ honorem ſibi conciliant, & vulneratis ſibi commiſſis ſalutem procurant. Ego qui ab experientiâ didici quantum noceat contactus remediorum vulneribus ſuô naturali tegumentô, ſpoliatis iis linteolum vel plumaceolum è filis attritis ac ſiccis confectum ſuperextendo: Manus poſtea utiliſſimum eſt remedium, neceſſariumque illud inſtrumentum, quod nomen ac gloriam Chirurgo conciliat, quoque Natura opus habet in plurimis occaſionibus, ſi non in omnibus.

Concludo itaque, dicendo quòd Aphoriſmi à Te, Vir Excellentiſſime mihi tranſmiſſi, ſunt aptiſſimi pro deducendis iis qui Chirurgiam profitentur ad perfectiſſimum quem ſibi conquirere poſſunt ſcopum &c.

Hactenus Periti ſſimus Dominus Nouvoletti, cujus accuratiſſimis obſervationibus hîc ſubjungere liceat, quòd quantumvis raras medicationes conſulat Clariſſimus Sancaſſanus in ſuis Aphoriſmis, non tamen minùs commendet purulentiarum expurgationem, cujus modum Chirurgorum induſtriæ ac ſolertiæ committit; ut & corporum extraneorum amotionem.

Conſultatio.

De Vulnere Capitis.

Juvenis 27. annorum, Temperamenti ſanguinei; è bello redux, aëris frigidi, laboribus & aliis vitæ militaris incommodis adſuetus, habitus ſucci pleni, cum familiaribus aliquot ſociis vino & tabaco litat. Poſt paſtum largiorem cum adſidentibus aliis, non minus ac ipſe, ebriis, inter pocula lites ipſi moventur, à verbis ad verbera devenientibus rixantibus. Ipſe verò ligneo duriori baculo, è ſcamno petito, tribus circiter plagis in caput verberatur, quarum una ſiniſtro bregmatis latere per pericranium ad calvariam uſque pertingit. Corruit ſtatim cum ſtupore, excitatus verò domum portatur, adſcripto ebrietati ſomnolento torpore; emplaſtro ſtiptico deligato vulnere. Manè excuſsâ licet vinolentiâ, pro temporis ratione non evigilat tamen, ſed excitatus mox in ſomnum relabitur, nec ad quæſita debito modo reſpondet, quin inter quietem iſtam ſubinde paver & concutitur. Queritur geſtibus de dolore graviori, ſequenti tempore etiam de vertigine. Alvus non reſpondet, nec urina etiam primo tempore. Parentes petunt conſilium.

Reſolutio.

Ut in foro nunquam jus dicitur, causâ prius non cognitâ; ſic nec morbo æger abſolvi minus poteſt, caſu & circumſtantiis ejuſdem haut probè perſpectis.

Laborat autem hîc Noſter Vulnere Capitis, primo intuitu & ex malè æſtimato levi & parvi habendo, virtute verò ſeu effectu ſat gravi, gravibus iisdem ſymptomatibus ſtipato, quæ non maturè curata vel extirpata lethalitatem ſæpius inducunt.

Affectus ergò hic non ſimplex eſt, ſolo curando vulnere, quà tali, ſed complicatus cum contuſione, quæ hîc potiſſimam abſolvit paginam. Quamvis verò prius illud ſatis conſtet, ut tamen de genuinâ affectus naturâ nullum reſtet dubium, nec more vulgi minus æſtimemus & negligendo morbum graviorem reddamus, patet.

I. Ex eſſentialiter inhærenti, ſeu ſigno pathognomonico, læſione manifeſtâ externâ, corporis duri & obtuſi ad durum alterum factâ colliſione violentâ, unde ſiniſtro bregmatis latere pericranium ad calvariam uſque manifeſto hiatu diviſum eſt, quamvis nec reliqua verbera inefficacia fuiſſe ſtatuenda ſint.

Confirmant id II. Eſſentialiter conſequentia, ut vocant, ſeu ſymptomata varii generis. Adſunt enim in actionibus læſis animalibus ſenſus ac motus ἀῤῥωςία, quam ſatis ſuperque indicant prolapſus ad terram ſubitaneus, ſtupor omnimodus, impotentia eundi, torpor ſomnolentus, loquendi difficultas, concuſſio & pavor inter quietem, dolor intensè gravis; ſuccedente etiam tempore vertigo. In excretis & retentis alvi & urinæ excretio ceſſans.

III. Cauſæ prægreſſæ etiam conſentiunt, tum violentia externa lædens, tum modificantes ejus effectum errores in uſu rerum ſex non naturalium, largior præſertim cibus ac potus, motuſque tum corporis, tum irâ concitati excedens, quorum cum aliis poſteà fuſior erit recenſio: ita tamen ut non ebrietati adſcribamus, quod extraneo violento debetur.

IV. His adjungi poteſt Similitudo, non tam quoad evidentem læſionem ſeu vulnus, quàm ejus intimiorem ambitum, comparato ægro & ad alios ſimiliter affectos, qui à Medicis & Chirurgis habiti ſunt in graviùs læſorum numero; & ad ſeipſum, quod homo cæteroquin ſanus & robuſtus è veſtigio, præviis repetitis plagis, in animali facultate ſentit læſiones.

Subjectum primarium, ſeu πρῶτον πάϑον, reſpectu læſionis fientis, & vulneris ſunt partes extimæ continentes, tum molles cutaneæ & membranoſæ, nominatim pericranium & perioſtium, tum duræ oſſeæ, cranium ipſum ab illis cinctum.

Hoc verò colliſum hîc minus fiſſuram patitur, ictu non tam duro exiſtente, ut oſſeum hunc fornicem perrumperet; capitis enim ſphæra, verbis *Dom. Præſidis Ephemer. Germ. Ann. 3. obſerv.* 71. non æque fracturæ patet, quia ipſius figura rotunda eſt perfectiſſima, quæ ubique ſe ſuſtinet, & contra externarum injuriarum impetum particulis & nexibus quaſi concatenatis armat, nullibi facilè admittens aditum.

Sub-

Subjectum adæquatum, quod ſymptomatum meritò dixeris, æſtimandę veniunt partes totius peripheriæ capitis, & præcipuè ſimul intra poſitę. Iſtę autem ſunt utręque meninges, quarum una cavitates cranii ſuccingit, extima & robuſtior, quam duram matrem appellant vulgò, altera intimior, corticem cerebri immediatè inveſtiens & cerebrum. Compati hoc neceſſum habet per conſenſum & concuſſionem, qualicunque etiam & ad ſenſum nullâ cranii factâ læſione, cui dicta ſymptomata non æque ac cerebro ipſi coafflicto adſcribi debent. Id quod patet tum à priori, ſiquidem poris ibidem compreſſis ſpirituum limites cohibentur, tum à poſteriori, quatenus actionum animalium in ſenſu & motu facta eſt interpolatio. Reſpectu verò contuſionis & læſionis factæ ipſę hæ partes contentæ pro principali ſunt habendæ parte affectâ.

Cauſa immediata vulneris ipſius eſt ſoluta unitas recens & cruenta; ipſius verò contuſionis, tanquam potioris, dicto ſenſu acceptæ, cauſa immediata aſſignanda venit, noſtro judicio, confuſio & inordinatio ſpirituum animalium.

Mediata proximior videtur quidem primâ fronte ſtatuenda contuſio ab inſtrumento duro, gravi atque obtuſo, ipſi cranio & pericranio illata; Sed cùm hæc cauſa agere ceſſet, neque niſi inutilem indicationem prębeat, rectiùs nobis dicetur circulatio ſanguinis & lymphæ læſa, cedentibus partibus mollibus forti ac repetito ictui, & ab illâ violentiâ actu diviſis.

Hoc ipſo innuitur humor, quoad eſſentiam ſanguis & lympha; ille in vaſis magis, hæc in poris, ac ventriculis undulans, & largius prę ſanguine hîc loci viſenda.

Peccant, ab extraneâ quidem illâ læſione, corpore alioqui ſatis ſano & athletico, imprimis affecta, quantitate, quod in corpore plethorico concipere facile eſt, largiùs ſic etiam in cerebrum redundantes. Ob victum enim pleniorem adaucti per rivulos vaſorum turgidulos non tàm liberè vagantur, impeditis & debilitatis hinc ſpiritibus.

Excedunt in qualitate, tum læsâ facultate, tum ab errore externo. Læſa fuit facultas ab unitate & conformatione læſis, unde & temperiem nativam tutari nequeunt, ſed alterantur, &, στάσις ſi concedatur, vapeſcunt, in pus ipſum abituri, acrimoniam concipiunt. Error externus, non minus in confeſſo eſt ebrietate velut geminatâ præcedente, unde & per ſe jam confuſi fuêre ſpiritus, ac lymphæ halituoſæ immerſi, adeoque totius naturę torpor & ἀταξία promptius conſecuta.

Multum huc faciunt particulæ indigeſtæ ac reſpectu tum cerebri, tum ſui ipſius improportionatæ, cum ſanguine advectæ, blandamque ejus dulcedinem pervertentes, ſpiritus ſulphure vaporoſo ligantes, agilitatemque eorundem figentes, ut duplici hàc clade de ſtatione ſuâ dejiciantur.

Peccant imprimis Motu generationis & locali. Extra locum affectum genitę & congeſtæ cruditates ex chylo vitioſo in ventris infimi culinis hinc amandatæ ſunt ad caput læſum debiliuſque redditum, hinc tantò magis affectum, & ad recipiendum aptum redditum, convocatis huc quibuſcunque aliis noxis, quæ promptè in laticem, vectorem ſpirituum, & ſpiritus ipſos derivantur.

In loco affecto ipſo, oſſe, tam fitmo licet, injuriam paſſo, à concuſſione productâ per poros, & continuatâ per mobiles ſpiritus, ipſumque aërem facta fuit confuſio, obſtructio, ſubſidentia, imò, quod admodum credibile eſt, extravaſatio lymphæ & ſanguinis ipſius. Quantas verò noxas horum extravaſatio, grumeſcentia & corruptio non impedita parturiat, in aprico eſt. Poſſumus itaque & hîc applicare reliqua hujus commatis. Appulſu continuato per vaſa arterioſa carotica, non recipitur in poros & vaſa reciprocè humor mobilis uterque, ſed fit συναθροισμὸς & στάσις, tantò gravior, quod extravaſatus humor hîc inveniat ſpatium amplum ſatis. Viæ ſunt tum jam laudatę patulę, tum pori, notum enim eſt, quovis duro percuſſo corpore propagari impetum per totum, & tanquam cum ſono, aëris verberati indice, labem intrò ferri.

Nunc ad cauſas mediatas remotiores pergendum erit, quæ quidem hoc loco non ad producendam cauſam morbificam, modificandum tamen morbum & ſymptomata faciunt.

Ex Naturalium numero habitus corporis licet ſucci plenus & ſic optimus videatur, ſpecioſus tamen ſaltem & ſuſpectus haberi debet, imò juxta 1. *Aphor.* 3. periculoſus, inſtabilis, quia hujuſmodi corpus ſuis viribus oneratum eſt, ad ſanitatis læſæ præſidia minus aptum. Adde, quod à vi externâ quoque ruptio vaſorum, profluvium hinc ſanguinis & vitium jactura major faciliùs contingere potuit.

Conſentit temperamentum ſanguineum, quod ut particulis oleoſis, balſamicis, aqueis roſcidiſve æqualiter ſat impregnatum, ſic idem tantò præſentius vitium concipit, in membro principali læſione inductâ. Ubi enim abundant humores, ſi læduntur, tantò magis vitiantur, unde ſpiritus eò facilius immergi potuêre vehiculis hiſce. Videtur verò & hæc craſis in Cholericum ſtatum proclivis, unde in jurgia pronitas occurrit.

Ætas, media ac ſatis florida, nimis tamen, ut fit, ſibi fidens ac licentiosè vivens fervore ſuo nimium audaci ſimilem fortunam ſiniſtram accerſivit.

Nec prætereundum vitæ genus, quod grave martis onus ſuſtinuit, hactenus, ita, ut rerum ſex nonnaturalium abuſu, vel ſaltim indifferenti uſu, non habito reſpectu, an rectè, vel perperam fiat, natura quaſi altera inducta ſit, injuriiſque occaleſcere viſa externis eaſdem vix præſentiverit. Ferri ſolent iſta à naturâ per ætatem & bonitatem fortiori, aſt, quando hinc impetitur corpus ſemel, dilatæ quaſi illuc noxę præſentiori gradu ſe exerunt. Aëris quippe, nebuloſi pręcipuè, frigidi, particulis heterogeneis fœti, ventorum, pluviarumque incommoda plura multùm ad infirmandos ſuccos vitales contulêre, cùm inſpiratione, tum tranſpiratione mediante, quod ἀδιαπνευςίας malum, habitioribus non infrequens, archeo ſimul pœnas inflixit quò magè tacitas, eò pòſt graviores, ſicubi per læſionem externam evigilârunt.

Quid verò de erroribus aliis dicemus, qui non minus culpandi veniunt? Cibus & potus nimium ingurgitatus, vini & tabaci contrarius hauſtus ſulphure ſuo narcotico cerebri oras percellere norunt ac ſtupefacere, unde gas ſuo fuliginoſo ſpirituum undas inquinant, poroſque obſtruunt, ut graviores hæ longè ſint æſtimandæ plagæ, vino turbatis ſpiritibus inflictæ, cum ſic minùs eluctari vel reſiſtere norint, ſed labaſcant magis & obnubilentur cùm animales, tum vitales.

Tacemus, negligentiùs omninò hinc tractari vulnera, non attendente ægro, vel cavente ſibi maturè, non adſtantibus & ipſis ebriis, aut ebrietati adſcribentibus graviorem ſoporem; Unde obſervati ſunt fatis ceſſiſſe, qui, non admodum graviter vulnerati in capite, aëri frigido expoſiti incuriâ & propriâ & alienâ anſam dedêre humorum στάσει majori, ac coagulo.

Motus Animi in mentem nobis vocant, quàm periculoſum ſit, & naturæ inconveniens, ſi ab uno extremo ad alterum fiat progreſſus, citra decentem mediationem. Irâ efferati ſpiritus & citati vulnere facto oppreſſi ſunt. Ira ultionis cupidine inflata, omnium affectuum, juxta *Gaſſendum*, congeſtio eſt, & juxta Poëtam furor brevis, unde definitur: θυμὸς ζέσις ἐςὶ τȣ̃ περὶ τὴν καρδίαν θερμȣ̃, ita eſt fermentatio calidi circa cor; Flamma vitalis ſic efferatur, commovetur, & accenditur. Vehemens hæc mutatio, verba ſunt *Hoffmannni l. de ſpiritibus cap.* 2. *pag.* 89. puta in pulſu, in calore, in aliis non eſt, niſi à reciprocatione ſpirituum cum ſanguine. Nihil ſub ſole eſt, quod ita moveat humores, quàm

quam ita. Et videmus, quid accidat tandem iratis, præcipuè ſi ſubitò comedant, bibant, laborent, antequam motus humorum ſedatus ſit. Hinc & plura mala inde orta paſſim legas, uti & *Williſius* convulſiones horrificas, inſultusque epilepticos ab irâ notavit, *Pathol. cerebr. cap. 1. p. m. 12.* Confer. *Galenus lib. de cognoſc. anim. morb. cap. 4.*

Omne tandem abſolvit punctum ex Præternaturalium Claſſe percuſſio repetita violenta, in fornicem capitis facta, unde quaſſato eodem ſequentia ſymptomata, ſuperius ſignorum loco recenſita, orta fuêre, rationem ſui jam poſtulantia.

1. *Corruit ſtatim cum ſtupore*, ceſſante ad tempus influxu ſpirituum animalium confuſorum plenario in partes infra caput poſitas, unde non libratum ſpiritibus portitoribus corpus mole ſuâ ruit. Concipi id & conferri poteſt cum fornice vel etiam faſtigio ædium, quæ fulmine tacta omnimodum harum collapſum minantur.

2. *Somnolentus adeſt torpor & continua in ſomnum propenſio*: Poſitâ enim hâc ſpirituum debilitate, poris item cerebri à lymphâ ſtagnante obſtructis, fieri aliter haud potuit, quin ſulphure vaporoſo accedente ſomni hæc ſpecies p. n. mortis imago, inducta fuerit, phoſphoro animali obſcurato; quemadmodum ſpiritu mundi ſolari abſente ſublunaria quæque induunt torporem, & tenebræ ingruunt horrendæ.

3. *Ad quæſita debito modo non reſpondet*, ob eccentricitatem aliquam mentis à motore erroneo inductam, quare cùm irradiatio ſpirituum rectorum vacillet, non tàm linguæ uſus depravatur & difficilis redditur, quàm conceptuum imminuta formatio: ut videmus horologium, exorbitante aliquâ rotulâ, horas nunc ſonitu, nunc gnomone ſolùm perversè ſæpè metiri.

4. *Inter quietem ſubinde pavet & concutitur*; ob irritationem meningum, in fibras uſque nerveas, delicatiſſimi ſensûs, ſpiritibus non blandè undulantibus, & acrimoniâ vellicante muſculoſarum partium vibratâ, ut chorda ſolet uno extremo compulſa ad alterum uſque motitari.

5. *Queritur geſtibus de dolore graviori*: orto nimirum à violentâ nimis impreſſione in fibrillas membranoſas, quæ nimis vellicatæ graviorem edunt moleſtiam, ab indice animi ſat oſtenſam, depoſitâ jam omni ebrietatis & ναρκώσεως larvâ. Et hic ſanè videtur morbi meridies, eò ardentior, quò nebuloſo magis vapore abacto dolorum faces hiantia jam intervalli adurunt.

6. *Vertiginem etiam ſequenti tempore patitur*, tum ob poſitivam cauſam, ab effluviis halituoſis cum ſpiritibus animalibus ſociatis quibus irretiti ἀταξίαν & inordinationem ſubeunt; tum privativam, ſeu defectum eorundem, & deperditum vigorem, unde nutantes ipſi corpus æquali influxu irradiare nequeunt.

7. *Neque tandem alvus reſpondet*, & quidem culpâ archei, actionibus ut in totâ corporis œconomiâ; ita ſecretioni inutilium non ritè invigilantis, ductibus inteſtinalibus & veſicæ pigrè commonitis commotiſque; Non aliter, ac quod mechanice contingit in machinâ hydraulicâ, læſione factâ rotarum, affabrè alias ſibi inhærentium, unde per cœtera vaſa & tubos minus promoventur, eò quod primo impulſu deſtituantur. Eadem ratio eſt urinæ, quæ non promptè redditur, etiam ob id, quod mens laboret, neque ſatis ſtimulum ſentiat.

Perſpectis huc-uſque ſatis, quæ ad Theoriam faciunt, inſtituenda jam erit Prognoſis ſalutis & Mortis, quæ dubia & periculoſa ſatis primâ fronte apparet. Morbus eſt magnus ratione eſſentiæ, contuſio graviſſima præ cœteris eò pejor, quò majorem incuſſionem corpori factam notat; magnus intuitu remotioris à ſtatu naturali diſpoſitionis & ſymptomatum, magnus ratione partis affectæ principalis. Non ſolùm illud vulnus eſt κακὸν ſeu θανατῶδες, quod ad cerebrum ipſum pertingit, elogio 6. *Aphor.* 18. ſed &, quod concutere nimis ipſum & incolas, vitæ autores, perfundare poteſt. Attamen benè ſperare jubent ætas adhuc florida, naturæ robur, febris & vomitus bilioſi abſentia, quæ gravius affectum per vulnera cerebrum conſequuntur; 6. *Aphor.* 50. aëre ſimul regionis noſtræ temperato benignius adſpirante, & quod palmarium eſt, legitima, ſi à Deo abierimus, vulneris tractatio. Niſi enim id fiat, & æger curatiſſimè morem gerat, timenda eſt inflammatio, phrenitis, ſanies, abſceſſus, corruptio cerebri fœda, & oriunda exinde ſymptomata, febris, vigiliæ, delirium, horrores, ſuperiorum æſtus, vomitus, ciborum faſtidium, mors.

Neque ſic longior affectus noſter metuendus erit, ſi, poſito Medici & ægri æquali concurſu, in tempore ac debito modo tractetur, ſymptomata ulteriùs præcaveantur, leviora quæ videntur, non flocci fiant, ſiquidem, quod *Hippocrates* monet, nullum capitis vulnus leviter contemni vel negligi debet.

His demum obſervatis Modum eventus ſalutarem certò ſperamus per diſcuſſionem materiæ morbificæ, collectæ, ſpirituum &, naturâ duce, humorum animalium reductionem ad priorem ſtatum, licet debilitatem quandam capitis ad functiones ordinarias conſecuturam timendum ſit, ad aëris mutationem, erroreſque diætæ cumprimis manifeſtandam.

Morbi ac ſignorum indole jam prævisâ, Curatio nunc eò facilior & felicior, i. e. methodica, ſuſcipienda eſt, tribus innixa Indicationibus, quibus fragile corpus reſtitui firmiter poteſt.

Curatoria morbi ipſius & ſymptomatum urgentium curam habet, vulneri, dolori, ſtupori, ſomnolentiæ proſpiciens.

Præſervatoria cauſas reſpicit continentem & foventes humores, extrà ſphæram activitatis ſuæ abiturientes, ſic enim tutò agere abſque inſidiis timendis licet.

Vitalis viribus animalibus & vitalibus partiumque & ſpirituum tono proſpicit, per confortantia nervina & analeptica.

Singulis hiſce indicata ſubveniunt præſidia, Chirurgica, Pharmaceutica, Diætetica.

Primo loco Fons Chirurgicus ſe ſiſtit, duplicis generis præſidia exhibens, propria & communia. Hæc vulnus & contuſionem ſpectant proximiùs; illa mediatè, ad ſanguinis & lymphæ circulum habito reſpectu.

Explorato igitur probè vulneri, quod ſimplex ſit citra ullam cranii fracturam, quod cum contuſione inſigni, capillis ſuo loco abraſis, duplici ſolet ſuccurri modo, vel ſtupâ cannabinâ, albumine ovorum imbutâ, replendo hiatum ad hujus aliquam diductionem, ſiſtendam hæmorrhagiam & arcendum affluxum: quem in finem & pulvis ſtegnotico-cephalicus ex flor. beton. balauſt. ſpicâ Indicâ, ſuccino, maſtiche, ſtuppæ jam dictæ adſpergi vel per ſe immitti poteſt, patulis jam ad cranium viis; vel ſolùm, deterſo priùs ſanguine, Emplaſt. ſticticum, opodeldoch, vel de betonicâ, de gemmi hederæ Al. Benedicti, ab *Heerio* deſcriptum *Obſ. 21. pag. 250.* imponi. Partes autem vicinæ oleo roſaceo myrtino caſtorino illini poſſunt ad defenſionem majorem.

Hinc pars læſa fovenda diligenter ſacculis, confuſis ex ſpeciebus cephalicis, (quas inferiùs deſcribimus,) cum vino coctis, ſingulis horis alternandis; faſciâ deſuper poſitâ, ut probè hæc contineantur. Cùmque in vulneribus cum contuſione ſanguis extravaſetur, qui in pus abit ſenſim è poris ichoreſcens; hinc aptandum ad conſolidationem vulnus eſt etiam digeſtivis, quantùm quidem partis conſtitutio admittit; quo non ineptè Unguentum digeſtivum ex Terebinthinâ, aq. beton. lotâ & vitello ovi, tanquam baſi, parari poteſt, additis pro lubitu thuris ac myrrhæ partium, cum gr. i. vel altero camphoræ, linteis conceptis cranio ſubſtratis, adhibendum.

Ta-

Tacemus ſplenia pro faſciatione ſublevandâ, & quod ab aëre extrinſeco, à frigido, probè defendendum ſit vulnus, fovendum ſi quod aliud, argumento 5. *Aphor.* 22. ut archeus partialis vigorem ſuum recuperet, ſine ulteriori phlegmone & affluxu. Eadem hæc ſunt ſimul mundificantia & detergentia, quæ cum illis maximè cognata volatili blando conſtant, temperata, nervina, balſamica, quotidianâ deligatione, & reperitâ quidem, pure exterſo. Olea verò abſint, nec huc quadrant facilè, ſordidum reddentia vulnus, niſi forſan balſamum de Peru, vel de Capaiba, nervinum aliis miſcendum videatur.

Neque opus eſt ſeorſim mundito ulceri adhibere ſarcotica; ſatis eſt, naturam ſic adjutam ſtaminibus fibroſis γλισχρῷ vitali ſuccurrere, interventu liquoris nutritii partem divulſam reunire, ut ita, fibris coarctatis, coalitus perfectus fiat, & cicatriſatione demum vulnus ſigilletur tempore legitimo, quam *Scultet. Armam. Chir. p. 1. p. m.* 42. cerato divino aut filamentis aridis abſolvit.

Nec verò ullum indicans gravius, qualiſmodi ſuperiùs in Prognoſi citavimus, videtur h. l. majora præſidia efflagitare v. g. ſcalpra, modiolos, trepana, pro cutis, pericranii, calvariæ ipſius ſolutione, cùm non ſolùm noſtræ huic, ſed graviori etiam capitis læſioni ſatisfaciant ſuperius dicta, imprimis fomenta. Teſtaturque id hodiè accuratior experientia, imprimis *Dom. Præſidis*, qui hujuſmodi fotus, tanquam ἐυπορίςυς & ut unicè neceſſarios, ita proficuos ſæpius expertus eſt citra ullam trepanationem. Si enim his ipſis optimis præſidiis diſcutiamus humores ſubſiſtentes, ut, naturâ ſibi vias inveniente, recipiantur in vaſa, mittantur in loca excretioni apta, exhalent, adeòque in ichorem purulentum non faceſſant, nec opus eſt trepano, pro ejus eductione. Confirmat idem præter alios *Roonhuyſius p. 2. obſerv.* 1. *& ſeq.* aſſerens, ſe pluries in contuſione cum & ſine fracturâ fotus hoſce ſummè probatos inveniſſe, & magis ferè ac ipſum trepani uſum, ſimili huic malo eâdem medicinâ factâ; & citat præterea alios ἐυμοψήφυς fide digniſſimos, *Foreſtum*, *Lanfranc. Vid. Vidium*, multis rationibus pugnantem contra ipſum trepani uſum, *expoſ. in lib. Hippocr. de cap. vulner.*

Conſultiùs ſæpe operationes talismodi, utut aliàs ſatis proficuæ, cœteris paribus, & in ægro noſtro, omittuntur, quàm cum parentum diſſenſu, ægri periculo, medici moleſtiâ in uſum vocantur.

Inter communia præſidia memorari digniſſima eſt Venæſectio, quæ pro præſtandâ revulſione neceſſaria eſt, ut parte demptâ exundans ſanguis invitetur promptius in vaſa, & à naturâ etiam ſubigi ac disjici poſſit magis, neque febrile μίασμα concipiatur. Educatur ſanguis maturè ad ℥ij. iij. vel paulò plus, ad ἐυφορίαν, è ſaphænâ vel cephalicâ pedis. Alibi enim citatiori urgente ſic fluxu affluxus ſanguinis p. n. præcavetur & corrigitur.

Venæſectionis vicariæ eſſe queunt Cucurbitulæ, in ſequens tempus cum ſcarificatione ſcapulis & brachiis adhibendæ, pro ciendis & evacuandis, quibus æger ſcatet, humoribus extraneis, ſubcutaneis, parti vicinæ læſæ nocituris.

Frictiones quoque in plantis pedum & extremis reliquis uſu non carebunt, quæ, excitatis unà viribus archei ſomno vinoque ſepulti, σάσιν humorum removeant rarefactaſque fuligines per poros hinc inde excutiant, ita tamen, ne diſcuſſione ſeri factâ per motum hunc intendatur ſanguinis calor, & affluxus ad partem debilem concitetur, ſed arceatur potiùs longius.

Sin urgeat ſeri σάσις & debilitas organi ſenſuum, ſucceſſu temporis, pro re natâ, alia quoque remedia ſuadenda fuerint, quæ ſero eliminando & coërcendo in ſpecie vacant, ut ſunt Veſicantia & Setaceum, in nuchâ, Fonticulus, in brachio vel pede adhibendus.

Primum hunc Fontem alter Pharmaceuticus excipit, non ſolùm Chirurgiæ ſuggetens neceſſaria ſubſidia, ſed ipſe quoque primario fine frequentandus, unde è ſingulis hujus loculis luſtratis mutuabimur neceſſaria.

Lenientia obſtructionem primarum viarum ſeu alvi, in vulneribus capitis tàm frequentem, quàm valdè noxiam, expediunt. Admonent hæc archeum ſui officii, revellunt, & aliis medicamentis aditum apparant, feliciùs ſic operaturis. Imo ob alvum ceſſantem omninò indicantur, quam in rem laudabimus ſequentia:

♃. Rad. pœon. ſcorzon. an. ʒij. ſumm. centumin. flor. bellid. a. p. ij. 4. cordial. a. p. j. ſenn. Alex. ſ. ſt. ℥ß. rhabarb. elect. ʒij. ſchœnanth. ʒß. cryſtall. tart. ℈v. paſſul. min. ʒj. Coq. in ſ. q. aq. ſ. Colat. ℥vi. add. elect. lenit. ſyrup. de cich. c. rhabarb. an. ℥ß. M. F. Potio. *S. Laxier-Tranckle in.*

♃. Extract. Aloës laxat. ℈j. agar. ℈ß. ol. aniſi gut. i. M. c. ſ. q. elix. cephal. F. l. a. Pil. min. Conſperg. cryſt. tart. *D. S. Linde-Pillen.*

Optimè idem exequentur clyſteres, meatus lævigando, ſcybala reſtitantia provocando & depellendo. Horum effectum citiorem, præter levamen capitis, non modò alvus ſed & veſica exigit, ob vicinitatis & texturæ conſenſum ſtimulanda, pro deplendo ſimul humore excrementitio, de quo *Lang. Miſc. Curioſ. p.* 16. videri meretur; ut glandes & ſuppoſitoria, cùm officinalia, tum uſualia domeſtica, non tangamus.

♃. Rad. alth. malv. pœon. an. ℥ß. herb. 5. emoll. rut. beton. a. M ß. flor. chamæm. ſtœch. Arab. a. p. ij. ſem. fœn. nigr. ʒ vi. aniſ. ʒj. fol. ſenn. ſ. ſ. ʒiij. Coq. in ſ. q. aq. ſ.

♃. Colat. ℔j. ol. lil. alb. Cheir. an. ℥ß. elect. hier. picr. Gal. ℥j. Sal. anod. ʒj. M. F. Clyſter.

Præparantia & digeſtiva humorum alia ut adducamus, non opus eſt; vulnera enim capitis morborum acutorum genium æmulantur, in quibus præparantia humores ad exitum non ita, ut in chronicis aliiſque, locum habent.

Sique præmittenda quædam fuerint, ſatis erit, potioribus aliis uti, quàm hiſce inhærendo occaſionem benè agendi perdere.

Purgantia declinante morbo, & in poſterum præſervandi fine, utilia fore commendamus, quandoquidem cacochymiam deplendo mineram arcent, unde ad caput debile redundare magis ſerum vitioſum poſſit. Ita enim magma corporis reſiduum iners dejici, ſordeſque eliquatæ præcipitari, bilioſæ & pituitoſæ præcipue, poterunt; quò pacatâ à ſeditioſis hiſce extruſis particulis degat reſpublica microcoſmica.

♃. Reſin. gialap ℈ß. tart. vitriol. gr. xiv. antim. diaph. non edulc. gr. iij. ol. mac. gt. j. M. F. l. a. Pulvis. D. ad Ch. *S. Purgier Pulver.*

♃. Extract. cathol. Andern. reſin. ſcammon. a. ℈ß. M. c. elix. Pr. Parac. q. ſ. F. l. a. Pil. n. 12. *S. Purgier-Pillen.*

♃. Magiſt. ſcamm. gr. xii. ſpir. ſambuc ʒj. aq. cinamom. ʒß. tinct. tart. ℈ß. ſyrup. de cich. c. rhab. ʒij. M. *S. Purgier-Tranckle in.*

♃. Elix. prop. purg ℈iv. tinct. antim. tart. eſſ. fumar. a. ℈j. M. D. ad vitr. *S. Purgier-Eſſentz.*

♃. Conſerv. pœon. ʒj. pulv. lax. veg gr. xxiv. Cryſtall. tart. gr. vi. ſyrup. de cich. c. rhabarb. & ſacch. q. ſ. M. F. l. a. Bolus.

Purgantia verò ἀνωτερικά, Vomitoria, an hic conveniant non immeritò dubitatur, cùm contraindicantia præpolleant ferè ipſis indicantibus. Licet enim crudirates ab ingluvie pridianâ adhuc reſiduæ, quin ſoporoſus, hinc torpor illud ſuadeant; prohibere tamen idem videntur, partes nerveæ in ægro noſtro læſæ; quæ motus quoſcunque ſpaſmodicos averſantur, hoſque ſæpius, velint, nolint, ſubire neceſſe habent. Accedit quod mane altero magis caput gravatum deprehendatur, quàm ventriculus, quod oneroſa lympha ſic minus excuti poſſit, neque poſitâ etiam nauſeâ vel ad

vomendum conatu id æque impræſentiarum à poſſiva cauſâ arceſſendum ſit. Neque enim vomitus talis ſymptomaticus, in vulneribus capitis quoque eveniens, vomitu commode curatur. Quod ſi tamen de gravitate ventriculi conqueratur, & urgere videatur præſentia humoris, facilè vel uno grano tart emetici id expedire licebit.

Diaphoretica inſigniſſimum conferent emolumentum, utpote genuina præſidia pro circulo lymphæ & ſanguinis redintegrando, pro vigore conſervando, miaſmati fermentifico putredinoſo febrili arcendo, & diſſipando. Hæc quippe ſerum ichoreſcens eliminant, ut viſcoſum, torpidum & ſtagnans volatiliſetur & rarefiat, per poros hinc quà nervorum ipſorum, quà glandularum ſubcutanearum quaſi filtretur, ſarto tecto ſervato virali balſamo. Hæc affluxum ad partem affectam abarcent, ne cerebri alveos gravet amplius lympha, ſed magis explicita nitore ſuo ſplendeat, ſpirituſque hinc, antea ſopiti, corrigantur, ut reſurgant.

℞. Pulv. bez. Senn bez. lunaris a. ℈ß. flor. ſal. armon. gr. iv. M F. Pulvis. S. *Ze theilend Pulverlein.*

℞. Spir. tart compoſit. ℈iiß. ſal. armon. c. v. ℈j. tinct. bezoard. D Præſ. ℥j anod. ℈ß. M. D. ad Vitr. S. *Shvvitz Mixtur.*

℞. Spir. theriac. camph liq ebor. ſucc. a, ʒj. M.

Ex diureticorum claſſe mutuabimur, quæ lympham alterant, ejuſque ichoreſcentiam bilioſam prohibent, & ςάσιν ad urinarias vias divertendo ſic arcent magis, ne febris accendatur, vel foveatur, quem in finem ſuccinata, acidula, nitroſa, & temperata alia huc faciunt.

℞. Tinct. flor. pœon bellidis, clyſſ. antimonii a ʒj. M. D. in vitr. S. *Alterier Tinctur. ins Bier.*

℞. Mag. oc. cancr. ſuccin. alb. præp. a. ℈j. arcan. duplic Mynſ. ʒß M. F. Pulvis. S. *Reſolvir-Pulv.*

℞. Aq. alkek chærefol. beton. a. ℥iß. liq. mineral. nephr. clyſſ. antim. ſulphur. a. ℈j. ſyrup. capill. veneris ℥ß. ſeu q. ſuff. ad grat. M. S. *Wäſſerl. zum Pulver.*

Alterantia demum complementum addent, præcipua inter reliqua præſidia, ſpecifica vulneri, parti læſæ, & ſymptomatibus, adeoque traumatica, & cephalica confortantia quæ læſionem omnem averruncent, lymphæ & ſpiritibus vigorem reſtituant, ſanguinis balſamum conſervent, & ſic ad ſtatum naturalem œconomiam animalem reducant; ſeligenda partim volatilia, non tamen æque calida, partim temperata.

℞. Tinct. bezoard. eſſ. traumat. D. Præſ. a. ʒj. M. *S. Zertheil und heilende Tinctur.*

℞. Eſſ. mum ʒj. roſmar. hyper. a. ʒß. M. S. u. ſ.

℞. Liq. ceph. D. Præſ. ʒiiß. ol. ſalv. gr. iij. M. D. ad Vitr. *S. Haupt. Mixtur.*

℞. Spir. C C ſuc inat. caſtor. a. ʒß. M. S. u. ſ.

℞. Elix ceph. D Præſ. ʒiß. Eſſent. ſalv. ʒß. ſpir. rut. volat. ℈j. M. S. *Haupt Eſſentz.*

℞. Spec. diamarg. frig. flor. cinnab. nativ. a. ʒß. viſc. colurn. præp. oc. cancr. præp. a. ℈j. fragm. lap. 5. pretioſ. gr. vi. M. F. Pulvis. D. in chartâ. *S. Starck-Pulver.*

℞. Pulv. epil. March. ſpec. cephal. Mich. a. ʒß. Rad. doron. corall præp. a. ℈j. mag. perl. gr. xv. ſal. vol. ſuccin. g. iij. M. F Pulv. D. in chart. S. u. ſ.

℞. Aq. ceraſ. nigr. beton. verben. lil. conv. ſ. v. til. pœon. a. ℥j. ſpir. v. tr. ceph. roſmar. cohob. a. ʒj. pulv. ceph. March. ʒß. mag. cran. hum. ungul. alc. a. ℈ß. ſyrup. pœon. q. ſ. M. S. *Starck tranklein.*

℞. Conſ. pœon. l. l. conv. roſmar a. ℥j. ſpec. diamarg. fr. diaxyloal. a. ʒj. pulv. epil. M. magiſt. perlar. corall a. ℈j Conſ. alKerm. ſ. m. ℈iv. Syrup. pœon. q. ſ. M. F. l. a. Elect. D. in pyx. *S. Haupt-Lattvverge.*

Tacemus potiones traumaticas, quorum in vulneribus capitis minor eſt uſus, ob temperiem cerebri humidiorem, unde aliis formulis utendum fuerit.

Neque Topica omittenda ſunt, quæ inter ut balſama apoplectica, antidinica, ſpecies ad pulſus, odoramenta alia non memoremus, eminent cumprimis Fotus, ſedulò ſtatim ab initio applicandi & continuandi.

℞. Rad. irid. Florent. ariſtol. rotund. a. ℥j. fol. beton. m ij. ſalv. roſmar. verben. origan. a m j flor. beton. lilior. convall. ſalv. roſar ſtœch. ar. chamom. R. a. piij. thur. maſtich. ſuccin. alb. a ʒiß. Conc. cont. g. m. D. in Ch. S. ſpec. *zum Haupt ſäcklein.*

Diæta ultimum tenet locum. primas tamen ubique gerens, ab ægro noſtro ſtrictis menſuranda cancellis. in Naturali victus ſit tenuis: Cibus eligatur εὔχυμος qui particulas nutritivas, γλισχρὰς & ſuaves admodùm ſecum vehat. Potus ſit mediocris, cereviſia fecibus orbata, particulis vaporoſis, loliaceis, ſulphureis mage obtuſis, qualis Numburgenſis laudatur, quæ inter alias minus caput gravat.

Vini uſus vix concedendus, niſi ſucceſſu temporis admodum moderatus & parcus. Ferit enim caput, & motū ciet humorū, unde affluxus major & facilis intemperies.

In Vitali ratio Aëris habeatur, ne ſit intemperatus, frigidus & humidus, vulneratis, in ſpecie nervis ſimul partibus, facilè noxam adſpirans, unde & ſedulò mox tegendum vulnus, inter deligandum, linteamine calefacto prius, ut ab aëre ſic magis defendatur.

In Animali ſomnus nimius vitetur. Quies cordi habeatur, quin ipſa vertigo & debilitas capitis facilè motum per ſe prohibet.

Animi affectus compeſcantur. Excernendi promoveantur. *Joh. Michaëlis in Praxi Clyinca Speciali.*

Obſervationes & Anatomicæ Inſpectiones.

Læſo cerebro, aut etiam portiunculâ ejus amiſſâ, non ex neceſſitate mortem conſequi.

Putant nonnulli, læſo cerebrô, aut etiam ipſius tunicis, mortem neceſſario conſequi, ex Hippocratis authoritate, qui ſic ſcriptum reliquit. Veſicâ diſciſſâ, aut cerebro, aut corde, aut ſepto tranſverſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut ventriculo, aut jecore, lethale eſt. Sed hoc (lethale) teſte Galeno Hippocrates, aliàs uſurpavit, ceu mortem neceſſariam inferens, aliàs ceu periculoſum. Cerebri certe quidem vulnus, niſi profundum & ad ventriculos uſque penetrans, non ex neceſſitate mortem inferre teſtatur Galenus, commentario ad ſuperiorem illum Aphor. Id quod nobis ſæpius obſervare contigit, idque ſequentibus confirmo exemplis.

Exemplum I. Ante annos decem & amplius, quum darem operam prædicto præſtantiſſimo Archichirurgo Coſmo Slotano, miſſus ab eo in oppidum Langenberg 8. Septembris 1581. Ut ibi curarem varios ægrotos: vocatus fui à quodam ruſtico, Johanne Horſtmann, prope Hattingen, ut ipſius inviſerem ſororem, quæ vulnus contuſum in dextro oſſe bregmatis, cum fractura & impreſſione cranii acceperat. Evomuit mox ab initio bilioſum humorem, & cibum indigeſtum, ſiniſtrum latus reſolutum eſt: in dextro autem convulſiones patiebatur. Abraſis crinibus fragmenta aliqua cranii & portiunculam ad inſtar fabæ ex cerebri ſubſtantia digitis extraxi. Altera die advenit Slotanus, qui dilatato vulnere denuo extrahit fragmenta quædam oſſis, & portiunculam ipſius cerebri, ad nucis avellanæ magnitudinem. Poſtea aliquoties ipſemet Slotanus me præſente de cerebri ſubſtantia detraxit: & tamen convaluit pleniſſime.

Exempl. II. Anno 1599. acceſſit ad me puella, cum inſigni tumore ad dextram ſyncipitis partem, in concurſu ſuturæ rectæ & coronalis. Cauſam exquirenti reſpondit, ſe ante ſex hebdomadas in lapidem impegiſſe. At quum nec vomitus, nec dolor febriſve adfuiſſet. non ſuſpicabar cranium, multo minus cerebrum læſum fuiſſe. Tumore tamen inciſo, maxima effluxit puris quantitas: poſtea ſtylo deprehendi inſignem cranii fracturam: unde ſubeſſe periculum animadverrens, Medicum accerſendum ſuaſi. Perendie quum advocatus eſſet, clariſſimus D. Janus Antonius Saracenus, medicus Regius, cutem decuſſavi, extraxique fragmenta quamplurima cranii: ita ut cerebrum ad taleri latitudinem denudatum conſpiceretur. Tunicæ enim plane corruptæ erant,

quarum

quarum particulas quaſdam præſente Medico Saraceno extraxi. Tribus hebdomadibus fermè quotidie portiones aliquas ex cerebri ſubſtantia abſtuli, natura ipſa expellente: ita ut pars illa valde concava conſpiceretur. Nihilominus tamen cerebri motus egregie apparebat: ut de cerebri motu nihil quicquam dubitandum ſit. Movetur enim cerebrum, non membranæ tantùm. Tandem vero exorta ſunt ex ipſo cerebro denudato & carente membranis, tubercula carnoſa lentium inſtar, quæ ſenſim aucta ſe invicem conjungebant, & tegumentum carnoſum & ſatis ſolidum procreabant, cujus beneficio concavitas impleta & cerebrum tectum fuit: ſicque priſtinam ſanitatem puella brevi recuperatura videbatur. Nihilominus quum aliò me negotia vocarent, neglecta, ut veriſimile eſt, curatione, ipſam poſt ſemeſtre obiiſſe intellexi. Sed illud notandum quàmdiu illam curavi, nullum ſuperveniſſe dolorem, febrem, aliudve ſymptoma: ita ut domeſtica ſua curaret, quaſi plane valens ſtupentibus omnibus iis qui curationi interdum intererant. In quibus præcipue fuerunt clariſſimi ac reverendi viri D. Amandus Polanus S. S. Theologiæ Doctor & in inclita Baſilienſium Academia Profeſſor celeberrimus, Hermannus Lignaridus S. S. Theologiæ Doctor, & in Schola Bernenſi Profeſſor præſtantiſſimus; Janus Antonius Saracenus Philoſophus eximius & Medicus Regius; Dominus Georgius Jeniſchius, Illuſtriſſimi Wenceslai à Zerotin Medicus: præterea Antonius Macæus Pharmacopœus, & multi alii, qui non immerito illius caſus admiratione tenebantur.

Exemplum III. Dum hæc curabatur, vocatus fui unà cum clariſſimo D. Jano Antonio Saraceno, in Sabaudiæ vicum quendam ad ruſticum, qui exigui vulneris conruſi occaſione, ſupra dextrum os bregmatis maximâ fracturâ cranii laborabat: unde febricitabat vehementer, & delirabat, ſiniſtrò ſimul latere reſoluto. Cute ad Y figuram juxta cranii fracturam inciſa, ſtatim tria fragmenta oſſis ſatis magna digitis extraxi. Inveni quoque in vulnere portionem cerebri ad nucis magnitudinem. Chirurgus ejus prior (agebatur enim quintus dies) quum id vidiſſet, ajebat ſe deſperare de ſalute. Verùm admonitus cerebri vulnera interdum curari, nobis promiſit ſummam ſe adhibiturum diligentiam. Nos omnia ad morbum & ſymptomata ejus præcepimus. Ceſſavit febris & delirium: latus paralyſi laborans reſtitutum fuit.

Verùm quum reliqua fragmenta cranii eſſent extrahenda, & Chirurgus ipſius propter imperitiam id negligeret, poſt hebdomadas aliquot in febrim aliaque ſymptomata recidit, & paucis poſt diebus è vita deceſſit, adeoque meræ Chirurgi negligentiæ pœnas tulit. Si enim fragmenta oſſis, uti decuit, extracta fuiſſent, procul dubio pleniſſime ſanus evaſiſſet.

Exemplum IV. Superiori Anno 1604. menſe Octobri, hic Paterniaci Lauſannenſem 30. annos natum curandum habui, cui acie gladii Helvetici dextrum bregma reciſum, & in ipſam ſubſtantiam cerebri uſque, impreſſum fuit, cum ſiniſtri brachii reſolutione, aliiſque gravioribus ſymptomatibus. Fragmenta quàm plurima cranii extraxi. Tandem Dei beneficio priſtinæ ſanitati reſtitutus fuit, non ſine admiratione multorum, qui huic curationi interfuere. Inter quos fuit Reverendus ac Doctiſſimus Dn. Nathanael Chambutus verbi divini miniſter.

Exempla hæc in gratiam tyronum Chirurgorum recenſere placuit, quos adhortor, ne unquam de ſanitate ægri, quantumvis morbus magnus fuerit, ac prima fronte incurabilis videatur, deſperent, quemadmodum Chirurgus ille, cujus in proximo præcedente exemplo, mentio facta fuit, de ſalute ægri ſui deſperabat. Poſitâ itaque fiduciâ in Dei omnipotentia (facta tamen prius prognoſticatione & proteſtatione coram conſanguineis & adſtantibus, de manifeſto periculo) curationem aggredi, omnemque diligentiam adhibere debet Chirurgus, nec impio illo dicto: *Deſperatos non oportet attingere*, ab officio ſuo avocari. Sæpiſſime enim in morbis contingunt multa, quæ antiquos latuerunt; Et quorum ratio nulla reddi poteſt: ut Reverendus Clariſſimus Dn. D. Antonius Fayus, Philoſophicarum & Medicarum rerum doctiſſimus, & apud Genevenſes SS. Theologiæ Profeſſor celeberrimus, in quodam epigrammate, mihi non ita pridem communicato, eleganter cecinit, quod exemplum, quia ad noſtrum propoſitum facit, hîc ſubjicere viſum eſt.

Ad illud Averrois, MONSTRA IN MORBIS FIUNT.

ANTONIUS FAYUS.

Non audita loquor, narranti credite. vidi
His oculis, tetigi non dubitante manu.
Acer erat juvenis, medio cui vulnus adactum
Eſt capiti; Cerebri pars quoque cæſa fuit:
Ille tamen vivit. Si credas arte Melampi
Id factum, peccas; hîc medicina ſilet.
Monſtra ſed in morbis Arabum ſics ille ſophorum
Quod fieri dixit, re patet ab-ſe palam.

Guilielm. Fabricius Hildanus Obſervation. Chirurgicar. Cent. 1.

Ex fungo male curato mors.

Coſmus Slotanus Chirurgus præſtantiſſimus, juvenem nobili familia natum, cui cranium fractum, portioque ejus quædam exempta fuit, unde fungus exortus, curandum habuit. Ille, ab omni propemodum periculo levato ægro, & ſedatis ſympomatibus, à curatione continuanda deſiſtere coactus fuit, quod aulam principis ſui ſequeretur. Barbitonſor, cui erat demandata, contempto conſilio & medicamentis Slotani, nullaque habita ratione loci affecti, pulverem aluminis & vitrioli uſti inſperſit fungo. Inde exortis ſtatim dolore vehementiſſimo, febre acutiſſima, delirio, & inflammatione, paucis poſt diebus mors ſubſequuta eſt. *Idem ibidem.*

Legitima fungi curatio.

Anno 1601. 9. Februarii D. *Francisci Croſerani* Luſtriacenſis Patricii ac tribuni filius, Petrus nomine, 14. annos natus, vulnus ex caſu lapidis, ex alto diruti (cujus pondus librarum duodecim cum unciis decem) in dextro bregmate cum inſigni cranii fractione accepit. Ego ad curationem vocatus, puerum invenio ſine loquela, viſu, auditu, & ut breviter dicam, ſemianimem. Vomitus aderat vehemens & continuus, & ſanguinem ejiciebat, tum per os, & nares, tum etiam per aures. Abraſis crinibus dilatatoque vulnere, impreſſum cranium altius in ſubſtantiam cerebri & duram matrem diſruptam; conſpiciebatur. Exemptis eadem nocte cranii fragmentis, curationem aggredior, prout neceſſitas urgebat. Et quamvis graviſſima adeſſent ſymptomata, ita ut de recuperanda ſanitate parum ſupereſſet ſpei, tandem nihilominus paulatim & ante vigeſimum diem morbi, ex toto fere remiſerunt. Pars quoque duræ matris ab impreſſo cranio diſrupta, ſenſim naturæ & medicamentorum beneficio fruſtatim excidit, ita ut ſperabamus, jam procul abeſſet à periculo. Sed elapſo vigeſimo die morbi, ecce novum malum, exortus enim eſt è vulnere fungus inſignis qui intra viginti quatuor horas ita excrevit, ut magnitudine ovi gallinacei extra cranium emineret, quem

quem divino favore infrà ſcriptis medicamentis feliciter perſanavi.

In principio ſingulis, deinde alternis, ac tandem tertio quoque die, ſequens enema injeci.

℞. Radicum & foliorum Althææ, Malvarum, Parietariæ, Mercurialis, Florum Chamomil. Meliloti, Florum & foliorum betonicæ ana M. ſ. Semin. fœnigræci, Lini, Aniſi ana ℥ſ. Coquantur in aqua ad conſumptionem tertiæ partis, in ℔. j. colaturæ diſſolve benedictæ Laxat. Et hieræ picræ compoſitæ ana ʒiii. vitellum ovi, ſalis p. j. Ol. Chamomillæ ℥ii. Miſce fiat enema. Bis verò in die fomentationem ſequentem vulneri applicui.

℞. Foliorum & florum betonicæ, Salviæ, Chamomillæ, Meliloti, Roſarum, Summitatum majoranæ, Roſmarini ana M. j. Sem. aniſi & Fœnigræci ana ℥i.

Incidantur & contundantur pro fotu. Harum herbarum q. ſ. indatur ſacculo ejus magnitudinis ut mediam fere partem capitis cooperiat, qui filo intertextus, coquatur in vini & aquæ communis ana partibus æqualibus, & applicetur calide. Poſt fotum diligenter abſtergendum eſt caput linteis calidis deinde ſequentem pulverem inſperſi fungo atque toti vulneri.

℞. Radicum gariophillat. Angelicæ, Calami aromatici an. ʒſ. Rad. ariſt. rotund. Iridis Florent. Ligni guajaci ana ʒii. Florum ſalviæ, ſummitatum majoran. Roſmarini ana p. j fiat omnium pulvis tenuiſſimus. Deinde ſequens emplaſtrum applicui.

℞. Emplaſt. de betonica ℥iv. Gummi elemi diſſoluti in oleo roſaceo ℥i. Pulver. roſarum, Myrtillorum ana ʒi Maſticis, Calami aromatici ana ʒiſ. Cum ſ. q. olei roſacei fiat emplaſtrum.

His fungus paulatim & intra quatuordecim dies ſubſidit. Oſſicula quoque quæ cum aliis prima nocte extrahi non potuerant, exierunt; ita ut intra hebdomadas decem pleniſſime convaleſceret.

His conjunctis fragmentis, latitudo exempti cranii facile apparet. At quamvis fractio & exemptio cranii magna eſſet, nihilominus tandem cicatrice obductum fuit vulnus: ſed motus cerebri diu nobis perſpicuus fuit: cute enim & portione aliqua carnis tantummodo obtegebatur. Ne autem aliqua occaſione externa facile læderetur cerebrum, laminam cupream adaptari curavi, quæ annexa pileo, partem illam capitis obtegebat. Nunc verò, quia natura paulatim foramen cranii callo quodam obduxit, motus ille cerebri non amplius perſentitur. Vivit, & optime valet corpore adoleſcens ille, ad hunc uſque diem 19. Martii Ann. 1605. quo hæc ſcripſi. Ingenio quoque ad ſtudia aliaque aptiſſimus eſt.

Vixit adoleſcens ille, ad vigeſimum quartum fere annum, ſine ulla læſione, aut diminutione memoriæ vel judicii. Tandem quadam die Genevâ pedes Luſtriacum rediens, cum ſupra modum incaluiſſet, frigidam affatim bibiſſet, ac pleuritide correptus fuiſſet, Medicos quin etiam rationales in conſilium non adhibuiſſet, pie obdormivit. *Idem ibidem.*

Annotatio. De fungis

Quemadmodum in ſtirpibus arborum humores ſemiputridi per corticem exuberantes, in fungos coaleſcunt: ſic fracta exemptaque portione aliqua cranii, ac dura matre læſa, ſtatim humores cerebri circa plagam affluunt, qui ſive oſſis, (ut Alexander Aphrodiſæus voluit.) ſive aëris frigiditate condenſati, inſtar fungi concreſcunt, atque interdum adeo intumeſcunt, ut extra cranium emineant. Affectus autem ille Galeno fungus à ſimilitudine appellatur: eſt enim caro mollis, levis, pallida, & ſpongioſa: quæ quidem cito excreſcit: lento vero pede retrocedit. Poteſt & ex flatu procreari. Si enim calor cerebri imbecillus factus, in materiam, quæ circa vulnus collecta eſt, aliquid agere intendit, flatum procreat: qui quum per tenuem menyngem exſpirare nequeat, eam in altum elevat. Obſervavi enim hactenus in his, qui fungis affecti mihi occurrerunt, tenuem menyngem ut plurimum integram, craſſam autem diſruptam fuiſſe. Craſſa enim rupta factaque digeſtione vulneris, natura ſtatim incipit carnem ſupra tenuem menyngem generare, quæ loco tegumenti incumbit, ne ex aëris injuria nocumentum contrahat. Si namque humores copioſe aut flatus circa plagam colliguntur, tenuem membranam ſimul cum adnata carne falce ad inſtar fungi in altum elevant. In noſtro verò jam commemorato ægro, & craſſa & tenuis menynx vulneratæ fuerunt. *Idem ibidem.*

Pus fœtidiſſimum, & vermes ad duram matrem reperti

Cæſo ſub canicula anni, 1587. Helveticorum exercitu apud Delphinates, venit nobis ad manus ex numero vulneratorum juvenis robuſtus, & bono habitu, at capite ſauciatus, hunc in modum. Secta illi fuerat pars oſſis parietalis circiter palmam lata: hæc autem cuti muſculoſæ adhæſerat, ſuoque loco erat reddita: quin & ſanguinis & pilorum interventu concreverat, veluti crusta, quæ totam illam partem contegens, impediebat quo minus ulla materia ſex diebus totis ab accepto vulnere promanaret. Porro abraſis crinibus, apertoque vulnere, inventa eſt inter partem oſſis ſeparati & duram matrem, plurima materies graveolens, ſimul & oſſium tenuia aliquot fragmenta. Præterea, quod majus eſt, vermes grandiuſculi quatuor aut quinque. Inſuper & dura mater denigrata & infecta erat putredine tamdiu inſidente. Æger nihilominus convaluit, Clariſſimi Jani Antonii Saraceni Medici Regii conſilio, & Johannis Griffonii Chirurgi longe peritiſſimi operâ atque induſtriâ; quibus & ego interfui. Quibus autem putredo hæc cohibita fuerit petat lector ex Tractatu meo de Gangræna. *Idem ibidem.*

Juvenis, cui caput vulneratum & cranium fractum, ex ſola ira in febrim recidit & moritur.

Juvenis quindecim annos natus, vulnus contuſum cum cranii fractione circa bregma accepit. Primo apparatu vulnere dilatato & deinde oſſiculis extractis, ad ſuppurationem feliciter perduximus vulnus, omniaque ſymptomata remiſſa ſunt. Elapſo verò decimo quarto die, quum adoleſcens alius qui circa lectum ludebat, ipſum ad iram provocaſſet; recidit in febrem & phreneſin, ita ut quarto poſt die è vita deceſſerit. Cranio aperto coram clariſſimo viro D D Marco Offredo, Philoſopho & Medico celeberrimo, invenimus cerebri membranas undique inflammatas, ac tum venas. tum arterias omnes ſanguine turgeſcentes. *Idem ibidem.*

Ex animi quadam commotione vehementi, arteria nuper vulnerata, poſtmodum autem penè ſanata, denuo magno cum periculo rupta eſt.

Incidit in manus meas homo quadragenarius robuſtiſſimus, naturâ bilioſus & iracundus, cui vulnerato capite ramus ſiniſter temporalis arteriæ, deſuper muſculo crotaphito inciſus fuerat. Sanguine primo apparatu pulvere meo reſtricto, vulnus ad digeſtionem perduxi. Quinto verò die morbi, quum ex propinquis quidam, qui vulnus inflixerat, ex improviſo in cubiculum ingrederetur; vulneratus inſcius adventûs, ex ipſius aſpectu adeo perturbatus eſt, ut denuo rupta ſit arteria, adeoque ſequuta hæmorrhagia, quæ vix reſtingui potuerit: convaluit tamen penitus.

Annotatio. Qûum ex cunctis perturbationibus, nulla tùm ſanis, tum inprimis ægris ſit periculoſior irâ, moneat Chirurgus ægrotos ſuos, ut ſummo ſtudio ſibi ab ea caveant. Eſt enim ira, omnium perturbationum atrociſſima & fœcundiſſima infinitorum malorum mater: quæ naturam hominis in truculentam commutat ferâm. In pectoribus humanis graves excitat fluctus, caloris juxta cor eſt uti quidam fervor: ubi is per totum corpus diſpergitur, ſolet febris ſuccendi, eaque acuta; ut alibi Galenus teſtatur; ſanguinem item concitat in venis; Cerebrum concutit, nervos convellit; humores exagitat, calorem labefactat innatum, cujus veluti fervor eſſe videtur, teſte Galeno.

Hominem doctum & eruditum cognovi, qui facilè, (ut ſæpius ipſe vidi) ex ira in febrim, ut plurimum ephemeram, nonnunquam & in tertianam incidebat, non ſine magno periculo.

Matronam item honeſtiſſimam & piam cognovi Duiſſeldorpiæ, quæ adeo à pharmacis abhorrebat, ut mannam aut ſyrupum roſaceum vix potuerit ſumere. Contra, tali naturæ beneficio erat prædita, ut ex minima etiam animi perturbatione, præcipuè ex ira, alvus adeo ſubduceretur, ac ſi pharmacum quantumvis efficax ſumpſiſſet. *Idem ibidem.*

Juvenis vulnere capitis cum fractura cranii laborans, & pene ſanatus, ex uſu venereo incidit in febrem, inde moritur.

Juvenis robuſtus & bilioſus, baculo vulnus ad ſiniſtrum bregma cum oſſis fractione recepit: Ego advocatus dilatavi vulnus, & ad digeſtionem perduxi, dolorem ſedavi, fragmenta item cranii ex percuſſione facta extraxi. Vulnus deinde mundificatum carne opplevi. Quum autem ſpatio quinque hebdomadarum tractaſſem vulnus, ac omnia ſymptomata plane eſſent remiſſa, & vulnus pene cicatrice obductum, cum ſcorto rem habuit. Itaque paucas poſt horas recidit in febrim, ac dolorem capitis vehementiorem quàm ante. Latus item oppoſitum reſolutum eſt, brachium verò lateris ægrotantis ſpaſmo correptum, ſymptomata ingraveſcentia ſingulis momentis ac nullis cedentia remediis, quarto tandem die miſerum hunc libidinoſum extinxerunt. *Idem ibidem.*

Puer, vulnere capitis, & cranii fractione laborans, ex tumultu & ſtrepitu nimio graviſſimis ſymptomatis conflictatus, tandem moritur.

Quantum ira, timor, apprehenſio, concubitusque capite vulneratis noceat, ex ſuperioribus conſtat. Quàm vero itidem periculoſum ſit tumultuoſe quippiam circa vulneratos agere, jam tyronibus Chirurgis exemplo demonſtrabo. Tractavi cum Coſmo Slotano, Chirurgo præſtantiſſimo, puerum 14. annorum cui bregma ex vulnere contuſo fractum fuit. Extraximus oſſicula quamplurima, febrem extinximus, dolorem reliquaque ſymptomata compeſcuimus. Patri autem illius pueri, quod œnopola eſſet, prohibuimus, ne permitteret pulſare tympanum, tubas, aliave ejuſmodi inſtrumenta in domo ſua. At pater neglectis admonitionibus noſtris, permiſit pulſari tympanum & fiſtulam prope cubiculum decumbentis, & ſaltare ruſticos uſque ad mediam noctem. Poſtridie invenimus ægrum acutiſſima febre, delirio, ſpaſmo, nauſea, aliiſque ſymptomatibus laborantem: propter quæ quarto die è vita deceſſit. Pater hujus rei cauſa ad magiſtratum delatus, graviter, nec injuriâ, mulctatus fuit. *Idem ibidem.*

Virgo nobilis, neglecto parvo vulnere in capite moritur.

Virgo nobilis, quum in choreis incaluiſſet, & capite in poſtem cecidiſſet, vulnuſculum in vertice contraxit, ubi cutis vix læſa fuit. Illa, quia neque dolorem neque inflammationem ſentiebat; primo & ſecundo die vulnus (aut potius contuſionem) plane neglexit. Tertio die incœpit parum dolere; quapropter barbitonſorem accerſivit: qui raſis crinibus cutem vix læſam animadvertens, virginem irridebat. Quarto verò, capitis gravitate & febricula correpta eſt. Ego ſexto die morbi ad ipſam vocatus, comperi ipſam delirantem, faciem & oculos inflammatos, & linguam aridam: ita ut ſequenti die è vita deceſſerit. Aperto capite ſanguinem ſub cranio collectum, & cerebri membranas inflammatione correptas invenimus: cranium tamen nequaquam læſum fuit. Hinc perſpicuum fit; vulnera capitis, quantumvis minima, præcipuè quæ circa ſuturas occurrunt, non eſſe negligenda. Infiniti enim ramuli venarum & arteriarum, ex una & altera parte membranarum cerebri; circa ſuturas concurrunt, & ſuturis inſeruntur, quorum beneficio cerebrum cranio alligatur, & ſuſpenditur. Quapropter contuſiones ea in parte facilè ad cerebri membranas, magno cum ægrotantium periculo extenduntur. *Idem ibidem.*

Actus venereus in nervorum vulneribus periculoſus.

Multoties contingit vulneratos ſpaſmo & morte corripi: cujus occaſio vel cauſa Medico incognita eſt. Quomodo autem id fieri poſſit, ſequenti hiſtoria nobilis cujuſdam (cui Coſmus Slotanus, peritiſſimus Chirurgus, Valentiæ lævam; amputarat, ex ictu ſclopeti inflicto contuſam) apparebit. Ægrotanti juveni voluptatibus dedito, diſerte interdictum erat ab uxoris congreſſu: At is vulnere propemodum perſanato & ſedatis ſymptomatis omnibus; eam interpellavit, qua renuente propter ſeria Slotani monita, ipſe emiſit ſperma citra coïtum: atque hinc recidit protinus in febrim, deliria, ſpaſmos, aliaque graviora ſymptomata, tandemque obiit quarto poſt die. Ex his intelligimus, quàm infeſta ſit Venus nervorum vulneribus, æque ac capitis & articulorum affectibus. Ac quidni actus venereus nervos exagitaret, atque periculoſa accidentia excitaret? Vidi enim, ex riſu vehementi in nervis ſauciatis ſymptomata periculoſiſſimà naſci, ut ex ſequenti obſervatione videre eſt. *Idem ibidem.*

Riſus in vulneribus nervorum periculoſus.

Anno 1601. 14. Aprilis, nobiliſſimo Viro Imberto à Diesbach, Domino S. Chriſtophori, ſiniſtra manus ictu ſclopeteo adeo fracta & contuſa fuit ut pollex uſque ad carpum plane ſeparatus, metacarpus quoque adeo fractus & contuſus fuit; ut oſſa quamplurima metacarpi eximere cogeret: & ut verbo dicam, tota manus, nervi & oſſa adeo lacerata & quaſſata fuerunt, ut ad eam conſervandam parum ſupereſſet ſpei: fuit nihilominus Dei beneficio ita reſtituta, ut ne digitum quidem amiſerit. Quum vero ſtatim ab initio ſummo ſtudio in hoc incumberem, ut dolores repellerem; & partem læſam ab inflammatione & à fluxu humorum vindicarem, curatio tam feliciter ſucceſſit, ut minimum doloris ſenſerit, & inquietudines fere nullæ ſupervenerint. Porro quarto die morbi, quum quidam ex adſtantibus jocaretur, & ridiculoſam hiſtoriam quandam narraret, Nob. vulneratus nobiſcum quoque ad riſum excitatus fuit. Hinc ſtatim exortus eſt dolor adeo gravis, per totum brachium uſque ad nucham, ut ſpatio 24. horarum de convulſione periclitaretur. Sequentibus verò adhibitis remediis paulatim ſedatus eſt dolor, & in priſtinum ſtatum reſtitutum eſt brachium.

℞. Radicum & foliorum Altheæ, Malvarum, Violarum, Brancæ urſinæ, Florum meliloti, Betonicæ, Primulæ Veris, Salviæ an. M. i. Sem. fœnigræci, Lini ana ℥i.

Incidantur, contundantur, & coquantur in aqua ad conſumptionem tertiæ partis. In ea decoctione madefacta linteamina calide applicui toti brachio: poſtea totum brachium & nucham ſequenti linimento inungebam.

℞. Ol. Lumbricorum, Vulpini, Axungiæ humanæ an. ℥j. Succi lumbricorum ℥ſ.

Miſce, fiat linimentum. His remediis ſedatus eſt dolor: poſtea curatio feliciter progreſſa eſt.

Anno 160?. menſe Aprili ſimilis fere caſus accidit Claudio Dodino, civi Paterniacenſi. Is vulneratus in brachio & carpo dextro, ubi nervi nonnulli quarti & quinti paris colli læſi fuerant, ex riſu in maximos incidit dolores & convulſionis periculum, ita quidem ut ea nocte nulla quiete frui potuerit. Inuncto brachio ſuperiori unguento, ſedatus eſt dolor.

Annotatio. Riſum eſſe affectionem cordis, ac ridendo cor ipſum, & per conſequens, pericardium magno cum impetu moveri, atque ex una in alteram partem ferri contrahique, eximius & ſummus ille Philoſophus ac Medicus, Laurentius Joubertus teſtatur; & experientia docet. Ac quia pericardium mediaſtino & diaphragmati alligatur, ut in riſu violento ipſum quoque diaphragma violenter moveatur, neceſſe eſt. Porro quia diaphragma lumborum vertebris, ac notharum coſtarum extremitatibus, atque inferiori ſterno & xiphoidi cartilagini alligatur, præterea inferiore ſua parte peritonæo, ſuperiori verò pleura inveſtita eſt membranis, fit ut in riſu violento, tum abdominis, tum præcipuè pectorales muſculi ſimul moveantur atque contrahantur. In eo autem motu violento diaphragmatis & muſculorum pectoralium, concutiuntur & agitantur quoque muſculi brachia moventes. Imprimis autem muſculus brachium pectori adducens, & brachium attollens, tum etiam nervi omnes, qui iis intertexti ſunt, & tendones ex iis prodeuntes, ſimul contrahuntur atque agitantur. Hinc fit, ut violenter ridentes brachia pectori imponant.

Ac quia muſculi collum & caput moventes, partim ab oſſe pectoris oriuntur, neceſſe eſt, ut in violento riſu & agitatione diaphragmatis & muſculorum pectoralium, caput ſimul moveatur. Hinc fit, ut violenter ridentes caput inclinent, jam retro, & mox in dextrum aut ſiniſtrum humerum projiciant.

Inter crurum & abdominis muſculos magnus quoque eſt conſenſus, ideoque violenter ridentes ſe incurvare coguntur: quum enim abdominis muſculi ex elevatione violenta diaphragmatis in altum trahuntur, muſculi crurum, venæ, arteriæ & nervi, qui illis intertexti ſunt, ſequantur neceſſe eſt. Hinc perſpicuum fit, riſum in omnibus vulneribus (magnis ſcilicet) periculoſum eſſe, ac in nervis vulneratis dolores acerrimos & convulſiones, in venis, & arteriis hæmorrhagiam excitare. Monitos igitur velim Chirurgos & adſtantes, ne vulneratos facetiis & jocis ad riſum provocent immoderatum. *Idem ibidem.*

Adoleſcens oculo perforato viſum recipit.

Quindecim annorum adoleſcentem, ſutoris cujuſdam filium Genevæ, in vico divæ Mariæ, cum Domino Johanne Griffonio, Chirurgo præſtantiſſimo curavi, circa annum 1587. cui acus ſutoria perforaverat adnatam membranam prope Iridem: hinc factum, ut humor aqueus ſtatim effluxerit, & adoleſcens illico viſum plane amiſerit. Oculo impoſuimus in primo apparatu albumen ovi cum aqua roſacea, & nonnihil croci: fronti autem defenſivum ex bolo Armeno, terra ſigillata cum oleo roſaceo, paucaque cera & aceto in formam unguenti redactum, atque injecimus ſtatim enema. Sequenti die catharticum exhibuimus, & anodynis ad ſeptimum uſque & amplius vulnus tractavimus. Deinde collyrio ex aqua euphraſiæ; ſaccharo, & tutia præparatô, cicatricem induximus. His curatus fuit nullo ſuperveniente ſymptomate: haud multò poſt curationem viſum quoque recepit. Dodonæus in ſuis obſervationibus ſimile aliquid refert.

Anno 1597. curavi filium Matthæi Barbotti, civis & mercatoris Lauſannenſis: cui, infixa ſagitta, perforata fuit cornea, quà parte conſpicitur Iris. Effluxit nonnihil humoris aquei, unde contracta eſt cornea, & puer protinus viſum amiſit. Vulnus curavi ad modum ſupra dictum: puer hic quoque non multò poſt viſum recepit.

Annotatio. Omnino his ægrotis cryſtallinus humor compunctus non fuit: eſt enim ille humor præcipuum inſtrumentum viſus, ac ſuâ propriâ continetur membranâ Arachnoide: qua dilacerata, amplius humor cryſtallinus officium facere nequit. Effluxit autem in his aqueus tantum humor, quem natura in anteriorem partem inter uveam tunicam (quo loco duplicatur & invertitur) & corneam locavit. Atque hic quum ſit excrementum, quod exudavit ex venulis illis, quæ in uvea tunica conſpiciuntur, & circa locum humoris aquei terminantur, aliquando renaſcitur, præcipue in pueris, ut etiam eximius Anatomicus Realdus Columbus, in ſuis Anatomicis ſcriptum reliquit. Id autem hîc notandum, vulneratâ pupillâ viſum recipi non poſſe, quamvis humor cryſtallinus ſit illæſus, & aqueus renaſcatur: ut in multis, ac potiſſimum in affecla generoſi viri Ottonis Schencki, Domini ab Horſt, ante annos aliquot obſervavi. Is cultello perforatâ pupillâ viſum amiſit. Curavi vulnus ut ſupra: viſum tamen non recepit. Inevitabilis enim cicatrix impedit, quo minus radii eorum, quæ viſui objiciuntur, ad humorem cryſtallinum perveniant. Ex quibus perſpicuum fit, in extirpanda ad pupillam cicatrice nihil temere tentandum, ne malum incrudeſcat, quod ex obſervatione proxime præcedente patet. *Idem ibidem.*

Vulneratæ linguæ curatio.

Vix membrum in humano corpore reperitur quod magis moveatur, quodque adeo ſit humidum laxumque atque lingua: Hinc fit, quod ipſius vulnera tranſverſum facta, ut plurimum incurabilia cenſeantur. Suadeo tamen, ut niſi plane abſciſſa fuerit, curatio tentetur, non enim hujuſmodi vulnera ex toto ſunt incurabilia, ut ſequens obſervatio teſtatur.

Anno 1587. Puellam trimam Lauſannæ curandam habui, quæ extenſâ linguâ in terram cadens, partem illam quæ inter dentes erat, fere ex toto abſcidit, & quidem plane abſcidiſſet, niſi duorum dentium defectus obſtitiſſet. Vocatus, putabam, diſciſſas partes ſutura conjungere: Id verò quum propter puellæ impatientiam minime fieri poſſet, ſequentibus remediis curationem tentavi, atque feliciter abſolvi.

℞. Foliorum & florum Liguſtri, Plantaginis, Roſarum rubearum an. M. j. Corticum granatorum, Balauſtiarum an. ℥ſ. Coquantur in ℔ij. aquæ chalybeatæ, ad conſumptionem tertiæ partis. In colatura diſſolve Acaciæ ʒij. Syrupi de roſis ſiccis ℥ij. Miſce: fiat gargariſma, quo ſæpius interdiu abluatur lingua. In ore continenter tenebat ſyrupum de roſis ſiccis, de cydoniis, ſyrupum conſervationis ceraſorum, de Ribes, & coagulum cydoniorum.

Veſcebatur juſculis carnium recentium & hordeaceis, lacte amygdalarum dulcium, & ſimilibus. His Dei beneficio pleniſſime curata fuit, neque ullo modo depravata fuit loquela, ut poſtea apparuit per duodecim integros annos, quibus vixit. *Idem ibidem.*

De vulnere quodam pectoris, cum abſciſſione portionis cujuſdam ipſius Pulmonis.

A Domino Abelo Roſcio, apud Lauſannenſes Doctore, Gul. Fabr. Hild. communicata.

INſanabilia Pulmonum vulnera, aſſerunt Medici ac Chirurgi fere omnes, (Vir Clariſſime) cùm tamen ipſa perquam bene conſolidari ac curari ſæpius contingat, ut ex variis neotericorum hiſtoriis colligere eſt: idque maxime clarum fit ex obſervatione genitoris mei, piæ memoriæ, Alb. Roſcii, Doctoris Medici tibi amiciſſimi. Quæ ſane hiſtoria jam ante annos multos ab ipſo accepta, fere è memoria exciderat, hanc tibi communicare volui, prius quàm totâ penitus è mente effluxiſſet, quod ea inter curationes miras reponenda, ſeu inter vulnera admirabilia curata recenſenda mihi digna viſa ſit.

Erat apud Delphinates in urbe Calmuntii, ubi Medicinam per aliquot annos feliciſſime faciebat pater, ex noſtris vicinis quidam ſecundùm pectus graviter ſauciatus, vulnere punctim facto, is etenim inter pectoris coſtas, ni fallor quintam ac ſextam, non procul ab oſſe ſterno vulnus acceperat, cui cùm gladius lato mucrone pulmonem ipſum læviſſime perfodiſſet, in ſui extractione & exitu, neſcio quomodo in gyrum facto, ſecum pulmonis portiunculam per vulnus foras eduxit: quare ſtatim à cunctis adſtantibus morti proximus adjudicatus fuit æger. Attamen vulnerati precibus condeſcentes amici & affines, Patrem Medicum cum Chirurgo advocandum curarunt, qui etiam vulnus lethale pronunciavit adſtantibus, ægrum tamen ſemper bono animo eſſe juſſit, & ne de ſalute deſperatet, manus auxiliares illi à dicto Chirurgo adhibendas & curationem tentandam voluit pater. Juſſitque quamprimum eam lobi pulmonis partem, quæ foras prominebat, prius bene vino lotam in pectus retrudendam. Sed eam, dum tractatetur leviter liveſcere animadvertens amputare fecit ferreo candente inſtrumento. Reliquum verò in pectus benigne retruſit Chirurgus, dilatatis prius cuneo, ad id ex tempore parato ligneo, coſtis: Deinde vulnus ex arte, poſtea & Medici præſcripto curatum fuit, intra propinatis quibuſdam pectoralibus, ex vulnerariis decoctis per aliquot dies, tandem convaluit æger, qui deinde in multos annos vitam protraxit: pulmonibus ac thorace ſemper ſanis & ab omni noxa prorſus immunibus. Pulmonum itaque vulnera per ſe incurabilia ſemper aut lethalia exiſtere negamus. Niſi inflammatione vulnus profundum ſit affectum: vel ubi magna vaſa, aut bronchia læſit, aut prope cor attigit. Hæc horis ſubciſivis ſcribenda duxi, ut tibi viro doctiſſimo, & mei amantiſſimo ſatisfacerem ac morem gererem. Interea te unà cum tuis bene feliciterque valere exopto. Lauſannæ, Idibus Decembris Anno 1606. *Idem ibidem.*

De vulnere quodam admirando Pectoris, cum diaphragmatis dilaceratione, & ventriculi ſuo loco amotione.

A Clariſſimo Dn. Daniele Sennerto Gulielm. Fabr. Hildan. communicata.

CUm non dubitem, tibi in curationibus Chirurgicis multa rara & miranda obvenire, atque ea te ſtudioſe annotare: rem non ingratam tibi me facturum putavi, ſi ſequentem caſum ex annotatione D. Andreæ Schatonis piæ memoriæ, ſoceri mei quondam in hac Academia Profeſſoris Medicinæ, tecum communicavero. Eſt autem talis. Heinricus Bulchehovius, Revalienſis Livonus, cùm melancholia, tentationibuſque variis vexaretur; res tandem eò rediit, ut ex Saxonia Wittebergam rediens, ante portam urbis proprio gladio ſe confoderet, Anno 1582. 20. Septembris, infra quartam coſtam in thoracem adacto, & ſub nona coſta in tergo exeunte. Quod vulnus tamen intra menſes duos ſanatum eſt. Verùm accidit, ut poſt menſes aliquot, iterum de abſurdis cogitationibus conquereretur, & poſtea die 28. April. Anno 1583. male haberet, & ſequentibus diebus primo aquam, & quicquid cibi aſſumpſiſſet, poſt viridia; tandem die 22. Maii nigra quater, eaque magnâ copiâ rejiceret vomitu, cum ſudoribus frigidis & leipothymia, ac deinde poſt ultimum vomitum expiraret. Corpus apertum eſt, deprehenſumque vulnus per pulmones & diaphragma penetraſſe, & quidem diaphragma transfoſſum fuiſſe in nerveo circulo. Pulmonis fere nihil repertum eſt in ſiniſtro latere conſoſſo, cùm procul dubio cum pure exierit, exigua portiuncula aderat coſtis adnata. Ventriculus totus aſcenderat in ſiniſtrum thoracis latus, & cor cum capſula de ſede ſua depulerat in dextrum latus, ubi & vivus ille jubebat obſervari cordis pulſum. Cor arefactum erat, copioſa citrina aqua in capſula; Omentum & Pancreas totum etiam fere circa ventriculum computruerat.

In qua hiſtoria tum alia certe admiranda, tum illud videtur, quod ventriculus ſedem ſuam ita mutavit. *Idem ibidem.*

De vulnere abdominis, cum abſciſſione cujuſdam portionis Hepatis.

Quamvis vulnera partium principum, ab Hippocr. non immeritò lethalia cenſeantur, ſæpiſſimè tamen ſic vulneratos evaſiſſe, obſervavi, uti quoque in Obſervationibus meis de vulneribus cerebri, veſicæ, & inteſtinorum exemplis annotavi. Vulnera quoque Hepatis, quæ omnium ferè difficillima, propter ſanguinis, quæ inde ſequi ſolet, profuſionem, videntur non omninò inſanabilia eſſe, experientia docuit, & Viri docti teſtantur. Mihi quoque exemplum unum non vulgare obſervare contigit. Helvetius quidam triginta annorum in conflictu quodam gladio Helvetico è regione hepatis percuſſus fuit, maximumque vulnus recepit. Sanguis copioſè effluxit, ita ut in deliquium animi incideret. Advocato Chirurgo, cùm vulnus explorare, & medicamenta ad ſanguinem ſiſtendum imponere vellet, fruſtum Hepatis, ad oſtium vulneris ſeſe offerebat, quod cùm forcipibus apprehendiſſet, integrè extraxit. Ac quamvis ſæviſſima ſupervenirent ſymptomata, nihilominus tandem Dei beneficio, optimè convaluit. Poſt annos tres febre continuâ correptus, Genevam appulit, ibique in noſodochio receptus, Clariſſimo ac Doctiſſimo Viro Dom. Jano Antonio Sarazeno, Medico Regio piæ memoriæ, compatri meo plurimùm honorando, ac Dom. Joh. Griffonio, Chirurgo longe celeberrimo, curandus commiſſus fuit. Ego, quum quadam die ipſum cum prædictis viris viſiſerem, & graviter laborantem offendiſſem, alta voce ſic exclamare cœpit. Nonne miſerandum, me nunc febre abſumi, neque à duobus curari poſſe, cùm tamen ante annos tres graviter in latus ſauciatus, ut fruſtum Hepatis gladio mihi abſciſſum atque extractum eſſet, ab unico tantummodo Chirurgo Dei beneficio, ſanitati reſtitutus fuerim! Nos cùm hac de re attoniti, latus in conſpectum exhibuit, & cicatricem longitudini ſ...

thamæ è regione Hepatis monſtravit. Poſt paucos dies, cùm occubuiſſet, cadaver ejus incidimus, & portiunculam quandam infimi lobi Hepatis abſciſſam fuiſſe, vulnuſque cicatrice eleganter obductum, reipſa comperimus. Reliquæ vero partes corporis, imò & ipſum hepar, nihilominus ſecundùm naturam ſe habebant. *Idem ibidem.*

De capitis periculoſi vulneris cum cerebri concuſſione, in Matrona gravida, curatione.

Anno 1600. 21. Octobris, Uxor honeſti viri, Dn. Petri Quey, civis & mercatoris Viviacenſis, ad Lacum Lemannum, cùm circa æquilibrium libræ, in qua ingens moles ferri trutinabatur, occupata eſſet, & famulus qui libram gerebat, trabem ferream, quæ propter molem ex adverſa parte, in altum elevata erat, imprudenter ſatis contrectaſſet, ex improviſo matronæ in bregma dextrum decidit. Illa protinus in terram quaſi mortua proſtrata, cibum indigeſtum evomuit: ſanguinem item per os, nares & aures non ſolùm illa die, verùm etiam per dies aliquot ejecit, & loquelam amiſit, ita ut poſtquam ipſam in lectum poſuiſſent, cuncti nihil aliud quàm mortem proximam expectarent. Ego tamen ut manum ipſi adhiberem, maritus valdè ſollicitus fuit. Pro primo apparatu à domeſticis albumen ovi conquaſſatum, & argillâ fornacum mixtum, ad ſanguinem ſiſtendum, vulneri impoſitum fuit, deinde Lauſanna me accerſivit.

Secunda itaque die ad ipſam perveni, tum abraſis crinibus, maximum vulnus in bregmate dextro, ſecundùm longitudinem ſuturæ rectæ ductum ad cranium uſque, quod tamen neque fractum, neque impreſſum, inveni. Febris, dolores totius capitis, vigiliæ, inquietudines & ſyncopæ aderant. Quotieſcunque item juſculum aliquod aut ptiſanam ſumeret, ſtatim evomit, aliaque ſigna, ex quibus cerebrum valdè commotum, & ſanguinem extravenatum, circa membranas cerebri effuſum eſſe, conſpiciebantur. Ego, ut cerebrum ſeſe evacuare poſſet, de perforatione cranii adſtantes amicos monui. Quibus rationibus meis intellectis, facilè conſentire videbantur, ſed primò quia multùm gravida & doloribus capitis ab annis aliquot obnoxia, quin totum etiam tempus imprægnationis debilis fuerat; Secundò, quia nova inciſione ad latus vulneris & quidem versùs muſculum temporalem pro vulneris dilatatione & ut perforatio cranii commodè fieri poſſet, facienda erat, ſuaſerunt; imò obnixe rogarunt, ut omnia alia remedia tentarem, priuſquam ad hoc, quod ipſis tam grave atque periculoſum videbatur, pervenirem. Ego, ne mihi imputaretur, parui, interim tamen terebellum, & quicquid ad operationem neceſſarium, in promptu habui, idque ad eum finem, ut cùm primum res in pejus tendere viderem, extremum præſidium adhiberem: Veniebat enim tunc mihi in mentem, olim undecima quoque die felici cum ſucceſſu terebellum, cum præſtantiſſimo Chirurgo D. Johan. Griffonio adhibuiſſe, ut ſuo loco declarabimus. Oſſi itaque denudato filamenta ſicca, reliquo verò vulneri ſequens digeſtivum impoſui.

℞. Terebinth. lotæ in aqua betonicæ & ſalviæ ℥j. Ol. roſacei & Ol. noſtri de betonica an. ℥j. Ol. de vitellis ovorum ʒj. Gummi elemi diſſoluti cum ſuprà ſcriptis oleis & percolati ℥ß. Croci ℈ij.

Vitellos ovorum num. 2. Miſce, fiat unguentum. Omnia deinde Emplaſtro baſilicone obtegantur. Totum verò caput oleis ſequentibus inunxi.

℞. Ol. noſt. de betonica ℥j. Ol. Roſacei ℥ij. Miſce.

Eadem die, quia alvus conſtricta, ſub veſperam ſequens enema leniens exhibui: Acre enim propter impraegnationem, & quia fœtus jam aliquo modo commotus, & tormina parturientium adeſſent, exhibere auſus non eram:

℞. Herbarum & florum betonicæ, Agrimoniæ, Malvæ & altheæ cum radicibus; Violarum an. M. j. Florum chamomillæ, Meliloti an. Mj. ß. Sem. aniſi & Fœniculi an. ℥j. Fœnigræci ℥ß. Coquantur in ℔ IV. decocti capitis vervecis, ad conſumptionem tertiæ partis. In ℥ x. hujus decocti colaturæ, diſſolve vitellos ovorum num. 2. ol. communis, & butyri recentis an. ℥j. Salis p. j. Miſce, fiat enema. Rejecto clyſtere, venam in cubito dextro pertudi ſanguinemque ad uncias circiter quatuor, revulſionis ſcilicet gratiâ, extraxi.

Cùm enim, quia utero geſtabat, tum etiam quia ex vulnere ſanguis copioſè ſatis effluxerat, prudenter mihi hac in re erat agendum. Mens tamen erat, poſt dies aliquot ipſi incidere venam jugularem dextram, uti haud ita pridem Lauſannæ in puella, commotione cerebri laborante, maximo cum ſucceſſu feceram: Mutavimus tamen conſilium propter motum naturæ, ut poſtea dicemus. Cùm verò ab initio morbi præ dolore non quieviſſet, poſt cœnam per duas horas ipſi uſque ad grana quatuor Laudani exhibui: ea nocte ſatis quietè dormivit. Altera die iterum oſſi (quod & tamdiu faciendum eſt, donec carne tectum ſit) filamenta ſicca, reliquo verò vulneri digeſtivum præſcriptum impoſui; totumque caput oleis prædictis inunxi. Interim autem dum contrectabam vulnus, ſequenti ſacculo calido totum caput cooperiebam.

℞. Radicum cariophyllatæ ℥ij. Foliorum & florum betonicæ, Florum chamomillæ, Meliloti, Roſarum, primulæ veris, Summit. roſmarini, Majoranę an. M. j. Sem. aniſi ℥j.

Incidantur & contundantur pro ſacculo interſuto, & ejus magnitudinis, ut totam ferè capitis partem capillatam cooperiri poſſit. Eo vino rubro incocto, applicetur. Sacculus iſte non ſolùm vulnus ab injuria aëris defendit, verùm etiam caput roborat, ſanguinemque extravenatum diſſolvit, incidit, atque ut partim per poros cutis, partim per vias naturales effluere poſſit, efficit: Eſtque mihi in vulneribus & contuſionibus capitis ſatis familiaris, non tamen ſtatim ab initio, ſed poſtquam univerſalia prius adhibita fuerint, eo utor. His adminiſtratis remediis, optimaque obſervata victus ratione, & alternis diebus adhibito enemate, febris, reliquaque ſymptomata, circa quartum multùm imminuta fuere: Vulnus quinetiam ad optimam digeſtionem ſeſe parabat, ita quidem ut ſeptimo die morbi nulla amplius adeſſet febris neque dolor. Elapſo ſeptimo, ſolo oleo betonicæ totum caput inunxi, vulneri verò ſequens unguentum impoſui.

℞. Terebinth. lotæ in aqua ſalviæ ℥ß. Gummi elemi diſſoluti in ol. betonic. ʒij. Pulveris radic. cariophyllatæ, Radic. Iridis, Flor. Ariſtoloch. rotund. Myrrhæ, Thuris, an. ʒß.

Cum ſ. q. mellis roſati, & vitelli ovi, fiat unguentum, quod filamentis imponendum eſt; Omnia denique emplaſtro de betonica obtegantur.

Quinta porrò die morbi, dolorem gravativum retro aures, & in ipſo collo uſque ad humerum perſentire cœpit, quibus in locis maxima & inſignis ecchymoſis facta eſt, non ſine ſingulari Dei & naturæ beneficio, quæ ſanguinem extravenatum & circa membranas cerebri collectum, per emunctoria expellebat. Tum mihi occurrebat ſimilis caſus, quem in puella cum Dom. Griffonio curavi, in qua natura ſimiliter ſeſe per hanc viam à ſanguine extravenato exoneravit, ut Cent. 1. Obſerv. 12. declaravimus. Ante quartam prӕterea diem, per intervalla guttula una aut altera ſanguinis puri per nares, præcipuè autem per dextram, nonnunquam tamen & per ſiniſtram emanavit. Quinto & ſexto non ſanguis purus, ſed aqua ſanguinolenta, effluxit. Septima, 8. 9. 10. & 11. multum ſanguinis coagulati pure admixti, 12. 13. & 14. verò non tam copioſè,

pioſè, ſed per intervalla emunxit. A decimo quinto uſque ad trigeſimum & ultra, multum purulentæ materiæ per nares excrevit. Ita ſingulari Dei beneficio feliciter curata fuit. Et fructum uſque ad conſtitutum tempus geſtavit. Tum parturientium doloribus correpta, gemellos progenuit, qui ut arbitror, ad hunc uſque annum 1608. ſuperſtites ſunt. Matrona verò, cùm poſt annos aliquot iterum utero geſtaret, & parturientium doloribus correpta eſſet; fœtum autem, vel ob ſituationem ſui ineptam, vel aliam ob cauſam eniti non poſſet; & periti Chirurgi in conſilium minimè vocarentur, miſera illa miſerè unà cum fœtu vitam cum morte commutavit. *Idem Cent.* 5.

De vulnere quodam faciei inflicto, rara & admiranda curatione.

A Georgio Fabro, D. Medico Gul. Fabr. Hildan. communicata.

POſtquam civis quidam honeſtus ſuperius Rosbachii in Wetteravia, nomine Johannes Philippus à Bleichenbach, ad expedienda negotia Niddam profectus, cum ſenioris præfecti ibidem filio, Hermanno Crugio aliquantulum compotaſſet, inter cętera de ſalinis ſuis, quas poſſidet parens, qualiſcunque facta eſt mentio. Quare ad inviſendas illas ambo procedunt. Inter eundum verò accidit, ut dictus Crugius, Bleichenbachium gladio (non tamen diſtricto) in certamen provocaret, cui cum Bleichenbachius animo planè alacri nec hoſtili occurreret, ſeſeque defendere vellet, de improviſo à Crugio in ſiniſtram maxillam propè naſum graviter vulneratus eſt, & quidem adeò, ut illum ipſum gladium tanta vi faciei infixum, manubrio atque nodo in terram delapſis, ſibi ipſimet ambabus manibus totiſque viribus tandem extrahere coactus fuerit. Quo facto & extracto, nullum planè vaginæ vinculum ſed nudum tantummodo gladii mucronem conſpicere licuit.

Etſi verò uterque ſuſpicati ſunt, illud ipſum vinculum in cranio ſeu capite adhuc deliteſcere, pro impoſſibili tamen rem arbitrati, in gramine potius (quia verno tempore in prato quodam viridi convenerant) anxiè, ſed fruſtrà quæſierunt iſtud. Unde Bleichenbachius Crugium precibus compellavit, ut digito quadantenus exploraret, num fortè in ipſo vulnere adhuc hęreret: quod & fecit, ſed nihil deprehendere potuit. Doloribus itaque magis magiſque ingraveſcentibus, nocteque ingruenti, ipſi cum temporis in proximo quodam pago pernoctandum, ſicque hac vice Chirurgi alicujus operâ carendum fuit.

Sequenti verò die Fridbergæ, à quodam barbitonſore vulnus ſpleniis, ſive faſciis tantummodò cooperiri paſſus eſt. Deinde in patria ſua Rosbachio, alterum quendam adhibuit; qui hoc vulnus ſolo emplaſtro nigro, ſive fodicationis (Germanicè *Stichpflaſter*) nullis injectis turundis ſpatio ſex ſeptimanarum conſolidavit.

Cùm igitur per tres integras ſeptimanas vulnus ita conglutinatum eſſet; præ dolorum impatientia tandem reſecari curavit; ut hac ratione noxii humoris, veluti patefacto emiſſario, liberiùs poſſet effluere virus. Iſto ſic aperto, perexiguum quoddam foramen retinuit, non ſecus ac ſubula quadam eſſet perforatum. Intereà multas & varias potiones vulnerarias exhauſit, abſque ullo tamen alleviationis fructu. Poſt trimeſtre, famâ cujuſdam Chirurgi, haud quidem imperiti, pellectus, Hanoviam ſeſe contulit, ubi ſeptuaginta quinque ſeptimanas commoratus, Medicorum quoque nonnullorum conſilio uſus eſt: verùm nullus eorum ad ſufficientem & plenariam hujus vulneris cognitionem pervenire potuit. Tandem verò prædicti Medici, unà cum Chirurgo, Cranio quopiam diſſecto & perforato, vinculum iſtud propè foramen (quemadmodum in utraque cranii parte circa nares exigua foramina conſpiciuntur) in illam ipſam ſinuoſam ſeu cartilagineam cavitatem, unius digiti longitudine ſub oſſe impactum fuiſſe, unanimi conſenſu collegerunt. Chirurgi & barbitonſores omnia ſua medicamenta in ipſius vinculi tantummodò cavitatem ingeſſerunt. Cùm verò omnia fruſtra tentata viderentur, Chirurgus tandem Hanovienſis, ſitum vulneri adjacentem ſemiſſis digiti latitudine novacula quadam, ad os uſque tranſverſim incidit, & carne digito ſeparata inquiſivit, ubi malum latitaret, exiſtimans os ſeu zygoma fortè carioſum ſeu denigratum eſſe, ſicque iſtud penitùs incorruptum, inſtrumentis quibuſdam corradendo malè tractavit, ſed brevi à ſeipſo rurſus coaluit. Poſteà ille ipſe Chirurgus variis multiſque per intervalla uſus eſt virulentis atque eſcaroticis medicamentis: ſed vulnus nullam omninò vim corroſivam ferre potuit; quamvis particulam carnis magnitudine ſeſtertii, omninò exederit.

Inde facies ab orta periculoſa oculi inflammatione adeò intumuit, ut nihil medicamentorum amplius applicare valuerit. Interea autem dum inflammationi extinguendæ ſtudet, excreſcentia quædam carnis ſubſequuta eſt. Demum paternos reviſit lares. Nihilominus tamen humor aliquis quotidie effluxit, inſtar aquæ cujuſdam vitriolatæ; & colore ſingulis horis ter quaterve alterato, foramen iſtud, uti antea dictum, aliquantiſper adhuc remanſit.

Dolores quoque ità fuerunt exacerbati, ut præ illis ſomnum capere nequiverit. Hinc igitur commotus in Alſatiam profectus eſt, ibidemque obſidioni Moltzheimenſi & Dachſteinianæ interfuit, ubi dum ipſi in tanto æſtu armatura accincto, equitandum fuit, gena propè vulnus adeò intumuit, ut penè naſum ipſum adæquaverit. Unde ſibi ipſi pro certo perſuaſum habet, vinculum nimia iſtius caloris vi, ſeſe hoc modo paulatim exeruiſſe. Horum tandem omnium pertæſus, Fridbergam rediit, ibique duobus fratribus barbitonſoribus rem omnem explicuit; obnixè rogitans ut vulnus denuo reſecarent, & de origine ſeu fundamento diligentius indagarent, data fide, ſe fore contentum, etiamſi in ipſo momento mortem oppetere cogeretur. Qui quidem pluſquam triceſies cutim incidendo, periculum fecerunt, decem integras ſeptimanas conſumpſerunt, tandemque caſu potius quam arte, forcipula, quæ vulgò *Kornzænglein*, vinculum iſtud medicamentis atque unguentis totum adhuc repletum extraxerunt, quod ſanè tantùm de ſe ſe emiſit fœtorem & mucorem, ut patiens vix ipſe, nedum adſtantes iſtum tolerare potuerint. Poſtremò inter ſex ſeptimanas vulnus iſtud perfectè fuit ſanatum. Hoc gladii vinculum, quatuor annos, minus quinque ſeptimanarum, faciei infixum, decima tertia tandem Februarii anni elapſi 1611. fuit extractum. Nullum amplius dolorem perſentiſcit, niſi quod indicem ſive ſalutarem difficulter ori admovere queat, ob aliquam nervi, in iſto latere fortè inciſi, læſionem & convulſionem. *Idem ibidem.*

De infelici ſucceſſu potionis vulnerariæ.

Anno 1616. gladiator quidam M. Conradus Pancka, Dantiſcanus quidem natione, ſed Bernæ civitate donatus, vir adhuc juvenis, robuſtus & plethoricus, cùm duos nobiles inter ſe litigantes, alterum ab altero ſeparare vellet, gladio acuto in brachium ſiniſtrum vulneratus fuit. Hæmorrhagia ſedata, ex conſilio amicorum

amicorum ſolo decocto vulnerario (quod ibi non ſolùm in vulneribus, verùm etiam in quibuſdam aliis affectibus Panaceæ loco habetur) ex Pyrola, virga aurea, ſanicula, artemeſia & beta rubra in vino coctis, cum barbitonſore quodam, M. Johann. Knopff, nomine curationem aggreſſus eſt. Ter autem in die hauſtum decocti prædicti ſumebat, vulnuſque eodem decocto ter abluebat, linteumque inſuccatum decocto applicabat, ac reliquum negotium curationis omninò naturæ committebat. Ab initio curatio ad votum ſucceſſit. Circa tertium verò exorta eſt inflammatio, dolor ingens, febris, nauſea & appetitus proſtratio. Quapropter cum ego in ſubſidium vocatus eſſem, manum totumque brachium intumefactum, & ad cubitum uſque inflammatum reperi: nec ſolum brachium intumefactum erat, verùm & muſculi pectoris per conſenſum afficiebantur: hinc quoque de anguſtia pectoris conquerebatur, propter vapores quoque ex inflammato brachio aſcendentes, cor nonnunquam veluti lipothymiâ afficiebatur. Vulnus autem in muſculo iſto, qui à Veſalio tabulâ primâ muſculorum annotatur, & ferè eo in loco, ubi verſus carpum in tendonem deſinit, exiſtebat; exteriùs veluti cruſtâ obductum & clauſum erat.

Accepto ſtylo exploratorio, cùm anguem in herba latentem detegere vellem, adſtantes me admonent, ne tale quid tentarem, nec vulnus refricarem; cutem enim ſuperficietenus tantummodò ſciſſam, ægrumque decoctum vulnerarium ab initio bibiſſe. Imaginantur namque ſibi noſtrates homines, decoctum hoc conſolidationem externam vulnerum non concedere, niſi ipſa concavitate prius conſolidata: ego tamen ſæpiſſimè contrarium magno ægrotum periculo obſervavi. Immiſſo ſtylo, cum vulnus ſpithamam ferè profundum eſſe, verſus cubitum ipſum penetrans vidiſſent, ſupra modum admirati fuerunt. Inuncto brachio oleo anodyno, turundam, quæ tamen dimidiam partem vulneris nondum attingebat, (profundiùs enim prima vice pervenire non potui) digeſtivo noſtro, alibi in affectibus capitis deſcripto, inunctam impoſui & linteum in refrigerativo madefactum tepidè applicui: victus rationem tenuem præſcripſi, vinoque ipſi planè interdixi. Et cum julapium ex refrigerantibus & corroborantibus circa nonam noctis propinaſſem, longè quietior noctem illam tranſegit, & aliquantulum meliùs habere cœpit. Altera die circa ſextam matutinam Cholagogum exhibui, cujus beneficio corpus clementer expurgatum fuit. Brachium iterum inunxi, turundam paulò longiorem impoſui: idem quotieſcunque vulnus curabam, tentavi, donec ad fundum vulneris pervenerim. Non autem expedit, quod diligenter notandum, ut turunda ejus ſit craſſitiei, ut totum vulnus adimpleat: hinc enim dolor continuus, aliaque peſſima ſymptomata excitarentur: ſed ſufficit, ut circa ſuperficiem vulneris, tres tantummodò partes vulneris adimpleat, & quarta remaneat vacua, ne labia vulneris à turunda extendantur. Turunda autem ex linteis ſuaviſſimis eo modo fabricata eſt, ut formam planè pyramidalem habeat, quo tandem circa fundum vulneris quartam ſolummodò partem vulneris adimpleat, vacuo relicto, ne generatio carnis impediatur; propter eandem quoque cauſſam, digeſto vulnere, turunda ſingulis ferè diebus aliquantum abbrevianda eſt.

Cæterùm poſt dies aliquot, cùm ſymptomata, veluti dolorem, intumefactionem brachii, nec non inflammationem non ſatis remittere viderem, indeque colligerem, adhuc aliquid nobis nondum ſatis cognitum ſubeſſe, eamque ob cauſſam iterum ſtylo argenteo vulnus explorarem, ſecundum inveni ſinum, (non tamen ejuſdem profunditatis) ſub vena, quam vocant cephalicam, verſus medianam penetrantem.

In ſuperficie itaque, videlicet in cute, unum erat, in ipſis verò muſculis duplex erat vulnus, quod quidem diligenter notandum: quotieſcunque enim hujuſmodi reduplicatio vulneris accidit, æger verſatur in periculo: dum enim Chirurgus curat unum, alterum verò ſibi incognitum negligit, peſſima ſuboriuntur ſymptomata, quemadmodum aliquoties mihi videre contigit.

Detecto itaque altero vulnere, turundam quoque eodem unguento inunctam immiſi. Idque bis in die: brachium totum prædicto oleo inunxi, & ſequens cataplaſma applicui.

℞. Farinæ hordei, Fabarum ana ℥j. Pulv. Roſarum Rubearum, Balauſt. ana ʒij. Chamomil. Melilot. ana ʒj.

Cum poſca, fiat cataplaſma: adde ſub finem parum olei roſacei & vitellum unius ovi unà cum albumine. Hanc methodum ante decimum quartum diem non mutavi, deinde ſarcoticis, & cicatricem inducentibus curationem feliciter abſolvi, obſervata tamen optima victus ratione, & laxata alvo, quotieſcunque neceſſitas urgebat.

Porrò reduplicatio hujuſmodi vulnerum accidit, aut propter tremulentiam manus, quæ vulnus infligit, aut propter motum, agitationemque corporis vulnerati. Iracundus enim infligendo vulnus, profectò non eandem prudentiam ac circumſpectionem adhibet, qua nos utimur in operationibus Chirurgicis: neque ipſius intentio eſt, uti noſtra, videlicet curare, ſed ut plurimùm enecare potius; utut autem ſit, non vacat periculo maximo hujuſmodi reduplicatio vulneris, imprimis ſi Chirurgus ignarus aut negligens fuerit, quemadmodum antea quoque monui. *Idem Cent. 4.*

De vulnere reduplicato & graviſſimis inde ſequutis ſymptomatibus.

Reduplicationem vulnerum, periculoſam eſſe, in præcedenti obſervatione obiter notavimus: idque nunc in gratiam tyronum exemplo non vulgari oſtendere non gravabor. Reduplicationem autem vulneris voco quando in cute unum exiſtit vulnus, in muſculis verò duo; aut etiam, ut me vidiſſe memini, tria reperiuntur; idque propter cauſſas in præcedenti obſervatione allatas: hinc aliquando ægri graviſſimis periculoſiſſimiſque ſymptomatibus, abſque cauſſa Chirurgo cognita corripiuntur, quemadmodum ex ſequenti obſervatione videre licet.

Circa annum 1608. ruſticus quidam in Perroy ad lacum Lemmanum, in duello vulnus in coxam dextram, è regione ferè articuli, gladio acuto recepit. Advocato barbitonſore, qui immiſſo ſtylo exploratorio, vulnus ſurſum verſus os ſacrum aſcendens reperit. Id quamvis ea, quâ fieri potuit diligentiâ curaret, nihilominus circa tertium exortus eſt dolor maximus, inflammatio, febris, aliaque graviſſima ſymptomata. Ego circa ſextum morbi, literis nobiliſſimi Viri Dn. Joh. de Martines Dn. in Bourjou piæ memoriæ, cùm accerſitus eſſem, hominem in maximis anguſtiis reperi, tam magnus erat dolor, inflammatio, febris, & difficultas in reddendis urinis: (tota enim clunis uſque ad podicem & perinæum intumefacta erat) immiſſo ſtylo, aliud vulnus, quod barbitonſor non obſervaverat, deorſum per medium clunis verſus podicem deſcendens reperi.

Cæterùm cùm vulnus exernum in cute ita anguſtum, ut ambas turundas excipere non poſſet, & alterum à me detectum valdè profundum eſſet, deorſumque

ſumque tenderet, ſuaſi adſtantibus & amicis, ut ex inferiori parte incideretur, quo pus eo melius effluere poſſet. Exonerata itaque alvo beneficio enematis, & immiſſo ſtylo excavato, & ex una parte aperto, ad ipſum fundum vulneris uſque ſcalpellum per rimam, aut excavationem ipſam ſtyli detruſi & impreſſi, donec quod reliquum erat carnis una cum cute, acie ſcalpelli tranſfigerem: quo facto, & extracto ſcalpello, funem ex ſerico rubro paratam, & digeſtivo inunctam impoſui, coxam ad genu uſque totumque latus oleo anodyno inunxi, & loco affecto ſequens cataplaſma calidè applicui.

℞. Micæ panis ℔j. pulv. ſeminis fœnigræci, lini, cydoniorum, meliloti an. ℥ß. Pulv. roſar. rubear. ℥j. croci ʒß. Coquantur cum lacte vaccino, fiatque cataplaſma, addendo vitellos ovorum num. 2.

Poſt cœnam *julapium* ex refrigerantibus, corroborantibus, & dolorem lenientibus exhibui: hinc melius quievit ea nocte, urinamque minori cum difficultate excrevit. Sequenti die cholagogo corpus evacuavi, poſtera die venam in cubito incidi, & ſecundum tolerantiam virium ſanguinem extraxi. Vulnus autem in duodecimum, aut decimum quartum diem prædictis remediis bis in die curavi: funem ad minimum ſemel in die extraxi, recentemque eodem digeſtivo inunctam impoſui. Hac methodo cùm per dies aliquot, uti dixi, uſus fuiſſem, & æger optimam, tenuemque victus rationem obſervaſſet, dolor, reliquaque ſymptomata remiſerunt. Digeſto ſatis & mundificato vulnere, ſarcoticis, & cicatricem inducentibus curationem feliciter abſolvi. *Idem ibidem.*

Guilhelmi Fabricii Hildani &c.

De Vulnere Quodam Graviſſimo, ictu Sclopeti inflicto,

Obſervatio & Curatio ſingularis;

In qua multa lectione digna, & Cheirurgiæ ſtudioſis utiliſſima recenſentur.

NOn immerito fingit Poëta, Actæonem in cervum converſum, à propriis ſuis canibus dilaceratum fuiſſe. Sæpiſſimè enim accidit, ut qui venationi addicti, nec ſatis circumſpectè ac prudenter in hoc, alioquin generoſo & utili (teſte Euſebio) corporis exercitio ſeſe gerant, etiam à familiaribus imò & ab amicis ipſis graviter lædantur. Exemplum non minus memorabile, & annotatione dignum, quàm funeſtum & lamentabile Nobiliſſimus Vir *Dn. Jacobus Wallier,* nobis exhibuit. Caſum, quia graviſſimus, & annotatione digniſſimus, in gratiam Artis Cheirurgicæ ſtudioſorum, ordine recenſere viſum eſt.

Fuerat autem nobilis iſte, qui tunc temporis, cum vulnus, uti mox dicam, reciperet, vigeſimum tertium annum ætatis prætergreſſus erat, per annos aliquot Burgi Seguſianorum in ſubſidio Regio: ubi ſub Generoſo & ſtrenuo Viro Dn. Petro de Boyſſe, Barone in Pardaliari, &c. ibidem nomine Henrici Magni Regis Chriſtianiſſimi Gubernatore, ſigniferum egit.

Porrò vigeſima prima Menſis Julii Ann. 1608. prędictus Dn. de Boyſſe, cum ad venationem apri eques exſpaciari vellet, voluit ut Dn. Wallier, ſimul & quidam ex officiariis propugnaculi ipſum comitarentur. Circa ſeptimam itaque horam matutinam ad ſylvam, quæ horæ unius itinere aut circiter ab oppido & propugnaculo Bourg diſtat, perveniunt.

Deſcendunt, ac aprum hinc & inde quærunt. Quum autem omnes diſperſi eſſent, ac unus hic, alter illic aprum inter dumos exſpectaret, accidit ut prædictus officiarius (audito cane in aprum latrante) hinc inde perſpiciens, ante ſe in dumo quodam, neſcio quid ſubmovere viderit.

Quum verò nihil aliud cogitaret, quàm aprum ibidem latitare, ſclopetum explodit. Sed proh dolor loco apri, nobilis iſte VVallier ictum in coxam ſiniſtram recepit, protinuſque in terram cecidit.

Bombarda autem tribus globulis, quorum unuſquiſque drachmas ſeptem & duos ſcrupulos pondere æquabat, onerata fuerat. Horum unus bombardam nobilis ægri perfregit: Alter ad coxam caligas, illæſa tamen cute, trajecit.

Tertius verò globulus cum externam partem femoris intraſſet, ac os femoris in medio offendiſſet, illud omninò confregit, cum maxima muſculorum & vaſorum dilaceratione, & conquaſſatione: Interim tamen etſi vulnus maximum eſſet, attamen nulla ferè, ut ab ipſo ægro, Medico, & cheirurgis mihi relatum fuit, ſupervenit hæmorrhagia. Ab initio enim, inquit præſtantiſſimus Vir Dom. *Ambroſius Paræus,* ex hujuſmodi vulneribus parum effluit ſanguinis, idque cum propter maximam contuſionem, quam adfert globulus, tum etiam propter ingentem agitationem commotionemque aëris, qui ſpiritus ad internas & circum jacentes partes vulneris repellit: Uti manifeſtè in illis, quibus membrum aliquod integrum, globulo tormentario bellico amputatum eſt, apparet.

Porrò in nobili noſtro ægro, impetus ictus, & alliſio globuli ad os, adeò vehemens ac magna fuerat; ut globulus ipſe, (uti egòmet vidi) medius, non ſecus ac ſi cultro diſſectus fuiſſet, ruptus fuerit. Quapropter ipſius vis atque impetus, quum adeò interruptus atque abolitus eſſet, ut ulterius progredi non poſſet, inter cutem & muſculos remanſit.

Quum verò, & quidem non ſine maxima difficultate, ad propugnaculum perveniſſet, clariſſimus atque doctiſſimus vir *Janus de Burgo,* Philoſophus inſignis, & Medicus celeberrimus, Magiſter item *Antonius Scaly* Cheirurgus, in conſilium vocati, coxam totumque crus, ad tibiam ſupra modum intumefactam deprehenderunt, globulum verò ex interna parte femoris prope cutem repererunt.

Eum porrò, quum inciſa prius cute, abſque difficultate & hæmorrhagia extraxiſſent, ac cum alio quodam globulo ejuſdem bombarbæ in trutinam projeciſſent, & vix dimidium pondus alterius globuli ponderare animadvertiſſent; attoniti fuerunt. Poſt quatuor tamen dies ad latus vulneris, quod ex interna parte femoris novacula fecerant, reliqua pars globuli ſeſe in conſpectum exhibere cœpit, ibique facta inciſione, extracta fuit.

Quomodo autem globulus, ita uti dixi, in duas partes fiſſus fuerit, admiratione non vacat: Cum id in plumbo, propter ſui mollitiem difficulter fieri poſſe, omnibus in confeſſo ſit. Sed tantus fuerat impetus, & contra os alliſio globuli, oſſis quinetiam perfractio atque contritio, ut globulus, proculdubio, in ipſo ictu à fragmento quodam acuto oſſis, in duas partes fiſſus ac diviſus fuerit.

Hęc propterea adſcribo, ut maxima illa ac ingens fractura & comminutio oſſis, carniſque & vaſorum dilaceratio atque contritio, inde eo magis innoteſcat, appareatque.

Eadem autem die Dn. *Claudius Chapuſius* Cheirurgus inſignis, ex vicino oppido S. Amour, protinus quoque accerſitus, ſub veſperam appulit.

Tum congregatis cum ipſo Dn. D. *de Burgo* Medico & Mag. *Antonio Chaly* cheirurgo, &, ſolutis faſciis, principium gangrænę, quæ ſe ad inguen ferè uſque extendebat, jam adeſſe repererunt: idque præcipuè ex interna parte femoris. Quamobrem Dn. Chapuſius reliquorum cum conſenſu, quicquid ipſis ſuſpectum videbatur, novacula ſcarificavit, medicamenta quinetiam, quæ in gangræna requiruntur, applicuit,

Gangrænam autem hanc, ex maxima illa contuſione carnis & vaſorum, oſſis quinetiam fractione, & ſanguinis extravenati abundantia, accidiſſe, veriſimile eſt. Sanguis enim, ut Hippocrates ſcriptum reliquit, atque experientia docet, ſi in ventrem præter naturam effunditur, neceſſe eſt ſuppurari.

Ad gangrænæ quoque procreationem ſumma illa ęgri imbecillitas non parum faciebat. Ita enim vires, ſtatim ab initio, & ut ita dicam, in ipſo momento, proſtratæ fuerunt, ut excrementa omnia involuntariè redderet. Quod autem grangræna tam citò, nimirum eadem die ſupervenerit, admiratione non vacat. Ego illam propter ſummam humiditatem loci affecti, affluxum maximum humorum, ingentemque aëris calorem, & caloris nativi in ægro imbecillitatem ſuperveniſſe, arbitror. Supervenerant quoque ſtatim ab initio dolores ingentes, febris continua, inquietudines maximæ, ac vigiliæ.

Etſi verò adſtantes de recuperanda valetudine penè deſperarent. Medicus tamen & cheirurgi, ut ſymptomatis omnibus rectè & methodicè proſpicerent, omnes intendebant nervos. Victus rationem optimam & convenientem præſcribebant, potiones cordiales corroborantes, & refrigerantes exhibebant, Regioni cordis epithemata admovebant: corpus quinetiam à pravis humoribus expurgabant.

Loco verò affecto unguenta, cataplaſmata, inunctiones, & ſimilia, quæ dolorem leniunt, pus promovent, & putredini adverſantur, applicabant. Interim nihilominus gangræna ita progrediebatur, ut quarta die morbi, iterum de novo ſcarificare, & fortiora medicamenta applicare coacti fuerint: quibus Deus Opt. Max. ita benedixit, ut gangræna omninò ceſſaverit: etiamſi reliqua ſymptomata indies accreſcerent.

Alia quoque ſymptomata moleſta & laborioſa, calcanei ſcilicet, & è regione coccygis, inflammatio atque exulceratio ſupervenerunt. Illa autem procul dubio propter continuum decubitum, & quod corpus propter virium labefactationem & imminutionem ſpirituum, grave redditum fuerat, advenerunt. Symptomata hæc Medico atque cheirurgis multum negotii faceſſebant. Quàm periculoſæ enim ſint inflammationes prędictarum partium, ſciunt practici, & ex libro Hippocrat. de fracturis, Paræo lib. 15. cap. 27. & tractatu meo de gangræna & ſphacelo ſcire licet.

Tandem nihilominus poſt multos ac indefeſſos labores Medici, & cheirurgorum, ſed inprimis per ſingularem clementiam Divinam, ſymptomata circa talum & coccygem, ad optatum finem pervenerunt.

Circa vulnera autem & fracturam in femore, quum ſymptomata indies accreſcerent; Generoſo viro *Dn. de Boyſe* Gubernatori propugnaculi ob ſingularem ſuam in ęgrum benevolentiam & amorem viſum fuit, ut Medici & Cheirurgi convocarentur, & de morbo inter ſe conferrent. Præter prædictum itaque Dn. Doctorem *Janum de Burgo*, *Chapuſium* & Mag. *Antonium Chaly*, tertius quoque Cheirurgus, Vir uti ſenex ita quoque uſu longaque rerum Cheirurgicarum experientia inſignis practicus, accerſitus fuit. In iſta porro conſultatione tertius ille Cheirurgus propoſuit: tres faciendas eſſe inciſiones circum circa fracturam, unam in externa, alteram ex interna parte femoris, ubi globulus duobus in locis jam exciſus fuerat: tertiam denique ex anteriori parte. Inciſiones autem iſtas ad os uſque, & ſpithamam longas faciendas eſſe volebat.

Idque in eum finem, ut fragmenta omnia oſſis ſimul ac ſemel eximi, extrahique poſſint: & curatio brevis ac facilis efficeretur. Clariſſimus verò Dn. de Burgo, Dn. Chapuſius & Mag. Antonius operationem hanc, propter metum hæmorrhagiæ mortiſque diſcrimen, non eſſe adminiſtrandam, proponebant. Quapropter etiamſi tertius ille Chirurgus, ad undecimum uſque diem apud ægrum commoraretur, lapidemque huncce quotidiè ferè moveret, & nonnulli ex adſtantibus, & quidem ex primariis, hujus quoque eſſent ſententiæ, nihil tamen hac in re tentatum fuit, Dominus enim de Burgo planè ſibi (& rectè quidem) perſuaſum habebat, non ſufficere, citò velle curare, niſi id ſimul tutò & jucundè fieret.

Cæterùm etiamſi hujuſmodi operationes tutò & abſque extremo dolore, & periculo vitę, fieri non poſſe, etiam eis, qui mediocriter in Anatomicis verſati ſunt, notiſſimum ſit, in artis tamen cheirurgicæ ſtudioſorum gratiam, antequam in narratione hiſtoriæ ulterius progrediar, id paucis exponere non abs re eſſe duxi.

Quicunque operationem aliquam cheirurgicam cum fructu inſtituere cupit, is ut ea quæ ſequuntur, perpendat, examinetque neceſſe eſt. Vires nimirum, locum affectum, & neceſſitatem operationis.

Vires autem inprimis & ante omnia ſunt examinandę, præcipuè in magnis & periculoſis operationibus. Niſi enim validæ fuerint, vix ægrum evadere poſſe, certum eſt. Ubi enim vires deficiunt, fruſtra laborat Medicus, quapropter potius ab operatione deſiſtere convenit, quam nomen mali Medici ſibi comparare. Quales autem in hoc noſtro ægro fuerint vires ex iis quæ dicta ſunt, apparet. Tunc temporis enim vires, propter doloris vehementiam ſupra modum, & ita quidem erant proſtratæ, ut excrementa involuntariè profluerent: & nihil aliud præter mortem in propinquis eſſe exſpectarent adſtantes. Quandoquidem febris continua, inquietudines maximæ, lipothymiæ, cibi faſtidium, aliaque graviſſima ſymptomata aderant.

Itaque quomodo in iſta operatione, tamque doloroſa, ipſum perſiſtere, & tantam effuſionem ſanguinis, & ſpirituum ſufferre potuiſſet, non video.

Præterea locus affectus diligenter examinandus eſt, & an in ipſo operatio tutò fieri poſſit, perpendendum. Nonnunquam enim operatio aliqua facienda eſt, ſed locus affectus illam non admittit: etiamſi vires validæ fuerint, & necesſitas illam requirat. Sed videamus nunc, an in hoc noſtro ægro operatio illa propoſita, ratione loci affecti, tutò fieri potuiſſet? Tres, ut dixi, faciendas eſſe inciſiones volebat, ex utraque ſcilicet parte femoris unam; tertiam verò ex anteriori parte. Quantum ad illam, in externa parte femoris, quartus, quintus, & octavus femur moventium muſculi, qui jam ab ictu & globulo mirum in modum dilacerati fuerant, de novo incidendi fuiſſent.

In anteriori verò parte femoris, præcipuè octavus, ac nonus tibiam moventes muſculi, qui unà cum ſeptimo tibiam moventium muſculo, in validiſſimum ac amplum tendinem, qui patellam, ſive rotulam apprehendit, ac anteriori parte tibiæ inſeritur, conſervari minimè potuiſſent.

Quæ autem ex iſta operatione ſequuta fuiſſent ſymptomata, ſi quis compoſitionem, & ſtructuram horum muſculorum examinet, (vaſa enim multa venarum & arteriarum, membranas item exquiſitiſſimo ſenſu præditas continent) facilè ſcire poterit.

Præter hæmorrhagiam itaque inevitabilem dolor ingens, ſpaſmus, inflammatio, febris, vigilię, aliaque peſſima ſymptomata exſpectanda erant. Idque non ſolùm propter inciſionum magnitudinem, verùm etiam quia corpus pravis humoribus oneratum, obſtructionibuſque quinetiam viſcerum affectum erat.

Inciſio præterea ex interna parte femoris, vix illam (ut de muſculorum & nervoſarum partium læſione taceam) abſq; abſciſione magnæ illius crus petentis venæ propaginis fieri potuiſſe, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum.

Hinc de hæmorrhagia maxima ſpirituum diſſipatio, & ſubita mors ſequuta fuiſſent. Exempla non deſunt. Cuidam enim Germano & magni nominis viro cum tem-

temerarius empiricus, tumorem ſcirrhoſum ex interna parte femoris, ubi prædictus ramus deſcendit, excidere vellet, ac ramum iſtum novacula offendiſſet, ſequuta eſt hæmorrhagia adeò magna, ut unà cum ſanguine, etiam animam è momento efflaret.

Sed ponamus caſum, inſignem aliquem anatomicum &c. Chirurgum, inciſiones haſce omnes abſque periculo (quod tamen fieri non potuit) perfeciſſe, quid tamen utilitatis ægro inde adveniſſet, nondum video. Oſſicula enim omnia, quæ propter violentiam ictus, hinc & inde per partes muſcoloſas diſperſa fuerant, invenire minimè potuiſſet. Videmus id in carne animalium, etiamſi enim coquus diligens oſſicula quam diligentiſſimè ex carne extraxerit, fieri tamen nunquam poteſt, quin poſt cocturam inter maſticandum, (præcipuè ſi os aliquod magnum, & in parte muſculoſa perfractum fuerit) fragmentum aliquod, inveniatur. At ſciunt practici, minimum quandoque fragmentum oſſis, non minora, ac ſi magnum eſſet, faceſſere negotia, curationemque in longum tempus protrahere.

Tertiò neceſſitas perpendenda eſt, hoc eſt, an hæc vel illa operatio requiratur? Si enim neceſſitas urget, vires & pars affecta conſentiant, minimè procraſtinanda erit operatio; Sin minus, ad quid prodeſt ægrum torrentis excruciare? Sed videamus nunc, an propoſita operatio in ægro noſtro requirebatur, anque utilis fuiſſet? Ego planè perſuaſum mihi habeo, omnia illa oſſicula, quæ ab ictu perfracta, & contrita fuerant, minimè extrahi debuiſſe. Pars enim oſſium fractorum, dum callus generatur, denuò coaleſcit, atque reliquis oſſibus, mediante callo, agglutinatur. Hæc autem ita fieri, non ex ſimplici conjectura ſcribo; Sed rem ita ſeſe habere ipſa experientia, & ocularis inſpectio me edocuit. Habeo enim in Muſæo meo oſſa plurima, olim graviter confracta, & comminuta, ac denuò per callum conglutinata; In quibus etiamnum veritas eorum, quæ jam jam dixi, videre licet. Varia enim fragmenta in tranſverſum, & obliquum poſita, in eis viſuntur. Tam ſagax & provida eſt natura, in generatione calli, & oſſium agglutinatione. Inter reliqua autem oſſa, duas habeo coſtas, quæ cum ambæ ita perfractę eſſent, ut fragmenta ad invicem ſeſe attingerent, per callum in medio tam eleganter, ac fortiter conglutinati fuerunt, ut potius ad latus quam in ipſo callo diſrumpi poſſint. Id autem, ſi in coſtis, quæ ſe invicem, ratione muſculorum intercoſtalium, non attingunt, accidit, cur quæſo in magnis oſſibus, in quibus proprium alimentum, ex quo, ut Galenus teſtatur, callus generatur, ſuperabundat, non fieret?

Sed ut paucis abſolvam, quemadmodum non omnis caro contuſa, uti indies in praxi videmus, putreſcit, & in pus convertitur, ſed ea tantummodo quæ ita contuſa eſt, ut nullum amplius in ſe contineat vas integrum, per quod ſpiritus, & ſanguis in partem læſam influere poſſint, ſic quoque de oſſibus æſtimandum eſt. Quandoquidem ea, quæ nondum penitus à perioſtio ſuo ſeparata ſunt, per callum denuò agglutinari facile poſſunt. Illa porro oſſicula ſi quis vi extrahere, & à perioſtio, membrana exquiſitiſſimo ſenſu prædità, abrumpere vellet, graviter à via recta aberraret, & infinita ſymptomata, veluti, dolorem, inflammationes, delirium, convulſiones, & hujuſmodi excitaret.

Exſpectandum enim (ut recte moment Medici) eſt naturæ auxilium, donec ipſa oſſa veluti ad maturationem perducat, & à ſua membrana ſeparet; ac propellere incipiat, hinc Avicenna (loquens de fruſtis oſſium, in ulceribus relictis) rectè ſcribit. *Illud*, inquit, *quod eſt melius, eſt ut non feſtinetur in extractione eorum: imo dimittantur naturà & adjuventur; Et illud cum attractione pauca eorum quæ extrahunt in ſpacio, & non feſtino, &c.* Et paulo poſt. *Nam cum tu properas & extrahis ea violenter, tunc eſt in eis timor ſpaſmi & permixtionis, & febrium. Theodoricus* lib. 2. c. 27. eadem habet verba. Rectè itaque Medicus ſimul & Cheirurgi fecerunt, quod ab initio morbi extractionem fragmentorum oſſium non tentaverint. Hæc tamen in calvaria fracta, ubi oſſa membranas cerebri pungunt, minimè intelligenda eſſe, cenſeo. Illa enim, ut Hippocrates, lib. de vulneribus capitis docet, protinus, & ante tertium, aut quartum diem, ſunt extrahenda. Si enim fragmenta, quæ membranas pungunt, diutius relinquantur, ſpes in anguſto poſita eſt.

Cæterum in hôc noſtrô ægrô, omnia oſſa, quæ ob violentiam ictus perfracta fuerant, non excidiſſe, ex magnitudine calli cognoſcere licet. Callus enim ultra ſpithamam longus, bellè apparet, & per totam ſui vitam apparebit: Hinc fracturam ejus fuiſſe magnitudinis, ſatis ſuperque liquet: ubi enim fractura non adeſt, ibi quoque non generatur callus. Deinde, etiamſi maxima fuerit fractura, atque contritio oſſis, non tamen pro magnitudine fracturæ exciderunt. Numerò enim viginti circiter quatuor fragmenta tantummodo exempta fuere, inter quæ quatuor, quæ Burgę, non tamen ab initio morbi, ſed poſt aliquot menſes, naturę beneficiò exciderunt, (pręter ea quæ ego tandem extraxi) majora ſunt: reliqua craſſitiem piſi, aut lentis non excedunt.

Inter omnia autem fragmenta, quę exciderunt, quæque ęger veluti res pretioſas conſervat, nullum occurrit os quod alteri poſſit adjungi, atque adaptari, ut aliquis dicere poſſit, hæc, vel illa duo fragmenta antea fuiſſe conjuncta. Quæ autem, quæſo, hujus rei eſt cauſa? profectò nulla alia, quam quod major pars fragmentorum remanſerit, & per callum agglutinata fuerit.

Minimè itaque utile atque conſultum fuiſſet, ſi ab initio fragmenta omnia, quæ ab ictu fracta, & veluti ſeparata erant, extraxiſſent. Quum enim, ut ſciunt practici, neceſſe ſit, ut ambæ extremitates oſſis fracti, quę conjungi debent, ſeſe attingant, antequam callus generari poſſit, ac fractura in noſtro ægro ſpithamam longa erat, mirum in modum retractum, & depravatum fuiſſet femur, ſi quicquid confractum extraxiſſent. *Magnum enim (Hippocratis verbis utor) dedecus eſt, ac detrimentum, femur brevius efficere. Nam ſi quidem manus brevior fiat, & occultari poterit, & non eſt magnus error. At crus ſi brevior fiat claudum hominem efficiet. Sanum enim crus longius eſt, & id redarguit, &c.* Cæterum quia major pars fragmentorum remanſerit, ut antea oſtendi, factum eſt ut callus factus ſit validus, & magnus, neque femur ultra longitudinem trium digitorum, in latitudinem poſitorum, brevius exiſtat. Ex quibus abſurditas conſilii cujuſdam cheirurgi Rheti, qui callum poſt decem menſes iterum medicamentis emolliendum, ac frangendum, ipſiuſque eminentias forcipe, & ſcalpris abrumpendas eſſe, ægro, cum in thermis Piperinis eſſet, ſuadebat. Callus enim tunc quoque temporis ita confirmatus, roboratuſque erat, ut femoris os potius ad latera calli, quam in ipſo callo fractum fuiſſet. Nec video quomodo id, quod ita induruit, medicamentis iterum emolliri potuiſſet.

Os quoddam fractum, & mirum in modum contritum, poſt menſes tres, ab accepta fractura, ad manus meas pervenit. In ipſo cùm decoctionibus & fomentationibus, oleis & ſimilibus emollientibus, experiri vellem, an callus emolliri poſſet, multum, ſed fruſtra laboravi. Nullus enim quantumvis robuſtiſſimus, hactenus callum hujus oſſis, ambabus manibus frangere potuit; Reſervo illud huc uſque in Muſæo meo, in quo hinc inde fragmenta oſſis, decuſſatim poſita, ac callo connexa, agglutinataque conſpiciuntur. Vana itaque & frivola eſt jactantia quorundam Empiricorum, circumforaneorumque qui ſe in osſibus fractis, & male, aut incurvatè curatis, callum poſt longum quoque tempus, medicamentis emollire ac denuò refrangere,

gere, oſſaque in priſtinam ſedem reponere poſſe gloriantur. Cujus operationis ne verbum quidem apud Hippocratem, aut Galenum habemus. Contra Hippocrates libro de fracturis, hunc in modum ſcribit. *At vero, inquit, ſi femoris os fractum fuerit, extenſionem præ omnibus facere oportet, ita ut ne defectuoſus fiat. Magnum enim dedecus eſt ac detrimentum, femur brevius efficere, &c.*

Et paulò poſt. *Quare utilis fuerit, ut ſi quis male curandus ſit, ambo potius crura fracta habeat, quam alterum tantum, æquilibris enim ipſe ſibi ipſi fuerit hoc modo.* Hic de emollitione & fractione calli, ne jota quidem habet Hippocrates. In principio tamen morbi, & antequam induratus fuerit callus, ſi oſſa non ſatis rectè repoſita fuerint, callum denuo medicamentis emolliendum, oſſaque reponenda eſſe, cum Paræo, libro 15. cap. 29. concedo. Eâ tamen diſtinctione, ut neque tumor, neque inflammatio adſit: quæ ſi adfuerint, ante operationem removenda ſunt. Verum ſi jam occalluerit, & in lapideam naturam verſus ſit, *Veſalii* verbis utor, attrectandum nullo prorſus pacto eſſe arbitror. *Id enim & dolores acerbos, & inflammationes excitat.* Et nonnunquam etiam mortem; Paræus & Jeſſenius eadem fere habent verba. Neque hæc eſt doctrina Neotericorum ſolummodo, verum & Guidonis, & Avicennæ; qui ſic ſcriptum reliquit. *Quandoque*, inquit, *fractura eſt reſtaurata non ſecundùm quod oportet: & eſt neceſſarium, ut iteretur ejus fractura, quare oportet ut reſtaurator ſciat diſpoſitionem alrosboth, qui reſtauravit os. Quod ſi fuerit magnus, fortis, non vadat ad frangendum ipſum ſecundo, fortaſſe enim non poſſibile ut frangatur ex loco fracturæ prima, propter fortitudinem alrosboth, quare frangetur in alia parte loci. Et Albucaſis; Tortuoſitas*, inquit, *quando accidit membro poſt ſanationem ejus, & eminentia oſſis fracta, aut nodatio, & fœdatur per illud forma membri, tamen membrum non prohibetur ab operatione ſua naturali: Cave ſtolidorum medicorum exemplo, denuo membrum loco ſuo & ſanitati reſtitutum, frangas. Nam inventi ſunt adeo amentes, qui hoc fecerunt, quod temerarium & inſanum factum, perdit ſæpe aliquod membrum, nonnunquam totum hominem perdit.* Hujus quoque opinionis ſunt *Bruno* & alii. Non potuit itaque hujuſmodi operatio à ChirurgoRheto propoſita, abſque mortis diſcrimine adminiſtrari, præcipuè in hoc noſtro ægro, qui naturâ non uſque adeò validus ac robuſtus eſt. Atque hæc de fractione calli, in gratiam tyronum adſcribere placuit.

Sed redeamus nunc unde digresſi fuimus, diximus, ab initio excretionem involuntariam excrementorum, propter ſummam virium labefactationem ac proſtrationem, ſuperveniſſe. Excretio porro iſta, in fluxum veluti hepaticum converſa fuit, & per dies non nullos continuavit, neq; abſque moleſtia, magna cum utilitate tamen ægri. Quandoquidem hoc modo, corpus jam antea per annos aliquot obſtructionibus viſcerum, hepatis ſcilicet, ſplenis, & venarum meſaraicarum obnoxium, a pravis iſtis, atque excrementitiis humoribus exoneratum, febris quinetiam continua, ex parte imminuta fuit. Interim tamen femur malè affectum, propter abundantiam humorum, qui ſimul deorſum fluebant, non exiguum damnum inde recepit. Adeò enim copioſè humores excrementitii in partem affectam deſcendebant, ut maxima inde doloroſa, nec non periculoſa ſequuta ſit totius cruris, ſed præcipuè circa genu intumefactio. Quamobrem ne propter abundantiam illam humorum excrementitiorum, calor nativus extingueretur, quin potiùs ſeroſi iſti humores evacuarentur, quatuor cauteria potentialia applicuit Dn. Chapuſius, nimirum duo ad latera rotulæ, reliqua ad poplitem, unum videlicet ex interna, alterum verò in externa parte ſuræ. Ex illis porro fonticulis, materia ita copioſè effluxit, ut intumefactio totius cruris inſigniter multumque inde imminuta fuerit. Cùm autem omnes de morbo bene ſperarent, ac ſymptomata omnia aliquo modo imminuta eſſe viderentur; Ecce novus inſurgit hoſtis. Quarta enim die, poſt cauteriorum applicationem, quum natura ſeſe per ea magis magiſque exonerare vellet, via tamen nondum ſatis pateret, ita in corpore commoti fuerunt humores, ut exorto prius dolore vehementisſimo totius cruris, denuò aucta ſit febris, humores quinetiam de novo tam copioſè affluerent, ut cuncti nihil aliud quàm gangrænam proximam eſſe, timerent. Medicus ac cheirurgi iterum omne ſtudium, omnemque diligentiam ac laborem, ad profliganda ſymptomata, fideliter impendebant. Corpus itaque ſemel atque iterum rhabarbaro, ſena, ſyrupo roſato ſolutivo compoſito, mannâ, casſiâ, & ſimilibus, à pravis humoribus expurgabant: venam in brachio ſecabant: Coxam ſcarificabant: medicamenta quinetiam topica, prout necesſitas imperabat, & diverſa ſymptomata requirebant, applicabant: quibus Deus Opt. Max. ita benedixit, ut æger à gravisſimis iſtis ſymptomatibus, inflammatione ſcilicet, dolore, & principio gangrænæ, liberatus fuerit. Poſtea ad primam curandi Methodum redierunt. Cauteria potentialia quod attinet, anque in eorum applicatione error, uti nonnulli arbitrati ſunt, commiſſus fuerit, deinceps ſuo loco fuſius declarabitur: nunc autem, quæ pręterea advenerunt ſymptomata, notanda ſunt.

Ab initio morbi uſque ad 20. diem Menſis Aprilis, nimirum novem menſium ſpacio, rarisſimè abſque febre fuit æger. Illa autem ab initio per dies multos continua, poſtea verò tertiana, jam ſimplex, jam duplex fuit. Febris illa etſi aliquando propter ſedulam diligentiam *Dn. D. de Burgo* Medici, optimamque, ac exquiſitam victus rationem, quam ęger obſervabat, per dies aliquot, aut habdomadam unam, aut ad ſummum alteram, intermitteret, revertebatur tamen mox, ægrumque iterum extorquebat. Quum autem ita uti dixi, febre, doloribus, inquietudinibuſque, vigiliis, atque infinitis aliis ſymptomatibus exerceretur æger, novo, nec non gravi quodam morbo, fame, ſcilicet inſatiabili fere, cum maximo oris ventriculi morſu & roſione, Menſe Novembri correptus fuit. Appetitus adeò erat vehemens, ut difficulter obſaturari poſſet æger. Etiamſi enim ſingulis viginti quatuor horis cibum ad minimum quinquies, & quidem ſatis lautè aſſumeret, vix tamen menſa menſam exſpectare potuit. Potum contra, non uſque adeò appetebat. Cibum retinebat, neque illum indigeſtum per alvum rejiciebat: nec vomitus ullus aderat. Poſteaquam morbo hocce graviſſimo per menſem integrum laboraſſet, & ſumma cum difficultate, magniſque laboribus, & diligentia *Dn. D. de Burgo* Medici vix curatus eſſet, iterum in febrim tertianam incidit. Febris hæc cum vomitu vehementi ipſum invaſit. Superveniebant & deliria, vigiliç, inquietudineſque maximæ. Febris hæc per duorum menſium ſpacium ægrum mirum in modum excruciavit: interim tamen appetitum iſtum immoderatum ita delevit, abſtulitque, ut deinceps ne minimum quidem iſtius veſtigium ſenſerit. Finita febri, fragmenta oſſium ſeſe offerre, & excidere incipiebant.

Porro famem hancce inſanabilem non ſolum ægris, & ex morbis convaleſcentibus, verum etiam aliquando eis, qui optima ſanitate frui videntur, accidere obſervavi. Addam exemplum unum, Anno 1594. Cùm Colonia Reinbachium ad Nobiliſſimum ac Strenuum Virum *Dn. D. de Brembt*, Reverendiſſimi Epiſcopi Colonienſis Conſiliarium prudentiſſimum, & Satrapam in Reinbach vigilantiſſimum, morbo graviſſimo laborantem, vocatus eſſem: & per menſem ferè integrum apud ipſum moram traherem, Presbyterum ejus Oppidi, hominem quadraginta circiter annorum ętatis, robuſtiſſimum, & optimo corporis habitu præditum, familiariter cognovi. Is bona fide mihi retulit,

lit, ſe ſeptem annorum ſpacio, fame veluti inſatiabili, tam vehementer laboraſſe, ut ſæpiſſimè in agris (non habens penes ſeſe cibum) humi ſeſe projicere, gramina & herbas abſcindere, ac crudè devorare coactus eſſet. Uſus autem fuerat medicamentis quamplurimis, ſed abſque ſucceſſu. Tandem verò anno ſeptimo morbi, neſcio quâ evacuatione criticâ factâ, à morbo iſto feliciter liberatus fuit; & poſtea per multos annos ſanus & incolumis vixit.

Quùm verò morbus ita in longum tempus protraheretur, Nobiliſſimus Vir *Dn. Wallier*, ægroti parens, Paterniaco ad S. Albinnm me advocari juſſit: & ut Burgum proficiſceret, filiumque ſuum viſerem; opem quinetiam, ac conſilium ſibi communicarem, & quidnam impoſterum faciendum, indicarem, à me poſtulabat. Burgum itaque quarta Aprilis perveni, ægrumque adhuc in grabato decumbentem inveni: Propter ſummam enim imbecillitatem femoris, & febrem (quæ ex leviſſima etiam occaſione eum invadebat) è grabato ſurgere, & ſuffulcris ſeſe inniti, auſus nondum fuerat; imo ne corpus quidem tantum ſublevare potuerat, ut miniſtri excrementa pelvi aliquâ excipere poſſent. Ulcera aderant tria, unum quidem in interna, reliqua duo in externa parte femoris: quorum unum globulus, ubi intraverat, alterum verò natura, ad expellenda oſſium fragmenta, fecerat. In omnibus autem iſtis ulceribus, immiſſo ſtylo exploratorio, oſſa denudata inveniebantur. Genu quaſi immobile, & pes verſùs talum internum incurvatus erat.

Poſt dies aliquot, Clariſſimo Viro *Dn. D. Jano de Burgo* Medico celeberrimo, *Dn. Claudio Chapuſio*, nec non *M. Antonio Chaly* mecum congregatis, (ut quid inpoſterum agendum eſſet, conſultaremus) deliberatum fuit. Primò ut æger aërem mutaret. Cum enim Burgi & præcipuè in propugnaculo, propter ſtagnorum copiam, aër adeò ſit humidus, atque inſalubris, ut pauci inter extraneos eò abſque inſigni damno uti poſſint, non exiguum commodum atque utilitatem ex mutatione iſta, ægrum capeſſurum, ſperabamus. Secundò ut in patria potionibus, electuariis & ſimilibus, ad reſerandas obſtructiones viſcerum, corroborandaſque partes nobiles, uteretur. In eum finem Dn. D. de Burgo, quæ ſequuntur remedia, præſcripſit.

℞. Succorum fumariæ, Agrimoniæ, Cichorii agreſtis, ana ℥iiij. Succi limonum depurati ℥vj.

In quibus macera horis viginti quatuor foliorum ſenæ mundatorum

Epithymi ana ℥j. ß. Agarici trochiſcati, Rhabarbari electi ana ℥iiij. Cinamomi optimi ℈ij. Fœniculi dulcis ʒj.

Facta infuſione, & poſtea leni ebullitione, fiat colatura, cui adde ſyrupi Roſati laxativi ℥iiij. fiant tres doſes, horis quatuor ante cibum, tertio quoque die ſumendę. Sic purgato corpore.

℞. Radicum quinque apetitivarum ℥j. Corticum radicum capparis, & Tamariſci ana ʒvj.

Macerentur ſupra calidos cineres, horis octo, in ℥iiij. oxymelitis ſimplicis, deinde in vaſe fictili vitreato coquantur in aquæ ℔iiij. adjecto:

Cichorii, Betonicæ, Chamædrios, Agrimoniæ, Summitatum lupulorum, & Herbarum capillarium ana M.j. Abſinthii vulgaris, Marrubii albi, Endiviæ, Bugloſſæ ana M. ß. Paſſularum exacinatarum, Liquiritiæ raſæ an. ℥j. Spicæ nardi, Scœnantos ana ʒj. ß. Florum Cichorii, Bugloſſæ & Violarum ana p. j. In ℔j. ß. colaturæ diſſolve Syrupi de Endivia compoſiti, Syr. de bizantiis & Acetoſæ ſimplicis ana ℥j. ß.

Sacchari q. ſ. fiat apozema clarificatum, & aromatizatum ℥j. pulv. Diarrhodonis Abbatis, pro quatuor doſibus matutinis.

Ab uſu ejuſmodi Apozematis redeat ad uſum ſyrupi purgantis, & ſic viciſſim circuitu repetito, utatur tum apozemate tum ſyrupo laxante. Finito tum apozemate, tum ſyrupo laxante, fiat eorum nova compoſitio, nec eis uti antea deſinat, quàm duodecim ſaltem dierum ſpacium ab initio ad finem uſque interceſſerit.

Si contumaciores obſtructiones his non cedant, utatur ſequentibus, ſyrupis.

℞. Agrimonii, Abſynthii vulgaris, Praſſii albi, Chelidonii majoris ana M. ij.

Contunduntur in pila marmorea, ſenſim affundendo vini albi ℔. ß. expreſſus ſuccus ſinatur reſidere. Fiat colatura, in qua diſſolve ſacchari quantum opus, factaque leni ebullitione dentur ℥iij. pro doſi, mane jejuno ſtomacho.

℞. Radicum chynæ ponderoſę & non foraminibus perviæ.

Cort. Tamariſci ana ℥j. Rad. graminis ℥ij.

Ceterach. M. j. ß. Aquæ fontanę ℔. vj.

Fiat decoctio ad ſextæ partis conſumptionem, de colatura diluat vinum in potu, quod quidem ſit album & tenuium partium.

Univerſali & epicratica purgatione adminiſtrata, utatur ſequenti electuario.

℞. Confectionis dialaccæ ʒiij. Trochiſcorum de Rhabarbaro & de capparibus an. ʒj. Mithridatii veteris ʒ. j. ß. Lumbricorum terreſtrium præpar. & Cochlearum limacum tenuiſſimè pulveriſatarum an. ʒij. Pulv. Diarrhodonis Abbatis ℈ij. Conſervæ florum calendulæ ℥. ß.

Cum ſyrupo de ſucco cichorii fiat electarium, utatur alternis diebus mane ad quantitatem unius avellanæ, ſuperepoto pauculo vino albo, aquâ cichorii diluto.

Si quandoque ſuperioribus uti pigeat, parentur illi juſcula ex pullis gallinaceis, farcitis floribus geniſtę, capparibus, uvis Corinthiacis, incoctis præterea radicibus fœniculi, petroſelini, ab interiore matrice mundatis; itemque ciceribus rubris, & præterea bugloſſa, boragine, endivia & cæteris ejuſmodi, condiantur itaque ſale communi, etſi multò melius eſſet ea, illius loco abſintii ſale, aut cremore tartari condiri.

℞. Aloes ſuccotrini, in ſucco roſarum pallidarum diſſoluti, & denuò coagulati ℥. ß. Gummi ammoniaci in aceto roſato diſſoluti, & per ſetaceum trajecti ʒij. Myrrhæ ʒiß. Radicis Gentianæ ℈ij. Specierum diatrion. ſantal. ʒj. Salis abſinthii ℈iiij. Croci ʒ. ß.

Cum melle roſato & ſucco cichorii fiat maſſa, è cujus ſingulis drachmis formentur pilulæ ſex; capiat pilulam unam, paulò ante cibum.

Foveantur & hypochondria ſequenti modo.

℞. Radicis Altheæ ℔. ß. Radicis bryoniæ & Cucumeris agreſtis an. ℥iij. Radicis apii, petroſelini an. ℥ij. Corticum radicum cappar. & Tamariſci an. ℥j. Foliorum hederæ & Sambuci an. M. ij. Ceterach M. j. Seminis agni caſti, & Abrotani an. ℥ß. Florum geniſtæ, Camomillę & Meliloti an. p. j. ß.

Fiat decoctio, quâ foveantur hypochondria utraque, vel excipiantur hæc ſacculis lineis, qui benè expreſſi applicentur hypochondriis.

℞. Ol. de capparibus, & Amygdalarum amararum an. ℥j. ß. Ol. Tartari ℥j. Bdellii & Ammoniaci diſſoluti in aceto ſcyllitico an. ʒ. vj.

Ceræ tantillum, fiat linimentum, quo calidè poſt fomentationem liniantur hypochondria.

Caveat ab uſu ciborum omnium pituitoſi, craſſi, ac feculenti ſucci promotum facientium. Quod autem ad crus affectum ſpectat, hîc prętermitto, quod nobilis æger prudenti admodum viro, doctiſſimoque Cheirurgo *Dom. Guilhelmo Fabricio Hildano* committatur, illique negotium totum, & meritò quidem concredatur. Atque hæc ſunt, quæ à Viro Clariſſimo & doctiſſimo Dn. D. Jano de Burgo Medico longe celeberrimo, Burgi præſcripta fuere. Cæterum interim dum ęger ſeſe ad iter præparat, tempúſque commodum exſpectaret, Lugdunum

dunum me contuli, idque in eum finem, ut ibidem quoque præſtantiſſimorum Medicorum opinionem atque ſententiam, de hocce tam graviſſimo affectu intelligerem. Convocatis itaque viris clariſſimis atque doctiſſimis, Dom. Jacobo Pons, & Dom. Philiberto Saraceno, Medicinæ Doctoribus longè celeberrimis, ipſis morbum cum omnibus circumſtantiis & ſymptomatibus, quantum potui, delineavi. Illa quinetiam, quæ Burgi inter nos deliberata fuêre, expoſui. Hi omnibus illis, quæ Burgi inter nos deliberata fuêre, ſubſcripſerunt: & cum mutationem aëris, tum etiam uſum thermarum, & acidularum approbavere. Lugduno quum Burgum reverſus eſſem, ægrumque in lecticam poſuiſſem, in viam nos dedimus, vigeſima die Aprillis 1609. ſtylo novo: ubi notandum, altera quoque die mutationem quandam in melius, in ægro apparuiſſe: ita quidem, ut deinceps de die in diem appetitus, ſimul & vires, mirum in modum accreſcerent: tam efficax in nobis eſt optima & ſalubris conſtitutio aëris: 25. ejuſdem menſis Neocomum feliciter pervenimus: ibique quia æger aliquo modo ex itinere defatigatus erat, per dies aliquot moram fecimus. Deinde per lacum Neocomenſem, Biellenſem & Arulam fluvium Solodurum contendimus: ubi, ut æger quotidie innixus fulfulcris ambulando ſeſe exerceret, operam dedi. Res nobis ita ad votum ſucceſſit, ut paulò poſt eques quoque hinc & inde deambulare, & paulatim unico baculo incedere poſſet. Suaſi ut interim dum tempus ad thermas aut acidulas inviſendas commodum expectaret, apozematis aperitivis, reliquiſque medicamentis Burgi, communi conſenſu à Medico præſcriptis, uteretur. Verùm quum æger decocto quodam vulnerario (quod nobilis quibam ipſi preſcripſerat, quodque ad expellenda oſſa, aliaque mira præſtanda, noſtrates ſupra modum extollunt) ex ſanicula, alchimilla, pyrola, prunella, ſabina & ſimilibus, vino coctis, ex conſilio & conſenſu parentis uteretur, totum negotium barbitonſori domeſtico, & famulis commiſi, & purgato iterum ægro, domum me contuli. De præſcripto decocto vulnerario, ter in die hauſtum bibebat: eodemque decocto ulcera abluebant, & linteum reduplicatum, nec non decocto madefactum, iterumque expreſſum, calidè applicabant adſtantes. Ab uſu tamen hujus decocti, quia (uti ego ante meum abitum ipſi prædixeram) ſummoperè ſe lædi, maximumque incommodum inde perſentiret, non ultra dies viginti eo uti potuit. Sunt enim hujuſmodi potiones (quod notandum) eis, qui obſtructionibus viſcerum, veluti hepatis, lienis, & venarum meſaraïcarum laborant, propter eorum vim aſtringentem & exſiccantem adverſiſſimæ. Quandoquidem conſtringendo & exſiccando, excrementitios humores in viſceribus retinent. Hinc dolores, tormina, hypochondriorum inflationes, ſcirrhos viſcerum, tandemque virium & appetitus proſtratio, aliaque incommoda ſequuntur. Et quia nobilis noſter æger à teneris ferè unguiculis obſtructionibus obnoxius fuerat, & ex diuturno concubitu partes nobiles labefactatæ eſſent, incommoda illa omnia, quæ recenſui, ex uſu decocti, in ſe expertus eſt.

Infelicem illum ſucceſſum decoctorum vulnerariorum, in aliis quoque obſervavi, præcipuè in nobili quodam Viro, Cacochymico, propè Lauſannam. Is enim propter ulcus circa coſtas mendoſas decocto vulnerario, ex conſilio imperiti hominis uteretur, in tertianam periculoſam incidit.

Anno 1615. Menſe Februario, Generoſus quidam, cujus nomini parco, exulceratione glandularum proſtatarum, & carunculis in meatu urinario, (quarum curationem mihi commiſerat) laborans, à quodam, præter meum conſenſum ac voluntatem, inductus fuit, ut decocto vulnerario Halviliano, ut vocant, uteretur, paruit, ac bibit ſecundum præſcriptum, verùm non ſine damno. Etiamſi enim antea corpus à me ex arte purgatum, vena quinetiam ſecta fuiſſet, non diu tamen poſt febri cum maximis rigoribus correptus fuit, qua & per dies aliquot laboravit, præſertim de tertio in tertium diem. Erat autem Generoſus hic noſter cacochymicus, & obſtructionibus à longo tempore obnoxius. De hoc decocto plura videat Lector in tractatu noſtro de Ichore & Meliceria Celſi cap. 7. Quapropter videat cheirurgus, ne temerè decocta vulneraria cacochymicis, qualis eo tempore nobilis noſter æger fuit, exhibeat.

Poſt meum abitum, quia præſcriptis potionibus, abſque inſigni damno, ultra dies viginti uti non potuerat, & thermas inviſere vellet; iterum ad me ſcripſit, ut quasnam ſibi eligere deberet, ex me intelligeret. Ego ut Piperinis uteretur, ſuaſi: duplicem enim fructum ex ipſis exſpectabam. Quandoquidem non ſolum ad obſtructiones reſerandas, parteſque nobiles corroborandas, mirum in modum conveniunt, verum etiam nervos & nervoſas partes corroborant, emolliuntque. Et ut verbo dicam, mirandas habent facultates, egregiaſque ex ſe edunt operationes, uti nobilis noſter æger in ſe expertus eſt, quemadmodum poſthac, ſi Deus Opt. Max. vitam conceſſerit, fuſius declarabo.

Nunc perpendendum eſt, quænam cauſa eſſe poſſit, quod genu adeò difficulter moveatur, anque hęc, uti nonnulli voluerunt, cauteriis potentialibus ad rotulam, ut antea dixi, applicatis, adſcribi poſſit? Item cur æger ab uſu thermarum tam exiguum fructum in crure & genu perceperit? Motui juncturarum inſerviunt nervi, muſculi, tendones, ligamenta, & humor viſcidus, in ipſis articulis contentus. Hæc omnia donec ſecundum naturam ſeſe habent, movetur articulus; contrà, ſi malè fuerint affecta, motus aut depravatur, aut omninò aboletur, ſecundum affectus magnitudinem. Si enim ligamenta, quæ articulum firmant ſtabiliuntque, aut etiam appendices oſſium eroſæ fuerint, & humor ille viſcidus, qui articulis inhæret, effluxerit, articulus omninò ſuo motu privatur. Sin nervi & muſculi, qui motui inſerviunt, lædantur, motus quidem depravatur, non tamen ſemper aboletur. In hoc autem ægro noſtro, neque ligamenta eroſa fuiſſe, neque humorem viſcidum ex articulo effluxiſſe, nunc quia nullus adeſt tumor; ac omnia circa genu ſecundum naturam ferè ſeſe habent, apparet. Cauteria potentialia quod attinet, perpendendum eſt, (quemadmodum & antea dixi) ea ipſo tempore, quo genu ſupra modum intumefactum fuit, applicata fuiſſe. Quapropter quum hoc tempore extenſa & elevata eſſet cutis, eorum vis atque urendi facultas, ad ligamenta & nervoſas partes uſque pervenire non potuiſſe, rationi conſentaneum eſt. Affectus itaque ille in genu, & depravatio motus, partim ad callum, partim quoque ad muſculos referri debet. Ad callum, quia ſupra modum præcipuè antrorſum extuberat, & veluti arcum in oſſe efficit. Ad muſculos, quia ea in parte ſeptimus & octavus tibiam moventium muſculi deſcendunt, & unà cũ nervis, à callo extuberante in altum elevantur, inflexionem genu non admittunt: adde quoque, quod muſculi & nervi à globulo, & oſſis fragmentis dilacerati fuerint. Mirum itaque non eſt ægrum tam exiguum fructum, cùm ex tot inunctionibus emollientibus, reſolventibus, & corroborantibus, tum etiam ex thermis ipſis Piperinis percepiſſe. Si enim cauſa, ſcilicet extuberantia calli & oſſis, tolli non poteſt, quis, quæſo, affectum tollere poterit? In ipſa tamen curatione, quia mirum in modum, uti poſtea dicam, imminutus fuit callus, ſequitur quoque quod æger nunc multò melius, quam antea genu inflectere, & circumagere poſſit. Quod autem ægrum à thermis exiguum fructum percepiſſe dixerim, id de expulſione fragmentorum oſſis, inflexione & motu genu intelligo: quandoquidem ne minimum quidem oſſiculum, beneficio thermarum, natura rejecerat. Verùm

rùm quantum ad roborationem nervoſarum partium, tam efficaces fuerant, ut ęger, qui in lectica, & quidem cum difficultate ad thermas conductus fuerat, eques reverſus ſit.

Nunc verò unde digreſſus fui, redeundum eſt. Dixi anteâ, Thermas Piperinas ægro præſcriptas fuiſſe. Circa principium itaque menſis Julii lecticâ Tigurum; inde in pagum Valens, thermis proximum, conductus fuit. Tigneri medicamenta purgantia; ibidem à Medico præſcripta acceperat: Stomachus tamen ea (forſan propter defatigationem ex itinere) retinere non potuit. Deſcendit itaque vallum, & in antrum ad thermas pervenit. Quas ingreſſus, ſtatim commota fuit natura, alvumque per dies aliquot; maxima cum utilitate ægri, ſubduxit. Fuit autem in thermis dies 21. Prima die horas tres, ſecunda ſeptem, tertia decem, & ſic aſcendendo uſque ad horas ſedecim, quotidie balneavit. Nonnunquam quoque ſpatio viginti quatuor horarum thermis non egrediebatur; ſed cibum in ipſis ſumebat, & ſedendo dormiebat. Totum tempus tum ante uſum thermarum, tum etiam interim dum ipſis uteretur, ac deinceps cum domum reverſus eſſet, optimam obſervabat victus rationem, & per intervalla nonnihil confectionis alkermes; cum aqua cinamomi, ad partes nobiles roborandas; jejuno ſtomacho aſſumebat.

Interim dum thermis uteretur; Cheirurgum ex oppido quodam, thermis proximo; in conſilium advocari juſſit. Suaſit ille,ut ex utraque parte femoris, os, aut ferro ignito, aut novacula detegeretur, iterum frangeretur; calluſq; ſcalpris abraderetur, aliaque inepta & abſurda proponebat: ſed occurrebant tunc ægro ea, quę de periculo iſtarum operationum, ſæpius ex *Dn. D. De Burgo, Dn. Chapuſio* & ex me intellexerat, quapropter hac in re temere; & abſque conſilio, nihil tentare voluit. Dimiſit itaque Chirurgum iſtum, & ſuo conſilio uti noluit. De abſurda hacce ſolutione, antea quoque dictum fuit.

Reverſus cum eſſet Solodurum, iterum per literas accerſitus fui: undecima itaque Septemb. ſtylo novo, Soludurum perveni, ægrumque quantum quidem ad partes nobiles ſpectat, veluti ſanum, ut ita dicam, reperi. In femore tamen & circumcirca callum quatuor erant ulcera fiſtuloſa, anguſta, calloſa: quapropter mirum non eſt fragmenta oſſis, beneficio thermarum minimè fuiſſe expulſa, ulcera enim prius dilatari & calloſitates abſumi debebant. Id, quia medicamentis antequam thermas ingrederetur, factum non fuerat, & beneficio thermarum fieri non potuit, fruſtra negotium hocce naturæ committebatur. In iſtis autem omnibus ulceribus immiſſo ſtylo exploratorio oſſa denudata percipiebantur. Ulcus unum ex interna parte femoris, reliqua tria in externa parte erant.

Curationem, ut ſequitur, inſtitui. Primò corpus ſequenti potiuncula expurgavi.

R. Herbarum Agrimoniæ, Veronicæ, Cuſcutæ, Ceterach, Scabioſæ an. M. ß. Trium florum cordialium, Geniſtæ, & Sambuci an. p. j. Liquiritiæ, & Uvarum paſſularum exacinatarum an. ℥ß. Seminis aniſi & Foliorum ſenæ mundat. an. ʒiij.

Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥iiij. In quibus infundantur & macerentur per noctem,

Rhabarbari electi ʒij. Agarici recenter trochiſcati ʒj. ß.

In expreſſione diſſolve ſyrupi roſati ſolutivi compoſiti cum Rhabarb. Agaric. & ſena, aquæ cinamomi deſtillatæ ſine vino an. ℥j.

Miſce, fiat potiuncula, detur quatuor horis ante prandium. Poſtridie, qui fuit 13. Septemb. venam in cubito incidi, & uncias circiter quinque ſanguinis extraxi. Decima quarta cauſticum meum applicui. Factâ eſcharâ, digeſtivum ſequens quotidie bis impoſui.

R. Ceræ novę ℥. ß. Terebinth. lotæ in aqua roſar. Ol. roſarum, Amygdalar. dulcium, & De vitellis ovorum an. ℥j. Gummi elemi ʒij.

Diſſolventur lentiſſimo igne, & per linteum colentur. Deinde admiſce,

Croci ſubtiliſſ. pulveriſati ℈ij. Vitellum unius ovi, Miſce, fiatque unguentum.

16. Eſcharam ſcalpello excidi, & fragmentum oſſis detexi: quod quum magnum animadvertiſſem, poſt dies aliquot cauſticum applicui. Ubi notandum, cutem & carnem, quæ fragmento oſſis adjacebat, adeò duram & calloſam fuiſſe, ut cauſticum, quantumvis copioſè applicatum, ſæpiuſque iteratum, vix penetrare poſſet. Interim tamen etſi cauſticum propter carnis calloſitatem vix penetraret; naturæ tamen & medicamentorum beneficio, fragmentum oſſis de die in diem, magis magiſque relaxabatur; tandem incepi ſingulis diebus ſemel aut bis os; forcipe apprehendere, & aliquantum & quidem clementer agitare. Id quum per dies aliquot feciſſem, adeò relaxatum fuit; ut vigeſima tertia Septembris illud abſque dolore & violentia extraxerim.

Ex motione autem atque agitatione oſſis (quod minimè erat omittendum) dolores adeò vehementes ſuperveniebant, ut famuli, qui pedem tenebant, motum atque agitationem quandam tremulentam nervorum circa talum perciperent. Primis quidem diebus non ultra genu ſe extendebat dolor iſte, tandem verò ad talum & digitos pedum uſque perveniebat: ita quidem ut nulla violentia inter movendum & agitandum os uti auderem. Verebar enim, ne ſpaſmo aut aliquo alio gravi ſymptomate corriperetur æger: adeò natura eſt tenellus, & exquiſitiſſimo ſenſu præditus. Non video itaque, quomodo cheirurgi iſti, quorum antea mentio facta fuit, violentas iſtas & doloroſas operationes, abſque mortis diſcrimine, adminiſtrare potuiſſent.

Extracto oſſe ab ulcere ſinus quidam cuniculoſus, & ſubſtantia quadam calloſa tectus, in quo & oſſicula latitabant, repertus fuit. Calloſitatem porrò illam, quum cauterio potentiali nonniſi maxima cum difficultate procedere poſſe, actuale verò aut novaculâm ægrum non facilè admittere velle viderem, aliud medium excogitare cœpi, & quomodo carnem illam calloſam filo abſcindere, ſinumque illum detegere poſſem, inveni. Stylum itaque exploratorium ex argento fabricatum & incurvatum, cui filum aliquoties reduplicatum, annexum fuit, per ulcus immiſi, filumque traduxi. Id verò ut clementer fieret, neque ſtylus carnem compungeret doloremque excitaret, ex una parte ſtylum, cui filum erat alligatum, ex altera verò parte ſtylum excavatum, ſive ut vocant ductorem, quo alterum ſtylum excipere poſſet, immiſi. Abſque hujus enim ductoris beneficio, ſtylum exploratorium, propter anfractuoſitatem ulceris traducere antea non potueram; etiamſi ſummam adhibuiſſem diligentiam.

Ita applicato inſtrumento, & faſciis parti affectæ alligato, quotidie ter, aut quater, trabem circumvolvi; ſic enim filum carnem paulatim contraxit, arcteque conſtrinxit, tandemque ſine dolore abſcidit. Interim autem dum utebar prædicto inſtrumento, digeſtivum, antea præſcriptum, filamentis ulceri impoſui, & Emplaſtum Divinum applicui. Totum femur & os ſacrum ſequentibus oleis calidè bis in die inunxi.

♃. Ol. lumbricorum, Vulpini, Anethini. Roſarum an. ℥j. Ol. de vitellis ovorum, & Amygdalarum dulcium, Pinguedinis humanæ ana ℥ j. ß. Miſce, fiat linimentum.

Quadam die, cum dolor ſuperveniſſet, ſequens applicui cataplaſma.

♃. Farinæ fabarum ℥iiij. Farinæ fœnigræci & Seminis lini ana ʒiiij. Pulv. ſem. cydoniorum ʒij. Pulv. roſarum. Chamomillæ, Meliloti ana ℥ß.

Coquantur cum decocto radicum altheæ, fiatque cataplaſma, cui in fine admiſce:

Butyri recentis, Ol. roſacei ana ℥j. Vitellos ovorum num. 2. Croci pulveriſati. ℈ij.

Miſce fiatque cataplaſma, quod calidè applicetur.

Trigeſima die Septembris, cum filum totam iſtam carnem calloſam abſcidit, iterum fragmenta oſſis in profundo ulceris ſtylo exploratorio reperi: quapropter pulverem catagmaticum, qui materiam, & ſi quid extranei ulceribus ineſt, ex profundo trahit, inſpergere cœpi, & Emplaſtum Divinum applicui. Circa principium menſis Octobris, quum æger beneficio diarrhææ, à pravis humoribus evacuatus fuiſſet, venam brachii ſiniſtri, ad ſanguinem melancholicum diminuendum, maximo cum fructu, incidi.

Porrò quia ingreſſus ille ad oſſicula, quę ſpecillo reperiebantur, adeo anguſtus eſſet, ut fragmenta inde extrahi non poſſent, ac proinde dilatatione indigeret, 8. 9. & 10. ejuſdem menſis unguentum eſcharoticum applicui, cujus beneficio facta eſchara, iterum digeſtivum, ſuperius deſcriptum, aliaque anodyna, ad caſum uſque eſcharę, applicui. Decima quinta fragmentum oſſis extraxi: deinde ſpongiam emplaſtro de betonica præparatam, ne labia ulceris coaleſcerent, impoſui.

Eâdem die ſub veſperam, iterum oſſiculum extraxi.

Hactenus ulcus ex interna parte femoris exiſtens, planè me neglexiſſe videtur: &, ut ingenue fatear, ex parte neglectum fuit. Quia enim fragmentum oſſis, quod ſtylo exploratorio perſentiebatur, maximum, (ut poſtea ex ipſius delineatione apparebit) eſſet, & profundè latitaret, tenaciterque inhæreret, contra verò ulcus anguſtum, profundum, & fiſtuloſum, non potuit extrahi fragmentum hoc, niſi prius dilatatum eſſet ulcus. At dilatatio illa, propter ramum iſtum inſignem venæ cavæ, ulceri proximum, abſque ſummo periculo fieri non potuit. Hæc cum ęger & adſtantes ex me intellexiſſent, deliberatum fuit, in curatione reliquorum ulcerum eâ quâ fieri potuit diligentiâ procedere, huic verò ulceri curationem palliativam adhibere, totumque negotium potius naturæ committere, quàm cum ſummo, imò & mortis periculo, aliquid tentare. Attamen ne pus circa prædictum os colligeretur, & grave aliquod ſymptoma excitaret, quotidie turundam pulvere catagmatico aſperſam infixi, & Emplaſtrum Divinum applicui.

Cæterùm, quum oſſiculum jamjam delineatum extraxiſſem, atque non procul ab oſſiculo illo in ulcere, ex interna parte femoris latitante abeſſe, apud me perpendiſſem, iterum nonnihil unguenti eſcharotici, circa fundum ulceris (quod jam profundiſſimum) filamentis impoſui: Quod verò reliquum erat ulceris, ſpongiis pręparatis, & unguentis anodynis illinitis, adimplevi. Factâ eſcharâ, digeſtivum, donec ipſa ablata eſſet, impoſui. Deinde iterùm unguentum eſcharoticum applicui. Idque toties iteravi, donec oſſicula illa, quę in interno ulcere ſtylo exploratorio perſentiebantur, in ulcere externo nobis in conſpectum venirent. Interim totum crus coxam & os ſacrum oleis anodinis, antea deſcriptis, inunxi, & cataplaſma anodynum applicui. Sequenti quoque Electuaria pro corroboratione internarum partium, ſæpiſſimè jejuno ſtomacho, & per horam unam aut alteram poſt cœnam æger utebatur.

℞. Conſervę florum betonicæ, Salviæ, Abſynthii Pontici, Rad. Cichorii cond. ana ℥ß. Confect. Alkermes ʒvj. Spec. Aromatici roſati, Diarrhodonis Abbatis ana ʒj.

Miſce, & cum ſ. q. ſyrupi conſer. corticum citri, fiat electuarium.

Detectis oſſiculis, quotidie turundam pulvere catagmatico aſperſam, ſubter os clementer intrudi: idque in eum finem, ut beneficio ſpongiæ, os paulatim in altum elevaretur, expelleretur que, quo tandem forcipe aliqua aut hamulo poſtea delineato apprehendi poſſit.

Vigeſima itaque prima, poſt cœnam cum ulcus curarem, duo fragmenta ſed valdè exigua extraxi: deinde turundas ex ſpongiis præparatis factas, & prędicto pulvere aſperſas infixi. Vigeſima ſecunda paulò ante prandium, præſentibus Viris nobiliſſimis *Dn. Joh. à Rosle, Dn. Philippo Staſiaco Dn. In Molondins, & Dn. Ludovico Gerhardo*, & nonnullis aliis maximum fragmentum oſſis feliciter, & fere ſine dolore, extraxi.

Atque hoc erat fragmentum oſſis, quod in ulcere, ex interna parte femoris exiſtente percipiebatur. Idque inde videre licet, quod eâdem die, quo extractum fuit, quum poſt cœnam ſtylum exploratorium immiſiſſem, neque fragmentum oſſis, neque obſtaculum ullum percipi potuerit: quapropter ab eo tempore funem, ex ſerico rubro, interlaqueatum, & pulvere catagmatico aſperſum nec non ſtylo annexum ab ulcere in extrema parte femoris exiſtente, per internum uſque, parvo cum negotio trajeci. Funis autem iſte, primis quidem diebus craſſitiem pennæ anſeris adæquabat: mundificato verò ulcere, ipſum paulatim imminuere cœpi: ad menſem tamen Februarium ferè uſque, fune iſto uſus ſum. Calloſitates enim & concavitates ſordidæ aderant: ideoque ut ulcera per menſes aliquot aperta manerent, omnem adhibui diligentiam, impoſito quotidie pulvere catagmatico, ſic enim calloſitates ulceris abſumebantur, ſordes expurgabantur, callus quinetiam qui ab initio non ſolum magnus, & deformis erat, verum etiam propter ſui extuberantiam flexionem genu impediebat, mirum in modum, & ita quidem imminutus fuit, ut æger paulò poſt abſque baculo incederet: genu quin etiam multò facilius, quàm antea, inflectere poſſet.

Interim autem dum in extrahendis oſſibus, uti dixi, laborarem, ulcus quinetiam ut ex præcedenti delineatione apparet, maximum eſſet, & oſſa adjacentes partes, præcipuè ambulando, & equitando, compungerent, exercitiaque corporis ægro tantoperè neceſſaria, impedirent. Inſtrumentum ex cupro, in formam tegumenti teſtudinis, excavatum, & oblongum fabricandum curavi. Illud ex interna parte goſſipio, & telâ cooperto & munito, vulneri ſuperimpoſui, & ita adaptavi, ut abſque difficultate ambulare, & equitare poſſet.

Poſt extractionem prędicti oſſis, incepimus totum crus, ſimul & os ſacrum, aqua theriacali, pro roboratione partium nervoſarum inungere. Parti verò læſæ ſequentem ſacculum corroborantem, quotidie bis calidè applicui.

℞. Foliorum & florum betonicę, Salviæ, Roſmarini, Majoranæ, Ivę artheticæ, Primulæ Veris, Abſinthii vulgaris, Origani, Hyperici, Centaurii minoris. Florum chamomillæ, Meliloti, Roſarum odoriferarum ana M. ß. Balauſtiorum, Nucum cupreſſi, Gallarum, Corticum granatorum ana ℥ß. Aluminis & Seminis aniſi ana ℥j.

Incidantur, & contundantur groſſo modo; indanturque, ſacculo ejus magnitudinis, ut femur ferè totum uſque ad genu cooperire poſſit: quo interſuto, vinoque rubro cocto, calidè uti dictum eſt, applicetur, ulceri verò balſamum inſtillavi, & Empl. Divinum applicui.

Nona Novembris ſequenti potiuncula corpus iterum expurgavi.

℞. Agrimoniæ, Cuſcutæ, Veronicæ an. M. ß. Sem. aniſi, Foliorum ſenæ Alexa. mund. ana ℥iij. Coquantur in aqua, ut colatura redeat ad ℥iiij. in quibus diſſolve.

Pulv. ſenæ laxat. ℈. ij. Syrupi roſati ſolutivi compoſiti cum Rhabarbaro, Agarico & ſena, Aquæ cinamomi diſtillatę ſine vino ana ℥j. Miſce, fiat potio.

Purgato corpore, cum per dies octo (propter obſtructiones viſcerum) aqua quadam diuretica uſus eſſet,

cauterio

cauterio potentiali, fonticulum in brachio ſiniſtro efformavi, idque in eum finem, ut humor, qui deorſum ad femur affectum defluere aſſuefactus fuerat, diverteretur. Ulcera tamen ad menſem uſque Junium aperta remanſere; idque maximo ſuo commodo, propter extuberantiam calli, qui fluentibus ulceribus, magis magiſque, uti antea dictum fuit, abſumebatur. Interim quoque oſſicula aliquot, tria aut quatuor, ſi rectè memini, cum pure eruperunt, tandemque ulcera omninò coaluerunt; & ita Divino favore reſtitutus fuit æger, ut per duos integros annos, non ſolum abſque baculo incederet, ſaltaret, & choréas duceret, verum etiam ad omnia exercitia nobilia pedes equeſque exercenda, aptiſſimus atque promptiſſimus eſſet. Quum autem ſuperiori Anno 1612. Æſtatis tempore, dum ego in Belgio eſſem, oſſiculum aliquod, (quemadmodum ſæpiſſimè, in hujuſmodi fracturis, etiam poſt multos annos accidere ſolet) ſeſe offerret, ad cheirurgum quendam adductus fuit, ubi ipſum de novo multis ingentibuſque doloribus, & quidem in longum tempus affectum fuiſſe; non ita pridem ex Nobiliſſimo & ſingulari virtute prædito viro *Dn. Philippo à Stafiaco, Dn. in Molondins &c.* & aliis viris fide dignis Soloduri intellexi, & quidem cum dolore.

Ceterum antequam præſenti hiſtoriæ finem imponam, monitos velim Juniores cheirurgos, utplurimum in hujuſmodi fracturis, in quibus oſſa, quemadmodum in hoc noſtro ægro, contrita & comminuta ſunt, poſt multos quoque annos, uti ego ſæpiſſimè in graviſſimis iſtis bellis, inferioris Germaniæ, obſervavi, oſſicula nonnulla erumpere; ex impetu enim globuli, per partes muſculoſas diſperguntur plurima; Alia circa callum quidem remanent, ſed propter obſtaculum aliquod ipſi annecti non poſſunt: & quia natura nihil tale in corpore noſtro ſuffert, paulatim in conſpectum veniunt. Id autem quia fit naturæ beneficio, opus non eſt, ut hac de re uſque adeò ſolicitus ſit æger. Cheirurgus verò proſpicere debet, ne extrahendo oſſicula, quemadmodum anteà quoque monui, violentia utatur. Sed præcipuum negotium naturæ committat. Interim tamen obſtacula, quæ naturam in ſuis operationibus remorantur, veluti anguſtia & calloſitates ulcerum, exereſcentia carnis, dolores, & ſimilia, removeat.

Porrò expulſio illa oſſium, vel etiam globuli, ſi aliqua in parte corporis diu delituerit, etiamſi naturæ beneficio fieri dixerim, ſemper tamen commotionem aliquam corporis adeſſe, ſat ſcio: quapropter Medicus aut Cheirurgus, qui naturæ miniſter eſt, ut ſymptomata, quantum fieri poteſt, removeat, diligens eſſe debet. Quotieſcunque itaque natura ad globulum, aut oſſiculum aliquod expellendum, ſeſe accingit, primum quod ſupervenit ſymptoma dolor eſt, cui mox affluxus humorum, inflammatio, & abſceſſus in parte affecta ſequuntur. Supervenit & ut plurimum febris, ſed ſymptomatica eſt & ephemera. Etſi autem hujuſmodi ſymptomata graviſſima & acutiſſima eſſe videantur, non propterea tamen ad ferrum & ignem (quæ uti extrema remedia, ſic quoque extremis morbis conveniunt,) confugiendum eſt. Non enim prava materia à parte ignobili ad partem principem, cujus partis officio vita carere nequit, effunditur, ſed contra, ex partibus nobilibus ad ignobiles expellitur. Et quia hujuſmodi affectus, inducias dant ſatis longas, opus non eſt, quicquam præcipitanter, ſed omnia cum præmeditatione, præcipue in delicatulis & valetudinariis, quemadmodum eſt nobilis noſter æger, agenda atque adminiſtranda ſunt. Quomodo autem ego aliquoties in hujuſmodi affectibus proceſſerim, nunc in gratiam tyronum adſcribere, & exemplo declarare non gravabor.

Ante annos circiter octodecim, cum Nobiliſſimus ac ſtrenuus Vir, Dn. Petrus ab Erlach Dominus in Bioley &c. in Gallis, ſub Chriſtianiſſimo Rege Henrico Magno, exercitum duceret, in conflictu militum vulnus ictu bombardæ, circa pedem, ſi rectè memini, dextrum, recepit. Vulnus quidem curatum fuit, globulus verò circa articulum ipſum remanſit. Poſt annos aliquot, cum Freiburgum Helvetiorum, ad ſuos reverſus eſſet, ac quadam die in venatione ſeſe nimis violenter exercuiſſet, dolor adeò vehemens circa pedem exortus eſt, ut dies noctеſque ejulare coactus eſſet. Ego acceſſitus, quum ad ipſum perveniſſem, alta voce exclamare cœpit. Utinam mi Fabrici, tecum attuliſſes ſerram. Mallem enim amputari pedem, quàm hujuſmodi doloribus diutius excruciari. Totum crus, inprimis pes intumefactus erat, & inflammatio circa cicatricem prioris vulneris & febris aderat.

Curationem porrò ſic inſtitui, victum tenuem præſcripſi: eademque die, paulò antè cœnam alvum enemate laxavi. Cicatrici, quæ elevata, emplaſtrum Baſiliconis, toti pedi verò ſequens cataplaſma anodynum applicui.

♃. Micæ panis albi ℔. ß. Pulveris ſeminis fœnigræci ℥j. Sem. meliloti, & cydoniorum an. ʒij.

Coquantur cum lacte vaccino recens emulcto ad formam cataplaſmatis, admiſce in fine croci ℈j. Ol. amygdalarum dulcium ℥j. Vitellos ovorum numero 2.

Miſce, fiatque ſ. a. cataplaſma, quod calidè applicetur. Genu & femur ſequenti linimento inunxi.

♃. Ol. roſacei, Amygdal. dulc. an. ℥j. Ol. de vitellis ovor. ℥. ß. Miſce.

Eadem die, poſt cœnam nonnihil Nepentis exhibui: hinc dolor multum imminutus fuit; ita ut ſequenti nocte bene quieverit. Poſtero die corpus ſequenti potiuncula expurgavi.

♃. Herbarum agrimoniæ, Veronicæ an. p. j. Rad. lapatii acuti, Acetoſæ an. ℥. ß. Trium florum cordial. an. p. j. Seminis aniſi, Foliorum ſenæ an. ʒij.

Coquantur in ſ. q. aquæ cichorii & acetoſæ, ut colatura redeat ad ℥iiij. in quibus infundantur per noctem.

Rhabarbari electi ʒij. Cinamomi ℈ij. Tartari albi ℈ j. ß. In colatura diſſolve Electuarii de ſucco roſarum ʒj. Syrup. roſ. ſolut. ex multis infuſionibus ℥j.

Miſce, fiat potio, detur quatuor horis ante prandium.

Purgato corpore, venam in cubito, ejuſdem lateris, incidi: loco verò affecto præſcriptum cataplaſma applicui, & femur bis in die, uti dictum eſt, inunxi. Tertia die poſt meum adventum, in pede rupta fuit vomica; idque eodem in loco, in quo globulus abſconditus atque incluſus jacebat. Pus copioſè mox effluxit, totuſque dolor evanuit, omniaque ſymptomata paulatim remiſerunt. Globulus etſi non uſque adeò profundè circa articulum ſtylo exploratorio perſentiretur, ulcus tamen quia anguſtum, & dilatationem ipſius æger admittere nollet, cicatricem iterum obducere coactus fui. Remanſit itaque globulus; neque huc uſque moleſtiam ægro peperit.

Cum fragmentis tamen oſſium alia eſt ratio. Plumbum enim, quia Alfonſo Ferreo teſtante, ſimilitudinem atque familiaritatem quandam cum corpore noſtro habet, etiam per multos annos, & quidem ad finem uſque vitæ, in parte aliqua corporis delituiſſe, ſæpiſſimè obſervatum fuit.

Exemplum memorabile hac de re Lector in ſecunda Centuria Obſervationum mearum Chirurgicarum, de globulo cerebro incluſo videre poterit. Oſſa verò penitus ſeparata, ferrum item, lignum & ſimilia, naturæ adeò ſunt inimica, ut nihil tale in corpore ſufferre poſſit. Exempla qui habere cupit, videat in prima Centuria Obſervationem de cultro, lumbis infixo. Item in tertia Centuria, Obſervationem de graviſſimo vulnere faciei

faciei inflicto. Si itaque oſſiculum aliquod ſeſe obtinuerit, clementer dilatandum eſt ulcus, idque turundis, ex ſpongiis præparatis aut radicibus gentianæ, factis. Ego ſpongiis utor, minus enim dolorificæ ſunt: illaſque emplaſtro de betonica præparo: oſſicula enim attrahit, & ſummoperè in hujuſmodi ulceribus, in quacunque corporis parte ea fuerit, convenit, præcipuè ſi aliquid gummi elemi admixtum fuerit. Ulcus ſi profundum, calloſum & non ſatis latum fuerit, unguento aliquo eſcharotico dilatandum eſt: Deinde pulvis qui ex alto ad ſe trahit, quotidie inſpergendus, aut turundis, ſalivâ madefactis, nec non pulvere prædicto immerſis, imponendus eſt. Oſſicula quamprimum in conſpectum veniunt, quotidiè leniter agitanda ſunt, donec omninò ſeparata ſint, & abſque dolore extrahi poſſint. Vi enim oſſa, ut antea quoque monui, nunquam ſunt extrahenda, niſi cum in calvaria fracta, membranas cerebri pupugerint. Carie autem ſi os contaminatum fuerit, pulvis euphorbii quotidie inſperſus, ſummoperè convenit. Cariem enim corrigit, & oſſa ſeparat: neque ipſius urendi facultas metuenda eſt: quemadmodum in ſecunda Centuria Obſerv. ſuo loco monſtravimus. Hæc omnia autem ut leniter, & abſque dolore, inprimis ſi æger natura eſt tenellus, fiant, perquam neceſſe eſt. Dolor enim omnium ſymptomatum, quæ vulneribus & ulceribus ſupervenire poſſint, (exceptâ hæmorrhagia) præcipuum, & periculoſiſſimum eſt ſymptoma: ideoque quantum fieri poteſt evitandus. Imprudenter itaque faciunt chirurgi, qui ægrorum corpora abſque inſigni neceſſitate tormentis lacerant. Si enim dolor partem aliquam externam corporis diu infeſtaverit, debilitatur non ſolùm pars illa malè affecta, propter concurſum humorum, qui exiſtit à dolore (dolor enim humores & ſanguinem, atteſtante Galeno, attrahit) verùm etiam interiora omnia inde labefactantur. Deinde propter continuos dolores, vigilias & inquietudines, intemperies calida internorum viſcerum ſuboritur, ſanguis in venis inceditur, appetitus proſtratur: nec proba fit concoctio ſtomachi, multò minus ſanguificatio in hepate. Inde multi pravi humores in corpore procreantur, quos tandem obſtructiones viſcerum, labefactatio & proſtratio virium, caloriſque nativi, qui omnia vivifica concoquit, & vitæ noſtræ veluti fomes eſt, diminutio, humidi radicalis abſumtio, aliaque graviſſima ſymptomata ſequuntur. Hæc cùm ego apud me perpenderem, circa nobilem ægrum eam adhibui diligentiam atque induſtriam, ut non ſolum prædictas operationes omnes abſque dolore ferè perfecerim, oſſaque quæ reperire potui, extraxerim, verùm etiam carnem cauſticis, ab externo ad internum uſque ulcus femoris, eroſerim, calloſitateſque abſumpſerim: uti in præcedenti narratione fuſiùs declaravimus.

Interim autem dum hujuſmodi operationes circa ulcera externa adminiſtrantur, optima victus ratio obſervanda eſt, corpus per intervalla, à pravis humoribus evacuandum: parteſque nobiles corroborandæ ſunt, de quibus omnibus, quia ſuperius dictum eſt, hìc ſubſiſto, finemque hiſtoriæ facio.

Tractatus Sclopetariæ curationis Guilhelmi Fabricii Hildani.

Seu

Vulnerum ſclopetorum ictibus inflictorum Curatio. Recens à Diſcipulo Commenſalique ſuo Johan-Henrico Lavatero, Latina facta.

MAgna viros inter literatos atque illiteratos exiſtit contentio: utrum videlicet empyreuma vulneribus ictu ſclopetorum inducatur, nec ne? Dicunt alii, glandem in cannam tormentario pulvere, aëriſque pulſu adeò incaleſcere vehementer, vulnera ut adurat: unde tot tamque varia ad empyreuma reſtinguendum ſunt inventa atque excogitata remedia. Firmis autem argumentis, certiſque non minus experimentis evincere poſſem, nullum glandi prorſus ineſſe calorem, tormentariique pulveris flammam rariſſimè ad uſque vulnera pertingere. Quia verò diſputationibus hiſce repetendis æquo forem prolixior: Lector, autores hac de re fuſius ſcribentes conſulere ne gravetur. Alii dicunt, etiam vulnera pyrium propter pulverem evadere venenoſa: id quod falſiſſimum. Experientia namque docet, omnia pulveris ingredientia, ſulphur puta, nitrum, tiliæ carbones, ſpiritumque vini, citra vitæ diſcrimen in corpus aſſumi poſſe. Quinimò ipſum plumbum experientiâ magiſtrâ, ſine noxa multos per annos in mortalium corporibus retineri. Unde colligitur, vulnera, nec propter plumbum, neque propter pulverem exiſtere venenata. Glandes autem veneno infici poſſe, facilè concedo, idque diligenter ut obſervent, chirurgos monitos volo. Unde igitur, dixerit quis, vulnera hæc, nequaquam cùm ſint aduſta, tam vehementer inflammantur, doloreque afficiuntur? Reſpondetur, id primum à vulnere plurimum contuſo, laceratiſque in ejus circumferentibus venis fieri, cum ſanguis his è vulneribus rarò exſtillet: cogitur enim contuſa caro atque extravenatus ſanguis putreſcere, in puſque converti, id quod citra inflammationem doloremque maximum accidere non poſſe, omnibus Medicinam dextrè facientibus exploratum eſt.

Dein inflammationem hanc Cheirurgorum medicamentis nonnunquam, minus aptis impoſitis, ſuſcitari: Cùm enim creditam vulnerum aduſtionem frigidis reſtinguere conantur, naturam ad vulneris ſuppurationem maturandam impediunt: Applicatis ergò frigidis cum pori claudantur, vaporeſque maligni contuſi vulneris intercipiantur, inflammatio magis magiſque augetur, ut in Tractatu de Gangræna & Sphacelo monuimus. Vera ergò methodicaque curatio ſequentibus nititur membris. Primùm cum magna carnis contuſio ſit facta, venarumque laceratio, imò & nonnunquam oſſium fractio, ſummâ confeſtim diligentiâ vulneris maturanda ſuppuratio fuerit: Omnis enim contuſa caro, paulo antè ut poſitum, teſte Hippocrate atque experientia, ſuppuretur ac putreſcat, neceſſe eſt. Dein cum actutim humores & ſanguis ex vicinis atque adeò nonnunquam totius corporis venis confluant, quibus dolor, tumor, cæteraque ſymptomata foventur ſingula, ii humores evacuandi, repellendi, divertendique veniunt, eorumque affluxus ad partem affectam impediendus. Tertiò quoniam contuſis ex vulneribus maligni per arterias ad cor eleventur vapores, iiſque etiam Chirurgus tam externis quam internis medeatur neceſſum eſt.

Ad primum quod attinet curationis membrum, Cheirurgus, primùm ſi quod os ictu glandis fuerit fractum, id ſuo loco componat, omniaque aliena vulneribus inhærentia, glandes videlicet, oſſium fragmenta & ſimilia, quantum fieri poteſt, eximat, dolorem interim quoad poteſt, præcaveat.

Inſtrumenta ad globulos extrahendos idonea, Centuriæ primæ obſervatione 88. delineantur.

Quod ſi globulum, oſſiumque fragmenta prima vice educere nequeat, ea die altero tertiove extrahere conetur: poſtmodum verò cùm iſta vulneris exploratio, ſummo conjuncta cruciatu ſit, dolorque omnium periculoſiſſimum ſit ſymptoma, ſcrutinio ſuperſedeat, puſque vulneris moveat, quod de die in diem, num

numquid extranei lateat, patefaciet, propelletque. Si qua præſens hæmorrhagia, eam ante omnia pulvere ad ſiſtendum ſanguinem, in Tractatu de Gangræna & Sphacelo, capite 18. deſcripto, cohibeat: Quâ ſuppreſsâ, ſubſequens unguentum affatim vulneribus imponat, & turundas illinat. Ex eodem etiam, vel ex unguento Baſilico emplaſtrum ad vulnus tegendum conficiat.

℞. Ceræ, Colophoniæ, Terebinthinæ, ſingulorum ℥j. Ol. Lini, Amygdalarum dulcium, de vitellis ovorum, Roſarum, Butyri recentis ſine ſale, ſingulorum ℥ß.

Quibus omnibus ſimul liquatis & percolatis addatur vitellus unius ovi Croci ℥j. Theriacæ Venetæ ʒij. Cornu cervini uſti & præparati ʒj.

Affectæ quoque partis circumferentia, aut crure vel brachio ſauciato ad uſque corpus, ſex vel ſeptem primis diebus oleo roſaceo, vel infra poſito eſt illinenda unguento.

℞. Ol. Roſacei, Myrtini, ſingulorum ℥j. Lumbricorum terreſtrium ℥ß. Aceti Roſacei cochleare unum.

Miſceantur & adhibeantur ut dictum.

Dein tota pars affecta calide ſequenti cataplaſmate primis quinque vel ſex foveatur diebus.

℞. Farinæ hordei ℥vj. Roſarum rubrarum, Myrtillorum, ſingulorum ſubtiliſſ. tritorum ℥ß.

Decoquantur poſcâ ad conſiſtentiam cataplaſmatis: Cocto jam addantur ovorum duorum albumina cum vitellis.

Dolore autem juſto vehementiore cruciante, adjiciatur ſeminis fœnigræci pulveriſati ℥ß. Cydoniorum ʒii.

Vel totum membrum conſequenti inungatur unguento.

℞. Ol. Lumbricorum terreſtrium, de vitellis ovorum, Amygdalarum dulcium, Sem. Lini, Pinguedinis humanæ, ſingulorum ℥j. Croci exquiſitè triti ʒj. Mucilaginis Sem. Cydoniorum Aq. Roſarum extractæ ℥j. Miſceantur calideque adhibeantur.

Poſtea ſequens cataplaſma parti affectæ calidè admoveatur.

℞. Medullæ tritici panis ℔j. Butyri recentis ſine ſale ℥ij. Sem. Fœnigræci ℥ß. Cydoniorum ʒij.

Coquantur recenti lacte ad pultis conſiſtentiam, deinde addatur croci ʒj. vitelli ovorum cum albumine num. duo.

Tum pars affecta faſciis poſcâ imbutis obvolvatur (aut crure vel brachio ſauciatis ad corpus uſque) quę faſcię impetum ſanguinis, humorumque membrum in affectum incumbentium, arcent. Quo fine ſequens defenſivum, ſpithamâ vulnere ſuperius, adhibeatur.

℞. Farinæ hordei ℥ij. Roſarum rubrarum, Gallarum, Boli albi, Nucis cupreſſi, ſingulorum tritorum ʒij. Succi ſylveſtrium prunorum immaturorum exſiccati, denuoque diſſoluti ℥ß.

Coquantur aquâ & aceto, addanturque olei roſacei ℥ij. quod uti memoratum eſt, applicetur.

Quòd ſi verò globus integrum trajecerit membrum, non ex utraque parte (multi quod conſuevere) turundæ vulneri immittantur: verùm ſpecillo, omni cura transmiſſo, funiculus, quem ego ex filo conficio ſerico, prædictoque unguento illino, trajiciatur. Cujus longitudo craſſitieſque vulneri ſit adæquata, qui ſingulis diebus minimùm ſemel renovetur, ita tamen, ut ſpecillum vulneri non immittatur, ſed exeunti funiculo recens annexus ſuccedat. Qui funiculus tam diu adhibebitur, donec vulnus fuerit mundificatum: tunc utraque quoque ex parte turunda inſeratur, ut vulnus in medio ſenſim coaleſcat. Uſus hujus funiculi haud eſt contemnendus: Vulnus enim ſervat apertum, aërique expoſitum, & ſi quid alieni in vulnere recondatur, id ipſum natura ejus funiculi medio paulatim expellit. Periculoſus contrà turundarum profundis iſtis in vulneribus uſus eſt: Vulnus enim inflammatur, in medioque coaleſcit, unde extranea à glande introducta, crines videlicet, chartæ, linteamina, veſtiumve particulæ, citra magnam difficultatem, dolorem & periculum extrahi nequeunt.

Hinc recens cietur inflammatio, tumor, immoderata puris copia, quin imò & nervorum oſſiumque corruptio. Vulnus autem ſi Gangrænam vel Sphacelum minatur, funiculus unguento noſtro Ægyptiaco, in Tractatu de Gangræna & Sphacelo cap. 13. deſcripto, fuerit illinendus, atque adeo procedendum, ut in allegato Tractatu fuſius explicatum eſt. In promptu autem Ægyptiacum noſtrum ſi non fuerit,

℞. Ægyptiaci Vulgaris ℥j. Aloës, Myrrhæ, ſing. ʒj. Camphoræ ℈j. Theriacæ Venetæ ʒij.

Miſceantur cum ſ. q. roſacei mellis. Dein ſubſequens cataplaſma calidè applicetur.

℞. Farinæ lupinorum, Lentium, ſingulorum ℥ij.

In aquâ paululo aceti, cochlearique mellis aliquantum bulliant: Dein addatur Abſinthii, Cardui benedicti, Scordii ſingulorum ſubtiliſſimè tritorum ℥ß.

Denuò poſt unam vel alteram ebullitionem admiſce Aloës, Myrrhæ ſing. ʒij. Theriacæ ℥ß.

Atque ita calidè applicetur. Vulnere jam ſatis digeſto, dolore, tumore, inflammationeque levatis, funiculus ſequenti oblinatur unguento.

℞. Rad. Ariſtolochiæ rotundæ, Iridis Florentinę, Caryophyllatæ, Angelicæ, ſing. optime pulveriſatorum ʒij. Quibus admiſce Terebinthinæ ℥j. Theriacæ Venetæ ʒij. Pręcipitati pulveris, Magnetis, Succini, ſing. ʒiß. Mellis roſacei q. ſ. Vitellum unius ovi.

Miſceantur in mortario ad formam unguenti. Quo ad finem uſque curationis utendum: Vulnus enim abſtergit, ac quicquid latet extranei, prędictum unguentum educit.

Cùm exploratum habueris, nihil alieni abſconditum eſſe, funiculum extrahas, ex utraque parte turundam immittas, vulnuſque cicatrice obducas. Digeſto ut jam dictum eſt vulnere, doloreque ſedato, uſu Emplaſtri baſilici, ſimiliumve abſtineas, ejuſque loco diapalmeum, Divinum, de Ceruſſa, vel conſequens ſubſtituas cataplaſma.

℞. Farinæ fabarum, Lentium, ſing. ℥iv. Roſarum rubr. Abſinthii, Flor. Chamomillæ, Sambuci, Flor. Roſmarini, Salviæ, ſing. exquiſitè tritorum ʒij. Salis ℥iiij.

Coquantur vino rubro ad conſiſtentiam cataplaſmatis, addendo ſapæ ℥iiij. ejus verò defectu, tantundem mellis, vel inſpiſſati pyrorum acidorum ſucci, quibus tamen ſapa præſtat.

Hoc cataplaſma multò corroborando cæteris efficacius emplaſtris, ideoque longè præſtat, quoad curationis uſque conſumptionem continues. Si autem vulnus præter voluntatem & antequam ab alienis indidem extractis fuerit mundificatum, coaleſcere occipiat, id etiam atque etiam impedias, apertumque teneas: Id quod turundis ex Rad. Gentianæ, præparatiſve ſpongiis, adornatis, unguentoque ex radicibus Ariſtolochiæ rotundæ illitis, aut præcipitato pulvere conſperſis, commodè fiet. Fragmenta quoque ſemifractorum oſſium ſi pręſtò fuerint, vi non ſunt extrahenda, verùm medicamentorum, naturęque operatio expectanda. Et tantum de primo dictum ſufficiat curationis membro.

Superius fuit poſitum his è vulneribus ſauciorum ſanguinem, humoreſque evacuandos, repellendos ac divertendos eſſe, ne partem in affectam incumbant: Id quod primò optimâ fit victus ratione. Cùm ex ſuperfluo victu copioſior ſanguis creetur, indeque inflammatio conſequatur. Saucius primis decem vel duodecim diebus, imò neceſſitate cogente diutius, te-

nuiter, quantum ejus fieri poteſt, paſcatur. Inprimis verò ei, cibus concoctu difficilis, ſanguinemque calefaciens, uti ſunt aromata, cæpę, porra, allia, raphani, ſingulaque bene ſalita, uti caro bovina, & ſuilla ſalita, caſeus, piſces, fugiendi. Cibandus contrà hordeo, decorticatâque avena, butyro recenti præparata, vel cum carne bovina, aut ovina, cocta: Dictæ quoque carnes, ut & pulli gallinacei acetoſâ, lactucâ, borragine, bugloſſâ, cerifolio, ſpinachio, calendulâ, ſimilibuſque ſativis herbis coquantur, cum juſculiſque comedantur. Primis quatuordecim diebus à vino, fortique cereviſiâ abſtinendum, ejuſque loco cereviſia tenuis, probè tamen cocta, vel ptiſana, ſequenſve decoctum ſubſtituendum.

℞. Hordei, Fol. Agrimoniæ, ſing. Mij. Veronicæ Mj.

Coquantur aquę menſuris vj. ad uſque hordei ruptionem.

Hoc decoctum ſaucio, quantum ejus & quotieſcunque petierit, propinandum, cui quoque acetoſæ manipulus unus, tantundemque prunorum, aciditatis conciliandæ gratiâ adjiciendum. Huc etiam quadrat Syrupus acetoſæ, violarum, de Ribes, berberorum, citreorum, limonum, granatorum. Sauciato verò potum præoptanti dulcem, addantur Radices liquiritiæ drachmæ octo vel duodecim. Juvenes, Robuſtiq; Viri ſero lactis citra noxam uti poſſunt, lacte verò nequaquam. Quòd ſi verò ſaucius ætate confectus, naturâ morboſus, debilitatoque ſtomacho fuerit, affectus: Cibi ſalviâ, Roremarino, Majoranâ, mace, croco, Cinamomo condiendi. Pręſcripto decocto aqua Cinamomi, vel vinum album pro arbitrio miſceri poterit. Ex uſu quoque ſaucio fuerit emulſio amygdalararum dulcium, ſeminiſque melonum & cucurbitarum, ſique dolor vehemens atque inquietudo infeſtent, ſemen papaveris albi adjiciatur. Medicus autem ſecundùm ſaucii conſtitutionem, ætatem, annique curſum, ſingula iſthæc, prout in Tractatu de Grangræna & Sphacelo fuſius explicuimus, adminiſtrabit.

Idem & de aëre ſentiendum: In denſo namque æſtatis fervore, diebus videlicet canicularibus, ſaucii cubiculum ſępenumerò frigida irrorandum, gramine foliiſque ſalignis conſpergendum. Contrà frigido, humidoque cœlo temperandum. Veneri omnibuſque impudicis cogitationibus valedicendum: Quàm noxia namque ea ſit, exemplo memorabili, in obſervationibus Tractatuque meo de Gangræna & Sphacelo, doceris. Sic & ab ira, cogitationibus vindictæ cupidis, cum ea bilem moveant, ſanguinemque inflamment, ſauciatus abſtineat. Somnus quoque ſauciis non commodus duntaxat, verùm perneceſſarius exiſtit: Vigiliis enim & inquietudine humores accenduntur, vulnerumque ſuppuratio, quin imò & cæteræ naturæ operationes impediuntur. Quare ſauciato dolore ſummo, nimiàque inſomniâ laboranti ſuccurrendum. Quo fine veſperi duas poſt paſtum horas, emulſionem ex ſemine papaveris albi, aquâ lactucę modicoque ſaccharo præparatam eidem exhibeas. Syrupus quin etiam ſeminis prædicti ad ℥j. vel ℥iß. Aquâ lactucę vel endiviæ diſſolutus, plurimùm conducit.

Tempore verò æſtivo propinetur ejuſmodi potus.

℞. Seminis papaveris albi, capita 4. vel 5. Fol. Lactucę, Borraginis, Portulacæ, ſing. Mj.

Concidantur, contundantur & coquantur aquæ ℔iij. ad conſumptionem tertię partis, addito, ſi libet, paulo ſaccharo.

Frontem, temporaque unguento populeonis illinas, cujus ℥j. ſi ſex vel octo grana opii, aqua roſ. diſſoluti admiſceas, efficacius ſomnum conciliaverit. Quo etiam facit phylonium, Triphera, & Laudanum, quod ſummâ tamen prudentiâ, quemadmodum in Tractatu de Gangræna monui, adhibendum.

Secundò, humores ſanguiſque ſuperfluus, magno cum periculo ad ſauciatum membrum fluentes, ſtatim ab initio veniunt evacuandi, alioque unde minus metuendum periculi, divertendi. Quare ſauciato juveni robuſto, plethoricoque exiſtenti, eodem protinus die venam ſeces, ſecundumque vires illius ſanguinem ſubducas. Alvo tamen prius clyſtere, vel ſuppoſitorio ex melle & ſale præparato, ſolutâ. Quæ ſectio ſi primo die adminiſtrari nequeat, poſteriore tentanda. Dein corpus Electuarii de ſucco roſarum ℥ß. vel Electuarii Diacatholici ℥j. ſecundum ſaucii conſtitutionem, ut alibi fuſius dixi, leniter purges. Ægro verò potiùs cacochymico, quam exiſtente plethorico, præſtat eum, Electuarii diacarthami, vel diaphænici ℥j. ante venæ ſectionem purgare. Non autem ſufficit, ęgrum ſemel iterumve purgare: verùm Cheirurgo ſecundum ſaucii conſtitutionem, humorumque repletionem procedendum. Idem in ſanguinis miſſione ſequendum. Si enim ſauciatus ſit ætate juvenis, ſanguineque plenus, nec non ſymptomata, dolor nimirum, inflammatio, febriſque extiterint magna; tum venę ſectio bis terve repetenda. Capite verò læſo, inprimis facie ſclopetario pulvere adultâ & maculatâ, cucurbitas humeris, occipitique aliquoties applicare conduxerit: Humores enim affectæ parti incumbentes divertunt. Recenſitis hiſce remediis, ſanguis humoreſque vulneratam infeſtantes inflammationem, aliaq; cientes ſymptomata, impediuntur, evacuantur, divertunturque. Huc quoq; Defenſiva, faſciæque, poſcâ imbutæ, de quibus in primo curationis membro dictum, ſpectant. Sanguine verò atque humoribus affectam partem cum impetu obruentibus, membra quoque ſana, quoad perferre ſaucius queat, humoribus divertendis, liganda.

Tertiò cùm plerumque propter vulnerum contuſionem, fractis pręſertim oſſibus, majoribuſque ſimul contuſis muſculis, maligni vapores ad cor eleventur, ibique ſyncopen cauſent: Cheirurgus ſummo primùm ſtudio præſcriptis remediis, turundiſque contuſorum ſuppurationem maturet, illudque pus ſanis à partibus removeat: Quod quidem non ſoli naturæ duntaxat & medicamentis committendum: verùm nonnunquam diligenti Cheirurgo, contuſa quę ſunt, forfice vel aliis idoneis inſtrumentis Separatoriis, citra ullum tamen dolorem recidenda. Dein unguentis vulneri imponendis ſemper cardiaca, cujus generis ſunt, theriaca Veneta, Lapis Bezoar, cornu cervi uſtum & præparatum, admiſceat. Interdum quoque mane ſaucio jejuno ex cardiacis præallegatis cum aliquantula cardui benedicti aquâ propinet. Syncopis verò, aliiſque cordis infirmitatibus pręſentibus, ad potiones cordiales, epithemataque confugiat, & quemadmodum fuſius in Tractatu de Gangræna & Sphacelo cap. 20. explicui, procedat.

Cap. 2. *Quomodo vulnera, venenatis globis inflicta, ſint tractanda.*

Diabolus autem inauditis olim, humanoque generi pernicioſiſſimis tormentorum armis improborum hominum operâ repertis, non acquievit: Verùm novis cottidiè inventionibus malas iſtas artes cumulare pergit: quo fit, ut teſte experientia, nonnulli deteſtandi homines pernicioſo lethalique veneno globos inficiant, adeò ut minima quoque vulnera evadant lethalia.

Quamobrem Medicus vel Cheirurgus ab imperitis atque improbis hominibus per calumniam imperitiæ arguitur, conviciiſque proſcinditur. Quare diligens Cheirurgus id etiam atque etiam quàm diligentiſſimè attendat, neque minorem honoris exiſtimationiſque ſuæ, quàm alienæ ſalutis rationem habeat. Quamvis autem quidam venenum hoc adeò præparare, Diaboli inſtinctu, ſciant, ei ut nemo valeat reſiſtere: Atq; adeò

adeò vulneratus, vel parvo vulnere accepto; ſolâ nimirum epidermide læſâ interimatur: Nihilominus officio ſuo Chirurgum fungi, omnemque diligentiam ſalutis præſtandę adhibere oportet. Quemadmodum enim varia venenorum, proprietatibus atque operationibus differentium, genera reperiuntur: Sic quoque alind alii tum ipſa vi, tum celeritate præcellit. Fuſiorem cujus maleficii explicationem, gloriæ Dei cum adverſetur, nec ex uſu proximi ſit, miſſam facio, lectoremque monitum volo omnibus in vulneribus ſclopeto inflictis, id attendat, ac ſi quid præternaturale circa vulnera hujuſmodi notet atque animadvertat, tempeſtivè de adhibendis cogitet antidotis. Jam verò hujus generis venenum non ſemper craſsâ ſolum corporeâque conſtat ſubſtantiâ atque materiâ: ſed potiſſimam partem ſpirituali, ſubtili, venenoſoque vapore. Ac quemadmodum prius iſtud virus, corporatâ prædictum ſubſtantiâ, ſervit in vulneribus, aliquotque poſt diebus ſuam exerit vim atque efficacitatem: ita hoc poſterius ſtatim à principio intra circaque nobiliores corporis partes, cor puta, cerebrum, atque hepar, venenatam ſuam indolem expromit atque violentiam. Unde experimur, alios confeſtim à vulneratione: alios demum multis poſt diebus graviſſimis corripi ſymptomatibus, lethaliterque affici. Multis parvo ac tantummodò ſuperficiali vulnere, per venenatum ſclopeti globum inflicto, mors infertur. Nonnullis quorum corpus, principeſque partes trajiciuntur globo non infecto, nihilominus ſalus affertur. Qui parvo ex vulnere, minus autem per ſe periculoſo, magnis ſymptomatibus, videlicet ſyncope, cordis debilitatione, cibi nauſeâ, vomitu, febri, phrenitide, capitis lumborumq; dolore, urinæ ardore, atque adeò retentione tentantur, illi de vita periclitantur. Symptomata namque hæc ſignificant, venenum illud in ſpirituoſo maximè conſiſtere vapore, extemploque per venas, arterias, & nervos tribus partibus nobilioribus, cordi nimirum, hepati cerebroque communicari, non autem craſsâ corporeâque ratione efficax eſſe. Cùm ergò fieri nequeat, ut Medicus ſciat, utrum veneno globum infecerit Sclopetarius: Prędicta ſymptomata circa vulnera verberatione Sclopetorum inflicti, conſideratè animadvertat, omniaque inſolita ſymptomata occurrentia arceat, omnibus modis venenum impediat, ne partes internę nobiliores, cor nimirum, cerebrum & hepar afficiantur: id quod fit medicamentis tum internis tum externis. Interna ſunt generis illius, quæ cor cæteraſque partes internas roborant, venenumque expellunt. Cujus generis theriaca Veneta melioris notæ, vel præcipuum eſt exiſtimandum, cujus drachmam unam vel unam cum dimidia, aquâ Cardui benedicti, vel angelicæ diſſolutam, ſaucio quamprimum propinabis, eique ſudorem ciebis. Non minus de pretioſo lapide orientali Bezoar grana decem, vel duodecim, ſudori provocando exhibita, ut & de genuino unicornu gr. ij. perplurimum conduxerint. Aquis verò diſtillatis deficientibus, ſequentem decoquas potionem, eis efficaciorem, in qua theriacam vel lapidem Bezoar exhibeas.

℞. Fol. Cardui benedicti, Scordii ana Mj. Rad. Angelicæ, Caryophyllatæ, Vincetoxici ana ℥ß.

Coquantur in vini albi Menſ. ß. ad conſumptionem tertiæ partis. Hujus decocti accipiatur q. ſ. in eoque præſcripta diſſolvantur. Saucioque ad ſudorem movendum calidè propinentur.

Sequens quoque potiuncula hoc in caſu vehementer expedit: cor enim cæteraſque partes internas roborat, iiſque venenum defendit.

℞. Præſcripti è Carduo benedicto & Rad. angelicæ, decocti ℥iv. Confectionis Alkermes ʒj. Lapidis Bezoar orientalis grana X. Uſti cornu cervi & præparati ʒß. Aq. Cinamomi ℥ß.

Miſceantur, ſaucioque, ut memoratum eſt, exhibeantur. Sauciati cubiculum baccis juniperinis, ſtorace Calamitha, ligno aloës, & ſimilibus veneno reſiſtentibus, corroborantibuſque ſine intermiſſione, frigido præſertim aëre ſuffumigetur. Intenſo verò æſtu nonnunquam cubile roſarum irroretur aquâ, vel

℞. Aq. Roſ. Menſ. ſ. infunde ollæ vitreatæ, addendo corticum citronum pauxillum inciſ. ℥j. Rad. angelicę, Caryophyllatæ ana ℥ß. Aceti roſacei ℥iiij.

Obturetur olla membranâ minutatim perforatâ, imponaturque foculo dum bulliat, ſic pretioſum & odoratum, qui ſingulis in venenoſis affectibus magno uſui eſt, emittet vaporem.

Cibis incoquantur acetoſa, borago, calendula, bugloſſum, meliſſa, pomorum aureorum, citreorumq; cortices, cinnamomum, macis, crocus, reliqua verò aromata, piper nimirum, Zingiber, caryophylli, cardamomum, nec non ſinapi, cæpæ, allia, raphani, cæteraque acrimoniâ ſuâ linguam ſanguinemque calefacientia, ſaucio vitanda. Quare & vino malvatico atque omni potu generoſo abſtinendum, ejuſque loco, priſana, prunis atque acetoſæ foliis, radicibuſque cocta, ſubſtituenda: Sique mala citrea in promptu fuerint, eorum ſucci nonnihil admiſceatur: Mirificum enim is eſt veneni antidotum & corroborativum, ſequens quoque potiuncula haud eſt contemnenda.

℞. Agrimonię, Veronicæ, Bugloſſæ, Acetoſæ ana Mj.

Coquantur in aq. font. Menſ. iv. ad conſumptionem tertiæ partis, quæ pro lubitu ægro propinetur, admiſceanturque pro ægri arbitrio ſyrupi vel ſucci malorum citrinorum, acetoſæ, limonum, granatorum, & berberorum. Arteriis ad carpum calidè applicetur pannus ſequenti epithemate imbutus.

℞. Aq. Meliſſæ, Roſarum, Boraginis, Bugloſſæ, Malvatici vini, ſing. ℥iij. Aq. Cinamomi ℥j. Aceti roſ. & Sclareæ ſing. ℥j. ß. Croci ʒß. Confectionis Alkermes ʒj. Cornu cervi uſti ʒij. Spec. de gemmis ʒj. Miſceantur & applicentur, ut dictum.

In defectu verò aquarum diſtillatarum, prædictas herbas, ſi non omnes, earum ſpecies ſaltem aliquot contundas, iiſque vinum vel acetum affundas, percolesq; addendo crocum, aq. Cinnam. vel ejus loco tritum Cinnamomum, cum confectione Alkermes: unde pretioſum omnibus in cordis debilitationibus corroborativum perficies. Remediis Catharticis ſanguiniſque miſſione his in vulneribus Cheirurgus ſuperſedeat, niſi conſilio Medici petiti, præſertim in morbi principio, & antequam venenum vulneri fuerit exemtum: Quia dum iis ſanguis & humores externis è venis partibuſque ad internas revocantur, venenum eò promptiùs cor, cæteraſque nominatas nobiliores infeſtaret partes; Nihilominus ſi alvus conſtipata fuerit, ea blandis clyſteribus vel ſuppoſitoriis venit ſolvenda. Conſultum quoque fuerit, ſomnum fugere immoderatum, præſertim in initio. Mediante namque ſomno haud parum caloris innati, ſanguinis, ſpirituumque ad cor & reliquas nobiles recurrit partes, eaſque veneno implet.

Hac de cauſa etiam animi paſſiones, præcipuè ira, fugiendæ.

Et hęc de prima curationis parte, id eſt, de remediorum internorum uſu, dicta ſufficiant. Reſtat altera in topicis conſiſtens remediis, manualique operatione.

Oblatis ergò hujuſmodi vulneribus, globoque iis adhuc inhærente, Cheirurgus ſummo ſtudio cum idoneis ad id inſtrumentis eximere conetur, etiamſi aliquid ſanguinis ad vulneris ſcrutationem effluxerit, ſpem tamen non abjiciat, cum id & commodum ſit, & neceſſarium, quandoquidem unà cum ſanguine ſimul veneni quid, venis jam adorti, poterit exſtillare. Cum autem ſaucius multum jam perfuderit ſanguinem, Cheirurgum pro re natâ convenit procedere. Extracto verò globo, circumferentiam profunde phlebotomo incidas, magnaſque cucurbitas, quantas vulneratæ partes admittent, flamma haud parva admoveas, & ſic vene-

num per vim attrahas. Quas cucurbitulas non ſemel tantùm, verùm aliquoties, primo, ſecundo, tertiove die repetas: Poſtmodum verò iis abſtineas, ne vulneris ſuppuratio retardetur. Quamvis etiam doloris aliquantulum inducatur, nihil retulerit, cum & is attrahat. Vulneri ſubſcriptum illicò impones unguentum.

℞. Theriacæ Venetæ ℥ß. Aduſti Cornu cervi & præparati, Rad. Angelicæ, Caryophyllatæ, Gentianæ ſing. ʒj. Fol. Rutæ, Scordii, ſing. ſiccatorum & trit. ʒß. Bezoar grana xx.

Miſceantur extracto cardui benedicti, paucoque ſpiritu vini ad formam unguenti; Quod affatim vulneri imponatur, dein Cataplaſma ſuperinjiciatur, quod habet,

Fermenti ℥iiij. Cæparum parumper in cineribus aſſatarum ℥iß. Fol. Rutæ recentium & contuſorum Mj. Rad. Angelicæ, Gentianæ, ſing. tritorum ʒij. Theriacæ, Mithridat. ſing. ℥ß.

Exactè miſceantur ſucco Rutæ & Cardui benedicti q. ſ. calideque admoveatur, uti & cætera remedia: Frigus enim inprimis hiſce noxium eſt vulneribus. Vulnus quoque ſingulis diebus bis vel ter, idque ſemper linteamentis mundis; unguentiſque renovatis obliges, id autem ne cataplaſmatibus ſemel jam applicatis, multi uti conſuevere, rurſus tegas: Conſultum enim non eſt, cum veneni quid jam attraxerint, quin ne linteamina quidem eadem, niſi bene mundata, adhibenda. Defenſivum, proximo ſuperiore capite memoratum, binas ternaſve palmas latum, vulneri ſuperius admoveatur, eoque veneni, quantulum fieri poteſt, adſcenſus inhibeatur; Faſciæ verò poſcâ imbutæ, hoc loco nequaquam conveniunt. Eæ enim ſumma cum ſaucii noxa venenum ad cor repellerent. Ac ſi magnus quoque eum exercuerit dolor, circumferentiam vulneris oleo ſcorpionis, pauxillo roſacei admixto, oblinas. Alias olea, omniaque pinguia & viſcoſa huic malo non ſunt admovenda, etſi magnam propter contuſionem ex uſu forent; iis enim intercluduntur pori, venenique exhalatio retardatur, inprimis autem cum venenum illud ſpirituoſum extiterit. Si verò venenum craſſo corporeoque vigore ſuam exſereret vim atque efficacitatem: tunc primò omnium ſymptomata, dolor nimirum magnus, tumor & inflammatio vulneri contingunt; quæ mox excipiunt febris, inquietudines, capitis dolor, lipothymiæ, cibi nauſea, ructus & ſimilia. Cùm autem elapſis demum aliquot diebus iſthæc ſymptomata, ſaucium infeſtant, argumento ſunt, venenum hoc priori minus exiſtere periculoſum: globumque materiam in vulnere reliquiſſe corrodentem. Quare digeſtiva, olea & ſimilia, nec non cathartica medicamenta, ſanguiniſque miſſio, hoc loco haud planè ſunt reſpuenda, medium tamen ſecundùm veneni naturam ac proprietatem teneatur: & Cheirurgus quoad ejus fieri poteſt, Medicum doctum ac peritum in conſilium adhibeat.

Cap. 3. *De faciei, pulvere Sclopetario aduſtæ maculatæque, curatione.*

FAcies duobus pulverem per nitratum læditur atque aduritur modis. Primum à pulveris flamma, quippe quæ propè hominem accenditur, vultumque contingit, ſecundum citra flammam ipſomet à pulvere, qui dum in faciem è canna proſpergitur, cutem vi trajicit, & nigras infligit maculas atque vibices, ut adeò facies fœdum in modum deformetur. Perſæpè namque grana pulveris integra profundè in cute latent, quæ non exempta maculas iſtas pariunt nigellas. Atque id quidem, Candide Lector, integra nimirum pulveris grana (experientia liquidò docente) cuti impingi, probè notes. Si enim pulvis tanto ardore flammaque Sclopeto diſploſus, ex parte tantùm non totus accendatur, undenam globus tantum acquiret calorem, quem ei haud pauci attribuunt, carnem cæteraque contacta ut adurat. Quod quidem argumentum id ipſum etiam, quod jam in fronte hujus Tractatus poſui, confirmat. Cùm autem Cheirurgis diſputationes hæ non ſint ex uſu, iis miſſis factis, protinus harum plagarum curationem aggrediar. Ante omnia verò vultu ſive flamma, ſive pulvere oblæſo, victus rationi, hujus Tractatus initio præſcriptæ, ſaucius eſt obſtringendus. Catharticis quoque utendum, ac juveni robuſto exiſtenti, plethoricoque vena ſecanda, majoreſque cucurbitæ ſcapulis atque occipiti ſunt admovendæ, quibus ſanguis & humores in faciem confluentes retrahantur, nec non dolor, tumor atque inflammatio, quæ faciem tentare poſſent, prætaveantur, & præpediantur. Quo fine Defenſivum fronti, verùm non adfectæ, applicetur. Poſtmodum ubi aduſtio à flamma tantum extiterit; nihilque pulveris cutem trajecerit, omnes jam factæ veſicæ forfice ſunt incidendæ, humor acris ut emanet. Cum autem plurimum interſit oculorum, ſumma conſervando viſui diligentia eſt adhibenda. Quare ſæpius, imò ſingulis horis lac muliebre recens, pauxillo aquæ roſ. mixtum, oculis inſtilletur, eoque linteamentum duplicatum, vel triplicatum imbuatur, atque oculis imponatur. Magno autem dolore ægrum ſtimulante, parum integri croci roſ. aqua lacteque maceretur. Aqua verò hæc ſingulis diebus propter lac renovetur. Acidum enimverò lac oculis valde noxium eſt. Subſcriptum quoque collyrium eſt præſentiſſimum.

℞. Aq. Roſ. ℥iiij. Aq. Albuminis ovi diu conquaſſati. Sem. Cydoniorum, ℈j. Dolore præſente tantundem ſem. fœnigræci, Croci gr. x.

Macerentur per quatuor vel quinque horas, colenturque, atque ad uſum ſerventur ſupra dictum.

Cruciante verò dolore ſequens oculis admoveatur cataplaſma,

℞. Pulpæ pomorum 3. aut 4. acidorum, in cineribus aſſatorum ℥ij. Sem. Fœnigræci triti ʒij. Far. Hordei ℥j.

Miſceantur lacte recenti ad conſiſtentiam cataplaſmatis, addito pauco croco, vitello unius ovi atque aliquantulo roſ. ol. Miſceantur, oculis cæteriſque flammâ vel pulvere partibus oblæſis applicentur.

Subjectum etiam unguentum his affectibus perplurimum medetur: dolorem enim lenit, cutem calore induratam emollit, & cicatrices impedit.

℞. Gummi elemi pinguiſſimi ʒj. Ol. Amygdal. dulc. de vitellis ovorum, Pinguedinis urſinæ, humanæ, ſing. ℥.ß. Mucilaginis ſeminis cydoniorum aq. roſ. extractæ ʒij.

Miſceantur, quo tota facies illinatur.

Cavendum tamen, ne quid ejus in oculos influat, quia pinguia in iis dolorem cient. Dicto hoc unguento ad curationis conſummationem continuandum. Phlegmone verò exiſtente, illo abſtinendum, quæque ſiquidem pinguia inflammationibus infeſta ſunt. Quare ſequens præparetur collyrium, oculis præſtantiſſimum, exſiccans, viſumque corroborans.

℞. Aq. Euphraſiæ, Fœniculi, Roſarum, ſing. ℥j. Tutiæ bene præparatæ, Sief albi ſine opio, Cornu cervini aduſti ſing. ʒj.

Quo linteamina ſubtilia imbuenda, & tantiſper admovenda, uſque dum inflammatio ſedetur. Dein unguento præſcripto rurſus ad cutis emollitionem utendum, id quod non hoc ſolum in affectu, verum in ſingulis faciei notandum eſt aduſtionibus. Valdè namque ſiccantia, indurantia, cutemque contrahentia, deformes relinquunt cicatrices. Quare cutis, uti dictum eſt, emollienda. De his plura in Tractatu meo de aduſtis cap. 9. Si verò nitratus pulvis cuti fuerit infixus, confeſtim is acu aliove acuminato inſtrumento, quantum fie-

ri poterit, eximendus: Quodque illis inſtrumentis auferri nequit, id ſpongia aqua calida madefacta eluendum, neque priuſquam pulverem omninò omnem exterſeris, deſiſtendum. Præcipitatus pulvis hoc loco haud eſt contemnendus, quo quidem ſæpenumero magno cum ſucceſſu ſum uſus: is vulneribus inſpergendus: reſiduum enim pulveris extrahit. Facies præſcripto ex Gummi Elemi, oleoque amyg. dulc. unguento illinenda. Quod ſi quis dolor ſit moleſtus, linteamentum aqua roſ. & plantaginis, in quibus parum ſeminis Cydoniorum ſit maceratum, imbutum, calidè applicandum. Oculi, neceſſitate ſic poſtulante, calido muliebri lacte ſæpiſſimè humectandi, cataplaſmaque illud, ex pomis acidis compoſitum, imponendum. Pulvis item oculis inſperſus diligenter quoque parva ſpongia, lacte calido madefacta, eluendus: Qua irrita ablutione acquieſcendum, omnique alio vel aciculæ, vel cæterorum hujuſmodi inſtrumentorum effoſſoriorum uſu, cui extra oculos locus eſt, prorſus ſuperſedendum, ne vel ſaucius in viſus, vel tu ipſe in exiſtimationis diſcrimen præcipiteris. Ut plurimum enim verò, ſi pulvis pupillæ fuerit infixus, ſaucius de viſu periclitatur.

Si in principio vocatus non fueris, & jam cutis rurſùs coaluerit, pulvere in vulnere relicto: Saucius verò ſe maculis illis nigricantibus liberatum velit, maculoſis illis partibus cruſta caulticis blandè inducatur, pulviſque quantum fieri poteſt, auferatur, poſtmodum pulvis præcipitatus inſpergatur ad uſque omnimodam mundificationem. Cruſta verò ſequenti fit unguento.

℞. Cantharides num. vj. fermenti ℥ß.

Miſceantur aceti guttulis aliquot in mortario, ad formam unguenti: Ex quo formentur minuta emplaſtra, maculam non excedentia: ſique primum emplaſtrum nullas moveat puſtulas, ad uſque veſicationem recentia imponantur. Summo tamen ſtudio cavendum, ne oculi materia iſta lædantur. Ruptoria quoque hac in parte adhibeo mea, citra dolorem cruſtam cuti inducentia, quæ tamen in facie, propter corroſivam eorum facultatem, ſummum requirunt ſtudium. Quod ſi verò his, aliiſve tibi libeat uti, ſingulis maculis non amplius grano ſinapi imponas; adglutinanteque emplaſtro, cavendo effluxui, tegas.

Cathartica quoque remedia hoc in affectu, ſanguinis nec non miſſio, ſcarificatio, victuſque ratio, non fuerint inſuper habenda.

Aqua admiranda in Vulneribus.

Habet hoc oleum vim curandi omnia vulnera & ulcera. Ita fit.

℞. Olei commun. antiq. ℔x. reſin. pini, terebinth. ceræ, an. ℥ ij. hyperic. roriſmar. roſ. millefol. an. M. ß. croci ʒj. ping. porci rec. ℥vj. bulliant in balneo M. quo oleo calidiſſimo, quantum ferre poſſit æger, quidam omnia vulnera curabat. Ad ulcera quoque maximè confert. Aliud.

℞. Aqu. vitæ opt. & generoſi vini pluries circulatę, q. v. ponatur in boccia vitrea colli longioris: diligenter obturetur os; digeratur per viginti dies ſub fimo equino calido, ita tamen, ut ſuperior pars ſit extra ſtercus aeri expoſita; apparebit poſt viginti dies aqua cærulea ſupra fæces, quæ erunt coloris albi: ſeparetur hæc aqua paulatim per inclinationem à fæcibus, & reponatur in vas vitreum bene obturatum ad uſum. Hæc eſt illa aqua qua (ni fallor) nuper quidam utitur Venetius, ad curanda omnia vulnera ad admirationem uſque. Vocatur hæc aqua à nobis divina. *Rodericus à Fonſeca. tomo 2. conſult. 16.*

Pro Vulnere Sclopeti in brachio.

Fiat degeſtio ex terebinth. ovi luteo & oleo roſac. In eandem intentionem prę ceteris laudatur oleum catulorum, quod omnibus digeſtivis anteponendum eſt. Eſt enim huic oleo vis mirifica, tum ſedandi doloris, tum puris in ulcere maturandi. Si verò tale oleum non adſit, digeratur vulnus hoc digeſtivo.

℞. Ol. ſem. lini & lil. an. ℥iij. unguenti baſilici ℥j. liquefiant ſimul, quo oleo calenti madefiant penicilla, & intromittantur.

Suppurato vulnere, abſtergendum eſt & mundificandum ita.

℞. Terebinth. cum aq. roſ. lotæ ℥iv. ol. roſ. ℥j. mell. roſac. ℥iij. myrrh. aloës, maſtich. ariſtol. rot. an. ʒiß. farin. hord. ℥iij. M. quo abſtergetur ulcus, & caro gignetur: Si ob longitudinem ſinus medicamentum non poſſit attingere omnes partes, per injectiones abſtergendum erit ita.

℞. Aq. hord ℔iv. agrim. cent. min. pimpinell. abſynth. an. M. ß. rad. ariſtol. rot. ʒß. F. decoctio ad ℔j. colat. add. aloës hepat. ʒiij. mell. roſac. ℥ij. bulliant parum F. injectio intra ſinum. *Rodericus à Fonſeca. tom. 2. conſult. 2.*

Pro Vulnere ſimplici in carne.

Statim huic candidum ovi (ut fieri ſolet) agitatum ſtupâ canabina exceptum admotum eſt: deinde ſuto vulnere, appoſitus eſt hic Pulvis ruber.

℞. Bol. armen. terr. ſigill. an. ʒvj. thur. maſtich. ſarcocoll. an. ʒiiß. myrrh. aloës, an. ʒiß. tragacanth. piſti, ſang. drac. an. ʒj. farin. hord. & fabar. an. ʒß F. pulvis qui cum ovi candido liquore agitetur, donec in corpus unum coëat, quod glutinis inſtar lenteſcat, poſteà ſtupis lenibus excipiendum erit medicamentum, & ita vulneri admovendum. Supra quod & aliæ ſtupæ ſolo ovi albo imbutę, & intra pannum lineum eodem madefactum liquore involutę apponendæ ſunt. Sed & ſuprà vulnus, nulla alia intercedente materia, pannus aliquis tenuis prædicto liquore imbutus admoveri debet, ne ſcilicet dum removentur ſtupæ, ſitu ę jam factæ fila abrumpant, aut dilacerent. Loca etiam circumjacentia oleo roſac. inuncta fuere. Primus hic apparatus uſque in quartum diem mutari non debet: quod ſi poſt quartum diem tranſactum, vulnus non coaluerit, vino aliquo ſtiptico calente abluendum eſt. Deinde ſtupæ prædicto vino imbutæ & expreſſę ſuper ipſum vulnus apponendæ erunt, quas & quotidie mutare oportebit. Intra enim paucos dies hoc modo vulnus adglutinabimus & perſanabimus. Vinum omnis vulneris, qua vulnus eſt, optimum eſt medicamentum: ſiccat enim & adſtringit. *Petrus Foreſtus. obſer. 23. & ſchol. lib. 6. Obſerv. Chirurg.*

Pro Vulnere cavo.

Chirurgus quidam hoc medicamento ad vulnus carne implendum, & ad deperditam carnem generandam feliciter cum linamentis utebatur.

℞. Terebinth. ℥iv. ol. myrtin. ℥ij. reſin. pini, colophon. an. ℥j. thur. ℥iß. ſang. drac. ℥j. ceræ parum. F. unguentum. Eſt unguentum quoddam, ſine quo eſſe nolo, vocatum, in generando carnem apprimè Nobile, & eſt.

℞. Thur. myrrh. an. ℥ j. ſang. drac. ℥ß. picis græc. & navalis, an. ℥j. centaur. ℥ß. terebinth. reſin. pini. an. ℥ß. ſævi vaccin. ℥ß. ceræ ℥iß. ol. q. ſ. F. unguentum. *Idem. obſerv. 23. & ſchol. lib. 6. Obſerv. Chir.*

Vulneribus carne repletis, cicatricem inducere ſolebat

lebat *Jo. Carpus* inſignis Chirurgus modò cum unguento de ceruſſa, modò cum tetrapharmaco. Sed & hoc ſequens unguentum cicatricem inducit.

℞. Terebinth. ℥ß. ol. roſ. myrtin. an. ℥j. ſævi caſtrat. ℥ij. ceræ ℥ iv. litharg. plumbi uſti, minii, ceruſſ. an. ʒiij. corall. rubr. ʒj. tutiæ præp. ℈ij. F. unguentum. *Petrus Foreſtus. obſerv. 26. lib. 6. obſerv. Chir.*

Pro Vulnere cum contuſione.

In contuſione cum vulnere facta à bombarda in crure, aut in alio loco, Chirurgus quidam loca contuſa inungebat oleo roſac. quo & *Carpus* uti ſolebat.

Inter alia etiam utebatur hoc unguento.

℞. Ol. roſac. ℥viij. ol. vitell. ovor. ℥ij. vitri albiſſ. ſubtiliſſ. pulveriz. ℥ij. ceræ albæ ℥iß. cortic. mediani ſambuci M. 1. bulliant omnia S. A. & colentur. Huic non eſt par à principio, uſque ad repletionem carnis, & eſt mirabile in omni combuſtione ignis. Sed in contuſionibus prædictis, hoc unguento ſolùm eſt utendum, quouſque mala qualitas ſit remota, deinde curantur ut aliæ contuſiones. *Foreſtus. obſerv. 26. libr. 6. obſerv. Chirurg.*

Pro Vulnere cum hæmorrhagia.

Chirurgus quidam ad ſanguinem à vulnere profluentem reſtringendum, commodè hoc reſtrinctivo utebatur.

℞. Vitriol. roman. ℔j. aceti vini ℔ij. boli ℥j. adde, ſi velis, croci Martis, & minus fallet ℥j. M. Quidam hoc tempore ſolo croco Martis contenti ſunt. Hoc quod ſequitur, ut à quodam accepi, nunquam fefellit.

℞. Argenti ſublimat. ℥j. probè miſce cum unguento populeo, & utere. Alius hoc reſtrictivo in vulneribus nimium ſanguinem effundentibus utebatur. Uſneam ſeu muſcum arboris ſambuci in vulnere ponebat, & non extrahebat priuſquam vulnus palleſceret; ſanguinem enim in vulnere reſtringit: quemadmodum vaſa ſpermatica vituli cum didymo. ſi comburantur, & in pulverem redigantur, mirabiliter ſanguinem ſtringunt, hoc pulvere utuntur Judęi dum puellos circumcidunt.

Alius Chirurgus inſignis hoc pulvere utebatur.

℞. Calcis vivę, vitriol. albi, aloës, an. q. ſ. Sed & hic pulvis valet ad reſtringendum ſanguinem.

℞. Alumin. combuſt. cortic. granat. aloes, an. ʒj. vitriol. roman. ʒß. ſang. drac. balauſt. an. ℈j. acacia ℈j. fiat pulvis. *Petrus Foreſtus. obſerv. 37. lib. 6. obſerv. Chirurg.*

Pro vulnere in junctura humidum quid extillante.

Hoc unguentum contulit.

℞. Terebinth. lotæ in aq. ſalv. ℥ß. mell. commun. vel roſac. ʒiij. farin. hord. ʒj. aloes ſuccotrin. ʒiij. F. unguentum.

Chirurgus quidam hoc ſequenti utebatur unguento in ſimilibus accidentibus.

℞. Farin. ſem. lini, farin. hord. orobi, an. part. æq. mell. q. ſ. ad incorporandas prædictas farinas ſupra ignem ad ſpiſſitudinem pultis, deinde cùm frigidum evaſerit, adde pulv. thuris, myrrh. an. ʒß. confice ad modum unguenti. His nervorum ac tendinum vulneribus cæſim acceptis expeditiſſimum apprimeque idoneum eſſe creditur, quod unguentum ex vermibus vulgò nuncupatur. Recipit autem cent. min. linguæ canis lanceolatæ (quæ plantago eſt maj. anguſtifolia) piloſell. conſolid. maj. & min. an. M. j. verm. terreſtr. ℔ ß. ol. commun. ℔ j. vini ℔iß. ſubigantur ſimul, & ita ſeptem diebus nutriantur ſeu fermententur. Deinde illis adde ſævi arietis ℔j. picis nigr. reſin. an. quart. j. gummi ammoniac. galban. opoponac. in aceto diſſolut. an. ʒv. ſimul omnia moderato igne decoq. uſque ad vini & aceti conſumptionem & colentur. Ubi penè refrixerint; adde terebinth. quart. ß. thur. maſtich. ſarcocoll. an. ʒiij. croci ʒij. ſpatulà agitentur in mortario, ut F. unguentum. Si nervus ſit nudatus, non applicabis acria medicamenta. Tunc præſtantiſſimum erit, calcem æſtatis tempore diebus canicularibus ſub Sole aqua ſalubri & dulciſſima ſæpius elotam, & exſiccatam, plurimo optimoque roſaceo admixtam apponere. Congruit etiam in hoc caſu unguentum diapompholig. ut & emplaſtr. diachalcitid. *Petrus Foreſtus. obſerv. 39. & ſchol. lib. 6. obſerv. Chir.*

Pro Vulnere.

Vulneri turundam balſamo ſulphur. imbutam mane ac veſperi applicabam, quæ per agglutinationem & concretionem (quæ facultates peculiares ac mirificæ ſunt in hoc oleo) ſanabatur intra quatuor dies. Sic cætera vulnera omnia etiam à tormentis bellicis & ſclopetis accepta, miraculosè curavimus. *Martinus Rulandus. curat. 88. cent. 1.*

Vulnera mane & veſperi vino mundifico: poſtea goſſipium aut linteolum in oleum hyperic. intinctum vulneri applico: atque hoc perfacili remedio vulnera citò certòque ſine majore negotio ſano. *Martinus Rulandus. curat. 6. cent. 3.*

In parte nervoſa vulnerata utendum eſt lenibus ac dolorem placantibus, ne à dolore fluxio incumbat parti: quare pax ſit à validè refrigerantibus & ſtringentibus: potius calidis ſiccantibus cui entur. Sæpè non ſine ſucceſſu author fui Chirurgis, ut in his uterentur oleo extuſo ex ſem. hyperici, cui immacerati fuerant flores hyperici. *Jo. Heurnius. ad aphor. 66. ſect. 5.*

Vidi domicellam quæ in humeri & ſcapulæ articulo vulnus acceperat. Nullus tumor apparebat, leniter inſaniebat, ac claudi januas ac feneſtras volebat, ne alicubi mors ingrederetur: obiit. Virum vidi, qui lapſu humeri carnem læſerat, nullus tumor, leniter inſaniebat, edere nolebat, verebatur enim ne cochlearia ac patinę irreperent in ventriculum, obiit. *Jo. Heurnius. ad aphor. 65. ſect. 5.*

Succus urticæ cum urina pueri miſtus abluendo, vulnera citò & mirè ſanat. *Felix Platerus. practic. tom. 2. cap. 17. pag. 809.*

Inter vulgus noſtrum celebre & decantatum eſt unguentum *Torchilli* Ruſtici Cimbri, quo feliciter utuntur in vulneribus recentibus & inveteratis, in nervorum reſolutione, & quàm plurimis aliis affectibus, ut huc tanquam ad ſacram anchoram confugiant, quanquàm ex lege artis confectum non ſit, contemnenda tamen neutiquam eſt plebei hominis experientia, quandoque olitor eſt opportuna locutus. Ut ad plures unguentum perveniat, non gravabor ejus compoſitionem hìc ſignare.

℞. Balſamitæ ſeu ſalvię part. iv. millefol. part. iij. quæ colligantur exeunte menſe Majo, vel aliàs pro tempeſtatis varietate, minutim inciſa, ſimul coquantur per horas duas in vaſe cum butyri Majalis ℔viij. colentur; & colatura iterum igni imponatur, admixtis ſęvi cervini ℔ij. & ſævi hircini ℔ j. ceræ ℔ß. reſin. pini, quart. j. terebinth. ℔iß. coq. omnia invicem donec diſſoluta ſint, deinde ab igne remotis, addendum tantum ærugin. minutim contuſi, ut viridi colore tingantur, immiſcendæ quoque ol. ſpicæ ℥ij. ut ita omnia invicem permiſceantur, & agitentur donec refrigeſcant. Aliud ejuſdem unguentum ad membrorum dolores, fracturas oſſium, luxationes, alioſque externos morbos, qui integra & illæſa cute moleſti ſunt, miris

ris à vulgo encomiis laudatur, cujus hæc eſt conficiendi ratio.

℞. Abſinth. marin. virid. quartarium vaſis, conſolid. maj. tantundem; minutim conciſa coq. per horas duas in butyri Majalis ℔x. & colentur. Colatura ſuper novum ignem reponatur cum ſævi cervin. ℔ij. axung. taxi ℔j. ceræ ℔ß. terebinth. ℔iiß. donec hæc liqueſcant. Deinde ab igne remotis, addantur olei juniper. ℥. iv. & invicem agitentur donec refrigeſcant. *Thomas Bartholinus. hiſtor.* 23. *cent.* 6.

Nuper patefactum eſt remedium Sympatheticum, quod ſanat eminus. Doctor Theologus quidam retulit mihi, quod cùm non poſſet aſſequi, ſubeſſe in chalcantho vim naturalem ſanandi vulnus abſens, ſi linteo cruento adſpergeretur, ideoque reputaſſe operâ Diaboli iſtam ſanationem contingere: ex altera autem parte vidiſſet aliquot experientias à viris probis factas: itaque in re dubia & caſu Conſcientiæ, ſe feciſſe experientiam rei hoc modo. Inſperſit pulverem optimi chalcanthi linteo cruento, cum proteſtatione expreſſa, ſe nolle quicquam experiri, aut ſanatum iri, ſi vel minima eſſet pacti aut cacodæmonis operatio: ſe vidiſſe tamen vulnus ſolito citius ſanatum, cruorem etiam ſtatim ſedatum: adeoque deinde ſe credidiſſe cauſas naturales, quanquam nobis ignotas, operari in præfata ſympathetica curatione. *Jo. Helmont. tract. cui tit. Butler.*

Pro vulnere ſub ala ad pulmones penetrante.

Injectiones primùm abſtergentes, poſtea ſiccantes & conſolidantes ſucceſſivè in vulnus per ſyringam infundantur tepidè, corpore ita collocato ut rurſus effluere poſſint. Abſtergens injectio talis ſit.

℞. Seri lactis caprilli ℥viij. mell. roſ. ℥ij. ſucci apii, chelidon. an. ℥j. ſarcocoll. infuſ. in lacte & ſolut. ʒiß. terebinth. cum vitell. ovi ſolut ʒij. M. F. injectio abſtergens; interlapſo med. die, injectio conſolidans adhibeatur ita.

℞. Lactis caprin. in quo igniti ſilices ſunt extincti ℔ß. diſſolv. ſucc. plantag. rad. conſolid. maj. an. ℥j. ſarcocoll. infuſ. & ſolut. in lacte ʒiß. terebinth. ſolut. cum vitel. ovi ʒij. M. F. injectio conſolidans. Si multum puris emanet, abſtergente frequentius, ſin minus, conſolidante utatur. Bibat ſingulis diebus lac caprillum, & ſi pus remittat, ovillum ad ℥iv. pro vice, ſumendo mane in lecto cum ʒiß. ſequentis pulveris.

℞. Rad. conſolid. maj. ʒ ij. rad. alth. ʒj. liquir. ʒiij. ſem. plang. ʒj. ſem. hyoſcyam. ʒß. ocul. cancri ʒj. gummi arab. tragac. an. ʒß. ſacch. roſ. tabul. ℥iv. M. F. pulvis. Injiciantur vulneri turundæ iſto unguento tinctæ.

℞. Terebinth. lotæ in aq. ſalv. ℥ß. mell. roſ. ʒiij. farin. hord. ʒiij. aloës ſuccotrin. ʒiij. M. F. unguentum. Paretur potus vulnerarius thoracicus in hunc modum.

℞. Herbar. pyrol. veronic. alchymill. caryophyllat. caul. rubr. ſanicul. utriuſque an. M. j. ungul. caballin. Miß. agrimon. pentaphyl. an. M. ß. rad. conſolid. maj. ʒiij. rad. biſtort. ʒj. coq. in aq. font. ad ℔j. add. mell. roſ. colat. ℥ij. ſyr. jujub. ℥j. M. pro decocto traumatico. *Jo. Petrus Lotichius. obſerv.* 6. *cap.* 8. *lib.* 6.

Pro vulnere, in Pectore.

Vulneratus quidam in pectore cum globo ſclopeti, ſequenti potu curatus fuit.

℞. Pulv. artemiſ. conſolid. maj. bugulę, ungul. caballin. hyſſop. caul. rubr. an. M. j. vel ij. coq. in vino & aqua, addendo in fine mell. q. ſ. & F. potus.

Hæc potio ſequens mirabilis, ad vulnera interna valere dicitur.

℞. Agrimon. pimpinell. fol. oleæ, cent. min. ſtæch. arab. ſalv. piloſell. conſolid. utriuſque, arnogloſſ. caryophillat. rubię tinct. pedis columbin. hormin. abſinth. tanacet. heder. terreſtr. fragar. bugloſſ. gentian. betonic. verben. an. M. ß. bulliant in tribus quartis vini ad quart. j. Poſtea adde mellis ℥viij. colentur in modum clareti. Alii conficiunt ex pyrola, betonica, cariophillat. conſolidis, diaboli morſu, ſanicula, bugula, pervinca, in cerevįſia, vino, aut aqua in duplici vaſe cum melle. Alia potio mirabilis, quæ dicitur fiſtulam curare, oſſa fracta de vulneribus projicere.

℞. Valerian. caulium rubr. fragar. abrotan. tanacet. ſummitat. & rad. lapath. acut. tormentill. rub. tinct. plantag. lanceolatæ, caryophillat. card. ben. an. M. j. ſem. fœnic. apii, petroſel. an. ℥ß. ſem. canab. ℔ß. groſſo modo pulverizata, coq. in ℔x. vini albi, uſque ad conſumptionem medietatis, additis ℔iij. mellis. F. Apozema; detur quolibet mane & ſero cyathus. *Petrus Foreſtus, ſchol. obſ.* 17. *lib.* 6. *obſer. Chir.*

Pluribus experimentis comprobatum audio millefolii virtutem ad vulnerum coitionem, indieſque novis obſervationibus confirmari: referam ſolùm quod ab Hollerio in Chir. adnotatur. Cuidam deciſus naſus erat, qua os in cartilaginem deſinit: Ruſticus propendentem partem alteri digitis conjunxit, herbam tuſam & è vino nigro tritam, quod millefol. appellant, impegit, rudius omnia colligavit, unde celerrimè reſtitit ſanguis profluens, & vulnus pulchra cicatrice, brevi coiit. *Jul. Cæſar. Baricellus. hortul. genial. pag.* 210.

In ulmo arbore inveniuntur veſiculæ quædam, in quibus gummi latet, ad inſtar lenti & glutinoſi humoris, ex quo culices generantur. Humorem hunc unà cum culicibus colligit *Michaël Sterpinus* inſignis Chymicus menſe Junio, in phiala vitrea, qui glutinoſus eſt inſtar argenti vivi, ſed in vitrum conjectus rufeſcit. Poſt plures dies colat, & infundit flores ac rad. Symphyti maj. conciſas, recentes, maceratque in Sole per aliquot dies: tum aquoſitate in cineribus per deſtillationem abſtracta ad dimidium, colat per filtrum, & conficit balſamum vulnerarium, quod ſe in plurimis expertum teſtatur conſolidare vulnera recentia viginti quatuor horarum ſpatio, certiſſimo eventu. *Hieron. Reuſn. obſerv.* 136.

Vulnus cum fractura Cranii, & effluxu particulæ Cerebri, in ſene ſexagenario.

Memini me curaſſe ſenem ſexagenarium, præſentibus Excell. D. Veſlingio, meo tunc diſcipulo, præclariſſimo, ac eruditiſſimo Joanne Rhodio, multiſque Studioſis, qui cùm noctu decidiſſet ex ſcala in caput, impegit in lebetem æneum, ſecuto inde vulnere, cum dilatatione ſuturæ coronalis, ut oſſa bregmatis digitis omnino undiquaque moverentur: ea verò parte, quæ cartilaginea in pueris ſolet eſſe, inveni oſſa fracta, quibus eductis, poſtmodum foramen magnitudine magnæ avellanæ ſuperſtes fuit, ex quo copia cerebri corrupti exivit; Æger verò infra ſcripta hac methodo curatus, vixit decem, & plures annos ſanus.

A principio vulnus dilatavi ferramento incidente; deinde eduxi oſſa illa fracta, unde membranæ manifeſtiſſimè apparuerunt laceratæ, & contuſæ, quæ putrue-

putruerunt, cum cerebro ſub ipſis corrupto. Interim ſupra membranas applicui mel roſaceum duos, vel tres dies, poſtmodum oleum abietinum, cum melle roſaceo miſtum, ad detergendam, & concoquendam materiam in ipſis, & cerebro hærentem, à quibus pro corroboratione, portiunculam Balſami nigri Occidentalis, cum pauco oleo hyperici indidi; quod verò mitum, contuſum cerebrum ante applicationem medicamentorum, cum abſtergerem goſſypio, mane, & veſperi, ejus portio prodiit, cœpitque medicamento præſcripto rubeſcere, ſupra quod caro genita fuit, operuitque totam partem læſam, ut ſolummodo filamenta imbuta unguento ex tuthia applicuerim, ſuperinjecto cerato ex Diachalcitide; quibus ſpatio duorum menſium æger fuit feliciter ſanatus; adminiſtratis tamen prius univerſalibus, immiſſo ſcil. clyſtere, vena ſecta ex ſalvatella; nec non etiam per intervalla cucurbitulis ſcarificatis & non ſcarificatis admotis, lenientibus, alterantibus, & Diæta convenienti; verbo, omnibus illis peractis, quæ inflammationem, & fluxionem prohibere apta erant. *Petrus de Marchettis Obſervationum Chirurgicar. Sylloge.*

Vulnus partis poſticæ capitis, cum fractura cranii & cerebri parte corrupta excreta.

Alium patientem quadragenarium curavi, vulneratum parte poſtica capitis, paulo ſupra ſuturam lambdoidem. Vulnus erat magnum quatuor digitos tranſverſos, os movebatur ad tactum, & membranę cum cerebro erant ſciſſę. Ab initio barbitonſor adhibuerat ſtupas imbutas ovi albumine; ego verò ſequenti die vocatus, ſupra cerebrum appoſui filamenta arida tenuiſſima, membranis verò oleum roſaceum, quia erant inflammatę, labiis vulneris digeſtivum roſaceum; poſtmodum linimentum ſimplex, cataplaſmata cephalica, & embrocationes ex oleo roſaceo undique circa partem læſum; atque in curatione quotidie goſſypio abſtergebam portiunculas cerebri vulnerati, & corrupti; à quibus aliquot poſt dies ſupra ipſum adhibui oleum hyperici: ex cujus uſu decimo quarto die exacto cœpit ſuccreſcere caro rubra; poſtmodum uſus ſum unguento ex Betonica ſupra ipſam carnem, per aliquot dies, eo conſilio, ut hęc citius gigneretur. Tandem filamentis mollioribus, & cerato ex diachalcitide cicatricem induxi, ut ſpatio quinquaginta dierum fuerit perfectè ſanatus æger.

Animadvertendum tamen, quod in omnibus vulneribus cùm capitis, tum aliarum partium niſi fuerint parvi momenti, ſemper curatio inſtituenda eſt, quæ proſpiciat toti corpori, ſanguine ſcilicet educto, lenientibus, alterantibus, & purgantibus exhibitis, cum optima victûs ratione, prout opus fuerit, quod etiam in hoc patiente diligentiſſimè factum fuit. Quod ſemel dixiſſe volo, nè in poſterum id fruſtrà repetendum mihi ſit. *Idem Ibidem.*

Portio Cerebri, cum annexa dura, & pia membrana, ex Cranii fractura educta.

Carolum Juſtachinum, civem Patavinum curavi, enſe ſauciatum ſupra caput, prope ſuturam ſagittalem, cum læſione Cranii, & membranarum: prima ſiquidem lamina, & ſpongioſa erant ſeparatæ à vitrea, quæ latitudine ſuperabat craſſitiem digiti pollicis, longitudine digitum annularem. Hęc verò non ſolum ſeparata erat à prędictis partibus, ſed etiam contuſa, & ſimul cum dura meningę rupta, cui hæc lamina adhærebat. Tonſor à principio dilatavit vulnus, & appoſuit medicamenta accommodata, in ſuperiori obſervatione propoſita, quæ non repeto; ſequenti die, propter ſymptomata indicantia terebrationem, perforavi os, ex cujus foramine aliqua portio ſanguinis effuſi prodiit; applicui deinde medicamenta inflammationi, & contuſioni ipſius membranæ, ut ſupra diximus, dicata, eadem methodo per aliquot dies; dum verò progreſſu temporis abſtergebam partes ipſas ſubjectas, goſſypio ſtylo obvoluto, vitream laminam hinc inde moveri percepi, ut coactus fuerim novam cranii perforationem primę contiguam efficere, ut educerem vitream ſeparatam ab aliis partibus oſſis: verùm omnia in caſſum, quia magnitudo ipſius vitreæ excedebat latitudinem foraminis facti: quare paravi forcipem validum ſatis, quo apprehendi ipſam laminam, atque ſingulis diebus portiunculam ipſius abſcidi; quam tandem diminutam volſellâ eduxi, cui annexæ erant membranæ dura, & pia, cum portiuncula ipſius cerebri; eductâ laminâ, infundi vinum album alteratum Betonicâ, matriſylvâ, ſtœchade, per aliquot dies, & ſpatio viginti dierum cœpit caro rubra apparere ſupra cerebrum, erumpentibus undique circa omnes partes vulneratas oſſibus perforatis, & læſis; atque progreſſu quadraginta dierum circiter æger omnino fuit ſanatus, qui adhuc nunc proſpera utitur valetudine. *Idem ibidem.*

Vulnus mediæ partis capitis, ad corpus uſque calloſum pervadens, cum magna vi ſanguinis effuſi, ad lipothymiam uſque, feliciter ſanatum.

Famulum quendam in nobiliſſima Zabarellæ familia ſanavi, cui vulnus fuit inflictum in parte media capitis, ubi cerebrum à falce dividitur, uſque ad corpus calloſum, vaſis ſectis, & ſinu falcato, adeo ut ad duas libras, & quod excedit, ſanguis effluxerit, ex qua evacuatione in lipothymiam incidit æger, ut mortuum adſtantes crediderint; me accito, patiens quaſi à ſomno profundo expergefactus, ſanguinem denuò effudit; ego verò ſtatim opplevi totum vulnus, quod æquabat longitudinem totius capitis, perveniebatque ut dixi, uſque ad corpus calloſum; goſſypio uſto, imbuto ovi albumine, bolo armena, ſanguine draconis; filamentis tandem aridis ſupra goſſypium, & ſtupa imbuta eodem ovi albumine, cum dictis pulveribus, unde ſanguis firmatus, tertiaque tantùm die ſtupæ, & filamenta arida, cum aliqua portione goſſypii uſti fuerunt ſublata, alia portione ejuſdem, cum pulveribus, quæ adhærebat vaſis, ſuperſtite, qui pulveres poſt decimam quartam paulatim fuerunt ſeparati, nec ſanguis amplius fluxit. Interim ſupra labia vulneris, ut ſupra dictum eſt, applicui digerentia, ſupra cerebrum verò prædictos pulveres, cum filamentis aridis; à quorum uſu circa vigeſimam diem cœpit apparere cerebrum rubrum, & carne tectum, ut propterea adminiſtraverim medicamenta uſque ad perfectam ſanitatem ſuperius propoſita, quibus non ſine divina ope fuit feliciſſimè ſanatus. *Idem ibidem.*

Vulnus magnum, cum paralyſi brachii oppoſiti, & linguæ; ſanatum, educto fruſtulo oſſis, cum portione membranæ piæ, & Cerebri.

Antonium Vendramenum, Patavini hujus Collegii Philoſophiæ Doctorem, multis vulneribus confoſſum fuiſſe memini, inter quæ, capitis duntaxat, obſervatione dignum erat, quod in parte ejus dextera totum cranium, & membranas ipſas penetrabat, adeo ut fruſtulum ipſius laminæ vitreæ, ubi fermè vulnus deſinebat, pungeret membranas, & cerebrum; ut propterea, præter alia ſymptomata his vulneribus communia, hoc fuerit huic proprium; paralyſis nempè in brachio oppoſito,

poſito, & lingua, adeo ut nec loqui, nec brachium movere poſſet, Præter communia medicamenta, quæ à principio hujuſmodi vulneri conveniunt, ſequenti die terebravi cranium in media vulneris parte, nullo tamen juvamento, ſed iiſdem ſymptomatibus affligentibus, ut proinde novam terebrationem tentare ſtatuerim, ſed fruſtrà; unde per aliquot dies appoſui ſupra membranas inflammatas oleum roſaceum, qua poſtmodum ſublata, poſt ſeptimam nempè, oleum hyperici, necnon, quia calvus erat patiens, atque membranæ à calvaria diſtabant, quod in calvis ſemper obſervavi, paravi injectiones ad abſtergendas, & corroborandas partes ſubjectas, prius ex vino albo mulſo, poſtmodum eodem alterato medicamentis ſuperius propoſitis; curatis labiis, & aliis partibus ſicuti ſupra dixi. Hęc tamen omnia in caſſum tentata, quia nec motus brachio, nec linguæ rediit ſpatio viginti dierum. Taudem alias duas molitus ſum perforationes certior factus, læſas eſſe membranas, & cerebrum à fruſtulo aliquo oſſis vellicari, quod compertum; in ipſa ſiquidem operatione impegi modiolo in oſſis fruſtulum, quod volſellâ apprehenſum eduxi, cui annexa erat portio membranæ piæ, & cerebri, unde vix mediâ poſt horâ motum linguæ, & brachii recepit; repetitis proindę injectionibus, ad ſanitatem ægrum perduxi, medicamentis præſcriptis, qui vixit poſtea per multos annos incolumis. *Idem ibidem.*

Fungus ex capitis vulnere, pulveribus ex ſpica & ſchœnantho inſperſis, ſanatus.

In conſilium vocatus, vidi patientem vulneratum in ſyncipite, cujus vulnus ad cranium uſque & duram menyngem pertingebat; cùm verò ægrum aliquot poſt dies à vulnere inflicto reviſerem, obſervavi fungum avellanæ magnitudine. Conſului ut inſpergerent pulveres ex ſpica, & ſchœnantho, quorum uſu, ſequenti die atrritus eſt, & brevi etiam propriis remediis vulnus ſanatum. Quo remedio ſæpius fungos ſanavi, ac proinde tanquam arcanum vobis propono. *Idem ibidem.*

Epilepſia duos, aut tres menſes, à vulnere Cranii intempeſtivè obducto, terebratione ſanata.

Conſultationem me habuiſſe aliquando memini cum præclariſſimo D. Julio Sala Profeſſore Patavino, de quodam vulnerato pugione in capite, cum lęſione non ſolùm cranii, & membranarum, ſed & cerebri ipſius. Vulnus quibuſdam Medicis exterius curatum fuerat, introducta quin etiam cicatrice, ex qua duobus, aut tribus poſt menſibus, Epilepſiâ correptus eſt æger, quâ bis, aut ter quolibet menſe divexabatur; quem cùm Excellentiſſ. Sala interrogaret, an aliquando vulnus aliquod in capite paſſus eſſet, ipſo verò id affirmante, ſpecillo ſtatim immiſſo, ſub ipſa cruſta inveni vulnus prædictum penetrans; unde illico deveni ad ſectionem, & dilatationem partis, adhibita ſequenti die terebratione, ex qua effluxerunt ichores quidam flaveſcentes, quorum ratione, ſupra cerebrum, & membranam, Balſamum nigrum occidentale viginti dies adhibui, quorum uſu caro rubra cœpit ſuccreſcere, ægro ſpatio triginta dierum à vulnere, & epilepſia liberato. *Idem ibidem.*

Vulnus cum inſigni depreſſione frontis, eadem non ſublata, ſed rima tantum dilatata, triginta diebus ſanatum.

Curavi puerum ſeptem annorum, cui in fronte ab ictu pedis equini fuit inſignis ejus depreſſio, quam nec triploide, nec vecte attollere potui. Verùm quia in quadam ejuſdem parte aderat rima, ſcalpro abraſorio eam dilatavi, ex qua aliquæ ſeroſitates emanabant, ut medicamenta ad membranam uſque pervaderent, ex methodi lege applicita, à quibus decima quarta die genita hinc inde carne, melius habuit æger, qui tandem vulnere carne repleto unguentis ſarcoticis, ſpatio triginta dierum fuit omninò ſanatus, & optima huc uſque fruitur valetudine. *Idem ibidem.*

Vulnus poſticæ partis capitis, cum depreſſione oſſis, & contuſione, ſine terebratione perfectè ſanatum, in puella.

Puellam quandam ex familia Ridi obſervavi, quæ, cùm ex ſcala decidiſſet, & parte capitis poſtica impegiſſet in ejuſdem lapideum gradum, inſignem depreſſionem oſſis paſſa eſt, cum contuſione tantùm. Cùm verò ejuſdem Parentes non concederent ſectionem, nec operationes in his caſibus pernecesſſarias, ſed medicamenta dumtaxat applicarent ad inflammationem, & contuſionem, præter Medicorum ſpem à natura fuit ſanata, ſuperſtite tamen inſigni depreſſione oſſis, ſine ulla tamen puellæ moleſtia; quæ adulta poſtmodum nupta fuit, & liberos procreavit, nuncque optimè degit. Non proinde metuendum admodum pueris hoc modo contuſis, ob mollitiem ipſius cranii. *Idem ibidem.*

Ex vulnere anguli majoris oculi maturiùs occluſo, aliud vulnus in cervice, cum febre, quæ ceſſavit, eodem patefacto, & curato.

Rigaiam quendam nomine novi, pugione in angulo majori oculi læſum, ad quem ſtatim vocatus, obſervavi labia vulneris ſuturâ à Barbitonſore ad mutuum contactum adductâ, nullo tamen moleſto ſymptomate præter febrem ſatis vehementem. Ægrum verò cùm interrogarem, an ſentiret dolorem in partibus internis, de eodem, & quidem gravi conqueſtus eſt in occipitis parte oppoſita cervici, qua inſpecta, deprehendi vulnus parvum in extremo occipite. Quapropter ſectis punctis, quibus labia adducta invicem jungebantur, ſpecillo demiſſo ad extremum uſque vulnus, & ipſum occiput, illud exploravi; ac proinde in ejuſdem partem anteriorem, & poſteriorem immiſſis exiguis turundis ejuſdem magnitudinis, quæ longitudine non excedebant craſſitiem duorum digitorum; ſupra has impoſui medicamenta digerentia; & deſuper ceratum ex ceruſa. Pure verò jam apparente bono, & laudabili, uſus ſum unguento ex Betonica per aliquot dies, quibus tranſactis, cœpit ſuccreſcere caro; quare turundis decurtatis, atque decimâ quartâ, ceſſante febre, iiſdem omninò eductis, filamenta imbuta unguento ex tuthia applicui, ſuperaddito cerato ex Diachalcitide; quorum uſu ſpatio viginti dierum fuit ſanatus æger, adminiſtratis à principio remediis univerſalibus ex methodi lege, ut ſupra dictum eſt. *Idem ibidem.*

Vulnus muſculi temporalis, cùm fractura Cranii, & membranæ duræ, accedente febre viginti dierum, ſine terebratione feliciter ſanatum.

Lanio quidam fuit vulneratus in parte laterali capitis, cui ſecto muſculo temporali, cranio, & membranâ durâ, omnia ſymptomata, quæ ſolent alioquin in his vulneribus apparere, ſuborta ſunt; & quod gravius, cum tanta copia ſanguinis, ut lipothymia ſucceſſerit. Voca-

catus, vidi ipſum veluti mortuum; & quamvis ſanguis ad partes internas refluxiſſet, quod ſemper ſolet contingere in lipothymiis, adhibui tamen omnia illa medicamenta, quæ vim habent ſanguinem ſiſtendi, goſſypium nempe uſtum, pulveres aſtringentes, cum ovi albuminibus, quibus ejuſdem fluxus ſedatus eſt; ut propterea tertia tantum qualibet die vulnus detexerim, & unguibus quàm optimè fieri potuit, ſeparaverim muſculum ab ipſo cranio; verùm quia non erat terebrationi locus & ſedes inſtrumenti erat valde ampla, per quam materia effluere poſſet, abraſorio tantùm ſcalpro locum lævigavi, ipſumque nonnihil dilatavi, ut nulla opus eſſet, terebratione, materiâ purulentâ obſtructis naribus, ex partibus ſubjectis vi propulsâ. Initio verò inſtillavi oleum roſaceum, ad ſeptimam uſque; poſtmodum vinum album mulſum injeci, abſtergendis vulnere; & partibus internis, atque aliquo modo corroborandis. Poſteà alia injectione uſus ſum ex vino albo, alterato medicamentis ſuperiùs propoſitis; quibus tamen ſpatio quadraginta dierum æger convaleſcere non potuit, quia materia ſanioſa continuò effluebat; cannulam propterea impoſui plumbeam, quæ materiam aſſiduè effundebat, quam geſtavit duos menſes circiter. At quia hic patiens errabat continuò in victus ratione, vulnus non potuit ad cicatricem perduci, propter generationem copioſi puris: quinimò incidit in febrem, quam curavi viginti dies, vulnere non neglecto, cui applicui Balſamum nigrum occidentale; præſcriptâ quinetiam diætâ, ratione febris; quibus perfectè ſanatus fuit, necnon medicamentis aliàs propoſitis; ita tamen, ut miſer patiens, teſte Hipp. libro de vulneribus capitis, quod & ego ſępe in praxi obſervavi, non poſſet aperire totum os, quia ſecta parte muſculi temporalis, alia convellitur, unde poſtmodum impotentia illa os diducendi. *Idem ibidem.*

Contuſio gravis ſyncipitis, cum prolapſu in terram, & privatione facultatum principum, neglecta terebratione, lethalis.

Divi Antonii Feſto, feneſtra lignea ſatis gravis ex alto decidit in bregma cujuſdam juvenis, cute tamen non ſciſſa, ſed graviter contuſa, ex quo caſu in terram prolapſus æger, ſine ſenſu, & motu, cum privatione omnium facultatum principum, horæ ſpatio; ad quem Medicus magni nominis, ſimul cum quodam Cheirurgo vocatus à principio, applicuerunt medicamenta conſueta, ovi nempe albumen, oleum roſaceum, & ſimilia; ego verò accerſitus ſecunda die, ſtatim ad cutis ſectionem, & cranii perforationem deveniendum cenſui, renuentibus Chirurgis me ſenioribus, nec non patre ipſius ægri Variſco; verùm tantummodò præſcribentibus cataplaſmata, inunctiones, & alia externa remedia. Quindecim verò, aut ſexdecim poſt diebus, denuo accitus, cùm viderem tumorem in parte læſa ſatis magnum, atque ſub digitis perciperem pus fluctuans, nedum tamen permiſerunt oſſis exciſionem; at iterum poſt vigeſimam vocatus, annuentibus tandem omnibus, ſectionem cruciatim adminiſtravi, ex qua maxima copia puris effluxit, cujus ratione ſummi illi viri terebrationem reprobarunt, niſi poſt quadrageſimam diem, hac obſervatione adducti; quod natura per poroſitates oſſis cranii purulentam materiam ſupra membranas, & Cerebrum hæ entem tranſmittebat; quod antea certe nunquam vidi; materia ſiquidem effluebat per poros, ad unciam unam quolibet die: quapropter ægrum cùm terebraſſem, ex foramine quotidie copioſum pus emanabat; ipſo tamen ægro ſexageſimâ extincto. Huic ſimilem etiam caſum in cive quodam Patavino Merio, pilâ ferreâ contuſo in capite, obſervavi, cum effluxu ſanioſæ materiæ per foraminula, & poros calvariæ: ad quem tertiò tantùm inviſi, aliis Medicis ad ejus curam vocatis, qui à principio prætermiſſa terebratione, illi mortis autores fuerunt; quod moneo, ne in iſtos incidatis errores, ſi quando prę manibus habueritis hujuſmodi vulneratos, cum ſymptomatibus, quæ nobis demonſtrant partes internas lęſas. *Idem ibidem.*

Vulnus capitis, cum fractura oſſis ſyncipitis, & frontis, ſcalpro dilatata rima, poſt ſeptimum ſanatum.

Delatus quidam in valetudinarium D. Franciſci, poſt ſeptimam, vulneratus parte anteriori bregmatis, ad principium uſque oſſis Frontis, cum ſectione membranarum: inſtrumenti tamen ſedes non admodum ampla, qua à Medico propterea nonnihil ſcalpro dilatata, ex foramine ipſius vulneris ſeroſitates duntaxat effluxerunt, licet non copioſæ; quod verò febre continua laboraret æger, nullo alio ſymptomate moleſta; nec à principio quidem, præter hęmorrhagiam narium, ad ſemilibram ſanguinis, neque materia poſſet liberè expurgari, ideo deveni ad perforationem oſſis, ex qua pauca materia ſeroſa excreta; undecimâ verò incidit æger in ſomnum profundum, Lethargi æmulum, pulſu tamen valido, cui præſcripto victu tenui, cum pauco quandoque vino oligophoro, decimâ quartâ veluti à ſomno experrectus, erumpente maximâ puris copia ex naribus, cœpit loqui, cum delirio; cui proinde ſtatim inunxi partes internas, & externas naſi oleo amygdalarum dulcium, quo facilius laxarentur, ductâ quinetiam per nares aquâ hordei, cum manna: vulnere autem propriis medicamentis ſuperiùs propoſitis curato, vigeſimâ æger fuit liberatus à febre, nec materia ex naribus amplius fluxit. Hîc autem obſervandus ordo ipſius naturæ; initio ſiquidem vulneris ſtatim ſanguis ex naribus fluxit, quam viam poſtmodum natura ſibi parante, ac totum pus in capite hęrens expurgatum, ægro quadraginta diebus ſanitati reſtituto. Non itaque ægri, quamvis motu careant mortuorum inſtar, præſentibus quinetiam ſymptomatibus prędictis, ſine cibo, ac remediis ſunt dimittendi, cùm in arte aliquando naſcantur monſtra, Averroe teſte. *Idem ibidem.*

Vulnus Capitis ſine fractura, & rima cranii, decimâ quartâ lethale, ob copiam puris inter utramque membranam deliteſcentis, ex cerebri contuſione.

Aliud vidi in eodem Noſodochio ęſtate, parte media bregmatis leviter vulneratum, cute tantummodo, & pericranio læſis, abſque ulla offenſa cranii. Hic patiens nullum paſſus eſt ſymptoma, neque morbi principio, neque die quarta, quem tamen ſeptimâ invaſit rigor inſignis, cum concuſſione totius corporis quod remiſſo frigore incaleſcere cœpit, prout contingere ſolet in tertianis: ego verò poſt remiſſionem febris, ipſum terebravi, licet nulla materia ex foramine effluxerit: cùm verò membrana utcunque humore diffluerer, in illam infudi ſanguinem palumbi, ex ala ſtatim eductum, corroborando ipſius calori; qua tamen ſequenti die nigreſcente, applicui aquam vitæ ad undecimam uſque, tandem Balſamum nigrum Occidentale, ægro tamen decimâ quartâ extincto. Secto cranio, atque benè undique deterſo, & abluto ac diligentiſſime ad ſolem quaquaverſum inſpecto, nunquam potui in eo rimam, aut aliam aliquam noxam videre; verùm ſectâ membranâ durâ, ſub vulnere, inter ipſam, & piam, maximam puris copiam deprehendi, non ſine admiratione, nullam fuiſſe rimam in oſſe, atque patientem nullum paſſum eſſe ſymptoma ad ſeptimam uſque, perindè ac ſi non fuiſſet vulneratus; ut propterea ſeptimâ, illud ſymptoma contigiſſe conjicere liceat, contuſione facta in membranis, & Cerebro, cu-

cujus cauſa aliquod vas fuerit diſruptum, ex quo ſanguis effluxit, qui cùm, omnium conſenſu, extra vaſa concreſcat, & putreſcat; ideo copioſa materia purulenta ſuprà Cerebrum congeſta fuit, ægro mortis cauſa.

Dubitare verò hîc quis poſſet, an ſecanda ſit dura menynx, quò exitus pateat ſaniei, ſupra piam & Cerebrum collectæ; quod ſcilicet punctâ durâ membranâ, convulſionum certum periculū immineat, ac proinde mortis; quod tamen nullum cenſemus, factis duabus terebrationibus oſſis, & patefacto uſque adeo foramine, ut longa ſectio fieri poſſit ſupra duram membranam; & quidem hac ratione, quia magna vulnera capitis, quæ non ſolùm ſecant membranas, ſed etiam cerebrum, ſanantur. Quando igitur certò conſtat, materiam inter utramque menyngem collectam eſſe, tunc tutò poſſumus devenire ad hanc operationem, utcunque periculi non expertem, cùm alioqui nullo adhibito remedio, certa mors immineat, atque ex Celſo præſtet anceps remedium experiri, quàm nullum, impiumque ſit relinquere ægrum remediis deſtitutum. *Idem ibidem.*

Vulnus anterioris frontis, ad meditullium uſque lethale, citra ullam cerebri, & membranæ labē, omnibus licet ſymptomatibus vulneris capitis præſentibus, cum hiatu ſuturæ lambdoidis, & materia ſanioſa intra ipſas ſuturas, & ſupra menyngem deliteſcente; præter alias obſervationes magni momenti in curatione vulnerum capitis cū fractura.

Tertium in eodem Xenodochio, parte anterioti frontis, pugione graviter ſatis vulneratum mihi videre contigit, cujus vulnus penetrabat uſque ad meditullium. In hoc omnia aderant ſymptomata vulneribus capitis communia, alienatio nempe mentis, vomitus, aurium tinnitus, & alia ab Hippocr. enumerata: & licet de dolore alicujus partis non conquereretur, ſecunda tamen die ipſum terebravi, ſymptomatibus hoc præſidium poſtulantibus, & membranam aliquantulum inflammatam deprehendi, cujus causâ uſus ſum remediis ſuprà propoſitis, ſpectantibus inflammationem: licet verò menyngem deprimerem, & patiens obſtructis naribus ipſam propelleret, nec quicquam perforatione peracta, effluxiſſet, obiit decimâ quartâ. Sectâ calvariâ loco vulneris, nec membrana, nec Cerebrum ullam noxam exhibuerunt, vitrea quinetiam illæſa; quanquam ſutura lambdoides laxata fuerit, craſſitie digiti auricularis, pauca materia ſanioſa intra ipſas ſuturas, & ſupra duram membranam deliteſcente. Cui ſimilem caſum me nunquam obſervaſſe memini, licet, contrafiſſuras in multis Calvariæ partibus viderim, non tamen in ſuturis; quanquam earum apud Auctores proſtent exempla.

Circa quæ vulnera Capitis nonnulla obſervanda. Primò quod ſi contingat, ex aliquo ictu incidere patientem in mentis alienationem, cum privatione ſenſus, & motus, niſi alia ſymptomata ab Hippocr. enumerata accedant, nullum periculum vitæ immineat; ac proinde prætermittenda ſit quæcunque operatio, ſectio Calvarię ſcilicet, & perforatio ipſius Calvariæ: vidi ſiquidem aliquos ex prolapſu, aut ictu læſo capite, apparente ſolo hoc ſymptomate, ſequenti die omnino liberatos. Secundò, eminentiæ rotundæ undique circa vitream laminam oſſe terebratione educto, ſunt ſignum manifeſtum aciem modioli non perveniſſe ad membranam ipſam, neque perforationem fuiſſe cauſam mortis ipſi patienti; prout vice verſa, iiſdem non apparentibus, indicium erit membranæ læſæ, ac proinde lethale. Tertiò animadvertendum, non ſolùm totam abradendam rimam, aut ſedem inſtrumenti, ad fundum uſque; verùm ſi alterutrum deſcenderit uſque ad meditullium, omninò deveniendum eſſe ad terebrationem, nullo licet alio præſente ſymptomate; hac ratione, quia materia purulenta ex labiis vulneris ad meditullium defluens, per ejus vaſa, ad membranam etiam penetrat, inter quam, & cranium congeſta, patienti mortem infert, quod in plerîſque obſervavi, qui propterea adminiſtrata perforatione, omnes convaluerunt. Quartò præter ſigna ab Hippocrate propoſita, obſervandum, quod ſemper alvi fluxus vulneribus capitis accedens, abſentibus licet aliis ſymptomatibus, cerebri læſi ſignum eſt, propter ejus ſcilicet conſenſum cum nervis ſexti paris, qui orificiis ventriculi adnectuntur, quorum ratione inferius laxatur, & alvi fluxus ſtatim ſuccedit. Hi verò ferè omnes moriuntur, ob læſum cerebrum parte interna, quà in ſpinalem medullam exporrigitur, ubi nervorum ortus; omnia tamen remedia in his caſibus ſtatim adminiſtranda, quæ ad artis opera ſpectant, ab Hippocrate propoſita. Quintò obſervavi ſæpiſſimè, quod quando in his vulneribus collum incipit dolere, parte potiſſimum poſtica, & laterali, tunc materia purulenta delabitur ad Thoracis, & abdominis cavitatem, quæ longiori mora cùm pulmones, tum pleuram, aliquas nempe ipſorum partes erodit, ex quibus multa ſanies emanat, quæ poſtmodum ad abdomen defluit, cum Jecoris, & Lienis labe, in quibus varias puſtulas excitat; quibus diſruptis, perinde ac ex pulmonibus, & pleura, ita & ex his materia purulenta effluit; quanquam hujus obſervationis ignari, exiſtiment, abſceſſus obortos in his partibus, quorum ratione patientes moriuntur, non ex capitis vulnere, quod ex Capite copioſum pus poſſe ad inferna viſcera delabi non ſibi perſuadeant; prout in plerîſque obſervavi, mediam thoracis, & abdominis cavitatem pure fuiſſe refertam. Quam obſervationem multis tum in theatro Anatomico, tum in Valetudinario S. Franciſci demonſtravi. Sextò obſervatione dignum, quod muſculus temporalis nunquam eſt ſecandus, contra multorum opinionem, qui audacter id præcipiunt, quotieſcunque vulnus, aut contuſio fuerit cum fractura oſſis; quod rationibus abunde probatur. Primò quod plerique ſic vulnerati moriantur. Hippoc. ſententiâ; accedente propria experientia, qui obſervavi, muſculo temporali à quibuſdam Barbitonſoribus perperam ſecto, quarta die patientes convulſos obiiſſe. Secundò quod fracto oſſe ſub ipſo muſculo, omnino lethale ſit, ac proinde ſectio hujuſmodi ſit ſupervacua; quod & ego ſępe vidi, & publicè frequenti theatro demonſtravi in quibuſdam, ſolam rimam in oſſe ſubjecto muſculo temporali repentinę mortis cauſam fuiſſe, cùm falsò Apoplectici haberentur, ſola præſente contuſione, quæ nonniſi gravis, cùm oſſa ſubjecta frangit, & muſculum ipſum, tum partes internas ipſius Cerebri, unde certa mors. Quod ſi ex ſymptomatibus nobis innoreſcant hæ læſiones, extra muſculum, parte ejuſdem decliviori ſectio facienda, ibique terebratio adminiſtranda, nec non lato poſtmodum ſpecillo deprimenda membrana ipſa, quo exitus puri pateat; atque ſi aliqua depreſſio adfuerit, vecte elevanda; & urgente quandoque neceſſitate, totus muſculus tranſverſus ſecandus; quamvis periculoſiſſima ſit operatio. Verùm hæc propono, quia vidi quoſdam ab hujuſmodi vulnere convaluiſſe, oppoſita parte licet convulſa, cùm nec os ipſum multum patefieri potuiſſet: quam tamen operationem nec ſuadeo, nec improbo, licet, ut verum fatear, nunquam eandem fuerim molitus, quod ægrorum plerique, ut dixi, moriantur antequam vocetur Medicus, dato tametſi, non conceſſo caſu, ab illa non me abhorrere profitear.

Si verò vulnus recto eidem muſculo inflictum ſit, digitis potiùs, & unguibus, quo commodiùs fieri poteſt, dilatandum, antequam ad abraſionem, aut perforationem deveniamus, & globulis ex filamentis ſiccis potius ſpatium illud conſervandum; quia etiamſi muſculus ſecetur ductû rectô fibrarum, ſuboriuntur tamen ſæviſſima ſymptomata, cum vitæ diſcrimine; ut propterea

rea ſatius ſit dilatare modo prædicto. Præterea in vulneribus capitis obſervandum, quod hæc non ſolum periculum minantur ad quadrageſimum uſq; diem, ut vulgo creditur, ſed diutius quinetiam; cùm ego ſæpius obſervaverim, quoſdam vixiſſe ultra tres menſes à vulnere inflicto, quidam enim percuſſus ſoleâ equi ferreâ menſe Junio, cum maxima contuſione capitis, abſque ullo tamen horum ſymptomatum, quæ in his vulneribus alioquin ſuboriuntur, cui licet ſecto loco contuſo, ſanguis extra vaſa effuſus eductus ſit, atque omnes partes contuſæ expurgatæ medicamentis propriis, vulnere menſis ſpatio anguſtiori reddito; nunquam tamen id ad cicatricem deductum, aliqua portione puris continuò emanante; quanquam læſio nunquam in oſſe apparuerit, nullumque ſymptoma: menſe tamen Octobri ſuborta eſt febris, cum rigore, & vomitu, atque quarta die ab his ſymptomatibus obiit æger. Aperto cranio, maxima copia puris inventa fuit ſupra membranas, & intra ſubſtantiam cerebri.

Alium etiam vidi leviter vulneratum media capitis parte, non detecto oſſe, & nullo apparente ſymptomate, qui à Chirurgis ſanatus, tribus pòſt menſibus, quibus incolumis ſemper vixit, correptus fuit febre maligna, ſine ullo ſymptomate vulneris capitis; poſt ſeptimam dolor capitis ſubortus, loco vulneris inflicti tribus antè menſibus, in quo tamen jam ad cicatricem deducto, nihil apparuit, ægro decimâ quartâ mortuo. Sectâ calvaria modo jam dicto, pus ſupra membranas, & cerebrum deprehendi; ut propterea vulgi opinioni credendum non ſit, poſt quadrageſimam diem, capite vulneratos, ratione vulneris mori non poſſe.

Terebrationem verò Capitis quod ſpectat, video contradictionem in libro Hippocratis de vulneribus capitis; hic ſiquidem capite vigeſimo ſecundo ſcribit, facta abraſione, ſi opus fuerit, *deveniendum ad perforationem ipſius cranii ante triduum*, tempore calido potiſſimum; cum vigeſimo nono ejuſdem expreſsè dicat, quod ſi à principio fuerimus vocati, perforationem oſſis uſque ad membranas non eſſe tentandam; quæ manifeſta eſt contradictio; quia ſi opus fuerit terebrare, quod patet ex ſymptomatibus vulneri ſtatim ſupervenientibus, membrana detegenda ante triduum, quò vapores calidi ab imminente inflammatione elevati exhalare poſſint, atque ejuſdem ſuppuratio prohibeatur, quæ neceſſariò, neglecto hoc præſidio, ſuboritur, quæ, & membranas, & cerebrum corrumpit, cum vitę diſcrimine. Accedit, quod non detecta membrana, cùm nempè totum os non educitur, quamvis parum moveatur, ut inquit Hippocrates, ſignis apparentibus læſionis partium internarum, fruſtra fuerit terebratio illa, uſque ad vitream tantùm, dum os ſponte ſua abſcedat, quia pus ſupprimitur, ſuccedentibus poſtmodum jam dictis ſymptomatibus; cùm terebrationis nullus alius ſit uſus, quàm ut materia purulenta intus concluſa per foramen effluat, ego ſiquidem obſervavi, quod ſi à filamentis incautè applicatis, aut goſſypio vel fruſtulo aliquo oſſis pus coërceatur, membranæ ſæpiſſime, & cerebrum corrumpantur, ut dixi; quam ſolam ob cauſam perforationem præſcripſit Hippocrates, quò exitus materiæ purulentæ pateat; ut proinde abſentibus ſymptomatibus non ſit in uſum revocanda, cùm nudatâ membrana periculi plena ſit; quia ex Hippocrate ab ambiente facilè læditur; contrà verò, ſymptomatibus apparentibus, ſtatim perforandum totum os, cùm id ſuperſtes non poſſit ſeparari, niſi ſpatio viginti, aut quadraginta dierum plurimùm, pure interim ſuppreſſo patientem interficiente; qua ratione adducor ut cenſeam, hæc non eſſe verba Divini Hippocratis, ac propterea codicem corruptum; quæ Foeſii, diligentiſſimi ipſius interpretis quinetiam eſt ſententia.

Hæc ſunt à me obſervata in vulneribus capitis, quibus ſuccedunt quædam obſervationes eorum, quæ non ratione vulneris, ſed aliquâ ab aliâ cauſâ contingunt. *Idem ibidem.*

Cutis Capitis, Urſi unguibus cũ pericranio, ad ſuturã uſque lambdoidem diſcerpta, ſanata, ſuccreſcente in ejus vicem alio tegmine illi analogo, cũ capillis. Corteſius refellitur de perforatione Cranii in ſuturis.

Cuidam puero ſeptem annorum ex prædotropheio orphanorum Patavino ab unguibus urſi tota capitis cutis, cum pericranio ad ſuturam uſque lambdoidem diſcerpta & dilaniata fuit; quem curavi primò medicamentis digerentibus vulneri admotis, oſſi verò nudato, filamentis aridis, quibus quindecim dierum ſpatio ex ipſis ſuturis, caro rubra repullulaſcere cœpit, & totum cranium velavit; epuloticis deinde cutis, aut illi quid analogum productum eſt, nec non trium menſium ſpatio, pili quoque, quod mirum, fruticarunt toto ferè cicatricis ductu: quædam enim ſpatia iiſdem vacua relicta, propter callum ejuſdem partis. Fallitur proinde Corteſius, vir alioquin doctiſſimus, qui tractatu de vulneribus capitis, textu vigeſimo, mordicus tuetur, pericranium nequaquam ortum ducere à dura menynge; cùm ipſe in theatro Anatomico publicè ſæpius demonſtraverim, idem eſſe duræ matri continuum: quinimo idem auctor hanc profitetur ſententiam, perforationem nempe cranii ſupra ipſas ſuturas, abſq; vitę periculo fieri poſſe, contra Hippocratis mentem, qui deceptum ſe fateri non veretur, cùm rimam, vel teli ſedem perforaſſet ſuturæ loco, mortuo ægro, ut in hiſtoria Autonomi in Omilo, & Famulæ itidem in Omilo, ex capitis vulnere in ſuturis, mortuorum, patet; l. 5. Epidemiorum, ut propterea non ſit omninò perforatio molienda ſupra ſuturas; quod ego longo artis uſu obſervavi, quoſdam ſcilicet ab imperitis Chirurgis ſupra ſuturas perforato cranio, ſeptimâ mortuos eſſe: quinimò ſi vulnus fuerit inflictum ſupra ſuturas, cum levi earundem labe, lethale plerumque eſt; quodque gravius, vidi etiam in laborantibus gummate Gallico, ſupra ſuturas, corroſis à venefica qualitate pericranio, & cranio, atque deſtillantibus ichoribus in eo genitis ſupra duram menyngem, ſubortam convulſionem, & mortem. Ab hac ergo perforatione, non ſolùm ſupra ſuturas cavendum, ſed etiam juxta ipſas, utpotè pernitioſa, & lethali, quod monuiſſe volui non ſolùm propter Corteſium, magni alioquin nominis virum, ſed ut bono publico conſulam. *Idem ibidem.*

Vulnus frontis amplum, ad oculos uſque pervadens, cum cæcitate derepente ſuborta, ſanatum.

Miles quidam Germanus, vulneratus ſica gravi, & latiſſima, in parte frontis, ſecto ejuſdem oſſe, & cerebro ferè uſque ad oculos, derepente cæcus factus eſt; vel fortaſſe ex ſectione opticorum nervorum, quod tamen ob vulnus altius deſcendens mihi ſpecillo explorare non licuit; vel, quod veriſimilius, ex vehementi illa concuſſione repletis nervis materiâ pituitoſâ, quæ plerumque guttam ſerenam, Græcè Amauroſin inducere ſolet. Hic autem Patiens medicamentis ex methodi lege præſcriptis toti corpori, & parti affectæ dicatis, duorum menſium ſpatio convaluit ex vulnere, cæcitate tamen ſuperſtite, quanquam pupilla lucidiſſima appareret, ut in hujuſmodi morbo contingit. *Idem ibidem.*

Vulnus

Vulnus anguli majoris oculi, inflictum manubrio flabelli, ſanatum, cujus, ſuborto tribus poſt menſibus, tumore, ex palato portio fracta educta fuit.

Memini me curaſſe mendicum quendam, qui cùm importune eleemoſynam peteret, æſtate, à nobili quodam Patavino, manubrio ventilabri fuit vulneratus in angulo majori oculi, tantoque impetu, ut portio ejuſdem, tres digitos longi, fracta in illo hæſerit, non conſpicua exterius, præter ſola ejuſdem fruſtula extra angulum prominentia, cùm altera illius pars orbitam oculi fregiſſet, & ad palatum deſcendiſſet. Hunc autem cùm in Noſodochio menſem integrum curarem, eduxi primo fruſtula illa, quæ in angulo ipſius oculi ſolummodo hæſiſſe exiſtimabam, unde collyriis prius arcentibus inflammationem, deinde exſiccantibus, cicatrice exteriùs inducta, diſceſſit veluti ſanus; qui tamen tribus pòſt menſibus circiter acceſſit me, tumore ſatis magno in palato laborans, quem dum ſecarem, cultro impegi in flabelli manubriolum, quod volſellâ extraxi, impoſitis poſtmodum filamentis, primò imbutis ovi albumine, poſtero verò die, globulis intinctis melle roſaceo, aliquot dies. Tandem melle roſaceo, & aquâ hordei, quorum uſu omnino convaluit. *Idem ibidem.*

Vulnus ſclopeti in articulatione humeri cùm ſcapula, ſanatum, decem annis incolumi ægro; à quibus orto in eadem parte tumore, totum acromium corruptum volſellâ eductum.

Mercator quidam ex familia Merulorum, vulneratus ſclopeto in articulatione capitis humeri cum ſcapula; ſanatus ab Excellentiſſ. Julio Caſſerio Placentino, Anatomes, & Chirurgiæ Profeſſore magni nominis; decem annos integra uſus valetudine, tumore inſigni demum laboravit; quo loco cicatrix occaluerat; cum febre; & dolore gravi, quo ſtatim à me ſecto, maxima copia puris ex eodem effuſa eſt, immiſsâ poſtea turundâ imbutâ ovi albumine, atque ſuperinjectâ ſtupâ eodem madefactâ; poſtero verò die metuens ne rumor hic cauſam haberet aliquam corruptionem oſſis, & ſpecillo id explorarem, deprehendi fruſtulum oſſis mobile, quod volſellâ eduxi, totum ſcilicet acromium ipſius ſcapulæ; digerentibus pòſtmodum medicamentis prius ſarcoticis, demum epuloticis uſus, ſpatio menſis perfectiſſime ægrum ad ſanitatem deduxi.

Non itaque mirum, ſi in vulneribus ſclopetorum, multo temporis ſpatio oſſa læſa abſcedunt: hoc ſiquidem in praxi frequentiſſimum. *Idem ibidem.*

Vulnerum in Thoracis cavitatem penetrantium; tum quæ læſis intercoſtalibus vaſis ſanguinem in eandem effundunt; tum quæ iiſdem integris, infliguntur, vera curandi Methodus.

Frequentiſſimè obſervavi, Thoracis vulnera ejuſdem cavitatem penetrantia, ſine ulla tamen læſione partium internarum; quæ quidem duplicis generis, alia quæ vaſa intercoſtalia lædunt, ex quibus copioſus manans ſanguis in ejuſdem cavitatem delabitur; alia verò, quibus vaſa illæſa ſanguinem in eandem non effundunt. Prioris generis vulnus patens ſervandum; quam curandi methodum omnes Medicinæ ſcriptores proponunt; ſi verò nihil ſanguinis in ſuis patet ſignis, abſentia ſcilicet ſymptomatum, ex ſanguine in eadem collecto; in quibus ſunt febris, tuſſis plurima, gravitas ſupra Diaphragma, & alia hujuſmodi, tunc immiſsâ breviſſimâ turundâ in orificium ipſius vulneris, imbuta ovi albumine, & ſuperinjecto linteolo eodem madefacto, cùm bolo armenâ, & ſanguine draconis, leviter faſciâ comprimo partem læſam; atque ſequenti die, remotâ turundâ ex toto, appono ceratum ex ceruſa, quibus ſpatio ſeptem, aut octo dierum patientes ſanos præſto. Quâ methodo quinetiam vulnera Thoracis, ejus tantummodo muſculos penetrantia, ad ſanitatem deduco, ſpithamam licet ampla, *Idem ibidem.*

Ex vulnere Thoracis inter quartam, & quintam coſtam, Epilepſia ſuborta, qua nunquam aliàs correptus fuerat æger, turundâ immiſsâ, recurrens.

Cùm duo ſtudioſi inter ſe digladiarentur, eorum alter ex familia Curtorum, vulneratus thorace, inter quartam, & quintam coſtam prolapſus eſt in terram Epilepticus, cum ſpuma in ore motibuſque convulſivis, à quibus ſymptomatibus, patiens mortuo ſimilis domum deportatus, pulſibus tamen validis; quia verò Barbitonſor jam obligaverat vulnus, ipſum eodem ſtatu dimiſi, quod cùm accidiſſet matutinis horis, ſub veſperam denuo accitus, redintegratis ſenſu, & motu, poſtero die vulnus obligavi, cùm facultates principes convaluiſſent; quod cùm curarem demiſſo ſpecillo; patiens graviter conqueri cœpit de dolore cum levi quadam Convulſione, Epilepſiæ ſimili; cujus causâ ſpecillum removi, atque à turunda abſtinui; à Barbitonſore ante immiſſâ appoſitis ſolis filamentis digeſtivo roſaceo imbutis, ac ſuperaddito cerato ex ceruſa; & quidem tertia die; quartâ verò, applicato eodem cerato, quibus ſpatio novem dierum ex toto fuit ſanatus æger, qui cùm nunquam aliàs Epilepſiâ laboraſſet, ut mihi retulit, ex vulnere ſolo eâ correptus eſt, ratione ſcilicet nervi intercoſtalis læſi, inculpata valetudine etiam nunc Venetiis degens. *Idem ibidem.*

Pus ex vulneribus Thoracis ſuperioris in ejuſdem cavum effuſum, ſine ſectione quandoque per alvum expurgatum, convaleſcentibus illicò ægris, quò id citiùs contingit.

Vulnera penetrantia Thoracis parte ſuperiori inflicta, ita ut materia intus collecta non poſſit adeò commode expurgari, in Empyema degenerat, ex omnium ſententia; qua ratione quidam à me perforati ſectione inter quintam, & ſextam coſtam, evacuatâ materiâ, pleriquc ſanati fuere. Verùm obſervatione dignum, ſine ſectione eandem per alvum expurgari,: quam tamen viam ſectione Anatomica rimari non potui; quod & ab Hippocr. quinetiam obſervatum libro de morbis; ut propterea quidam illam crediderint non eſſe pus, ſed chyloſam potiùs ſubſtantiam, fruſtrà propterea applicatis hujus causâ Ventriculo remediis, Obſervatum quinetiam à me, quod quotieſcunque citius materia expurgatur ſpatio nempè, ſummùm, diei, ſtatim patientes convaleſcunt, materia ex vulnere non amplius manante, & quod mirum, febre quinetiam ceſſante, utpote quæ, eadem in cavitate Thoracis hærente, eſt continua: quinimo hoc ſignum pathognomonicum cenſetur, patientes immunes eſſe à febre, cùm nulla in Thorace ſanies, quæ vulnus ſtatim occludendum indicat, qua contrà ſenſim exudante, omnes moriuntur; quia morâ ſuâ dum permeat, partes internæ exulcerantur, pus augetur, atque ulcera, febriſque quotidie invaleſcunt, cum præſenti vitæ diſcrimine. Quòd proptereà animadvertendum illis eſt qui adhibentur his curationibus,

tionibus, ut ſcilicet ſi pus brevi ſpatio temporis non evacuetur, ejus eductionem quam citiſſimè medicamentis curent; qua ratione exhibeo aut aquam hordei, vel mulſum, quæ paulatim detergent, ac evacuationi aptum reddunt, non ſine ope naturæ illud expellentis; quo ſubſidio non egent robuſtiores, qui paucis diebus totam materiam purulentam extrudunt, & ſanantur, niſi hęc evacuatio diutius protrahitur, quæ illis mortem inferat. Non autem hic propono modum curandi vulnera Thoracis, cùm ab aliis ſatis ſuperque de his actum ſit. *Idem ibidem.*

Ex vulnere in Thoracis cavum penetrante inferius, perperam viginti dies obligato, febris, totius corporis macies, cum delirio ſuborta, à ſuppreſſo pure: quo expurgato, omnia remiſſa, ſanato ægro. Ex ſqualore corpus ſquamis inſtar piſcium obſitum. Error vulgarium Chirurgorum, qui vulnera thoracis non explorata, aquis balſamicis intempeſtivè occludunt, notatur.

Accepit quidam vulnus in Thoracis cavitatem penetrans, parte tamen decliviori, quod cùm Chirurgi quidam Tarviſini viginti dies obligaſſent, neque ejus altitudinem deprehendiſſent, negligentiâ, an imperitiâ dubium, maximâ proindè copiâ puris in thorace congeſtâ, incidit patiens in febrem continuam, cum macie totius corporis, rubore faciei, ac delirio, his potiſſimum verbis expreſſis, opus ſibi eſſe duobus fonticulis, quo materia concluſa expurgaretur; quod non omni ratione vacabat, quanquam non diſtingueret locum deliteſcentis puris, cùm duos brachiis inurendos mandaret. Patavium eodem delato, cùm omnia prædicta accuratiùs expenderem, deveni in cognitionem, cavitatem Thoracis oppletam eſſe pure; quod experientiâ patefactum, demiſſo in vulnus ſpecillo, in quod proinde immiſſa turundâ, poſtridie eduxi phialam puris plenam, delirio ceſſante, & febre remiſſa: quód vero mirum, totum hujus ægri corpus, ratione ſiccitatis, & ſqualoris ſquamis inſtar piſcium obſitum fuit; vocatis ad rei novitatem, Clariſſimo Dominico Sala, cum multis ſtudioſis raro caſu, nec unquam ante hac conſpecto: prout & obſervatione dignum, quod æger macie confectus, atque omnium judicio brevi moriturus, pure per cannulam plumbeam continuò educto, atque injectionibus ab Auctoribus propoſitis, ſpatio duorum menſium ex toto convaluerit, multos etiam annos incolumis.

Quæ ſæpiſſimè quinetiam accidunt hoc tempore, dum imperiti quidam, aquis ſuis balſamicis & balſamis adſtringunt partes externas vulneris, relicta poſtmodum ejuſdem cavitate pure oppleta, unde Empyematici moriuntur; qui propterea pro ignaris omninò habendi methodicæ artis, atque Empiricis, & Agyrtis, qui in circulis popello illudunt, dum ſecta aliqua corporis parte, balſamicis ſuis medicamentis, ſordibus potius, ſequenti die publice vulnus obductum exhibent, cùm pauca tantum cutis ſecta fuerit, quam obligatam, & compreſſam, non ſine naturæ ope agglutinant; quod & mihi experientiâ compertum, vulnera ſcilicet externa, anguſta potiſſimum, nullo adhibito medicamento à natura ſanata, ſolo applicito ovi albumine, trium, aut quatuor dierum ſpatio; cùm tamen ignari, & vulgares homines hos empiricos Deorum loco habeant, hæc vulnera externa videntes occluſa, cunctis ad ipſos confugientibus, qui licet propriâ ignorantiâ deluſi, ægrorum erroribus potius quicquid ſecus acciderit adſcribunt, atque ita ſeipſos ab omni crimine tutantur, non ſine multorum interitu. *Idem ibidem.*

Ex vulnere Thoracis, ſuperiùs magna puris copia in ejuſdem cavo congeſta, ſectione inter quintam, & ſextam coſtam expurgata; nec non per os, & urinam, diei ſpatio.

Cujuſdam ſcribæ filius, ex Agiaciorum familia, vulneratus parte ſuperiori thoracis, ad ejus uſque cavum, ex quo quum pus ægrè expurgaretur, multâ copiâ in eodem congeſtum, decrevi ipſum ſecare inter quintam, & ſextam coſtam ejuſdem lateris, impoſitâ poſtmodum turundâ, ut ſuperius dixi, ſequenti die, qua educta, duæ puris libiæ effluxerunt. Obſervatione verò dignum, non ſolum vulneris orificio pus emanaſſe, ſed & per os quinetiam magna copia, necnon per urinam quoque ad libram unam, & quod excedit, per diem; quæ viæ licet omnibus pateant, non tamen naturæ conſuetæ, facta potiſſimum ſectione, quæ materiam copioſam effudit; cùm tamen patiens eſſet juvenis decem & octo annorum, ac robuſtus, natura propterea has vias communes ſibi paravit, ægro ſpatio menſis omninò ſanato, & adhucnum incolumi, ob rationem ſuperiùs propoſitam.

Dubium verò nonnullis, qua ratione materia purulenta ſupra diaphragma hærens, non impediat reſpirationem, cùm tamen hoc Galeno inſtrumentum ſit proprium reſpirationis; quod ſcilicet experientiâ ſit ipſis compertum, quendam nobilem Bellunenſem fiſtulâ laborantem Thoracis, inter ſextam, & ſeptimam coſtam, nulla reſpirandi difficultate laboraſſe; cujus morbi cauſa, conſultatione habita cum viris hujus urbis præclariſſimis, negantibus multam adeſſe puris copiam in cavitate Thoracis, nulla potiſſimùm reſpirationis difficultate illi moleſta; illorum tamen opinionem mordicus oppugnavi, materiam ſcilicet purulentam intus concludi affirmans, cujus ratione immiſi turundam craſſam ſatis & longam, circa horas veſpertinas, vocatis ſequenti mane multis Studioſis, qui conſultationi interfuerant, quibus præſentibus, cùm turundam educerem, erupit ex Thoracis cavo libra, & quod excedit, puris, fœtentis adeo, ut adſtantes præ odoris gravitate excedere coacti fuerint, quod pus eò confluxerat ex tumore thoracis, quo ſex ante menſibus laboraverat patiens, ſuperſtite poſtmodum fiſtula prædicta. Ex quibus patet, quod quotieſcunque pulmones pus non contingunt, vel moto quinetiam ipſo diaphragmate, tunc reſpiratio illæſa eſt. Quod verò aliquis objicere poſſet, qua ratione ſcilicet innoteſcere poſſit pus in ipſa cavitate concluſum, nulla præſente reſpirandi difficultare; reſpondeo, obſervandum eſſe, quod quando adeſt minima portio puris in Thorace, id non fit ſine febre, quod eſt ſignum illius pathognomonicum, præter alia ab auctoribus propoſita, ut propterea ſuperius admonuerim, vulnera Thoracis non eſſe ad cicatricem ducenda, niſi patientes immunes ab ipſa fuerint aliquot dies: quinimò advertendum quinetiam, quod quando purulenta materia in cavitate Thoracis ſupra diaphragma decumbens, non ſuperat pulmonum alas, tunc per tuſſim non expurgatur; quia admittere non poſſunt, eandem non contingentes. Nobilis verò hic patiens non ſolùm laboravit fiſtula ſimplici thoracis, ſed & præterea duabus coſtis corruptis, quas proinde abradere opus fuit, non ſine quibuſdam aliis remediis, qui tamen cùm per negotia hic morari diutius non poſſet, non integra valetudine diſceſſit, illi tantùm præſcriptis, brevi eo temporis ſpatio, injectionibus ex vino mulſo, & aquis Thermalibus ſulphureis; in quarū uſu mirum occurrit, quod ſtatim infuſæ tuſſi excernebantur, ex vino vero injecto, medicamentis potiſſimum imbuto, illico nulla mora, maximè

maximo impetu rejiciebantur majori copia; ut propterea obſervandum ſit, non ſolùm pulmones, raræ utpote ſubſtantiæ, ſed etiam omnes partes noſtri corporis ſuis poris patere, per quos non ſolùm excrementa communia, ſed etiam materiæ ſanioſæ extruduntur ad communia loca; ſicuti contingit in vulneribus thoracis, quibus non ſolùm ex locis omnibus notis materia purulenta fluit, ſed etiam per inteſtina. *Idem ibidem.*

Ex Vulnere Thoracis Fiſtula ſuborta, ſpatio aliquot menſium pervadens ad capſulam Cordis, hujus ſubſtantiam ad fibras uſque cavitatis abſumpſit.

Ex Vulnere ſterni ad quartam coſtam ſiniſtra parte, ſubortâ fiſtulâ in quodam Veronenſi, cùm per aliquot menſes eâdem laboraſſet, ad ejus curationem me vocavit; cujus corpore primò expurgato, nulla licet ſpe ſalutis, ratione maciei, qua confectus erat, necnon febris, & virium imbecillitatis, immiſſâ turundâ, copioſum pus eduxi; à quo aliquot pòſt diebus ſyncope correptus æger vitam cum morte commutavit.

Diſſecto cadavere, inveni capſulam, & ferè totam cordis ſubſtantiam ad fibras uſque ab ulcere exeſam. Videant igitur, an conſtare poſſit ſententia Ariſtotelis l. 3. de partibus animalium, cap. 4. quòd Cor nullum vitium grave diu patiatur; ſiquidem hic patiens diu vixit, quamdiu ſcilicet ulcus, & fiſtula penetravit ad cavitatem, aut ventriculum ſiniſtrum ipſius Cordis. *Idem ibid.*

Vulnus abdominis penetrans, cum prolapſu omenti, quod ſectum, licet non omninò corruptum, nec tamen obligatum, ex magna vi ſanguinis in inguen ejuſdem partis decumbentis, abſceſſum in eo excitavit, qui ſectus, educto multo pure, remediis accommodatis perfectè ſanatus.

Sutorem vidi abdomine læſum, vulnere penetrante, cum prolapſu omenti, quod cùm Barbitonſor ſecuiſſet, non omninò alienatum, & gangrænâ corruptum, neque obligaſſet, ita ut ipſo in ſedem ſuam compulſo ſanguis ex venulis aſſiduè manaret, qui ad partem inguinis ejuſdem lateris illapſus, atque congeſtus, viginti poſt dies circiter abſceſſum magnum excitavit; quem, vocatus ſecui, maximâ puris copiâ effluente, atque Barbitonſori præcepi, ut continuò turundam immitteret, donec tota materia exhauriretur, eâdem paulatim decurtatâ, tum poſtmodum omnino eductâ, ad obductam uſque cicatricem, more conſuetô. Obſervandum verò, ex ſententiâ omnium Autorum, non eſſe ſecandum omentum, niſi filô conſtringatur, quod in vulnere relictum natura præter ullum incommodum extrudit; præcepto Barbitonſoribus maximè obſervandô. *Petrus de Marchettis Obſervationum Medico-Chirurgicar. Sylloge.*

Nervos, & tendines vulneratos non eſſe ſuendos, contra Severini ſententiam. Tendinis vulnerati ex ſecta vena jecoraria lethalis, hiſtoria.

Obſervandum quoque nervos, & tendines non eſſe ſuendos, ſicut perperam Severinus docuit Chirurgię Efficacis lib. 2. c. 123. Primò quia eſt contra Galeni methodum, quem proinde non intellexit; eo ſiquidem loco, quem Severinus citat, non ſolùm ſcripſit, nervos non eſſe ſuendos, quanquam nobiliores ipſis tendinibus, ratione ſpirituum per ipſos influentium, ſed addit quinetiam, quod nunquam auſus ſit eoſdem ſuere. Quinimò ego obſervavi, incaute nervos, aut tendines à quibuſdam Barbitonſoribus fuiſſe conſutos, ſecuta convulſione, & morte patientum. Quare Severini doctrina utpote contraria, & ſententiæ Galeni, & experientiæ, non eſt omninò admittenda, quin potius damnanda prorſus. Nec obſtat, quòd ſuæ opinionis fautorem, & auctorem advocare conetur Paræum lib. 22. magnæ Chirurgiæ, cap. 10. in cura illius Nobilis, cui nervis digiti manus ſectis, quadam theca reſtitutus eſt motus; hoc ſiquidem ex verbis ipſius non conſtat; quæ ſic habent. Nervo, tendineve penitus reſectis, actio illa, cujus in parte autores erant, unà plane aboletur: itaque flecti, tendive membrum inhabile eſt, niſi ipſi opis aliquid arte Chirurgica allatum fuerit. Id ego pręſtiti nobili cuidam è familia Annæ Mommorantii, Galliæ equitum magiſtri, cui in prçlio ad Druidas commiſſo, vulnus tantum gladio militari ad dextræ manus articulum externa parte inflictum erat, ut tendinibus, qui pollicem erigunt, plane reſectis, etiam conſolidatâ, & perſanatâ plagâ, pollex intro inflexus, & in manus volam demiſſus maneret, nec extendi, & ſurrigi poſſet, niſi forte vi revulſus ab altera manu, ſed tum etiam ſtatim revolvebatur. Itaq; nec enſem ipſe, nec pugionem, nec haſtam capere, & tractare poterat, armis omninò inutilis, ſine quib⁹ vitam nullam putabat. Cùm igitur de amputando inutili illo, & comprehenſioni officiente pollice, me conſuleret, negavi me facturum, aliam enim rationem comprehenſam me animo habere, qua pollici afflicto ſuccurrerem. Itaque thecam ex ferro albo ipſi efformandam curavi, in quam pollicem ipſum inderet, duobus loris ad armillas duas ſupra manus articulum, ſic artificiosè theca illa vincta, & colligata erat, ut intentus, erectuſque pollex maneret, atque adeò militarium armorum genus omne captare, & tractare ille poſſet.

Ut proinde mirari ſubeat, virum alioquin magni nominis, hæc protuliſſe; ut propterea vos monendos cenſeam ſerio, nunquam nervos, & tendines eſſe ſuendos; cùm Galenus eô locô dixerit quòd labia vulneris ad mutuum contactum adducenda ſint, ipſumque vulnus ſuendum; de ſuendis verò nervis & tendinibus ne verbum quidem fuerit. Cujus pravæ conſuetudinis ſuendi nervos luculentum non minùs quàm funeſtum nuper proſtitit exemplum, cùm noſtrorum Barbitonſorum aliqui, miſſo ſanguine ex brachio, lanceolis ſuis acutis nervum ſub vena jecoraria pertuderunt, miſeris patientibus ex convulſione pereuntibus. *Idem ibidem.*

Mors è Vulnuſculo Cranii neglecto.

Sub initium Novembris Anni 1671. cujuſdam in vicinia noſtra Chirurgi filiolus quinquennis, circa veſperā in hypocauſto diſcurrens, atque manu cultellum tenens, in terram graviter concidit, ſimulque cultellum ſupra ſiniſtrum oculum ad latitudinem pollicis in palpebram infixit. Accurrens mater cultellum vulneri inhærens exemit, pater verò amicis ſe inviſentibus aſſidens, miniſtro ſuo in mandatis dedit, ut vulnus obliget. Hoc addito monito, ut labia vulneris, quantum fieri poſſit, contrahat, ne aliquando rudior cicatrix frontem deformet. Exſequitur juſſa magiſtri miniſter, atque ſic intra paucos dies coit vulnus. Mox verò puer de dolore capitis circa locum imprimis vulneratum conqueri cœpit. Acceſſit dein calor. p. n. & debilitas, quæ puerum lectulo affixere. Ingraveſcente inde malo, conſulit me pater die 27. Novemb. atque veram reticens cauſam, filiolum nimio laborare calore conqueritur, imò veneficium ſubeſſe ſuſpicatur. Ea namque opinio noſtratis atque vicini vulgi animos occupavit, ut ſi quem morbum ſibi incognitum, imò

ſæpe & cognitum, ſed tamen jam incurabilem offerendant, ad incantationes mox rejiciant. Quemadmodum etiam præterlapsâ ſeptimanâ contigit cujuſdam Braxatoris ſervo plethorico, qui cùm illo tumoris genere, quod *Eſſere* Arabes vocant, laboraret, mulierculę aquâ faſcinatâ eum conſperſum eſſe pronunciabant, atque ad vetulam medicatricem, aut potius Sagam deduxiſſent, niſi Herus illius prohibuiſſet, qui unica venæſectione & paucis alterantibus reſtitutus eſt. Sic igitur & bonus ille Chirurgus errorem ſuum incantationum velamento velans, Syrupum alterantem atque corroborantem pro ſolatio reportavit. Inſecuta eſt nox inquieta, unde ſubſequente die 28. Novembris mater de filii ſalute maximè ſolicita, mihi in abſentia mariti præſenti veram patefecit cauſam, atque ſimul è vulnere vix unam aut alteram ſanguinis ſtillaſſe guttam retulit. Nullus tum in parte affecta apparebat tumor, puer verò de intenſo illius loci dolore nimium conquerebatur. Præterea quoque adeò inſignis aderat debilitas, ut motus arteriæ vix perceptibilis eſſet. Unde certiſſimam prædixi mortem, cùm præter trepanum nullum aliud ſupereſſet remedium, & vires generoſo illi remedio ferendo planè eſſent impares. In matris tamen ſolatium Cataplaſma ex Cephalicis & ſanguinis grumos diſcutientibus præſcripſi, ſimulque, ſi quis è Chirurgis noſtris adeò audax eſſet, & in deſperato hoc caſu cum famæ ſuæ periculo trepani remedium tentare vellet, id per me facere poſſet, addidi. Cæterùm iſtis omnibus renuentibus, nocte diem 29. Nov. inſequente, ſiniſtrum ægri latus occupavit paralyſis, atque ſimul oculus ſiniſter ita intumuit, ut etiam in ipſa orbita amplius contineri non potuerit, ſed extra eam prociderit. Aſt die 30. Nov. veſperi aliquoties convulſus mortuus eſt. Atque ſic infelix pater jacturâ unici filioli, negligentiæ ſuæ ac intempeſtivi venuſtatis ſtudii ſatis graves luit pœnas. *Georgii Segeri.*

Periculoſa Capitis vulnera curata.

Miles quidam in excurſione contra Turcam Clavâ ferreâ vocatâ in caput percuſſus de repente concidit, (*Marteau d'armes*) à ſociis pro mortuo habitus, ſepulturæque deſtinatus, ſed cùm adhuc ſpirare deprehenderetur, in fortalitium Hungaris *Vivat* dictum (quod tum nondum Turcis ceſſerat) deportatus, ibique à perito quodam Chirurgo Gallo tractatus, ac, aperto ipſi per inciſionem, poſtquam jam ſenſus & vires redierant, pericranio, exempta cranii portione quæ volæ manus magnitudinem in parte dextra, inter ſuturam lambdoideam, & coronalem ab integro deceſſerat, impoſita ejus vice laminula argentea undequaque perforata, tandemque vulnere juxta artis præſcriptum conſolidato feliciter reſtitutus fuit, hoc ſolum ipſi remanente incommodi, quod ineptus ad duriores labores, vigiliis, furori, minimum ſi biberit vini, ſingulisque Lunæ mutationibus certæ cuidam alterationi obnoxius redditus, prout ipſe mihi oretenus retulit Argentinæ Anno M.DC. LXII. Cùm Cicatricem manibus meis palpaſſem, laminam ſub cute latentem deprehendiſſem, & per foramina ejus motum quendam lentum, ſed plenum & continuum, cerebri an arteriarum fuerit, non diſputo, probè notaſſem. Mirandum certe, tam inſignem Cranii portionem, tam valido ictu avulſam ſine cerebri aut meningum aut ad minimum proximè ſubjacentis temporalis muſculi læſione. Sed, qui ſequitur caſus, magis fortè mirandus, imò vix credendus eſſet, niſi Tabula ænea & Teſtimonium Viri Conſultiſſimi *Martini Schodel* Poſonienſis, Patriæ Reipubl. quondam Judicis, Eccleſiæ & Scholarum Evangelicarum Inſpectoris, fidem faceret. Marco Baxam, Capitaneo cuidam Hungaro, Lancea Turcica per oculum dextrum adacta, ut retrò per cervicem exiverit mucrone, mortem non intulit, ſed diligentibus Chirurgorum manibus tractatus reſtitutusque, aliquoties poſtea ſtrenue ſe contra hoſtem geſſit.

Tertium adjungo, periculoſæ vulnerationis, ſed & feliciſſimæ Curationis exemplum, Signiferum quendam Legionis p. t. Illuſtriſſ. Comitis Porciæ, hunc in Candia contra Turcam militantem globus Sclopetarius Oculo, non itidem vitâ privavit. Remanſit poſt exactam Curam in Orbita globulus, & adhuc inter Oſſa hæret, quem obducto licet vulnere, ut mihi dixit, ſubinde ſentit quaſi deſcendere, fortè quod pars affecta defluxionibus obnoxia dolorem inferat gravativum. *Carolus Rayger.*

Vulnus Cerebri profundum ad Cicatricem tendens.

Quidam J. U. Studioſus, naturâ Macrocephalus, à temperamento ſanguineo, ex inordinato vivendi modo, in cholericum declinans, jurgiis, rixis, compotationibus & vagationibus nocturnis totus deditus, corypheus Fratrum turbantium, excubias militum nocturno tempore ſæpius irritabat. Tandem die 4. Decembris Anni 1675. ebrius infeliciter cum illis altercans, à quodam Decurione bipenni in oſſe ſincipitis dextro, inter ſuturam ſagittalem & coronalem ſauciabatur, ita ut ſtatim aphonus & ſemiparalyticus in terram concideret. Ad ſtationem ſuam à militibus deportatus, per noctem ibi decubuit, donec ſummo manè quaſi mortuus à ſociis inde efferretur. Hac ipſa die ad illum accerſitus, mutum & immobilem ſuper ſtragulis invenio; rogatus ab adſtantibus ejus amicis, ut aliquid exhiberem, ſequentem potiunculam præſcripſi.

℞. Aqu. Ceraſor. nigr. flor. til. an. Unc. iß. Syr. de pœon. Drach. vi. Tinct. Lunæ. gutt. vi. M. F. potio.

A qua exhibita circa veſperam linguam movere, & aliquantum fari cœpit. Chirurgus repurgato & deligato vulnere, ſuo ſe ſatisfeciſſe officio exiſtimabat.

Tertio ab accepto vulnere die, ſpecillo vulnus viſito, & perforatum cranium eſſe deprehendo, Chirurgum ut fragmenta, quæ paralyſim cauſare ſolent, cautè eximeret ſedulò admoneo, quod etiam cum ſuo ſibi adjuncto ſocio fideliter præſtitit, quo patiens meliùs habere viſus eſt; perſiſtente nihilominus parte ſiniſtra tota paralytica, unde ſuſpicabar nondum eſſe à fragmentis repurgatum vulnus. Refecto itaque aliquantum ægro, inciſionem pericranii, ut melior ad fracturam aditus pateret, fieri juſſi, qua facta particulas quaſdam duræ, & piæ matris cum fruſtulis cerebri Chirurgus eruit, & aliquid amplius latitare vix poſſibile eſſe affirmavit, & quia haud tuta intra cerebri ſubſtantiam erat luſtratio, Chirurgus ab ea abſtinuit, & æger abſque motu partis ſiniſtræ remanſit, aliàs ad oblata benè habuit, & meliora de ſe ſperavit. Interea ego ad quendam extra Urbem evocatus, patientem hunc Chirurgi curæ commiſi, poſt quindecim reverſus dies, utcunque ſibi præſentem ſed adhuc paralyticum inveni. Qua de cauſa aliquid adhuc intus cerebro moleſtum latitare audacter aſſerui: præterea fungus inſtar nucis juglandis vulneri adnatus erat, quem Illuſtris Domini D. Petri de Marchettis, Præceptoris quondam mei Patavii, pulvere ex ſpica & ſchœnantho, laudato ab ipſo in obſervationum ſuarum Medico-Chirurgicarum obſervatione ſexta de fungo ex capitis vulnere enato, aſperſi; diminui quidem, ſed non totaliter abſumpſi.

Quartus jam ab accepto vulnere agebatur menſis, quo tempore æger meliùs habere videbatur, & de emendanda impoſterum vita ſerio cogitabat, ſed

ſerò

ſerò nimis; nam atrophia totius corporis in dies augebatur. Ego rurſus extra Urbem ſex diebus permanſi, quo tempore ex vulnere læſi ſanies fluxit copioſiſſima, ut Chirurgi totam cerebri ſubſtantiam in merum pus abiiſſe autumarent, intereà dum redeo, patiens ſociis ultimum vale dixit. Vulnus luſtrandum curioſitas ſuaſit; aperta itaque calvaria factaque circa proceſſum duræ meningis longiorem inciſione, copioſum pus effuſum eſt, ex corrupto, & extravaſato in ſinu duræ meningis ſanguine, qui copioſus ante mortem quaſi criticè apparuit, vulnus in ſubſtantia cerebri unciam unam pedis geometrici in profunditate æquabat, & partem laminæ vitreæ inſtar ſquamæ piſcis rotundam, ab unco haſtæ obtuſæ illuc incuſſam fundus fovebat; obſervatione verò dignum erat, quòd cavitas vulneris carne rubicundâ ita obducebatur, & ad cicatricem diſponebatur, ut fruſtulum laminæ in fundo relictum (niſi aliundè mors ſecuta fuiſſet) vix aliquam cerebro moleſtiam impoſterum facere potuiſſet. Videtur idem confirmare doctiſſimus Veslingius, Anatomicorum facilè princeps, ſyntagmatis ſui cap. 14. de cerebro, ubi inquit: Vulnere item coaleſcente, profundius adacti globi plumbei retinerentur, ſtylorumque fragmenta, cerebro & meningibus infixa multis annis inhærerent.

Illud etiam in hoc ægro obſervatu dignum, quod nec febre laboraverit, nec bilem vomuerit, quamvis Hippocrates 6. aphor. 50. dicat: quibuſcunque præciditur cerebrum, his neceſſe febrem, & bilis vomitum ſupervenire. Niſi Hippocrates intelligat per febrem, exiguum etiam calorem, quem in hoc patiente obſervavi primis quatuor diebus, qui tamen decocto hordei cum ſucco limonum alterato temperatus fuit; eumque à prægreſſâ crapula ortum fuiſſe exiſtimabam: vomitus verò nec in principio, nec toto curationis tempore obſervatus eſt. *Sed regula ſine exceptione nulla. D. Simonis Aloyſii Tudecii.*

De vulnere Pectoris cum læſione Pulmonum, quod trium annorum ſpatio percuratum videbatur.

Cùm Anno 1669. die 22. Aprilis feriâ ſecundâ Paſchali, gregarius quidam miles inter excubitores civicos Jacobus *Pohl*, Decurioni inter eoſdem, Melchiori *Schvvartz* non benè favens, eundem ex leviſſimâ causâ minori gladio, aliàs ſicâ, & Germanicè *Stillet* ſive *Stecher* dicto, clandeſtinò in ſiniſtro pectoris latere inter quartam & quintam coſtam verſus ſuperiora vulneraret, miſer ille periculosè confoſſus in terram concidit, ſtatimque domum delatus, Chirurgum Antonium *Statlender* ad ſe accerſere jubet: qui ſanguinem ſpumoſum in magnâ copia effluentem ſtatim ſiſtens, vulnus primum ſ. a. deligavit, & viribus proſtratis cordiali potione (quantum potuit) proſpexit, ægrumque ſequenti die in meliori ſtatu offendit. Tum prædictus Chirurgus ulterius conſtitutionem & ſitum vulneris inſtrumento exploratorio inveſtigans, eidemque turundam immittens, invenit ſiniſtrum pulmonis lobum ſatis profundè ſauciatum. Adhibitâ itaque diligenti curâ in deligatione, & injectione ex decocto hordei toſti cum melle roſarum & ſyrupo Myrt. quotidie facta, illum jam extra periculum eſſe ἀπερισκέπτως ſuſpicatus eſt, ægerque ipſe opinabatur. Sed cùm die 9. Maii è lecto ſurgeret, & inter ambulandum corpus nimium commoveret, mox circa veſperam per canaliculum plumbeum vulneri à Chirurgo inditum, ſaniei & ſanguinis cum liquidiore humore miſtæ aliquot libræ effluxerunt. Ego ſequenti die, ad ipſum manè vocatus, veniens, omnia in eo ſtatu, ut jam narrata ſunt, comperi, præterea vires ſummè debiles, cordis anxietatem, tuſſim & ſpirandi difficultatem: ſtatim itaque ei præſcripſi ſequentem cordialem potionem pro aliquot vicibus. Rec. Conſerv. fl. tunic. roriſmar. viol. purp. papav. errat. an. ʒii. Aqu. Scabioſ. papav. errat. Cardui bened. rubi Idæi an. ℥iii. Mixta ebulliant in diplomate. Colaturæ fort. expr. adde aqu. Loch. Sani, Cinam. Cord. an. ʒvi. Syr. fl. tunic. Cordial. D. Meiſn. an. ʒvi. Raſur. dent. apri, Oc. cancr. pp. Os. de C. C. an. ℈i. Confect. Cord. D. Meiſn. ʒß. m. Viribus paulatim redintegratis iſtud decoctum ordinavi.

℞. Rad. Chinæ pond. in tal. ſect. ℥iß. conſolid. maj. ʒvi. biſtort. torment. an. ʒiii. Santal. Citrini, Cinam. el. an. ʒii. Herb. pulmon. plantag. an. mj. fl. Cichor. Sylv. violar. purp. bugloſſ. conſolid. regal. an. mß. balauſt. p. ii. Cort. Citri Rec. ʒii. Incisa craſſiuſculè infunde per horas 18. in ſ. qu. aqu. font. poſtea coqu. in M. B. ad conſumptionem tertiæ partis, ſub finem decoctionis adde liquirit. raſ. ʒvi. paſſul. maj. exac. ℥i. Sem. fænic. ʒii. contuſiſque ſpeciebus decoct. prioris, ebulliant iterum omnia aliquoties. Colaturæ ℔v. per reſid. depur. ſerv. pro uſu.

℞. Dec. præſcr. ℥iv. add. Syr. de Symph. Fern. ʒvii. Aqu. Cinam. Cord. ℥i. m. f. Hauſtus, quem quotidiè manè ebibit, nonnunquam etiam h. 4. veſpertinâ. Reiteratum eſt hoc Decoctum alterâ & tertiâ vice. Uſus eſt etiam aliquoties balſ. Tart. comp. ad aliquot guttas. Vulneri interim injectio talis quotidiè per Chirurgum adhibebatur.

℞. Rad. tormentill. biſtort. an. ʒii. Herb. burſ. paſtor. millefol. an. m. i. fl. balauſt. roſar. r. an. p. i. Hord. toſt. ℥i. Coqu. in ſ. qu. aqu. ad ℥xvi. Colat. adde Syr. Mirt. de roſ. ſicc. an. ʒii. m. Nihilominus tamen indies ultra libram ſupra dictæ materiæ è loco vulnerato effluxit; fluxuſque ille ferè ad octo hebdomadas continuavit, ægroto paulatim melius ſe habente, ſed vulnere haud conſolidato. Inde poſt feſtum viſitationis Deiparæ Virginis ædibus exire cœpit, muniaque ſuâ ſine moleſtiâ peregit; uſque ad finem Novembris: tum, neſcio ex quâ occaſione recidivam paſſus, iterum ad ſuperioris Decocti uſum reverſus eſt, quibus & alia corroborantia; partim etiam expectorantia addita ſunt. Donec tandem benedicente Summo Archiatro; anno ſeptuageſimo feliciter cæpto, bonus ille & pius Vir priſtinæ ſanitati planè reſtitutus, in hunc uſque diem, quo hæc ſcribo (Anno ſcil. 1672. 16. Aprilis in vigiliâ Paſchali) optimè valet, & quia præter functionem militarem etiam repurgatoris fumarii provinciam ſuſtinet, utrique officio ſatisfacit, cui ego Anno 1671. præterito, decima die Septembr. filiolam nomine Eliſabetham ad ſacram Baptiſmatis aquam ſuſcepi, quæ hucuſque, dum iſta ſcribo, vivit & bene valet. Quanquam autem Chirurgus ulcuſculum illud conſolidare ſæpius tantaverit, nihil tamen hucuſque efficere potuit; quare canaliculum argenteum ſemper in eo geſtat vulneratus, ad meliorē materiæ peccantis promotionem, quæ quaſi per fonticulum effluendo, quotidie tamen in pauciori quantitate, pulmones à corruptione tuetur, & ferè ab omni tuſſi liberos ſervat. Unde apparet pulmonum vulnera, quanquam ſint periculoſa, non tamen ſimpliciter lethalia dicenda eſſe. Non enim omne vulnus, quod mors ſequitur, lethale dicendum eſt, ſed id ſolum, quod ſuâpte naturâ mortem adfert. Neque omnia vulnera, ob quæ ſupervenientibus gravibus ſymptomatibus ægri moriuntur, pro lethalibus habenda ſunt, nam non neceſſariò, nec ſemper ipſis ſuperveniunt, ut cùm vulneribus articulorum & nervoſarum partium, inflammatio, delirium & alia Symptomata accidunt, aut quando pulmone vulnerato ulcus aut phthiſis ſubſequitur, unde ægrum lentâ morte occumbere obtingit. Septem autem partium vulnera *Hippocrates* lethalia eſſe ſtatuit. Lib. Aphor. 6. Aph. 18. ita ſcribens: Cui veſica perſecta fuerit,

rit, aut cerebrum, aut cor, aut ſeptum tranſverſum, aut tenue quoddam inteſtinum, aut ventriculus, aut jecur, lethale eſt: ſuper quem Aphoriſmum videantur Commentatores, Galenus, Hollerius, Heurnius & Knoblochius. Hunc tamen Aphoriſmum Hippocrates tum limitat, tum ampliat, in Coacis, Aphor. 509. in Codice Fœſii, dum inquit: Ex vulnere ferè mors contingit, ſi cui vulneratum fuerit cerebrum, aut ſpinalis medulla, aut jecur, aut ſeptum tranſverſum, vel cor, aut veſica, aut quædam grandis vena. Mors quoque ſubit, ſi in arteriam & pulmonem inſignes valdè plagæ inflictæ ſunt, ita ut percuſſo pulmone, minor ſit, qui per os prodit ſpiritus, quàm qui per vulnus excidit. Intereunt verò, quibus nervi interiores, ſive tenuis aliquis, ſive craſſus, vulnus acceperit, ſi plaga tranſverſa fuerit & magna: quòd ſi parva & recta, nonnulli periculo eximuntur. Minimè autem ab his vulneribus mors impendet, quæ in corporis partes, in quibus hæc non ſunt, aut ab his quàm longiſſimè abſunt, infliguntur. *Hucuſque verba Hippocratis:* quorum veritatem confirmant, cùm præſens noſtra Obſervatio, tum altera quam recenſet *Sennertus* Pract. Medic. Lib. 2. Part. 2. cap. 11. & Lib. 5. Part. 4. cap. 3. atque duę aliæ Celeberrimi illius Medico-Chirurgi *Guil. Fabricii Hildan.* de feliciter percuratis vulneribus pectoris, quorum unum cum abſciſſione portionis ipſius pulmonis, alterum cum pulmonis læſione fuit, ut videre eſt apud eundem Cent. 2. Obſerv. 32. & Cent. 3. Obſ. 36. cum quibus conjunge *Petri Foreſti* Obſ. Chirurg. lib. 6. Obſ. 4. & Epiſt. *Petri Fuhrmanni* in Greg. Horſtii Epiſt. Medic. Sect. 19. Lib. 1. ut alias brevitatis ſtudio omittam. Studioſus ille, cujus in Obſervatione citatâ Clariſſ. Sennertus meminit, poſtea in vicina Academia Profeſſor Medicinæ per multos annos fuit celeberrimus, Præceptorque meus omni obſervantiæ cultu devenerandus. Vix præſentem Obſervationem ad finem perduxeram, prædicti *Melchioris Schvvartzen* uxor conjugem meam alterius cujuſdam rei gratiâ viſitavit; quam cùm ego de valetudine mariti interrogarem, illa mihi reſpondit, ipſum jam ante octiduum tuſſim cum expectoratione copioſæ materiæ purulentæ pati, quæ etiam per foramen apertum abundanter exit, interim tamen non ſolùm in ædibus, ſed etiam per plateas quotidiè obambulat, & munia ſua perficit: qualem tandem cataſtrophen fabula hæc habitura ſit, tempus revelabit, ego verò, Deo vitam concedente; benevolo Lectori candidè impertiam, *Simonis Schultzii.*

Vulnus Pectoris & Pulmonum ferè quinquennale minimè lethale. Ad præcedens Caput Obſervatio.

Bonus ille Decurio *Melchior Schvvartz*, à milite Gregario clandeſtine vulneratus, de quo *Obſ. præc. anni tertii miſcell. Phyſ. Curioſ. Germ.* mentio facta eſt, ab anni 1672. menſe Maio, (quo tempore obſervationem iſtam conſcripſeram) uſque ad anni 1673. vernum tempus ſatis commodâ valetudine uſus, muniaque ſua tam publicè quàm privatim abſque impedimento obire potuit, iterumque filiolam ſanam è conjuge ſuſcepit: vulnere interim pectoris aperto manente, per quod natura ſauciatorum pulmonum ſaniem apprimè expurgabat; ſed cùm prædicto anno ſeptuageſimo tertio circa feſtum Pentecoſtes ſuburbium Thorunienſe extremum, *die Mockerau* dictum, à Polonis militibus contra jura Civitatis petulanter infeſtaretur, illeque cum urbanis militibus iſtud ſtrenuè defenderet, atque hoſtes exinde expelleret, lethale capitis, præter alia ſcapulæ & brachiorum gravia vulnera, inde ſuſtulit, & licet ab *Antonio Stattlender*, chirurgo, circa deligationem vulnerum ſumma diligentia adhibita fuerit, nihilominus tamen natura ſuccumbente miſer ille, non ad unum infortunium natus, circa principium autumni anni 1673. occubuit, vulnuſculo illo pectoris ad finem vitæ uſque pus coctum ejiciente: cujus ego tragici caſus ultimam periodum, promiſſis ſtans, hac vice Curioſo Lectori lubenter communicare volui. Apparet ex iſta relatione, mortis illius cauſam non fuiſſe vulnus pectoris cum læſione pulmonum ſatis periculoſum, ſed recens capiti inflictum lethale vulnus. *Simonis Schultzii.*

De Vulnere Pectoris.

Miles quidam præſidiarius Bregenſis, ab altero vulneratur gladio acuto, vulnere penetrante per veras coſtas in cavitatem pectoris, non effluit ſanguis multus, vulnus à Chirurgo conſolidatur brevi tempore. Conſolidato vulnere æger incidit in febrem cum ſumma reſpirandi difficultate, in conſilium vocor, de vulnere certus fio, ſanguinem in cavitatem pectoris confluxiſſe ſuſpicor, V. S. primò omnium injungo, mitigatus calor, melior reſpiratio. Adjungo roborantia, refrigerantia, pectoralia. Lateri dextro emplaſtrum maturativum applico, per noctem augetur tuſſis, expectorat dimidiam pelvim plenam materiæ purulentæ, ſanum ſe affirmat dextro latere, de ſiniſtro conqueritur; inſpicio vulnus, tumorem animadverto, locum tenui quaſi membrana clauſum, aperiendum iterum vulnus ſuadeo, renuit Chirurgus, tandem aſſentit, aperit, exſilit tanquam à venâ ſectâ purulenta materia, eaque inclinato ægro terram verſus bene multa, ſervatur apertum vulnus, æger ſuper latere affecto jacere cogitur, ſingulis diebus inclinato corpore egreditur materia, corpus purgatur, injiciuntur abſtergentia, adduntur potiones vulnerariæ; æger ſanitati priſtinæ reſtituitur.

Scholion.) Chirurgus iſte admodum ineptus fuit, cùm de ſanguine extravaſato & in pectoris cavitatem influxo minimè ſollicitus eſſet. Si enim vulnus dilataſſet & corpus debito modo moviſſet, procul dubio ſanguine effluxo febris & alia ſymptomata præcauta eſſent. Curationis methodus eſt accuratiſſima. Febris enim ratione V. S. optimè inſtituta, unde etiam ſymptomatum mitigatio ſecuta. Emplaſtrum quoque maturativum ſummoperè conduxit, quia materiam ad exitum aptam reddidit. Apertio vulneris rectè inſtituta & materia evacuata, quæ aliàs tetris exhalationibus pulmonem putredine inficere, vel contactu diaphragma lædere potuiſſet. Corpus purgatum, ne humores peccantes affluerent. Abſtergentibus locus affectus mundificatus, & potionibus vulnerariis illi priſtinus vigor reſtitutus eſt. Cùm verò materia expectorata in cavitate pectoris hæſerit, per quas vias expectoratio materiæ facta ſit? Inquiſitione dignum eſſet. Torſit hæc quæſtio multos ex eruditis viris, præcipuè cùm non ſaltem materiam purulentam, ſed & turundam, referente Tulpio lib. 2. Obſerv. 15. è cavitate pectoris rejectam eſſe, certum ſit. Marc. Aurelius Severinus in opere de Abſceſſ. in Conſultat. ſingul. diligentiſſimè in has vias inquiſivit; idemque proſecutus eſt in Epiſt. Bartholin. cent. 1. Epiſt. 68. ubi illi placuit, hoc tum ad motus perennis vim, tum ad pulmonis ſuperni, tum diaphragmatis inferni comploſum referre. Sed hæc, quod ingenuè fateor, captum meum ſuperant. Quæ vero de amaritiei ſenſu in ore ab injectione amarâ percepto ex Paræo affert, ſaltem à vaporibus, quibus pervia ſunt omnia, proveniſſe, quis affirmare poſſet? In luto itaque ignorantiæ tantoperè hærentibus auxiliares manus nobis porrigit clariſſimus & ingenio-

genioſiſſimus Harveus *lib. de Gener. Animal. Exercit. 3. p.m.* 43. his verbis: Perforatio pulmonum, à me inventa (cujus modò memini) haud obſcura & cæca eſt; ſed in pennatis præſertim, patula admodum; adeò ut in ſtruthio camelo meatus plurimos repererim, qui digitorum meorum apices facilè exciperent. Et paulò poſt: Imò verò dubitare liceat, an non in homine etiã dum vivit, aër per dictos meatus thoracis cavitatem penetret. Quomodo enim aliter empyicorum pus, & pleuriticorum extravenatus ſanguis, illac effluant? In vulneribus pectoris (illæſis etiam pulmonibus) aër per vulnus foras erumpat? aut liquores in cavitatem pectoris injecti, cùm ſputo reddantur? Hactenus Harveus. Cui adſtipulatur Clariſſ. *Bartholinus, Anat. reform. lib. 2. cap.* 29. Membranâ cingitur pulmo tenui, lævi, poris multis inſignitâ, qui pori inflato pulmone follibus, ſatis conſpicui. Quos aliquoties Johan. Walæus piſi majuſculi magnitudine in vivorum diſſectionibus obſervavit. Hinc ſanies thoracis penetrare poteſt, & per ruſſim exire. Huic ſententiæ calculum ſuum adjicit Clar. Lindenius Med. phyſ. *lib. 2 cap. 6.* §. 186. Perforationem talem membranæ pulmonariæ peculiare quid eſſe & eâ cognitâ nulli jam mirum videri debere poſſe, quæ præter naturam collecta ſunt, in cavitate thoracis inde abſorberi, & per arteriam aſperam exſpui, eſſe tamen iſtum abuſum potius dictorum meatuum, & in caſu extremę neceſſitatis tantum; uſum verò eſſe perſpirandi aërem in eandem cavitatem, quo circumfuſus pulmonibus hos refrigeret; Et ita lux tenebris noſtris tandem affulſit; Etſi enim in mortuis (ſubſidentibus omnibus) pori iſti non admodum ſint conſpicui, tamen cùm alibi; (ut in pennatis certò conſtat) oculis pateant, non video, quâ causâ commotus, quis dubitare velit eoſdem in homine exiſtere, & naturam in extremis iis uti poſſe; cùm ſæpe meatus obſcuriores neceſſitate adacta ſibi inquirat, ut è doctrina de abſceſſibus luculentum evadit, ubi natura oppreſſa ſæpius vias plane invias invenit, per quas materiam ceu ſarcinam deponit. Ita ut Marc. Aur. Severinus de abſc. cap. 7. p. m. 9. ſcribere haut vereatur: Vias per quas humor deponitur, non æque pernoſcimus, ſed ignorantiam noſtram ingenuè fatemur. Illud afferentes ex Hipp. quod confluxus unus, conſpiratio una, conſentientia omnia. &c. *Danielis Wincleri*

De affectu Strepitoſo à vulnere Pectoris.

Excellentiſſimi Legati Veneti, Nobilis quidam vulneratus fuit in duello, ictumque recepit prope axillam dextram, quod tamen vulnus ad ipſos Pulmones non penetravit, ſed per ipſum muſculum pectoralem coſtas tantum alliſit: Hic accepto vulnere à flatibus ita diſcruciatus fuit, ut & collum & facies & brachia ſummè intumeſcerent, eſſentque inſtar ex parte inflatæ, non penitùs tenſæ, ſed ſiccæ, Veſicæ ſuillæ, dumque tangerentur, ſtrepitum mirabilem edebant, ac ſi tangeretur ſicciſſima quædam Veſica ex parte inflata. Cumque ægrum interrogarem, utrum aliàs ſimili tactus fuiſſet affectu? reſpondit affirmative, ſeſe jam multis temporibus, ejuſmodi affectu laboraſſe. Diligentius in tam rari affectus cauſas inquirenti mihi, narravit quidam Med. Dr. quòd dum herbas in Alpibus Auſtriacis duobus circiter ab hinc annis diſquireret, ab incolis ipſi narratum fuerit, & pecora & homines ejuſmodi affectu, quem vocant Strepitoſum, Germanice *die Rauch*, laborare, quem ſuffitu ex Myrthi foliis indubie profligant, hinc etiam plantam hanc vocant *den Rauſch.* Cùm autem herbam ex tempore in Officinis non reperirem, ex baccis membra perfumari, & eatundem oleo perungi protinùs curavi, & manifeſtum attulere auxilium. *Pauli de Sorbait.*

Vulnera profunda Colli non eſſe lethalia.

Nolui cineribus oblivionis recondere admirandum vulnus inflictum, cuidam Capitaneo Excellentiſſimi Domini Comitis Butiani eo tempore à Turcis inflictum, quo *Auroram*, ejus conjugem, mulierum pulcherrimam, duplici tertiana detentam curarem: Hic enim cùm ſociis contra Turcas ad confinia excurrens æqua lance certavit, occidendo multos, & prò occiſo habitus inter mortuorum cadavera quaſi ſepultus; accepit enim vulnus in ſiniſtro colli latere adeò profundum, ut muſculi maſſeteres, ſplenii, venæ jugulares, arteriæ carotides, nervique recurrentes fuerint exciſi, quod ex ejuſdem profunditate ad duos digitos, ſaliente ſanguine arterioſo & venoſo licuit intelligere. Sed paulo poſt audito victoriæ ſigno; ex cadaverum acervo ſurgit, à ſociis vulnus ſtrictè obducitur, domum equitat, nec ſenſum perdit; nec aphonus redditur, nec viribus deſtituitur; ſed ea nocte uxori ter debitum matrimoniale reddidit ſine diſcrimine. Curatus eſt, & ſucceſſu temporis non ſolùm plures Turcas occidit, ſed etiam Laxenburgi cum ſuo Excellentiſſ. Comite comparuit. Evaſit, an quia vulnera in Ungarico climate facilius curantur per extraordinarias (ut audivi) curationes, aut quia paucis utuntur medicamentis, facilè reſtituuntur? crediderim potius Magari methodo, per primam ſcilicet intentionem, ſanitati priſtinæ reſtitui. *D. Antonii de Pozzis.*

Vulnus gutturis lethale.

Cùm Noribergæ praxin medicam exercebam, quidam ætatis virilis & ſtatus cælibis, mercaturæ quondam, inſtitoris ſeu procuratoris nomine, inſerviens, tunc temporis verò omni officio dimotus & privatus, cùm aliquando Urbe excedens, intra vallum externum nimis ſollicitus ac ſolus deambularet; ſubito ex mærore & vitæ tædio, gutturi tranſverſim cultro inflicto necem ſibi inferre tentavit, ac Chirurgo ab aliis in tempore accerſito, mundatoque vulnere à ſanguinis grumis, larynx ſimul cum gula vel œſophago læſi inventi ſunt. Inde vox abſona & rauca ſaltem audiebatur, potuſque portio vel liquoris aſſumpti, per vulneris rimam tranſibat, ſicque deligato vulnere, novem aut decem dies æger tantum ſupervixit. *Ex obſerv. propr. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Simile gutturis graviter læſi exemplum aliquot abhinc annis à Parente meo clariſſ. obſervatum; dum Sutoris cujuſdam uxor febre continua, cum deliriis laborans, & in hac ſanæ mentis obtenebratione, amandata in culinam, ut pro virium refectione juſculum accerſeret, quæ curam ejus agere debebat, clinica, è lecto ſurrexerat, novaculam, quam adeſſe ſciebat, ſumptura; cujus tamen loco forſicem juxta poſitum arripuerat, eoque, præter minora aliqua vulnuſcula, majus aliud in collo, cum aſperæ arteriæ diſciſſione, id quod in exſpiratione emiſſus è vulnere ſpiritus innuebat, ſibimet ipſa inflixerat, ſubſequente inſigni hæmorrhagia, ſponte tamen iterum ceſſante, quòd vulnus dein, attractis per emplaſtrum glutinatorium ejuſdem labiis, cæteriſque rite adminiſtratis, intra trium ſeptimanarum ſpatium feliciter à Chirurgo noſtrate, M. P. perſanatum fuit, ipſa ægra, quæ, ceſſante delirio, omnium quæ peregerat, ignara erat, vitalem adhuc auram incolumi hauriente. Alia vulneratæ, ex melancholia, deſperatione &c. aſperæ arteriæ exempla habentur in *cent. 5. hiſt. anat.* 89. *Bartholini, Georg. Hier. Welſchii Sylloge obſerv. & curat. medicinal. Joh. Udalr. Kumler. obſerv.* 80, *Dominici de Marchettis Anat. cap.* 11. *Baldaſſ. Timæi*

Timæi Reſponſ. medic. 14. *Nicol. Tulpii lib.* 1. *obſerv. med. cap.* 50. *Laz. Riverii obſerv. ab Ozia Aimar communic.* 5. *Marc. Donati lib.* 3. *de med. hiſt. mirab. cap.* 6. *&c.* Quæ tamen obſervationes de feliciori, quàm in Auctoris noſtri Caſu, eventu loquuntur, eoque ipſo aſperæ arteriæ vulnera non eſſe lethalia, ſed denuò per artem uniri atque ſanari poſſe, teſtantur. Unde etiam Laryngotomiam, quæ artificioſum aſperæ arteriæ vulnus dici poteſt, abſque periculo vitæ inſtitui poſſe, ex hoc ſequitur; quam dubiam equidem reddere nonnulli laborarunt; quibus tamen abunde ab aliis jam reſponſum fuit; inprimis, ut Recentiorum ſaltem uno alteroque confirmetur teſtimonio ejuſdem innocentia, magni nominis Medicus, D. *D. Joh. Dan. Horſtius epiſt.* 10. *obſerv. anatom. addit.* aliquot felices operationis hujus ſucceſſus à fratre notatos fuiſſe, refert; quamvis Anatom. & Chirurgus olim Leidenſis celeberrimus, C. Johannes van Hotne, ceu Nobil. . Joh. Henr. *Brechrfeld Volum.* 2. *Act. Med. Hafn. obſerv.* 15. recenſet, in homine eam fuiſſe adminiſtratam, nullum exemplum noverit, licet eam ipſam in canibus ſæpe feliciter expedierit. Bis quoque Renatus Moræus, doctrinâ & medendi peritiâ celeberrimus Chirurgiæ Profeſſor, ut eum commendat *Cl. Rhodius diſſ. de acia cap.* 10. Pariſiis eandem celebravit, quod *centur.* 1. *epiſt. med. Thom. Barthol. epiſt.* 81. *legitur.* Et Illuſtr. D. Guido Patinus ter eam in Urbe iſta, in Monacho, Aulico, & Mercatore, cum ſucceſſu inſtitutam vidit, referente hoc *Excellent. D. Gerard. Blaſio Comment. in Syntagm. anatom. Vesling. cap.* 11. Hinc Medicorum indecentem, ut vocat, miratur timorem Marc. Donatus, qui in ægro angina deſperatè correpto, ad hoc præſidii genus ultimum admovere manus renuunt; magnanimos econtra adpellat illos Chirurgos exercitatos, qui anginoſos vulnere iſto ſalutari ab imminente ſuffocatione vendicant, liberam utpote aëri ſic aperientes viam. Terremur, inquit Moræus l. c. tebus inexpertis, quæ in uſum ſemel revocatæ eadem ſecuritate admittuntur, quâ peraguntur facilitate. Idque tanto magis faciendum videtur, cùm in deſperatis morbis vel quidvis, quod ſpem aliquam ſuſtentare queat, experiri, quàm ſoli prognoſtico ægrum relinquere deceat. *Satius eſt*, inquit *Celſus lib.* 2. *cap.* 10. *anceps auxilium experiri, quàm nullum*; Si anceps, multo magis & tale, quod tutò adhiberi à perita manu poteſt, Rariſſimè tamen in uſum revocatur hæc operatio, ut verbis *Laz. Riverii tom.* 2. *Prax. med. ſect.* 5. *cap.* 7. loquar, propter metum infamiæ, quę Medicis & Chirurgis impendet, dum æger poſt operationem occumbit. Quod ut plurimum contingit, & mors operationi potius, quàm morbo tribuitur, quantumvis Medicus præmiſſo prognoſtico ſeſe adverſum calumniam munierit. Nec fortè Medicus, ſi ad Bronchotomiam perſuadendam timidus exſiſtat, magnoperè reprehendendus erit, non enim tam prodigus famæ propriæ eſſe debet, iſtis cumprimis in regionibus, ubi major ferri ſalutaris animos occupat metus, & expeditior ad Medica præſidia judicanda ac diffamanda, vulgi, & qui vulgi more ſapiunt, dominatur lingua, innocenti vulneri facilè culpam mortis (pręſertim ubi, quod ſæpe contingit, malignitas morbo juncta, atque in ægro, viribus jam exhauſto, mortiſque in faucibus conſtituto, vulneris iſtius inflicto demum admittitur. Et quis, quęſo, ſi per alia incruenta remedia de vitæ conſervatione ſpes ſuperſit, doloroſam iſtam medelam perferet?) imputatura. Undè etiam exercitatiſſimi aliqui Chirurgi eandem nunquam celebrare auſi fuerunt; quos inter meritò nominandus eſt Hier. Fabricius ab Aquapendente, ipſe id de ſe in Obſerv. Chir. ſcribens. Memini quoque, ſupra nominatum Excel. D. Dominicum de Marchettis, cùm A. 1669. in Noſocomio ad D. Franciſcum Patavii, in gratiam Inclytę Nationis Germanicæ, Chirurgicas in cadaveribus cum adplauſu oſtenderet operationes, de Laryngotomia differentem, utilitatemque ejus commendantem, quamvis alias Vir in iſto, manibus quæ fit, medendi genere perquam ſit peritus, audax & ſtrenuus, hanç tamen operationem nunquam tentaſſe ſe, publicè fateri haud dubitaſſe. Alias inter, quæ auxilium hoc, ceu inutile prohibent, circumſtantias, meritò etiam à Scriptoribus adducitur pulmonum, quos in angina vehementiori plerunque ſimul adfici *Riverius* ſcribit, inflammatio, vel multis humoribus repletio. Quare *Paul. Barbette Anatom. pract. part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 2. hanc conſignavit admonitionem: Circumſpectione hîc ſumma opus eſt, ne ſi aliæ quoque partes, pulmo ſcilicet, pleura, gula, &c. inflammatæ, aut jam pure repletæ, irritus ſit tuus labor, & calumniandi anſam præbeat. Sed ut in viam redeam, aſperæ arteriæ vulnera per ſe quidem, ſive ubi ſola fiſtula illa aërea, abſque aliarum partium connexarum præſtantiorum gravi læſione, vulnerata eſt, ſi debitè tractentur, maximè ſunt lethalia; profundiorà tamen ſi exſiſtant, ſummè periculoſa evadunt, quia utplurimum venæ jugulares & arteriæ carotides unà diſſecantur, magnâ ſubſequente ſanguinis profuſione, ſpirituumque vitalium diſſipatione, vix arte ulla ſiſtendis; extravaſatoque ſanguine in pulmones per vulneris hiatum copioſè deſcendente, atque ita ob reſpirationis inde exortum impedimentum, ſuffocationem inducente. Quò intuitu vulnus, quod Nobili cuidam anteriore colli parte in aſpera arteria inflictum fuerat, Timæus d. l. pro ſimpliciter lethali habendum eſſe cenſuerat, & Magnific. *D. D. Gothofr. Welſchius* in tr. de ratione vulner. lethal. judicio cap. 4. majorum vaſorum, & in ſpecie jugularium venarum internarum ac carotidum vulnera pro ſimpliciter & abſolutè lethalibus habet. Quanquam ab *Ill. D D. Antonio de Pozzis Ann.* 4. *Ephem. Germ. Curioſ. obſ.* 39. notata obſervatio (cui magni *Hippocrat.* effatum *lib.* 2. *Prædictor. pag.* 69. *Cod. Foëſ.* favet; Vulnera ferè quidem mortem afferunt, quæ magnas venas, quæ ſunt in collo & inguinibus, læſerunt, deinde quæ cerebrum & hepar, deinceps quę in inteſtina & veſicam pertingunt. Quæ ſanè omnia magnam perniciem afferunt, non eam tamen, ut (quod quidam exiſtimant (nemo ex his ſervari poſſit, &c.) exceptionem hîc eſſe admittendam, evincat, dum vulnus colli profundum Capitaneo cuidam ſiniſtro in latere inflictum memorat, quo præter muſculos & nervos recurrentes, venæ etiam jugulares, arteriæque carotides exciſæ fuerint, ipſo ægro ſanitati reddito. Qui tamen caſus meritò miraculis medicis adnumerari debet; præter enim conjecturas, quas prælaudatus Vir ibidem adnectit, fortè ſanguis effuſus in grumos circa patentia oſtiola coactus, plenarium ſanguinis effluxum inhibuit, idque eo magis, cùm diſſectis per tranſverſum, ideoque à naturali ſua tenſione remittentibus vaſis, eorum extrema ſive capita ex utraque parte retracta & quaſi corrugata, ſimulque à circumjacentibus partibus oſcula illa compreſſa fuerint; quem modum, à Galeno etiam 13. meth. med. propoſitum, in hæmorrhagiis à vaſorum ſanguiferorum vulnere incoërcibilibus, ſæpe Chirurgos, non ſine ſucceſſu optato, amplecti, notiſſimum eſt. Et paucis abhinc annis in quodam cive Auguſtano, cui arteria, quæ in carpo pulſui contrectando deſtinatur, graviter vitreo vulnerata fuerat, cùm ſanguinis fluxus remediis nullis inhiberi potuiſſet, optimè ſucceſſiſſe, memini. Idem in hoc quoque Auctoris noſtri caſu dubio procul contigit; ubi tamen, cùm œſophagus unà læſus fuerit, mortem eo magis ſubſequi neceſſe fuit.

Vulnera pulmonum non lethalia.

Anni tertii Ephemeridum Obſerv. 186. demonſtrat, vulnera pectoris cum læſione pulmonum non ſemper eſſe lethalia. Vulnus pulmonum curatum conſignavit etiam *Horſtius obſerv. Med. l.* 3. *obſerv.* 11. Mihi hoc ſuppetit in tali caſu, quod hic D. Locumtenens, nomine *Küblemorgen,* in Regis Sueciæ Exercitu contra Polonos militans, transfigitur à Tartarorum ſagitta circa quintam & ſextam coſtam ſuperiorem, cuſpide in pectore manente. Curabatur, & adhuc vivit per viginti aliquot annos ſanus & incolumis, geminaque vice præterito bello Gallico Batavico Electoris Brandeburgici caſtra ſecutus. Eſt vir longioris ſtaturæ, aſt exſiccatus, lenique tuſſi ſemper moleſtatur. Curæ meæ ſubfuit febricitans, alio tempore plus quàm conſuetum, tuſſiens, ſed feliciter Dei gratiâ bis reſtitutus.

Quando ſagittæ mucro ſe movet, & ob gravitatem ima petit, ſentit obſcurum dolorem & ſanguinis fluxum copioſiſſimum per os. Ante aliquot annos tres Medici conſuluerunt, mediante ſectione per Chirurgi manum, extrahere cuſpidem: annuit noſter & ſtrenuè operationem ſuſtinuit, aſt incaſſum, quia locum cuſpidis non invenerunt. Vivit jam in Polonia ad actiones vegetus, annorum præter propter ſexaginta. *Dom. Samuelis Ledelii.*

Vulnus Cor pertranſiens non illico lethale.

Die 4. Jan. 1664. juſſu Sereniſſimi Principis Haſſorum Caroli, Domini mei Clementiſſimi; aperui cadaver Juvenis 25. annorum, ſub mammilla dextra intra coſtam 4. & 5. ab alio gladio perfoſſi. Aperto cadavere vidi pectus totum ſero & ſanguine refertum, pericardium & cor per binos ventriculos perfoſſum, & tamen Juvenis per. 4. aut 5. horas ſuperſtes in vita manſit. *D. Joh. Dolæi.*

Caſus ſingularis vulnerati abdominis.

Poſtquam Ann. 1676. Deo propitio feliciter appuli ad Bantam menſe Novembri navi, quam albam Fortunam vocant, eaque exonerata mercibus Societatis Danicæ & Norvvegiæ, Ampliſſimus *Dn. Johannes Joachimus Paulli* Reſidens Regiæ Societatis Indicæ, miſit Orientem verſus ad vendendas merces nonnullas, emendoſque aſſeres & trabes. Et quia ego valetudine minus proſpera detentus, Bantam ſubſiſtere cogebar, accidit die 20. April. ſt. v. vel 1. Maji ſt. n. Ann. 1677. ut die iſto Sabbathi nuntium ad prædictum Dominum Paulli, aliquoties mitteret Anglicus Agens Arnoldus Weit, prudens & officioſus Vir, amiceque invitaret ut ſecum ad Lotionis locum per fluvium trajiceret ad conferendos ſermones de transfuga Johanne Henrico Schytte. Non potuit hoc illi negare Dn. Paulli jure amicitiæ, cùm etiam multum intereſſet Societati, ut fugitivus ille revocaretur ad Societatem Danicam. Igitur in comitatu multorum ſplendiſſimorum hominum ad prædictum locum tendebant ſinguli ſua ſcapha, nempe Anglicus Agens *Dn. Johannes Joachimus Paulli, Dn. Willibii,* cum conjuge, quæ uterum poſtremis menſibus gerebat, Dn. Nord Anglorum ſummus Capitaneus in Jambi, aliique plures. Cùm, Sole ad occaſum vergente domum redire meditarentur ſuoque ordine ſcaphæ ſingulæ proveherentur, ubi medium itineris abſolviſſent, tragicus caſus miſerabilis & deteſtandus accidit. Nequiſſimus quidam Javan, genuatenus aquæ inſiſtens, brevi ſed acuta utrinque lancea tres digitos lata. Anglici Agentis latus dextrum perfodit, qui ſanguinis profluvio poſt mediam horam exſpiravit. Sequens ſuo ordine in Scapha ſua Dn. Paulli; in tenebris neſciens quid Agenti accidiſſet, ab eodem Javan petitur, vulneraturque in trochantere. Dn. Paulli ſentiens ictum, vertit ſe, ut ex ſcapha exſiliret; interea peractus eſt ictus; ibique aliquot muſculi reſecti, cum tendonibus, fibris, & nervis ſurſum tendentibus; pertuſoque ramulo Venæ Cruralis, unde ſingulari Dei providentia lancea ſe vertit, ingreſſaque eſt plana ſui parte infra umbilicum, ubi cutis, pinguedo, una cum muſculis tranſverſam manum late à Peritonæo ſeparata fuerunt, lanceaque ſuo acumine magnam laciniam ab ipſo hypogaſtrio dilaceravit, vulnuſque effecit ſpithamam longum quatuorque digitos; quod ample hians, horribilem faciem repræſentabat, ubi etiam quinque vel ſex fibulæ impoſitæ. Dum ita vulneratum ſe Dom. Paulli ſenſit, ex ſcapha provolutus in fluvium evaſit ſicarii periculum.

Non potui intermittere quin ſimpliciſſimè enarrarem ſtatum Vulneris; & quid in eo conſideratione dignum fuerit, & quàm periculoſum, niſi Omnipotens Deus ex ſingulari gratiâ avertiſſet. Primò in vulnerato Trochantere, ſi ictus profundus deſcendiſſet & extrema Muſculorum qui os movent illique firmiter adhærent, reſecuiſſet, evenire debuit motus impotentia. Deinde, vulnerati ſunt duo muſculi, qui ab oſſe ilium, & cum nervoſo tendine inſeruntur in Trochanterem, ut eundem extendant. Hi muſculi ſunt in origine ſua candidi, & anguſtas inſertiones habent, quę diligenter ſunt conſideranda quando circa Trochanterem vulnera fiunt. Tertiò: Si ictus, pollicis craſſitie, altius penetraſſet, ut læderetur ramus major, qui unà cum nervo magno ad genu pergit, venaque cruralis pertuſa fuiſſet, magna ſanguinis profuſio ſequi potuiſſet, ex qua ſæpe animam cum ſanguine vulnerati profundunt. Quartò: niſi lancea ſingulari Dei providentia ſeſe vertiſſet, cùm in hypogaſtrium deſcenderet; illæſo tamen peritonæo; ſed acie ſua ulterius ingreſſa fuiſſet; extremum vitæ periculum timeri potuit, quia prope os pubis locus ille ſitus eſt, ubi ſitæ ſunt partes generationis, ubi etiam inteſtina vulnerata fuiſſent, morte inſequente.

Ego quidem primus fui qui vulnus obligavi: ſiquidē verò multum pro Societate Nobili intererat laudatum Dn. Paulli ſalvum eſſe, conſultum viſum fuit ex Batavia evocare Chirurgum peritum. Quod curæ fuit Nobiliſſimo *Dn. Johanni Maatſuycker* Generali in Batavia, qui expertum & doctum Chirurgum Reymerum de Witt huc miſit, convocato præterea perito Gallorum hîc degentium Chirurgo, Gulielmo de Comball, quorum nobiſcum diligenti opera Deus benedixit cœptis noſtris, ut non tantùm ſymptomata prava averterentur, ſed cura feliciter ſucceſſerit. *D. Joh. Silleri.*

Vulnus inguinis lethale.

M. P. St. Norimbergenſis, & Medicinæ Candidatus, cum An. 1628. in Academia Patria Altdorfenſi ebrioſus, evaginato gladio noctu alteri cuidam occurriſſet, ab illo iridem petitus, & in inguine dextro prope veſicam punctim læſus, vulnere quidem non lethali, tamen exanimis concidit. *Ex obſerv. pr. D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Scbröckii.) Ratum cùm ſit, inguinis vulnera per ſe & proprie non eſſe lethalia; quod repentinam in hoc juvene mortem attulerit, dubitari poteſt. Quamvis enim rudior aliquis lethalitatem exin adſtrueret, quod immediate mors à punctura illa inſequuta fuerit; nimium tamen is hallucinaretur, ridendus potius & explodendus vulneris arbiter. Neſciunt ſane tales vim Hippocratici aphoriſmi omnium primi, quo non ſolum Medicum, & ægrum, & adſtantes,

tes, quæ ad morborum curationem ſive vitæ conſervationem faciunt, obſervandorum admonere voluit Hippocrate; ſed & res externæ rite ut ſint comparatæ, requirit, quas inter non ultimum locum vehementiores animi adfectus, ita & terror, obtinent, expreſſis verbis à Galeno in Comment. memorata. Quorum utique magnæ poteſtati cauſam ſubſequutæ in hoc juvene præproperæ mortis adſcribi poſſe, non ſine ratione adſtruitur, præcipue cum jam antea à liquore inebriante, ſanguini & ſpiritibus confuſo, horum naturalis motus perturbatus, iique inquinati, ac debilitati fuerint; unde facile flagrans antea in adgreſſorem ira, atque ſupetveniens ex inflicto vulnere terror, ſpiritus ſuffocare & expellere potuerunt. Ipſa ebrietas quid non in peſſundando homine efficit? Ut alias taceam tragœdias, quot, quæſo, mortales convulſione, aphonia, apoplexia interemit? Notum id præcipue fuit Coo noſtro, qui ſect. 5. aphor, 5. ebrium, quem vox derepente deficiat, convulſum mori, perhibuit, niſi eum febris prehendat, aut qua hora crapula ſolvi ſolet, vox redeat. Exempla ſi deſideres, præter plures alios Auctores, dabit Petrus Foreſt. lib. 9 obſerv. 27. in ſchol. aliudque maxime obſervandum Bald. Timæus reſponſ. medic. 35. pellionis nempe ebrioſi, poſt litigium cum militibus habitum, ſubito exſpirantis, cujus mortis cauſam Vir doctiſſimus; poſt peractam diligentem cadaveris inſpectionem, nullum in capite ac reliquo corpore plagæ, contuſionis, ictus, aut vulneris veſtigium exhibentis à nimia ebrietate, vehementi excandeſcentiæ juncta, deduxerat, ſuffocatis nempe ſpiritibus vitalibus, aut obſtructo nervorum principio, apoplexiam inducente. Animi pathemata, inopinato & vi quadam irruentia, quid valeant, neminem fugit, ſive jucunda, ſive adverſa exſiſtant, ut non magno animi dolore tantum, ſed & lætitiâ multos ſubito occubuiſſe, hiſtoriæ loquantur; idq; eo facilius ira & terror efficere valent, ſi ab accedente continui ſolutione ſine vulneratione ſpirituum conceptacula & organa, in quibus operationes ſuas exercent, nervi &c. lædantur, adeoque ipſi etiam incolæ vel ſpiritus offendantur. Exempla horum proſtant plurima; ex quibus à *Daniele Beckero* quæſt. 10. de cultrivoro Boruſſ. recenſita, videlicet cujuſdam à levi vulnere in abdomine accepto, nullo tamen inteſtino nec ventriculo læſo, intra dimidiæ horæ ſpatium defuncti, alteriuſque ex parvo inter lites vulnere furæ inflicto, confeſtim exanimati, hîc notaſſe ſufficiat, quibus & hiſtoria à Balduino Ronſſeo epiſt. medic. 12. memorata addi debet, ab omnibus de vulnerum lethalitate minus perite & exacte judicaturis probe conſideranda.

Tria ſclopetorum vulnera notabilia.

Joh. Georg. Koch incola Oedingenſis (pagus eſt uno lapide Heidelbergâ in occaſum diſtans) annorum 34. præter propter, in Acie prope Bingen (quam habuit Sereniſſ. *Dominus Elector Palatinus*, Dominus meus clementiſſimus cum *Domino Electore Moguntino, Duce Lotharingiæ & Confœderatis*) A. C. 1665. Septembr. tribus ſclopetorum glandibus, diverſis in corporis locis, trajicitur; una ad medium genæ dextræ adeo maxillam ſuperiorem feriebat, ut omnes dentes pene excuteret; & per ſiniſtram buccam tranſiret: altera dextrum femur petebat, nec unquam extrahi potuit, adhuc dum inibi ſine hominis moleſtia latitans. Tertia per dextram epigaſtrii partem ſub coſtis ſpuriis verſus ventriculum ingreſſa eſt, quæ magnas homini creavit moleſtias, cum ventris inflatione, vomitu &c. Verùm poſt Menſem hæc tertia glans, dum alvum exonerare ſtudebat, præſente Cheirurgo Noſodochii Electoralis *M. Johann. Phil. Weislero* unà cum excrementis nigricantibus, ſanguineis, grumoſiſque, quæ curioſius ſcrutabatur dictus Chirurgus, fuit excreta: nihilominus Dei clementia, & induſtriâ dicti Chirurgi, ſatis exercitati, bene convaluit, ut adhuc dum ſuperſtes vivat vegetus, jam quinquagenarius, & ſingulis fere ſeptimanis Heldelbergam frequentet.

Scholium.) Cùm ventriculum in hoc caſu vulneratum fuiſſe, non admodum dubitare liceat, eo ipſo vulnera ejus non ſimpliciter eſſe lethalia ſequitur. Unde (licet *Celſus lib. 5. cap. 26.* vulnera in inſanabilia, difficulter curabilia, & quæ ſunt promtioris curationis, diſtinguens, primo ordini ventriculum quoque inferat, ac ſervari non poſſe cui ventriculus ſit vulneratus, clare innuat, pauloque anteà prudentis Medici eſſe dicat, eum qui ſervari non poteſt, non attingere, nec ſubire ſpeciem ejus ut occiſi, quem ſors ipſius peremit,) curationem quoque eorum Medico curæ cordiſque eſſe debere, eluceſcit. Hinc magni nominis Medicus, *D. Joh. Riolanus in epiſt. ad D. Simonem Paulli* (vid. *hujus παρεκβ. de febb. pag.* 112.) ventriculus vulneratus quod ſanari poſſit, multoties ſe vidiſſe teſtatur, & aliquot exemplis *Joh. Georg. Schenckius in ſuo Obſervationum libro* 3. Notabilia imprimis ſunt bina illa cultrivororum, Boruſſi & Bohemi, illius hiſtoriam *Georg. Lotho, & Dan. Beckero* ſingularibus libellis, hujus *Obſ. Crollio præfat. Baſilic. chim.* deſcribentibus. Quare plurimi illa tantum, quæ magna ſunt, vel orificium ſuperius attingunt, lethalia proclamare maluerunt, eo quòd ibi ſanguis confertim erumpens non ſiſti, nec tantus hiatus, præcipue ob loci diſtantis & in cavitate corporis deliteſcentis incommoditatem, per convenientia remedia conſolidari queat: hic verò nervorum inſignis copia, maximam ſenſibilitatem parti iſti conciliaus, facilè cor & cerebrum in conſenſum trahat, convulſioneſque & dolores exitiales inferat. Quod ultimum uti veritati quàm maximè conſonum: ita quoque exemplum vulnerati ea in parte, qui evaſerit, nullibi reperio; idque etiam *Celſus d. l.* majori probabilitate innuere voluit, dum Stomachi percuſſionem lethalem, pronunciaverat, per Stomachum partem illam dubio procul intelligens. Vulnera magna tamen quod attinet, non ſine diſtinctione aliqua admitti poteſt, ita ut, licet plerùnque talia mortem adferant, ſi tamen abſque magnorum vaſorum gravi læſione, & conſequenter maxima ſanguinis effuſione, vix in anguſtiis illis coërcenda, accidant, æger evadere poſſit. *Hippocratem* equidem hîc nonnulli in medium adducunt, ac ſi ventriculi vulnera lethalia ſimpliciter pronunciaſſet *ſ. 6. Aph.* 81. cùm tamen vox διακοπέντι non ſimplicem aliquam vulnerationem, ſed magnam violentiam & diſciſſionem involvere ac denotare, multi jam animadverterint, ipſeque *Galenus in Comment. Hippocr.* magna vulnera nominare conſueviſſe διακοπὰς, teſtetur. Unde etiam idem *Cous lib.* 1. *de morb.* cùm cerebri, ſpinalis medullæ, hepatis, ſepti tranſverſi, veſicæ, venæ multum ſanguinis effundentis, & cordis vulnera mortem inferre doceret, voce τρώματος, non eam vehementiam arguentis tantùm uſus, ventriculum excluſit, addens. Ex vulnere autem minimè mori contingit, ſi his partibus vulnus acceptum non fuerit. Accedit quòd *Galenus* verbum, lethale, ab eodem partim de iis proferri interpretetur, qui ex neceſſitate: ſæpe autem de iis, qui magna ex parte ſunt morituri. Quo poſteriori ſenſu *Hippocr.* authoritatem ſalvam eſſe ſi velimus, lethalitatis judicium ventriculi vulneribus magnis erit adcommodandum, quia priori ſenſui experientia reclamat, docens, vulnera magna aut curata interdum fuiſſe, quod in ruſticis illis cultrivoris patet; aut ſaltem non lethalia exſtitiſſe; ceu memorabilem hiſto-

riam

riam in *Diom. Cornarii hiſtor. admir.* 9. legimus, de ruſtici Bohemi ventriculo, venabulo lato vulnerato, quod amplum vulnus nulla arte conſolidari quidem potuit, labiis tamen ejus tractu temporis occalleſcentibus, atque hiatu pro lubitu ægri inſtrumento quodam, pannulis laneis &c. obturari ſolito, per plurimos annos ut ſuperviveret homo ille, conceſſit; cui homogeneum exemplum, ni idem fuerit, ex *Nicandri Phyſica* recenſet in ſuo *tract. German.* inſcripto: *Wahrhaffte Lügen, Georg. Rollenhagius cap.* 9. D. Georgii Franci.

De Ancilla viginti tribus cultri Ictibus ſaucia.

Ancilla cujuſdam Civis Vidui, quadam veſpera, abſente Hero, idque ipſo die ſolis, cùm ſola in ædibus eſſet, intravit ad ipſam homo nefarius, & deſperabundus, furto & cæde fortunam fabricare volens; petit enim primo ingreſſu Vitrum aquæ Vitæ, ſiquidem illa Vitæ aqua, quemadmodum vulgo vocatur, ibi venalis erat: Ancilla petito ipſius obſecundare volens, ingreditur conclave, ubi reſervabatur illa Vitalis aqua; Ille & furto & cædi intentus, ancillam ſolam videns, extinctâ candelâ, cultro ipſam aggreditur & in terram proſtratam tot Vulnera infligit, quot ejulatus ancilla edidit; tandem, cùm ad tot Vulnera, miſera illa, conticuiſſet, ille ancillam mortuam ratus, ſolus in ædibus ad Bona diripienda progreditur, ſed à janua per quam exire debebat, aberravit, intrabat enim in Conclave alterum in poſtico hypocauſti loco ædificatum, ubi ſine luce & lumine Cœci inſtar palpitabat; id cùm Ancilla humi proſtrata & tot Cultri ictibus ſaucia, ſed viva adhuc, animadvertiſſet, ſe ſe iterum collegit, ſurrexit & ad fores propetavit; (timor enim addit alas) quas apertas poſt ſe reliquit; hinc vociferans auxilium petit à vicinis. Fur ille ſicarius nefando ſuo propoſito fruſtratus, ancillam enim, quam mortuam ratus, adhuc viventem & vociferantem audivit, per conclave illud erupit & non niſi cantharum argenteum, vix viginti Joachimicis æſtimatum auffugiens ſecum portare potuit, metuebat enim, ne, ſi longiorem in ædibus moram traheret, apprehenderetur. Ille tanto ſcelere perpetrato, fugâ illâ ex ædibus ſibi benè conſuluiſſe ratus, ſed manè perpetrati criminis memor ad portam Urbis, ut ulteriori fuga exitium illud, quod ex nefando illo facinore cervicibus ſuis imminere conjecturabat, evitaret, progreditur; quid fit? Ille ſceleratiſſimus collare heſterno ancillæ ſanguine tinctum cum adhuc geſtaret, ab illo proditur: miles enim, qui excubias pro ſalute publica ad portam Urbis illâ horâ agebat, ex illo collari ſanguine tincto ſiniſtri quid ſuſpicabatur (rumor enim tanti ſceleris jam intra & extra Urbis mœnia increbuerat) comprehenſus ergo fatetur delictum & cantharo argenteo, quem intra veſtes occultatum ſecum pro Viatico auferre volebat, illud confirmavit. In Carcerem ergo conjectus & examinatus cùm eſſet, datâ à Judice ſententiâ, ad ſupplicium trahitur, ubi decollatus rotæ in altum erectæ imponitur, ſuperſtructo parvo patibulo & affixo cultro furti & cædis indicibus, ut tanti facinoris memoria prætereuntibus conſtaret.

Interea Ancilla à me & Chirurgo curatur ex illis viginti tribus vulneribus ægra, nullum verò lethale per ſe vidimus, niſi unum in brachio, quod ſatis periculoſum videbatur, totum enim illud brachium ſiniſtrum ex nervo læſo (ab inferiore parte juxta alam) ita unica nocte intumuerat ut Gangrænam metueremus, præſcripto verò ſudorifero, & decocto Bardanæ ſyrupo ex bellide tota edulcato, pro potu alterante, quod Deo benedicente optimè profuit. Chirurgo etiam externis ſuis medicamentis dextrè ſuccurrente, ſenſim detumuit brachium & cum hoc etiam cætera ſanata fuerunt vulnera, manus verò illius brachii ſemper pendula manſit, quod nullâ arte corrigere potuimus, nervo vulnerato aut diſſecto id prohibente. *Dom. Gaſpari Kolichen.*

Arteria crurali læſa mors ad 14. dies dilata.

Malo fato ejuſdem Illuſtris viri *Georgii Roſencrantzii*, filius, *Ovvenus Roſencrantz*, ab alio Nob. in crure ſiniſtro vulneratus nuperrimè, ingenti hæmorrhagia penè ſtatim occubuiſſet, niſi ſedula Chirurgorum opera vulnus obligatum fuiſſet. Tanta ramen ſanguinis copia ex vulnere profluxit, ut convulſionibus imminentibus extrema videretur pati. Dilata verò mors fuit ad quatrum decimum diem: quo ſuperveniente febre, virium defectu & crebrioribus convulſionibus expiravit placidiſſimè. Sectioni cruris à Chirurgo regio Philippo inſtitutæ, præſentes obſervavimus, vulnus cruris penetraſſe muſculum faſcialem ſeu ſartorium, ad arteriæ cruralis divaricationem primam, quam amplo foramine læſerat, unde ingens illa hæmorrhagia, ſurſumque ad regionem Perinæi deſiiſſe. Obſervata in vicinia muſculorum tricipitis & lividi cavitas ampla, ovi magnitudine, gangrænam minitans, ſanguine purulento conſperſa. Ipſum verò hiatum arteriæ cruralis, quem in divaricatione gladius infelix effecerat, grumoſus ſanguis obturarat, quæ cauſa fuit, quod univerſi ſanguinis effluxus inhibitus fuerit, ne, ſicut plerumque fieri ſolet, mors repentina ſequeretur. Magna dexteritate Chirurgorum rotundas longiuſculas & ſtilos immittentium cautum fuit, ne abraſo grumoſo ſanguine, exitus ſuperſtiti ſanguini aperiretur. Occurrunt in praxi alia, quæ annotare ſingula non vacat. *D. Thomæ Bartholini.*

Apertio Vulnerati.

Per luſum & jocum auriga fratris amantiſſimi *D. Eraſmi Bartholini* & famulus peregrinus ſtrictis gladiis in fœnili congredientes 9. Sept. 1673. tragicum exemplum præbuerunt. Ex improviſo enim latus gladius ſub dextra brachii ala immergitur corpori famuli inter coſtam ſecundam & tertiam, penetratoque pulmone dextro vaſa cordis majora in baſi cordis lædit; & in ſiniſtro demum pulmone ſe ſiſtit. Dictum factum, ſed ſine dolore, concidit famulus *Torchillus Petri*, annorum 18. neſcius ſe vulneratum, antequam conſpecto gladio cruento in lipothymiam incideret. Chirurgo ſtatim advocato, quia ex vulnere altiori nihil ſanguinis ſtillabat, vena in brachio dextro aperta nihil quoque cruoris profudit, ſiniſtrâ parum, unde ad ſe rediens æger reum amicum abſolvens, ſe dormire velle ait, & quanquam à ſomno retardaretur, tamen poſt paulo placidè obdormivit, ſine ullo doloris ſenſu & ſigno. In aperto per Chirurgos Urbis *Bojum* & *Aſpachium* corpore defuncti, invenimus pulmonem dextrum coſtis adnatum, totumque pulmonem quoque aridiorem ad phthiſin vergentem, quippe artem figulinam didicerat, & æger diu inde receſſerat. Cavitatem thoracis grumoſus ſanguis copioſè implebat, à quo, impeditis pulmonibus, cordeque liquore ſuo deſtituto, ſuffocatus. Sed cur ſine doloris ſenſu inſigni tam altum vulnus pertulit? Triumphat *Ariſtoteles* in cordis victoria Nervis in baſi cordis diſſeminatis, hiſque diſſectis aſcribendum iſtud beneficium, qui ad ſenſum magis, quàm motum in corde promovendum ab Anatomicis pleriſque deſtinantur. Unde ad ſomnum propenſio? Quia ceſſante ſanguinis alio derivati ex corde influxu, cerebri ventriculi conciderunt.

Quanquam autem caſu ludentium inter ſe amico-

rum, ſine ulla lædendi, nedum occidendi voluntate, homicidium hoc perpetratum ſit, vulneratusque præſentibus teſtibus reum à crimine abſolverit, nec actores ulli de facto conqueſti fuerint, non mater mœſta, non ſorores fratresque, nec Magiſtratus proinde Lege ſicaria condemnaverit nocentem, exemplo tamen erit cunctis, cautius tractanda arma nuda. Seria ſecum trahunt. Nec rarò enim, etiam inter inermes, fata ſuum negotium agunt. Vir nudatur omnis occaſio periculorum, ne luſum nobis in luſu fortuna faciat. *D. Thomæ Bartholini.*

De Hæmorrhagia ingenti, 6. vel 7. die poſt acceptum vulnus.

In conflictu exercitus Electoris Saxoniæ cum Cæſareo propè Lignitium, Nobilis quidam Miſnenſis, ſupremus excubiarum Præfectus, in quadam legione militum pedeſtrium, vulnus ſclopeti acceperat in ſiniſtro crure. Ecce autem poſt 6. vel 7. diem media nocte ſubito copioſus ſupervenit ex vulnere ſanguinis fluxus, qua novitate ille perterritus media nocte me ad ſe vocat, de vita ſua anxius. Ego verò illum bono animo eſſe juſſi id enim crebro accidere in vulneribus ſcloperorum, & provenire, quia ſedata jam inflammatione, vaſorum ora dilatantur, & hinc ſanguis, qui prius inflammata parte & condenſatis vaſis retentus fuit, effluit liberius. Quo de eventu etiam Glandorpius in Speculo Chirurgico. Et ita etiam docuit eventus, facilè enim ſedatus eſt iſte fluxus ſanguinis, ægerque idoneis remediis convaluit.

Scholion.) Chirurgi inter ſe digladiantur, num combuſtio ſit vulneribus ſclopetorum conjuncta, vel non? Paræus combuſtionem ſatis firmis confutat argumentis, & demonſtrat Glandem non poſſe uſtione eſcharam inducere. Concedit id quidem Quercetanus, quoad glandem, non verò quoad pulverem pyrium; & diſtinguit diſtantiam loci, à quo provenit & exploditur glans, & ſimul an obſtacula firma vel infirma adſint: idcirco dicit Vulnera ſclopetorum aliquando (ſi ſcil. è propinquo loco explodatur glans) cum, aliquando (ſi diſtantiori loco) ſine uſtione poſſit eſſe. Et huic opinioni calculum meum adjicere non dubito. Etſi enim Paræus contra rationes à Quercetano allatas opponere poſſit, ſc. incendium veſtis & barbæ fieri ſcruti ſeu veteramenti glandibus alligati ratione, tamen cùm idem incendium fieri videamus à glandibus, iis rebus carentibus, ſi modo à propinquo explodantur, meritò ſententiam Quercetani approbamus. Si itaque hoc vulnus è propinquo illatum fuiſſet, dicerem poſt eſcharam remotam hanc hæmorrhagiam ſecutam, & ſaltem è venis, non verò arteriis (ubi periculo non caruiſſet) proveniſſe, & inflammationem per iſtam ſedatam fuiſſe. *D. Danielis Wincleri.*

Vena poplitis ſponte aperta.

Memini, Monacho Carthuſiano octuagenario in Carthuſio Prüel propè Ratisbonam, dum in hortulo ſuo pro more ſolito laborabat, venam ſub poplite bis ſponte ruptam fuiſſe, puto ex ſanguinis acris motu fortuito, & citra ullam corporis noxam & debilitatem, licet inſignis hæmorrhagia ſequeretur, vulnere ritè deligato, ac emplaſtico & epulotico impoſito, brevi iſte ſanatus eſt, qui alioquin in toto vitæ decurſu, nulla unquam medicina interna, nec ulla venæſectione utebatur; neque morbo gravi unquam decubuerat, homo quidem macilentus, ſed venis magnis præditus, diætam ſemper ſimplicem obſervans, atque juxta Ordinis regulam, exactè vivens. *D. Joh. Helvvigii.*

Scholion Schröckii.) Infenſus admodum Venæſectionis oppugnator Helmontius, alias inter cauſas, quibus eandem improbat, cap. 4. tract. de feb. §. 14. eam in natura Deum nuſquam inſtituiſſe, objicit: qui tamen menſtrui ſanguinis naturalem evacuationem ſi conſideraſſet, tolo iſto remedium hoc vix petiiſſet; quin & hæmorrhagiæ narium criticæ, fluxus hæmorrhoidum, aliarumque venarum dæmfes ſpontaneas opponit Exc. D. L. Sigiſmund. Graſſius Ephem. Germ. Curioſ. Ann. 3. obſerv. 54. haſque duobus exemplis, uno in cruribus varicoſis, altero in vena ſublinguali illuſtrat. Sponte etiam aperti vaſis hiſtoriam in manus ſiniſtræ pollice, ut & in poplitæa dextri pedis habet Nob. D. J. Jac. Wepferus Exerc. de loc. adfect. in apopl. p. m. 256. Quibus addatur obſervatio *Bartholiniana cent.* 5. *hiſt. anat.* 19. de ſanguine ſponte ex ſalvatella dextræ manus exſiliente, nec non Dominici Panaroli pentec. 2. obſerv. Med. 4. de periodica venæ in crure varicoſæ ruptura ſpontanea; ut & *Matthiæ Cornacis lib.* 1. *cap.* 3. *conſult. Med.* de vena in temporibus ſponte reſerata; Plures verò ſimiles ex *Sennerto, Platero, Hochſtettero, Benivenio, Hollerio, Henrico ab Heer, Zacuto,* & propria obſervatione conſignavit in Schediaſm. de Lap. hæmat. proœm. hæmatolog. beatus noſter *D. Joh. Laurent. Bauſchius.* Quorum omnium cauſam vel in ſanguinis efferveſcentiam, vel copiam, acredinem, ſeroſitatem, reſtagnationem, vaſorum item imbecillitatem & laxitatem eſſe referendam, nemo eſt qui dubitaverit.

De punctura patellæ lethali.

Vulneratur miles in genu puncto, & quidem in patella, dictum factum moritur laſus, quæritur de cauſa ſubitaneæ mortis, cùm ibi nihil ſit, quod repentinam mortem poſſet afferre, ſollè animi conſternatio cauſa iſtius fuit: Novi enim duos alios etiamnum vitali fruentes aura, qui caſu ſive lapſu in terram patellam fregerant, ut dehiſceret, præter claudicationem tamen nihil mali paſſi ante à multis nunc annis. De Fractura Patellæ egregius est Hildan. obſerv. Chirurg. cent. 5. pag. 484. & ſeq. *Dom. Laurentii Gieſeleri.*

De Vulnere Pedis.

Paulus Jonas ſecuri pedem profundè vulneravit. Vulnus vino, in quo ſaccharum ſolutum, eluere ſibi curavit. Deinde croco vulnus replevit. Ita ſanatus eſt. Hoc modo etiam vulnus in capite ſibi inflictum ſanavit.

Scholion.) Crocus calefacit 2. ſiccat 1. gradu, digerit, emollit & anodynus eſt. Itaque Balſamos vulnerarios plerumque ingreditur; Emplaſtrum Oxycroceum ab illo nomen & vires mutuatur. Unguentum Aureum Meſuæi etiam illum recipit; ut & Balſamus Vigonis decantatus. Ergo non contemnendum eſt Eupotiſton. *D. Georgii Wincleri.*

De balſamo terræ Catechu vulnerario.

Præter alia complura, quæ circa hocce ſubjectum hactenus feci experimenta, etiam hoc nihi ſeſe obtulit. Scilicet aliud quaſi agens affudi *Terræ Catechu* pulveriſatæ lixivium Salis Tartari proportione circiter quadrupla. Vidi in momento veluti lixivium hocce purpureo tingi colore, atque in ſe Terram Catechu quaſi abſorbere, ut nihil ſedimenti in vitro, ceu aliàs in ejuſdem tincturis fit, viderés. Miratus ego tam ſubitaneam Catechu metamorphoſin, guſtavi liquorem, qui præter lixivii ſaporem dulcorem quendam remiſſus erat. Aſſervavi eundem per aliquot dies in loco temperatiore, & totus in gelatinam abiit rubicundiſſimam, butyri inſtar tractabilem.

Diutius verò adſervando animadverti denique, evaporata humiditate ejus, ſua ſponte concreviſſe in florem plumâ leviorem, cum intermiſtis quibuſdam particulis ſalinis, à ſal. tart. Liquor hic egregium præſtabit uſum in ulceribus antiquis abſtergendis & ad cicatriſationem perducendis. Sed de hoc aliiſque ex Catechu mihi natis experimentis, propediem, ſi Deus permiſerit, homineſque faverint, peculiari opella dabo plura. *D. Ehrenfridi Hagendorhi.*

Vulnerum cura apud Æthiopes.

Æthiopes ad *caput bonæ ſpei*, graviſſimis vulneribus nihil applicant aliud quàm ſevum ovillum, Hoc calidum vulneribus inſtillatum ea feliciſſime ſanat. *Joh. Otthon. Helvigii.*

De *Ungnento Armario.* *Ad D. Joh. Lud. Hannemannum.*

Doctiſſimas paginas, quas Unguento Armario impendiſti, cum voluptate vidi. Sapiunt enim prolixam eruditionem, quam ad ſuſceptum argumentum attuliſti. Non immiſcebo me difficultatibus, quibus urgeri videntur, qui pro curationis hujus magneticæ certitudine pugnant. De his alibi actum memini; & tua penna felicius expediet. Experientiis ſtandum: quæ ubi ſufficientes productæ fuerint, rem omnem convincent, & ad credendum invitos cogent. Multorum rationes nobis latent; quorum effectus oculis patet. Nec deſperandum cauſas quoque erui poſſe ab ingenioſis, qui lynceis oculis & mente ſublimi naturam ſollicitant. Pulverem Sympatheticum, Lignum Sympatheticum (quod, ex Fraxino ut plurimum Martio Menſe ſecto, quando ſuccus eſt in cortice, deſumitur, aliaque hujus commatis, quanquam ſimpliciora, eadem ad curandas plagas vi pollere, multis experimentis didici. Fatebor unguentum armarium expectationem noſtram in primaria UrbisMatrona aliquando fefelliſſe. Ad pectoris potius ulcus commendabatur à ſplendido quodam Viro ſplendidis promiſſis. Cæterùm cum magna diligentia miſcuiſſet unguentum, nihil profecit irrito conatu. Quin alibi felicius ſuccedat decantatum remedium, nolim dubitare. Ego quidem hoc declinantis ætatis flexu perdidi ſpem, qua me olim oblectabam, maloque credere oculis aliorum lynceis, quàm cauſas vel inveſtigare vel refutare. Ea laus Tibi aliiſque ſervabitur, ſi quando benevolum Naturæ nutum nacti ad ſacra ſecretiora admiſſi fueritis. Nihil labori pertinaci invium. Perrupit Acheronta Herculeus labor. Annibal Alpes aceto fregit, h. e. magno exercitus ſui molimine, quo hodieque inexpugnabiles ſcopulos ſubruimus. Gratulor interim Naturæ Myſtis, gratulor Tibi indefeſſo Naturæ amaſio, quòd omnis opera in eruenda Naturæ veritate impendatur. Applaudo bene meritis de Natura, & quanquam alterum pedem in tumulo habeam, non pigebit illa addiſcere quibus ars ſervandi homines vel augetur vel illuſtratur. Perge, Vir Clariſſime, orbem ingenii & doctrinæ Tuæ monumentis ornare, meque amare, qui rude donatus, naturæ potius debitum exſolvere paratus ſum, quàm Naturam provocare novis experimentis. Sine pennis volare haud facilè eſt. At meæ alæ jam pennas non habent.

Antequam finem Epiſtolæ faciam, tuo judicio expono Tranſplantationis exemplum, de qua olim inter nos actum memini. Fidem fecit Amicus quidam Magnus, Perſicariam dorſo Equorum contuſo applicatam, deinde in profluentem projectam, ſanare ulcus ſimplici curatione. Eadem eſt ratio ſcrofulariæ, fabariæ & chelidoniæ radicis in abigendis ſcrophulis & ſedandis hæmorrhoidibus. *Vale.* Hafn. Cal. Jul. 1678.

Teſtatur *Jac. Frabricius* Reg. Dan. olim Archiater in Schedis Miſtis ad Crollium, quas Bibliothecæ Academiæ legavit *D. Simon Paulli* illius Gener, vidiſſe ſe qui cochleari novo, æneo, ligneo, aut argenteo, recens ſibi ab ægro febricitante ipſo empto, die Veneris ante Solis ortum inſculperet † con † ſummatum † eſt, & dicto tempore, vinum, cereviſiam, vel aquam, aliumve liquorem, ſuper iſtas literas fuſum, tribus vicibus, unum cochlear poſt alterum ebiberet, optato cum ſucceſſu, neque rediiſſe febrem. Id verò quomodo operetur, ingenue fatetur ſe neſcire. T. B.

Ex literis *D. D. Hannemanni* 15. Novembr. 1678. ſcribit: De cura Magnetica ſocio ſequentem hiſtoriam, quam mihi *Franciſcus Heſporn* Med. Studioſ. retulit. Puellus 12. annorum in Weſtphalia in pago *Lillebach*, laborans Enterocele, Variorum Medicorum conſilia ſecutus, multiſque medicamentis, ſed fruſtrà, fatigatus, tandem ad hoc deventum conſilium, ter per arborem quercum fiſſam traheretur, ſicque ſanatus perhibetur. Eandem curandi Methodum ſæpius in patria mea Friſia Orientali fuiſſe inſtitutam ſcio.

Claus Frich, civis Buxtehudanus, ictero laborans bis à me curatus eſt per Tranſplantationem, hocque modo, ex ejus urinâ cum farina fiebant placentæ, haſque catis, canibus devorandas objiciebant domeſtici; hoc facto vix ter repetito bis evanuit icterus. *Dom. Thomæ Bartholini.*

Ex Alapa mors.

In Supremo Juſtitiæ Tribunali Hafniæ 1672. cauſa ventilata fuit mulieris Otthinianæ, quæ à judicibus inferioribus domi rea judicata fuit homicidii, quia alapam ancillæ dedit, quæ exinde ira effervescens quinto die fatis ceſſit. In ſupremo verò judicio abſoluta fuit Matrona honeſta prudentiſſimis Patrum Conſcriptorum calculis, & Regiâ ſententiâ definitivâ, eò quod non alapæ vi, ſed malo animo & iracundo mortem ipſa ſibi conciverat impotens ſui ancilla. Aliàs à colapho Apoplexiam ortam exemplis confirmant Benivenius, Schenkius, Hildanus: ſed ea in ancilla hac ſtatim non eſt inſecuta. *D. Thomæ Bartholini.*

De Alapa lethali.

Cornu ferire taurum, taurum, equum ferire calce, dentes hiante rictis natura dat leoni, inquit Poëta: Pugnat proboſcide elephas, roſtro aves, aculeo apes, breviter, cuncta prope animalia naturaliter armis ſuis inſtructa ſunt, ſolus homo inermis, ut cùm rex ſit omnium animalium, inſtar regis apum aculeo careat, magiſque prudentiæ, quàm armorum imperio valere ſciat. Sed proh! quot furor arma miniſtrat? Non ſufficiunt ex ferro & chalybe facta, ipſe ſuis abutitur membris; ſæpe brutorum quàm ſuo generi clementior, nec una tantum parte ceu iſta animalia, ſed prope omnibus corporis partibus alteri non lupus, Diabolus, qui primus homicida, evadit. Inter omnia autem membra nullum promptius in vindictam in cædem, quàm manus, unicum aliàs ad pulcherrimas res inſtrumentum, non ſemper armis inſtructa, ſed pugno vel vola ad id ſufficiens. Hinc tot alapæ leguntur lethales apud Beniven. Obſerv. Med. cap. 110. Hild. cap. 6. cap. 11. Hipp. de morb. vulgat. lib. 5. cap. 21. Melch. Sebitz. prod. exam. vuln. Thom. Bartholin. in act. Med. anno 1. p. 86. His & aliis hæc adjiciam.

Orta in vico quodam Auſtriæ *Gundersdorff* nominato lite inter duos venatores, ſenior juniori alapam dedit, hic illam vindicaturus enſem ſtringit,

prohibent adſtantes, remque inter pocula componunt, ſuccedit, porrigunt dextras, ille deprecatur, hic condonat. At dum junior dextram conciliandi gratiâ porrigit, ſeniorem volâ in faciem inopinato ferit: En, dicendo, tibi tuam alapam, ſtatim ſenex concidit & exſpiravit. Captivatus alter, & in jus protractus capitis ſententiam quidem evaſit, ad compedes tamen damnatus, in qu bus ipſum vidi in arce prædicti *Gundersdorff*. Mirabile autem, quomodo levi iſta volæ percuſſione, nullo alio ſupervenienre ſymptomate, in uno momento fuerit extinctus. Qui caſus alium mihi in memoriam revocat, non quidem funeſtum, ſed tamen notabilem. Civis quidam hujus loci, uxori ſuæ, poſt aliquam altercationem colaphum dedit, ut ad proximum ſcamnum concideri, lividis manus veſtigiis in genis remanentibus. Octiduo elapſo nullis aliis præviis ſymptomatibus, in hæmoptyſin incidit illa, adeo violentam ut intra duas horas ultra quinque libras ſanguinis exſpuerit. Adſtantes omnes hunc affectum ad dixere alapæ inflictæ, quod tamen negavi, nec potuiſſe cauſam fuiſſe aſſerui, niſi valde per accidens, commovendo nimirum eam ad iram, qua calefactus & attenuatus ſanguis venam rupit pulmonis, & ita cum impetu proſiliit, potius tamen ex aliâ cauſa fuiſſ arbitror. Cæterùm adminiſtrata V. S. & exhibito pulvere ex lap. hæm. præp. mag coral. & ocul. cancr. iterum convaluit. *D. Caroli Raygeri.*

Pulmonis vulnus ſclopeto inflictum.

Anno 1636. menſe Majo, durante obſidione munimenti Schenckiani, eques quidam ex noſtris in conflictum equeſtri ictu ſclopeti vulneratus in pectoris dextro latere circa mammillam, tribus globulis plumbeis pectus & pulmonem dextrum tranſeuntibus, atque in tergo circa ſcapulam tribus diverſis foraminibus iterum exeuntibus. Cùm Noviomagum ad ædes ſuas delatus eſſet, atque ibi cum Chirurgo ipſum inviſiſſem, è vulnerum ſtatu certam mortem prædixi. Ne tamen noſtrâ incuriâ mori videretur, vulnera religavimus, alvum clyſtere ſubduximus, ad ſanguinem è pulmone effluentem ſiſtendum medicamenta convenientia dedimus, inferiori etiam vulneri cannam plumbeam immiſimus, per quam ſanguis & interna materia evacuari poſſent; quod cùm per illud vulnus minùs commodè fieret, poſtea in latere, factâ intercoſtali inciſione, commodiorem viam fecimus. In diæta prohibuimus omnia acria, frigida, ſalſa, acida, ut & cibos difficilis digeſtionis & mali nutrimenti: At cibos dulciores, juſcula carnium vitulinarum, agninarum, gallinarum, ut & ipſas carnes, ova quoque ſorbilia, lac dulce, & ſimilia conceſſimus, ac reliqua diætam ſpectantia pro re nata quotidie præſcripſimus. Interea continuatum ſemper fuit in uſu apozematum vulnerariorum pectoralium: nulla febris acceſſit, & appetitus mediocris remanſit. Poſt tres quatuorve ſeptimanas unà cum ſanguine (qui totô ipsô intervallô modò ſpumoſus, modò aquoſus, modò coagulatus per cannam plumbeam, ſed paucus, effluxerat, & ſurſum rejectus fuerat) pus ſatis magna quantitate cum tuſſi rejici cœpit, quod puris & ſanguinis ſputum continuavit uſque ad ſextum menſem, ita ut omnino nulla ſanationis ſpes eluceret, æger enim totus extabeſcens, jam ad extremam maciem & debilitatem pervenerat. Miſer tamen ille, vitæ cupidus, nos ſæpe ſupplex rogabat, ne ipſum pro deſperato defereremus, ſed in curatione omnem diligentiam adhiberemus. Itaque, licet nos oleum & operam perdituros exiſtimaremus, ipſius tamen precibus inducti, non potuimus non inceptum opus continuare. Quia autem propter ſummam debilitatem vires inſtaurandæ erant, præter apozemata vulneraria, quæ ter de die aſſumebat, etiam ter de die hauſtum lactis caprini recenter mulcti tepide bibere juſſimus: nonnunquam etiam amygdalatum, ſubinde conditum corroborans præſcripſimus. Poſtquam lactis caprini uſus reliquis medicamentis adjunctus eſſet, cœpit paulatim imminui puris ſanguinolenti ſputum, quod tandem unà cum tuſſi planè deſiit circa initium decimi ab inflicto vulnere menſis. Exinde æger in dicti lactis uſu continuando, indies magis magiſque corroboratus fuit, & carnoſus evaſit. Circa finem decimi menſis rurſus per cubiculum deambulavit. Exacto undecimo menſe omnino ſanatus foras prodiit, nec deinde quicquam mali è tanto vulnere retinuit. Septennio poſt ipſum adhuc ſanum inter reliquos equites equitantem vidi.

Annotatio. Pulmonum vulnera admodum periculoſa & plerumque lethalia eſſe teſtantur Hippocrates 6. aphor. ſ. 18. Galenus in com. ad dictum aphoriſ. Avicenna quarta quarti, cap. de diſrupt. & extract. ſagit. Celſus lib 5. cap 26. aliique primarii Medici ſimul & Chirurgi, propterea quòd viſcus fungoſum propter continuum motum vix aliquam curationem recipere poſſit. Semper tamen lethalia non eſſe docuit experientia, cùm ſæpe gravia pulmonum vulnera, gladiis inflicta, perfectè ſanata fuiſſe viſa ſint, atque etiam talia in quibus pulmonis ſubſtantiæ pars exſecta fuit, quod ſe vidiſſe teſtantur Rolandus Parmenſis praxeos lib. 3. cap. 25. Theodoricus lib. 2. cap. 17. Gemma lib. 1. coſmocrit. cap. 6. Valleriola lib. 4. obſerv. 10. Hildanus cent. 2. obſerv. 32. aliique plures. Verùm hactenus pauciſſimos invenias, qui pulmonum gravia vulnera ſclopetis inflicta perfectè ſanata viderint, (qualem tamen caſum ſibi viſum deſcribit Petrus Fuhrmannus epiſt. ad Gregorium Horſtium) propterea quòd à plumbei globuli maxima violentia facta gravis contuſio, nullam in fungoſa illa parte ſanationem admittere videatur, ſed potiùs inflammationem, putredinem, aut ſphacelum minetur. Quæ tamen curatio prædicto equiti, uſu medicamentorum & lactis caprini (de quo lacte antea obſervat. 30. in annot. pluribus egimus) feliciter contigit. Cujus equitis ſanatio verè monſtroſa haberi debet. Ego antehac vix unquam crediddiſſem hujuſmodi tria gravia pulmonis vulnera (quibus à globulorum tranſeuntium violentiâ debuit magna adfuiſſe contuſio) ſclopeto inflictâ ſanari ullo modo poſſe, & niſi ipſemet oculatus teſtis adfuiſſem, fortaſſis adhuc dubitarem. Vulnera pulmonum gladiis & cultris inflicta aliàs ſanata fuiſſe etiam nos vidimus, ſed illud non eſt adeò mirum, cùm iis non adſit tanta contuſio, neque iis tam facilè accedat inflammatio.

Præter dictam ſanationem, etiam illud rarum contigit huic ægro, quòd tam graviter læſus, peſte, quæ tunc crudeliſſimè graſſabatur, non fuerit infectus, cùm alioqui plurimis vulneratis & aliis morbis laborantibus id contingeret. Erat autem hic æger homo robuſtus, florentis ætatis, boni temperamenti, & militabat ſub Capitaneo Coenjers, Anglo. Ante aliquot annos, cum Bredæ Dominum de Naſſau ægrotantem inviſerem, eques, cum ſexaginta aliis (inter quos adhuc duo alii erant, quibus capita trepano quondam perforari curaveram) in gratiarum actionem me conduxit uſque ad Gertrydenbergam. *Isbrand. de Diemerbroeck in Curationib. & Obſervation. Medicis.*

Vulnus capitis, & cranii apertio per trepanum.

Lambertus N. nobilis Batavienſis, juvenis robuſtus circiter 24. annorum, 7. Martii, cùm equum generoſum

roſum exerceret, & improviſò ab equo in terram dejectus, capitis partem poſteriorem illiſit in thecam tormenti bellici ita, tamen ut forinſecus nullum vulnus appareret. Statim poſt caſum evomuit, & vertigine magna correptus fuit, qua aliquantum ceſſante, rurſus equum conſcendit ac domum ſe contulit. Cùm autem ſtabulum jam intraſſet, iterum vertigine correptus in terram concidit, & quaſi deperditâ prorſus memoriâ, quid ſibi accidiſſet, vel quomodò ab equo cecidiſſet, aut ubi fuiſſet planè ignorabat. Imperitus quidam Chirurgus caſtrenſis advocatus, ablatis capillis poſt aurem ſiniſtram paulò ſurſùm versùs (de cujus loci dolore conquerebatur æger) levem fecit inciſionem, quæ nullo modo ad pericranium uſque pertingebat; & poſtridie circiter libram ſanguinis è dextro brachio extraxit. 12. Martii, doloribus increſcentibus etiam ego advocatus ſum, quo tempore ægrum de acutiſſimis capitis doloribus conquerentem inveni, nulla tamen febris aderat. In loco affecto, præter vulnus quod Chirurgus fecerat, levem ac mollem percepi tumorem; ita ut ad tactum de cranii depreſſione aut fractura (quæ adeſſe ſymptomata ſatis indicabant) nihil certi judicari poſſet. Chirurgus impoſuerat hactenus defenſivum (ob metum, ut ajebat, inflammationis) ex bolo armena, albumine ovi & aceto ſimul mixtis: quod cùm peſſimè hìc adhiberetur, illud ſtatim abjeci, & lintea quadruplicata ſequenti fomento intincta, ac parum expreſſa, toti capiti calidè circumponi, & ter quaterve de die renovari juſſi.

℞. Herbar. betonicæ, roſmarini, thymi, ſalviæ, majoranæ, verbenæ, an. m. j. ſ. florum ſtœchados, chamomillæ, meliloti, an. m. ſ. baccarum lauri, ſem. cumini, an. drach. iii. vini albi q. ſ. coquantur ſ. art. ad lib. iii. adde colaturæ ſpiritus vini unc. vi. miſce, pro fomento.

Cùm autem æger alvum per quatriduum non exoneraſſet, atque clyſterem admittere nollet, hauſtum leniter purgantem exhibui, à quo alvum quinquies depoſuit. Veſperi ejuſdem diei, poſt fomentationem aliquoties applicatam, apparuit in loco affecto tumor magnitudinis dimidii ovi gallinacei, quo pertuſo effluxit ſanguis niger. Tunc poſtridie alio peritiore Chirurgo ſimul advocato, de cranio perforando conſilium dedi. Verùm renuentibus acerrimè ægro & amicis, adhuc per biduum expectatum fuit, nempe ad 15. Martii (qui erat à caſu dies nonus) quo tempore cùm capitis dolores jam ad ſummum acumen perveniſſent, & rurſus eodem loco tumor priore major conſpiceretur, conſentiente ægro, circa veſperam cranium ibidem denudari juſſi, cùmque muſculo temporali vicina eſſet plaga, aliquantùm verſus poſteriorem capitis partem, ad futuram lambdoidalem, inciſio crucialis uſque ad os ipſum facta eſt. Effluxit ſtatim multùm ſanguinis nigri & coagulati, qui à natura robuſta per lambdoidalem ſuturam (quam hac inciſione ex parte denudavimus) expulſus fuerat, & inter cranium ac pericranium hæſerat. Cranio ſufficienti latitudine denudato & pericranio abraſo, vulnus carpiâ ſiccâ repletum eſt. Inſequenti nocte, dolore nonnihil mitigato, aliquantùm dormivit æger. Poſtridie cranium trepano perforatum fuit, quo aperto vix drachma ſanguinis effluxit, qui inter cranium & duram meningem hæſerat: & jam aliquo modo coagulatus erat: hinc magnum ægro periculum impendere judicavi, cùm viderem ſanguinem coagulatum, qui fortaſſis ſub cranio adhuc latere poterat, ſponte effluere non poſſe, & depreſſa meninge nihil etiam ſequi. 17. Martii febri correptus fuit æger. Nocte ſubſequente convulſiones acceſſerunt, quibus per intervalla tantopere covellebatur, ut quatuor viri fortes ejus brachia & crura continere non poſſent. Ad hæc nihil dormivit, omnino deliravit, ſitiit, & ſi potus vel aliud quid offeretur, illud ſine ratione aſſumpſit. Sequenti die in eodem ſtatu permanſit; ita ut propter maximum delirium ac convulſiones vulnus ægrè religari poſſet. Sic delirans in lecto cacabat & mingebat, magnum quoque linguæ anterioris fruſtum dentibus morſu abſcidit, de cujus dolore, poſtea ad ſe reverſus valde conqueſtus fuit. Tria hæc lethalia ſigna, delirium, febris, & convulſiones durârunt uſque ad 20. Martii, quo tempore convulſiones aliquantùm remiſerunt, manente tamen febre cum delirio. Iſtâ die Chirurgus inſtrumento quodam plano, obtuſo & oblongo (quod in hunc uſum expreſsè parari curaveram) meningem aliquantum depreſſit, atque inter meningem & cranium, ad duorum digitorum latitudinem inſtrumentum immiſit, meningem à cranio circum circa deprimendo diſſolvens, ut hoc pacto, ſi quid alicubi lateret ſanguinis coagulati, illud commodiùs evacuaretur. Verùm cùm terrorium versùs inſtrumento meningem deprimeret, caſu pervenit ad illum locum ubi cauſa totius mali reſidebat, è quo ſtatim effluxit circiter ſemi uncia ſanguinis nigri, purulenti, & aquoſi 21. 22. & 23. Martii, eodem inſtrumento quotidiè immiſſo, ſanguinis & puris aquoſi bona quantitas extracta eſt. Interea etiam delirium magna ex parte ceſſavit; & ſubinde nonnihil dormivit æger. 24. Martii depreſſa meninge nihil effluxit, parum deliravit æger, & è lecto aſſurgens duabus horis igni aſſedit. Tunc etiam caro ab inferiore oſſe circa meningem in foramine cranii ſuccreſcere cœpit. Vix comedere poterat ob linguæ anterioris dentibus abſciſſæ dolorem, qua de cauſa collutionem convenientem, qua os ſæpiùs lavaret, parari feci, eâque lingua paulatim rurſus ſanata fuit. Toto tempore, à principio uſque ad hunc diem uſi ſumus fomentatione, 12. Martii præſcripta; tunc autem, illâ omiſsâ, capitium ſiccum, ex herbis cephalicis conſutum, toti capiti circumpoſuimus. 25. Martii febris evanuit, atque æger multò meliùs valuit. Hactenus ſolum mel roſaceum cum pauco ſpiritus vini mixtum foramini cranii ſeu meningi impoſitum fuerat, tunc autem ſequens pulvis iſti melli permixtus eſt.

℞. Aloës hepat. ſang. draconis, myrrhæ, maſtiches, olibani, an. ſcrup. i. ſ. pollinis farinæ hordei ſcrup. ij. ſ. fiat pulvis ſubtilis.

26. Martii omnino ſanæ mentis fuit. Tunc meninge rurſus ſupradicto inſtrumento depreſsâ, puris albi & bene cocti adhuc exigua quantitas tam manè quàm veſperi effluxit. Poſt hunc diem quotidiè per tres quatuorve horas è lecto ſurrexit, & bene comedit. Sequentibus etiam nihil materiæ ampliùs è cranii foramine excretum eſt, ſed illud, nobis etiam invitis, quatridui ſpatio carne repletum fuit. Forinſecus quoque caro undique, ſed nimis citò, accrevit, ita ut levi cauſtico impoſito eandem ſubinde auferre coacti fuerimus, nam expectanda erat oſſis deſquamatio. Sexta deniquè ſeptimana ab oſſe magna, lata, & craſſa ſquama ſeparata eſt. Exinde æger vulnere carne repleto, brevi poſt ſanatus fuit, illud tantùm incommodi retinens, quòd majore ingruente aëris tempeſtate, capite aliquantùm doleret, & à vini potatione ſtatim inebriaretur.

In iſto ſanitatis ſtatu ultra quadriennium more ſolito vixit. Anno autem 1641. menſe Septembri, in caſtris cum aliis quibuſdam equitibus bene ſanus colludens, ſubitò in terram attonitus & mentis expers concidit ac ſtatim acerrima convulſione totum corpus contractum fuit, & intra horæ quadrantem miſer exſpiravit. Si tunc temporis præſens adfuiſſem, apertò craniò inſpexiſſem annè ab antiquo prædicto vulnere mortis cauſa proceſſiſſet.

Annotatio. De vulneribus capitis cum fractura cranii, quæſtio eſt, quando oſſis ſeparatio facienda ſit; quod tempus Albucaſis Chirurg lib. cap. 3. ita deſcribit: Quòd ſi venit ad te vulneratus primis iſtis diebus, & eſt illud tempore hyemali tunc oportet ut præficias ablationem oſſis ante diem decimumquartum, ſecundùm omnem diſpoſitionem: ſi eſt in diebus æſtatis, tunc oportet ut properes removere os ante diem ſeptimum, antequam corrumpatur quod eſt ſub oſſe ex panniculo, & adveniant accidentia gravia. Cum Albucaſe conſentit etiam Haly, pract. lib. 9. cap. de fract. cranii. Avicenna verò hoc tempus paulò ſtrictiùs ſumere videtur: 4. fen 5 tract. 3. cap. 1. Oportet (inquit) ut ſeparatio non tardetur æſtate ultra ſeptem dies, in hyeme autem ultra decem, quantò autem citiùs fuerit, tantò erit melius, & longinquiùs ab hoc ut accidant nocumenta magna, &c. At Hippocrates omnium breviſſimum tempus præſcribit, nam lib. de vuln. cap. monet, intra triduum os, quod ſecandum eſt, ſecari debere, ſi quæ permittendum ut operatio ulterius protrahatur, præſertim ubi tempus calidum fuerit. Cui Hippocratico dicto hæc clauſula adjungi debet, nempe intra triduum oſſis ſectionem faciendam, ſi Medicus in principio ſatis tempeſtivè vocatus fuerit: at ſi fortè ſerius ad ægrum accedat (ut mihi hîc contigit) vel ab ægro aut amicis operatio aliqua ratione impediatur, tunc etiam licere quocunque tempore cranium perforare, dummodo vel minima vitæ ſervandæ ſpes ab hac operatione, expectari poſſe videatur, præſtat enim in certo periculo dubium tentare remedium, quàm nullum: nihil enim intereſt, inquit Celſus, præſidium an ſatis tutum ſit, quod eſt unicum: & extremis morbis extrema adhibere remedia jubet Hippocrates. Greg. Horſtius part. 2. lib. 4. Obſerv. 20. cranium cuidam ægro feliciter aperuit undecimo die, & alteri ægro ſimiliter die 15. Hild. cent. 4. obſerv. 3. memorabilem refert hiſtoriam de cranii perforatione poſt duos à recepto ictu menſes feliciſſimè adminiſtrata, quâ factâ, pus per foramen ſtatim pleno ductu exſiliit, atque ita æger ſervatus fuit. Sic etiam in noſtro ægro primis diebus effluxit ſanguis purulentus & aquoſus, at die decima ſeptima merum pus album. Idem Hildanus prædictæ centuriæ obſerv. 4. aliud refert exemplum cranii undecima morbi die feliciter perforati. Paulus Ægineta lib. 6. cap. 90. ſcribit ſe noviſſe quendam cui poſt annum ab accepto vulnere cranium cum ſalute ægri perforatum fuit. Quo eodem capite etiam ſupradictam Hippocratis regulam paulò latiùs extendit, inquiens: Hyeme quidem ante decimumquartum diem omnino oſſis ablationem facere coneris, æſtate verò ante ſeptimum, antequam mala ſymptomata accedant. Præſtat quidem in principio hujuſmodi operationes adminiſtrare, idque (ut ex Avicenna modò diximus) quantò citiùs, tantò meliùs; verùm prætergreſſo initio ægros pro deploratis deſerere non foret humanum, niſi lethalia ſymptomata ante operationem appareant, ut delirium, convulſiones, paralyſis, &c. In tali enim caſu reminiſci oportet dicti Cornelii Celſi, l. 5. c. 25. Prudentis hominis eſt, eum qui ſervari non poteſt, attingere. Si lethalia illa ſymptomata, quæ in noſtro ægro poſt operationem ſupervenerunt, ante eandem viſa fuiſſent, operationem hanc non inſtituiſſemus, ſed omnem de ægro ſpem abjeciſſemus, quemadmodum etiam deſperavimus iiſdem poſt operationem accedentibus, & nihilominus tamen præter ſpem & expectationem noſtram ſanatus fuit.

Nonnulli Medici admodum anxiè cavere jubent, ne in denudatione cranii, quæ perforationem præcedit, inciſio fiat in ipſis ſuturis, & ne fibrillæ duræ meningis, ſuturas tranſeuntes ac cum pericranio unitæ lædantur, haud ſecus ac ſi inde magnum periculum expectandum foret. Sed ego jam multoties hujuſmodi operationibus adfui, & ipſemet etiam inciſiones ſuper ſuturas (loco magis commodo ita ſe offerente) fieri, ac fibrillas illas etiam ſcalpello abradi ſæpe curavi, neque ullum unquam incommodum inde prodiiſſe animadvertere potui, & experientiâ edoctus ſum, hujuſmodi anxias curas relinquendas eſſe illis Medicis theoricis, qui nunquam talibus curationibus adfuerunt, quas practici peritiores pro ſomniis habendas eſſe noverunt. Solummodo cavendum eſt ne lædatur muſculus temporalis, & ne trepanum ſuturis imponatur atque ibi perforatio fiat. *Idem ibidem.*

Vulnus ſclopeto inflictum.

Civis quidam Noviomagenſis 20. Maji, anno 1637. bombardam imprudenter deorſum exploſit, ita ut globulus plumbeus in plateæ ſilicem impingens, eadem vi ſurſum reſiliret, atque ita fortuitò læderet mulierem quandam, quæ prope D. Stephani portam habitabat, cujus ædibus gradus pro inſigni erant. Intraverat globulus pectoris cavitatem tribus circiter digitis à ſpina dorſi, inter quintam & ſextam coſtam, ac pulmonis exteriorem ſubſtantiam tranſiens, magnum ictum in latere dederat coſtæ quartæ ab inferiore parte, ita ut hæc quidem diffracta foret, ſed globulus tamen non tranſiret, at in pectoris cavitate remaneret, qui ob ictum in ſilicem non rotundus, ſed neceſſariò inæqualis planus vel oblongus fuiſſe debuit, quod & ipſum vulnus ſolitò majus & inæquale ſatis teſtabatur. Ægra ſic vulnerata ſtatim domum delata fuit. Ferè nihil ſanguinis è vulnere effluxit, ſed die ſecunda multùm ſanguinis cum tuſſi ejecit. Ex ipſo vulnere magnum periculum adeſſe prædixi, partim quia globulus diaphragmati incumbens, nulla ratione è pectoris cavitate extrahi poſſet: partim quia pulmonis vulnera difficulter ſanantur propter continuum motum, imprimis bombardæ ictu inflicta, quæ non ſine magna contuſione eſſe poſſunt. Ut autem officio noſtro debitè fungeremur, Chirurgus quotidie vulnus religavit, & ego, corpore priùs leviter expurgato, hoc apozema præſcripſi, de quo manè & veſperi hauſtum bibit.

℞. Radic. rubiæ tinctorum unc. j. eryngi, fœniculi, petroſelni, ana unc. ſ. glycyrrizæ raſæ drach. vj. herbar. ſcabioſæ, violariæ, tuſſilaginis, chærefolii, fol. ribeſii nigri, ana m. j. chelidoniæ majoris m. ij. ſem. 4. frig. maj. aniſi, ana drach. j. paſſularum cum toto unc. ij. Coquantur in aquæ communis q. ſ. ad lib. ij. adde ſyrupi de glycyrriza, papaveris rheados, ana unc. j. ſ. miſce, fiat apozema.

De nullo conquerebatur dolore, præterquàm in vulnere, & iſto in loco ubi coſta diffracta erat, qui dolor paulatim evanuit, impoſito emplaſtro oxycroceo, & coſta rurſus coaluit. Primis ſex diebus valde debilis erat ægra; parum aut nihil comedebat, è vulnere vix parum puris exibat: nulla aderat febris, nec tuſſis, nec anhelitûs difficultas: poſt ſecundum diem neque ſanguinem, neque pus per os rejiciebat, de quo mirabamur. 27. Maii, cùm alvus iterum conſtipatior foret, hauſtum laxantem exhibui, à quo bis terve alvum dejecit. 30. Maii valde angebatur, ita ut ipſam morituram omnes exiſtimarent, verùm circa veſperam puris albi bonam quantitatem cum pauco ſanguine ex improviſo per tuſſim rejecit, unde ſummopere levata fuit, atque exinde meliùs habere cœpit. Vulnus etiam nobis invitis coaluit, nec è thoracis cavitate quicquam puris toto curationis tempore per vulnus effluxit. Poſt

hoc

hoc rejectum pus, ſeptem diebus ſine tuſſi fuit. 7. Junii cum parva tuſſi aliquantum puris iterum exſpuit, atque ita tuſſis rurſus ceſſavit. Ægra quotidie fortior evaſit, neque exinde quicquam puris aut ſanguinis amplius exſpuit, ſed poſt ſecundum menſem integræ ſanitati reſtituta, præter meam & omnium opinionem iterum foras prodiit, nullum à tanta plaga incommodum poſtea ſentiens: nonus jam agitur annus quo bene ſana vivit, neque etiam globulum plumbeum in pectore ſentit, excepto cùm anhelitum magno cum ſuſpirio trahit; tunc enim ſe aliquid grave ſupra diaphragma ſentire dicit.

Annotatio. Procul dubio globulus plumbeus medium pulmonem non tranſiiit, nec bronchia aut majora vaſa diſſecuit, ſed tantùm in exteriore latere pulmonis ſubſtantiam leviter olæſit, nam alioqui graviora ſubſecuta fuiſſent ſymptomata, nec etiam curatio tam citò peracta fuiſſet, quæ tamen adhuc ſatis mirabilis fuit, cùm tale vulnus non ſine magna contuſione inflictum fuiſſe potuerit.

Quamvis omnium Medicorum & Chirurgorum teſtimonio gravia pulmonis vulnera inſanabilia, levia verò curatu difficillima exiſtant, tamen cùm talia occurrunt, animus in totum abjiciendus non eſt, cùm interdum, tam illa, quàm hæc, præter ſpem ſanata fuiſſe viſum fuerit, quod multorum inſignium Medicorum hiſtoriis conſtat. Nos ſuprà obſervat. 38. graviſſimum pulmonis vulnus curatum deſcripſimus, hac verò obſervatione leve vulnus curatum annotamus. Hujuſmodi graves pulmonum læſiones curatæ etiam aliàs nobis viſæ ſunt. Memini me quondam noviſſe cauponem in pago Kaukerca, prope Leidam, habitantem, qui cum alio ruſtico pugnans, ictum recepit ſub dextræ mammæ papilla, vulnere lato, ac cultro medium pulmonem tranſeunte, & poſterius ſub ſcapula exeunte. Hic à variis Medicis & Chirurgis diverſis modis & diu tractatus fuit: tandem cùm à continua pulmonis ſuppuratione æger totus extabefactus, morti jam proximus videretur, poſt duos circiter ab accepto vulnere annos Ultrajectum delatus, à Chirurgo quodam ſolis decoctis vulnerariis perfectè ſanatus eſt. Pulmonis tamen maxima pars ſuppuratione conſumpta fuerat, quod manifeſto percipiebatur cùm ſe antrorſum & retrorſum identidem commoveret, tunc enim pulmo dexter inſtar linguæ campanæ anteriorem & poſteriorem thoracis partem obverberabat. Mirum eſt quòd tantum ulcus ad perfectam cicatriſationem perduci potuerit: iſtum tamen (qui erat homo admodum robuſtus) decennio poſt curationem vidi ſine ulla tuſſi, ſine ullo malo, atque adeò ſanum & validum, ut nullum unquam viderim ſaniorem. Anno 1635. adhuc alium ruſticum robuſtiſſimum cum Chirurgo tractavi in pago Linſchoten, prope Montfurtum, qui pugnando, ſub ſiniſtræ mammæ papilla ictus fuit cultro lato uſque ad medium pulmonem intrante. Ruſtici alii, qui ipſi tunc temporis aderant, interea dum ego cum Chirurgo Montfurto, vocarer, ipſum pronum in ventrem depoſuerant, ac duabus manibus vulnus apertum retinuerant, ne ſanguis in thoracis capacitate occluderetur, atque ſic ultra tres matulas plenas ſanguine effluxiſſe nobis retulerunt. Poſtquàm vulnus à nobis religatum foret, æger ſtatim animo linquebatur, & moriturus putabatur, verùm exhibitis corroborantibus ad ſe rediit. Primis diebus per os modò ſanguinem ſatis copioſum, modò pus rejecit, ſanguis etiam ſpumoſus coagulatus è vulnere, ſed pauca quantitate, effluxit: ut breviter dicam, hic æger à tam periculoſo vulnere convenienti medicamentorum uſu optimè ſanatus fuit, præter omnium opinionem, neque poſtea ullum in pectore incommodum retinuit. Guilhelmus Fabricius Hildanus cent. 3. obſerv. 36. ſimilem etiam caſum refert: verùm cent. 2. obſerv. 32. valde memorabilem deſcribit hiſtoriam vulneris pulmonis ſanati, in quo pars ſubſtantiæ ipſius pulmonis fuit abſciſſa: quale exemplum ex Coſtero etiam adducit Nicolaus Fontanus, lib. reſp. & curat. medic. Similia exempla vulnerum pulmonum curatorum deſcribunt Gregorius Horſtius, Jeſſenius, Arcæus, aliique plures; in quibus non tantùm pulmones graviter vulnerati, verùm etiam ſubſtantiæ particulæ, imò & venarum majora rudera extracta fuerunt. *Idem ibidem.*

De vulnere capitis.

Juvenis ſedecim annorum ex equo in terram delapſus vulnus ſatis magnum accepit in ſincipite, & quidem tale, ut os nudum in conſpectum veniret, interim æger aliquoties vomebat & ſatis malè habebat. Duæ à lapſu vix præterierant horæ, cùm accerſitus ſum ad ægrum, in cujus capite nec fiſſuram, nec fracturam, nec introceſſionem cranii animadvertere potui, & vomitus tunc temporis ceſſabat, ac ægrotus mediocriter valebat, nec multum de dolore, nec de ullo alio conquerebatur incommodo.

Supervacaneum foret hîc loci explicare, unde vomitus hic prodierit, quandoquidem hanc rem per ſe ſatis claram eſſe exiſtimo.

Deraſis capillis vulnus linteis carptis ſiccis implevi, & quidem duplici de cauſa, primo ut ſanguinis fluxus hoc pacto ſiſteretur, deinde etiam ut labia vulneris aliquatenus à ſe invicem dehiſcerent, ut ita ſecuturo die cranium tantò melius pateret.

Tunc ſuperpoſui emplaſtrum ex ſequenti maſſa confectum.

℞. Empl. diapalmæ ℥ij. Boli, Cretæ com. an. ℨij. Antimon. diaphor. ℨi. Ol laurini ℨij. Tartari p. ℥ß. M. S.

Poſtero die in cranio detecto nihil mali apparebat, ac ægrotus haud aliquo malo ſymptomate vexabatur, unde ſperare cæpi, cranium intrinſecus etiam nihil mali paſſum fuiſſe, ac cerebrum bene habere cum utroque ſuo involucro.

Impoſui igitur ſequens labiis vulneris (oſſe prius contecto linteis carptis ſiccis.)

℞. Terebinth. comm. Mellis roſat. an. ℥ß. Myrrhæ, Aloës an. ℨß. M. S.

Et ſic æger brevi priſtinæ ſanitati reſtitutus eſt.

Emplaſtrum imponebatur eum in finem, ut acidum temperaret, atque hoc modo, quicquid à contuſione coagulatum erat, diſſolveret citò; unguentum applicabatur, ut ita circulatio ſanguinis ac humorum, aliquatenus in vulnere ob tubulos diſruptos ac diſtortos impedita, reſtitueretur.

Cranium denudatum linteis carptis ſiccis contegebatur, partim ne pus ex labiis vulneris oſſi damnum aliquod afferret, partim ut aër ambiens hoc pacto arceretur à cranio, cui valde inimicus eſt acido ſuo, quo abundat, ut quotidiana ſanguinis per venæ ſectionem emiſſi nos docet coagulatio ab aëre producta.

Illud autem lintei genus, quod belgice dicitur *catoen*, in vulneribus haud convenit, quia inflammationem non raro ciere conſuevit angulis ſuis acutis, quibus donatum eſt, ſicut id ope microſcopii haud difficile eſt conſpicere.

Omnia pinguia hîc ſedulo vitavi, quia particulis ſuis ramoſis valde anguſtos cranii tubulos ſatis pertinaciter obſtruunt, atque ita efficiunt ut humores ſtagnent, & cranii ſalem volatilem corrumpant, cariemque inducant, ac tunc curatio haud parum procraſtinatur ob portionem oſſis carioſam quæ prius ſeparari debet.

Scultetus in armamentario ſuo chirurgico partem vulneri capitis vicinam inungit aliquandiu oleis aſtringentibus ad præcavendam inflammationem, ut

ille

illæ opinatur, ſed male, nam ſanguinis circulatio non debet ſiſti ſed promoveri in inflammatione, quandoquidem ſanguis ac humores ob coagulationem ſuam in eâdem ſtagnant plus quàm ſatis, ideoque humores coagulatos per emplaſtra acidum temperantia diſſolvere multò conſultius eſſe videtur hoc in caſu.

Venæſectionem, quam plerique in vulneribus capitis extollunt egregie, prorſus omiſi, quoniam non video, quid utilitatis inde provenire queat.

Medicamenta diſtinguere in mundificantia & ſarcotica, atque illa prius, deinde hæc in uſum revocare, eſt res nullius utilitatis, nam ſolum noſtrum unguentum ſufficit, & præſtat quicquid neceſſarium eſt, dum acidum temperat, ac humorum circulationem reſtituit; ſed interim ad hoc attendendum eſt, ut omiſſo præſcripto unguento, lintea carpta ſicca tandem imponamus, ubi carne fermè impletum eſt vulnus, nam aliàs caro nimis luxuriaret, ac altius exſurgeret, quàm par foret.

Veteres in capitis vulneribus adhibebant faſciam, quæ cancer appellatur, cujus delineatio videri poteſt apud Scultetum; verumenimvero jam temporis plerumque in uſu eſt ſudarium commune concinnè applicitum.

Vomitus in vulnere capitis ut plurimum multùm mali portendit, eundem autem non ſemper eſſe infallibile ſignum fracturæ cranii, fiſſuræ aut alterius alicujus incommodi valde magni, liquidò conſtat ex propoſito noſtro caſu.

Periculoſæ plena aleæ res eſt vulnus capitis, quod dum maximè arridet, tum inſidias vel maximè ſtruere ſolet; nullum igitur capitis vulnus, licet valdè exiguum videatur, parvi faciendum eſt, aut leviter perfunctoriève tractandum, ſed debemus hîc potius omnia ſuſpicari, quoniam non raro latet anguis in herba, cùm apud chirurgos alta ſecuritas eſt.

Hiſce pauliſper in animo mecum volutatis, operæ pretium eſſe duco, hoc in campo, antequam finem imponam huic obſervationi, paulo latius ac liberius exſpatiari, quàm ſolitus ſum, ut ſi non aliis, mihi ſaltem ipſi, in cujus inſtitutionem hæc ſcribo, hac in re ſatisfacere queam.

Extra omne dubium poſita res eſt, vulnus capitis valde parvum aliquando longo poſt ictum acceptum tempore ægroto necem afferre poſſe, verùm hoc non impedit, quominus nonnunquam eveniat ut æger citra ſpem Medicorum Chirurgorumve à periculoſiſſimo ac omnibus fermè pro lethifero habito vulnere capitis reconvaleſcat; ſic memini patris mei curæ commiſſum fuiſſe ante aliquot annos ægrotum quendam, qui ligone vulnus adeo horrendum acceperat in ſincipite, ut ab ictu inflicto non tantùm valdè magna cranii, ſed etiam haud parva ipſius cerebri portio avelleretur, & tamen hic æger vivit adhuc Arenaci & valet, remanente tamen hemiplegiâ.

Hæc hiſtoria forſan falſitatis convincere poſſem opinionem Willlſii, dum lectori perſuadere conatur, quòd memoriæ ſedes reperiatur in cortice cerebri; nam ſi illud verùm foret, tunc patientis mox citati memoria vacillare deberet, cùm tamen eadem non minus vigeat jam temporis, quàm antequam æger vulneratus eſt.

Sed quid loquor de iis, qui ab horrendo capitis vulnere revaluerunt? nonne multò mirabilius exiſtit, etiam ingens beneficium redundare in aliquem ex capitis vulnere tam periculoſo, ut à plerîſque pro mortifero habeatur? maximè, & tamen non deſunt exempla tale quid teſtantia; ſic apud Schenckium legere licet, quo pacto aliquis, accepto periculoſo capitis vulnere liberatus ſit ab Epilepſia inveterata & valde pertinaci; ad hæc ſi tibi moleſtum non ſit inſpicere celeberrimum Hildanum centuriâ ſecundâ, obſervatione octava, ante oculos tibi ponetur caſus ſatis rarus, ſcilicet quendam ad conjunctionem ſuturæ ſagittalis cum coronali fracturam cranii accepiſſe, eundemque poſtea, remanente tamen ulcere, hoc modo ſanatum fuiſſe à magna ac moleſta cephalæa, quâ antea per longum temporis intervallum ægrotaverat.

Tales hiſtoriæ, quales modò commemoravimus, rarò admodum contingere ſolent, ac idcirco præſtat in capitis vulnere, qualecunque etiam ſit, ſemper ſolicitum eſſe quàm ſecurum nimis.

Vulnus autem capitis multò difficilius ſanatur, ubi patiens lue laborat venerea, ut & ſi eadem capitis pars ſæpius antea fuerit vulnerata; nam in morbo Gallico plerumque peccat humor acido-corroſivus, vulnerum ſanationi haud exiguum apportans impedimentum, ubi autem contingit, ut eadem pars ſæpius ſaucietur, manifeſtum eſt, tubulos ibidem haud paucos mirum in modum diſtortos manere, unde ſanguis & humores obſtaculum quoddam offendunt in circulari ſuo motu, cujus tamen beneficio propemodum tota peragitur vulnerum ſanatio.

Atqui circulationem ſanguinis & humorum aliquatenus impediri in parte ſemel aut ſæpius vulnerata, licet vulnus jam diu coalueric, vel hinc manifeſtum evadit, quod partes antea vulneratæ plerumque ſolito frigidiores ſint & tempeſtates ingruentes non raro præſentiant.

Prætereca vulnus capitis magis aut minus periculoſum eſt, prout huic aut illi capitis parti infligitur; ſic vulnus occipitis minus periculoſum æſtimatur, quia os propter craſſitiem ac ſoliditatem ſuam raro fracturam aut fiſſuram patitur, etiamſi ictum ſatis vehementem recipiat; ac ubi jam contingit, ut os occipitis fracturâ aut fiſſurâ corripiatur, tunc ſordes tamen in hac fractura aut fiſſura collectæ non ita facile in ſubjectam duram meningem deſtillant.

Vulnus autem valde periculoſum habetur in bregmatis illo oſſiculo, quo maturior ætas locum in infantibus apertum poſtea replet, abſque dubio, quia illud oſſiculum tenerum eſt & vicinum ſuturis.

Sic vulnus temporum valde formidoloſum exiſtit pluribus de cauſis, & primò quidem, quia muſculus temporalis contectus eſt pericranio, deinde quia latet illic arteria ſatis magna, quæ vulnerata inducit hæmorrhagiam valde periculoſam, quæ ſiſtitur difficillime ea de cauſa, quòd, dum loquimur aut comedimus, muſculi temporales commoveri debeant, & ſic ſanguinis fluxus jam cohibitus non rarò redire ſolet ac renovari.

Tertiò quia nervus in muſculo temporali læſus ſæpius ſpaſmum excitare conſuevit, & quidem talem, qui belgicè dicitur *de Klem*, ac nos comedere prohibet; ſic ubi muſculus temporalis valde læditur, contrahitur oppoſitus ac excitatur illa affectio, quæ oris tortura appellatur.

Quartò quia ſectio artificialis, aliquando neceſſaria in capitis vulneribus, non ſine periculo fit in muſculo temporali.

Quintò quia vulnerum medela requirit partis ſauciæ quietem, quæ tamen ſæpiſſime turbatur in vulnere muſculi temporalis, cùm ſcilicet aliquid comedimus aut loquimur.

Fiſſura in ſuturis etiam pejor exiſtit, quàm alibi, & difficillime invenitur; ſic Hippocrates Epid. 5. hoc modo ſe deceptum eſſe, & quidem cum vulnerati pernicie, ipſe liberè profitetur.

Vulnus inflictum ſuperciliis, ſic ut cavitas pateat, quæ in oſſe frontis reperitur, ventum emittit, quia ſcilicet illa cavitas oſſis pervia eſt in nares, illudque vulnus vix ac ne vix quidem conſolidatur, teſte Celſo aliiſque, quibus talem caſum videre contigit.

Chirurgi, cùm dubitant de cranii fractura aut fiſſura,

ra, vulnerato nucem dentibus frangendam præbent, aut filum, cujus alterum extremum ore tenet ægrotus, concutiunt, obſervantes, num tremulum illum motum abſque moleſtia tolerare queat patiens.

Ubi cranium denudatum eſt, ſpecillo plerumque inquirimus, num adſit fiſſura, nec ne; ſed ut hoc examen rite inſtituatur, ante omnia exacte noſſe oportet ſitum ſuturarum conſuetum, ne ſutura ſumatur pro fiſſura, aut fiſſura pro ſutura; atque ut error hic omnino declinetur, præterea meminiſſe oportet, ſuturam ſagittalem aliquando præter conſuetudinem procurrere uſque ad naſum & frontem reddere bifidam, imò etiam nonnunquam ulterius ſe extendere ad occiput, illudque dividere; hic quoque in memoriam revocanda eſt obſervatio alicujus Anatomici, qui affirmat, ſe vidiſſe illud bregmatis oſſiculum, quo provectior ætas implet locum in primum natis adhuc patulum, peculiari circumſcriptum fuiſſe ſuturulâ.

Apud Paræum, Fallopium aliosque reperire licet vulneratos, in quibus mortuis & apertis externa cranii tabula, quæ ictum receperat, prorſus integra conſpecta fuit, interna interim non tantùm rimam agente, ſed etiam fragmenta quædam exhibente, quæ meningem punctione ſua moleſtaverant; quo pacto hoc accidere potuit? dicam; ictus vehemens materiam ſubtilem ante ſe maxime agitavit, atque ita hæc materia ſubtilis celerrime mota tranſiit ſine mora per primam cranii tabulam ſatis libere, nec damnum ullum intulit, verùm ubi pervenit ad ſecundam cranii tabulam, primâ (ut Anatomici teſtantur) multò ſolidiorem, ibi poros offendit adeo anguſtos, flexuoſos, ut tranſire nequiret, niſi per novam viam; quam ſibi ipſi violenter momento temporis pararet, & ſic multis poris perruptis internam cranii tabulam egregie fidit; ſic fulmen, intactâ vaginâ, enſem liquefacere perhibetur, ſic aqua fortis, illæsâ cerâ, argentum ſolvit.

Complures narrant aliquando contingere, ut percuſſo ſincipite dextro, ſinciput ſiniſtrum rimam agat, dextro integro remanente, & talis caſus dicitur plerumque contrafiſſura, quamvis hoc contrafiſſuræ vocabulum nonnunquam & ad alios caſus extendatur.

Talem contrafiſſuram me nunquam conſpexiſſe lubens confiteor, eandem autem dari Celſus affirmat, Ægineta negat, ego autem hac ſuper re judicium meum ſuſpendo.

Aliquando contingit, ut medulla, quæ inter utramque cranii tabulam reperitur, ab ictu valido è caverulis ſuis excutiatur ac exprimatur cum ſanguine ab ictu quoque extra vaſa profuſo, ſicque medulla hæc cum ſanguine acredinem acido-corroſivam concipit, quâ cariem internæ cranii tabulæ inducit, atque ita nonnumquam humor acris & aquoſus ex oſſe carioſo prodiens meningem, ipſumque cerebrum inficit ægroque mortem inexſpectatam minimeque præviſam infert aliquot interdum ſeptimanis, imò, & menſibus poſt ictum, cranio extrinſecus interea temporis apparente integro; neque ullam fracturam aut fiſſuram oſtendente, & talia exempla ab auctoribus, qui de Chirurgia ſcripſerunt, hic atque illic narrantur.

Cranio cum dura matre læſo aliquando intra viginti quatuor horas enaſcitur fungus ovi gallinacei magnitudinem propemodum adæquans, quem clariſſimus Malpighius ortum ſuum debere exiſtimat læſis glandulis, ex quibus cortex cerebri componitur, quæque ſecundùm ejuſdem opinionem deſinunt in radices nervorum, in quas ſuccum ſuum nerveum ab arteriis acceptum & tranſcolatum tranſmittunt.

Ab omnibus ferme auctoribus ſerio monetur, nulla capitis vulnera eſſe conſuenda, & quidem optime.

Dum vulnera capitis religabantur, Veſalius ſemper adhibebat candelam ceream accenſam; (non ſebaceam, quia pinguedo nocet oſſibus) cum ſcilicet in finem, ut frigus ambientis aëris aliquatenus temperaret, ſed jam temporis chirurgi quidam utuntur vaſe quodam æneo carbonibus vivis impleto, quod belgicè dicitur *een bedpan*.

Meditullium, quod inter utramque cranii tabulam continetur, in puerulis multò tenuius eſſe repetitur quàm in adultis, quod bene obſervandum judico à chirurgis, dum trepano aut ſcalpris utuntur; nam aliàs fieri poſſet, ut ſibi perſuaderent, ſe nondum ad meditullium perveniſſe, dum interim ipſam læderent meningem.

Quidam, antequam adhibeant trepanum, eligunt crucialem carnis inciſionem, alii triangularem, ſed pater meus fere ſemper præferebat circularem, ſicque totam illam carnis portionem à cranio ſeparabat ac avellebat.

Inter operandum quidam trepanum ad temperandum calorem immittunt in oleum; ſed male, quia oleum, ut ſæpiùs diximus, eſt oſſibus inimicum, quamobrem aqua communis nobis hoc in caſu melius inſervire poteſt.

Veteres opinabantur creſcente luna medullam & cerebrum in animalibus augeri, ideoque uſum trepani tempore pleni-lunii prohibebant, verùm hoc ſæculo nos docuit experientia, cerebrum in cranio ac medullam in oſſibus animalium non majori copia contineri luna creſcente quàm alio quovis tempore, atque ita hæc opinio, arenoſo adeò ſuperſtrata fundamento, corruit.

Veteres minimè admittere voluerunt, ut trepanum poneretur in ſuturis, ſed jam temporis habemus Chirurgos, qui hoc intrepidè faciunt.

Aliquando contingit, ut dura mater cranio ſatis firmiter adhæreat, ſed hoc admodum rarò evenire ſolet, eſtque præter conſuetudinem.

Duræ meningi denudatæ Scultetus applicat oleum roſarum, Celſus acetum, ſed uterque peccat, hic magis, ille minus, quid aliud efficiet oleum, quàm ut poros ac tubulos illius membranæ obturet, ac ita ſanguinis ac humorum circulationi noceat? acetum autem coagulabit ſanguinem ac humores per meningem circulantes, atque ita circulari eorundem motui non parum oberit.

Quid igitur hic applicabitur? mel aut ſyrupus roſarum, ſed præſtat ſyrupus utpote minus acris, qui calidus imponi poteſt cum linteo rotundo; cui filum annexum eſt.

Poſito trepano aliquando fit, ut ſuper meningem nihil mali reperiatur, ſed ut pus ſub eâdem deliteſcat, & tum temporis meninx diſcindi debet, ut puri exitus concedatur, nec metuendum eſt, ne lædatur pia mater, quia pus interjacens hoc impedit, atque hanc meningis apertionem Arenaci feliciter inſtitutam eſſe memini.

Æger capite vulneratus potiùs liquida quàm ſolida aſſumat; nam aliàs motus maſticationis parti sauciæ aliquam afferre poſſet moleſtiam, & quidem præcipuè, ſi vulnus temporibus inflictum foret.

Si ſternutatio aliquem capite ſauciatum corriperet, abſque dubio ejuſdem cerebrum nimium commoveret ac vulneri noceret, ideoque conſultum foret ſternutationem, ubi præſentitur, impedire, quod facilè fiet, ſi digitis majorem utriuſque oculi angulum aliquoties tum temporis fricemus.

In vulnere capitis ante omnia vitetur Venus & ira; quia cerebrum valdè commovent, atque ita miſeris ægrotis haud parum damni apportant, ut crebra experientia teſtatur.

Atque ita tandem finiam, poſtquam dixero, me hic loci non niſi rariora ac notatu digniora in medium proferre voluiſſe, nam cætera ad vulnera capitis pertinentia ſatis prolixè tractantur apud Paræum, Hildanum,

d num, Scultetum, alioſque chirurgiæ ſcriptores, quæ h c repetere prorſus ſupervacaneum eſſe exiſtimo. *Joh. Muys in Praxi Chirurgicâ rationali.*

De vulnere penetrante thoracem.

Juvenis annum agens trigeſimum inter ſextam, ſeptimamque coſtam (ſi numeres ab inferioribus) enſe vulnus accepit, quod in pectoris cavitatem penetrabat, ſicut id ipſum docebat ſpecillum blan le intruſum; ut & aë ſatis impetuosè è vulnere proſiliens. Æger interea temporis benè comedebat ac parùm conquerebatur.

Quia vulnus non ſatis pro puris exitu patebat, impoſuimus turundam ex ſpongia præparata efformatam cum filo, atque ita luce ſequenti vulnus ſatis patulum exiſtebat, quapropter applicuimus tunc turundam ex linteis carptis formatam ac idoneo digeſtivo oblitam, cum emplaſtro acidum temperante ac bona ligatura.

Interim æger bibebat bis ſingulis diebus uncias tres ſequentis apoſematis.

℞. Herb. tuſſilag. capill. vener. ſcabioſæ an.m ij. Fol. abietis mi Paſſul. maj. exacinat. ℥ ij. Sem. fœniculi ℥ß. Hordei M. ij.

Coque in aquæ communis ac vini Gallici partibus æqualibus, & colatura librarum trium uſurpetur, quæ, ubi neceſſitas exigit, etiam per ſyringam in pectoris cavitatem poteſt immitti, admixtâ tum temporis unciâ unâ aut alterâ mellis roſarum.

Vulnus hoc pacto per dies aliquot tractatum parum puris emittebat, ac ægrotus quoad cætera benè ſeſe habebat, ideoque turundas de die in diem breviores formavimus, atque ita æger intra ſex ſeptimanas ab hoc vulnere prorſus convaluit.

Specillum, quo vulneris profunditas inquirebatur, non erat ferreum, quandoquidem hoc metallum ob rigiditatem ſuam non ſatis cedit muſculis; qui aliquando vulneris locum intrare ac replete ſolent, ubi æger corporis ſitum immutat, ſed adhibebatur candela cerea Belgice nominata *een wasiichje* quæ propter flexilitatem ſuam nobis in hoc caſu melius inſervire poterat verùm enimvero antequam huic operi accingebamur, patiens prout jubebamus, corpus in iſtum ſitum reduxit, in quo ſteterat, dum vulnerabatur.

Aër ex hoc vulnere ſatis impetuosè prorumpebat; atqui aliquando ille tanto impetu effertur, ut admotam candelæ flammam extinguit, ſed unde hoc contingit? nimirum, dum thorax anguſtior in exſpiratione à muſculis abdominis ut & à propriis muſculis, aër cum vaporibus non paucis commiſtus compellitur ac comprimitur ad exitum ſibi quærendum, & ſic ob anguſtiam loci magna vi ex vulnere propellitur haud aliter ac videmus aërem ex follis tubo magno impetu prorumpere, dum latera follis tantummodo leviter comprimuntur, nam ſic magna portio motus, qui antea ſingulas particulas aëris diverſimodè agitabat, impenditur in motum aëris in unam partem.

Verùm cur turunda filo alligata fuit? ſcilicet ne ipſa raperetur uſque in pectoris cavitatem, nam tale quid nonnunquam contigiſſe complures hiſtoriæ teſtantur, imo præterea legimus turundas non tantùm abreptas fuiſſe in cavum thoracis, ſed & eaſdem excitatâ tuſſi, poſtea per os ægroti exiiſſe.

Unde igitur fit, ut turunda aliquando penetret uſque in pectoris cavitatem? an cum veteribus reſpondebimus illud fieri per ſuctionem thoracis? minimè; quandoquidem ſatis clare ac evidenter demonſtrare poſſumus, omnem motum in hoc univerſo corporeo conſpicuum fieri per pulſionem.

Nec minus abſurdum foret ac abſonum, ſi cum pleriſque hic loci vellem recurrere ad fugam vacui, id ipſum luce meridiana clarius eſt iis omnibus, qui à præjudiciis ſuis nondum plane occæcati ſunt, idemque ſatis diſtinctè explicatur apud clariſſimum Carteſium in parte ſecunda Principiorum Philoſophiæ.

Ut autem nos dicamus id, quod res eſt, quodque ab unoquoque facillimè poteſt intelligi, reſpondemus hunc in modum; quando inſpirationis tempus inſtat, thorax capacior redditur, quia diaphragma contrahitur deorſum; quia verò diaphragma ita contrahitur, venter egregiè protuberat, ſicque, aërem ſatis validè propellit, qui, quandoquidem vacuum nullibi exiſtit, eodem temporis momento neceſſariò intrare debet thoracem modo prædicto ampliatum, atque ita aër partim ingreditur per rimulam laryngis, partim etiam per vulneris orificium, utpote per viam commodiorem, breviorem ac magis liberam, ac dum aër ita proruit intrò per vulnus patulum thoracis, in tranſitu ſecum propellit turundam, niſi filo ſatis forti alligetur.

Nonnulli auctores, ubi nihil ſanguinis aut puris ſuper diaphragma jacere ſuſpicantur, vulnera pectoris penetrantia abſque ullarum turundarum ope ſanare conantur, aliiſque id ipſum commendant; ſed rariſſimè primis diebus hujus rei ſatis certi eſſe poſſunt, ideoque multò prudentius agere mihi videntur, qui mecum per aliquot dies utuntur turundis, ac interea temporis aërem ambientem, quantum poſſunt arcent à vulnere; aſt interea tamen eâ nobis utendum eſt cautelâ, ut tempeſtivo tempore à turundis abſtineamus, nam ſi diutius, quàm par eſſet, earundem uſus protraheretur, contingere poſſet; ut remaneret tandem fiſtula nullâ medicabilis arte ac ad extremum vitæ halitum perſeverans, quandoquidem ad tale malum producendum non parum confert continua pectoris in reſpiratione agitatio, quæ vulnerum conſolidationi non parum obeſt.

Vulnera thoracis penetrantia valde periculoſa ſunt, multoſque viventium conſortio valedicere coëgerunt, ac in aliis phthiſin excitarunt ipſa morte pejorem, nam mortis habet vices, lentè cùm trahitur vita gemitibus; ſed interim tamen memini, me alicubi legiſſe, aliquem ab aſthmate, quo antea ſatis crudeliter affligebatur, per vulnus penetrans uſque in cavitatem thoracis feliciſſimè fuiſſe ſanatum; imò novi jam temporis adhuc Arnhemii honeſtum quendam civem, cui vulnus pectoris penetrans haud parum fuit ſalutiferum, nam ille jam per longum temporis intervallum laboraverat empyemate, ac mortem indubitatam quotidie exſpectabat; cùm ab alio, neſcio quâ de cauſâ ad iram concitato, enſe ſauciatus eſt ita, ut vulnus uſque in pectoris cavitatem penetraret, ægrumque hoc pacto pure per vulneris orificium egrediente, brevi ſanaret ab empyemate, patre meo, dum viveret, medicam manum adhibente.

Ubi in vulnere pectoris valdè anguſto Chirurgi dubitant, an vulnus penetret in thoracis cavitatem, nec ne, aut lanam, aut flammam candelæ accenſæ vulneri admovere conſueverunt, atque ita concludunt vulnus penetrare, ſi tremulus in lana aut candela accenſa motus ab aëre ex pectore progrediente excitetur, ſin minus, contrà.

Quando jam contingit, ut pars aliqua in pectoris cavitate contenta ſimul lædatur, tunc vulnus diutius ſervandum eſt apertum, ac bis de die injectio calida immitti poteſt, cui aloë, abſinthium, carduus benedictus aliaq; amara addi non debent, ut quidam facere ſolent, nam particulæ amaræ per ramos fiſtulæ pulmonis læſi cum aëre ſurſum latæ, amaro ac moleſto ſapore linguam afficiunt, ut crebra experientia teſtatur.

Si magnum aliquod vas ſanguiferum in thoracis cavo

cavo ſitum vulneretur, tunc ſuper diaphragma multum ſanguinis confluere ſolet, ac excitare hoc pacto gravitatem circa diaphragma, febrim, vigilias, excreationem ſanguineam, appetitum proſtratum ac reſpirationem difficilem.

Per vices hic ſanguis quotidie per vulneris orificium evacuandus eſt, ut & pus poſt aliquot à vulnere accepto luces plerunque ſubſequens.

Quod ſi ſanguis, qui per vulnus inflictum effluit, ſpumoſus eſſe reperiatur, ſignum eſt pulmonis vulnerati, ac tale vulnus ſæpe tabem ac ſæpius mortem miſeris ægrotis apportat, quod mirum non videbitur illi, qui cum Malpighio aliiſque curioſis humani corporis ſcrutatoribus paulò penitius, quàm veteres fecere, pulmonis ſubſtantiam inſpicere non gravatur; ſic namque animadvertet pulmones nihil aliud eſſe quàm aggeriem quandam veſicularum membranacearum, veſtitarum reti quodam mirabili ex venularum ac arteriolarum valdè minutis ramulis compoſito, in quas veſiculas aëri aditus patet ex aſpera arteria.

Hinc igitur ſatis manifeſtum evadit, vulnus pulmonis tam exiguum eſſe non poſſe, quin vaſcula quædam ſanguifera harum veſicularum ſimul lædantur, unde ſanatio redditur adhuc difficilior; quæ tamen per ſe ſatis difficilis exiſtit, quia veſiculæ hæ membranaceæ ſunt, ac continuò in motu poſitæ, in quas præterea ſingulis horis toties novus aër impellitur, nam partes membranoſæ multò tardius ſanantur, quàm carnoſę, & quòd quies partis læſæ conſolidationem vulneris maturet, nemo in dubium trahere poteſt; qui ſemel tantùm in vita obſervavit, quàm facilè tibiarum vulnera ſanentur ægro decumbente, & contrà quàm difficulter eadem conſolidentur, ubi patiens quotidie per plateas obambulat; & quis tandem ignorat aërem ambientem à vulneribus diligenter eſſe arcendum?

Vulnera pulmonis igitur, uti diximus, ferè ſemper lethalia eſſe experimur, ſed interim tamen legimus, fruſto pulmonis per vulnus ablato patientem poſſe ſupervivere.

Pulmo repletur aëre; quamprimum homines naſcuntur ac reſpirant, hoc autem non fit in fœtu, quamdiu idem in uterò adhuc delitеſcit, atque ad hoc attendunt Medici, ubi à Magiſtratu coacti judicare debent, an infans mortuus, in utero an extra uterum vitam amiſerit? tunc etenim pulmonem cadaveris è pectore proripiunt, eumque immittunt in aquam ac ſi pulmo tunc ſupernatet, extra uterum infans mortuus eſſe cenſetur, & contrà, ubi pulmo ſubſidit ac demergitur.

Vulnus in carnoſa parte diaphragmatis ęgrum in periculum haud exiguum adducit, ſanatur tamen aliquando; ſed cùm pars membranoſa diaphragmatis vulneratur, æger non longo poſt tempore, exortâ febri ac delirio, expirat; nec mirum ſane, cùm ob continuum diaphragmatis valdè ſenſilis tubuli circa vulnus valde detorqueantur; unde humores ibidem ſtagnant, aceſcunt ac inflammationem producunt, & cùm humores aceſcentes ex parte inflammata abſorbentur in maſſam ſanguineam, inducitur febris, quam ſequitur delirium; ſic memini aurigam Arnhemienſem, qui cultro in parte membranoſa diaphragmatis vulneratus erat, ſtatim poſt vulnus inflictum ſe pedibus ad ædes noſtras contuliſſe, ſed eundem mox adeo debilem evaſiſſe, ut à duobus hominibus domum deportari deberet, ubi febri ac delirio correptus poſt triduum è medio ſublatus eſt.

Mirandum eſt, quod non ita pridem me alicubi legiſſe recordor, nimirum quòd in uno ventriculus, in altero inteſtinum colon ex abdomine per vulnus diaphragmatis aſcenderat in thoracem & quod uterque patiens adhuc aliquandiu vivere potuerit.

Vulnus pericardii lethiferum exiſtimatur, ac ubi cordis ſubſtantia ſimul vulneratur, extemplo patiens plerumque vitam cum morte commutat, etiamſi revera teſtari poſſim, Judæum Arnhemienſem in ipſa cordis ſubſtantia vulneratum nihilominus per ſex dies quotidie bis pedibus ſuis ad ædes noſtras, ut vulnus religaretur, ſe contuliſſe, antequam moreretur.

Galenus alicubi refert, ut teſtis oculatus, pericardio corrupto cor nudum ſatis late patuiſſe in pectore alicujus ægri; qui tamen inde reconvaluerit; verùm enimverò homines jam temporis adeo increduli eſſe reperiuntur, ut apud eoſdem tales hiſtoriæ parum fidei inveniant, aut mereri videantur.

Dum de corde mentionem facio, duo præjudicia tollere debere mihi videor; primum, quo plerique è vulgo laborant, hoc eſt, quod pertinaciter credant cor ſedem ſuam habere in latere pectoris ſiniſtro, cùm tamen illud in medio pectoris collocatum ſit, ſed hujus erroris occaſio populo data fuit ex eo, quod pulſus ſatis vehemens in latere thoracis ſiniſtri ſentiatur, ſecus ac in dextro, verùm hoc contingit, quia ad ſiniſtrum latus ſita eſt arteria magna.

Alterum, quod taxare volui, præjudicium hoc eſt, quod è veteribus quidam ſibi perſuaſerint, cor nullis morbis conflictari; cujus opinionis falſitatem experientia tamen ſatis ſuperque oſtendit; ſic in Ephemeridibus Gallicis legimus in ventriculo dextro cordis canini inventos eſſe vermes vivos triginta & unum, longitudinem digiti ac craſſitiem habentes aciculę communis; ac præterea cor aliquando infeſtatur morbo aliquo qui polypus cordis nominatur, de quo vide Malpighium in tractatu de viſcerum ſtructura anatomica.

In vulneribus pectoris penetrantibus chirurgi quidam loco turundarum adhibent cannulas ex argento, plumbo, aut linteo cerâ imbuto confectas, verùm quia argentum à pure inficitur aliquatenus, & plumbum labia vulneris hîc nimis cito contingit cicatrice, præferenda videtur hîc loci cannula ex linteo cerâ imbuto confecta.

Acida omnibus vulneribus inimica ſunt, ſed præſertim vulneribus thoracis penetrantibus, nam præterquam quod ſanguinem humoreſque coagulent, ac circulationi rite peragendæ reddant ineptos, etiam nocent hoc in caſu, quia particulis ſuis ab utraque parte ſcindentibus tuſſim excitare ſolent. Sed quamvis acida rejiciam, non ideo hîc commendo dulces ſyrupos, quandoquidem iidem pulmonibus parum proſunt, ac interim ventriculo aliiſque partibus nocent, ut plurimi mecum quotidie experiuntur; præſtat ex tuſſilagine, capillis veneris aliiſque herbis idoneis cum aqua cocta ac fervida adhuc extrahere tincturam in vaſculo, quo utuntur, dum præparant potum herbæ *Tee* dictæ jam temporis adeo vulgarem.

Si æger penetrante thoracis vulnere laborat, & non emittat ſanguinem in pectoris cavitate latentem per vulneris orificium, teneat granum unum moſchi ſub lingua, ac mox effluet ſanguis, ut ait Sennertus, ſed de ſucceſſu valde dubito.

Nonnunquam altior eſt locus pectoris, cui vulnus inflictum eſt, quàm ut ſanguis aut pus ſuper diaphragma congregatum per vulneris foramen poſſit evacuari, & tunc aliquando ſanguis aut pus cum tuſſi per os excerni conſpicitur; imo haud pauci auctores teſtantur, pus tum temporis interdum ad veſicam deturbari ac cum urina expelli, quod pus per duas vias ad veſicam deduci poſſe putant; primo ſi per venulas aut vaſa lymphatica abripiatur ad maſſam ſanguineam, ac cum eadem deferatur ad renes, tandemque, ubi illic loci tranſcolatum fuerit, per uteteres deſcendat in veſicam & ſic cum urina excernatur; verùm altera via longe difficilior videtur; ſcilicet exiſtimant pus per poros diaphragmatis intus foras ſpectantes ſub forma roris tranſſudare, & ſic, itinere per totum abdomen peracto

acto, tandem per poros veſicæ foris intro ſpectantes veſicæ cavitatem intrare; poros autem foris intro ſpectantes in veſica revera reperiri ſequenti probant experimento; in cubiculo calido veſicam invertunt atque immittunt aquam calidam, quæ inde roris inſtar tranſſudare tum temporis conſpicitur.

Ubi tandem contingit, ut pus ſuper diaphragma copioſè contentum per vulnus nimis altum nequeat expelli, atque illud præterea nec cum tuſſi per os, nec cum urina per veſicam evacuetur, tunc commendatur paracentheſis, hoc eſt inciſio artificialis thoracis in loco decliviori, atque hæc operatio fit plerumque inter quintam & ſextam coſtam, ſi numeres ab inferioribus, non in medio pectoris ſed in latere, magis tamen ad anteriorem quàm ad poſteriorem partem, ac potius circa ſuperiorem coſtę partem quàm circa inferiorem, & quidem ſcalpello obvoluto aliqua ex parte panniculo, illo temporis momento, quo patiens expirat.

Atqui hæc operatio rariſſimè exercetur in hiſce regionibus eo ſæculo, quo vivimus.

Factâ jam paracentheſi pus ſimul & ſemel emittendum non eſt, ſed partitis vicibus, atque hæc eſt res, quam omnes chirurgi concedunt, ſed quę ſit ratio, plerique prorſus ignorant; alii dicunt, quod ſpiritus diſſipentur, ſi omne pus effluat una vice, alii fingunt naturam providam, tunc vacuum illud perſentiſcere, ideòque in eum locum, ex quo pus promanavit, è veſtigio mittere multum, imò nimium ſanguinis ac humorum, ſed utraque hæc ratio adeo frivola eſt, ut refutari non mereatur, ideoque tribus verbis tantùm dicam, quę mihi hujus rei ratio videatur, certum eſt in locum puris calidi recedentis mox aërem frigidum ſuccedere, qui fibrillis, jam aliquatenus læſis à pure, non tantùm moleſtus eſt, ſed non paucas præterea obſtructiones producit in tubulis, quibus idcircò ſtagnant humores, coacervantur, aceſcunt, atque ita excitatur inflammatio; ſic ubi aëri frigido exponitur ſtatim poſtquam calefacti ſumus, corripimur non rarò catharris vulgò ſic dictis, atque cùm ſupra modum incaluimus, & cereviſiam frigidam tum temporis aſſumimus, plectimur aliquando pleuritide. *Idem ibidem.*

De vulnere abdominis penetrante.

Juveni viginti annorum ab adverſario vulnus fuit inflictum, & quidem tale, ut enſis per anteriorem abdominis partem intraret, ac per tergum egrederetur.

Æger mox à vulnere inflicto, in lecto decubuit, ac primis diebus aliquatenus de hoc aut illo incommodo conquerebatur, poſtea verò de die in diem magis magiſque reconvaleſcebat, ac utrumque vulnus intra tres ſeptimanas prorſus conſolidatum fuit turundis bono digeſtivo inunctis impoſitis, ac ſuperimpoſito idoneo emplaſtro.

Haud neceſſarium erat hoc in caſu explorare vulneris profunditatem, quandoquidem ſatis manifeſtè conſtabat, hoc vulnus penetrare uſque in ipſam abdominis cavitatem, quia enſis mucro intraverat per ventrem, ac egreſſus erat per dorſum.

Aliàs vulneris profunditas plerumque inquiritur ſpecillo ferreo aut plumbeo, ſed præſtat candela cerea, quæ Belgicè dicitur *een Waslichje*, quia multo melius flecti poteſt, & accommodari ad qualeſcunque occurrentes mæandros; hinc interim gnaviter annotandum venit, quod ſpecillum aliquando valde profunde intret per interſtitia muſculorum tranſiens, & quod vulnus tamen non penetret uſque in ventris cavitatem, & è contra, quod vulnus penetret aliquando uſque in abdominis cavum, licet ſpecillum, ubi intruditur, mox inveniat reſiſtentiam, ſcilicet quia partes in corpore læſo aliter figuratæ erant, dum æger vulnerabatur, quàm poſtea, ubi vulneris ſtatus exploratur.

Vulnus abdominis, etiamſi non penetret uſque in ventris cavitatem, tamen difficulter ſanatur ob motum reſpirationis, nam vulnera conſolidanda deſiderant requiem.

Quod ſi vulnus abdominis non penetrans ſit in linea alba ſic dicta, tunc adhuc multo difficilius ſanatur & valdè dolorificum exiſtit.

In ſecunda hujus decadis obſervatione volui, ut vulnera pectoris valdè exilia, redderentur ampliora, ſed hæc operatio minimè locum meretur in vulnere abdominis, ne ſcilicet omentum vel inteſtinum per nimis amplum ventris foramen prolabatur extra abdominis cavitatem.

Quidam ſomniant reſurrectionem mortuorum originem ſumpturam ab oſſiculo in decima octava vertebra contento, ſed ſomniant, & quidem abſque ulla veriſimilitudine; neſcio ſanè, quid reſponderent mihi homines talem opinionem amplexi, ſi interrogarem eoſdem. An igitur non reſurgeret ille, cui oſſiculum illud per vulnus foret conſciſſum?

Teſtes extra abdominis cavitatem propendent, ideoque facilè poſſent vulnerari, ſed eorum vulnus ęgros in vitæ diſcrimen non adducit, quandoquidem & experientiâ teſte homo utroque teſte exſecto ſupervivere potis eſt; & cognovi familiariter medicinæ ſtudioſum, cui alteruter teſtis ob herniam carnoſam feliciter exſcindebatur.

Quid igitur teſtes ſunt? non niſi congeries minutiſſimorum funiculorum vel vaſculorum ſemen conficientium, quæ ſi abſque ruptione diſſoluta ſibi invicem adnecterentur, facillimè viginti ulnarum longitudinem excederent in homine; nam gliris teſticulus ad ulnas quindecim extenditur.

Plerique chirurgi primo vulneribus applicant repellentia, hoc eſt, frigida & aſtringentia, ſed circa inguina illa omittunt; ſi rationem quæras, reſpondebunt tibi, quia in inguinibus eſt emunctorium hepatis; verùm hoc reſponſum frivolum eſt & ridiculum, illudque jam dudum exploſimus & ſufficienter refutavimus in primæ decadis obſervatione octava.

Quid igitur in cauſa eſt, quod chirurgi alibi utantur frigidis & aſtringentibus, nunquam verò in inguinibus? dicam, auſculta paulisper; ubique ferè nocent frigida & aſtringentia, ſed magis inguinibus, quàm alibi, illud experientia ſtultorum magiſtra illos docuit; factum norunt & confitentur, cauſam affecti penitus ignorant, ideoque talem chymæram ſibi effinxerunt, cùm vera cauſa interim ſit, quod in inguinibus ſedem ſuam habeant glandulæ, quæ nihil aliud ſunt quàm congeries exilium vaſorum valdè inflexorum, in quorum mæandris humores facilius ſubſiſtunt quàm alibi, ſi eorum circulationem chirurgi per frigida & aſtringentia perperam impoſita retardent.

Vulnera abdominis penetrantia ſunt omnia periculoſa, ſed longè magis periculoſa, cùm ampla ſunt, quia omentum aut inteſtinum tum temporis facilè foras prolabitur, ubi omentum, niſi ſtatim poſt egreſſum ſuum in priſtinum locum repellatur, brevi coagulatur, emoritur & colorem ſuum mutet ob aërem ambientem; ſed unde omentum extra ventrem prolapſum tam cito emoritur? omentum nempè permultis exiguis ſacculis inſtructum eſt, in quos adeps apportatur per vaſcula adipoſa ſingularia, ſicut accuratiores hujus ævi anatomici teſtantur. Hinc jam facilè liquet, quàm facile adeps in ſacculis ſuis, ac materia in vaſculis exilibus adipoſis contenta ab aëre frigido poſſit coagulari.

Ubi jam omentum extra abdominis cavitatem exulans ob moram aliquam interpoſitam modo prædicto corrumpi-

corrumpitur, tunc inter partem ſanam & corruptam filum injiciendum eſt, tuncque portio corrupta ferro reſecanda eſt, ne pars ſincera trahatur, & conſuto aliquatenus vulnere, ſi illud nimis amplum eſſe reperiatur, filum extra abdomen pendulum relinquendum eſt, donec progreſſu temporis decidat. Sic quendam, cui omenti portio ob nimiam moram extra abdomen erat corrupta, modo prædicto à patre meo tractatum feliciter à vulnere ſuo, convaluiſſe memini.

In amplo abdominis vulnere nonnunquam foras prorepit inteſtinum, quod è veſtigio reponendum eſt, nam aliàs flatibus ita diſtenditur, ut in priſtinum locum remitti minimè poſſit; ſed unde inteſtinum, extra ventrem remanens aliquandiu, flatibus diſtenditur? nimirum fermentatio excitatur non tantùm in chylo, ſucco pancreatico ac bile, verùm etiam in fæcibus à chylo relictis & fermento inteſtinorum parietibus adhęrente; hinc multi exurgunt vapores (ut jam ſilentio prætercam illos vapores, qui ex poris arteriolarum etiam continuò cavitatem inteſtinorum ingrediuntur) qui in cavitate inteſtini debent accumulari, illudque diſtendere, ſi pori intus foras ſpectantes ab aëre ambiente claudantur in inteſtino extra abdomen exulante.

Quid igitur agendum ſupereſt, ubi inteſtinum extra abdomen diſtentum conſpicitur; pori occluſi aperiendi ſunt, vaporibuſque intus contentis major conciliandа eſt agitatio, quod fiet, ſi calide imponatur linum nendo recenter contortum, ſed coctione nondum purgatum, ubi illud nempe prius coctum fuerit in lacte dulci.

Inteſtinum, flatibus jam conſumptis reponi debet, ac vulnus aliqua ex parte conſui, ſi opus ſit.

Si inteſtina etiam vulnerentur, æger in magno vitæ diſcrimine verſatur, & quidem magis, ſi vulnus infligatur inteſtino tenui, minus, ſi craſſo, quia in hoc vulnus, poſtquam conſutum fuerit, facilius conglutinatur, quandoquidem majori tubulorum copia conſtat, per quos humores nutrientes apportantur; ſic craſſa inteſtina ferè tantum fæces continent, tenuia chylum. *Idem ibidem.*

De vulnere pectoris penetrante cum ſyncope.

Vir militaris triginta circiter annorum enſe valde tenui miſere perfoſſus eſt, ſic ut vulnus paulò infra ſiniſtram mamillam penetraret in cavitatem thoracis.

Vulneratus incidit in ſyncopen per aliquot horas durantem, ex vulnere parum ſanguinis profluxit.

Poſtero die acceſſitus ęgrum invenio mediocriter habentem, bene reſpirantem, ac parum & ſine dolore tuſſientem.

Aſtantes conſulebant me, ut & Chirurgus, an non expediret paracenthenſin facere in loco paulò humiliori, ut ſic ſanguis, forſitan in cavum pectoris prolapſus faciliori via egrederetur.

Sed quandoquidem ægrotus noſter non difficulter reſpirabat, & mediocriter, quoad cætera, ſe habebat, judicabam vix aliquid ſanguinis diaphragmati incumbere, ideoque hanc periculoſam operationem & noſtris regionibus inconſuetam ac nomine tantùm notam in vulneribus pectoris minime hìc loci convenire.

In vulnus igitur ſecundum conſilium noſtrum immittebatur turunda ex ſpongiâ cum cerâ & reſinâ præparatâ confectâ ad vulnus magis dilatandum & viam aperiendam ſanguini, ſi quis adhuc fortaſſis in cavitate pectoris deliteſceret.

Sed nihil ſanguinis ex cavo pectoris promanabat, & parum puris ex vulnere, atque ita Patiens, ſumpto aliquoties de die apozemate pectorali, intra tres ſeptimanas priſtinę ſanitati reſtitutus eſt, & brevi poſt tempore in Angliam profectus eſt cum Principe Auriaco, Heroë illo incomparabili, nunc Rege Angliæ, in cujus iter ſequentes verſiculos tum temporis meditatus eram.

Julius ingreſſus Cæſar mare venit ad Anglos,
Perdomuitque feras gentes victricibus armis.
Secula poſt aliquot Pater Auguſtinus eodem
Navigat, ignaris Chriſti pia ſacra repandens;
Sed nunc Auriacus Princeps & Cæſare major,
Nec minor alterius doctâ pietate Britannos
Per freta terribileis fluctus volventia, ventis
Concitaque horriſonis adiit cum claſſe, viriſque,
Et multis equitum turmis & tempore brumæ,
Aſſerat ut populum bis ſervum à Rege, Papaque,
In libertatem, cœptis Deus annuat, oro.

Sed unde ſyncope ægroti noſtri producta fuit? forſan ab ira immoderata & vindictæ cupiditate, nam hæ paſſiones ſanguinem ſolitò magis agitare ſolent, atque ita hoc aut illud fermentum acidum in latibulo quodam partis ſolidę quieſcens elvere poſſunt, quod permiſtum cum maſſa ſanguinea eandem coagulat ita, ut circulum ſuum perficere vix queat, & tunc præ foribus eſt ſyncope. *Idem ibidem.*

De vulnere vaſculi lymphatici.

Juvenis viginti quatuor annorum ſiniſtri pedis malleolo externo inflixit vulnuſculum valde parvum, ex quo nihilominus quotidie ingens aquæ limpidę copia ſine dolore profluebat, unde conjecturam feci illic vaſculum aliquod lymphaticum ſauciatum eſſe, quare ægroto prædixi hanc plagam, licet exiguam, tardioris tamen eſſe medelæ.

Primo igitur ſpecillo vaſculum vulneratum aliquouſque molliter retrorſum protrudere conatus ſum, ut plicæ hoc pacto in vaſe lymphatico formatę ſibi invicem per fibrillas quaſdam jungerentur atque ita vaſculum hoc occluderent, qua de re vide Dominum à Solingen manualium operationum parte quarta, capite ultimo, & penultimo.

Deinde inſperſi pulverem vitrioli cyprini & croci martis aſtringentis alternatim, & imponebam emplaſtrum diapompholigos ſtrictamque ligaturam, atque ita tribus ſeptimanis ſanatus eſt patiens. *Idem ibidem.*

De vulnere oculi miſerando cum contuſione.

Adoleſcenti ſedecim annorum jactus vehemens baculi valde acuti ex alterius manu forte provolantis oculum ſiniſtrum mirum in modum ſauciavit & contudit.

Chirurgus ſatis peritus huic ægroto diligenter aliquandiu opem tulit; decimo quarto læſionis die acceſſitus inveni oculum in ingentem tumorem ſublatum magna inflammatione laborantem, ac atroci dolore patientem crudeliter excruciantem; humores oculi confuſi videbantur, ac extra palpebram inferiorem protuberabat excreſcentia rubra carnea per totam oculi longitudinem extenſa.

Aderat ad hæc febricula, pervigilium, dolor capitis, appetitus dejectus ac alvus aſtricta.

Humorum oculi confuſionem conſpiciens prædicebam iſtius omnimodam cæcitatem; membranæ nimirum humores oculi læſi diſtinguentes à ſe invicem vehementer fuerant contuſi, unde ſuppuratione factâ tandem dilacerebantur ita, ut humores confluerent in unum locum.

Baculum projectum ita contudit ac lęſit oculum, ut multæ fibrillæ diſrumperentur, ac plures valde diſtorquerentur, unde humores ſtagnabant ac aceſcebant, tumoremque inflammationem ac dolorem producebant;

præterea ſanguis in arteriolis per album oculi diſperſis ſubſiſtens à ſubſequente ſanguine ex corde magno impetu propulſo urgebatur per poros arteriolarum valde diſtentarum exire, atque ita multæ particulæ è ſanguine provolutæ ſibi invicem ob ſuperficierum ſimilitudinem adhærebant, atque hanc excreſcentiam rubicundam formabant.

Quo pacto jam ex magna oculi inflammatione febricula, ex febricula pervigilium, ex pervigilio dolor capitis, appetitus dejectus, alvuſque aſtricta prodierit, haud opus eſt ut oſtendam, quandoquidem hęc ex præcedentibus decadibus facillime deducuntur.

Quia ex oculo vulnerato, ſicut ex radice, cætera ſymptomata tanquam ramuli propullulabant, oculi læſi medelæ inprimis incumbere placuit.

Sequens igitur collyrium:

℞. Aq. fœniculi ℥iij. Mell. roſat. ℥ß. Trochiſc. alb. Rhaſ. ʒij. Tutiæ pp. ʒß. M. S.

Bis de die in oculum tepide inſtillavimus ad acidum humorum ſtagnantium temperandum, dolorem mitigandum ac vulnus detergendum; acria verò addere noluimus, quamvis adeſſet excreſcentia ſatis magna, quoniam oculus hæc non fert ob ſenſum exquiſitum & valde delicatum.

Noveramus etiam experientiâ, tales excreſcentias ſublata inflammatione ſine ulla medicamentorum acrium applicatione evaneſcere.

Superpoſuimus præterea ſequens cataplaſma ad dolorem leniendum ac circulationem ſanguinis & humorum ſubſiſtentium promovendam.

℞. Herb. biſmalvæ, hyſſopi, euphragiæ. argentinæ an. Miij. Sem. fœni græci. lini an. ℥j. Cap. papav. num. ij. Coque ſecundùm artem in vino ac fiat cataplaſma bis de die calide applicandum.

Hoc pacto abſceſſus intra oculum ex ſtagnantibus & aceſcentibus humoribus productus duobus in locis rumpebatur, unde dolor ſedabatur, tumor ſubſidebat, ac excreſcentia carnea incipiebat decreſcere.

Interea temporis internis medicamentis medelam accelerare conati ſumus hoc modo; dum ſummus dolor aderat, ęgrotulus ſingulis noctibus devorabat pilulam ex granis duobus laudani opiati confectam, unde placide dormiebat ac egregie ſudabat.

Adhæc alternis diebus aſſumebat aliquid ſequentis conditi ad alvum laxandam.

℞. Conſerv. roſar. ℥j. Scammonei, Reſinę jalappæ an. ℈j. Pulv. millepedum ʒß. Mercur. dulc. ℈j. M. F. Conditum.

Millepedes addidi: quia in pleriſque affectibus oculorum proſunt. Tam dudum affirmavere Medici, millepedibus ineſſe peculiarem vim ad affectus oculorum perſanandos, ſed iſta peculiaris vis mihi conſiſtere videtur in magna copia ſalis volatilis, qua millepedes abundant, & quæ acidum peccans ſtagnantium humorum temperat.

Hoc pacto æger poſt trimeſtre ſpatium tandem convaluit, & dolor, tumor, excreſcentia, cæteraque ſymptomata abiere, ſed humoribus per abſceſſum apertum elapſis, oculus intra orbitam ſuam valde ſubſidit, viſu penitus amiſſo.

Ante aliquot annos juveni cuidam portio quædam calcis cum aqua & arena permiſtæ, qua in ædificiis extruendis ad conglutinandos lateres utuntur, infortunio quodam ab altero in oculum injecta eſt, unde ſimilis excreſcentia carnea, aliaque ſymptomata prodierunt, idemque ęger viſum miſerè amiſit. *Idem ibidem.*

De exiguo cruris vulnere & tamen Lethali,

Juvenis viginti circiter annorum ab Amaſia ſua fortè vulneratus eſt paulo ſupra malleolum internum dextri cruris chartâ contortâ, qua pulvis pyrius comprimi ſolet, per ſclopetum emiſsâ.

Vulnus erat tantùm in ſuperficie nec ſuperabat magnitudinem ſtypheri, illudque ad mortem uſque apparebat rubicundum, & pus bene coctum inde profluebat, non aderat ulla inflammatio, putredo vel gangræna, dolor erat exiguus, tumor nullus.

Patiens interea temporis, bene dormiebat, edebat ac cętera vitę munia obibat. Manducaverat etiam muſculos cum pipere & aceto, ac in aperto aëre verſatus erat; parum aut nihil febricitabat.

Circa octavum nonumve diem ægrotus noſter levem convulſionem ſenſit circa vulnus ſurſum ſenſim aſcendentem, ſicut ego, qui vulnus non niſi poſt mortem patientis conſpexi, ex aſtantibus percepi. Paulo poſt aderat ſpaſmus muſculorum temporalium, qui ęgrum poſt aliquot dierum intervallum vitam cum morte commutare coëgit.

Sed unde ſpaſmus hic? fortaſſe nervulus leviter læſus eſt in vulnere, qui à pure acriori irritatus levem illam convulſionem excitavit, quę ſurſum aſcendebat; tandemque ob connexionem nervorum agitatæ ſunt etiam fibrillæ muſculi temporalis, atque ita fermentum quoddam corroſivum, quod antea ibi aliquandiu immotum delituerat, commovere cæperunt, unde major vellicatio fibrillarum, affluxus ſolito copioſior ſucci nervei, tandemque ſpaſmus muſculorum temporalium.

Sed quidnam in cauſa eſt, quod ſpaſmus hic muſculorum temporalium ægros fere ſemper è medio tollat? muſculi nimirum temporales contecti ſunt pericranio, quod in ſpaſmo horum muſculorum valde diſtenditur, atque ita ſummum cruciatum inducit, qui augetur à nervis ſatis magnis atrociter vellicatis.

Præterea circulatio ſanguinis in vaſis magnis illic contentis à diſtenſione immodica horum muſculorum fere in totum ſufflaminatur, deinde medicamentorum & alimentorum aſſumptio prohibetur, tandemque reſpiratio, quâ nemo diu carere poteſt, valde impeditur, dum aër non niſi per nares propelli poteſt, atque hæc, ſi non ſingula, viribus tamen unitis agentia ſufficiunt inferendæ neci.

Quidam exiſtimabant muſculos comeſos cum pipere & aceto mortem huic ægro intuliſſe, ſed non video, quo pacto cibus hic tam lethifer eſſe potuerit.

Foreſtus libro ſexto obſervationum Chirurgicarum, obſervatione quinquageſima, caſum haud abſimilem deſcribit, quem hic annectere placet.

Quidam pedes lavans, cultello ſcriptorio, cùm callum ſub planta pedis abradere ſtuderet & exſcindere, ſe ipſum vulneravit, vulnere quidem non magno, ſed cùm ei ſtatim ſubſequeretur ſpaſmus, antequam remedia idonea adhiberentur, extinctus eſt. *Idem ibidem.*

Capitis Vulnus ingens, lethale, & Muſculorum dorſi ex globulo ſclopeti ictus lethalis.

Memoratu digna eſt hiſtoria, quam Excellentiſſ. Baumgarterus Archiater & Senator Sangallenſis, gloriâ meritiſque inclytus, IX. Cal. Jun. 1676. nobis impertiit. Ante aliquot (inquit) menſes, in viciniâ noſtrâ, quidam ex illo hominum genere, quorum civilitatem expertus Ampliſſimus veſter Conſul, à conterraneo temulento, ancipiti gladio pluribus in locis vulneratus, brachium amputatum, aliquot in capite vulnera inflicta: cùm ſpes ſalutis affulgere jam videretur, vigeſimâ tamen die obiit: pridie ejus diei ego vocatus, vulnera ſatis bene ſe purgantia inveni, brachii

brachii truncus pus reddebat optimum; in ſiniſtro tempore ingens erat vulnus, temporalis muſculus diſſectus: oſſis tanta rima, ut trypano non opus fuerit, videbatur cerebri ſive meningis motus: Vulnus minimè aridum, ut in mox morituris eſſe ſolet: convulſio aderat oppoſitæ partis, quę hîc nunquam abeſt, diſſecto enim muſculo temporalium alterô, congener ſolus trahit ad ſe maxillam inferiorem: convulſiones tamen horrendæ in ejuſdem lateris artubus erant, in quarum cauſam, cùm omnia circà vulnera bene habere viderentur, tunc penetrare non potui. Poſt obitum caput aperiendi mihi copiâ factâ, meninx minimè erat læſa, nec corrupta, nec inflammatione correpta, nihil puris ſub cranio, cerebrum adeò elegans, ut ejus Anatomiam in gratiam adſtantium Medicorum & Chirurgorum exactè facere potuerim, in baſi tantùm ἀπήχημα vaſis inveni, nempe ſanguinis aliquot grumos a venulâ ruptâ & multum ibi flavi ichoris, ut & circa principium ſpinalis medullæ, uſque ad quintam colli vertebram.

Anno 1678. die 10. Julii accerſiit nos Chirurgus quidam noſtras, ut conſilium & auxilium ferremus Commiſſario cuidam Gallo robuſto & carnoſo, qui ponè nates ſclopeti globulo ſuperiora verſus ictus fuerat: foramen erat parvulum, ſed profundum, quod etiam ſtyli longioris apicem eluſit. Imperatâ diætâ, cui pro genio, exactiſſimè intentus fuit, primis diebus turundâ, nunc ex linteo, nunc rad. gentianæ conflatâ, intra ipſos dorſi muſculos inferiùs immiſſâ, vulnus dilatare, materiæque deliteſcenti patentiorem viam ſtruere ſtuduimus: aſt incaſſum, materia inter interſtitia partium & loci profunditatem firmius impactâ: Inciſione ulteriore, rem aggredi periculoſum videbatur, ob tendinum eo loci copiam, tandem verò urgente ægroto, alea jacta fuit circumſpectè, & lancettâ ſinus ille apertus, unde pus copioſum profluxit: quinque circiter vel ſex diebus poſt, dum detergentibus & vulnerariis Chirurgus ſtrenue deſudat, atque ægroti res in melius vergere videbantur, ſtranguriâ corripitur, cui denuò vocati medicamentis convenientibus vulnerariis ac antepilepticis occurrimus, veriti ſtatim ne quid ſpaſmodici ſuperveniat: Poſtero die ſub veſperam deglutire cupiens non poteſt: loquelâ viciſſim impeditâ: inde malo progrediente artus paulatim convelluntur, tandemque per intervalla totum corpus obrigeſcit; uſque dum viribus attritis (ſiquidem miſer nec liquida ferè nec ſolida aſſumere potuerit amplius) vigeſimo die fatis ceſſit.

Scholium.) Veriſſimum eſſe quod Hippocrates Sect. 5. aphoriſm. 2. effatur: *ἐπὶ τρώματι σπασμὸς ἐπιγινόμενος θανάσιμον*, præſentibus etiam hiſtoriis evincitur, in quarum utraque mirari ſubit nervorum tendinumque, qui horum quaſi compigmentum ſunt, mutuam conſpirationem, equidem de muſculis temporalibus conſtat, ipſa tamen ratio contrariæ actionis in hoc potiſſimùm conſiſtere videtur, quod ob fibrarum parili officio deſtinatarum ex unâ parte læſionem graviorem, indeque in actione ſubſequentem quietem, quæ ſunt ex parte oppoſitâ, ſeſe vehementius ſtringere videantur: nec verò hic ſubſiſtit ſpaſmodicus motus, quin continuatâ fibrarum nervearum tendinoſarumque vehementi contractione, partes aliæ ſenſim prehenduntur, cujus quidem cauſa ibi ſanguinis grumuli potuerunt eſſe, cum ichoris flavi idoneâ quantitate fibræ ductus nerveos circa baſin tandem laceſſentes, heic verò haud dubiè membranarum tendinumque ductus nervei inciſi, ſuum fortè calculum adjiciente inſuper puris acrioris in profundo ſtagnantis copiâ, & ſi ulteriùs pergere liceat, veriſimile ſit, quemadmodum ex levi puncturâ fibræ nerveę cujuſcunque animalculi, fortem corrugationem ſubvenire animadvertimus, in ejuſcemodi partium læſione, ſive jam cæſim ſive punctim illa fiat, fibrillas muſculares violenter adeò contorqueri, ut non rarò obrigeſcant, ſimilique motu continuato, totum corpus in damnum conjiciant, quibus ſuſtentandis haud parum conducit, concitata ſpiritus animalis ὁρμὴ, quam hinc ſubſiſtentem, virium attritio, tandemque mors neceſſariò ſubſequitur. Cerebri motus olim pluribus ſuſpectus fuit, ideò enim cranio membraniſque obvallatum credebatur, ut in quiete ſuo munere fungeretur, at pauciores ſunt hodie, qui ipſum inficiantur: Dolor pulſitans qui atrocis ſæpe cephalalgiæ comes eſt, arteriis equidem adſcribitur, talis verò exiſteret nunquam, niſi ſuccuſſis membranarum fibrillis, id ſpirituum ope ſubſequeretur, quod menti ejuſmodi dolorem concipiendi anſam ſuppeditat; perſuaſumque habemus, fibrillarum harum conſtrictionem quæ in doloribus capitis variis, aliiſque affectibus ceu gravedine, evidens eſt, non rarò magis ſpaſmodicam fieri poſſe, ut hinc cerebrum membranarum iſtarum & piæ præcisè ratione, motum obſcuriorem ineat, unde prorſus excuſari non poſſe arbitramur, qui eodem motui nimium ſuperſtruunt, dum ſomni & vigiliarum cauſas alii, alii ſpiritûs animalis commodiorem generationem inſuper inde deducunt: Clariſſ. Majovius lib. de ſpiritu Nitro-aëreo: Ad ſpiritus, inquit, nitro-aëreos in cerebrum copiâ ſatis amplâ deducendos, ſanguinis arterioſi affluxus per ſe ipſe ſufficere non videtur, quapropter probabile arbitror, Meningem craſſiorem cerebro circumdatam, pulſationem quandam obire, à quâ ſe contrahente, ſanguis ad cerebrum appulſus comprimitur, unde fit, quòd particulæ nitro-aëreæ ex maſſa cruoris exprimantur, inque cerebrum impellantur, haud multum abſimili ritu ac particulæ motivæ alteræ muſculorum conſtrictione, in partes motrices coguntur: At præterquam quòd piæ meningis motu, ceu quæ vaſa arterioſa potiſſimùm, horumque propagines ad cerebrum quod undiquaque inveſtit, tranſmittit, iſta expreſſio præcipuè fieri deberet, arteriolarum pulſus, earumque in glandulas corticales inoſculatio, pro cruoris neceſſarii ſuppeditatione ſufficere poſſe videtur, nec parum obſtat teneræ corticis ſtructura, cui ejuſmodi compreſſio, motui cordis reſpondens, facilè officeret: quin imo fibrillarum à ſpiritus nitro-aërei copioſâ expanſione, turgeſcentia, quæ iiſdem parciore numero præſentibus aliqualiter deficit, motum iſtum referre potis eſt. *Joh. Jacob. Harderus, in Obſervation. Anatomico-Practicis.*

Pulmonis vulnus ex gladii ictu.

Anno 1681. die 26. Junii, Gallus quidam nomine Landrin, carnoſus & robuſtus, gladiô ictus fuit, pone vertebras thoracis ſub ſcapulâ dextrâ. Chirurgus autem nonniſi ſequenti die accerſitus fuit, unde concidentibus vulneris inflicti labiis, ne gutta quidem ſanguinis effluxerat, thorace interim cum humero & ſcapula ad cubitum uſque intumeſcentibus, & ad attactum mollicellis ac ſpongioſis: dilatato hinc vulneri turundam à Chirurgo indi curavimus, quâ deinceps extractâ, ægro ſuper latus affectum tantiſper reclinato, ultra libram *j*. ſanguinis fluidi & grumoſi prorupiſſe vidimus: impetu hinc ejus coërcito, & turundâ deinceps inditâ, vulnerariis quâ reſolventibus, quâ blandè adſtringentibus & balſamicis certavimus: ſanguinis iſtud ex vulnere profluvium, ultra 14. dies duravit, ita ut ſingulis manè ad 6. 7. & 8. ℥. veſperi verò ad ℥v. erumperent: neque facilè tulit, ubi ſanguinis fluxum prorſus cohibere nitebamur, enimverò orthopnœâ gravi mox conflicta-

flictabatur, cruoriſvè impetus tantus quandoque evaſit, ut unundam cum emplaſtro à faſciis cedere coëgerit, eâ ſemel copiâ, ut mane ſeq. linteamina & ſtragula ſubjacentia ſanguinolenta penitus fuerint, ejuſvè veſtigia ſub fornace deprehenſa ſint, injectionibus, quas ex vulnerar. thoracicis Chirurgus paravit, hactenus parum contrà efficientibus: Intermedio autem tempore ſanguis erumpens variè habuit; poſt primum enim profluvium floridus ſanguis erupit, ſpumoſus & cum ſibilo: ſuccedentibus diebus ſeroſior magis & quandoque grumoſus, tandem autem merè aquoſus, grumis in thoracis cavo ſubſiſtentibus, qui dehinc injectionum balſamicarum & putredini reſiſtentium ope, cum fœtore educti ſunt: Febris quoque illis diebus ægrotum prehendit, ita ut cùm viribus polleret adhuc, in lecto ægrè detineretur, iiſdem autem fractis per pluſculos dies deliraret. Ceſſit tamen hæc ipſa medicamentorum uſu, emulſionum maximè & juleporum vulnerariorum, atque injectionum, quibus à ſtagnante corrupto ſanguine thorax mundatus fuit, oſculaque vulnerata tantiſper conſolidari ceperunt: Parato hinc decocto pectorali ex agglutinantibus & balſamicis, de quo manè & veſperi ℥iv. hauſit, Chirurgus vulneris mundificationi reliquum operæ impendit, pure laudabili ex illo ſtillante, primis quidem diebus ad ℥vii. & viii. tandem verò nonniſi ad ℥j. & infrà, cannula inde concinnata, quâ commodum, quicquid puris deinceps generaretur, expurgari queat, ægroque imperatâ exactiſſimâ diætâ, pill. ex diaphoret. joviali & extracto veron. commendatæ.

Scholium.) Elegenter Hipnocrat. in Coac. prænot. *ἀποθνήσκουσι δὲ μάλιστα ἐκ τῶν τρωμάτων ἢν τις ἐγκέφαλον τρωθῇ, ἢ ῥαχίτην μυελὸν, ἢ ἧπαρ ἢ φρένας, ἢ καρδίην ἢ κύστιν, ἢ φλέβα τῶν παχέων θνήσκει δὲ κὴν ἐς ἀρτηρίην καὶ πλεύμονα μεγάλαι σφόδρα αἱ πληγαὶ γένωνται, ὥστε τοῦ πλεύμονος πληγέντος, ἔλασσον προερχόμενον πνεῦμα κατὰ στόμα γίνεσθαι, ἢ τὸ ἔκπαλιν ἐκ τοῦ τρώματος.* Sunt certe, ſi quæ aliarum partium, periculoſa maximè pulmonis vulnera, enimvero, præterquam quòd à continuá aëris expanſione, in continuo motu eſt, unde ſanguinis effluxus in inſpiratione copioſius deprehenditur, medicamenta inſuper ad partem affectam, ſui ſubſtantiá omnia pariter non accedunt, imò ea textura partis eſt, quæ læſa agglutinari, minus reſtaurari, rariſſimè ſolet vel poteſt, quin ab extravaſante & prorumpente ſanguine, graviſſima ſymptomata ſuperveniant, virium præprimis prompta jactura, & febris acuta, ubi corrumpi ille & ſuppurari, ſuaque miaſmata communicando maſſam humoralem inficere, & à craſi ſua dejicere, imò vicinarum partium fibrillas irritare inſuper ceperit, ut phthiſin prætereamus, quæ etiam ſuperficiarium vulnus, ubi materia purulenta, minùs probè expurgata, veſiculas pulmonales ulteriùs arroſerit, excipere conſuevit: In Gallo iſthoc ſanguinis effuſio graviſſima fuit, ut dubium fuerit, an pulmones profundiore vulnere affecti non ſint, qualia ſanè incurabilia eſſe, ex allatis Coi verbis concludere poſſemus: quia nihilominus benedicente Deo, ex medicamentorum uſu paulatim convaleſcere cepit, ſuperficiarium illud magis fuiſſe tantiſper credemus, ad ſanguinem ſpumoſum & cum ſibilo erumpentem, minùs attenti, quàm ad venæ *ἀζύγου* ramulum, qui unà lædi graviùs potuit; Vulneratorumque vaſculorum oſcula, (quorum cruor, viâ primùm ob concidentia & ſubſidentia vulneris labra præcluſa, inſinuando ſe inter muſculorum interſtitia & ductus, humerum & thoracem ſpongiæ adinſtar tumefieri fecit) conſolidari cepiſſe credemus, nec tantam ejus copiam profundere potuiſſe, accedentibus reliquiis in pus laudabile dehinc converſis, unde cùm febris imminuta tum deliria ſublata fuerunt: Legi meretur de vulnere pectoris cum læſione Pulmonum Hiſtor. ab Excellent. Schultzio An. 3. Ephemerid. German. inſerta, quæ huic noſtræ non abſimilis eſt: enimverò invenit Chirurgus ſiniſtrum pulmonis lobum, profundè ſatis ſauciatum, cumque ægrum jam extra periculum verſari opinabatur, pluſculis diebus poſt per canaliculum plumbeum, ſaniei & ſanguinis cum liquidiore humore miſtæ aliquot libræ effluxerunt, vocatuſque præfatus Vir Clar. Decoct. pectoralibus aliiſvè ut & injectionibus ſanitati ipſum reſtituit: Aliud exemplum videre eſt, Ann. 1. Decur. 2. Ephemerid. Obſervat. 27. à Clariſſ. *Ledelio*, Medico Grünbergenſi communicatum: His fortè rariora, videre eſt apud Clariſſ. Fabrit. Hildanum Obſervat. Centur. 2. & 3. à Gregorio Horſtio & Abele Roſcio ipſi perſcripta, de pulmonis vulnerati portione abſciſsâ; cujuſmodi unam etiam apud Schenkium videre eſt, ex *Rolandi* Chirurg. lib. 3. cap. 23. deſumptam: Id hîc adjicere conſultum ducimus, à decoctis traumaticis & pectoralibus, in pectoris diverſis affectibus, egregium fructum hactenus nos percepiſſe, ut non immerito Excellent. *Wedelius*, Amicus & Collega honoratiſſ. culpet *Balduinum Ronſſeum* illa citra graviorum rationum momenta rejicientem atque contemnentem, ceu videre eſt lib. 1. ſect. 2. cap. 8. amœnitat. Mater. Med. *Idem ibidem.*

De Vulnere capitis.

Vulneratur in occipite vir aduſti temperamenti; nulla ſupervenerunt peſſima ſymptomata poſt inflictum vulnus, quod quidem non erat valdè magnum, nec fractura aderat in oſſe. In principio itaque nulla prava habuit accidentia, ſolummodò febris ſupervenit; vulnus interea uſque ad 30. diem morbi benè expurgabat ſaniem, & benè coloratum erat; circa hoc tempus æger emaciari cæpit, pus pejorabat in colore, & ſubſtantia; & creſcente ſenſim macie ac febri: circa 45. diem morbi gravi ſopore, cum levi mixtura delirii præhenſus uſque ad 50. diem ſoporoſus jacuit, quo mortuus eſt. Aperto cranio Hujus Viri obſervavimus quod univerſa ferè pars alba, ſeu medullaris cerebri erat putrida, marcida, & magnâ puris copiâ circumfuſa; è contra corticalis ſive cinerea cerebri ſubſtantia, integra nec ullo modo putrefacta obſervabatur. Mirum eſt, quod cùm medullaris cerebri pars inventa fuiſſet marcida, & putrefacta, æger tamen antecedenter paſſus non fuerit, nec convulſiones, nec deliria, nec magnas febres, ſed tantummodò levem ſoporem. *Ex communicatione Præclariſſim. Viri D. Georg. Baglivi Archiatri Pontificii, &c.*

De vulnere Perinæi ad labia ſe tartarizante.

Septuagenario cuidam Romæ extractus fuit calculus è veſica per inciſionem perinæi. Et quoniam affectibus calculoſis nimis obnoxius erat æger, obſervavit Chirurgus, quod ad labia vulneris perinæi ingens tartareæ, & calculoſæ materiæ copia ſupercreſcebat, & ut mederetur vulnus, oportebat eam ſpecillo abrodere, tanta erat ſupercreſcentis tartari copia: Ex hoc arguimus ſanguinem hujus ægri fuiſſe ingenter tartareum, & calculoſum. *Ex eodem.*

De vulneribus Capitis.

Vir 40. annorum capite leviter vulneratus, circa 35. morbi diem ferè ſanus erat, cùm ex improviſo 36. morbi die rigore totius corporis maximo præhenſus eſt, convulſionibus, & doloribus abdominis concuſſio-

concuſſionibus totius corporis: pallidus evaſit, pulſus parvi facti ſunt, deliravit: Et inde emaciari incipiens 40. die mortuus.

Aperto cadavere cerebrum leniter ſphacælatum invenimus in loco ubi fuit vulnus externè: Et circa hepar ac meſenterium inflammationem ac purulentiam deprehendimus. Pluries obſervavi, quod elapſis aliquot diebus ab inflicto vulnere in capite, ſuperveniant dolores ventris aut alicujus ex viſceribus, donec creſcente morbo ſuperveniant rigores, febres, & demum abſceſſus viſceribus, tandem mors. *Ex eodem.*

De fractura cranii, cute illæſa manente.

De caſu ex alto, cum fractura cranii ſine læſione cutis externæ obſervationem me legiſſe recordor apud *Joh. Helvigium obſervat.* 19. cui obſervationi eruditum, atque optimum Additamentum addidit Illuſtriſſimus Vir omni eruditionum genere inſtructus Patronus meus in æternum colendus Dn. Lucas Schrockius nunc Academiæ Leopoldinæ noſtræ digniſſimus Præſes; hîc ego Menſe Februarii hujus Anni 1695. Adoleſcentem vidi ligno in capite percuſſum ſine vulnere, pauca tamen apparente contuſione; qui poſt tres dies à percuſſione in ſævum capitis dolorem, ac febrem incidit. Aperta cute à Chirurgo fractum cranium apparuit, à qua fractura die ſeptima mortuus eſt; ſimiles autem obſervationes de cranio fracto, cute illæſa manente, mentionem faciunt, præter citat. Helvigium, Foreſtus, Greg. Horſtius, Fabr. Hildanus, Joh. Schenckius, & alii &c. *Ex communicatione Præclariſſ. Viri Dom. Joſephi Lanzoni.*

De Vulnere ſola aqua ſimplici curato.

Aquam ſimplicem ſiſtere ſanguinem colligitur ex libro Domini Joſephi Cignoci Chirurgi Celeberrimi Florentini Domini mei ſemper colendi comment. ad lib. Hippocrat. de Ulceribus pag. mihi 21. ex obſerv. 136. Miſcel. A. N. C. Decur. 2. Ann. 10. ex Joſeph. Zambeccaro in experiment. ex Dn. Caſpar. Bartholino Th. Fil. in exercitat. Miſcell. & ex Diariis eruditor. Romæ Ann. 1670. Verùm non ſolùm cruorem ſiſtere, ſed etiam vulnera ſanare poſſe aquam ſimplicem docet Philip. Palatius Med. Doct. in libro ſuo de Vera Methodo quibuſcunque vulneribus medendi cum aqua ſimplici; quod quidem nuper in quodam milite expertum fæliciter vidi; vulneratus enim hic miles fuit in brachio ſiniſtro, & ſolâ aquâ appoſitâ bis in die ſanatus ſine alio remedio eſt; diligenter enim vulnere deterſo linteolum aquâ madefactum apponebat, inde faſciâ ligabat; & hac arte curatio vulneris facta fuit: hinc de Famula mea, recordor in dextra manu vulnerata quæ vulnus ſuum brevi curavit, aquam ſimplicem adhibendo; *Ex eodem.*

De Vulnere in thorace, pure per urinam emiſſo, curato.

Dominus N. N. Annorum ætatis, 44. boni corporis habitûs vulneratus eſt in ſingulari certamine in parte ſiniſtra thoracis inter quartam, ac quintam coſtam. Vulnere judicato penetrante, ob maximam ſanguinis effuſionem, tuſſim moleſtam, ac febres maximas ſupervenientes, Chirurgus bis in die vulnus detergebat, ac ipſi medebatur ordinaria lege artis Pæoniæ, hinc undecima die non exiguam ſanguinis corrupti copiam cum urinâ excrevit, & ità pariter quotidie uſque ad 19. diem, minuendo ſemper tamen de die in diem materiam purulentam; febres ceſſavere, tuſſis, & reliqua ſymptomata: ſicque æger ſpatio. 27. dierum perfectè ſanus evaſit: hinc de alio milite recordor in Pectore vulnerato ab alio milite, qui puris materiam per urinæ vias tranſmiſit, & brevi convaluit; pariterque Pleuritide affectum vidi, ſanguinem, ac pus cum urinario ſero ſecernentem intrà 14. dies ſanum, ex quô patet vias aliquas eſſe, nobis adhuc ignotas, per quas Natura modò lapillos, modò pus, modò ſanguinem ad veſicam, à pectore, à Ventriculo, & aliis Viſceribus, demittat; quas vias incognitas nobis, futurâ ætas videbit, ac fortunati nepotes aperient; multa enim, ut cum *Seneca* loquar, adhuc in humano corpore reſtant detegenda, ſemperque reſtabunt; de hac autem re ſatis. *Ex eodem.*

Epilepſia capitis vulnere curata.

De Phalereo deplorato ob vomicæ morbum narrat *Plinius lib. 7. cap.* 50. & poſt eum *Nicol. Caſſinus in Polyhiſtor. Symbolic. lib.* 3. qui cùm mortem in acie quæreret ab inimicis, vulnerato pectore medicinam invenit ex hoſte; Sic enim ab inimicis ſæpè quam non ſperamus utilitatem capimus, unde egregiè *Caſſiodorus lib.* 4. *Variar. num.* 47. ait, homines lædere cupientes, beneficia frequenter impertire; Hinc juvenem noſco comitiali morbo laborantem, ad cujus curationem multa fuere, ſed fruſtrà tentata remedia, qui à milite fuit vulneratus in capite, cum cranii fractura inſigni, adeò ut proximus fuerit Morti; Aſt diligentis Chirurgi ope, Divina favente Clementia, poſt duos menſes ſanus evaſit, & quod notabile fuit, nec tempore curationis vulneris, nec poſt curationem unquam neque minimam epilepſiam paſſus eſt, nunc ſanus etiam vivit; Circa hanc rem quoque, me legiſſe recordor apud *Thom. Burnetum in Theſaur. medic. Practic. lib.* 3. de quodam nobili, qui poſt gravem de ſcalis lapſum, ob quem neceſſe fuit terebram cranio admovere, à comitiali morbo ſanus evaſit, ac nunquam ex eo malum percepit; & de Puella refert *Laz. Riverius*, quæ mediante pleuritide ab epilepſia liberata fuit. *Ex eodem.*

Ventriculus utrinque confoſſus.

Hîc Academia tota, totaque civitas juvenem vidit bene paſtum, enſeq; trajectum ad coſtar. cartil. 3. digitis infra xiphoïdem; pollicibus autem Octo intra reg. Epigaſtricam, ab hypochond. dextro in oppoſitum, quô gladii mucro egreſſus eſt.

Mox alimenta iterato vomitu rejecta ſunt cruore multo perfuſa; imò vomitione tertia atque quarta purus putus ſanguis affatim eructatus eſt, ad lypothym. uſque; & ſedes ipſæ ſanguineis grumis horrorem adſtantibus incuſſerunt.

Potionibus cardiacis atque vulnerariis æger refectus eſt, ſanguiſque repreſſus. Enematis deinceps è tereb. & ol. hyper. alvus eſt proluta, frequenter; V. Sectiones manu parca intercalando; diætâ verò ſeverè injunctâ è ſolis ovor. vitell. ſorbilib. aliàs cum Balſ. Peruv. aliàs autem cum balſ. ſulph. tereb. ac uſu ptiſ è rad. ſymphyt. maj. & fl. hyper. & quidem frequent. ſed ſorbillando, ne ventriculus expanderetur cruentè, ſed contractus maneret ad vulneris contiguas oras ſenſim agglutinandas, citra chyli recrementum irritans, ſed è diviſo vulnerum à d. & à S. ventriculi labia vitellis ovor. balſamicis delibata conglutinarentur, ut id ipſum intra tres hebdomadas votis noſtris aſperante Numine ſupremo, feliciter obtigit, juvene læto & vegeto patrios repetente Lares. *E Collegiis Viri Præclariſſ. Dom. Carol. Drelincurtii: communicante Excellentiſſ. D. Guyot.*

Vulnus pectoris itidem utrinque.

Famulus mihi fuit æt. 24. a. gladio triangulari tranſfoſſus

foſſus à papilla dextra in ſiniſtram citra vel hæmorrhag. vel febr. vel dyſpnœam inſignes. Conjeci pulmonum alas non eſſe niſi ad limbos unà cum Mediaſtino pertuſos: imò enſis apicem & angulos vaſa vel pulm. vel Mediaſt. ſanguinea, non ità luculenter attigiſſe ac intercoſtalia.

Exitus menti meæ reſpondit, nam diætâ tenuiſſimâ, vulnerariis aliquot juſculis, priſ. miſtutis, Enematis & V. S. priſtinæ ſanitati ita reſtitutus eſt ut uxorem duxerit, cujus primogenit. ſacro de fonte ſuſcepi. *Ex eôdem.*

Os capitis denudatum, aëre licet nigreſcens, tamen abſque viſibili lamellarum ſeparatione reſtitutum.

Oſſa capitis denudata & ab aëre denigrata non ſemper ſenſibiliter ſeparantur, aut lamellam, oſſeam expellunt, ut autumant auctores. Vir quidam ab equo in capite percuſſus, in terram tanquam mortuus cecidit: cum tanta alterius oſſis ſyncipitis denudatione, ut imperialis tegendo vix ſufficeret. Hæc oſſis denudatio in totum nigricabat, circulo excepto, qui cuti proximus ſtraminis latitudinem obtinebat. Hoc circulo albo de die in diem diminuto, patiens convaluit; ſine ulla viſibili oſſis ſeparatione, aut raſpatorii uſu, ſolo linteo carpto, partim ſicco, ut os denudatum tegeretur, partim ad proſpicienda vulneris labia digeſtivo & melle roſaceo illito. *Fredericus Ruyſchius in Obſervat. Anatomico-Chirurgic.*

Ex vulneratô vaſe lymphaticô, copioſus lymphæ affluxus peculiari arte inhibitus.

Multos Chirurgiæ tyrones tàm otioſos & circa nugas aſſiduè occupatos eſſe, dolendum eſt. Inter omnes, quæ diſcuntur artes, nulla eſt, quæ Chirurgiam antecellat. Aliorum artificum ſubjectum eſt, ferrum, lignum, lapides, &c. Chirurgorum verò corpus humanum, tàm affabrè à Deo ter opt. max. fabricatum, ut nemo vel ab ulla adhuc parte illud unquam ſatis perſpectum habuerit; eâque de cauſâ omnes, qui chirurgiæ operam dare decreverunt, perpetuò ſeſe exercere debent, non in fiſtulæ, plectri, aliorumve inſtrumentorum muſicorum luſu, uti inter ipſos nunc conſuetum eſt, ſed in rebus anatomicis: ſic in millenis occaſionibus non ſolum afflictis ſæpè opem ferrent, verùm etiam ſummos honores ſibi ipſis procurarent. Mirari quoque ſubit, nonnullos tam fatuos reperiri Chirurgos, qui non verentur profiteri, ſufficere Chirurgo rudem corporis humani ſcientiam, curioſiora Medicis relinquenda. Ex horum rudiori cohorte nuper quidam bubonem venereum apetuit ante perfectam maturitatem, (qua in re culpandus non erat, ſic enim & nos facere ſolemus) ſimul autem importunâ dextrâ ſuâ vas lymphaticum diſſecuit. Mirum dictu, quantum lymphæ ſingulis diebus è vulnere effluxerit! omnia linteamina continuè madefiebant. Tandem conſilii expers à me idem exquiſivit, neſciens unde tantum liquoris quotidie promanaret. Hic conſtabat neceſſarium eſſe Chirurgo corpus humanum omni curioſitate rimari, nec rudem ejus ſcientiam ei ſufficere, judicavi igitur ſplenia ex linteis complicatis eſſe applicanda, eademque arctè fibulâ (belgicè *een Geſpe*) comprimenda, ſperans fore, ut vaſa lymphatica perquæ lympha ab artubus inferioribus redux continuè ſurſum fluit, ita comprimerentur, ſicque lymphæ motus inhiberetur, quod tam ex voto ſucceſſit, ut ſequenti die æger ab hoc malo fuerit liberatus: interim Chirurgus buboni proſpicere poterat, ſine ullo obſtaculo aut relaxatione fibulæ, donec nulla amplius novi fluxus ſupereſſet formido. *Idem ibidem.*

Vulnus Thoracis penetrans, cum egreſſâ pulmonis portiunculâ, ſanatum.

Non ſolùm hepar, verùm etiam pulmo magnos quandoque perferre poteſt affectus, ſine vitæ diſpendio, modò ex arte tractentur. Famulus cujuſdam nautæ ſauciatus parte inferiore & anteriore Thoracis, ad ejus uſque cavum, Chirurgum vocari juſſit, qui viſâ particulâ pulmonis è vulnere expulsâ (quam pro omenti parte habuit) illicò vinculo fortiter totum, quod erat expulſum, ligavit, & me ſtatim in conſilium vocavit: Quum verò à me audiviſſet, vulnus eſſe inflictum non in abdominis ſed pectoris cavitatem, & eam, quæ eminebat & ab illo ligata erat, particulam, pulmonis eſſe portionem, obſtupuit. Rebus ita conſtitutis, ſuaſi vulnus ita eſſe relinquendum, & digeſtivo emplaſtroque deffenſivo ſingulis diebus ſemel ei eſſe proſpiciendum, donec particula pulmonis ligata eſſet emortua, & ſua ſponte decideret, ea ſpe ſuffultus, ut, qui ſub vinculo erat pulmo ipſo vulnere conſolidaretur: quod tam benè ſucceſſit, ut brevi poſt convaluerit æger. *Idem ibidem.*

Vulnus Orbitæ oculi lethale.

Vir quidam ante aliquot annos baculi extremo, non admodum acuto, vulnerabatur in oculi ſiniſtri orbita; quæ ſolutio, quantumvis illis qui curationi præerant videretur exigui momenti, tamen brevi poſt acceptum vulnus, obiit patiens. Nobiliſſimi Prætor & Scabini hujus urbis mihi & Chirurgis ordinariis injunxere, cadaveris apertionem mortis ſubitaneæ cauſam inveſtigandi ergo. Extrinſecè exiguam ecchymoſin in oculi parte ſuperiore invenimus, aſt verò ſuperiore cranii parte ſerrâ ademptâ, anguem in herba latere experti ſumus, vulnus enim cerebrum ipſum ſat profundè penetraverat; quod facillimè evenire poteſt eo loci, propter ſuperioris partis orbitæ tenuitatem, in multis enim chartam ſcriptoriam os ibi haud ſuperat, & præterea tam molle exiſtit, ut in multis ſolo digito perforaverim. Itaque vulnera orbitis oculorum inflicta non flocci facienda, præſertim ſi inſtrumenta, per quæ inferuntur, non ſint obtuſa, aut vulnerati fiant ſomnolenti, nauſeabundi, febricitantes, vertiginoſi, convulſi. *Idem ibidem.*

De vulnere horrendo brevi ac feliciter curato.

Mulier annor. circiter 25. ſtatura mediocris, toroſa ac obeſa, ſanguineæ conſtitutionis, indolis ad levitatem tam animi quàm corporis propenſæ, nutrix poſtremæ, anno fortaſſis ante parentum obitum natæ filiæ cujuſdam non infimæ ſortis viduæ, 18. Novembris anni præteriti 1692. tempore veſpertino, nubilo & obſcuro: oleum pro lampade allatum ad inſtitorem vicinum miſſa, pro more ſuo fugaci illuc avolat potiùs quàm currit, dumque re expeditâ citato curſu revolat, poſti aut palo (quodcumque dixeris ſtatumen illic terræ infixum ad arcendum ab ædium veſtibulo curruum ac equorum acceſſum, perinde eſt) alto ulnam Berolinenſem cum additamento duorum pollicum, craſſa quartum ulnæ cum dimidiâ partem, dum eundem, qui vitandum noverat non ſatis providè circumſpicit, pedem primum allidit: mox toto corpore prona ruens hypogaſtrium aut inguen potiùs allidit tanto tamque atroci impetu, ut illi ferendo impar, fiſſa cutis, eâque unâ cum pinguedine quæ illi iſtic copioſa, muſculis ac peritonæo perforatis, palus ipſum abdomen ſimul cum induſio, forte & tunicæ illâ parte, quæ has veſtierat ſubintrat, ac

vulnus ſpithamæ longitudinem excedens, tranſverſim à ſiniſtro ad dextrum uſque inguen abſque inſigni, quod mirum, dolore ac hæmorrhagiâ infligit. Illa corpore tandem reliquo ſive pondere ejus, ſive inteſtinorum & interiorum tunicarum lubricitate promovente in alterutrum latus devoluto in terram ſemianimis cadit, recollecto tamen mox ſpiritu, læſum dextrâ (ſiniſtrâ adhuc oleum ſervante) dum pertentat abdomen, quid rei geſtum exploratura, digitos inter indufii in vulnere adhuc hærentis plicaturas ipſum uſque in vulnus adeoque abdominis cavum inſerit, exterrita immenſum, indufium è vulnere cum parte adipis plicas inter hærente ac poſterâ demum die ex iis exemptâ, extrahit, manuque dum ægrè à terrâ ſurgit, hiatum, ne inteſtina, cum omento prolaberentur coarctans, domum quæ aliquot tantùm paſſibus diſſita inde, tardigrada nunc revertitur. Vocatus Chirurgus explorato priùs, quantum licebat, vulneris interno ac partium illic ſitarum, omenti nimirum & inteſtinorum ſtatu, cùm illis noxæ peculiaris illatum nil adverteret, vulnus quinque connectit fibulis ac de cætero pulvillis ac emplaſtris debitè obligat; defertur ad me res, ſed obligato jam, quod malè me habebat, vulnere, ut terrorum incommodis, & ſi quæ præterea à lacte turgente, ob ablactandam protinus alumnulam, aut aliàs à caſu iſto ac vulnere metuenda ſymptomata iis neceſſariis proſpicerem medicamentis. Hinc poſtero demum die cùm ſecunda vice deligaretur ac poſtea pluries oculis uſurpavi. Coaluit tamen, Deo Chirurgi induſtriam ſecundante, atque naturæ benignioris ope validè obſtetricante, duarum fortè aut trium ad ſummum ſeptimanarum ſpatio, in tantum ut obambulare, faſciis tamen adhuc ſubligata alvo, potuerit, nullo ſuccedente, quod curam aut ſpem turbaret, ſiniſtro ſymptomate, niſi quod tertiâ fortè nocte, ob ſternutationem fortiorem fibularum duarum nexus lacera cute ſolverentur, partibus tamen ſubjacentibus jam ex parte cohærentibus, ut facilè emplaſtris rurſus contrahi aliquatenus ac contineri potuerint labia vulneris paululum hiantia. Imò tandem plenè de cætero curata priſtina nunc obit, præter lactationem, munia, nec de quo quæratur habet, niſi quod, ut mox ab initio veritus præmonueram, nec tamen cùm primæ deligationi non adfuerim, præcavere potueram, quia peritonæum fibularum nexibus non fuit ſatis exactè implicitum, ideoque ejuſdem plenarius non ſucceſſerit coalitus, herniæ aliqualis ſe quædam jam prodant veſtigia, quorum cauſa ſubligaculo alvum poſthac firmare cogeretur, ſi plurima quæ aliàs metuenda evitare voluerit, incommoda. *Dn. D. Guſtavi Caſimiri Gahrliep. Miſcellaneor. Curioſorum Decur. 3. Ann. 1.*

Vulnus in medio Oeſophagi, ſeſqui annum patens.

Biennium ferè eſt, ex quo binorum in Germania militum temeritas linguæ pervenit ad gladios, petiit autem alterius jugulum alter, non plumbeo gladio, ſed ſtricto mucrone manu tam certa, ut ictum hoſtilem adverſarii acciperet Oeſophagus. Vulneratus, nullius experti Chirurgi opem implorat; ſed à medicaſtris decurrit ad veterinarios, inter luſcos oberrans & cœcos, donec vulnus coaleſcere dedignaretur. Hac æſtate Othiniam venit, noſtris adſcriptus militibus, ſed nondum obducta cicatrice; nec poterat conſolidari plaga, licet omnem moveret lapidem ſedulus Chirurgus. Ambo itaque ad me veniunt, audituri quid de hoc decernerem. Ubi totam hanc, ceu geſta erat, recenſuiſſet miles hiſtoriam, immitto in vulnus ſtylum, quem per patentes inter cutim & gulam mæandros liberè huc atque illuc vertere potui, ad tantum ſpatium, quantum Imperialis occupaſſet Thalerus. Ex his cuniculis præmonitus, dixi liberrimè, illum ex vulnere nunquam poſſe convaleſcere, antequam expurgatum fuiſſet iſtud augiæ ſtabulum. Incidimus itaque ſcalprô Chirurgicô vulnus hocce, & unciâ latum, duplo majus reddidimus; mox autem patuit, in fundo, mali fomes, fungus ſcilicet, ex ipſo excreſcens Oeſophagô, unde, tanquam è ſpongiâ, exudabat nocivus latex. Hunc ubi juſtò rigidiùs tractaſſet Chirurgus, vocatis in auxilium, mercurio præcipitato, & unguento Ægyptiaco, ſaucium propè propiùs jugulâſſet: ſuaſi ergo, ut ſolo alumine uſto, Apoſtolorum immixto unguento, refractarium commitigaret thyrſum; quô evaneſcente auſpicatò, cicatrice perbellè ſolideſcebat diutiſſimè valvatum vulnus. *D. Georgii Hannæi, Ephemerid. Germanic. Decur. 2. Ann. 8.*

De Glande Sclopeto emiſſa pulmonis lobum alterum cum Oeſophago perforante, cui natura felicem medelam paravit.

Juvenis robuſtus 22. annos natus, temperamento calido & humido, cùm in Pedemontio pro Deo ſtrenuè pugnaret, ultimo conflictûs die, qui erat 14. 24. Aprilis 1686. à milite Gallo glande in ipſum è ſclopeto emiſsâ à tergo circa 10. & 11. Thoracis vertebram vulneratus, concidit. Vulneri hæmorrhagiâ nullâ ſuperveniente, ſcalpello id fuit ampliatum, at præter expectationem, neque glans, neque ſanguis prodiit, hanc cùm jubente Chirurgo æger tuſſiendo expellere conaretur, nil niſi oryzæ, cujus cochlearia aliquot in prandio aſſumpſerat, grana aliquot expulit, quibus viſis, Chirurgus impoſito vulneri emplaſtro, ægrum velut moribundum reliquit; ac occluſum id fuit, atque æger præter omnium expectationem brevi convaluit, tantâſque in carcere, pane licet & aquâ nutritus, recuperavit vires, ut menſe Februario 1687. immenſo urgente frigore per altiſſimas nives horridum cum fidelibus aliis in Helvetiam ſuſceperit & feliciſſimè ſuperaverit iter: Hinc quævis ruſtica munia alacriter obiit, uſque dum ſub finem menſis Septembris vindemiantem & aliquot dierum ſpatio onera ſolito graviora humeris geſtantem, primò ſpirandi difficultas prehenderit, cui brevi febris continua acuta ſupervenit, urgentibus ſiti, oris amarore, deliriis, vigiliis, dolore capitis & pectoris. Septimo demum morbi die, qui erat 1. Octobris, ad ægrum vocatus fuit Clariſſim. D. D. Veſtenius, cujus exteriora frigebant, interiora urebantur, pulſu exiſtente dicroto, oculiſque tumentibus; convenientibus adhibitis remediis, prædicta ſymptomata intra biduum ſaltem non penitùs evanuerant: rectè enim ratiocinabatur æger, interdiu vigilabat, noctu dormiebat, oblata alimenta ſolus abſque ullius adſtantis miniſterio aſſumebat, ſitis mitior erat, dolor capitis atque oculorum rubor evanuerant; ſola pectoris anguſtia in eodem perſiſtebat, dum tandem circa veſperam d. 7. Octobris novus ſubortus rigor cùm ſubſequentibus ſymptomatibus quàm anteà gravioribus (irritis medicamentis quibuſcunque) vires ſenſim fregerit, ut h. 7. veſpert. Octobr. piè in Domino expiraverit. Cadaver intolerabiliter penè fœtens in dorſo, brachiorum & pedum poſterioribus admodum livebat, anterioribus & latere utroque maculis hinc inde conſitis, omentum intus computruerat, lien tumebat cum duritie & livore, hepar hinc inde livebat, in pulmonis lobo dextro externa & anterior quidem facies, maculis liventibus plurimis erat conſperſa, at interior & poſterior tota livebat: lobus ſiniſter pleuræ, diaphragmati & mediaſtino circum quaque erat adnatus, ut non niſi magna vi avelli potuerit; duorum ſupra hujus apicem digitorum

ſpatio in ipſa pulmonis ſubſtantia hærebat glans plumbea pendens ℥iiß quam natura propriâ unicâ inveſtierat. Vulnus exteriùs cicatrice, interiùs adnato pulmone erat occluſum, quo avulſo vulneris locum conſpicere facillimum erat: at de vulnere Oeſophagi, veſtigium nuſquam apparebat. *Joh. Jacob. Harder. Ephemerid. Germanicar. Decur.* 2. *Annô* 10.

Vulnus abdominis ac inteſtinorum ſanatum.

Annô Domini 1691. Juliô menſe, poſt aſpera inter duos ſatellites Regios verba, alter vulnus accepit, in abdomine pauló ſuprà umbilicum in urbe Scotiæ nomine *Dalkeith*, ubi hiemabat tum Satellitum cohors; cùm deficerent Medici Chirurgique, patientem ipſe adii, cumque vulnus exploratoriô inſtrumentô diligentiùs examinâſſem, inteſtinum Colon perforatum comperiebam. Tum de vulneratô conclamatum eſſe pronunciavi, ne tamen omnis inops auxilii lumen clauderet, enema injici curavi, quod ſubitò cum magnâ ſanguinis copiâ rejectum eſt. Die proxime ſubſequenti Domin. de Graves, cohortis ſupremus Chirurgus, cum Dominô Baily, Practico Celebre rimô, ægrum viſitabant, idemque mecum de inteſtini perforatione ſentiebant, ac hominem brevi moriturum aſſeverabant. Attamen vulnus ordinario Chirurgo vulgari methodo curandum committebatur. Per quinque dies ſanguinem alvô dejiciebat ſatis copioſum, vulnere autem parum. Die ſexta cùm omnis ſuppr imeretur hæmorrhagia, immensùm tumebat abdomen, intenſiſſimaque febris ægrum urebat, verum cùm præmemoratus Dominus de Graves digitum in vicem in vulnus indidiſſet, indeque ſeptem ad octo ſanguinis fætidiſſimi libras exhauſiſſet, omnia remittebant ſymptomata, brevique æger ſanatus eſt. Juvenis ille erat robuſtus, animi intrepidi, diætam ita religiosè obſervans, ut per integrum menſem nihil niſi aliquot juſculi ac vini Canarini cochlearia ſubinde deglutierit; poſteaque dimidium tantùm pullum gallinaceum aſſatum unâ vice comederit. Vulnus autem cùm jam ad cicatricem perduceretur, Juvenis, ante vires ſatis redintegratas, ſibi nimium præfidens, equum conſcendit, parentesque, quindecim præter propter ab urbe milliaribus degentes, inviſit: In ipsâ viâ, colicâ vehementiſſimâ corripitur, quæ in utriuſque inguinis herniam terminabatur. Utrum hæc hernia ſanguinis putidi reliquiis in abdomine reſtitantibus, ac per ſucceſſiones inter equitandum commotis, originem ſuam debeat, non ita facile eſt pronunciare: Homo tamen ſubligaculô aptô cinctus commodè ac hilariter vivit. *Ex communicatione amicâ Excellentiſſ. Domini Felice Medicinæ Doctoris, &c.*

Vulnus Thoracis cum pulmonis læſione, ſclopeto inflictum, feliciter curatum.

Clariſſ. Joh. Mauricii Hoffmanni. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. I.

Caupo in pago milliaris unius ſpatio hinc diſtante *Oberferrieden* dicto, cùm ad Nundinos anniverſarios Neagorenſes, Menſe Auguſto Anni ſupra millesimum ſexcenteſimum, nonageſimum ſecundum tendiſſet, in viâ à latrone glandis ſclopetariæ mediocris ictu dorſum trajectus, atque pulmonis lateris dextri lobus non procul ab extremo perforatus fuit, unde is in terram proſtratus per horulæ ſpatium ſemianimis decubuit, donec à ruſticis ſupervenientibus in currum elevatus domum adveheretur. Per celeres equos ego cum Chirurgo in auxilium vocatus, vulneratum inviſo ad mortem ſe præparantem, & non niſi luctuoſa ob omnimodam virium jacturam ad cœlos mittentem; vulnus inſpiciendum exploro, atque ſanguinem ſpumoſum emanantem, ſed & illo dilatato ſub inſpiratione pulmonis appropinquantis lobum læſum eſſe video, dum æger ſpiritum difficulter ducere poterat, partim ob ſanguinem extravaſatum thoracis cavo collectum, hujuſque læſionem factam, partim ob glandem plumbeam ceſſante ictûs robore inde haud egreſſam, ſed diaphragmati juxta coſtarum ſpuriarum anteriorem ambitum, (ceu dolor & pondus gravativum ibi moleſtum innuere nobis videbatur) aliquantum intruſam. Ante omnia igitur virium defectui conſulturus, ægro Julapium propinavi ex Aq. plantag. rubi Idæi, veronic. Chærefol. ceraſ. nigror. cinam. fl. cordial. & ſyrup pap. errat. corticumque citri confectum, ſanguinis autem extravaſati coagulo reſolvendo & reſpirationi relevandæ, pulvere ex antimonio diaphoretic. ocul. cancr. præpar. ſpermat. Ceti & ſpec. diair. uſit. atque cordialibus temperatis idonea proportione mixtis concinnato, per vices dato proſpexi, dum interea ſimul Chirurgus muneris ſui partes peractu rus digeſtivum ejuſcemodi vulneri adaptatum cum turundâ immiſit, atque balneatori ejus loci ut ſubſequente nocte vulnerato adſtaret curâ commiſsâ, mecum Altdorffium rediit. Altero die, ad vulneratum denuò parato itinere brevi, eundem meliùs pauló habere lætatus ſum, huic ad ulteriorem opem ferendam me accingens apozema traumatico-pectorale bis quotidie calidè bibendum obtuli, manè autem jejuno ventriculo balſam. ſulphuris aniſati gt. xv. ad xx. cum juſculo aſſumendas præcepi; ad ſitim coërcendam, febremque præſentem mitigandam, decoctum C. C. crud. raſpat. Rad. Scorzoner. Chinæ, Sarſæparillæ, ſem. fœnicul. baccar. alkek. caric. ping. & liquiritiæ raſæ pro lubitu hauriendum conceſſi, & cum hoc ipſo ad vigilias demulcendas, emulſiones ex ſeminibus 4. frigidis majoribus, papav. alb. card. bened. & aliquot amygdalis dulc. rec. excorticatis elici volui; interea vulnus à Chirurgo ſedulò & peritè porrò tractabatur, dum pro materiâ cruento-purulentâ thoracis detergendâ juvandâque pulmonis conſolidatione decoctum ſequens tepidè per ſyphonem bis quotidie injici juſſi. ♃. Rad. plantag. ℥vj. conſolid. maj. ariſtoloch. rot. veræ, an. ℥ij. Herb. agrimoniæ, Veronic. hyperic. alchimill. aa. mß. roſmarin. Pij. flor. roſ. rubr. prunell. an P. j. Myrrh. ℈ij. Hordei Mj. inciſa & contuſa Ms. & coq. in Aq. ſ. q. ad ℔jß. Colaturæ adde Mell. roſac. ℥ij. Balſami vulnerarii ℥iß. Ms. ad uſum. Externè thorax tali Linimento calidè inungebatur: ♃. Unguenti pectoral. rubr. potabilis aa. ℨß. anodyn. ol. lumbric. terreſtr. hyperic. aa. ℥j. terebinthin. deſtill. ℈ß. ſuccin. deſtill. gr. vj. Miſc. mox eidem pro fomento, dein impoſitis ſacculis ex chærefol. agrimon. veronic. Salv. fl. chamœmel. melilot. roſar. rubr. repletis, interpaſſatis, vino ferventi priùs immerſis dein expreſſis. Poſt hæc repurgato ſatis vulnere, omiſsâ injectione cum turundâ inditur ſeq. Unguentum: ♃. Unguent. de betonic. balſami vulnerarii noſtratis aa. ℨiß. Mell. roſac. ℨiij. Miſc. Atque ſic vulnus ex voto conſolidatum fuit, & caupo adhuc bene valet, niſi quòd reſpirationem, haud prorſus, uti antehac, liberam experiatur.

Vulnus abdominis graviſſimum curatum.

Clariſſ. Joh. Victoris Jager Schmidt. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. II.

Ruſticus quidam in pago *Hauſſen* territorii Ulmenſis cùm

cùm in horreo de fœnili laberetur, incidit in furculam *Einem heulicher mit Welchen man pflegt das Heu heraus zu reiſſen*, quæ prope ſcrotum in inguina, tam altè penetraverat, ut mucro cum unco eidemque annexo ſtilo ad umbilicum uſque pertingeret, duo Chirurgi accerſiti; qua ratione mucronem, ob unci impedimentum, atque repugnantiam retrahere poſſint, neſcientes, conſilium de illius exciſione ineunt; inciſionem ergo à ſcroto uſque ad umbilicum, ut prope illum uncum extrahere poſſint, inſtituunt, à qua magna hæmorrhagia, nullis fere remediis ſtypticis, etiam totis pileis combuſtis, auſcultans, ſubſecuta. Patiente interim animam ferè cum ſanguine effundente. Subſequente die alius accerſitur Chirurgus, qui inſpecto vulnere maximè perterritus, audaciam prædictorum Chirurgorum in inciſione tam magnâ faciendâ ſatis ſuperque demirari nequiverat, linteis abſtergit pileis combuſtis ſparſum, totumque nigricans vulnus, hæmorrhagiâ ſtypticis idoneis ſedatâ, inteſtiniſque blandè introactis, deligabat vulnus & adhibitis convenientibus remediis tandem priſtinæ ſanitati illum reſtituit.

Vulnus abdominis trajiciens per ſclopetum minus inflictum, feliciter curatum.

Clariſſ. Criſtophori Horchii, Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 3.

Die undecimo Decembris 1693. horâ meridianâ Excubitorum quidam Magiſter, Nobilis de Sclichting, cui, buccinatorem aulicum, ob commiſſum quoddam facinus, inermem facere ac carceri demandare imperatum erat, à jam dicto buccinatore, homine deſperato, globo trium drachmarum pondus ſuperante, ſclopeto minori, quod Germanis *eine Sack Piſthole* audit, inflicto trajiciebatur, hinc ſemimortuus ad excubantium ſtationem magnam portabatur.

Juſſu Sereniſſimi Noſtri, ſtatim accerſitus ego, vulnus inflictum cavum abdominis intrans reperi, quàm proximè ſub cartilagine enſiformi dextro à latere, & quamvis omnem adhiberem diligentiam ad detegendum introitum, tamen nec turundâ, nec ſpecillo intrare licebat, tam ob impoſſibilitatem, quàm ſingultum convulſivum ſupervenientem, quapropter turundâ tantùm breviori digeſtivoque illitâ deligavi.

Cùm autem ex oppoſito circa ſpinam dorſi globi exitum inquirerem, ecce illum digitis meis ſe præbentem, & profundè ſatis intra muſculos dorſi deliteſcentem, pollicis circiter unius latitudine infra coſtam ultimam, ejuſdemque diſtantiæ iſtius lateris, dextri ſcilicet, à ſpinâ, quem eo ipſo momento inciſione denudabam & forcipe eruebam; ſed nec hic ad cavum intrare permittebatur, non obſtante omni diligentiâ, & omni poſitu corporis obſervatô. Incidebam tamen & denudabam cavitatem intra muſculos ſurſum verſus, quantùm poteram, ſpe reperiendi introitum.

Mox à vulnere inflicto aderat vomitus ferè continuus, pulveris combuſti pyrii odorem ſpirans, qui continuabat ad mediam noctem, horâ quintâ pomeridianâ jam ſtupebant oculi, & adſtantes dignoſcere nequibat ſauciatus, naſus, pedes, manus, malæque frigore rigeſcebant, & dolore ac ardore ſummo ventriculi ſe excruciari continuò exclamabat, omnia reddebat per vomitum cruentum aſſumpta medicamenta, & conclamatum jam videbatur de eo.

Poſtquam autem omni diligentiâ adhibitâ, frictionibus linteamentorum calidorum corpus calefacere, oleoque roſarum, chamom. hyperic. lumbricorum cum ſpirit. camphorat. commixti abdomen & ſpinam illinere, ſacculiſque ex herbis aromaticis cum vino coctis fomentare curaveram, mediâ nocte jam præterlapsâ, primam nunc medicinam retinebat & acquieſcebat parum cum terrore tamen perpetuò.

Inſequenti die ſymptomata ceſſare aliquantò videbantur, vulneris anterioris faciem & circumferentiam lividam ſummeque contuſam in formam ſtellæ incidebam, & linteamenta induſii combuſta per integumenta abdominis adacta, (nam proximus ſtetit vulnerato, ita ut attingeret illum ſclopeto) eximebam, turundam tamen ad fundum vulneris perducere non licebat abſque inſequenti ſingultu ſatis valido & periculoſo, quapropter ſolis globulis ex linteis contortis, & digeſtivo ad hoc apto perlitis, laxè tantummodò deligavi. Dorſi vulneris inciſionem parumper inſequutus ſum; ſpe detegendi tranſitum in cavum; juxta leges enim Chirurgiæ ſummè neceſſariam judicabam hujus detectionem, quò ſanguis extravaſatus in abdomine contentus foras eliminari quiret, ſed irrita omnia. Hac cum deligatione continuavi ad nonum uſque diem; poſtquam per vices etiam ex dorſi vulnere linteamenta nigra combuſta ſatis dignoſcenda altiùs protraxiſſem; ſtatim poſt aſſumtum cibum ſolidum excitabatur vomitus, alvus erat conſtipata, cui clyſteribus proſpiciebatur, aſſumta tamen paucitate juſculorum ac ſæpe repetitis vicibus, adhibitis cæteris medicamentis neceſſariis, vires jam in totum deperditæ aliquantùm reviviſcebant.

Nono autem die eſcharæ vulnerum nunc ſeparatæ cùm conſpicerentur, tenſio ſe præbebat ſatis manifeſta inguinis ſiniſtri cum dolore acutiſſimo, febre accidentali ex pulſu citatiſſimo ſitique continuâ inaugeſcente, vomituque ſæpe reiterato, hæc tenſio etiam abſceſſum jam perfectum ferè mentiebatur, ita, ut non ampliùs dubitarent mecum de extravaſato & collecto in cavo abdominis cruore pureque, cæteri Sereniſſimi Noſtri Electoris Medici ac Chirurgi: Dum verò de hujus tumoris, qui pugni ferè magnitudinem referebat, apertura tempeſtiva & puris collecti in abdomine emiſſione conſultabatur, en! Cum magna admiratione & contra omnem expectationem vidimus intra paucas horas tumorem diminutum, totumque poſt aliquot dies linimentis emollientibus & ſacculis ex herbis diſcutientibus diſcuſſum evanuiſſe, nullis tamen metaſtaſi aut criticis dejectionibus obſervatis. Quo brevis ſim, Æger hic noſter omnem præter ſpem intra ſatis breve tempus feliciter reconvaluit, & adhucdum plenâ ſanitate gaudet.

(*Scholion.*) Quis unquam crediſſet aut ſperaſſet, hujus trajectionis adeò fauſtum & felicem exitum, dum ex continuatione vomitûs, ſtatim ab ictu cum ſingultu concomitato, de ventriculi læſione graviori nullus dubitaret, quin imò dum ipſa vomitio pulveris pyrii accenſi dolorem ſpirabat: Ex eventu autem ventriculi convexitatem ſuperiorem, quæ eſt inter ambo orificia à globo contactam & læſam, (unde ardor ventriculi, vomitus & ſingultus facillimè deducenda) nec diaphragmatis partem poſteriorem carnoſam, & quidem ſuperficiem ejus abdomen ſpectantem intactam & immunem fuiſſe, mihi ratione ſitûs perſuadeo. Separatione itaque partium contuſarum ventriculi & diaphragmatis factâ, horum vulnera nunc recentia ſe invicem attingendo inoſculata ſunt, & ex longo ſupinoque decubitu tandem coaluerunt. Humores ex ſauciatis tubulis extravaſati inguen ſeu fundum petebant, quoniam autem pauca eorum fuit quantitas, & omni aëri externo acceſſus denegatus, nec fermentari nec putreſceri pote-

poterant, & neſcio quò tandem deſedit tumor. De linteamentorum combuſtorum, induſii nempe, penetratione per corpus hîc ſuperſedere licet. Sic effectus Naturæ varii.

Vulnus manûs dextræ periculoſum, curatum.

Clariſſ. Georgii Franci de Frankenau. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 4.

J. G. Bolermann Scriniarius Vitembergæ, vir xxx. circiter annos natus A. *1691.* hieme atrociter gladio vulnerabatur infra metacarpum in dorſo manûs dextræ, ut ferè per medium ſcinderetur, cum læſione vaſorum ſanguiferorum & nerveorum. A Chirurgo Elvers vulnus conſolidatur, verùm poſtea materia ſanioſa intercus totam occupabat manum cum immenſo tumore ac dolore, ut opus fuerit extus in metacarpo, ac intra pollicem & indicem perforare ad pus educendum. Poſt 3. menſes ad me acceſſit, manus erat curva, ad labores prorſus inepta, digiti enim erant rigidi, nec eos ſponte movere poterat, quippe in minimo nec ſenſus, nec motus; in annulari immobili ſenſus erat obtuſus, medius & index levem habebant ſenſum, ceteri ferè immobiles. Dixi ſpem exiguam aut nullam ſupereſſe: Juſſi tamen ſæpiùs in canes vivos recenſque diſſectos (antea verò idem in canibus primò ſtrangulatis fruſtra tentarat) manum immitteret, præcipuè circa cor, donec agonizarent, quæ res ipſi optimè ceſſit. Interea quoque balſamo utebatur meo polychreſto, quo manum ſæpius ungebat, ita ut poſt paucas hebdomadas & ſenſum recuperaret & motum omnium digitorum, ſi minimum exceperis, priſtinum tamen robur nunquam adquiſivit. Vidi olim idem remedium optimè convenilſe Dn. Kellero, Chori Muſici Elect. Magiſtro & organoedo perquam artificioſo. Ille Heidelberga Manhemium evocabatur, cùm verò circa Ladenburgum ad Nicri oram obequitaret, littus ſubtus excavatum decidebat, ipſe verò cum equo præceps dabatur, non ſine ſubmerſionis periculo; inde brachium fregit, quod equidem curabatur, ſed motu admodum imminuto, quem tamen correxit ſæpiùs immiſſo in recens mactata animalia varia brachio; quare macellum frequentabat diligentiſſimè, & priſtinam inde recuperavit ſanitatem.

Vulnus capitis magnum, ſine magnis accidentibus.

Clariſſ. Samuelis Grasſii. Miſcel. Curioſ. Decur. *iij. Ann.* 4.

Vulnera capitis etiam minima, propter metuendorum ſyndromen accidentium, periculoſa eſſe, vel quilibet in praxi verſatus fatebitur lubens; profundiora verò, in cavitatem cranii, & quidem, cum fracturâ penetrantia, periculoſiſſima ſi non lethalia eſſe, pauci negabunt, experientiâ teſte quotidianâ. Non deſunt tamen exempla enormium capitis vulnerum ſine ullis, vel ſaltim levioribus accidentibus curatorum, quod non incommodè miracula dixeris Medica, inter quod ſequens adduxiſſe hac vice ſufficiat: Mercator quidem Ebræus è Volihniâ oriundus, hic cùm Uratiſlaviam tenderetur in confiniis Sileſiæ, ob rixas ſubortas ſecuri percutitur obtuſâ in ſiniſtro capitis latere circa ſuturam coronalem & ſagittalem cum fracturâ cranii; Pro more gentis leviter deligatus parumperque refectus; altero die iter Uratiſlaviam inſtituit, meumque implorat auxilium. Aſcito Chirurgo ſatis perito, vulnus examinatum deprehenditur cranium inſigni fracturâ penetraſſe, cranii laminis tam exterioribus quàm interioribus exitum minantibus. Nulla interim febris nullum delirium, nullus ſopor, nulla alia accidentia ægrum infeſtabant, præter dolorem, quem ſomnum interrumpere ægerrimè ferebat. Cæterùm ſat bene comedebat, vulnus quoque legitimo modo deligatum, poſt unam vel alteram ſeptimanam, jam contractis labiis, conſolidationem meditabatur, cùm levis inquietudo caloique præternaturalis, inſomnium turbaret noctem. Hinc puris quantitatem meningibus ſuper incumbere ratus, jubeo ægrum compreſſis naribus & ore, ſpiritum continere, ubi per fracturam optime cocti puris ad minimum unciæ duæ emanarunt, non ſine ſtupore. Indies hoc modo excrevit inſignem poſtmodum puris copiam, dum nullo ampliùs eodem exeunte, vulnus exemtis cranii laminis, ſolidatum fuit. Admiranda in hâc Opella eſt naturæ benignitas, cùm aliàs vel paucæ guttæ puris meningibus ſuperincumbentes, febrem cauſentur inflammatoriam, mortemque accelerent, nec deſint exempla, vel extrinſecus ſaltim in ſuturis, coronali ſagittalique læſos, ob conſenſum membranarum, phreniticâ diem obiiſſe inſaniâ. Practicis inſuper relinquo doctioribus perpendendum, annon in pari vulnere & fracturâ cranii (dummodò mente fuerit conſtans æger) conſultius fuerit uti tali per ſufflationem puris evacuatione quàm infidâ & periculo pleniſſimâ trepanatione, quam pro pure membranis cerebri non læſi ſuperincumbente, evacuando, in fracturis cranii ut plurimum nimis officioſam & lethalem, raro utilem; pro pure verò intra ventriculos cerebri vel ipſam ſubſtantiam contento, everrendo, planè inutilem, plerumque eventu dubio inſtitutam, judicare non erubeſco, amplâ munitus experientiâ.

Vulnus digiti, cum evulſo nervo.

Clariſſ. Joh. Werneri Zolleri. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 5. & 6.

Anno *1696.* Chirurgus quidam, Vir juvenis ex Algoia cum jumento empto, domum petens, illud ex funiculo tenui, circa carpum vel metacarpum & digitum indicem dextræ manus probè alligatum ducebat. Præteriens villam quandam acclamabat illum Ruſticus, ex quo jumentum in fugam actum, Chirurgum præcipitavit in terram. Hic omni modo manum de funiculo extricare ſtudens, hanc quidem quoad carpum liberavit, at digitum tam ociſſime à ligaturâ evolvere non potuit, inde factum eſt, ut rabido jumenti conamine, digitus circa medium articulum è manu fuerit evulſus, & quod planè ſtupendum, ac omnem quaſi fidem ſuperat, truncus major nervi cubitalis, majorem chordam æquans, ultra dimidiæ ulnæ magnitudinem digito adhærens, ſimul extractus. Hinc avulſam ſibi totam eſſe manum, vel cubitum præ terrore clamitavit. Ad ſe rediens verò, non minore percellebatur mœrore, quando appenſum nervum digito, funiculo adhuc alligatum invenit, indeque functionibus Chirurgicis inhabilem ſe factum veritus eſt. Sed ecce! dum tentaret manûs & digitorum paululum explorare reſiduum robur, deprehendit ab omni ſtupore aut paralyſi manum eſſe immunem, motum verò & ſenſum planè expeditos & integros. Domum redux, noſtri Chirurgi aulici implorat opem, qui & ipſe ſtupendum miratus caſum, & conſpicatus truncum, me vocat, ego verò altiùs indagans in appendiculæ hujus naturam & eſſentiam, nil niſi veriſſimum eſſe nervum

vum deprehendere potui. Refragarunt quidem Thomiſticâ fide, aliqui magni nominis Medici, etiamſi viderent, non poſſe credere; ſed quam primùm appenſam digito chordam viderunt & perluſtrarunt; crediderunt, remque ſtupendam judicarunt.

Vulnus horrendum & hactenus inauditum.

Clariſſ. Guſtavi Caſimiri Gahrliep. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Decuriæ Ephemeridum tertiæ Anno primo Obſ. 85. vulnus horrendum palo abdomini inflictum Curioſis communicavi, nunc aliud multò magis abominandum dabo, integram nimirum in unâ perſonâ vitæ humanæ tragædiam. Catharina Schultzen 43. circiter annorum, Schwerini, in Metropoli Ducatûs, Megapolitani nata, Georgio de Ayen, locum tenenti, ut vocant, in exercitu Brandeburgico nupta, cui in obſidione Fortalitii Namurcenſis ante annos quinque & quod excurrit, globus tormenti majoris, caput præcedenti die amputaverat, in caſtris præ foribus tugurii ſtans, inopinato necis mariti nuntio, terrore ſimul & moerore immani perculſa, ac mente ferè mota, dum tremulis & ceſpitantibus greſſibus tentorium ſubire tentat, lipothymiâ correpta cadit, ac abdomen, gemino fœtu jam ferè maturo immenſum turgens, Saxo, crepidine latâ ſimulque acutâ, è ſolo eminenti, foribus proximè adjacenti violentiſſimè impingit, ſicque tenſas abdominis tunicas ſub umbilico ab uno Ilium latere ad alterum tranſverſim findit, adeò, ut cum inteſtinis & utero ſimul rupto gemelli prœmaturè excuterentur. (narrata ex ore ipſius patientis refero, fidem ferè nonnullorum ſuperantia) Ex lipothymiâ aut Syncope potiùs ab accurrentibus difficulter ſatis tandem excitata, inteſtina cum utero rupto & gemellis in alveum colligere, ac linteis & pulvinaribus fovere coacta, donec vehiculo, cùm in caſtris obſtetrice deſtituta, ritè tractari aut debitè curari non poſſet, impoſita, in urbem 8. leucas inde diſſitam, Mechelen dictam, delata, & à Gemellis illis abortivis quatuordecim dies ſuperviventibus, & ſecundinâ per obſtetricem liberata, ulteriùs Antverpiam in noſocomium quod illic celeberrimum eſt, tranſlata fuit. Iſtic à Medicis & Chirurgis noſocomii, ut & Religioſis mulierculis clinicis, diu ſolicitè curata & tractata, ac quoniam inteſtina, quæ initio non ſatis circumſpectè & ordinatè collecta & alveo impoſita fuerant, hinc valde; motu fortaſſis periſtaltico illorum ad confuſionem quoque aliquid contribuente, intricata & contorta, commodè explicari, extricari & in alveum alvi jam tractu temporis ex parte utrinque coaleſcentem, ordine juſto reponi non poſſent, hinc variis iiſque calidis fomentorum generibus adhibitis refota, tamdiu donec omentum primò, poſt & Ilii pars, (ſuſpicor extrema, coeco & coli valvulæ proxima, quia corporis adhuc nutritio ſuperſtes) computruit, dilacerata & à colo ac reliquâ inteſtinorum parte ſeparata fuit. Unde omnia ciborum & digeſtorum, poſt ſeparatum chylum, reliqua recrementa, quæ hactenus, tranſitu ad ordinaria emunctoria præcluſo, regurgitarant, & per os nonniſi ſummis & tremendis moleſtiis & angoribus, nonnunquam & convulſionibus horrendis excernenda fuerant, ſanatis utrinque & ad umbilicum uſque ferè coadunatis rupturæ illius immanis & ſtupendæ labiis, ac cicatrice digitos minimùm duos ad tres uſque tranſverſos latâ, obductis, relicto ſub ipſo umbilico tres circiter digitos tranſverſos longo hiatu, per quem inteſtini illud dictum extremum, proximè ipſi internè appendens, contenta ſua poſthac exoneravit. Quare ne illa fortè intempeſtivè, unà cum inteſtini prædicto illo extremo, & parte reliquorum ex aperturâ hâc, & continuò elaberentur, faſciis initio & pulvillis vulnus illud hians, præſertim ſi ſurgere aut ambulare cogeretur coërcere tentarunt. Verùm ne ſic quidem ſatis tutam præſtiterunt: Quin non unâ ipſi vice major illorum pars inter ambulandum exciderit, & maximâ cum difficultate ac periculo vitæ rurſus intrudenda fuerit. Adeò ut decurtandâ illâ inteſtini prolabentis parte Medicos inter & Chirurgos actum, ac terminus illi operationi peragendæ jam præſtitutus, imò medicamentum narcoticum ægræ, illâ tamen in quem finem ignorante, ſopiendæ propinandum, in promtu jam eſſet, atque dubio procul propinatum fuiſſet, niſi ejus ſcopum Diſcipulus illud apportans prodidiſſet, quare ab ægra hoc reſciſcente recuſatum. Divinâ tandem nunquam ſatis, ipſi præſertim depredicandâ Providentiâ, opportunè accidit; ut Præſul Cœnobii proximè Noſocomio adjacentis, illâ ipsâ die, cujus ſequenti manè peragenda fuerat operatio, Româ à Jubilæo reverſus, ac à Medicorum illorum uno ſalutatus, caſum hunc admirandum & deteſtandum conſilium de curtandâ inteſtini & auferendâ ejus parte ex illo audiens, ſummoperè hoc diſſuaſerit, ipſeque ægram cum Medico illo ſequenti manè inviſerit, ac explorato calamitoſo illius ſtatu, ſimulque vulneris conditione & ſitu, de inſtrumento, exactè quadrante pro inteſtinis intra abdomen cohibendis ac coërcendis, ſimulque excrementis per extremum illorum elabentibus aptè recipiendis, idoneo & portatili cogitare cœperit. Id quod facto priùs è gypſo modulo, alvi & vulneris ſitui ac figuræ accuratè convenienti, juxta moduli illius formam ex orichalco fieri curavit vaſculum. Quo corpori arctè alligato & loris diverſis firmato, ut loco moveri nequeat, ægra ambulare, licet ægrè & non ſine moleſtiâ potuit. Hac ratione quadantenus reſtituta, quod religionem mutare detrectaret, noſocomio eliminata, reditum in patriam tentans è Brabantiâ in Hollandiam, indeque Hamburgum, illac huc tandem venit inops opis & conſilii, & ut inopiæ remedium aliquod inveniret, proborum quorundam ſuaſu Medicinæ curioſo Dn. D. Johanni Schockroitz miſeriam ſuam detegit, cujus interventu à Collegio Regio Medico duobus Collegii membris; Mihi Vice-Decano ac Domino Doctori Johanni Pancovio Collegii Secretario, negotium datur, unà cum prædicto Interceſſore, ac duobus Chirurgis, Johanne Sigero & Johanne Chriſtophoro Martini, illam viſere & in ſtatum illius inquirere, quo facto & exploratâ ejus calamitate, teſtimonium à Collegio impetravit, cujus beneficio piorum plurimorum obtentis eleemoſynis & ſubſidiis, vitam nunc hîc licèt ſatis, ob incommoda illius vulneris inſanabilis innumera, ut pote per quod non modò ciborum & potûs recrementa, ſed & ſuo tempore Menſtrua, tam rubra quàm alba, non ſine inſigni moleſtiâ & interdum etiam doloribus & angoribus vehementibus, (exputorato nunc penitus tam renum quàm veſicæ, ut & uteri vaginæ illius officio, excernenda ſunt; unde, ſi quando extremum illud Ilii foramini appendens craſſamentis ciborum digeſtorum obturatur, Ileum adhuc quoque nonnunquam patitur calamitoſum) oppidò miſeram, interim aliquatenus tolerabilem trahit.

Vaſculum ſuperiùs memoratum, quod excipiendis fluentibus jugiter, præſertim ſub diſtributionis Chyli tempore, ſordibus dicatum, rotundum eſt, capſulæ, quibus magna documentorum publicorum ſigilla includuntur, ad inſtar ferè fabrefactum, ſpithamam aut paulò plus latum, quatuor circiter digitos tranſverſos amplum, anteriori quâ ventrem reſpicit, parte, paulum concavum, externè convexum: Concava illius pars initio corio, ne metallum cutem frigore aut aliàs læderet, munita; poſtquam autem id

ob-

ob continuum madorem brevi computruit, linteum aliquoties duplicatum ſæpiuſque mutandum corio ſubſtitutum fuit. Externè quatuor anſis validis inſtructum, quibus lora annecti poſſint, applicando firmiter & arctiùs aſtringendo dicto vaſculo apta. In concavæ ſuperficiei parte ſuperiori, foramen eſt triquetrum, cujus baſis pollices tres tranverſos lata, ipſi abdominis hiatui ſub umbilico, ut hunc ſimul capiat, exactiſſimè applicandum, ad recipiendas ex inteſtini extremo & alvo fœces cujuſcunque generis, donec vaſculum ad marginem uſque foraminis plenum, quod toties rurſus per alterum in adverſâ convexâ parte factum foramen ejuſdem formæ & capacitatis, operculo, ne quid excidere inopportunè poſſit, exactè clauſum, ſuo tempore deplendum, quod ipſum de die aliquoties, non niſi inſigni moleſtiâ, corpore antrorſum valde protracto, & unius robuſti aut duorum ope ſuſtentato fieri poteſt ac debet. Unde ut tardiùs impleatur ac tantę moleſtiæ compendium fiat, rarò, ut ait, prandet, ſed cœnâ ſolâ & potu modico contenta ut plurimum eſſe cogitur, ſic enim citiùs quàm par eſt, per inteſtina diffluit & importunè effluit. Nocte tota ſupina cubare tenetur, quo cloacam illam portatilem tantiſper, per ſe ponere & commodiùs quieſcere poſſit, illo quippe corporis poſitu, cibus totam fere noctem in ventriculo moratur, & ſeriùs ac ut plurimum manè demum, applicatâ rurſus illâ latrinâ, corpore erecto elabitur. Si quando meliorum defectu flatulenta comederit, miſerè torquetur; hunc ipſi omnia eſculenta talia cane pejus aut angue vitanda. Id tandem prętereundum non eſt, nullum in exerementis ex Ilii extremo foras elabentibus fœtorem ſtercoreum aut putridum fuiſſe animadverſum.

Vulneris in cantho oculi exilis, ſingularia ſymptomata.

Clariſſ. Eliæ Camerarii. Ephemer. German. Centur. 3. *&* 4.

Non interni tantùm occultique morbi paradoxa phœnomena, captumque non rarò excellentium etiam Medicorum tranſcendentia exhibent, ſed & externæ atque in oculos occurrentes machinæ humanæ læſiones, eæque ſatis interdum exiles, nec noſtrâ adeò intentione dignæ primo obtutu viſæ, ea poſt ſe trahere ſymptomata videas, quæ nec expectare hinc, nec metuere circumſpectiores etiam Practici ſuſtnnuiſſent. Exemplum nuper Juvenis effati hujus manifeſtum dedit, quod, cùm, exilitatem vulneris ſpectes, vix attendendum memorandumque videatur, ipſa tamen ſymptomatum ſingulari perplexitate, aliquem hîc mereri locum ſuo quidem jure cenſendum ſit. Ætas illi eſt annorum 24. Vitæ genus venatorium, Parente quippe venatore nato. Hic inter jurgia liteſque cum militibus natas initio Martii hujus 1712. an. in cantho ſiniſtri oculi interno punctim læditur. Ipſa in ſe læſio conſpicua ſatis ac dolorifica, ac ſimul obſcura omnino incertaque fuit: exiguum conſpiciebatur vulnuſculum, in confinio palpebræ ſuperioris ita inflictum ut ferè videri queat in oſſe, palpebrâ vix læsâ, ſtatim terminatum, vel ſaltim haud adeò profundè penetrans, quod vel reſidua cicatriculæ exilitas confirmat, quin & ipſe gladii cuſpis incurvatus, ſi quidem certi eſſemus, eum in ipſo demum ictu eſſe incurvatum: at reclamat ferè ipſa ſymptomatum ſubſecutorum gravitas atque ſingularitas, vel ſaltim gravibus eos implicat difficultatibus, qui ſpecialiores malorum in obortorum inveſtigare cauſas allaborant. Ingens in principio dolor, tumorque haud levis ſecutus, qui cùm ſenſim cederet remediis, haud adeò terrebat graviter, ac quidem ſocium ſymptoma & gravius & ſingularius, paralyſis ſcilicet oppoſiti dextrive lateris (nihil enim tale ſiniſtro acciderat) non brachium modò læſit, ſed & latus proin totum amiſerat vim movendi, quæ tamen ita ſenſim ſenſimque, & quoſdam quaſi per gradus reſtituta eſt, ut circa finem Aprilis (cùm Medicam demum poſtularet opem) valuerit rurſus, modô tamem operosô, movere lateris illius artus, at ſine vivaci ſenſu, aut vigore ullo, quin potius omnia illius lateris emortua videbantur, torpida, ſtupidaque; ita quidem ut ne frontis propriæ integumenta vim ſentiendi vel ſe percipiendi retinerent; oculo tamen dextro primùm quoque afflicto, mox tamen rectiſſimè valente, niſi quòd priſtinum exactiſſimi visûs (quali pollere venatores ſolent) acumen ſibi haud ſupereſſe, nec ſe priſtinâ ſcopum ἀκριβείᾳ vel perſpicere vel ſclopo exploſo ferire, conquereretur. Siniſtrum latus, cui inflictum erat vulnuſculum, optimè valet, exceptô oculô læſô qui mox omnem videndi, luminiſve perſpiciendi facultatem penitus amiſit, nec ullum hactenus veſtigium ejus, quibuſcunque etiam adhibitis remediis, potuit recuperare, cùm tamen ſerenitate ſua ac nitore ſaniſſimo etiam oculo nil quicquam concedat, niſi quòd pupillis tantillò amplior quàm aliàs erat, conſpiciatur. Cùm dolor, tumorque & inflammatio ceſſaſſent, comperit ſuperioris palpebræ abolitum eſſe motum, neque eam ampliùs elevare, oculumque denudare poterat: dehinc verò ſenſim multo crebroque conatu adhibito, ſub alterius menſis finem attollere eam ad dimidium ferè ſpatium didicit, vix altiùs adducendam. Sub finem Junii Thermas adit Ferinas, ſaluberrimum ſyſtemati nervorum atque admirabilem fontem, jam quidem ita reſtitutus, ut qui primùm planè non poterat incedere, nunc rurſus pedibus eò iter, lentum tamen ingreſſus ſit: ſic enim cum latere dextro eſt comparatum, ut moveatur quidem, ſed cum moleſtia inſigni, omniſque motus & promotio actuum fiat cum multo conatu ac labore quodam. Evenit inde, ut promtè ſatis in plano exactè Horizontali incedebat, ad omnes verò viæ eminentias allidens, perpetuò ceſpitet, dexter tamen oculus pleniſſimè acumini ſuo reſtitutus eſt, non modò adhibitis hactenus remediis, ſed incrementa viſûs manifeſta ſe obtinuiſſe gloriatur æger, uno nunc oculo acutiùs cernente, quàm binis priùs conceſſum erat, eoque ipſo ſcopum feliciùs ipſo feriente. Perſtat tamen & ſiniſtri atque inutilis nunc oculi nitor ac pulcerrima ſeneritas. Memoria autem hominis admodum imminuta deprehenditur, adeò ut eorum, quæ vel aliquoties ipſi inculcata fuerint, mox iterum obliviſcatur. Nolim gravis eſſe curioſis multo de phœnomenis ratiocinio, vel conjecturis potiùs: malim ab iis doceri, qui tam exile vulnuſculum tam gravem & in oppoſito quidem latere, effectum poſt ſe traxerit, læſo latere præter id, quod oculo accidit palpebræque, immuni. Cur nitor vigorque oculi perſtet, quem nulli ampliùs radii afficiunt efficaciter, & qui vulnuſculum incertæ profunditatis in cantho interno prope nares inflictum, hanc guttæ ſerenæ ſpeciem, palpebræque reſolutionem efficere valuerit; cur denique dexter oculus primùm debilior, majores dehinc vires auctioremque videndi aciem acquiſiverit, cùm aliàs unô occulô læſô facile in conſenſum trahatur alter, debiliorque reddatur. Quanquam haud diffitendum, utriuſque paſſim exempla obſervari haud adeò infrequenter, ratione phœnomeni adeò variantis haud æquè patente.

Præclariſſimi Joh. Baptiſtæ Fantoni, Regiæ Celſitudinis Victorii Amedei ſecundi Sabaudiæ Ducis &c. Medici & Bibliothecarii, obſervationes Anatomico-Medicas

dicus, notis à Celeberrimô Joh. Fantonô illius Filiô, illuſtratus ac auctus in alterâ Bibliothecæ noſtræ Medico-Practicæ editione, exhibebimus, eaſque omnes ſub propriis de quibus agunt morbis, trademus. Hic quatuor tantum quæ ad caput de vulneribus pertinent, recenſere contenti.

Cor Vulneratum.

I. APeriebamus Militis Cadaver, cujus in Thoracem altè inflictum vulnus fuerat. Peracutus ac tenuis gladius ſternum perforaverat, vulnere leviter attingente ſiniſtrum Cordis ventriculum, & in dextrum penetrante. Vixerat 17. dies, ſingulîſque ferè diebus libra ſanguinis è vulnere educebatur. Nihil interea ſanguinis, aut puris repertum eſt in Pericardio; tantùm labes aliqua Cordis apparuit; & in ventriculis Polypi continebantur. Hoc inſuper meminimus, quòd cubare dextrorsùm Miles non poterat.

Scholium.

II. In quacunque parte Cor leviter vulneretur, concipi ſatis poteſt, quomodò in diaſtole vix ullus ſanguis valeat per exiguum vulnus egredi, quia ſtatim Cor contrahitur. Sed evidens eſt, quòd per quodcunque datum vulnus debet in ſyſtole ſanguis effluere. Effluet autem magis ſi vulnus ſit in cono, quàm in medio parietum, & in medio parietum magis, quàm lateraliter in baſi.

III. Quoniam enim in ſyſtole Cordis omnis caro ejus inflatur, & unius lateris paries nititur in parietem alterius lateris: ex hoc mutuo niſu fit, ut ſanguinis motus in neutrum ex oppoſitis parietibus determinetur; nam quilibet paries rationem habet potentiæ, & reſiſtentiæ. Et quia Cordis machina ad conicum tubum reducitur, ità in contractione ejus ſanguis recipit directionem motûs versùs utrumque extremum; Sed inferius extremum impervium eſt; itaque directio omnis ad ſuperius convertitur.

IV. Modò ſupponamus Cor in apice vulnerari; Erit igitur Cor in utroque extremo pervium; ideòque effluet etiam ſanguis ex inferioris extremi orificio, ſeu vulnere juxta proportionem vulneris, & æquali proportionaliter velocitate; quâ per ſuperius extremum naturaliter pervium emittitur.

V. Hinc patet, quòd vulnerato uno Cordis pariete circa medium, minor, quàm à vulnerato cono ſanguinis effluet quantitas: quia in contractione Cordis directio motûs ſanguinis fit versùs duo Cordis extrema propter mutuum niſum parietum: eademque ſervatur directio, perforato pariete, ex quo fluere ſpeciatim poteſt liquidi portio, prout à parte parietis oppoſitâ parieti vulnerato truditur; nam ubi vulnus eſt, ibi deeſt potentia liquidum impellens, & reſiſtentia adversùs impetum illius, quod truditur à parte alterius parietis oppoſitâ vulneri.

VI. Denique ſupponamus, Cordis baſim lateraliter vulnerari: quia Cordis caro ad baſim gracileſcit, ibique ampli ſunt ventriculi; igitur, in ſyſtole, contractio carnis, quæ circa baſim eſt, minorem vim habet: proptereà parem nequit impetum ſanguini imprimere, ut trajici per datum vulnus vehementer, & copioſè valeat. Accedit quòd ſanguis protruſus à totâ mole carneâ Cordis versùs baſis centrum, infringit impetum ſanguinis, qui nititur in locum vulneris lateralem; unde exigua tantùm quantitas liquoris, & cum minori impetu per vulnus egrederetur, quia totus ſanguis recipit directionem motûs à cono versùs mediam baſim directè ad vaſa.

VII. In caſu enarrato non ſolùm vulnus ad Cordis baſim, ſed ad angulum, qui eſt inter Septum & ſiniſtri parietem ventriculi, ſupponitur; Conſtat enim ex Narratione, quòd vulnus leviter ſiniſtrum ventriculum attigerat; Ex quo fit, quòd in ſyſtole caro parietis, & caro ſepti, quæ angulum efformant, invicem accedant ob utriuſque turgentiam; efficiantque anguſtius vulneris orificium; unde hâc etiam de causâ minori copiâ, & impetu effluit ſanguis è vulnere versùs baſim Cordis in caſu expoſito, quàm ad medium, & apicem ejus efflueret.

VIII. Cùm ad diem uſque decimam ſeptimam vulneratus Miles vitam perduxerit, & libra ſanguinis diebus ferè ſingulis è vulnere educeretur: cùmque ad parcius alimentum attendamus, quod vulneratis ſolet imperati, perſpicere ſatis poſſumus, minùs ex vulneris vi, quàm quia exſanguis jam penè eſſet, Hominem periiſſe. Unde colligimus, non adeò mortiferas eſſe ſimplices Cordis læſiones, ut Priſci ſtatuerunt: neque omninò incredibile illud eſſe, quod de cicatrice Cordis ex veteri vulnuſculo in Cadaveribus deprehensâ Scriptores quidam memoriæ tradiderunt.

IX. Sed cùm de ſaucio Pericardio, & Corde conſtiterit; deque quotidianâ ſanguinis ad eam menſuram rejectione; quòd nihil ſanguinis, nihilque puris in Pericardii cavitate repertum ſit, incredibile videtur. Tamen animadverto, vulnus fuiſſe in ſiniſtram Sterni partem inflictum oportere: alioquin ingredi gladii cuſpis vel leviſſimè in ſiniſtrum, & poſteà trajecto Cordis ſepto in dextrum ventriculum minimè potuiſſet; hæc enim manifeſta eſt obliquè ferientis gladii directio. Rursùs obſervo, ut ex Hiſtoriâ conſtat, quòd ad dextrum cubare latus minimè Ægrotanti licebat; Igitur ad aſſiduo in ſiniſtrum decubitu factam fuiſſe conjicio Pericardii cùm Cordis membranâ cohæſionem: quemadmodùm accidere in vulneribus Ventrium nonnunquam ſcimus, ut vel Omentum, vel Inteſtinum, vel Pulmo, cùm Peritonæo, aut Pleurâ coaleſcat. Hoc poſito, defluentem in cavitatem Pericardii modicum primò ſanguinem, permiſtumque cum ejus lymphâ, & ab eâ dilutum vacuari jacente Ægro ad ſauciam partem potuiſſe, deindeque coalitum membranarum fuiſſe ſubſequutum, concipio.

Diaphragmatis & Jecoris vulnus. Copia incorrupti ſanguinis in cavitate Abdominis. Bilis in Cyſtide nulla.

I. Militi inflictum fuit vulnus ad octavam dextri lateris coſtam. Toto morbi decurſu vix febriebat. Calor mitiſſimus erat: ſpiratio non admodùm difficilis. Die vj. vermes vomuit; factoque pulſu formicante mortuus eſt die vij.

II. Cadaveris aggredimur Sectionem. Trajectum gladio Diaphragma, altèque vulneratum Jecur deprehendimus; cùm enormi effuſione incorrupti ſanguinis in cavitate Abdominis: omninòque vacuam Bilis Veſiculam.

Scholium.

III. Quoniam extra vaſa effuſus ſanguis moram facere in vulnerato viſcere vix poterat, ſed aſſiduè in Ventrem percolabatur: ideò calor remiſſus, & leviſſima febris veriſimiliter aderat; Solet enim ardor ſummus, & liquidorum tumultus excitari, cùm retentus in vulnere ſanguis alteratur atque corrumpitur, ejuſque portio recirculantibus liquidis continenter permiſcetur. Servari autem in tanto Ventris ſpatio incorruptum ſanguinem poſſe, non adeò mirum

eſt. Sæpiùs idipſum accidiſſe, ſcimus. Corruptio longè facilior eſt in coacervato ſanguine, quàm diffuſo, & fluctuante: in anguſto & obſeſſo loco, quam libero, & amplo. Notum illud eſt Avicennæ monitum, viſcida nempe ſuppurantia eſſe adhibenda, viſcida, inquam, ut omni aditu intercluſo, in ipſiſſimo loco, ne latiùs vagetur, humor cohibeatur, unoque motu inteſtino, & corruptivo tacitè perturbetur, non alio motu, qui eum invertere valeat, exagitetur, aut diffluat.

IV. Sed ne peculiarem quidem cauſam ſilebo, cur dierum ſeptem ſpatio ſanguini extra venas corruptio nulla acciderit. Conjecturam liberè venditabo, quoniam hic non infrequens Philoſophorum ſermo eſt. Sanguis ille qui totus ferè è vulnerato Jecore emanarat, compoſitus prælertim erat ex ſanguine ramorum Venæ cavæ, & ſanguine Portæ. Hic bilem ſeſe jam extricantem, exerentemque aculeos continet, ut ex Anatomicis noſtris conſtat: ille verò in caſu expoſito inſignem adhuc copiam bilis retinebat; quandoquidem vacua prorſus fellea Cyſtis reperta eſt, internæ ſecretionis ex Viſceris vulnere, & intemperie indicium. Itaque potuit in Ventre diffuſus ſanguis ſine corruptelâ ſervari, quia ex retentæ bilis copiâ amaricans. Valere autem amaritiem bilis adverſùs coagulum, atque putredinem, Medici non pauci opinantur. Hinc ejuſdem penuria in viis cibariis anſam dediſſe Vermium generationi videretur, niſi obſtaret inteſtinalium lumbricorum in inteſtinis minimè familiaris productio. Culparem potiùs certam illam, inſolentemque caliditatem Stomacho, & Inteſtinis à ſanguine extra venas illatam: Qui fomes, ni fallor, excludendis lumbricorum ovulis aptiſſimus extitit.

V. Quanquam verò Diaphragma vulnere affectum eſſet, ſpirandi difficultas non maxima contigit; nam & illæſus erat Pulmo, & quæ copioſum ſanguinem cavitas excepit, non ea fuit Pectoris, ſed infimi Ventris cavitas: non tam ex plagâ Reſpiratorii Organi, quàm Jecoris. Pulſum quidem oportebat ſenſim fieri minorem, factâ gradatim minori copiâ ſanguinis in venis: donec tam minima eſſet, ut eliciendis ſpiritibus, animandoque Cordi, implendis arteriis impar formicationem potiùs, quàm pulſum excitaret.

Pericardii, & Cordis Vulnus. Multum puris in Pericardio.

I. Miles gladio læſus in regione Cordis Taurinum transferri è Sabaudiæ Oppido curavit. Aſſiduus Cordis tremor, & frequens lipothymia non levem conjecturam vulnerati Cordis faciebant. Tres interim dies & viginti vivitavit: quæ quidem diuturnior tolerantia infirmare metum ſaucii viſceris videbatur. Magno itaque ſtudio ventum eſt ad Cadaveris Inſpectionem.

II. Occurrit primò Pericardii ſuperiore parte læſo, eoque diſſecto, inſignis copia albicantis puris emanavit, jamque exteriores Cordis fibræ putreſcebant. Sed ad ipſum Cor ictus pervenerat, leviſſiméque in dextram cavitatem penetraverat.

Scholium.

III. Hic ea ſunt repetenda, quæ in Scholio xvij. Obſervationis expoſuimus. Adde, quòd gladii cuſpis vix attigit Cordis ventriculum; unde guttatim emanans ſanguis magnâ copiâ congeri in Pericardio niſi ad multum temporis ſpatium minimè poterat: quâ de causâ potuit ſerior mors vulnerato contingere. Qui porrò ſanguis in Capſulâ colligebatur, partim à ventriculo prodibat, partim à carneo pariete Cordis; Aliquis etiam è Pericardii plagâ veriſimiliter in cavitatem defluebat. Sic in putridam degeneravit materiam, à quâ ſenſim exterioribus Cordis fibris putredo inducebatur; Hinc etiam eruitur tremuli Cordis, & lipothymiæ, quæ non una fuit in ipſo vulnere, cauſa; Si enim tam ſenſilis erat in ambitu Cordis, fibriſque ejus carneis alteratio, tantaque acredo, atque corruptio cumulati cruoris in Pericardio, fieri vix poterat, quin ſpaſmodici motus in muſculo Cordis, ſummèque turbati, & inæquales, unde tremor ejus, & languor, excitarentur. Quod ajunt, & nos ipſi meminimus, aliquandò proritato ſic Corde nequaquam has ſequi mutationes, petratum illud eſt; Nihil enim nobis obſervandum accidit frequentius, quàm perturbatio motionum Cordis levi de causâ, aut multiplici ſtimulo vellicati. Patet in Sectione Brutorum. Carnem Cordis, vel calido afflatu, vel frigidæ inſperſione, vel acris liquoris contactu, vel cuſpide acûs ſtimulatam, crebrò, inæqualiter, vehementer contrahi, convellique, animadvertimus.

Cerebri vulnus. Nullus in eo ſanguis effuſus.

I. Vir ſtrenuus ad pugnam cum altero venerat. Hunc tereti, acutoque inſtrumento ferit ad internum oculi angulum. In cute vulnus quaſi phlebotomo factum relinquitur. Heu miſer! confeſtim vertiginoſus cadit. Chirurgum advocant, qui attonitus hæret, levem plagulam dum cernit, viderque jacentem Ægrum, delirantem audit. Explorat ſtylo: parvitas vulneris prohibet; hinc primo, ut vocant, apparatu conſulit Patienti ſuo; Quidquid evenerit, præſtò eſt Chirurgus, dum is in Noſocomium traducitur. Ibi res pejùs cadit; Æger delirio fremit. Vena aperitur ſemel, iterùmque. Convulſiones delirio ſuccedunt, membraque ſpaſmodicis motibus exagitantur. Die xiv. convulſus moritur.

II. Accerſit me Capitis Sectioni Chirurgus. Oculus ab inſtrumento abraſus, tumiduſque apparuit, quod Orbitæ laminam, ipſumque Cerebrum penetraverat. Mirum verò, quòd ne gutta quidem ſanguinis extra vaſa reperiretur.

Scholium.

III. Quicunque Capitis Oſteologiam callet, minimè mirabitur, ex inflicto in Orbitam ictu facilè Cerebrum offendi potuiſſe; parùm quippe obſtat tenuis concameratio Orbitæ. Vertigo, deſipientia, convulſio Cerebri, & membranarum ejus læſionem haud rarò ſequuntur. Quòd verò non ante quartam diem ſupra decimam Homo perierit, cauſa forſaſsè non minima fuit in vulnerato Cerebro modica ſanguinis effuſio, aut, ſicuti ex Diſſectione conſtat, ad ſenſum nulla; Quod ego quidem arbitror de effuſione in Cerebro, non circa membranas, intelligendum eſſe.

IV. Accidit mihi aliquandò, ut conico cuſpide chalybei ſtyli digitum ſiniſtræ manûs meæ incautè, altèque ferirem: tamen retracto ſtylo ne gutta quidem ſanguinis erupit. Fimbrias ſic ego putavi invicem fuiſſe coaptatas, ut cruoris guttulæ minorem obicem in fibris, & vaſculis ad circulationem, quàm ad effluxum in plagulâ invenerint. Neque aliter conjecerim in vulnuſculo Cerebri accidere potuiſſe. Intereà, ut ego torquebar ex incruento digito meo, potuit hic pariter vulneratus ex analogo Cerebri ictu ſine hæmorrhagiâ dolere primùm, hinc convelli, inſanire, ac tandem mori. Ea eſt humani Capitis, ea Cerebri, & nervorum conditio, ut ex magnâ, & evidenti læſione interdùm convaleſcant Ægri, minimâ moriantur, aut diu, graviterque crucientur. Noveram ego Militem, qui ad internum Oculi angulum ex acuto gladio vulnus receperat.

ceperat. Incidit in viſûs imbecillitatem; & (quod mirabile eſt) in levem, conſtantemque Hemiplegiam; ſic ad multos annos inertem vitam perduxit.

V. Ad noſtram, quod pertinet Hiſtoriam, mirari ſatis nequeo, quòd ex minima læſione, imò levi tantùm perforatione Cerebri, quæ percipi ſenſibus vix poterat, quæque non effuſionem ſanguinis, non purulentam materiam, non corruptionem ſubſtantiæ induxerat, ſtatim excitata fuerit Vertigo, prolapſus Æger, idemque inſanierit, & perierit convulſus. Quare iterùm dicamus, nihil in Chirurgiâ fallacius, nihil inſolentius, quàm Capitis, Cerebrique læſiones accidere. Meminimus in Obſerv. noſtrâ IX. notabilis fracturæ parietalis oſſis ex ingenti Trabe ab alto cadente: quanquam die vij. mortuus Homo fuerit, & inflammatas Meninges, corruptumque Cerebellum Sectio Cadaveris oſtenderit; nulla tamen adfuit febris, nullaque, niſi paucis ante obitum horis, deſipientia. Memoriâ quoque tenemus Hiſtoriam, quam in calce Libelli ſui de Glandulis ad virilem Urethram detectis Clariſſimus habet Terraneus: Quidam Capite læſus, die xxij. mortuus eſt. Supra piam matrem, & Cerebrum ad baſim uſque dextri Hemiſphærii fœtidiſſimum pus exundabat: interea xx. ab inflicto vulnere dies nullo vexatus Æger ſymptomate vixerat. Quæ à multis inſuper Scriptoribus longè his rariora commemorantur; hîc reticere brevitati ſtudentes volumus; E quibus tamen inferendum nobis videtur, Cerebrum partem Hominis eſſe, cujus obſcura adhuc ſtructura, obſcuriores morbi; obſcuriſſimæ functiones perpetim Philoſophorum, atque Medicorum torquebunt ingenia.

Vulnus capitis graviſſimum, ad cerebrum penetrans, lethale.

Clariſſ. Georgii Friderici Franci de Frankenau Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. I.

Mirum eſt ipſam Palladis ſedem, arcem animi, & nobiliſſimarum functionum domicilium, caput, ſat validis licèt integumentis galeâque robuſtiſſimâ in adultis probè ſit munitum, ab externis tamen injuriis perſæpe peti, quotidiana docent exempla. Tantus enim quandoque ferientis impetus inſtrumentique violentia eſt, ut capitis haud raro periculum ſubeat tactus inſeliciter homo. Hujus rei notabile mihi ſub æſtatis principium currentis anni dedit exemplum in puero ſexenni Biitricii, pago urbi Witembergenſi admodum vicino, qui cùm baculum humo attolleret, ab equo graviter feriebatur in anteriori capitis parte, jumentorum curam in paſcuis à parentibus habere juſſus, ut ſtatim in terram concideret animô deficiens bilioſaque vomens. Alii, qui præſentes aderant pueri, ſocium in terrâ proſtratum & inſignem hæmorrhagiam videntes deſerunt, matrique dicunt, ut extemplo filiolo ſubveniret ſemivivo. Nuntiô hocce ſiniſtrô perterrita mater advolat, lethaliter ſauciatum domum ducit, & ſanguinis grumos vulneri & capillatæ parti inſidentes loturâ vini calidi emollire tentat, ſed inter lavandum experitur aliquam cerebri particulam candicantem vaſiſque fundo adhærentem abſceſſiſſe, & hiatum illum prægrandem in cranio, de quo rivuli ſanguinis denuò ſpargi cœperant. Vocabatur Chirurgus, ut operam ſuam perquam neceſſariam hoc in caſu commodaret, qui mox adveniens caput à pilis liberat, & hæmorrhagiam tanquam ſymptoma maximè urgens carptis linteolis balſamô peruvianô & ſyrupô roſatô perfuſis compeſcit, capitique fomentis calidis ulterius proſpicit. Poſt deligationem puer mox ad ſe rediit, & meliùs ſe habere viſus eſt, cibum à matre petens. Tertio die poſt ipſe cum Chirurgo accedo, & dextrum bregmatis os cum oſſis frontis parte, indicis digiti longitudine & latitudine fiſſum & fractum animadverto; ut laceram ſubtus duram matrem cerebrique corticem exteriorem probè cerneremus. Hanc fiſſuram neceſſariò futuram coronalem tranſiiſſe & in frontis oſſe terminatam autopſia dictitarat. In altera contuſionis extremitate pulſus (quem meningi potiùs quàm cerebro adſcribendum puto) manifeſtè conſpici poterat digitoque explorari celer admodum, & ſymptomaticis febribus omnibus familiaris, comitem habens ſitim valde moleſtam. Hactenus non ampliùs vomuit; verùm ab illo tempore ex quo animum iterum collegit, admodum propenſus ad ſomnum fuit. Omnes quotquot tunc temporis eramus præſentes, oculis ritè diſcernere potuit & cum ratione loqui. A vulnere uſque ad oſſa temporum & muſculum temporalem tumida cernebatur cutis, ac inflammata, ita ut non abſque moleſtia attactum digiti ſuſtineret. Semper ſerum quoddam extravaſatum, dilutè rubicundum eo ex loco, ubi arterias vehementer pulſare diximus, ob vaſorum ſcilicet arterioſorum aperturas immediatè propelli oculis libavimus, quando operas Chirurgus miniſtrabat ſuas. Idem ille quando hiantia cranii oſſa ad ſe invicem adducere volebat, majorem dolorem ægro cauſſabatur, & ſerum magis ſtillabat. Plura circa vulnus & partes ſubjacentes utpote cranium, meninges & cerebrum rimari non permittebat doloris vehementia, & ſanguinis ſtillicidium majus indè metuendum, ut ut ſtatim oſſis cranii defectum, aut ejus ad interiora cerebri violenter adacti partem obſervaremus, quem etiam tollere tum temporis maximè ſtudebamus.

Vulneri dicto balſamô de Peru cum ſyrupô roſato adhuc proſpicit, & diffracta oſſa ope Emplaſtri glutinatorii quodammodo continere laborat Chirurgus; vulneri tandem ſuperimponit Emplaſtrum de betonica, & huic nodulum, herbis cephalicis variis inſtructum vinoque incoctum tepidè ſuperinducit. Bis de die Spirit. Bezoar. Buſſii aliquot guttulas in potu calido propinat, & præſervando à majori incommodô (quod ſubſequi haut rarò ſolet) pulverem Marchionis, ſpecificô cephalicô Michaël. & C. C. philoſ. præparato junctum ipſe exhibet, quoniam ſumtus verebantur parentes egeni.

Puer hic octavo demum die ab inflicto vulnere fatis conceſſit, ad ultimam ferè horam uſque mente conſtans. A Chirurgo, ob meam tum temporis abſentiam ſequentia habeo: Proclivior ad ſomnum quotidie fuit, donec tandem motus convulſivi ſomno obrepentes filum vitæ abruperunt filiolo jam viribus exhauſto. Depreſſum bregmatis os elevatorio attollere & ad priſtinum ſtatum reducere conatus fuit Chirurgus, ſed nullo inſtrumento commodè & abſque inſigni patientis dolore fieri potuit. Poſt mortem videbantur oſſa hæc capitis fracta ex alterâ parte ita depreſſa & in cerebri corticem reclinata, ut cerebrum in ſe quaſi abſconderent, cujus particulam quoque defuiſſe Excell. Dn. D. VVatterus, ſectioni præſens, mihi aſſeruerat. Multùm ſeri rubicundi fluctuarat in oppoſita vulneri parte, ſcilicet quâ ſomnum ducere ſemper cogebatur. Dura mater jam tum nigricans apparuit & lacera per totum fracturæ cranii tractum. In ventriculis cerebri ichor quidam flaveſcens occurrit. Plura quę hiſtoriam noſtram magis dilucidare poſſent ab aliis non habeo, ex dictis tamen æquus obſervationis meæ cenſor, ut confido, vulneris gravitatem ejus lethalitatem tantùm non inferentem ſatis clarè perſpiciet.

Vulnus cerebri graviſſimum, cum placidâ morte.

Clariſſ. Güntheri Chriſtophori Schelhammeri. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 3.

Fœmina juvenis, nutrix mercede conducta, è feneſtra in plateam decidens, eâ vehementiâ caput in pavimentum ex duriſſima ſilice inæqualiter ſtructum allidit, ut cranium totius dextri lateris non frangeretur modò, ſed ex ſuo loco prorſus totum dimoveretur. Cutis illa portio, quæ os frontis tegebat, à ſutura coronali uſque ſupra oculi orbitam, non diſrupta modò fuit, ſed à medio oſſis frontis ad ejus finem uſque, & cum temporali concurſum à ſubjecto cranio abſceſſerat, propendens ſupra oculum contuſum & conquaſſatum, nudumque os deſtituerat, non ſecus ac ſi ſollicita manu ab eo eſſet artificioſè ſeparata. Totum, ut dixi, cranii dimidium, dextrumque latus anticè deorſum erat propulſum, & ſub alteram ejus integram portionem receſſerat paulisper inclavatum quaſi, nec ulla vecti ſemoveri indeque extrudi poterat: tota ſuperior maxilla diffracta, dentes ſuperiores dextri lateris inferiores reliquis vicinis exhibebat. Oculus poſt cutim propendentem cernebatur, ubi particula cerebri hærebat, ſpatulâ auferenda. Sanguinis ingens profuſio fuerat ſecuta, ut bos interfectus videretur ante fores, ubi jacuerat exanimis aliquantisper ęgra. Niger erat, & venoſus, qui adhuc fluebat, interim arteriis pulſantibus in dura matre, quæ floridum ex naribus fundebant, ex quibus ſimul cerebri pars effluebat, quæ redeunte ex pectore anima pellebatur. Tam miſero ægræ ſtatu linteis carptis vulnus implebat Chirurgus, emplaſtro de Betonicâ ſuperimpoſitô, & ſacculis cephalicis: internè quoque adhibebantur confortantia cum vulnerariis & cephalicis, ſanguis ſtatim erumpere ceſſabat. Illa interim, quamvis ſopore preſſa, jacere videretur, ea nocte tamen prę dolore (quod tactô etiam vulnere fiebat) exclamabat, aliquando etiam edito ſermone & fuſis precibus ſubmiſsâ, ut facilè quilibet ſuſpicabitur, voce, potiunculam præſcriptam cochleatim facilè admittebat. Altero die febricitabat, mediocria omnia erant, juſculum meridie porrectum capiebat, ſitim potu frequenter reſtinguebat, cui pulvis admiſtus erat vulnerarius. Solutis à Chirurgo vinculis, cutis cranio jam iterum adhærere deprehendebatur, cerebri portio aliqua rurſum ex oculi cantho, quò defluxerat, eximebatur. Hac nocte aliquantulum dormire & quieſcere viſa eſt, & auditum eſſe integrum, repetitis quæ à matre dicebantur precibus, teſtatum faciebat. Tertia die cerebrum ex naribus effluere pergebat, tegumentis verò à vulnere remotis, fœtor peſſimus cerebrum corruptum teſtabatur, ſpiritu matricali camphorato, qui hîc Chirurgis frequenti in uſu eſt, eſt autem balſamicus, lintea intingebantur & imponebantur. Illa nocte aliquantulum dormivit, poſtulavit elevari, reſedit in lecto, locuta eſt ſenſibus integris, & præſenti animo preces continuò deinde fundens, & cupiens ſolvi, obtinuit à benigniſſimo numine quod petiit, & ſine ullo gravi ſymptomate placidè obdormivit.

Aperto cranio, dimidium oſſis frontis, totaque maxilla ſuperior dextra ad os zygomaticum perfracta reperta eſt, os temporum ad os uſque petroſum itidem, interna cranii facie, ſeparatumque hoc totum: os frontis ſub alterum adactum perruperat meninges, & cerebro viam fecerat, qua erumperet in nares. Totum hoc computruerat, & fermentabat, bullis ſubinde exorientibus maximo cum fœtore: totum cerebrum ſanguine ſuffuſum & rubellum in interiore etiam parte, quod ex arteriis in tubulatam medullam vi maxima intruſum eſſet: corpore calloſo diſſecto, in ventriculis cerebri colluvies ſanguinis ingens, omnes cavitates eodem replerę viſebantur. Quę à me in id enarrantur, quia maximè mirum videtur & ſingulare, tantâ in cerebri concuſſione, & ſanguinis intra illud effuſione, ſenſus tamen integros, rationem ſui juris fuiſſe, & ne loquelam quidem penitùs abolitam, præterea nec epilepſiam, nec convulſiones alias, nec ullum ſymptoma grave ſuperveniſſe, ſed ęgram placidè expiraſſe. Quod ita factum arbitror, quia per ingentem adeò fracturam, ſanguini effluxus liber conceſſus fuerat, ut cerebrum comprimi non potuerit, quo facto, haud dubiè ſtupor & ſenſuum omnium abolitio certò erat futura. Nam quòd ventriculi erant repleti, nihil poterat mali afferre, cùm cedere, poſſet undique liberum cerebrum, illi autem ſeri receptacula nihil ad ſpiritus animales conferentes, non poterant eorum functiones turbare.

Vulnus hepatis ac diaphragmatis lethale.

Clariſſ. Joh. Petri Albrechti. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 5. *&* 6.

Tragica, quam enarrare animus eſt, hiſtoria accidit, 25. Februar. anni præteriti in M. non procul ab urbe noſtra ſita. Degebat ibi ancilla quædam Margaretha *Brunners*, quæ diu in hocce famulatu officia ſua feliciſſimè præſtiterat, non ita pridem verò murario cuidam in mœnibus illius loci reparandis occupato, ardentique eam deperiente amore deſponſata erat. Hicce ſponſus, ut dicto die, quo nimirum Bacchanalia à plebe celebrabantur conſtantis ſui amoris exhibebat ſigna, circa meridiem hypocauſtum, in quo ſponſa erat, ingreditur, interque varias delectationes, quibus recreare ejus animum ſatagit, bombardam ſecum allatam (*eine Flinte* vocant) tubulô ſcilicet extra feneſtram verſus aëra directô, aliquoties explodit. Hilari porrô animô cum ſponsâ agens, illam de novo pulvere pyriô & multâ chartâ oneratam imponit menſæ, cùmque ſe jam eandem in illius ſanitatem exoneraturum dixiſſet, vix manu admotâ infauſto fragore illa maturè nimis tamque funeſtô eventu ſolvitur, ut ſponſa trium vix paſſuum intervallô à bombardæ tubulo rectâ ejus abdomen reſpiciente diſjuncta, ex pernicioſo ictu his, ſaltem expreſſis verbis, *O Gott!* exanimis ſubitò procideret, caſuque inopinatô ſic, quod in ſponſę ſalutem intenderat ſponſus, jam in certiſſimum ejus cederet exitium. Perterritus ille lugubri ſpectaculo, morienti ſimilis nutantem diu egit animam, poſtea redeuntibus quodam modo viribus in fuga ſalutem quærens, dum interim alii non minori percuſſi terrore, flammis, quas veſtimenta conceperant, exſtinguendis, alii remediis domeſticis vitæ, ſi poſſibile eſſet, revocandæ operam ſedulò navant. Quæ tamen omnia inani facta ſunt labore, vulneratâ nimirum in eodem permanente ſtatu, nec ullum porrò vitę ſignum edente. Sequenti die Dominus loci meam & Chirurgi vel ideò deſiderat pręſentiam, ut conditionem vulneris, anque globuli plumbei clanculum forſan bombardæ immiſſi ſigna adeſſent (qualia tamen quod hîc monendum, nulla inventa ſunt) diligenter inquiramus. Statim atque comparemus, maſſa mihi quædam parenchymatica ſatis craſſa ab adſtantibus offertur, latitudinem palmæ plus minus æquans, quam in ipſo ictu ex ſauciato corpore cum impetu proſiliiſſe perhibebant. Cognovi illud hepatis quandam eſſe portionem, ac propterea, cùm ex minuſculo vulnere tanta moles vix progredi poſſet, plagam nos ſatis amplam inventuros eſſe ſuſpicatus ſum. Sed remoto induſio præter opinionem dextrorſum in ſuperiori epigaſtrii tractu vulnuſculum patulum ratione magnitudinis ac figurę parum à foramine tubuli ferrei, ex quo lethiferi ignis in ipſam contigerat ejaculatio, diſcrepans, tamq; accuratè rotundum & omni carne deſtitutũ, ac ſi circino quodam circumciſorio exemta hæc fuiſſet, prodiit in conſpectũ, interiùs ipſam ventriculi ſubſtantiam

tiam oſtendens. Aliàs quòd ad externas corporis partes, præter aliqualem mammarum aduſtionem nil notatu dignum conſpectui noſtro ſeſe obtulit; Ubi verò apertô abdomine ad interiores perventum eſt, inteſtinis pauluлùm reclinatis, dextram hepatis partem à violentiâ ignis aliorumque bombardâ emiſſorum in minutiſſimas particulas laceratam; diſcerptam ac plurimis chartæ fruſtulis permixtam vidimus, alterâ verſus ſiniſtrum magis inclinante, ejus portione magis illęsâ apparente, in qua tamen illa pars, quæ ut plurimum in ſtatu naturali ventriculi regioni dextrę ſuperiùs incumbere ſolet, omnino deſiderabatur, ſuperſtite nihilominus notabili vulneris veſtigio ſufficienter comprobante, id hepatis fruſtum, quod extra corpus projectum erat, violentâ dilaceratione ibi ſuo privatum fuiſſe nexu. Diaphragma quoque (ut de aliis non dicam partibus, quas nil vitii contraxiſſe, oculatis inſpectio teſtabatur) in variis locis tam muſculoſis quàm nervoſis aduſtione quaſi ſyderatum & nigerrimo tinctum colore deprehendimus, unde repentinam mortem, non tam læſo hepati, (quod ad minimum unius vel alterius horulæ vitam concedere potuiſſet) quàm ipſi ſepto tranſverſo violentâ hacce percuſſione motu ſuo orbato, aſſignandam eſſe judicavi, cùm neceſſariò & quidem ſubitò ſic ceſſante reſpirationis negotio, ancillę noſtrę pereundum fuerit. Neque adeò obſcurum videri poteſt, quomodò tantum hepatis fruſtum per exiguam illam abdominis plagam penetraverit. Notum enim eſt, pulverem pyrium in tubulo bombardæ accenſum & ipſa exploſione ſub formâ ignis protruſum, non ſtatim in ipſo egreſſu per aëra diſſipari, ſed ad aliqualem diſtantiam, vi quaſi unitâ adhuc agere; jam verò cùm ancilla, de qua hîc loci nobis eſt ſermo, vix trium paſſuum intervallo à bombardâ ſuum habuerit locum, credibile eſt poſt factam ab ejaculatâ chartâ abdominis apertionem, ipſum pulveris pyrii ignem, niſi omnem, maximam tamen ejus partem cum illa ſimul ſeſe in abdomen inſinuaſſe, qui ibidem pro ſua expanſione & dilatatione ſatis ſpatii non inveniens, portionem hepatis, antea forſan ab ingeſtâ chartâ ſeparatam, vulnuſque epigaſtrii quodam modo occludentem, violenter ſecum abripuit protuditque foras. Sed an rectè ita ſentiam, judicent alii.

Vulnus inteſtini recti lethale.

Clariſſ. Joh. Chriſtophori Bautzmanni. Miſcell. Curioſ. Decur. iij. Ann. 9. & 10.

Georgius Hermanni, miles gregarius Legionis Vellingiane, Anno 1702. die 23. Aprilis, extra civitatem noſtram Stadenſem, in Diverſorio, quod ad ultimum Obulum vocatur, inter pocula Cereviſiæ Bremenſis, quæ inter alias hujus regionis pro generoſiſſimâ habetur, & luſus Conorum, à verbis ad verbera & tandem gladios veniebat, in quo tumultu vulnerabatur, & 25. ejusd. menſis, cum febre & ſingultu moriebatur. Inſpectum Cadaver, inveniebatur hinc inde lividum & ſanguine ſuffuſum; Scrotum gangrænoſum, abdomenque diſtentum. Aperto abdomine, vulnus quod inter coſtam veram ultimam, & ſpuriam primam; lateris ſiniſtri, punctim cum gladio lato acceperat, longitudinem pollicis habebat, penetraveratque per Diaphragma, propè Coſtas deſcendens ad Inteſtina, illæſis Ventriculo & Liene. Statim poſt aperturam Abdominis, fœtor gravis Nares feriebat, & Inteſtina flatibus diſtenta ac excrementis conſpurcata in conſpectum veniebant. Sedulò quidem Chirurgus vulnus inteſtinorum quærebat, ſed invenire hactenus non poterat. Tandem jubebam ut Stomachum cum reliquis Inteſtinis & Meſenterio cultro aufferret, atque ablueret, proſequendo à Pyloro uſque ad Inteſtinum rectum, manupreſſione illud quod ſcybalorum adhuc in Inteſtinis reſtaret. Hoc facto, Vulnera duo, per exitum excrementorum ſe prodebant in Inteſtino recto. Hæc quidem non penetraverant per tranſverſum totum Inteſtinum, ſed illud ab uno latere, ſiniſtro ſcilicet, læſerant; diſtabant à ſe invicem dimidio pollice, unum ſuperius, alterum depreſſius, fibras transverſim ſecando, quorum labia jam tum gangręnam perpeſſa fuerant. Quamvis verò nec Arteria magna, nec Vena cava, aliaque vaſa ſanguifera grandiora læſa fuerunt, attamen non contemnenda Sanguinis extravaſati pars cum excrementis mixta inveniebatur in abdomine, quæ invicem fermentata, Gangręnam partibus induxerant, atque Symptomata, mortis prodromos, induxerant, quia neque vulnus Diaphragmatis & Inteſtini, ut decebat, legitimo modo deligari, nec iis Medicamenta idonea adhiberi potuerunt.

Vulnus cordis ſingulare.

Clariſſ. Joh. Davidis Mauchartì. Ephemer. German. Centur. 1. & 2.

Miles quidam ab Officiario glande plumbeâ, deſuper ex ſclopeto ſeu piſtolide per dorſum trajectus, mox, poſt vix tria prolata verba, mortuus conciderat. Viginti horis poſt mortem à me diſſecti, ſiniſtra thoracis cavitas tota, ſanguine nondum coagulato repleta, dextra vacua; quarta dorſi vertebra penitus conquaſſata, quinta aliquo modo læſa, ſunt inventa. Globulus verò per ramum arteriæ pulmonaris dextræ extra pericardium in baſi cordis prope valvulas ſemilunares exierat; mox verò rurſus prope auriculam ſiniſtram, per obliquum, in ventriculum dextrum ſe immerſerat; atque ſine dilaceratione columnarum & fibrarum ejus, in parte acuminata cordis prorumpens; & intra duplicaturam mediaſtini tranſiens, inter cartilaginoſos proceſſus ſterni, qui cum quartâ & quintâ coſtâ combinantur, illæsâ cute quieſcebat. Situm demortui, in quo fuerit, cùm occideretur, vix capio; cor verò in diaſtole trajectum conjicio, & copioſum ſanguinem, quem ex dorſi vulnere mortuus exſudaverat, quoque thoracis pars ſiniſtra fuerat repleta, ex ſolâ arteriâ pulmonari prodiiſſe credo.

Vulnus hepatis enorme, morte, tertiô demum die, adveniente.

Clariſſ. Joh. Davidis Mauchartì. Ephemer. German. Centur. 1. & 2.

Miles quidam Cæſareus, ex Legione Cuſana, ab expeditione Bavarica, per noſtram regionem ad Rhenum rediens, à contubernali præter intentionem è piſtolide glande plumbeâ trajectus, 1704. d. 5. Septembr. & ad Chirurgum noſtratem devectus eſt; ut ſanaretur. Vulnus erat in dextro latere ejuſque coſtâ ſextâ, in ipſâ curvaturâ, pergens digiti longitudine ſuper ipſam coſtam, dorſum verſus; ubi aliquid ſtylo quærentis obſtabat ſemper, ſcabrum & aſperum. Per vulnus ſtatim poſt læſionem multùm ſanguinis ſinceri manaverat, me præſente verò, d. 7. Septembr. tertio poſt vulnerationem die, detectum, vix ℥ij. ſanguinis juſtò nigrioris, ſeroſi, non ſpumoſi profudit. Suaſi ſtatim inciſionem, ad illud obſtaculum uſque, quam tamen Chirurgus in craſtinum diſtulit; ſimul referens ſe vulnerato heri pulverem contra caſum Auguſt. cum ęquali pondere ocul. cancr. ppt. in aquâ petroſelini exhibuiſſe; unde ſtatim meliùs habuerit, ſed paulò poſt ingenti dolore in pectine oborto, denuò ſumptâ petroſelini aquâ, & oc. cancr. ppt. multùm ſanguinis cum urinâ reddidiſſe, ſecuto levamine. Nunc nulla adeſt reſpirationis læſio, tuſſis aut excreatio, è contrario tenetur anorexiâ, præcordiorumque compreſſione; & ad alvum egerendum frequens ſed inanis eſt irritatio, urina difficulter prodit, cumque grumis ſanguinis, pallet æger, nec tamen debilis eſt, quin potiùs abſque adjumento è lecto ſurgit, ad ſellam abit, magno conatu fœces egerere tentat, ſitis mediocris, nullus rigor, calor p. n. non intenſus, pulſus lentus ſed æqualis, nulla cordis palpitatio. D. 8. Septemb. manè horâ 3. vocor ad eundem, reperio ſummè debilem in ſella ſedentem. Multum ſanguinis per vulnus manaverat, itidem ſeroſi & nigrioris, turunda & emplaſtra abierant, quod totâ nocte

inquietus, in ſiniſtro latere quieſcere fruſtra tentaſſet, revolutus in dextrum, meliùs quidem habuerit, ſed tantùm ſanguinis ex vulnere profluxerat, ut per lectum pilis equinis factum, *eine Matraze mit geſottenen Haar*, atque ſtramentum ſubſtratum manârit. Unde ſurrexit ipſe ſolus, candelam popoſcit, & ſatis alacriter locutus eſt, etiam nunc mecum, mox deficere viſus, deligato rurſus vulnere, ex quo vix aliquot guttæ ſanguinis ſub deligatione prodierant, in lectum repoſitus eſt. Reſtauratus hinc variis, utcunque meliùs habuit. Horâ X. matutinâ vulneris ulterior apertio, ut tandem conſtaret, quorſum id pertingeret, ad petitum ægri eſt inſtituta, vulnerato ſurgente adhuc abſque adjumento, & ſectionem, abſque doloris, ut videbatur, ſenſu tolerante. Tum demùm patuit vulnus penetrare in cavitatem pectoris, coſta ſextâ penitus diffractâ, quod omnes mirabamur, abſque ulla dyſpnœâ hactenus obſervatâ, fieri potuiſſe, ulterius verò quorſum abierit globulus ne divinare quidem licebat. A meridie ſenſim ſenſimque debilior factus, & pulſus magis magiſque imminutus eſt, nec tamen adhuc ulla dyſpnœa, tuſſis, ſingultus, palpitatio &c. aderant. Offam comedit, ſolus ſurrexit, deligationem ſellæ inſidens abſque deliquio ſuſtinuit, qua ſolutâ, in lectum ſe ſolus contulit, ita ut pedibus ei inſiſteret, & deinde ſe in eum ſubmitteret. Præſcripta tum rurſus lenia diuretica, ob compreſſivum dolorem in pectine, & pruritum quendam in glande. Interim æger ſputo, abſque ullo vomitu, multùm bilis amariſſimæ & croceæ ſalivâ dilutæ expuit, ita ut pavimentum & lectus croceo colore tingerentur, & paulo poſt in grave deliquium incidens, vires quidem aliquo modo recepit, at circa horam 5. veſpertinam expiravit, abſque ullo ſingultu & levi ſolùm oris torturâ. Cadavere aperto thoracis totum latus dextrum ſanguine grumoſo plenum reperi ad ℔. x. ad minimum, unde denuò viſcus quoddam pectoris læſum ſuſpicatus, dum ea utrinque verſo, nec tamen quidquam reperio, ſanguinem extravaſum exhauriendum duxi. Quò plus verò exhauriebam, eò plus aderat. Tandem inveni globulum, non ut exterioris vulneris ductus monſtrabat, rectâ viâ in pectus, ſed obliquè deſcendendo per diaphragma penetraſſe. Abdomime igitur aperto, idem ſanguine plenum reperio, quo exhauſto, reperi foramen magnum per hepatis lobum inferiorem factum, & globulum hinc in dorſum juxta ſpinam penetraſſe, unde etiam quarta ſolùm ejus pars extracta eſt, tota nitida, ac ſi cultrô ita ſecta eſſet, ut credam talem in ſclopetum ſeu piſtolidem inſertum fuiſſe, quod interdum uſu fit. Mirabar ſummopere, hominem hunc toto triduo ſupervivere potuiſſe, & quidem ſine inſigni phenomeno, parte tam nobili vulneratâ, & tantâ cum ſanguinis deperditione, ut de ſitu vulneris, quem ne lynceus quidem conjeciſſet, nihil dicam.

Cranii ſquamma ex oſſis Coronalis internâ laminâ detracta, cerebro profundè immergitur, ſuperſtite per plures menſes vulnerato, & opus ſuum minime intermittende. Obſervatio Clariſſ. Dn. Ferrerii, quam nobis communicavit Præclariſſ. Joh. Fantonus Regis Siciliæ Archiater &c. Hanc vide capite de Cranii Fracturis.

Jam autem in eorum omnium quæ hactenus ſuper variis vulneribus abundè allata fuere, Auctarium verè eximium, adjungemus, Vulneris Thoracici Ephemeridem adcuratiſſimam, quam Præclariſſimus Johan. Nicol. Pechlinus, Obſervationum ſuarum Phyſico-Medicarum calci inſertam tradit; & de quâ ſic præfatur.

Ediderat hanc Hiſtoriam ante aliquot annos Clariſſ. Vir D. Mummius Luddens, Medicinæ Doctor, Practicuſque Thoningæ celebris, ac meus, in quô gaudeo, amicus: Quam ut nunc aliquâ ſui parte auctiorem edam, atque emendatiorem, cauſæ impulerunt non unæ, quas, ſi tanti eſt, ſuô locô enarrare non pigebit.

Ephemeris Vulneris Thoracici.

Articulus I.

JUvenis Studioſus, boni habitus, An. MDCLXXIX. Tertio Nonarum Maii, ipsâ die Dominicâ, ne religio obſtitiſſe credatur, inter quintam & ſextam Thoracis coſtam, duorum pollicum tranſverſorum intervallo ab oſſe Sterni, vulnus accepit exile atque anguloſum.

Commentarius.

§. Circa vulnera, quæ pugnantes mutuò ſibi inferunt, id quàm maximè mihi viſum eſt rarum, ex tot tamque infeſtis plagis pleraſque innoxias eſſe & minimè lethales, planè, quaſi è machinâ adeſſet DEUS, aut ictuum moderator Genius, quô in grave quidem, ſed non protinus lethale, vulnus nocendi tranſiret libido. Vidimus vulnera per medios ventres adacta, exeunte in averſam partem ferro, lethalia futura, ſi viſcus attigiſſent, nunc tamen innoxia; alia etiam ad ipſam partem nobilem, Mammillam ſiniſtram, Cordis dictum Scrobiculum, Inguina, Collum Venarumque grandiores truncos directa; quæ ſi paulò altius, & vel pilum latum, penetraſſent, mortifera fuiſſent; nunc verò majus quid eſt, in ipſam partem nobilem ferri immitti aciem, & vitam vel trahi aut ſervari, non ſine miraculi ſuſpicione. Fuerunt, quibus Cor vulneratum non niſi poſt aliquot dierum tædia mortem adtulit. In Actis, quæ conſignaverat celeberrimus in viciniâ Protomedicus D. D. Garmerus, & quorum inſpiciendorum copiam mihi pro illâ humanitate fecerat, offendi Fœminam ibidem Hamburgi intra ſextam & ſeptimam lævi lateris coſtam, trium ferè unciarum magnitudine à Sterno ingrediente ferro, læſam, non tantùm Pulmonum, ſed & Pericardii, ſed & Cordis ſatis altè penetrati, non tamen pertuſi, vulnus inter ſummos cruciatus ac Cardialgias ſuſtinuiſſe, ex quo non niſi poſt quatuordecim dierum moram interiiſſe. Quod idem anno poſt certo homini evenit, cui & ipſi vulnus non in ſuperficiem duntaxat muſculoſi Cordis, ſed & dextram Camaram exierit, non antè moriente vulnerato, quàm quatuor dierum tædiis deliquiiſque defunctus eſſet. Id verò ſingulare & valdè mirandum, quod ex fidelis Medici ore habeo, conſpectum à ſe hominem, cujus Cor reſpectu itineris, quod plaga illata tenere debuerat, neceſſariò vulneratum credebatur, qui tamen fati quâdam benignitate poſt tolerata aliquot dierum tormenta diriſſima, evaſerit Medicique conjecturam fefellerit. Hic autem Vir, ut ſibi redditus videbatur & ex parte ſanus, neque enim in totum convaluerat ſubrepente identidem deliquio, poſt viginti duas ſeptimanas inter operas, quibus occupabatur, concidit mortuus. Tam inopinæ mortis cauſam ſciſcitaturus Præfectus militaris, ſub cujus ſignis ſtipendium merebatur, exenterari hominem jubet; cumque nihil in Ventre & alibi reperiretur, quod periculi tanti tamque ſubitæ mutationis cauſa eſſet, tandem ad veteris plagæ veſtigia relapſi deprehendunt ruptam in Cordis ſuperficie Veſiculam craſſam & tunicatam, abſceſſus pridem ſedem, cujus ipſius quoque ſanies in Pericardium effuſa mortem acceleraſſe videbatur; eratque ipſe ille locus, qui è directo Pericardii, quique lateris cicatrici reſponderet, atque adeò facta pridem conjectura de Cordis vulnere pulchrè confirmari ac rata haberi cœpit. Ut nihil nunc addam de Guiljelmi Rivæ Chirurgi, Romæ olim à me ſalutati, notis experimentis, aliiſque quorum ſparſas hinc inde narrationes delibare nefas eſt. Alii etiam ex vulnere

Pulmo-

Pulmonum ſatis profundo; alii ex Cerebri, Ventriculi, Inteſtinorum Veſicæque vulnere convaluere, quaſi majoribus illos, certè pænitentiæ & agniti erroris gratiæ, reſervaſſet DEUS O. M. plerumque tamen, pudet dicere, ſucceſſu tam infido, ut illorum pauci, quos tantum non Orci faucibus divina manus eripuerat, ad bonam mentem, tot tamen ante ceremoniis religioſisque verbis adjuratam; redierint, alii etiam exemplis iſtis commoti mortis metum, quem in temerariis juſtum eſſe & Virum fortem decere ego quidem opinor, poſuerint, ſed diſpari fato; namque & optimos ſæpe hauiit temeraria dextra; & malè meritos ferrum vel non attingit, aut in vulnus conjicit periculoſum quidem, ſed non lethale, ne quis putet omnibus eandem eſſe fortunam & cuſtodis Angeli felicitatem. Studioſo olim, graſſatori nocturno, & periculoſiſſimè vulnerato adfui. Adactum huic erat ferrum in Inguine dextro propè radicem Penis exeunte per poſtica, &, quod horrendum, per Os ſacrum ferri cuſpide. Hunc hominem indicio ſymptomatum planè feralium, perpetuæ Syncopæ, Deliquii & Aſphyxias, aut ſaltem Pulſus quàm obſcuri, copioſâ adhæc urina per vulnus perque ſedem emiſsâ, morti adjudicabamus. Et ut Inguen pars nervoſa ac ſubtilis, utque Veſica, jam & Inteſtinum rectum duplici loco vulnerata viderentur ac pertuſa, tamen, poſtquam grumi ſanguinis ab alvo ſecedere, Veſicaque urinam, relicto vulnere ad colem, adeoque ordinariam viam, convertere cœpit, convaluit æger, & triſtia Medicorum vaticinia triumfavit.

§ Notum eſt, plus ineſſe periculi plagis minoribus quàm grandioribus, ſi in cavitatem exeant; aliàs enim, ut ipſa magnitudo moleſtiam auget ſanationis, ita in planâ ſuperficie exile vulnus omni alio tutius. In profundum euntis plagæ oſculum, niſi ex debito amplum ſit & pateat, manus adhibenda & Turundis indiris oræ diſtinendæ, quo latentis in fundo materiæ tutior ſit eruptio.

Artic. II.

Percuſſus ſtatim ab accepto vulnere palluit, & ſex ſeptemve paſſibus promotis in occurrentium Chirurgorum, Mag. Valentini Butzeri & M. Joachimi Kopke, qui propè habitabant & forte fortunâ ſpectatum venerant, manus incidit, qui eum in ædes delatum ſuas grabato impoſuere, vulneris conditionem exploraturi. Dum interim ego quoque à ſacris, quibus operabar, avocatus ad jacentem deducor. Ibi quidem initio hominem ſatis miſerum, &, ſi quid vultui credendum, deploratum reperio, adeò univerſi oris & genarum collapſus, inde & labrorum trepidantium livor & oculorum obtutus & capitis frigidum ſudantis & nimium anheli pectoris, nunc & Lypothymiæ continuò ſubrepentis periculum, pulſu nunc etiam deficiente & vulnere ſicco, extrema quæque adeſſe ſignificare videbantur.

§ Quemadmodum ipſum in ſe vulnus periculoſum eſt, ita periculi magnitudinem minuere ſæpe fortuna ſolet. Sit aſperis comitata ſymptomatis plaga, erit tamen, quod ſecuriorem jubeat eſſe, ſi protinus adſit, qui manum commodet & triſtiora quæque vel deliniat aut avertat. Plures haud dubiè vitam recepiſſent, niſi defuiſſent, qui ſubito ſymptomati, tum maximè ſanguinis profuſioni, peritam manum adferre potuiſſent. Pereundum ſanè illi fuerat in ſolitudine abſciſſis pudendis, vincente manum Hæmorrhagiâ, niſi è quercu, cui ſe moriturus applicaverat, velut DEO monſtrante, Moſchus, ut eſt vitriolatæ adſtrictionis particeps, vulneri admotus ſanguinem cohibuiſſet. Vidi, cui utriusque cruris fractura κανληδὸν facta in medio itinere abſente Chirurgo lethalis fuit. Certè in externi habitus Hæmorrhagiâ quid manus poſſit dexteritas, experti ſunt commodo ſuo plurimi, laudatque ideò etiam velut optimum præſidium Botallus. Principi equidem Auriaco, cùm alia omnia fruſtra eſſent, una Chirurgi manus ſaluti fuit. Spectatus mihi gladiator, cui Jugularis externæ vulnus ſubito profluvio mortem minabatur, niſi Chirurgi fortè præſentis manus moram adtuliſſet, donec delinito ſanguinis animique fervore linamentis, Emplaſtriſque rebelle aliàs vulnus tractari poſſet, lentè ad ſanitatem perducto ægro. Puto autem Fortunæ beneficium fore non leve, ſi quis, ut eſt vulneratus, protinus vel in Boudeti aquam Stypticam, aut Cæſaris Magati Balſamum Empiricorum, aut Cæcilii Folii Ceratum, omnia ad invidiam uſque laudata remedia, incideret, nempe, ubi vel ſanguinis repreſſione aut glutinatione quàm ſubitâ eſt opus.

§ Notas haſce mortiferi vulneris plerique omnes agnoſcunt, & ipſe Medicorum anteſignanus Celſus; verum, cum nihil ſit tam triſte adſpectuque horridum, quod non aliquando ominantem fallat in illâ mentis humanæ caligine ſecretoque DEI influxu, utique non ſtatim cenſoriè decernendum; ubique tamen, ſi vulnus profundum & cavitate abditum, periculi quàm ſecuritatis ſuſpicio juſtior eſt. Fuerunt, ubi interituri videbantur vulnerati, adeò omnia periculoſæ plena aleæ graviſſimiſque conjuncta ſymptomatis, quæ utrum effectu an ſpecie talia eſſent, in illo laborantium tædio corporumque varietate vix Oedipus conjiceret. Illa vitium conditio & ſuffectura doloribus patientia, illa Naturæ mirifica perque ignota euntis virtus, illa ſpirituum ſanguiniſque & ſolidorum tam accurata invicem proportio, vulnerumque in abdito latentium facies, cùm non ſecundum omnes ſui partes ſint perſpecta, conjectantem decipere facilè poſſunt. Accedit, quod ægri ſæpe doloribus & metu victi omnium ſymptomatum recenſum inſtituere nequeant, & vel præſentium tædio aut futurorum imagine ita afficiantur, ut ſibi erepti aut non omnia, aut alia, quàm oportet, enarrent. Illis verò etiam, qui ab ebrietate, fatali vulnerum matre, in periculum ſunt conjecti, neque ſtatim, ut acceptum eſt vulnus, nec paulò etiam poſt ſenſum ſui aut vulneris habere ſolent, adeò veternus quidam oboritur, qui, utrum à vino ſit an vulnere, haud facilè diſcernas. Soporem inde calor ſequitur, inundantibus ſanguinem ſpiritusque, jam etiam mortis metu opprobriique cogitatione ferociores, ſulfureis vini particulis, quem ſi à vulnere eſſe jurares, oppidò fallereris; adeò in hiſce quoque nihil initio abſolutè determinandum, ſymptomatum variante concurſu. Pulſus equidem defectus aut potius ἀναισθησία Cordis vulnerati ſuſpicionem excitabat; ſed cum aliunde quoque tum maximè ex conſternatione illâ mutari tenor pulſus poſſit, neque illo indicio conſtare de eventu potuit.

Artic III.

Ergo metuendam ſtatim Syncopen aquâ Antapoplecticâ exterius, interius ſequente potiuncula avertere cogitabam. R. Aq. Cord. comp. Uncias IV. è Typhis C. Cervi Unc. j. Cinnamomi Diabor. Spir. Lilior. Convall. aa. Unc. Semiſſ. Caſtor. nigr. Drachmas ij. Diaſcord. comp. Drachm. j. C. Cervi eſſentif. Scrupulum j. Ocul. Cancri. ppt. Scrup. ij. Elæoſaccari Citri Drachm. I. ß. Miſce. Hujus potiunculæ aliquot identidem hauſit cochlearia. Vulneris explorationem mira corporis ad flexum fatiſcentis imbecillitas prohibebat; adeò etiam, ut tentato ſemel

mel aditu ſpecilliquc parte in oram vulneris adacta nova rerum facies ſeſe oſtenderet, & frequentati vultus ſpaſmi dentiumque ſtridores propoſitum turbarent. Verùm, ut ægrum nimis reclinatum reperio, quem ſitum ipſe nimis extorſerat, jubeo corpus erigant concutiantque nonnihil, ut ne ſuſpecta ſanguinis moles Pulmones Corque ipſum opprimeret: ſed extrema timentes Chirurgi moleſtiam inferre detrectabant, donec poſt duas horas collectis viribus aliquid ſibi animi eſſe teſtaretur æger, & in cætero corporis frigore excitatior pulſus vitæ luculentioris præberet argumentum. Itaque cùm nihil adhucdum ſanguinis vulnere efflueret; &, qui in veſtes tranſierat, vix eſſet agnoſcendus, denuo in varias partes quaſſati corpus juſſi, ſed conatu perinde irrito, ſive Pulmonum ſeſe lobi vulneri obverterent, ſive fibræ muſculorum intercoſtalium ſuâ illâ conglobatione oras arctius cogerent. Rurſus etiam poſt varios flexus, aditus ſpecillo tentatus & repertus, ægro impense dolente, &, niſi externis refectus fuiſſet, deliquiis proximo.

§ De Spaſmis, quamvis ſymptomate prodigioſo & Hippocrati ſuſpecto, æquè omnia incerta; quòd non protinus cauſa, à quâ pendeant, ſenſibus obvia ſit, imò etiam fibrarum muſcularium leviculæ palpitationes cum ſpaſmo ſæpe confundantur. Erant hîc quoque, non ſpaſmus, ſed ſpaſmodicæ contractiones invicem alternatæ, non tàm à vulneris, quàm dolorum atrocitate & mobili ſpirituum in illâ animi perturbatione effervefcentiâ, ut eventus docuit. Vidi nonnullos, quibus ad leves quoque cauſas muſculi convellerentur, & ad triſtia ſive animi ſeu corporis objecta, ſeu miſturam copulæ elaſticæ, unde unde contractæ, palpitarent, eventu non infelici. Certè à turgeſcentiâ ſanguinis vel copioſi aut rarefactivis particulis imbuti illæ in carpo palpitationes & tendinum luſus quotidiani ſunt, &, ſi rectè attendis, ſine periculo.

§ Exploratio potiſſima ferè eſt ex ſignis, quæ vulnerum conditionem manifeſtant; verùm utut mechanica ſit & obvia ſenſibus actio, multis tamen & illa involvitur ſcrupulis. Primùm enim ob eam cauſam difficile eſſe puto experimentum, quòd ſitus, quem ægri initio habuerunt, dum vulnerarentur, plerunque mutetur, adeò ut ſedes vulneris non ubique ſibi reſpondeat, nam cùm ad corporis figuram viſcera modò hunc modò illum ſitum acquirant, & vulnerum pleraque flexo aut in certum habitum figurato corpori inferantur; exploratio verò vel in jacentibus aut in angulum erectis contingat, neceſſum eſt ſuperficies viſcerum viciniam mutare & illam habitus cum viſcere εὐθυορίαν infringi. Deinde, ut quis ſitum illum vulnerati depræhendiſſe ſe credat, tamen cum infeſti vulneris malignitas & animi dolentis mollities non quemvis promiſcuè flexum, tum minimè iſtum, admittat, non video, quemadmodum veram & adæquatam vulneris conditionem attingere ſpecillum poſſit. Tertio & hoc aliquid eſt, quòd, quæ in cavitatem exeunt vulnera, à ſubjectis viſceribus, ſæpe & muſculorum tumore, occludantur conantemque repellant. In Thoracis vulneribus frequentiſſimum eſt Pulmones ſpecillo objici, ne ingredi cavitatem poſſit. Abdominis pertuſi explorationem modò Omentum nunc Inteſtinum perturbat, imprimis ſi, dum vulnus infligeretur, tenſa eſſent aut flaccida, ita enim parallelitmum & ſedem vulneris mutari oramque & fundum diſtare neceſſe eſt; ut ne ſpecillum rectà ſubire poſſit. Jam verò cùm fundi vulneris conditio, figura & magnitudo, tùm maximè ruptarum venarum vel copia aut quantitas, in quo tamen maximum eſt momentum, explorari ſpecillo nequeant, utique patet, quàm eorum, quæ abdita ſunt, incerta ſit atque difficilis probatio; ut ne quis putet rem eſſe levem de vulneribus, utut manui ſpecilloque obviis, judicio decernere. Eſt autem exploratio non ſolis Chirurgis committenda, ſed & ipſi periculum facere Medici debent; tùm ne ſoli ſapere videantur rerumque intelligentes, tùm ne medentis prædictio alienâ fide nitatur. Obſervo autem hîc nonnullas Chirurgorum artes, qui ſemper, etiam cùm de ingenio vulneris ſatis conſtat, omnia in pejus vertunt, quo percurati vulneris major ſit gloria, & unctior merces. Sed eſt, meo judicio, candidè agendum & ſerio, & uti incerti vulneris conditio non temerè elevanda, ita nec exaggeranda.

Artic. IV.

Sed cùm poſt varios conatus nihil efflueret ſanguinis, vulnusque deligationem expoſceret, Turunda à Chirurgis indita, quam ipſam Digeſtivo, ut eſt illorum mos, ex Terebinthinâ coctâ vitelloque Ovi & Roſarum oleo illeverant, ſuperaddito Emplaſtro Stictico Crollii. Tranſactæ ita inter tumultus doloresque quatuor horæ, cùm juſſu meo retectum vulnus tenuiſſimam undam evomeret ſanguinis calidi & fumantis, nondum ſatis, ut videbatur, vulnere per turundam dilatato. Emiſſi tamen ſanguinis pondus erat Unciarum ferè XII. & quia calculo putare effluentis copiam animum induxeramus, vaſculum in eam rem aheneum Unciarum XIV. capax adhibuimus.

§ Non debebat amplius ita relinqui æger, niſi intempeſtivo illo calore, quem dies adferebat, vulneri noxa crearetur: itaque poſt tres horas Chirurgi linamentis turundâque vulnus opplevere; ſed ne quid damni caperent oræ ex ſanguine vel coagulato aut inflammato, Digeſtivum fuit additum, Turunda quoque, ne intus abriperetur, alis inſtructa picatis; quod enim aliàs funiculis tentant, id eum in modum commodius & comtius fieri poſſe videtur. De Digeſtivis id duntaxat notavi, ea, dum vulnus reddunt nitidius & à corruptione immune, conſolidationem quoque & carnis procurare luxuriem, atque ita vulnus maturius ſæpe coïre aut ſaltem coitum tentare, quàm neceſſitas poſtulat. Igitur meo conſilio id minimè agendum, dum cruda ſunt omnia, dum ſanguis nondum emanavit, dum fundus, & ſi quæ ſunt in angulis, non ſatis purgata: tuenda quidem interior vulneris ſuperficies à corruptione, ſed non nimium caro augenda, adeò non temerè nec Terebinthina cocta nec Unguentum fuſcum Fel. Wurtzii, quo liberalius vulgo utuntur, adhibenda. Erupit tandem exſpectatò ſanguis perniciem latibulo ſuo minans, ſed rivo tam tenui, ut oras dilatare neceſſe fuerit. De iſto autem ſanguine meritò quis quærat, utrùm jam antè in Thorace ſtagnaverit, an nunc demum irruperit? Stagnaſſe eum multis indiciis conſtat; quòd autem non eruperit, id partim terrori metui miſto, qui vulneratum occupaverat, partim coalitis ob contractionem muſculorum intercoſtalium fibris adſcribendum fuit. Certè pulsûs illa tenuitas argumento erat, motum ſanguinis nec dum ſatis integrum, adeò & lentam fuiſſe in extremis circulationem; quod ipſum & frigus externi habitus atque etiamnum durans vultûs ſqualor teſtabantur. Et ne quis putet ſanguinem ſtagnantem & extra venarum ſphæram rejectum, nullis amplius nec animi nec corporis paſſionibus obnoxium; etiam aquæ illæ Abdominis & pus Empyicorum, quamvis degener materia, & terrore & animi deliquiis quandoque ſiſtuntur.

Artic. V.

Circa horam nonam Veſperi rediimus, ubi pulſus à nobis deprehenſus imbecillis atque anguſtus, ægro tamen

tamen ob inutilis ſanguinis copiam nonnihil levato. De vulnere autem nihil adhuc dum certi, quod de Pulmonum læſione non conſtaret. Jam verò nobilis alicujus partis noxam ſymptomatum ſæviorum congeries facilè arguebat Pulmones rurſum reſpiratio ſic ſatis idonea à culpâ vindicabat; erat quidem illa paulò concitatior & quaſi abrupta, verùm, res mira! nec tuſſi nec ſanguine comitata. Sed ut omnis dubitandi materia amputaretur, adhibitus in teſtimonium Cereus, vulgato experimento, ſed & ipſe luminis conſtantiâ oſtendebat nihil aëris vulnere efflari, adeò & illæſam Pulmonum ſuperficiem nihil miſiſſe ſanguinis, fallaci tamen, ut apparebit, eventu.

§ Ex hiſce puto conſtare, quàm *res ſolliciti plena timoris* prædictio, & quàm una circumſtantia, ut in aliis quoque accidit, variare negotium poſſit. Ponderanda ſunt omnia, & ubi ponderaveris, non protinus fidendum indicio, quando in abdito lateant, quæ univerſam prognoſeos materiam moderentur. Equidem, cùm morbi ingenium non in totum eſt perſpectum, incerta eſt futurorum ratio. In hoc caſu, cùm nondum vera & adæquata vulneris cauſa attingi potuerit, utique nihil decernendum erat. Credibile, vel grumum ſanguinis, aut obverſum Pulmonis lobum, quâ parte illæſus erat, aëri viam præcluſiſſe.

Artic. VI.

Poſtridie ejus diei, qui erat Menſis quintus, acceſſi matutinus ægri conditionem exploraturus. Ibi tùm vultus æquè ut antè rigidus labraque adhuc livida, Pulſus celerior & caloris augmento comitatus, Reſpiratio profunda magiſque interrupta, intolerabiles circa Cor anguſtiæ dolorque ſupra modum atrox. Vulnus detectum, quamvis inclinato corpore, nihil reddidit ſanguinis; & quia aërem matutinum admittere inconſultum erat, poſt aliquot quaſſationes, Turunda indita vulnusque religatum. Intus autem Analepticis vulnerariiſque, & quæ grumum diſſolverent certatum. Exemplum miſturæ tale erat: R. Aq. Veronicæ, Scabioſæ, Pimpinellæ, Chærefolii, Schorzoneræ comp. aa. Unciam j. Cinnamomi Diabor. Spir. Fragorum aa. Unc. Semiſs. Diaſcord. comp. Scrupul. IV. Aceti Vini ſtillat. Unc. Semiſs. Ocul. Cancri ppt. Drachm. j. Spermatis Ceti Grana XV. Saccari rotul. perl. Q. S. ad gratiam. Miſce, cochleatim uſurpetur.

Artic. VII.

De Meridie horâ fere quartâ vix amplius dolorum patiens, Chirurgo neceſſitatem impoſuit vulnus reſolvendi. At ille nihil audens ſine conſilio præſentiæ meæ omnia reſervabat; itaque protinus adſum vulneriſque aperturam planè ſuadeo, quòd ſanguinis erupturientis molem jam tum animo præſagirem. Reperio autem ægrum viribus valdè defectum & languentem, aucto nunc etiam caloris gradu pulſusque celeritate. Cor mirificè excruciabatur, ut quod non ſatis commodè in illâ ſanguinis prementis copiâ volutari poterat. Reſpiratio conciſa & profunda, Pulmonum illam expanſionem abnuente cruore. Tuſſicula jam invaluerat: ſed non magnopere moleſta, & quâ, ut ipſe dixit, jam ante morbum laboraverat; neque ſicca illa aut ſanguinem, quæ noſtra erat exſpectatio, ſed craſſam coctamque referens materiam. Unde ignarus, quid conjicerem, ſtatui occaſionem Tuſſis operiri; nec mora, effertur tuſſi phlegma coctum nitidumque, ſed unicâ ſtriâ ſanguinis diſtinctum; ex quo cum ego Hæmoptoën jamjam adfuturam crederem, alia omnia evenerunt; nam inde rurſum materia alba & cocta, nullum toto morbi decurſu nec ramentum nec guttula ſanguinis. Vulnus detectum inflexo in angulum acutiorem corpore ingens ſanguinis profluvium dedit, etiam majus futurum, niſi plagam vinculis coërcuiſſemus. Sed cùm paulò poſt per Turundam quoque & Emplaſtrum promicaret, reſerato vulnere IV. rurſum Unciis exeundi libertatem dedimus, ægro jam fatiſcente & emiſſi ſanguinis copiâ XVI. Uncias æquante. Itaque neceſſum erat momento fungi illius orbicularis, quem Lupi crepitum noſtri vocant, ſtricturiſque validis oras vulneris occupare. Interim æger medicamento priore refectus, & ponderis aliquod levamen ſentiens, circa veſperam horâ nonâ reditum ſollicitabat, quem & ipſi ultrò condicebamus. Itaque novus eo tempore orgaſmus & erupturientis ſanguinis prurigo ægrum moleſtabat; & quòd timeret cum tantâ ſanguinis mole animæ quoque exitum, ægrè adduci potuit, ut vulnus recluderemus; verùm intellecto periculo non recuſavit Chirurgorum operam. Imò cùm ſibi adhuc conſtare videretur, inutili omninò & in iſto loco noxio cruori clauſtra laxavimus: effunditur ergo non ſine trepidatione adſpectantium pleno flumine ferè ad Uncias XII. Ad hæc febris invaleſcens ſudorque repente ſubortus frigidus ſiniſtri ominis ſuſpicionem movebant; verùm & illa tempeſtas non perpetua. Repetita prior potio, &, quòd ſanguis nimium ſe profundere videretur, Pulverem commendavi adſtringentem in juſculo vitulino partitim ſumendum. R. Pulv. Sanguinis Draconis gr. XXXV. Corall. rubr. ppt. ſcrup. j. Laudani opiati gr. j. Miſce.

§ Nihil hîc magis mirandum, quàm quòd nihil ſanguinis in tam metuendo Pulmonum vulnere ore tuſſi proruperit; quæ nota aliàs eſſe ſolet percuſſi viſceris. Ballonius tamen, & ipſe gravis Practicus, Conſil. lib. II. conſ. XXII. unum & alterum exemplum allegat, ubi nihil prodierit ore Pulmonibus læſis, cenſetque ejus rei rationem eſſe valdè perplexam. Ego autem, ut credam in leviculo vulnere & velut ſuperficiali Pulmonum ſtricturâ ſine Hæmoptoë tranſigi morbum poſſe, ita hoc caſu, ubi grandior vena, atque etiam, ut poſtea apparebit, pars abrupta fuit, non ſatis capere poſſum, quem in modum laceratis veſiculis angularibus, in quas bronchiorum capillaria proximè ſe inferunt, unà cum aëre non etiam ſanguis, aut quod ejus tenuius eſt, abripiatur. Dicendum fortè eſt in illo Naturæ luſu, grumulum aliquem ſanguinis aut laceram Pulmonum membranam, velut valvulam, capillarium extremis obductam aditum obſtruxiſſe.

Artic. VIII.

Die ſexto Maji eadem ferè ſymptomata, quæ pridie, niſi quòd moles iterum ſanguinis eruptionem tentaret circaque oras vulneris calore quodam efferveſceret, indicante hoc ægro. Itaque manè emiſimus ſanguinis Libram ſemiſſem, etiam de meridie, erumpente ſub finem ſpumoſo ſanguine, qui ſe hactenus non prodiderat; Cereus in experimentum rurſum adhibitus tandem quoque aërem vulnere efflari oſtendit, ut jam de Pulmonum vitio dubitare amplius non liceret. Veſperi extractæ rurſum V. Unciæ, eratque fluor inæqualis & ad ſingulas inſpirationes fortior atque ſpumoſior; ſemper tamen ad ſanguinis miſſionem levamen ſentiente ægro. Miſtura & Pulvis iterata.

§ Nunc tandem perrupiſſe molem ſanguinis aër videtur, ut & in ſpumâ exiret & cereum difflaret, excuſſo nempe repagulo, quod hiatum inſederat. Sed paradoxum eſt, non eâdem quoque viâ, quâ aër ſe proripuit, ſanguinem rediiſſe aut volatile ſerum, cùm aliàs ſæpe etiam ſanies veſiculas tranſudet pulmoneas lobuliſque bronchiorum excipiatur. Dicet alius, ſi quid obſtitit impedimenti, adeò nec aër prorumpere debuit, at fuit fortè ea per accidens, fuit obverſæ membranæ figura, ut externa quæque arcere

&

& aërem duntaxat deſuper illapſum admittere potuerit. Forte etiam bronchiorum aliqui ramuli attriti & fluctuantes alter alteri viam incubitu obſtruxere, ſuo aëre in inſpiratione exitum ſibi parante; neque enim, dum aër egreditur Pulmonum capillaria, ingredi ſanguis potuit, dum verò & ipſe viam remetitur, compreſſis ſtatim capillaribus aut objectâ in illâ contractione valvulâ membraneâ, quæ vis omnis externa eſt, ab ingreſſu prohibitus & ſanguis videtur. Credibile etiam eſt, ſi in ſummâ aut mediâ parte Pulmonum fuit plaga, haud ita facilè aſſurgere ſanguinem, ac ſi in infimis ſit, niſi hiatus efficiat, ut, qui è venis erumpit ſanguis, mox in bronchia tranſeat.

Artic. IX.

Septimo Maji ægrum eodem ferè ſtatu offendimus, niſi quòd febris, reſpiratio & tuſſicula aucta viderentur: quod ipſum in partem infortunii trahebam, cum in illâ quaſſatione Thoracis nulla quies, nulla coëundi poteſtas ruptis venis concederetur, quin potius ad tot irritamenta alius ex alio ſanguis cavum inundaret. Apertum vulnus XIII. Uncias ſanguinis ſpumoſi & ſibilantis refudit. Cùm itaque hoc argumento, etſi cæterorum ſymptomatum vehementia nonnihil remiſiſſe videretur, omnia in ancipiti poſita viderem, nec quidquam internis in tanta hæmorrhagiâ effici poſſe perſuaſus eſſem, conſilium cepi infuſionis, an forte propius & melius Clyſter ad venarum oras deferri ſiſtereque impetum ſanguini poſſet. Cogitanti autem mihi incidit quidem de Aquâ ſtypticâ ſuſpicio, ſed vis illa adſtringens vitriolata, quâ ſanguinem efficacius coagulat inque grumum cogit, diſſuadere uſum videbatur. Metuendum enim erat, ne ſanguine quoque, qui Thoracis cavum inundabat, coagulato fluor omnis deficeret, atque adeò Pulmonum cordisque motu ſuſpenſo vita periclitaretur. Chirurgi etiam, quibuſcum communicabam hoc conſilium, inſuetam ſibi medicinam aliquantum horreſcebant. Sed cùm monſtrarem nihil in eâ fore periculi, modò blandis molliculisque adſtringentibus uteremur, conſenſere tandem & ipſi manifeſto diſcrimine compulſi. De die interim medicamentis indulſit prioribus, ne vires nimium labaſcerent. Sub veſperam redii, ſed laborantis conditio nihilo melior, fortè quòd retectum vulnus ſanguinem non funderet, quem tamen adeſſe copioſum illa pectoris gravitas & alia ſymptomata ſatis ſignificabant: Formulam hanc Clyſteris Thoracici adſtringentis in futurum præſcripſimus. Rec. Fructuum Sylv. Drachm. j. Fl. Roſar. rub. balauſtior. aa. Pug. j. Herb. Veronicæ Man. j. Polygoni Man. Semiſs. Radic. Torment. Drachm. ij. Terræ ſigill. ... Scrup. ij. Coque in ſ. q. aquæ hordei ad Uncias IX; Colatura detur uſui. Horâ nonâ veſpertinâ denuo ægrum viſitavi, & cùm omnia gravia viderentur, vulnus recludi juſſi. Ibi tum ſtatim novum profluvium, & ad ſingulas exſpirationes auctius, excutiente ſanguinem convexo diaphragmate. Unciæ erant IIX. Sed quia verebar, ne ſanguis ad poſtica & angulum declivis diaphragmatis prolapſus morâ ſtationem quæreret, juſſi ſubjectis pulvinaribus corpus nimis reſupinum erigerent, quò facilior deinde eſſet effluxus. Et quia Clyſter adſtringens jam erat paratus, infuſionem primum trium Cochlearium fieri mandavi; æquo animo tulit eum patiens ſenſitque ad teporem Clyſteris Thoracis cavum blandâ veluti ſparſione irrigari. Relictus inibi Clyſter ad diem alterum vulnusque obligatum; interea, cùm febricula infeſtior eſſet & ſaturata rubedo, Peripneumoniæ ſymptoma, genas occuparet, medicamentis utendum duxi ſanguinis bullientis æſtum ſtagnantisque coagulum impedientibus. Itaque hunc pulverem præſcripſi. Rec. Antimonii Diaphoret. Ocul. Cancri ppt. Fl. ſulfuris rectif. aa. Scrup. Semiſſ. Spermat. Ceti, Mumiæ Alexandrinæ aa. Gr. VI. Saccari penidiati Gr. XII. Miſce. F. Pulvis pro duabus doſibus.

§ In omni Hæmorrhagiâ quies utiliſſimum remedium: notum enim eſt, quàm muſculorum quoque motus ſanguinis promoveat fluorem. Quid ergo cenſendum de præcipuo illo poſt Cor circulationis organo, Pulmone? qui ſine ullâ intermiſſione ſyſtoles illas alternat, & hauſtum ſanguinem inflatu continuo propellit. Utrum credibile eſt motu iſto non interrupto aut ſiſti ſanguinis impetum aut coïre vaſa poſſe? Videmus, quàm in muſculoſas partes adactum vulnus, ſi vena eſt percuſſa, omnem planè motum abnuat, &, niſi quies imperetur eaque continua, haud facilè coaleſcat: num in mobili iſto perpetuo ferventisque à Corde ſanguinis pleno organo venæ coïbunt? itaque ego non mirabar fluidi continuoque impulſi ſanguinis pertinaciam; propius miraculo videbatur, illâ partis volutatione deſiturum aliquando, qui inceperat, fluxum. Aër ille, quo ſine nec momentum vivere poſſumus, dùm influit continuò bronchiorumque & veſicularum replet utriculos, hoc ipſo venarum, quæ toto viſcere comites incedunt membraniſque veſicularibus intexuntur, ſpatia coarctat ſanguinemque in truncum venæ Pulmonalis inque auriculam Cordis ſiniſtram mechanicè exprimit, ne quid facultatis vel expultricis aut attractricis ſubeſſe quis credat. Hac compreſſione, ut omnes promiſcue venas, ita has quoque anguſtari ſanguinemque continuò ejici neceſſum eſſet, niſi peculiari vi balſamicâ in tanto diſcrimine ipſa ſibi ſufficeret Natura & αὐτοδίδακτος ἐοῦσα periculo occurreret. Sed in hanc rem conjecturam ſuo loco reſervamus.

§ Famoſa eſt Aqua ſtyptica, Gallo auctore in noſtrum quoque orbem ſparſa, ſed cujus efficaciam non æquè omnes ſalutarem aut certam experti ſunt. Vis autem, quâ ſe commendat, in coagulatione ſita eſt, quæ ut non ubique neceſſaria, alibi etiam damnoſa, non mirum eſt eventu ſæpe deſtitui, & nuper adeò laudatam medicinam in criminis ſuſpicionem adduci. Intereſt plurimùm ſcire, quàm magnum ſit vulnus, & quâ parte, & quo modo illatum, rectum etiam an obliquum, ſecundùm fibrarum ſeriem an contrà, perpendiculare an horizontale, certè enim pro magnitudine & figurâ ſanatio variat, coagulumque ſanguinis aut conducit aut nocet. Vidimus ipſi, viderunt etiam alii, ingreſſu vulneris per grumum obſtructo, quod reliquum erat fluidi ſanguinis, actis ſubtus cuniculis paſſim per muſculorum tendinumque fibras ſeſe diviſiſſe, & mutato mortis genere, non ex Hæmorrhagiâ, quæ fortè aliis remediis ſedari tutius potuerat, ſed Gangrænâ obiiſſe vulneratos. Teſtis quoque eſt ejus rei ὁ πολυμαθέστατος Bartholinus, nuper nobis ereptus, in Actorum Hafnienſium volumine tertio. Quid quòd toties etiam, quoties grumus vel ex improviſo aut cum faſciis excidit, excidit autem ſæpe, Hæmorrhagia recrudeſcere novamque curam, perinde ut priorem incertam, poſcere viſa eſt. Et ut laudanda ſit Aquæ illius virtus, nolim tamen manibus præparetur, aut citius, quàm oportet, adhibeatur, non etiam temerè cavo ventrium committatur, quare neque hoc caſu periculum ejus facere ſuſtinuimus. Viſum eſt nonnullis abſurdum unâ operâ ſimul & craſſum ſanguinem fundere & tenuem condenſare, ſed experientiam obſervanti apparet felix eſſe utriusque in ſpeciem contrarii connubium. Tam eſt curioſa ſui Natura, ut varii generis medicinas ipſa pulchrè diſponat, & quamvis confuſas ſuis tamen ſingulas objectis vitiisque accommodet. Quæ coagulant particulæ, non antè ſe exſerunt, quàm eò ſunt delatæ,

ubi illarum eſt uſus; quæ attenuant, & ipſæ ſibi contrarias reſpiciunt nec facilè aliis efficaciam impendunt ſuam. Cujus rei rationem hanc eſſe puto, quòd quæ attenuant, grumumque reſolvunt ſanguinis, fibroſis imprimis caſeoſisque ejus particulis & lymphæ tenuiori miſcendæ ſpecificè ſint accommodata: quæ condenſant, ea dividendo utriusque conjugio præcipitatione aliquâ aut adſtrictione inſerviant, dum ſeri poros excuſſis ſanguinis fibroſioris particulis ipſa vel occupant aut unà coarctant. Ut ne quis culpam famigeratiſſimo Sylvio intentet, qui ut aliàs ſæpe, tum in Hæmorrhagiâ ſemper, abſorbentia, balſamica, & coagulum reſolventia invicem commiſcuit magnoque nominis elogio uſurpavit.

Artic. X.

Octavo die Maji, erat is à vulneratione quintus; febris remiſſior etiam poſt noctem mediocrem, tuſſicula autem paulò aſperior, at ſanguinis immunis, coctâ duntaxat prodeunte materiâ. De gravitate dolebat in dorſo circa nothas, quâ diaphragma declinat, inde & ſpatio hypochondriorum anteriora verſus, quod cum ego à conſenſu partium vicinarum eſſe conjicerem, videbatur poſtea aliunde eſſe. Ad reſolutionem vulneris præter omnem opinionem nihil erupit ſanguinis, five quòd Pulmo intervenirer, ſeu quòd ad poſtica relapſus cruor haud facilè ſe revocari pateretur. Conabatur quidem & juvabat ſollicito flexu profluvium æger, ſed fruſtra; itaque, ne aëris ingreſſus cavo noceret, religari vulnus juſſimus, aliam profluvii opportunitatem exſpectantes. Cùm ergo circa meridiem inquietior factus molem ſtagnantis ſanguinis æger perſentiſceret, ipſe auctor & ſuaſor extitit, ut vulnus reſolveretur, non detrectantibus officium Chirurgis. Exivere Unciæ ſanguinis IIX. ſub finem etiam complures bullæ ſpumantes. Ingraveſcente cum veſperâ febri genisque efflorescentibus, antè horam nonam vulnus recludi mandavi; ſanguinem, ſi quis eſſet, evocaturus; nec mora, quin magnum rurſus profluvium, ſed quod poſt ſex Unciarum jacturam maturè cohibitum. Inſtillationem de die intermiſſam meo juſſu repetivere Chirurgi.

Artic. XI.

Poſtridiè matutinis horis melius ſe habebat, tantùm de pondere & puncturis poſtica verſus conqueſtus. Reſpiratio quidem difficilis, conciſa & frequens, ſed non ex æquo & vulneris ingenio. Sanguis poſt reſolutionem undulatim profluxit tandemque in ſpumâ defecit. Unciæ erant IV. Igitur, quòd coagulum & jamjam adfutura putredo jure metuerentur, mutavi Clyſteris genus, & decoctos in aquâ hordei Centaurii flores melle roſato deliniri Unciamque unam & ſemiſſem, hoc eſt, tria Cochlearia inſtillari juſſi. Ptiſanâ & vitulinis juſculis, quod ſolidiorum non eſſet capax ventriculus, ſatiare ægrum oportuit; quamvis vix etiam hæcce ferendo eſſet. Veſperi ægrum rurſus viſitavimus, ubi, præterquam quòd febricula invaluerat, etiam dolores offendimus ſolitò majores, maximè jam in hypochondrio ſiniſtro; quod cum à loco affecto planè diſtaret, conjectavimus flatuum illam culpam eſſe, & ſanè ita erat; evacuatâ enim alvo, dolor remiſit & ipſe ſibi æger viſus alacrior. Interim remotis linamentis atque turundâ non protinus ſanguis erupit, ſed demum poſt varios conatus commodèque inflexum corpus. Ex illo autem certum oportuit ſervare ſitum, quo ſanguis liberius proflueret, nempe ferè illum, quem, dum vulneraretur, tenuerat. Copia emiſſi ſanguinis, ſubtractâ Clyſteris quantitate, quod ſemper fecimus, Uncias æquabat XII, & quod ad priorem Clyſterem quoque, id ad hunc maximè apparuit, medicatum prodiiſſe ſanguinem Clyſterisque odore perfuſum.

§ Si rationem figuræ & nexus diaphragmatis attendimus, utique non videtur res levis, omnia ita ex declivi angulis evocare, ut vel ſtatim in anteriora incumbant aut, quæ ſunt, omnia excutiantur. Alligatur diaphragma Xyphoïdi cartilagini, à quâ ſtatim ad quartam, aut, ſi placet, alteram coſtarum notharum, inde ad ultimas, & duodecimam dorſi, inde & aliquot lumborum vertebras, obliquato ductu deſcendit, & apophyſibus carneo-tendinoſis ad os uſque ſacrum demittitur. Atque hic ſi calculum ineamus intervalli, quod ab utroque circumferentiæ puncto relinquitur, apparebit obliquius eſſe in homine hoc organum, quàm animalium ullo; accedit, quòd in exſpiratione plani non tam inclinati quàm convexi & in obtuſum apicem ſurgentis centri figuram referat, adeò etiam curvilineâ ſuperficie angulum relinquat decliviorem & recto longè minorem. Ut adeò, ſi quid iſto loco expellendum eſt, inſpiratione magis fieri debeat, quàm exſpiratione, nempe tum, quando muſculus ille ex convexo tumore in planum ſubſidit minus inclinatum. At cùm ex circumferentiæ naturâ non poſſit planum fieri horizontale, videtur corporis prono inflexu defectus ille ſuppleri, id quod poſtridiè, & aliis diebus, ubi moram nectebat ſanguis, experimento didicimus. Multum autem juvandæ huic figuræ vulneris ſedes conferre videtur; nam quo à circumferentiæ & quidem poſticæ finibus propius abeſt, hoc facilius eſt profluvium, multò contrà difficilius, ſi ad anteriora incumbat, difficillimum autem ubi ſuperioribus coſtis infictum eſt; nam aliquid & hoc excretionis levat moleſtiam, ſi in anterioribus quidem, ſed tamen humili loco, interque quintam & ſextam, aut ſextam & ſeptimam vulnus reſedit; quorum illud noſtro quoque ægro non leve præſtitit beneficium.

§ Nimirum, quòd Hæmorrhagia nimia eſſet & corpus cum tempore nutrimento fraudaretur ſuo, conſultum duxi Juſculis naturæ noſtræ affinibus & Gelatinis jacturam ſucci nutricii reparare. In quorum commendationem hoc quoque accedebat, quòd viſcoſis dulcibusque particulis ſanguinis deliniant fervorem motumque impediant, adeò & vaſculorum coalitum blandè procurent. Medicatam magis Gelatinam cenſeo illam ex Cornu Cervi decoctam, quippe quæ ſale etiam volatili fœcunda fermento vulnerum noxio expugnando plurimùm confert; quæ ſi ſpecificis Syrupis aut acido Citri temperetur, etiam diverſarum partium vulneribus & ſymptomatis accommodari poteſt.

§ Rariſſimum eſt, ut non in doloribus iſtis, qui ſunt à vulnere, hypochondria intumeſcant; & in illo ſpirituum humorumque orgaſmo non etiam, qui in inteſtinum emittuntur humores, tùm maximè bilis fluida & volatilis, efferveſcant, & cùm ad alvum in illâ corporis quiete perduci nequeant, cumulatis flatibus ventri laterique officiant. Atque ideò in vulneribus quoque commendatiſſimi Clyſteres & quæ primam purgant regionem Laxativa. Nam ſi alibi, hìc quoque videndum, ne quid ex ventre rapiant venæ, quod dulcedinem balſamicumque ſanguinis ſaporem, quò maximè ad glutinanda vulnera eſt opus, corrumpat.

Artic. XII.

Decimo Maji, quòd ſitus eſſet repertus, qui evacuando erat idoneus, flumen proſiliebat cruoris, cujus ex nigredine & odore quaſi piſculento, certè peregrino, jamjam adfuturam corruptionem augurabar. Emiſſi ſanguinis copia Uncias VI. æquabat, jam verò quod pridiè feceramus, liquoris negligere infuſoriam piaculum videbatur; immiſſa ergo lento manuum tractu Clyſteris Cochlearia quatuor. Reſpiratio adhucdum difficilis; tuſſicula remiſſior & nihil non cocti prodens. Medicamentis

mentis pulmoneis bechicíſque ex æquo continuatum. Laudavimus imprimis Conſervam Roſar. Hiſp. ut quæ demulceat non tantùm ſanguinem, ſed & ſpiritus reficiat. Etiam ad calorem temperandum & particularum efferveſcentium acrimoniam obducendam ſequente formulâ uſi ſumus. Rec. Hordei mundati & ad crepit. cocti Unc. Semiſs. Amygd. dulc. mund. Drachm. j. Sem. Melon. non rancid. Aquilegiæ, Milii Solis aa. Scrup. ij. Aq. Fragariæ, Fl. Acaciæ aa. Unc. iij. Scabioſæ, Schorzoneræ, Veronicæ aa. Unc. ij. F. Emulſio S. A. Adde Aq. Cinnam. diabor. Unc. j. Spir. Roſar. Rubi idæi aa. Drachm. ij. Ocul. Cancri præp. Antimonii Diaphoretici aa. Drachm. Semiſſ. Sacchari rotulati perlati Q. S. ad gratiam. M. ſce. Circa veſperam febris invaluerat & remotis plagis linamentisque novum ſanguinis flumen matutino æquale apparebat, & cùm vix ſuffecturum ægrum putabamus, tantùm non poſt ſingulas corrupti ſanguinis miſſiones animoſior erat atque erectior. In cruore, etſi dies jam ſeptimus verteretur, nulla adhuc dum puris lineamenta, nullæ fibræ, multò potius atra ubique & ſyrupi inſtar mucilaginoſi craſſa facies in refrigerato; quid quòd fluentem adhuc & calidum ſanguinis rivum odor comitabatur viroſus peregrinæ cujusdam mutationis index: Itaque cura habita inſtillationis.

§ Puris plerumque generatio haud ita diu trahitur; ſed tamen pro corporis ſanguinisque naturâ ocyus aut ſegnius procedit. Si corpus frigidioris temperamenti aut texturæ denſioris, tardius; ſi calidioris & rarioris, citius abſolvitur. Ut plurimùm tamen tertio, quinto aut ſummùm ſeptimo die veſtigia puris in extravaſato cruore eluceſcere ſolent. Quò magis mirum videatur, nedum ullas puris notas apparuiſſe. Exiſtimo autem ſanguinem, qui extra venarum ſphæram in cavitatem effuſus eſt, cum à cæteri ſanguinis conſortio ſit diſcretus, adeò nec calorem amplius, quem invicem ſibi ſuffundere mobiles particulæ poſſunt, participet, tardius ad ſuppurationem diſponi quàm alium quemque. Accedit, quòd, qui in Thoracis cavo continetur, ſanguis, Pulmonum & Diaphragmatis appulſu à quiete, quam fermentalis putredo expoſcit, prohibeatur.

Artic. XIII.

Undecimo Maji eadem ferè phænomena, quæ antè; nam & ultra Libram profluxerat putidi obſcurique ſanguinis, ſive quod Acaciæ ſuccus ater, quem ob Hæmorrhagiæ periculum in Clyſterem addi juſſeramus; ſeu quòd putredo in moram verſa nigrum contraxiſſet colorem.

Artic. XIV.

Duodecimo, id eſt, nono poſt acceptum vulnus, die nox δύσφορος multâque tuſſi & conciſa reſpiratione tranſacta; adeò majus malum ſuſpicatus novo conſilio animum firmabam. Equidem in tam neceſſariâ animæ ultro citroque euntis reciprocatione vix credibile erat, vulnus, ſi quod eſſet in Pulmonibus, ad ſanitatem perduci poſſe, adeò nec Hæmorrhagiæ modum fore. Præſagiebam itaque poſt tot ſymptomata ingentem ſanguinis undam; nec fefellit opinio: pleno enim flumine erupit, non floridus amplius aut integer, ſed ſqualore inquinatus: Inſtillationes frequentatæ detrahebant quidem nonnihil iſti contagio, ſed vincere in totum non poterant; quo ne quis hodiernum aut pridianum eſſe ſanguinem exiſtimaret, ſed nuperum & jam inde à primo vulnere ſuperſtitem. Tam diverſa undique ſymptomatum facies aliud atque aliud ſuadere videbatur. Mane prodiit unda X. Unciarum, puris autem nihil quidquam. Sub veſperam Unciæ VI. effluxere; febricula quoque intenſior & φλόγωσις genarum, ſi unquam aliâ, nunc certè maxima, ut diſcrimen aliquod Pulmonum eſſe appareret. Reſeratum vulnus ſanguinem reddidit ſpumoſum fœtentisque auræ plenum. Pulſus erat concitatior, inquies corporis ſumma, omnia in turbido. Inſtillationes potionesque vulnerariæ ſtudioſè imperatæ; imo, ne quid à vulgari methodo deficeremus; Decoctum præſcripſi ex Pyrolâ, Conſolidâ majore & mediâ, Scholz. nerâ, Scabioſâ, Tuſſilagine, Veronicâ, Liquiritiâ & Paſſulis; adjecto quoque ob ſuſpectam putredinem florum Centaurii pugillo uno & altero; nempe, quæ ejus erant naturæ, ut molli dulcique glutino vulneris conſolidationem promoverent.

§ Prodigio proximum erat ſanguinem effundi tam copioſum, & ut odor & craſſitudo teſtabantur, inveteratum. Quis autem credat in tam anguſtis occupatisque ſpatiis hærere illam ſanguinis molem potuiſſe; ſi non hæſiſſe conſtat ex aliis ſignis, quidni novitatem ipſe ſuam tenui roſeoque effluvio teſtetur? an verò ſtagnantis quoque contagium in viciniam & maſſam tranſiit humorum? Rem benè ponderanti videtur utique pars aliqua jam inde ab initio hæſiſſe, ſed quæ continuò affluentem ſimili inficiat contagio, & ſpecie ſui obducat. Jam verò, ſi rupta uſque patuit vena, quis tandem futurus erat excretioni modus in illâ viſceris concuſſione? Sed hîc quoque nos datâ operâ expediamus.

Artic. XV.

Tertio decimo die vix alia rerum ſpecies, certante hinc Naturâ, hinc morbi aſperitate; manè tamen in univerſum pacatior, quàm veſperi, utriſque viribus æqualis ferè copia ſanguinis Uncias pendebat XIV. detractâ, ut aliàs, Clyſteris menſurâ. Dies erat à vulnere decimus, ubi needum vel veſtigium puris; itaque priorem cogitationem facilè repudiaſſem, niſi nidor ille cruoris peregrinus in illâ craſſitudine animum denuò confirmaſſet. Inſtillatio ſtudioſè repetita.

Artic. XVI.

Quarto decimo die novum emicuit ſymptoma; namque vultus Roſeo & Laccæ Florentinæ æmulo colore perfuſus Peripneumoniæ inflammationisve pulmoneæ ſuſpicionem augebat, ſed motus Thoracis non adeò inæqualis & remiſſa inſpiratio diverſum quid ſuadebant. Febricula etiam lenta corpus depaſcebatur, eratque amplius depaſtura, niſi tam profuſa Hæmorrhagia orgaſmum infregiſſet. Ipſo hoc die eductæ fuere Unciæ ſanguinis XVIII. ſed vapidi & mucilaginoſi, ut jam in propinquo eſſe corruptionem crederes. Pluſculum ſucci Acaciæ in Clyſterem addi & ſiphonem ad alias aliasque Thoracis partes converti juſſi, ſicubi fortè perruptis venulis adſpergi liquor adſtringens poſſet. Suaſi etiam Juſculis quàm maximè gelatinoſis profluentis ſucci damnum reſarciret, quod nec abnuit in mediocri appetitu.

§ Certè, cum ſanguis ſit pabulum & ebullitionis febriculoſæ ſubjectum, fieri nequit, ut non cum diminutione ejus magna quoque efferveſcentiæ pars tollatur. Atque ideo protinus ad inflammationis ſuſpicionem compendioſè ſanguis mittitur, imò etiam, ubi minus ille ex vulnere fluit, quàm oportet; atque ob eam quoque cauſam, quæ eſt prudentiorum Medicorum animadverſio, non ſtatim, ubi vulneris eſt Hæmorrhagia, de ſiſtendâ ea cogitatur, ſed relinquitur exeundi copia, donec viribus & depaſcenti eas febri inflammatoriæ ſatis ſit proſpectum. In vulneribus tantam ſæpe erupturientis ſanguinis ferociam deprehendimus, ut, niſi emittatur, intus deſæviat graviſſimaque excitet ſymptomata, & oras vulneris importuno coagulo fœtidaque putredine infeſtet. Hoc autem caſu, ubi jam diu plus juſto fluxerat, fluxurusque amplius videbatur, quamvis febris leniret periculum, auxit tamen Lipopſychiæ aut deliquii ſuſpicionem. Atque ideo cauſæ erant juſtiſſimæ, ut, quod in Thoracem exciderat, detraheremus omne, & quod venarum adhuc dum contineretur cancellis, quantâ maximâ operâ cuſtodiremus, quamvis irrito hactenus eventu, quod Natura oſtenderet, ſuas in curandis morbis & additis & deſperatis partes ſæpe eſſe potiores.

Artic.

Artic. XVII.

Quinto decimo morbi die color mane pallidior, circa veſperam autem magis miniatus. Inſtillatio facta reſupinato ſubtractis pulvinaribus corpore, an forte immiſſus liquor ſic tandem melius vulneri appropinquaret, & aliquando Hæmorrhagia, ſi quæ eſſet, ſiſti poſſet. Calor etiam inclinante die invaluerat, quamvis non eum in modum, ut febrim aliquam argueret. Cruor effuſus ad Uncias XII. etſi primùm ſeroſus appareret atque fluidus, mox tamen contractâ pelliculâ craſſus evaſit atque mucilaginoſus, & qui medicatum Clyſteris odorem fœtente aurâ facilè ſuperaret. Mel. Roſatum cum pauxillo ſpiritus vini addi in Clyſterem juſſi, ut ne putredo, quæ jamjam pus minari videbatur, degeneraret & ſanguis ſtagnans ab Acaciæ ſucco plus æquo coagularetur. Intus quoque ad fluorem ſanguinis compeſcendum hanc formulam adhibuimus. Rec. Cornu Cervi raſpati Unc. iij. Paſſul. maj. mund. Drachm. ij. Sem. Aniſi Unc. Sem. Aq. Plantag. Tormentillæ, Scabioſæ aa. Q. S. Coque S. A. Colat. Unciar. viij. Adde Aquæ è Typhis C. Cervi. Schorzon. comp. Cinnamomi diabor. aa. Unc. Semiſſ. Syrupi jujubini Drachm. vj. M. F. Gelatina vulneraria.

Artic. XVIII.

Die ſexto decimo Febricula quidem non adeò intenſa, ſed tamen ingens virium deliquium, pulſusque ipſe non quidem pro magnitudine morbi, ſed comparatione cum antecedentibus inſtitutâ, exiguus. Pondus puncturæque lateris, ex quibus valdè dolebat æger, molem & acrimoniam ſanguinis tabeſcentis in illâ Pleuræ viciniâ ſatis indicabant, etſi nulla, mirabile! vel tuſſis aut alia vellicatio incommodaret. Detecto vulnere manè quidem Unciæ XIV. fœdi cruoris putidumque olentis; totidem etiam, quod vix credas, veſperi ultima minari videbantur: ſed vultus conſtantia in tam copioſo alibilis ſucci detrimento aliud promittebat. Ad examen revocatus cruor craſſior apparuit & variegati in fundo coloris, ita ut purpuram pallidiorem dilutioribus & carneis ſtiriis intermiſtam referret. In refrigerato grumuli fundo hærebant candidiores, ſedimenti urinacei, ubi poſt morbos ſolvitur, æmuli. Inſtillatio continuata & jam ante potio vulneraria.

Artic. XIX.

Die ſeptimo decimo, qui vulneris erat quartus decimus, eadem adhuc ſymptomata viriumque majus diſcrimen, ægro jam quoque animum deſpondente, cùm ad vulneris aperturam ingentem denuo profundi ſanguinis ad Unc. XI. copiam videret. Sanè nos quoque ad illam ſtagnantis fluidi quantitatem perculſi, quodvis experiundum duximus, & cùm nihil vel probatiſſimis effectum eſſet, loci fortè naturâ abhorrente, ad liquorem facilè ſtypticum pedem retuliſſemus, niſi illa ſanguinis putidi craſſi & jam purulenti copia diverſum ſuaſiſſet. Itaque receptam methodum ingreſſus DEO Naturæque negotium committere ſatius duxi; id tamen etiam conatus, ut tantillo Spiritus vini in Clyſterem addito, craſſitudo imminueretur. Veſperi reverſo Pulſus, virium, functionumque omnium majus erat diliquium, quamvis non ex æquo morbi. Reſerata plaga Uncias reddidit XII. Æger exoneratâ putidi ſanguinis mole non tantùm ſibi conſtabat ſed & parte aliquâ ſenſum doloris puncturasque jam aliquot diebus infeſtas levari fatebatur. Examinatus uterque in patinis cruor, non tantùm fœdè olebat evaporatis particulis medicatis, verùm etiam in fundo ſaniem oſtendebat craſſam, mucilaginoſam atque purulentam. Itaque iſto indicio de pure quidem concepimus ſpem lætam, ſed illa permiſti ſanguinis copia vires ægri ſuffl cturas arguebat, & deinde in tantâ ſaneſcentis fluidi morâ ſolida jam corruptionem hauſiſſe videbantur.

Artic. XX.

Octavo decimo die nihil ferè mutata conditio ægri, niſi quòd ſomnus de nocte mediocris doloris ſenſum abſtuliſſet. Reſoluto vulnere effluxere Unciæ ſanguinis XIII. intermiſtis fibris pallidioribus, quas in refrigerato apparuit eſſe puris jam maturati ſtirias. Cruoris ſubſtantia multis jam partibus ſeroſior quàm pridem, quod nempe craſſioribus caſeoſisque fibris fundo ſubſidentibus inque pus excoctis ſerum innataret. Circa veſperam pauxillum duntaxat prorupit ſanguinis, morantibus fluorem tenacioris materiæ filamentis. Juſſimus ad hæc Clyſterem Melle Vinique ſpiritu, quem hactenus commodè toleraverat, perfundi; additâ etiam ad arcendam putredinem Balſamicorum tincturâ.

§ Quo magis elaborari pus cœpit, hoc ſanguis fuit & tenuior & aquoſior; ut hoc ipſo conſtet, puris generationem ad craſſas potiſſimum & filamentoſas ſanguinis particulas ſpectare, eſſeque velut ſedimentum quoddam ſanguinis fermentatione eamque ſequente præcipitatione, tincturâ ſuâ & viſcoſitate orbatum. Familiare eſt inter Chemicorum experimenta, Tincturas quàm ſaturatè rubras aciduli ſpiritus nidore in candidas verti, & cùm huic quoque fermento inflammatoriæ mutationis cauſas imputent noſtri, facilè etiam, quod inde reliquum eſt ſymptomatum, hinc deducas.

Artic. XXI.

Nono decimo die mediocriter ſe habuit æger, etſi Febris nonnihil invaluerat, degenerante jam in Empyema ſanguine. Reſpiratio aliquantò incommodior, unà & tuſſicula, nihil tamen peregrini in ſputo. Id quoque dolebat, pondus in Thorace augeri; haud dubiè, quod craſſiores particulæ, quæ in pus quàm maximè abeunt, à ſero ſuo deſertæ diaphragma magis premerent. Ad plagæ aperturam denuo Unciæ XII. ſanguinis, ſed quibus acceſſerat Triens olidi puris, ut de Empyemate jam planè conſtaret. Itaque cura omnis eò converſa, pugnatumque internis pariter atque externis.

Artic. XXII.

Vigeſimo die utcunque melius ſe habere videbatur, prodieruntque ad reſolutionem vulneris Unciæ IIX. puris ſanioſi & fœtidi, admiſtis tribus Unciis ichoris. Quâ de cauſâ Clyſteris formulam ita variare placuit. Rec. Fol. Scordii Man. j. Flor. Hyperici, Bellidis, Centaurii min. aa. P. j. Myrrhæ rubræ Drachm. Semiſs. Coque in S. Q. aquæ puræ; Colat. Unciar. X. adde Mellis Roſati Unciam j. & Semiſſ. Veſperi, non computato Clyſtere, Unciæ IV. puris prodiere. Hactenus igitur Hæmorrhagiæ ancipitis periculum evaſiſſe videbatur æger, ſed nova à pure ſollicitudo.

§ Hæmorrhagiam certè non memini aliam vidiſſe aut legiſſe majorem quàm hanc ipſam, quamvis autem per ordinem ſucceſſionis cruor eruperit, mirum tamen eſt, tot de die Unciis, aliquando & Libris, profuſis vires non penitus intercidiſſe. Equidem, cùm corpus noſtrum, niſi calculus fallit, viginti duntaxat octo aut ſummùm triginta ſanguinis Libris rigetur, neceſſe eſt veterem expulſo novum ſucceſſiſſe ſanguinem, totum adeoque corporis habitum mutatum, non inficiante hoc pinguiore alimento, quam poſtea præter omnem opinionem recepit. Aliquid tamen eſt, non ſimul & ſemel effuſum fuiſſe,

ut meritò ſuſpicari poſſim, ex quotidiano victu, potu & cibo, quamvis hic longè eſſet tenuiſſimus, redundaſſe; quod detrimenta illa lentè repararet. Sanè id unum ſerò dolui, non fuiſſe initas rationes quantitatis in victu, & nec urinæ nec ex rementorum nec tranſpirationis, ita enim calculi ſubductio & mutua omnium comparatio fuiſſet facilior. Illud autem haud fallaci conjecturâ aliquid poſſe videor, Excretorum ſenſilium quantitatem ſenſilium aſſumtorum quantitate longè ſemper fuiſſe majorem; nam ſi Urinæ, ſi Sudorum, ſi excreti Sanguinis exigam copiam, quod aſſumebatur ſive liquidum ſeu ſolidum, primis ſaltem diebus, ferè nihil erat, quod poſtea, aliquid & tamen excretorum reſpectu exile, Ut facilè induci me patiar, aliunde acceſſiſſe & vel ex aëre, quod ſeri ſuppleret vicem, eſſe adeoque in ipſo, quod Coſmopolita ajebat, *o cultum vitæ cibum*, eſſe nectar analepticum, eſſe ſpiritum ſalemque volatilem & vectricem omnium Lympham, ſuis tamen & ipſam beatam dotibus fermentisque inſtructam.

Artic. XXIII.

Die vigeſimo primo ſymptomata in univerſum leniori, etſi ſubinde per horas ingravescerent. Vulnus manè detectum Uncias refudit puris jam candidioris craſſiorisque III. unà cum duobus ramentis corporis ſolidioris articuli digitalis magnitudine: hæc ipſis oculis & Microſcopio explorata veſicularum Pulmonis ſubſtantiam ex parte putridam oſtendebant: adeò ut nunc demum de vulnere conjectandi certior occaſio eſſet. Inſtillationes continuatæ.

§ Mirificum ſanè eſt, nunc tandem prodere ſe Pulmonis fruſtillum, ubi tamen initio nec curioſa exploratio quidquam profecerat: Jam ergo conſtare debebat vulnus fuiſſe Pulmonis, nec vulnus tantùm ſed & partem lobuli decuſſam. De vaſis autem læſi magnitudine, e ſi valdè rixentur auctores, video ego etiam non ita magni vulnus periculoſum eſſe; quando in tam continuâ viſceris à ſpumoſo ſanguine ferventis quaſſatione non facilè coaliturum videatur. Quemadmodum autem quâ iter eſt ſanguineorum vaſorum, eò quoque pari neceſſitate contendunt aëreæ viæ, tubuli bronchiales, ita neceſſum eodem ſemper vulnere & aërem & ſanguinem efflari. Ut enim plagam concipias longè ſubtiliſſimam & ad capillarem venulam directam, ſemper tamen & uſque veſiculæ pulmonaris læſionem involvi opus eſt; Cùm autem veſiculæ iſtæ ſint expanſiones tubulorum bronchialium membraneæ, in quas velut in utriculos immiſſus aër ſe recipiat; utique ad minimam ſtatim ſeparationi pulmonaris, quippe quæ tota veſicularis eſt, ſtricturam aërem, niſi quid impediat, exire neceſſe eſt; ut plurimùm tamen etiam ſanguinem, quia veſicularum ſingulis planis reticulatim intextæ ſunt venæ pérque minima diſperſæ. Hic autem, cùm pars decisa fuerit ſolidior, in tanto tamque ſubito ſanguinis profluvio, tùm venas aliquot capillares, tùm unam paulò majorem pertuſam fuiſſe probabile eſt. De lobulis autem, an protinus ferro fuerint abraſi, an verò putredine ſeceſſerint, dubium eſt: ego, partim ferro reciſos, partim putredine ſolutos exiſtimem non vanâ conjecturâ.

Sub veſperam redeuntibus IV. apparuere puris fœtidi Unciæ, unà cum ramentis ſolidioribus, ſed in ſpeciem putrilaginis corruptis. Intermiſſa jam Inſtillatio experimenti cauſâ.

Artic. XXIV.

Itaque poſtridie, dies erat ſecundus & vigeſimus, vix aliquid puris extorquere vulnere potuimus lentore moram imponente: exile tamen ramentum ori vulneris ſe objecerat, quod cùm forcipe dentato amoliremur, aliquantulum puris ſucceſſit. Inſtillationem autem magno negotio repetivimus. Veſperi reverſis exhibuit ſeſe pus ad Uncias X. ſed non antequàm æger in ventrem ſe abjeciſſet pronus. Fœtor autem intolerabilis medicatum Clyſteris odorem longè ſuperabat; jam ut ex adſtantibus aliquis, quem novitatis cauſâ adduxeram, & ipſe Medicinæ candidatus, ſpectaculo rei, maximè etiam infeſto nidore, territus in lypothymiam inciderat, balſamo benè olente, quo quiſque ſe adverſus fœtorem armaverat, ægrè revocatus. Verùm quia pus juſtô craſſius videbatur, Spiritus Cornu Cervi tantillo in Clyſterem addito fluorem reducere conabamur, At ne vulneris quoque anguſtia fluxum inhiberet, Turundam mutavimus, immiſſo ex radice Gentianâ Cylindro.

§ Fœtor ille puris novam ſollicitudinem de Hæmorrhagiâ ſecuris creabat, namque manifeſtum putredinis periculum manari Pulmonibus & ipſi Pleuræ videbatur. Portento tamen ſimile, in illâ fœtidæ auræ acrimoniâ, nunc Pleuram, nunc Diaphragma, nunc Pulmones afficiente, nullam unquam tuſſim ſecutam eſſe, nempe aliam, quàm quæ cauſaria valitudo antè morbum excitaverat. Utrùm Balſamicus Clyſteris nidor vitioſum illud contagium ex parte correxerit, an membranæ fuerint παχύδερμοι atque ſenſus minus delicati, equidem haud facilè dixero. Scio aliàs ad inflammationes & puris generationem creſcere membranarum texturam & quaſi ſolidari. Interim, dum jam Pulmonis lobulos aliquâ ſui parte imminutos fuiſſe conſtat, notabile eſt in tanto hiatu pus, quod etiam veſicularum texturam ab aliquibus tranſudare creditur, non etiam ad fauces bronchiorumque truncos viam affectaſſe ſeque in ſputo aut ſcreatu exſeruiſſe. Sed oppoſuit ſe fortè, quod in pure erat glutinoſiſſimum, viamque valvulæ inſtar obſtruxit; aut ipſæ in ſe collapſæ veſiculæ beneficio ſucci ſanioſi, ut aliàs ſæpe & labra & digitos conglutinare invicem ſolet, coaluere; ſive etiam ruptæ vaſculorum laciniæ præpoſtero flexu ſibi incumbentes aliæ alias anguſtarunt; quemadmodum in exenteratis ſæpe viſceribus vidi nuda illa & fluitantia vaſcula, ſi in plano ſolido promiſcuè agitantur, non penitus neque ad omnes partes aditum flatui dediſſe. Neque enim in tàm obſcuro rerum poſitu evadendi melior ſpes eſt.

Artic. XXV.

Die tertio & vigeſimo II. Unciæ puris emanabant, ſociantibus ſe iterum aliquot ramentis Pulmoneis. Pernicioſus adhuc fœtor Inſtillationes poſcebat. Veſperi denuo VI. Unciæ puris craſſi & ſupra quàm credi poteſt fœtidi. Sanies erat bicolor, albis cinericiis jam & viridioribus flocculis diſtincta, ut appareret ex illo genere puris eſſe, cujus ingenium damnare Medici ſolent. Aheneum vaſculum, quo excipiebatur, atro purpureo colore ſignatum erat; quod cùm ab acidâ puris aurâ proficiſci crederem, eroſionem primùm Pleuræ, inde & Pulmonum, tandem etiam Coſtarum, veritus, Balſami aliquid Sulfuris & Aniſati in Clyſterem addi curavi.

Artic. XXVI.

Die quarto & vigeſimo manè rurſum II. Unciæ puris exivere unà cum majoribus ramentis, odore totum conclave infamante. Inquieta nox propter Turundam tumidiorem derivatis in ſe humoribus; juſtô etenim plus vulnus dilataverat. Itaque ad veterem Turundam & illam ex lino rediimus. Veſperi examinata puris materia copioſa iterum fruſtula moleculaſque ſolidiores oſtendit. Reſoluto vulnere II. Unciæ puris, paulò jam candidioris & æqualioris prodiere. Tuſſis, quæ jam inde ab aliquot diebus

bus infeſtaverat, planè remiſit. Inſtillatio ad quatuor cochlearia inſtituta.

Artic. XXVII.

Die quinto & vigeſimo valitudo mediocris; ex vulnere autem IV. Unciæ puris candidioris, comitati lobulo Pulmonis. Necdum tamen in illo medii ventris putore ullum vel puris in ſputo, aut olidæ auræ in ſpiritu veſtigium. Veſperi iterum Unciæ V. puris multò, quàm antè, fœtidioris, quo ipſo ſpes pridem concepta nonnihil laborare cœpit. Ad purificandam ſuperficiem tùm Pulmonum tùm Coſtarum Mellis Roſati pluſculum Clyſteri adjici curavi, arcente etiam ulterius contagium amaritudine myrrhatâ.

Artic. XXVIII.

Die ſexto & vigeſimo Symptomatum quædam malacia. Pus tamen etiamnum fœtidum ad IV. Uncias profluens. Itaque Balſami Sulfuris Aniſati guttas XV. in Uncias IIX. Clyſteris addidimus, meliorem ſic puris conditionem ſperantes. Veſperi III. apparebant puris Unciæ minus jam fœtidi omnibusque numeris abſolutioris; quin & pondere ſe levari æger dicebat, an quòd pus jam maturius, hoc eſt, aëre concepto levius magisque fermentatum eſſet, an quòd pars aliqua ante deceſſiſſet.

§ Mirandum hoc quoque erat, ab olido illo puris contagio, jam inde ex aliquot diebus infeſto, nihil quidquam damni vel in pulmones aut ſanguinem redundaſſe. Tuſſis tamen nulla vel remiſſa, eaque aliunde. Pulſus mediocris & parum à naturali diſtans. Anima adhucdum pura nulloque ſqualore, quod equidem in illâ Pulmonis internique Thoracis putredine eventurum videbatur, inquinata. Equidem credibile eſt, à viſcerum membranâ ſuperficie, utpote arctius contextâ, halituoſam illam auram modò ne ſit nimis ſpiculata & acris; facilè repelli ſuisque contineri carceribus.

Artic. XXIX.

Die ſeptimo & vigeſimo pus erat candidius, æquale & minus olidum, nova tamen ſymptomatum ſyndrome ſpem pridie conceptam perturbabat; namque in mirâ membrorum ſegnitie, ſenſuum torpore & ſomni graviter incumbentis neceſſitate æger dolebat. Tumor quoque pedis, illius ex directo vulneris, jam à tribus diebus gravis; quid quòd & Pulſus mutatam rerum faciem ſignificabat. Itaque, ut in talibus fieri ſolet, ὕπουλον vulnus ſuppoſitamque lateri doloroſo ſaniem hariolatus ſpem ferè omnem abjeceram. Verùm Fortunæ luſus conſiderans manifeſto ereptum periculo etiam majoribus eripi poſſe exiſtimabam. Veſperi ejus diei Unciæ IV. puris albi & benè coċti nec ullo modo fœtidi effluxere. Sed tamen neſcio quid febriculoſi frigoris corpus infeſtabat, doloremque in Lumbis, maximè circa Coſtarum poſticarum ſpatium ſentiebat ſummum, viribus nunc etiam magis, quàm pridem, collapſis. Pulveres, mutatis paulùm ingredientibus, repetiti & novis ſymptomatibus accommodati. Intus quoque Balſamo Sulfuris Aniſato in decoctum addito uſi ſumus, dum interim Inſtillationum quoque habita ratio.

§ Nunc tandem auræ aliquid ulceroſæ perreptare maſſam ſanguinis febriculamque accendere videbatur, neque enim aliundè facilè novum illud ſymptoma deduxeris. Obſtitit quidem uſque, ſi ita placet, membranarum ſolidior textura, at tandem victa ſuccumbere debuit, ſparſo in ſanguinem virulento puris nidore; qui cùm aciditatem quandam participet, mirum non eſt leve primum coagulum, & mox diſſipato eo calorem ſubortum eſſe juſtô majorem, ut in quem deſinere Naturæ vindicta ſolet.

Artic. XXX.

Poſtridie III. Unciæ puris liquidi albi & nihil præter Balſamum Sulfuris Aniſatum redolentis emanarunt, multâ tamen ſpumâ tùm hanc tùm heſternam miſſionem comitante, manifeſto documento aëris aliquid pectoris receptum cavitate elidi; certè enim lenta puris eruptio majorem juſtô moram & aëris commercium vulneri indulgebat. Heſternum frigus duas horas occupaverat excipiente calore, qui in mediam uſque noctem perdurabat. Muſculorum vigor remiſſus & oſſa veluti confracta ægro apparebant, novum haud dubiè contagium ſuppeditante empyemate. Et quia morâ illâ damnum accipere & Pulmones & Pleura videbantur, conſultum fuit experiri, num ſe Diureticis, quæ eſt nonnullorum perſuaſio, abduci materia pateretur. Præſcripſi miſturam ex aquis Chærefolii, Petroſelini, Hyſſopi, Spir. Fragorum; Tartari, & Oculis Cancri; verùm quibus nihil profectum eſt. Manè à Chirurgis intermiſſa erat Infuſio, atque ideo veſperi puris pauxillum idque craſſum & vi extortum vulnere prorupit ad Unciam dimidiam. Quare denuo Inſtillationem imperavi non de nihilo omittendam.

Artic. XXXI.

Die nono & vigeſimo rurſum evacuatæ ſunt IV. Unciæ puris paulò craſſioris. Cætera mediocriter ſe habebat æger riſuque adventantem excipiebat. Reſpiratio modica, Tuſſis quoque remiſſa aut nulla; ὀσφυαλγία etiam unà cum pedis illo tumore ſeroſo vaporoſo evanuerat. Medicamentis febrifugis & maturantibus uſque certatum.

Artic. XXXII.

Die ſequente matutinis horis puris ſpumoſi lenteque fluentis Unciæ II. Ingens hiſce diebus & plus quàm canicularis calor aërem turbabat, adeò novum ægro metuendum erat periculum; at, ſive quod tranſpiratio aucta, ſeu quidquid erat medicamentorum præcipitantium, contagioſam auram reprimeret, melius ſe habere viriumque conſtantiam erecto ſitu fateri cœperat. Sed neque hæc felicitas perpetua. Circa veſperam II. iterùm Unciæ & Semiſs. Hac vice conſultò Inſtillationem omiſimus.

Artic. XXXIII.

Itaque poſtero die, qui erat primus & trigeſimus, Uncia tantùm apparuit I. puris lentè & ægrè protruſi: quare repetita Inſtillatio matutina pluſculum circa veſperam reddidit puris & quidem fluidioris; Drachmæ erant quaſi decem. Dolor Hypochondrii ſiniſtri denuò invaſerat. Igitur evocati Clyſtere flatus quietem dedere.

§ Vulgatiſſimum eſt in illo vulneris dolore corporisque ſtatâ quiete, dum fermentationes quoque lentè procedunt, flatus colligi alvumque conſtipari: ubi, cùm acribus impetuoſisque medicinis occurrere religio ſit, non temerè alio quàm Lenitivo aut Clyſtere operam adhiberi velim. Adeò neque hic, quod antè quoque factum memini, nec Infuſio Sennata, nec Syrupus laxativus Cancri Oculis & Aquâ Fl. Acaciæ dilutus, metuenda erant. Ut tamen ſine ſuſpicione offenſæ medearis, tuta eſt ab omi parte Clyſterum emollientium ratio; neque enim eos, quos Trochiſcorum Alhandal plurimis granis condiunt Chirurgi, facilè admittendos putem, quod ipſorum Purgantium, ubi id neceſſitas poſtulat, longè potior & ſecurior ſit uſus.

Artic. XXXIV.

Primo die Junii puris non ſpumoſi Uncia dimidia; fortè quòd ob celeritatem deligationis omiſſamque Inſtillationem minus irrepſerat aëris. Sub veſperam ultra Drachmas ij. vix quidquam prodiit, etſi in omnes partes verteretur corpus, obni-

obnitentibus, credo, Pulmonibus. Inſtillatio neglecta. Ergo poſtridie vix I. puris Drachma prodiit. Inſtillatio conſultò adhibita oſtendit ſub veſperam puris craſſioris Uncias fere II. liquato per moram pure. Jam verò præter omnem ſpem, adeò nihil conſtar, pulſus concitatior dolorque in dorſo dextro, quâ ad Lumbos vergit & coſtæ terminantur veræ, vehemens, ſine dubio ob ſuperſtitem adhuc puris materiam. Efflorеſcentia utriusque genæ major, jam & reſpiratio correpta & appetitus dejectus monſtrum alere videbantur. Inſtillatio nunc iterum omiſſa non alio conſilio, quàm ut fructum ejus manifeſtius deprehenderemus.

Artic. XXXV.

Tertio die Drachmæ puris II. tantùm apparebant, ergo inſtillationem maturari juſſi; inde etiam veſperi multiplicatæ Drachmæ ad Uncias crevere duas. Pus erat fluidum quidem, ſed minus æquale, lividum & tetro odore. Quare ſpes & expeditæ curationis eventus animum rurſus fruſtrari cœpit. Infuſio commendata, etiam Pulverum & Electuarii, quod ex Conſerv. Fl. Symphyti, Veronicæ, Roſar. Loch. de Pulmone vulpis, Oculis Cancri, Succino præparato & Syrupo Papav. Rhæad. conſtabat, uſus.

Artic. XXXVI.

Quarto die pauxillum puris albidi & fœtentis, & quod Græci ἰλαιώδες vocant. Nunc ergo ſpecillo Thoracis cavitatem explorandam duxi, ut de mole ingenioque puris conſtaret. Itaque calefactum modice ferrum lento tractu ſub Pulmonibus ad latera coſtarum inflexit Chirurgus; cumque nihil adeò obſiſteret, in adverſum dorſi parietem ferrum impegit, jam etiam exterius ſenſum ejus animadvertente digito, ipſo verò ægro, ſive metu, quem animo præceperat, ſeu ſenſu aſperiore magis percuſſo jamque Cardialgiæ proximo. Querela erat potiſſima de dolore Dorſi circa coſtam octavam. Pulſus etiam celer & febriculoſus, reſpiratio magis quàm antè impedita.

§ Periculum facere libuit, utrùm longo ſpecillo materia notari poſſet, quò copiæ certior ratio haberetur. At ſive quòd in declivem diaphragmatis angulum ſeceſſiſſet, ſeu aliud obſtaret, nullum quidem ejus rei ſignum capi potuit. Quod autem tam malè ab exploratione haberet jamque Cardialgię proximus eſſet, vel à ſenſu Pleuræ ſubtiliore ſeu fortè inconſulto nervorum Cardiacorum compreſſu, in illâ ſpecilli agitatione, reperiendum fuit. Namque inde vix horæ requies, cùm alio omnia ſtatu deprehenderim.

§ Totum inde corpus convellebatur, febris, dolor, reſpiratio, omnia in deterius vergere videbantur & poſt Cardialgias vehementiſſimas vomitus invadere & dejectiones alvi, redundante ſtatim: res mira! in univerſum corpus Exanthemate coccineo eoque ad ſingulos vomitus invaleſcente. Materia vomitu rejecta æquabat Libras III. eratque inſtar aquæ puræ nullaque adeò ſalſedine comitatæ. Porro analeptica, quam plerunque cætera medicamenta intercalabant, & ipſa rejecta. In hoc itaque ego certamine, velut Criſi, omnem eventus aleam poſitam exiſtimavi.

§ Rarum profectò ſymptoma, & quod neſcias unde deducas; nunc enim de ſpirituum nunc humorum orgaſmo incidit ſuſpicio; Nervos quidem fibrasque primum illa exploratio vexaſſe videtur parata jam antè ad exitum ſeri fluidioris mole. Notabile tamen & hoc erat, in tam pertinaci corporis quaſſatione nec ſemilaceros Pulmones nec alias partes injuriam paſſos, quò Naturæ cuſtodis prudentiam hîc intelligas.

Artic. XXXVII.

Quarto die Junii maturinus aderam peregrini ſymptomatis conditionem ſciſcitaturus, ſed nihil adhucdum melius æger habebat. Vultus uno eoque ruberrimo colore perfuſus, juraſſes Cinnabarin eſſe Laccâ temperatam. In cætero corpore maculas rubras albedo diſtinguebat, remittente nunc tamen, quod nocturni vigiles dicebant, febrili Paroxyſmo & Exanthemate, quod uti univerſum vultum adhucdum, ita paulò antè totum corpus ſine diſcrimine, aut ullâ candoris notâ occupaverat. Manè ad leviſſimam corporis concuſſionem vomitus recruduerat, exeuntibus rurſum duabus ſeri limpidi libris. Pulſum reperi ego celerrimum, inæqualem & parvum, reſpirationem conciſam & ſubitam, nunc etiam calorem toto corpore vehementiorem. Hic rerum facie perturbatus, diſpoſito mollirer corpore, pus, ſi quod eſſet, evocari juſſi. Nec mora, prodiere Unciæ VII. & Semiſſis puris æqualis & ſubalbidi. Potuiſſemus autem plus exſpectare, niſi Lipothymia à tot doloribus ſuperſtes interveniſſet. Infuſo liquore guttulâ unâ atque alterâ Balſami Sulfuris animato vulnus obduximus, & quod omnia detrectaret Ventriculus quantumvis mollia, internorum uſum tamdiu ſufflaminavimus. Sub meridiem rediimus; ubi Rubor ille in torum remiſiſſe videbatur, ſuccedente veteri candore; Stomachus etiam lentè aſſueverat Cardiacæ Potioni; Plagâ reſolutâ expreſſimus II. Uncias puris ſtriati & craſſisſimi. Veſperi Rubor ſe intenderat priori affinis, ſed unius horæ intervallo finiebatur, jamque, quod antè non licuerat, ſignificabat miras ſe ad Exanthema ſenſiſſe Ventriculi tenſiones & poſt æſtuoſas quasdam acresque ebullitiones videri ſtatim aliquid in venas diffundi, inde trahente contagium volatili ſucco in cutem emanare carneum primùm inde auctis gradibus coccineum colorem mox tamen iterum profligandum. Emiſſæ puris Unciæ II. Electuarium ad corroborandum Ventriculum exhibitum tale erat. *Accipe conſervæ Menthæ, Roſar. Vitriolatæ aa.* Unc. Sem. Cond. Corric. Citri Drachm. ij. Diaſcord. Frac. Scrup. ij. Maſtich. el. Drachm. Semiſſ. Terræ ſigillatæ, Japonicæ aa. Scrup. Sem. Syrupi Rubi Idæi Q. S. Miſce, fiat Electuarium. Bolum juſſi ſubinde deglutiret, donec firmior eſſet Ventriculi tonus.

§ Equidem à ſeri bilioſâ & volatili Tincturâ facilique à cæterâ maſſâ ſeceſſu ortum duxiſſe hoc phænomenon mea quidem eſt conjectura. Genus autem efflorеſcentiæ tam rarum mihi viſum, ut nec cum guttâ Roſaceâ, neque cum Eryſipelate comparari potuerit, & ſemel tantùm in vultu ejuſmodi ſubnatum colorem meminerim. Color autem erat non fœdus aut morbificus, ſed pulcherrimus ejuſque æmulus, quo pudoris notas in benè habito corpore exprimere & Natura & Pictoris penicillum ſolent.

Artic. XXXVIII.

Quinto die melior ægri conditio ſymptomataque in univerſum leviora. Pulſus moderatus, reſpiratio mollis, ipſius etiam ruboris exilia ſupererant rudimento. Unum duntaxat grave, dolor & tenſio ſub Cordis dicto Scrobiculo, ut appareret necdum omnem Ventriculi efferveſcentiam remiſiſſe. Continuata Cardiaca & impoſitum ex Oleis Aromaticis linimentum. Proruperant puris Unciæ II. & Semiſſ.

Tolerabilis etiamnum ægri ratio, ſed dura poſt vomitus Alvus Laxativo ex Syrupo Roſar. ſolutivo; Mannâ & Rob. Ribium ſollicitari debuit; bis inde dejecerat. Puris pauxillum vulnere exiverat. De meridie lecto ſe proripuit, periculum virium facturus; & ſanè ſic ſatis benè novum hoc vitæ genus toleravit. Poſt horas duas lecto ſe reddiderat; Veſperi Uncia puris dimidia fuit educta.

Artic.

Artic. XXXIX.

Die ſexto Junii manè puris flatuoſi & bullati Uncia dimidia exivit, idque μετ' εὐφορίας, nunc etiam Ventriculi dolor planè deſierat, imò & ciborum major, quàm pridem, appetentia. Veſperi eadem ratio, iij. Drachmæ puris eductæ, ſpesque erat cum tempore imminutum iri puris copiam, quando de Dorſi dolore nulla amplius querela.

Artic. XL.

Die ſeptimo tamen nova cataſtrophe & præter opinionem Uncia ferè dimidia tùm manè tùm veſperi emiſſa, recruduerat etiam ille in poſtico dolor.

Artic. XLI.

Octavo ſymptomata rurſum omnia remiſſiora, Tuſſis nulla, Reſpiratio etiam multis partibus melior & ferè naturalis. Mira autem ad ſomnum propenſio, ne quid terriculamenti abeſſet. Evocatæ manè Unciæ puris II. veſperi Drachma j. & Semiſſis.

Artic. XLII.

Nono Junii, qui erat à vulnere trigeſimus ſeptimus, nova emerſit calamitas; namque virium manifeſtum deliquium. Vox exilis & rauca, pulſus quoque ſatis compreſſus. Equidem ad iteratam puris efferveſcentiam & naſcentem inde ſanguinis ſpirituumque intemperiem tot Paroxyſmorum in ſe redeuntium errores referri poſſe videbantur. Drachmæ puris iij. prodierant.

Artic. XLIII.

Decimo Junii pus manè veſperique ad Drachmas ij. emiſſum. Clyſter injectus plurimum detraxit materiæ viſcoſæ, unde & animi paſſus eſt deliquium. Vires tamen paulò antè firmiores, quàm pridem; namque de die duas horas egerat ὀρθοστάδην; Pulſus quoque erat compoſitus, at veſperi celerior cum nocte ingraveſcebat.

Artic. XLIV.

Sequente die eodem omnia ſtatu; Pus utrisque vicibus ad Unciam I. prodiit. Vacuo Ventriculo mediocriter ſe habebat, repleto eo, quamvis nec hoc multum eſſet, omnia deteriora & cum febriculosâ intemperie conjuncta, effloreſcentibus quoque genis, ut ſolet hecticis evenire. Facies ipſa ſenſim collobaſcens nihil adhuc dum boni promittebat.

Artic. XLV.

Undecimo Junii appetitus quidem mediocris, ſed latera nondum ſatis firma corpus ægrè ſuſtinebant; vix enim è lecto prorepebat, quin ſtatim eum repeteret. Puris effluxit Uncia, ſed, ut ab aliquot antè diebus, boni nitidique; quare etiam Clyſteris genus mutare conſtitui, ſolâ hordei aquâ & melle roſato contentus.

Artic. XLVI.

Duodecimo die ſtillavit Pus ad Drachmas X. Nova genarum effloreſcentia aliis aliisque ſymptomatis tùm maximè reſpiratione incommodâ vultuque Hippocratico excepta. Verùm animus ægri erectior ciborumque appetentia etiam, quæ ex prioribus naſcebatur, ſuſpicionem diluebant. Præſcriptis formulis adhuc inſiſtebamus, urgentes potisſimum Balſami Sulfuris Aniſati uſum.

Artic. XLVII.

Tertio decimo die Unciæ puris II. effluxere. Itaque quo melius ſubveniri Naturæ poſſet, præſcripſi mundificativum pariter & maturans remedium, Pilulas nempe, ut quarum actio tardior eſt & ipsâ tarditate ſecurior. Formula autem hæc erat. Rec. Terebinthinæ Venetæ in Aquâ Petroſelini coctæ Drachm. j. Flor. Sulfuris Drachm. Sem. Balſami Peruviani Scrupul. j. Olei Aniſi Guttas vj. M. F. Pilulæ numero quadraginta, Liquiritiæ pulvere conſpergendæ; quarum quinque aut ſeptem tùm manè tùm veſperi cùm Syrupo Violacco deglutiendæ erant.

Artic. XLVIII.

Quarto decimo die dolores circa ſedem vulneris exquiſiti, ſine dubio acrimoniâ oram membraneam vellicante: jam verò & genarum color roſeus clandeſtinas ſanguinis efferveſcentias prodebat. Pulſus & reſpiratio utraque ſub noctem concitatiora manè ad ingenium redibant. In illo tamen humorum orgaſmo & appetentiæ & virium incrementum non contemnendum; & ut ſpecioſis iſtis ſymptomatis fidendum minimè videretur, attamen ipſe æger animum confirmabat. Exierat puris Uncia I. & dimidia.

Artic. XLIX.

Poſtridie dolores vulneris per centrum muſculi Pectoralis in tendinem exire motuique brachii officere videbantur. Credibile motu intempeſtivo excitatam puris acrimoniam conſenſu quodam in vicinas partes deſæviſſe. Puris apparebant Unciæ III.

Artic. L.

Sexto decimo die non ſine oſtento rurſum prodiere Unciæ III. & dimidia; atque ita, quem tandem aliquando deſiturum credebamus puris effluxum, novis auctibus inſurrexit, ſpemque ſimul omnem modò collapſam nunc inſtauratam propemodum evertit. Pus quia craſſum & nonnihil olidum, veterem balſamicumque ex amaricantibus Clyſterem reposcebat, quem ideoque præcepi ut adhiberent.

Artic. LI.

Septimo decimo die eadem ferè quantitas, pridiano etiamnum durante dolore. Febricula ſub veſperam ſemper infeſtior ſubinde & Lipothymiis comitata.

Artic. LII.

Octavo decimo eadem ſymptomatum ſeries dolorque vulneris modicus. Conquerebatur etiam de matutino frigore in meridiem uſque producto, quod plerunque cibo ſumto calor excipiebat. Puris emiſſi Unciæ erant IV. paulatim creſcente numero.

Artic. LIII.

Nono decimo die paulùm ſibi redditus æger videbatur, caloriſque & frigoris vices non ita graves. Puris Unciæ VI. apparebant. Quare ſuaſi ægro præſcriptis medicamentis, quorum hactenus faſtidium diuturnitas pepererat, diligenter uteretur, ipſis cumprimis Pilulis, habitâ etiam Clyſterum ratione, tùm qui Thoracem, tùm qui Alvum eluerent.

Artic. LIV.

Vigeſimo die eadem ſymptomatum ratio pusque ad Uncias III. emanavit. Cætera non malè ſe habebat. Ex illo tempore, quòd alia negotia obeunda eſſent itineraque ægrorum causâ continuam viſitationem abrumperent, præſcripto vivendi ordine vulnus Chirurgis commiſi curandum, eâ tamen lege, ut, ſi quid novi ſanationem turbaret, in eo amoliendo meo maximè conſilio & præſentiâ uterentur. Itaque neceſſitate flagitante etiam poſt illa ſæpiuſculè adfui ægro diverſam ejus conditionem toties mutabilem admiratus, quòd ſymptomatum quotidie alia atque alia facies eſſet, ſanandi rationes mutationum ingenio accommodare neceſſe habui. Jam enim febriculæ, ſed erraticæ, ſed nocturnæ & frigore comitatæ, jam lipothymiæ, cum vultus pallore & labrorum lividitate, jam tuſſiculæ, obſtinatæ quidem, ſed vel ſiccæ aut cocto Phlegmate comitatæ, jam Diarrhœæ etiam copioſæ cum febriculâ, jam quies & ſopor veternoſus, jam alia periculi ſuſpicionem auge-

augebant impoſita mutandi neceſſitate. Et ut nihil certius videretur, quàm Empyum eum eſſe & uſque manſurum, attamen poſt varia tædia conſultationesque curioſas, juvante Deo O. M. eò res deducta eſt, ut pure penitus expurgato vulnus coaleſceret, ægerque cum tempore ſanior evaderet quàm pridem. Ingraveſcebant quidem & minabantur periculum, etiam poſt vulneris coalitum, Tuſſes, fallaces Febriculæ Hecticis non abſimiles cùm ſqualore Autumni conjunctæ, verùm tamen tùm diætæ, tum loci, cujus conſuetudine gaudebat, ingenio, accedente etiam Hyemis molliculæ beneficio, morbum feliciter ſuperavit unuſque etiam oſtendit Naturæ nihil eſſe difficile, & ubi à medicamentis tenuis ſpes eſt, à DEO plurimùm exſpectandum eſſe boni. Sunt hæc monſtra ſanationum, quarum individualis & numerica ratio uni DEO perſpecta eſt: & cum nos ſpecie duntaxat & ſenſuum objectu omnia metiamur, indiviſibilis autem illa Naturæ, ſeu Harmonicæ omnium unionis, quantitas & proportio Elaterisque efficacia nullo admodum ſenſu cognoſcantur, non mirum eſt Prognoſticorum, quæ à nobis proficiſcuntur, fidem eſſe ambiguam. Ut adeò laudare habeam Medicorum prudentiam in rebus quoque dubiis cunctantium, in quam partem Prognoſticum inclinet; nam ſi quid in talibus temerè hariolanti reſpondet, non Artis aut Scientiæ, ſed Fortunæ opus eſſe putandum. Quid enim ibi certi eſſe poteſt, ubi objecti natura eâ parte cognita non eſt, quâ maximè eſſe debebat. Temeritas illa eſt conjecturæ etiam non vanæ nutricula. Satius eſt, & meo quidem judicio ad commendationem nominis utilius, oſtendere, quàm ſæpe Natura, etiam in vulgò conclamatis, ſit potens, quàm contrà in plurimis nec ſpecioſis circumſtantiis ſit fidendum, &, ubi omnia tuta videntur, ſæpiſſimè eventus deſtituat. Quod ſanè multis vulnerum obſervationibus teſtari poſſem, niſi Hiſtoria ad finem ſpectaret.

§ Puris autem ratio, dum fluxit, (fluxit autem ad diem uſque ſeptimum & vigeſimum Julii) hæc fuit, ut plerunque qualitate ſibi ſimile, copiâ diſſimile prodiret; aliquando enim in Drachmas inque Scrupulos deſiiſſe ejus effluxus, jamque nihil amplius exire, videbatur, cùm ecce ſubitò iterum ad Uncias, ad dimidias Libras, ſemel quoque ad integram & ultra efflueret. Igitur pro puris conditione Clyſteres Thoracicos mutavimus, & ubi definere fluxus ejus videbatur ultimis diebus, cannulam plumbeam ſed alatam vulneri immiſimus, ne puri, ſi quod reſtaret, aditus intempeſtivè obſtrueretur. Fluebat autem nonnihil melius ad corporis motus reſpirationesque per cannulam in Emplaſtrum. Cùm deſinere fluxus videbatur, cannulam extraximus & conſolidationem tentavimus; & tamen, quamdiu vulnus apertum erat, aliquid effluebat cumque pure antea effluxerat, materiæ limpidæ ſeroſæ, primùm ad Drachmam I. aut ſemiſſem unà cum pure, inde exhauſto illo ſola ad Drachmas ij. & diminutis gradibus ad ſcrupulum guttulasque. Materia illa in vaſculo relicta gelatinæ naturam induebat areſcebatque inſtar glutinis; quem cùm humorem Naturæ proprium & illum membranas Pleuramque inungentem eſſe judicarem, quaſi conſolidationem vulneris non infelici eventu. Illud autem de vulnere teſtari poſſum toto hoc curationis tempore valdè ſe præſtitiſſe obnoxium, nec ullâ carnis alienæ luxuriâ neque labiorum callo fiſtulæ naturam affectaſſe; quod cùm aliàs timendum ſæpe ſit & moneant Practici, in hoc tamen corpore id quoque vel in Naturæ benignioris laudem, aut Chirurgo um prudentiam accedere meritò debuit.

In univerſum autem reperio ex Ephemeridibus Chirurgorum, quibus abſente me per quatuor aut quinque ſeptimanas, etſi ſubinde per epiſtolas conſulerent, vulneris percurandi officium mandatum erat, effluxiſſe ex illo, quod ego numerare deſtiti, CXXIIX. Uncias cum dimidiâ puris fluidi atque craſſi: quibus ſi numerum jungas priorem, excreſcet in XX. Libras med. Unc. jx. Drachm. v. puris, atque illis ſi accedat ſanguinis profuſi calculus, ecce ſimul ſumtæ materiæ XLIII. Libras V. Drachmas, non conſiderando quod temerè in lintea atque emplaſtra promanavit.

Notandum hîc eſt, ſi gravitas Puris ad bilancem examinata fuiſſet, longè majorem futuram fuiſſe copiam. Dimenſi ſumus vaſculum, quo humores illi excipiebantur, exemplo cantharorum, quos aquis ſuis dimetiendis ſervant Pharmacopœi & Unciis diſtinguunt.

Quòd autem de copiâ illâ rem putas eſſe incredibilem, attendas velim non ſimul & ſemel, ſed aliquot ſeptimanarum curſu prodiiſſe, quidquid erat ſanguinis aut Puris. At verò ne unius hiſtoriæ fide nitatur veritas, altera alteram corroboret. Hildanus Centur. III. Obſerv. Chirurg. Obſ. XXXVII. Hiſtoriam, ſi non ſimilem, certè prodigioſiorem, de Hæmorrhagiâ Umbilici, enarravit, teſtatusque eſt intra undecim dies, quotidie bis, idque horis deſtinatis, manè intra ſeptimam & octavam, de meridie intra ſecundam & tertiam, certo Pharmacopœo Solodurenſi XXVII. Libras ſanguinis umbilico effluxiſſe; & tamen ægrum beneficio Naturæ ſanatum ad ſe rediiſſe. Ubi niſi quotidiano victu damnum fluentis ſanguinis compenſatum ex parte fuit, ut compenſatum eſſe potu quidem ego exiſtimo, neceſſe eſt ab aëre, ut antè indicavi, materia ſeri repetatur, aut, hoc quoque fallente, longè major ſanguinis copia venas perambulet, quàm vulgò noſtri credunt.

In noſtro verò caſu hoc quoque perplexum ſatis, ut tamdiu fluxerit ſanguis, nec tamen ſignum ejus in Pectore latentis ſatis manifeſtum fuerit. Si enim hæſit, utique in exſpiratione, ubi attollitur Diaphragma, incumbentis pondus moleſtare debuit; ſin in Pulmones ſe abdiderat ſive pus ſeu ſanguis ad occaſiones erupturus, haud facilè quis modum latibuli expreſſerit, & ſanè expanſione ſuâ & ipſi dolorem adferre debuiſſent gravativum. Jam & hoc aliquid eſt, an omne ſimul ibi ſteterit, an verò partitis vicibus ut Pulmonibus exſtillavit, ita etiam vulnere prorupterit. Equidem fieri non poteſt, ut omnis tùm ſanguinis tùm puris materia ab initio ibi hæſerit, quod Thorax, vel ſi vacuus eſſet, tot capiendis Libris non ſufficeret. Puto igitur ſubinde molem aliquam ſanguinis vulnere emanaſſe, & tandem quoque ſtagnantem in lobulo aliquo cruorem corruptionem ſubiiſſe, qui ipſe etiam allabentem in ſingulas horas fermento ſui infecerit & ad putredinem diſpoſuerit; omnem adeoque ſanguinem ibi in pus converti potuiſſe, donec emendatâ ſanguinis partisque læſæ texturâ vulnus coaleſceret. Planè uti in Fonticulis nonnunquam fieri videmus, quòd corpore fraudato pleraque in eos alitura abripiatur, manèque & veſperi ſuccum ſecernant nutricii æmulum, ſed in ſpeciem puris corruptum; cujus tùm demùm deprehendere finem ſolemus, quando melior complexio Balſamicum & conſolidativum ſuccum ſubminiſtraverit, ſparſo etiam in reliquum corpus hoc beneficio.

Quod tamen ſæpiuſculè Phthiſin minaretur æger erroribusque Paroxyſmorum febrilium periculum tabificæ mortis indicaret, iſtis vulneribus proprium eſt; & oſtento ſimile, poſt tot tædia intentatasque viciſſitudines tandem tamen ſine ullo recidivæ metu, at demum ſuperato Autumno aſperiore, integrum atque ſanum, etiam cum adipoſo corporis incremento, evaſiſſe. Neſcio autem, an ſimile ſit, quod Gregorius Horſtius Cent. iij. Obſ. XXXVI. ad Hildanum hiſce verbis tranſcripſit.

Ex:m

Exemplum, loquitur de vulnere Pulmonis, *ante biennium hîc in viciniâ habui in Nobili quodam Viro; lethaliter in Pectore vulnerato, cui diutiſſimè decumbenti quotidie maxima ſaniei copia è vulnere, non rarò quoq; Pulmonū particulæ parvæ ſimul egrediebantur. Hic aliquandiu Phthiſi corripiebatur omnibus ſignis cum eâ convenientè, quæ aliàs ab exulceratione Pulmonum fieri ſolet; interdum propter malignitatem putreſcentis Pulmonis, cum ſummâ virium imbecillitate febrilique calore cutis Exanthemata rubra, more illorum, quæ Petechialibus febribus propria ſunt, erumpebant. Tandem tamen, cùm diu ſatis apertum eſſet vulnus, ipſumque Pectus atque Pulmones optimè expurgarentur, convaleſcere cœpit æger, adhuc hodie perfectè reſtitutus vivens; quod naturæ ipſius vegetæ & ſanguineæ potius adſcribendum eſſe puto.*

Rara verò etiam fortuna erat Nobilis iſtius, cujus ſanationi ex parte ego quoque adfui. Nempe percutitur is gladio tertiam inter & quartam coſtam ponè mammillam dextram; mox inde varia ſymptomata, Reſpiratio anhela, Color pallidus, Lypothymiæ & alia. Exploratum vulnus nihil dabat; nec ſerum nec ſanguinem, quin imò, quamvis ſæpe tentaretur in cavitatem tranſitus, ſpecillum tamen ſemper & uſque fefellit. Itaque trahitur tempus, vulnuſque, quod parietis eſſe credebatur, poſt quatuordecim dies coibat. Sola reſpiratio adhucdum interrupta & gravis ſuſpicionem fovere videbatur latentis mali, ſed quòd ſpecillum in pectus aditum non inveniret, jam in luem Veneream eamque hecticam; jam alia ſymptomatum illorum cauſam rejicere Chirurgi volebant. Quarto poſt vulneris obſtructionem die tuberculum juxta cicatricem jamjam durandam erumpit; magnæ inde Cordis anxietates, magna reſpirandi difficultas, quæ cùm de nocte ingraveſcerent & à Lypothymiâ propius abeſſet æger, vocantur Chirurgi atque Medici velut ad morituríentem; Quid fit? Tuberculum ſponte rumpitur profunditque ingentem puris copiam, ad Libras VII. cum profluvio iſto magnum ſibi levamentum promittente ægro; & verò Chirurgi, cùm eunte pure vegetiorem reddi juvenem viderent, & ipſe hoc poſceret, moram imponere nolebant. Deligatur iterum vulnus, & Cardiaco medicamine corroboratus æger ſomnum capit aliquot horarum, quem toto illo tempore non viderat. Poſtridie iterum, ſed duabus vicibus, IIX. Libræ puris exivere, poſt quæ iminui fluentis copia, & nunc penitus ſiſti, nunc etiam redire copioſius cœpit. Poſt quatuor menſium patientiam, ubi omnia in pejus ruebant, & non ſolùm ex vultus ſed & univerſi corporis macie monſtrum intus ali conſtabat, ego quoque advocor in conſilium. At verò ex pauculâ illâ ſanie, eâque lividâ & ſpumoſâ, quam vulnus fundebat, Pulmones jam tùm vitiatos ſanguinemque corruptum, accedente imprimis oris fœtore, colligebam. Narrabat inter alia conſtans Juvenis ſuique fidens ſe deſertis Medicis Chirurgiſque, quorum operas vanas & contrarias invicem expertus erat, in Empirici multa promittentis manus incidiſſe, at neque ſic ſatis ſecurum aliorum quoque & nunc meam opem poſcere. Rogabam ego, quid interea beneficii ab Empirico accepiſſet; ibi tum ille, enimverò hoc, inquit, quòd, qui pridem ὀρθοςάδιος eram; nunc κλινήρης factus ſim & viribus mulctatus novo me rurſum experimento aut periculo objicere debeam. Ad quæ cùm ulterius quærenti reſponderet ſe tribus diebus continuis pulvere uſum, qui nihil profuerit; ſed qui quarto demum die duplicatâ auctus doſi tam malè affecerit corpus, ut poſt quinquaginta quatuor ſedes, quas violentia ejus concitaverat, nihil amplius virium reliquum haberet, exſpectare ergo ſe, nunquid ſuperesſet, quo valetudinem ejus juvare, aut quid futurum eſſet, exponere poſſem. Rogabam ad hæc, annon oris ſalivationem expertus eſſet, quod negabat. Hîc autem non dubitavi hominis temeritatem traducere, ut qui, cùm ſalivationem moliri cœpiſſet, tandem fruſtratus ultimâ maximâque doſi alvum eamque copioſam contra Artis regulas provocaverit. Cùm itaque adhuc ſub Empirici Thraſonis manibus eſſet petii, mihi videndi ejus copiam faceret; quod factum. Adeſt ergò verendus barbâ homo, experimentis quibuſdam totâ civitate notus, exponitque roganti, quam curandi methodum & hîc & alibi ingreſſus ſit, nempe, ut in pleriſque morbis, ita maximè in tabificis atque Empyis; Ptyeliſmi ſe uti beneficio, & conclamatos quoſque morbos abigere, inque eam rem famigeratiſſimum illud Theophraſti arcanum Corallinum, hoc verò eſt, ut ego ſentio, Turbit minerale, duram certè ac periculoſam medicinam, adhibere. Neque mora, quin hiſtoriis aliquot cunctanti mihi occurret ſucceſſu ſuæ Ptyeliſmi non pœnitendos adjuraret; inter alia etiam puerum ſe vidiſſe Helvetium, cùm in Artis tyrocinio eſſet cui diſruptâ pectoris vomicâ inque vulnus excuſsâ XIIX. puris Libræ intra tres dies prodierint, neque antè perſanari potuerit quàm ſalivationem arcano iſto Corallino aliiſque Mercurialibus procuratam expertus eſſet. Audieram Thraſonicam vocem, cùm, ergo, inquam, hîc habes in quo te exerceas tantique remedii famam etiam mihi aliiſque probes; ſed tantum abeſt, ut in hoc quidem Juvene ſpecimen non vulgaris curæ dederis, ut contrà jam pridem Hecticum exulceratumque attritis viribus in ultimum diſcrimen conjeceris. Et verò unum ajebat feſelliſſe Salivationem, quæ per Arcanum illud quæſita mutatis partibus in Purgationem, eamque enormem, tranſierit, neque tamen de valetudine hominis ſe deſperare, modò ea, quæ porrigere vellet, adſumere non detrectaret. At primo illo experimento turbatus æger meo conſilio uti ſtatuebat; ſed cùm eo loco res eſſe dicerem, ut nihil temerè promittere poſſem in illâ virium imbecillitate; & pleraque ad triſtiorem exitum ſpectare; Cardiacum magno animo petebat & conſilium; quo itineri, quod in ultimam Livoniam, Nervam, parabat, ſufficere poſſet; domi enim ſe habere, quod convaſandum eſſet, antequam profectionis ad Manes neceſſitas imponeretur. Itaque dehortationibus omnibus ſpretis itineri ſe accingit, & dum à famulo ad hoc inſtructo vulnus fiſtuloſum curari ſinit; Pulveribuſque quibuſdam & Decocto Lignorum fermentato, quo vas repleverat, interiora tueretur; ad ſuos elabitur meliuſque cum Æſtate, quæ ibi ſerena eſt, & tolerabilis, habere cœpit; & anno certè poſt adhuc ſuperfuit. Accidêre hæc annò 1684. Hamburgi.

Miles & ipſe Livonus, ex noſtrâ & Prætoriâ cohorte, ab alio milite adverſus vulneratur in latere ſiniſtro duobus ſub Papillâ digitis, in averſam partem, ſub ſcapulæ angulo inferiore, exeunte teli cuſpide. Hic homo initiò bene habitus atque ex Artis regulis tractatus ſanari ægrè potuit, tùm quòd materia, quæ Diaphragmati incubabat, in illa vulneris altitudine non omnis exprimi potuerit, tùm quòd homo inconſtans itaque affectu identidem circum-actus, ſpecioſam & jamjam adfuturam conſolidationem abrumperet. Huic vulnerato ſæpiuſculè alia ex aliis ſymptomata, membrorum laſſitudo, articulorum imprimis veluti quidam fragor, Pulſus frequentior, facies rubicundula, aliaque occurrebant, quæ tandem Tuſſi invaleſcente in Hecticam deſinere videbantur purulentam; adeò poſt unius anni tædia ſibi ac Prognoſtico relictus ſequentis anni, Hyems enim atque Autumnus minus ex voto reſponderant, beneficium præſtolabatur, non vano augurio, ut eſt in talibus divinatio quædam. Itaque cùm ineunte Æſtate adhuc ſuperſtes vulnuſque trahens fiſtuloſum omninò, labra namque callo obriguerant, novo ſe experimento committeret & primùm

Chirurgo ſolo, inde etiam me uteretur; at ego vulneri calloſo manifeſtam Pulmonis corruptelam, in illo anhelitu fœdum ac triſte olente & febriculæ clandeſtinâ molitione, accedere viderem, & jam veſicularum Pulmonearum, jam Bronchiorum fruſtilla copioſa plagâ exirent; & perpetui lateris dolores periculum augerent, malè metuere homini cœpi, ſed ille identidem urgens ſibique ipſi ſanitatem in illâ convaleſcendi morâ certò promittens labantem pridem animum erigebat. Itaque Chirurgus, quòd ſæpe in Galliis peractam Fiſtulæ Thoracis ſanationem vidiſſet, curationem, vulneris ſaltem, in ſe recipit neque de ſalute hominis, duri atque imperterriti, modò interna reſpondeant, dubitat. Ille autem Methodo Pariſienſium inſiſtendum ratus, primùm oras vulneris calloſas forfice abſcindit, inſperſoque Pulvere ex Alumine uſto cum Præcipitato rubro & floribus Balauſtiorum purgat, inditâ etiam Turundâ, quæ vulneris anguſtias laxaret, jam quoque ut eſt Chirurgorum natio, Confectione Hamech Mercurio dulci temperatâ hominis alvum ſemel iterumque me abſente, neque enim perpetuus aderam, ſollicitaverat. At cùm non modò Vulnus ſed & Pulmones, in quos ipſos etiam cum fiſtulâ deſcendiſſe callus videbatur, & Chirurgus olim in ſectis poſt mortem notaverat, curam poſcerent, ſi aliàs ſanitas promitti poſſet, Chirurgiæ autem in illâ profunditate locus non eſſet, Clyſtere Vulnerario ex Herbis Balſamicis, quibus etiam Spiritus Vini, ut qui putredinem potenter arceat, & Unguenti Ægyptiaci aliquantulum, quod mihi quidem peregrinum erat & hîc terrarum inſolitum, addere auſus eſt, illum Pulmonis callum vincere contendebat. Intus ego præſcripſeram Decoctum ex Lignis Herbiſque pectoralibus, tùm pro Potu, tùm pro Medicinâ, cui conjungebam Pilulas ex Extractis Balſamicis manè veſperique devorandas, immiſtis etiam Lapidum Cancri pulvere, Antimonii Diaphoretici & Mercurii dulcis aliquot granis. Partes, in quibus dolor erat, Spiritu Lumbric. terr. & illo Vini Caphurato illini curabam; quibus tandem omnibus ritè uſurpatis Tuſſis deliniri, ſanies ad meliorem conſiſtentiam reduci, tandem etiam imminui, habitus corporis vultuſque refingi, Appetitus excitari omniaque in melius verti cœperunt. Itaque cùm vulnus nihil tandem redderet materiæ & conſolidationem affectaret, quod mutari non poterat, & in illâ cæterorum ſymptomatum remiſſione indicari videbatur, poſt aliquot dierum moram properans Naturæ quodam ductu ad integritatem, nobis quidem permittentibus, coiit, ſed, quod apparuit, triſti eventu; namque poſt duodecim à coalitu dies cum novis ſymptomatibus, & imprimis Orthopnœâ, conflictari æger cœpit; adeò, qui antè incedere poterat ac domo exire, nunc vix ſe continere & erectus reſpirare potuit; & verò animam velut opprimi & deſerere petentem querebatur. Ergò ad Decoctum pectorale balſamicum denuò relapſus, purgato primùm corpore, quod levari ſemper videbatur, illatam pridem Cicatricem reſolvi, & poſt tres à coalitu ſeptimanas, quæ in Pectore concepta erat ſanies, copioſè effundi vidimus. Erant Puri, cujus Selibra erat, permiſta membranularum venularumque, quas Pulmones dimiſerant, fragmenta, quæ deinde etiam plurimis diebus continuis unciatim educebantur. Magna hîc iterum ſymptomatum malacia; repetitus Clyſteris Thoracici uſus, & in hoc, revocato quoque Decocto, laboratum, ne plaga maturiùs coiret. Jam verò obortus iterum oris fœtor & & rejectiones planè purulentæ magnum incutiebant timorem, & ſpes pridem inſtauratas labefactabant; imò verò non pus tantùm corruptum olidumque, ſed & Arteriæ aſperæ, ſed membranarum, ſed venularum particulæ Tuſſi prodeuntes ultima intentare videbantur. Inter hæc tamen homo, quamvis doloribus tædiiſque excruciatus, uſque conſtans ſanitatem ſe recuperare poſſe jurabat, modò ne nos longâ illâ ſanandi moleſtiâ laſſati curationem abrumperemus. Itaque, favente Æſtatis aurâ corporiſque robore, jam etiam frequenti Decocti uſu, eò res deducta, ut, quod nemo temerè credere potuiſſet, intra ſex ſeptimanas novum ſanguinem corporiſque habitum, dulcificatis credo per Decoctum Balſamicum ſuccis, velut renatus oſtenderet, vulnuſque iterum quantâ maximâ vi conſolidationem quæreret, cui tamen non antè indulſimus, quàm oras ejus ſequenti liquore, ex Solani & Plantaginis aquis, Saturni Sale, Mercurioque dulci & Melle Roſato, irroratas Chirurgus purgaſſet nitidâque & novâ carne induiſſet. Quo facto, cùm nihil obſtare videretur & plaga ultrò ad coitum properaret, noſq; tædiosâ tot menſium ſanatione fatigati eſſemus, hominem jam meliorem Naturę robori & fatis commiſimus; quorum benignitatem quadriennium ſaltem expertus erat, poſtquam, quæ poſt vulnus etiam exercebat, tuſſiculam ſiccam, inhoſpitæ & maritimę terræ, Heligolandiæ, in quam miles ablegatus erat, mutatione viciſſet; & verò poſtea ſæpe Hamburgi & alibi hominem ſic ſatis vegetum compellavi, niſi quòd reſpiratio in illâ unius Pulmonis, aut certè maximę ejus partis, jacturâ malè eum haberet, operiſque duris minus idoneum præſtaret. Quis autem dubitet magnam hîc Naturæ, magnam Nationis in hoc factæ, ut ſunt Livones, Finni, & id genus hominum, prærogativam eſſe, & durata in Septentrionali frigore corpora ſuſtinendis vitæ dolorumque tædiis aptiora eſſe, quàm alia quæque ſub molliore cœlo nata atque educata.

Equidem fatendum eſt, ubi poſt conſolidatum vulnus externum Dyſpnœa, Tuſſis, Dolor lateris, Febricula aliaque ingraveſcunt, jure merito concludi, eſſe adhuc reliquias aliquas puris malè purgati, quæ novo & perículoſiori morbo ſcenam inſtruant, niſi maturè amoveantur; itaque in hoc adnitendum eſſe, ut, ſi per Alvum, Os ſeu Urinas materia non exeat, vulneris Cicatrix recludatur, latentique in pectore ſive Empyemati ſeu Vomicæ exitus paretur; niſi enim hoc opportunè fiat aut Natura ſe ipſam expediat, prona eſt ad Hecticam, id eſt, lentam tabificamque, tandem & mortiferam febrem, diſpoſitio. Neque hîc ſemper exſpectandum eſt, donec Natura ipſa ſuccurrat & foramen obſtructum reſeret, cùm rara hæc ſint effecta, & ex plurimis vix unum reſpondeat, imò verò exſpectatum ſerò Naturæ beneficium occaſionem per vulnus ſanandi eripiat. Ut autem Paracenteſis utiliſſimus ſit in hoc caſu labor, tamen hoc quoque ei obſtare videtur, quòd, ut in Hydrope aliiſque morbis contingere ſolet, ſerò & corruptis jam viſceribus infectoque ſanguine inſtituta fruſtranea ſit & fallat. Sed etiam vana ſæpe eſt exſpectatio, ſi ab Alvo, Urinis, aut quod locis iſtis vicinius eſt, Ore per Tuſſim rejectionemque purulentam morbi ſanationem ſperemus, dum interim hîc quoque occaſiones agendi elabuntur, &, quamvis ſæpe pus tuſſi excernatur, oſque halitu ſuo infamet, non tamen ſic univerſum rejiciatur, ut non ſuperſit maneatque infixum lobulis Pulmonum, quod Hecticam lentamque mortem tandem adferat. Adeoque rariſſimum eſt, quod apud Gregorium Horſtium, citante eodem Hildano, extat exemplum, ubi *Caſus iſte*, inquit, *cujus deſcriptionem ad Te dedi, feliciſſimum habuit exitum; etſi enim Vulneratus in ſecundo menſe vulnerationis completo propter imminentem ſuffocationem, conſolidatis omninò vulneribus externis, Aſthmate quaſi prehenſus periclitaretur, Tuſſi, Atrophiâ & Hecticâ febre plurimum afflictus, adhibitis tamen convenientibus remediis, Sulfuris imprimis Balſamo Terebinthinato cum Syrupo Jujubino commixto, purulenta materia in ipsâ Pulmonum ſubſtantiâ collecta menſura cum dimidiâ per diem natulem rejecta fuit, quo facto ita convaluit, ut jam potius in culinâ, quàm penes Medicos, ulterius adjumentum quæſiverit & ad ſuos hâc ſeptimanâ ire decreverit.* Si tamen

tamen omni ex parte fidendum eſt huic Obſervationi, & non poſtea in ſpeciem & ad tempus facta ſanatio, quod in Pulmonum vitiis identidem accidere vidimus, ſpem blandientis ſibi Medici fefellerit. Quod ſi id factum eſt, & uſque incolumis manſerit pridem tabidus, ſanationum monſtris rariſſimæque fortunæ accenſeas oportet hoc exemplum.

In Pulmonum Vulneribus Ulcereque hoc quoque ſemper memorabile viſum, quòd, etſi ſemper ſint in motu & iteratis concuſſionibus fatigentur, membranea adhæc & veſicularis textura, in illâ vaſorum ſanguineorum copiâ, vulneris coitum facilè recuſet, nihil tamen impediat, quo minus ad certam & duraturam ſanitatem perveniant vulnerati. Ubi Naturæ Matris ſolertiam non ſatis admirari poſſumus, ut quæ diſtinctis ſecretiſque Pulmonum lobis hoc effecerit, ut corrupto abſumtoque in ſaniem uno lobulo non protinus omnes inficiantur, at ſibi relicti Balſamo, quo gaudent, naturali corruptelam in viciniâ adjectiſque proximè lobis graſſantem arceant, imprimis, ſi medicamentis opportunis Naturę robur adjuvetur. Vidimus autem in illis, quos olim Pulmonis ulcus malè habuerat, poſt mortem Pulmonis iſtos lobos, quos corruptela invaſerat, fungoſos planè & exſuccos, nunc etiam Pleuræ per calloſam membranam, quod etiam in omnibus Pulmonum Inflammationibus, vel ſuperficiariis, evenire ſolet, adglutinatos, cæteris illis lobis omni ex parte ſalvis nitidiſque & pulmonum officium præſtantibus, cum hoc tamen diſcrimine, quod ſegnius ſemper & cum aliquâ difficultate reſpirent. Quis verò ille ſit rector aut lobulorum cuſtos, qui proſerpens in viciniam virus repellat exeſisque veſiculis veniſque prohibeat, ne eodem quoque ductu & obviis cavitatibus recipiatur, Oedipi conjecturæ relinquendum eſt.

Sed neque hoc trutinâ indignum, quòd Natura, quamdiu aliquid eſt, quod interni vulneris conditionem turbet, laborioſa ſemper ſit &, quo ſe ab onere liberet, proximos quoſque & opportuniſſimos exitus quęrat, nec antè dolorum finem faciat, quàm excluſum ſit, quod infeſtum erat. At verò tam clandeſtina ſępe hîc eſt aut moroſa, ut ſubinde, quando ſitum non incommodum nacta eſt materia, nullo ſigno aut ſymptomate pręſentiam ejus teſtetur, idque quàm maximè, cùm vulnus adhuc patulum atque æger corporis quietem curat; ſed quod poſtea demum, ubi occludi vulnus cœpit ſecuritatemque & ſibi & laboranti Medicus promittit, ſe exſerere ſolet; enimverò tùm vel minima quæque intus relicta negotium facere doloreſque & tædia conduplicare videntur, nec ante deſinere, quàm reſoluta Cicatrix aut pertuſa vicinia exitum ei dederit ægrumque dolore, Medicumque tædio liberaverit; neque hoc ſemel iterumque, ſed ſæpius, pullulante uſque & ſemper novâ causâ, fieri ſolet. In Fracturis ramenta oſſium hinc inde ſparſim disjecta, & acumine ſuo membranis muſculiſque rudius & contra opinionem Chirurgi impacta, jam & conſolidata, magnam ſæpè ægris, magnam medentibus pariunt ſollicitudinem, & toties coëuntis occluſique vulneris aperturam tantùm non extorquent, non tamen antè, quàm ad motum membrique uſum præparare ſe ęger cœpit. Quid guttula ſanguinis, quid momentum puris, quid alia obducto jam vulnete poſſint, id triſtibus quotidie exemplis edocti ſumus; hinc enim impoſita Paracenteſis neceſſitas, tùm in Capitis, tùm aliarum Cavitatum vulneribus, in plurimis profuit. Triſtius autem ejuſmodi caſus exemplum non poſſum quin hîc adducam. Miles Locumtenens cum Studioſo illo, cujus initio hujus Ephemeridis memini, commiſſus vulnus acceperat in capite leviculum, quodque Cranium vix attingere videbatur, cæſim inflictum non procul à Suturâ Sagittali, in compenſationem credo, ejus, quod alteri adverſario punctim intulerat crudele planè; &, niſi Naturæ benignitas interveniſſet, mortiferum. Obambulat ergo cum exili plagâ homo & ipſe asôtus, & conſuetudini hominum ſe quotidie infert ſolo Emplaſtro, quod aërem arceret, contentus. Chirurgus manè veſperique vulnus deligat; &, ut in illo hominis quadrati robore periculum abeſſe videt; poſt tres demum ſeptimanas purgato benè, quòd putabat, vulnere oras coïre ſinit; & verò tùm, ſi unquàm aliàs, hominis tripudia de ſanitate ſibi gratulantis, quę adverſario ægrè & non niſi exantlatis plurimis periculis conſtare videbatur. Solitæ ſe adhæc intemperiei tradit homo, & poſt quatuordecim dies in graviſſimos capitis membrorumque incidit dolores; quibus cùm ſtatim Febris Deliriumque accederent, intra tertium diem moritur Phreniticus, defuncto jam tot periculis & mortis metu adverſario ægro. Apertum poſt mortem Cranium nihil aliud oſtendit, quàm lentæ viſcoſęque ſaniei guttulam, quæ per Suturæ Sagittalis rimulas lentè erepens, ſparſo in cerebrum membranaſque ejus halitu virulento, inflammationem jam quoque ſphacelum facilè corrupto à vinoſis inundationibus corpori induxerit.

Sed quàm peregrina etiam Mediciſque ignota corpora in vulnerum curatione moram imponant; uno etiam & ſingulari exemplo neceſſe eſt commonſtrem. In Obſidione Vœrdanâ vulneratur ex adverſo miles globuloque plumbeo per medium penem trajicitur. Magni hinc ſtatim & internecini dolores hominem ſibi eripiebant. Cùm autem ad ſe rediret, &, quâ parte vulnus eſſet, neſciret, ubi meliore ſe corporis parte multatum videt, mori ſe malle, quàm ſic exarmatum vivere jocula riter querebatur. Admiſſi ſtatim Chirurgi ex profunditate vulneris, quod ſub oſſe Pubis altius penetrabat, periculum ominabantur; cumque initio ſpecilli explorationem falleret immiſſus globulus, in Ventris cavum aut proximum ſedi locum adactus credebatur. Deligant Chirurgi vulnus pro more, melioremque ſortem exſpectant, &, ut Hæmorrhagia ſiſti poſtque triduum Puris maturandi ſpes affulgere cœpiſſet, me tamen quoque in conſilium advocant. Noto ego initio hominis vultum luridum morbique ſuſpecti notis diſtinctum, jam quoque colem glandè ſuâ, quæ ſola à globo infracta fibrarum aliquot appendix videbatur, puſtulatum. Rogo ingenuè fateretur, quid actum eſſet; ubi ille ex Gonorrhæâ ſeſè laborare diuturnâ & virulentâ ingenuè faſſus utrique & vulneri & morbo remedium enixè quærebat, primùm autem & ante omnia, ut incredibilem in profundo vulneris ardorem reſtingueremus. Itaque præcipuæ & urgenti indicationi ſatisfacturi vulnus ex debito curamus, Clyſtereque Balſamico, cui aliquid Saccari Saturni admiſcueramus, rem eò deducimus, ut poſt quatuordecim dies fibrarum è fundo vulneris ſubpullulantium robore porpulſus ad anteriora globulus plumbeus extrahi ſe pateretur; atque inde vulnus, cùm omnia benè ſe haberent, neque vel dolor aut puris conſiſtentia impediret, imprimis cùm Natura hùc quoque duceret, conſolidari paſſi ſumus. Interim Decoctis ex Lignis Herbiſque vulnerariis magno ſuo commodo & feliciter utebatur, neque aliàs temerè Gonorrhæam jam Lui propinquam curandi opportunitas fuiſſet, niſi vulnus patientiam ac quietem imperaſſet. Jam autem, cùm omnia in tuto eſſe rebamur, & ad pedum uſum æger ſeſe erigeret, & quamvis maximâ nequam membri parte mutilus obambulare inciperet, accidit, ut inopinis nobis nova inflammatio, novi & incredibiles dolores, jamque etiam tumor cum rubedine inſurgerent, ęgrumque penè excruciarent. Adeò hinc facilè conjecimus novo vulnere rumpendum penem. Et verò ita erat; quinto namque die poſt ſolvuntur denuo coalitæ primùm fibræ, magnaque educitur puris copia. Itaque de causâ novæ mutationis ſolliciti ſpecillum in omnes partes vulneriſque angulos vertimus, exploraturi nunquid fortè vel alter globulus aut oſſis ramentum conſolida-

ſolidationem impediret; ſed cùm nihil deprehenſum eſſet, & vulneris rurſum ad glutinationem contendentis curam conſultò differremus, tandem poſt octidui moram, in illâ imprimis dolorum ſymptomatumque abſentiâ, coïre iſtud paſſi ſumus, dum interim perpetuò Decoctis ex Lignis Herbiſque Balſamicis internæ partium conſtitutioni ſecuritatem præſtaremus. Coïverat vulnus octiduum, omniaque votis ægri reſpondebant, cùm ad corporis motum alii dolores, alia inflammatio & priſtina redirent ſymptomata, quę non antè ceſſabant, quàm novam Vulneris aperturam Emollientium ac Digerentium uſu conſecuti eſſemus. Effluebant iterum Puris boni aliquot Unciæ, cumque tandem adfuturum corpus nocens tantęque molitionis cauſam ſperaremus, ne tùm quidem poſt exactam diligentiam apparuit, quid eſſet, ſed omnia, ut pridem, incerta. Ergo purgato ritè vulnere excuſſiſque omnibus ejus angulis ſanationem ruſum procuravimus, ſed eâdem fortunâ; namque poſt quatuordecim dies eadem inflammatio & tumor eandem curandi formulam ſollicitabant, imprimis, quòd pus ſemper bonum ac juſtæ ſubſtantiæ fuiſſet. In hoc ergo tam mirabili & obſtinato ſymptomatum recurſu jam globulum plumbeum aut ramentum ejus aliquod, jam oſſiculum acutum, jam neſcio quid peregrinæ materiæ vulneris abſolutam curationem impedire hariolabamur, ſed incerto omnia eventu. Itaque Chirurgorum unus operæ pertęſus, quidque ageret neſcius, applicat ſe fortè parieti, pendentesque ibi hominis caligas obſervat, cumque jam materiam panni jam formam attentius conſideraret, incidit fortè in rimam illam, quæ pudendis objici nodiſque colligari ſolet, ubi cùm partem laciniæ unà cum nodo avulſam laceramque notat, oritur ei ſuſpicio, numquid fortè pars illa panni globuli ictu decuſſa eodemque impetu illata adhucdum in vulneris profundo lateret; cùmque ſuper eâ re nobiſcum conſultaret, facilè omnibus convenit, ſi quid eſſet, quod vulneris coïtum impediret, eſſe hoc vel nodum aut panni ſimul intruſi laciniam, non etiam dubitante amplius de rei veritate ægro, ut qui nodi pannique jacturam non ante factam fuiſſe adjuraret. Hoc indicio permoti vulnus turundis dilatamus, quò ſpecillo facilior eſſet aditus; & verò præjudicio hoc animatis leve fuit duriuſculi & renitentis corporis moram deprehendere, ſed, quòd altius reconditum eſſet, extrahere non licuit. Ergo, quâ potuimus arte, puris augmentum promovimus, quo ſic laxatâ fibrarum, quibus infixum videbatur, texturâ ſpontè & eo modo, quo Globulus nuper plumbeus, ad anteriora vulneris ſe proriperet, quod nono inde die poſt feliciter effectum; namque & unco obtuſiori paruit, & mundatum inde ulcus duraturam uſque integritatem recepit. Sanè nodus is erat ligneus cilicius, vulgò (*havren Knupff,*) quem globuli impetus avulſum in vulneris profundum propulerat. Quo exemplo apparet omnem in ſanandis glutinandiſque vulneribus operam inanem eſſe, quamdiu abditur intus, quod fibrarum coalitum angulorum aſperitate moretur; ſi enim læve eſt & rotundum corpus unà & ipſum fibris intexitur, & non niſi exiguo incommodo, prout ſitus eſt, Vulneratum multat.

De Fiſtulis autem Thoracis exiſtimandum non ſepti duntaxat aut parietis carnoſi, ſed & Pulmonum eas eſſe, & agglutinatas alias aliis membranas veſiculaſque ſpeciem calli inducere, vulneriſque, quâ patet, profundum obſidere, adeoq; ad exſtirpandas Fiſtulæ oras non vulneris ſuperficialis, aut communis curam ſufficere, ſed Catherèticis quoque interiora tentanda eſſe, ne ſanato duntaxat externi aut carnoſi vulneris callo fiſtulæ in profundum euntis cura palliativa magis quàm vera videatur, & ſic tandem ægri ſpem deſtituat. Quę autem alia erit cauſa, quòd Thoracis vulnera maturius conſolidata toties rurſum aperiri debeant, quàm Calli illa interius profundiuſque abditi pertinacia, quam niſi ordinariâ viâ & ex parte Corroſivis tractes, fruſtranea eſt omnis de abſolutâ & radicali curâ exſpectatio. Itaque Gallorum hîc tempeſtivam audaciam laudare habeo, qui in perſananda Thoracis Fiſtulâ, cui ipſi, quod in corpore aperto notaſſe memini, Pulmonis illa eodem ductu intervenientibus Pulmonum fibris Veſiculiſque adnectitur, neque Vini Spiritui, neque Unguento Ægyptiaco, neque Mercurialibus, quorum tamen mihi uſus in Clyſtere ſuſpectus eſt, parcant, & felici Chirurgiâ magnam ſibi nominis pretium concilient. Quis verò credat cum Thoracis Fiſtulâ vivere hominem, & ſic ſatis commodè, poſſe; vivunt tamen ſæpenumero, & occurrit mihi olim in Bataviâ Vir tuſſiculoſus & Aſthmaticus, qui jam à viginti quatuor annis tribus Fiſtulis iiſque ſinuoſis in Thorace pertuſus perpetuam ſtillaret ſaniem, &, ut ſubinde cauſarius eſſet, operis tamen diurnis manuumque labore victum quæreret animo firmus.

Epicriſis.

Atque adeò, ut ad Ephemerin meam redeam finemque Vulneri cum Curâ imponam, ex tam infeſto caſu eumque comitantibus effectis apparet Naturæ in omnibus incredibilem eſſe potentiam, & fingi nihil tam peregrinum poſſe, quod non aliquando ipsâ procurante fuerit ſanatum. Hiſtoria Marci Baxæ per medium oculum lanceâ caput transfixi Ephemeridibus Germanorum teſtantibus prodigioſa eſt. Vulnera quoque Cordis non protinus lethalia eſſe, aliquandiu trahi, ex plurimis aliorum ſcriptis in Anatomiâ Practicâ ſub ſuo titulo Theophilus Bonetus, & paulò ante nos quoque notavimus. Et certè, ſi naturam Cordis, ut eſt carneomuſculoſa, expendimus, nihil quidem facilius citiuſque ad conſolidationem pertendit, pertenderetque profectò ſemper, niſi alia accidentia, vulneris profunditas, illa in continuatâ palpitatione à Paralleliſmo declinatio, ſyſtole diaſtoleque, ſanabilis carnis diſpoſitionem everterent. Equidem pulmonei parenchymatis, utpote membranei, natura longè eſt ſanatu difficilior, &, cùm motus quoque ille accedat in copiâ fluidi ſpirituoſi irrequietus, Naturæ beneficium ſit oportet, ſi quid vulneris ad ſanitatem perveniat; namque & hîc multa Medici dexteritatem & conatum eludunt. NATURÆ ergo, illi optimæ, maximę, illi functionum & catenatæ corporis harmoniæ Præſidi, illi anomalias divortiique, unde unde illati, conciliatrici noſtrique & rerum ſuarum cuſtodi amicæ, Dei quidem miniſtræ at morborum Dominæ, gratias agere & æſtimatæ vulgò Fortunæ benignitatem imputare unicè debemus, non niſi ſollicitudinis curioſæque ſpeculationis auxiliique ferendi oportunitatem nobis vindicantes.

VULVÆ MORBI.

Vid.

UTERI MORBI.

Item ſub titulô IMPERFORATI. *Hic tantùm rurſus pauca præcipuè ex Præclariſſ. Hieronymô Fabriciô ab Aquapendente, ac* I. *De Hymene Imperforato.*

Hanc curationem Celſus inciſione peragit, lineis decuſſatis, ad X litteræ ſimilitudinem; magna cura adhibita, ne urinæ iter violetur, quod ſupra, propèque eſt. Ego verò, qui aliquando vocatus ſum, & vidi, atque curavi virginem imperforatam, non gravabor hoc loco recenſere, tanquam rem utiliſſimam, curatio-

curationis totius hiſtoriam, ex qua multa addiſcentur. Itaque ut dixi, ſemel tantum tot annorum curriculo, quadraginta trium ſcilicet ſpatio, quo hîc Patavii utramque medicinam ſum profeſſus, vidi virginem imperforatam, quæ vulgò dicitur, coperchiata; neque mirum videri debet, quoniam natura in rebus neceſſariis manca non eſt, & rariſſime peccat, ob plurima nempe incommoda, & vitæ pericula, quæ ſupervenire ſolent. Hæc igitur Virgo, ab ipſo natali die, membranam ὑμένα appellatam, imperforatam, totumque vulvę orificium occludentem ſortita eſt; myrtochelides verò, ſeu alæ adeo exiguæ erant, ut fermè nullæ apparerent; ſi quidem contrahebantur à continuitate membranæ, ejuſque tenſione ab interna repletione facta; ubi autem fuit perforata vulva, alæ ſtatim efformatæ ſunt, tanquam laxata ex utraque parte membrana; ut ex his liceat conjicere, uſum harum alarum eſſe, ut perforata membrana, tutelam alæ ſuſcipiant pudendi mulieris, quod alioqui ab hymene prius cuſtodiebatur. Hæc igitur nobilis Virgo, uſque ad annum decimum tertium bene habuit, ab eo autem tempore cœpit malè habere; quod evenit propter purgationes menſtruas detentas, quæ tunc moveri cœperunt: patiebatur dolores inſignes circa lumbos, & in ima abdominis parte, qui etiam coxis, & articulo coxendicis communicabantur; unde Medici curabant affectionem, perinde ac ſi eſſet morbus articularis, dolorque coxendicus; ſenſim poſtea cœpit corpus emaciari, ac tabefieri, continuaque ferè febricula detineri; vigiliis inſuper, inappetentia, tandemque delirio; tumor quoque renitens, ac dolens in imo abdomine, è regione uteri obortus eſt; quę omnia magis invaleſcebant quo tempore menſtruæ purgationes magis inſtarent, urgerentque. Tandem cùm morti jam eſſet propinqua, accerſitus, ac propriis oculis affectione perſpecta, incidi ſimplici inciſione membranam, & ſtatim maxima ſanguinis craſſiſſimi, viſcoſi, æruginoſi, ac fœtidi copia effuſa, ab omnibus affectionibus quaſi miraculo quodam extemplò fuit liberata; ſimplicem autem fui molitus inciſionem, & lineam ſecundum vulvę, ſeu ſciſſuræ longitudinem, ne ſi ex Celſo, transversè, ad X litteræ ſimilitudinem incidiſſem, alarum conformationem, quę reſultat ex hymenis labiis inciſis, & ex utraque parte laxatis, & ad alas retractis, impediviſſem. Hæc igitur eſt Chirurgia, quam tutiſſimè, & feliciſſimo cum ſucceſſu adhibui in virgine, & hymene non perforato.

De Glutinatis Vulvæ Labris.

Quod ſi culpa glutinati orificii vulvæ, quod χίσμα Gręcis dicitur, concubitum mulier non admittat, ſive à natali die, ſive poſtea id contingat; ut puta ex ulcere carioſo, aut alio per malam curam ſaneſcente; uti evenit uxori cujuſdam, qui cum vellet poſtea cum illa concumbere, invenit locum occluſum, & non potuit, niſi prius Chirurgia ſeparata forent labra; neque mirum, facilè glutinari vulvæ ſciſſuram ulceratam, quoniam mulieres ægrè admodum ejuſdem obſcœnas partes Chirurgis oſtendunt, præſertim honeſtæ: eo caſu adminiſtratur hæc Chirurgia. Reſupinata muliere, & tibiis ad coxas retractis, & alligatis, ab invicemque divaricatis, & cubitis ipſius poplitibus ſubjectis, & funiculis congruentibus ad cervicem deligatis, ut monet Paulus; inde autem ſyringotomo altera extremitate acuto, aut longiſſimo cultro una parte, hoc eſt, interna aciem habente, altera retuſo, & modicè ad cuſpidem recurvato, cum manubriolo longiſſimo ſciſſuram incidamus unica, aut duabus ſectionibus, exactè per media labra lineam facientes, atramento ſcriptorio antea ſignatam, & digito indice exteriùs, ferramento verò interius exploratam.

De Carne, Tuberculo, Abſceſſu, in ſinu vulvæ adnatis.

Nunc magis intra vulvam penetrantes, videamus, quomodo concubitum admittere queant mulieres, quę intus in pudendo, & vagina impedimentum, aut ex adnata carne, aut tuberculo, aut abſceſſu habent, oculis non obvium. Sed Paulus tantummodo abſceſſum curat, ad vulvæ orificium obortum, aut paulò intus, ita ut & ſpeculo conſpici, & Chirurgi manu ferè attingi poſſit; quem Chirurgia hoc modo curat, ubi medicamentis non ceſſit. Primò enim Paulus ſpeculo feminis, & ætati accommodato, quod Diopram nominat, vulvam aperit, & dilatat, ut abſceſſus appareat, quod ſi abſceſſus occurrens, mollis & tenuis exiſtat, qui digiti tactu ſubſideat, juxta apicem dividetur ſpathula, aut ſpecillo, & per os vulvæ pure evacuato, linamentum in longitudinem involutum, lemniſcon dicunt, molliſſimum, ex oleo roſaceo imponetur, & aut in abſceſſum, aut in ſinum muliebrem inſeretur; extra verò ſummas oras, ſuper pectinem, lumboſque lanæ ſuccidæ oleo madentes accommodabuntur, & hæc eſt Pauli Chirurgia.

At nos dicamus, quæ nobis occurrunt, pro curatone tuberculi, ſeu abſceſſus, qui in ſinu pudendi intimius fit: ita ut neque oculis, neque ſpeculo conſpici, ſed digito tantum attingi poſſit; quod difficile non eſt, cum uſque ad uteri orificium digito perveniamus. Certum quidem eſt, ſi abſceſſus, aut caro duritiem habeant, & doleant, non eſſe attingenda; ne uterus conſentiat, & diſtenſio nervorum, & convulſio oboriatur; ſed ſi abſceſſus mollis ſit, indolens, & maturus, neque febrem habeat conjunctam, aut aliud quid, ſed mitis ſit, eo caſu, ipſum incidendum eſſe animus inclinat, eo modo, quo Hippoc. tonſillas incidit; alligato ſcilicet parvo ſcalpello, digito indici; inde verò immiſſo ſimul intrò digito, & ſcalpello; tum verò prius digito abſceſſu percepto, inde ſcalpello ita leviter inciſo, ut ſanies effluat; quo facto, medicamentis deterſoriis, & validè ſiccantibus abſceſſus apertus curandus; ut ſunt inſeſſus in aquis thermalibus, aut in vino albo, in quo ſcabioſa, ſcordium, & radices cucumeris agreſtis ſint maceratæ, aut lixivio, ſed ante inſeſſum, fiſtulam amplam ex ære, aut argento, aut ligno lævigato paratam, & à lateribus multis foraminibus pertuſam quò aqua influat, & malum contingat, in vulvam immittere oportet: convenit quoque intus in pudendum per fiſtulam pulveres inſufflare ex cornu cervi uſto, ex tuthia præparata, aloe, cum modico aluminis, myſi, & melanteria. Clyſteribus quoque per metrinchytas ſinum eluere vino albo cum melle, aut ſcabioſa, aut matricaria, ex uſu quoque erit.

Quod ſi caro pariter in ſinu adnata ſit, quæ concubitum prohibeat, propoſitis exſiccanda eſt; ſi hæc parum valent, Chirurgia ipſa eam auferre præter rem apud me non eſt, ſi modò, ut dixi, neque dura ſit, neq; doleat, ut carcinomati ſimilis ſit; & non difficulter tum incidi, tum auferri, & avelli poſſit; idque præſtabimus inſtrumento, polypo incidendo, & extrahendo accommodato, quod neque cuſpide, aut à lateribus aliud apprehendere, quam ſuperfluam carnem, propter recurvatam aciem non poteſt, ita ut ſenſim modò incidamus, modò apprehendendo avellamus.

Veruntamen adhuc ſuperiùs ad uteri orificium aſcendentes, ac pervenientes, ſi ipſum aut adglutinatum, aut membrana coopertum inveniatur, cujus cauſa prohibeatur conceptio, ſciatis, caſum hunc incurabilem eſſe; cùm incidens inſtrumentum tam altè, niſi cum manifeſtiſſimo periculo pervenire poſſit; fortèque illum eſſe caſum de quo loquitur Ariſtot. 4. de Gener. Animal.

Animal. Cap. 4. his verbis: Jam feminis nonnullis os uteri compreſſum, concorporatumque; ab ineunte ætate ad tempus uſque menſtruorum perſeveravit; mox urgentibus menſtruis, doloreque infeſtante, aliis ſponte diſruptum eſt, aliis diſſectum à Medicis; nonnullæ interierunt, cum aut per vim diſrumperetur, aut diſrumpi non poſſet, quo loco dubitatio oboritur, num Ariſtoteles intelligat, concorporatum eſſe uteri verum orificium, cum Ariſtoteles interdum uterum, & vulvam confundat, cum dicit; Uteros & vulvas intus omnia habent. Quod intelligat vulvæ orificium ex eo conjicitur; quia in uteri orificio concorporato, menſes erumpentes dolorem non excitant, neque opus eſt incidere ad glutinatum uteri orificium, ut menſes effluant; quia in mulieribus menſes erumpunt per uteri cervicem, ſeu vaginam, ſecus quam in brutis, cauſam in Anatome propoſui. Prçterea uteri orificium unitum incidi non poteſt, propter ſitus altitudinem; at vulvç orificium oculis patet, & facilè inciditur. Contra verò Ariſtotelem intelligere uteri verum orificium, ex eo patet, quod dicat nonnullas mulieres interiiſſe ex inciſione orificii uteri; id quod non accidit ex vulvæ orificio diſſecto. Itaque incertum utcunque eſt, quid intelligat Ariſtoteles per uteri orificium concorporatum.

Hactenus Fabricius ab Aquapendente. Jam verò de vulvâ ampliori reſtringendâ, remediiſque in id aptis, aliquid addere, abſonum nobis videtur, imò Medicô ſcribente indignum. Quia tamen poſt partum laborioſum expanſio tanta aliquando relinquitur, quæ apud honeſtiores fœminas medelam exigat; de eâ verbulum ex Weichardi Thes. Pharmaceut. adjiciemus. Succus ex prunis ſylveſtr. immatur. expreſſus, linteis exceptus, & ad modum peſſi in vaginam immiſſus, ad tempus ſaltem corrigit, ut & ille qui ex uvis immaturis extrahitur, præcipuè ſi in eô aliquid aluminis diſſolvatur, eôque pars ſçpiſſimè abluatur. Verùm mirç eſt efficaciæ compoſitio ſequens. ℞. Aq. roſar. ℔ß. aq. ex totô malor. citrior. ℥iij. alumin. crudi pulver. ʒij. moſchi ℈ß. M. in vitrô diligenter, & linquantur in locô tepidô per 24. horas. Poſtea exprime per linteum, & ad uſum ſerventur.

UVULÆ MORBI.

Vid.

GURGULIONIS MORBI.

Finis Libri Decimi-octavi, & totius Operis.